



[redacted]

DE

# HIERARCHIA

ET

# HIERARCHIS

LIBRI IX.


VRBANVS VI. PONT.
OPT. M.X

# DE HIERARCHIA ET HIERARCHIS LIBRI IX.

*IN QVIBVS PVLCHERRIMA EXPOSITIONE*

*omnes Hierarchici gradus & ordines, Epiſcopalis principatus, Clericalis dignitas, Religioſa ſanctitas, ſecundùm Patrum doctrinam, decreta Conciliorum, Eccleſiæ ritus & mores, ſine iuſta cuiuſquam offenſione explicantur*

VRBANO VIII.

HIERARCHARVM PRINCIPI.

A P. LVDOVICO CELLOTIO Pariſino, Societatis IESV Theologo.

*Ordinauit in me Caritatem.* Cant. 2.



ROTHOMAGI.

Apud IOANNEM LE BOVLLENGER,

prope Collegium Societatis IESV.

M. DC. XLI.

*Permiſſu Superiorum.*

*perbiæ ludibriis ſubtrahendo, totâ præſentiæ ſuæ dignitate ſupplicat. Quidni ſperet auream ſibi protendi virgam, cuius in oſculo omnes animi ſui æſtus ponat, & ſumma cum ſecuritate quieſcat? O felicem hoc Imperatore Reginam! O dignum hac conſorte Regem ſacrorum! cui ſapientia pronuba diuinæ caritatis facem, & omnigenæ ſcientiæ aquam prætulit: cuius thalamum ſupra turbines & procellas hominum tranquillitas cæleſtis erexit, vnde mala noſtra & compatiendo videat, & minuat ſubleuando: in cuius magnitudinem cælum & terra conſpirant officiis, & quicquid ſeculis omnibus* ROMA *tulit aut maieſtate ſublime, aut ſan-*

*ctitate*

*ctitate diuinum, aut ſcientia perpolitum, id omne Tuum in ſinum Deus congeſsit, vt eſſet vnus, qui membris per orbem laborantibus, CAPITIS prouidentia conſilioque ſubueniret. Quis non miretur, in his tempeſtatibus Petri nauiculam, Te clauum tenente, ne fluctuarè quidem, & Europæ motus ad Vaticani radices, ſi perueniunt, infringi? Quis non obſtupeſcat inter arma bellicoſque terrores florere pacis artes, Te inſtitutore: dumque in caſtris eximia martis facinora perpetrantur, in vmbra foueri plurimos, qui ſeculi ſui miracula exemplo Tuo poſteritati commendent. Vidit enim ætas noſtra, quod nulli conceſſum ante legimus, admirabilem incomparabilis*

*Regis de Rupella, deque hæretica fa-ctione victoriam Summi Pontificis ſtylo metroque laudatam. Cui cum tot aliæ, tamque nobiles ſucceſſerint, vt annos ſuos per vrbes captas, tanquam per conſulatus numerare poſſit, mirum non eſt poſt eruditiſſimum Pontificem, multos felicitate Galliæ creſcere Panegyriſtas. Sed vt ad Ediſſam noſtram reuertamur, rogat illa in locum Vaſthi admitti. Scit enimuero Hierarchias alias* Tuæ Sanctitati *olim oblatas, næuis ſuis non carere, quas & contemptus* Primæ Sedis *accuſare non dubitat, & innocentiam populi ſui aduerſus Amani calumnias propugnare deſiderat. Poteſt-ne aut ſapientiorem in cognoſcendo, aut*

*æquiorem*

*æquiorem in decernendo iudicem appellare? Et fortaſſe poſt cauſam tantis auſpiciis peroratam, aſpectus Tui benignitate, tanquam proximi ſideris influxu excitatus* fons paruus creſcet in fluuium: humiles exaltabuntur, & deuorabunt inclytos. *Intereà ſe, dictaque ſua omnia & ſingula Veſtræ Sanctitatis, & Eccleſiæ Catholicæ cui præſidet cenſuræ iudicioque ſubmittit*

Veſtræ Beatitudinis

Deuotiſſimus ſeruus ac cliens,
LVDOVICVS CELLOTIVS,
è Societate IESV.

# IN R. P. LVDOVICI CELOTI HIERARCHIAM.

## HENDECASYLLABI.

*QVO Tu numine percitus, CELOTE,*
*Vix vlli hactenus eruditiorum,*
*Vix vlli quoque perſpicaciorum*
*Exploratam hominum, nec apprehenſam,*
*Et mirandam* HIERARCHIAM *& ſtupendam,*
*Quam Cælo ſuper alta raptus aſtra*
*Deduxit* DIONYSIVS, *ſacrámque*
*Cuius formam & imaginem æmulata*
*Terrarũ peregrina* SPONSA CHRISTI,
*Mille* ECCLESIA *militans in hoſtes,*
*In dira Hæreſeônque Dæmonũmque*
*Perſtat firma ſuo gradu, nec vllos*
*Inſultus pauet hoſtium, nec iras.*
*Huius Caſtra, Duceſque, Principéſque*
*Et doctu ſimul, & laborioſis*
*Solers auſus es expedire chartis?*
*Quis Myſteria tanta prodidiſſet*
*Humanæ penitus capi arctiore*
*Quæ mentis fugiant capacitate.*
*Ni certè* DIONYSIVM *putem te*
*Totâ Cecropium induiſſe mente,*
*Qui Cæleſtem Hierarchiam ſuprema*
*Cæli hæc in loca deuocans ab arce,*
*Nobis debilior quibus micat lux,*
*Spectandam dedit, & dedit ſciendam.*
*Quam vidit* DIONYSIVS *reductis*
*Cælo nubibus, intulitque terris,*
*Formandámque ſui Imperi in figuram*
CHRISTI ECCLESIA SPONSA *mutuauit;*
*Pérque omnes ſimul ipſa Dignitatum*
*Ordinúmque gradus & æmulata eſt,*
*Audacem* DIONYSIVM *ſequutus*
*Tam docti exprimis arte penicilli*
*Cælo te hanc iterum vt* CELOTE *viſam*
*Deduxiſſe putem, & dediſſe terris.*
*Namque huius malè nota pulchritudo,*
*Cæleſti æquiparanda pulchritudo.*
*(Formam* ECCLESIA *cuius æmulata eſt)*
*Et forma eximius decor, decúſque*
*Ordinúmque gradus, ſuæque cuiuis,*
*Qui ſacros in eâdem agunt Miniſtros.*
*Addictæ amplius atque deſtinatæ*
*Munerum Officiúmque functiones*
*Tantâ cuncta tibi exprimuntur arte,*
*Cælo vt cælicola tuam intuentes,*
*Quam ſcripſiſti Hierarchiam,* CELOTE,
*Vnam eamdémq; tuam & ſuã arbitrãtes*
*Te Cæleſtia transtuliſſe Terris,*
*Et Terreſtria transtuliſſe Cælo*
*Et ſpectent ſimul, & ſimul ſtupeſcant.*
*At nos attoniti hanc tuam intuentes,*
*Quam tu Cecropiò incitatus æſtro*
*Tam docti exprimis arte penicilli*
CHRISTI SPONSÆ *Hierarchiã, ſtatuſq;*
*Formam, inuictáq; Caſtra, te,* CELOTE,
*Alterum* DIONYSIVM *arbitramur.*

IOANNES. HENRICVS
Auberius S. I.

# IN SVBLIMEM ARDVI OPERIS VOLATVM DE HIERARCHIA.

*PENNIS ite ſtrepentibus,*
*Alatu fremitu plaudite garrulo*
*Conſ[illegible]tum Aligeri genus*
*Quot quot ſtellifero luditis in polo:*
*Ternos tergemini in choros*
*Concordes pariter iungite Tibias,*
*Plectris lene ſonantibus*
*Prompturi meritum Docto operi melos.*
*Vos hæc Pagina reſpicit;*
*Veſtros dúmq; leuis ritè per Ordines*
*Docti* PENNA CELOTII,
*Veſtras perque ratas Ordinibus vices,*
*Influxus per & obuios,*
*Et quas de ſuperis participat faces*
*Turmis, inferior cohors:*
*Hæc dum remigio peruolat alite*
*Tantas* PENNA *rapax opes,*
*Tantum ſydereis orbibus inuidens*
*Terris conciliat decus.*
*Traductos Superûm Terrigenis choros,*
*Terraſque, aut ſocias polo,*
*Aut Cælum, ſpatijs haud paribus, Solo*
*Hic clauſum liber explicat.*
*O te Militiæ legitimum Sacræ*
*Pratonem! ô benè Callidum!*
*Qui tam multiplices Auſpice prætereis*
*Errorum ſcopulos Deo,*
*Audax difficiles tendere in Exitus,*
*Calles ire per inuios:*
*Et raris liquidas Alitibus plagas*
*Pluſquam Dædaleo ſecans*
*Auſu, tot radios, totque reconditas*
*Aſtrorum, trepidante nil*
*Obtutu, penetras ac retegis faces,*
*Viuaci melior face.*
*Nec Te per calido fortis anhelitus,*
*Conatus per & arduos,*
*Vnquam deſtituit fida Operis comes,*
*Ceratis ope Cæli à*
*Alis* PENNA *globos acta per igneos*
*Lapſus nil veritæ Icari.*
*Nec Te præcipuum Multiplicis Chori*
*Furatum ſuperis decus:*
*Flammatoſque Cherub. & Seraphim ignium*
*Candentis rutilos rogo,*
*Sublimeſque Thronos & Dominantium*
*Agmen nobile Principum*
*Cæleſteſque Poli quot quot in ambitu*
*Aulæ quotquot in aurea*
*Aſſurgunt apices, culminaq;, & Gradus,*
*Audacem omnia perſequi*
*Atque inferri ſolo flammiferas opes:*
*Non Te fata* PROMETHEI
*Nec damnata probris furta perennibus*
*Deterrent benè conſcium.*
*Liuor quidquid edax dentibus appetat,*
*Bombis quidquid inanibus*
*Fucorum pecus exſibilet immundum,*
*Aut Vano malè perſtrepant*
*Garritu Scioli; Floribus interim*
*Rorique æthereo incubas*
*Hyblææ inſtar apis, deque fauis Patrum*
*Promis mella reconditis.*
*Dulces Aligeris Ordinibus fauos!*
*Gratas Terrigenis dapes*
*Quos tu ritè fauens, Culminis ardui*
*Celſis Muneribus beas*
*Atque ipſis ſocias Cælitibus pares.*
VOS Ô MILITIÆ INCLYTÆ
*Quot Cælo proceres, quot colimus Solo,*
*Quos hæc Pagina mutuis*
*Collatos pariter iungit honoribus*
*Sacro Munere fulgidos*
*Victrices Operi plectite Laureas,*
*Veſtro plectite Vindici,*
*Et iunctis meritum tollite plauſibus.*

SIMON LE BOSSV. S. I.

# AD R. P. LVDOVICVM CELLOTIVM IN LIBROS DE HIERARCHIA AB IPSO COMPOSITOS.

## ODE.

*FOELIX indole maſcula*
*Qui cœli nitidis proximus ignibus*
*Magni Numinis inclytus*
*Vultus intrepido lumine conſpicit.*
*Seu mentem rutilæ facis*
*Illuſtrat radiis, aut immutabili*
*Terras prapetis ingeni*
*Longe deſpiciet viuidus impetu.*
*Seu victis caput inſerat*
*Delubris ſuperûm, vertice clarior*
*Humano, ſapientiæ*
*Cœleſtis reſluo pectora nectare*
*Audax ſemideum genus,*
*Membrorum poſito pondere, proluet.*
*Dignis ſule laboribus,*
*Aſtrorum choreas, ætheris incola,*
*Et cœlo profugas faces*
*Axis flammifera ſiſtis in orbita.*
*Sic conatibus arduis*
*Celloti liquidum inclytis iter terens.*
*Greſſu nondum homini datu*
*Sublimique acie ſidera traijcis.*
*Sic ſplendoribus aureis*
*Vultus nubiuagi ſolis amabiles*
*Conſtanti face perſpicax,*
*Diuinæque iubar lampadis aſpicis.*
*Quæ tunc mens tibi, quis calor*
*Se ſenſim cupidis artubus ingerit?*
*Vnu lumen anhelitu*
*Immenſum, exigui pectoris excipis.*
*At iam dulce Deum ſequi*
*Quo te cumque vocat. Quin age protinus*
*Imbelles cohibe minas,*
*Et turpi ſatira frange calumniam.*
*Venis vberis ingeni*
*Proh quantus rutilæ fons opulentiæ*
*Largo profluit alueo*
*Cœli lymphigenis ceu penetralibus*
*Vis magna excidit imbrium,*
*Fœcundatque roſis & violis ſolum.*
*At dum nomen inanibus*
*Expurgas titulis, luciferi facem*
*Metiris niueam poli,*
*Sacroſque Aligerûm greſſibus ordines*
*Peruadens facili via*
*Imperuiſſa aliis, ſed ſibi cognita*
*Arcana impauidus doces*
*Myſtes Cælicolum, dum tenebras procul*
*Claro lumine diſcutis.*
*Sic totus radias, ſic ſolidos dies,*
*Sic noctes tetricas, opus*
*Immortale parans ducis, & æmulam*
*Docta voce ſuperbiam*
*Præclarè cohibes, nec rabiem ſinis*
*Conceptam malè longiùs*
*Graſſari, vt nimia fræna licentiæ*
*Imponis vigil, & probrum*
*Illatum calamo vindice diluis.*
*Audaceſque calumnias*
*Arces à ſocijs, & memori ſuos*
*Inſignis ſtimulos notâ,*
*Mirandoque potens eloquio, manus*
*Fucum abſtergis adulteræ,*
*Ingratoſque ſales, nec leuibus iocos*
*Scurriles agitas modis,*
*Aſt acri ingenii proteris impetu.*
*Nec vulgi reſonabilis*
*Plauſu ridiculu, ſubdolus artifex*
*In ſubſellia venditas*
*Linguæ diuitias alterius, licet*
*Pannis inuidus aſſuat*
*Mendici, nitidum fulminei iubar*
*Sapphyri, & pretioſius*
*Aurum, quod latebris vena metallicis*
*Tellurisque fouet ſinu*
*Secretæ patulo, cuilibet obuium.*
*Non ſic moribus integris*
*Dites exuuias detrahis hoſtibus:*
*Sed fraudum rudis, improbam*
*Veraci exagitas ore proteruiam,*
*Offendique reciproco*
*Linguæ diſſimulas verbere caſſidem.*
*Nemo ſcilicet hactenus*
*Te præter rabidos inuidiæ focos*
*Extinxit melius, nihil*
*Vincendum vt ſuperet. Viue diutius*
*Et te poſteritatibus*
*Conſerua ſpatijs, immeritum mori.*

CLAVDIVS PERRY, S. I.

# HIERARCHIÆ
## STVDIOSO LECTORI S.

BREVEM mihi, Lector, operam commoda, ſiue amicus es, ſiue nondum æquus, dum hoc in aditu te ſaluto & amplector. *Ratio ſuſcepti operis.* Quam ſpectas in Titulo Hierarchiam, Liber explicat, ſine cuiuſquam damno, vel contemptu. Quam legis in Epigraphe *Caritatem*, Tractatus *ordinat*, ſine fuco & fallacijs, more maiorum. Ad hoc ſtudij & ſcripti genus duo me inuitarunt: quæſtionis hoc ſeculo maximè decantatæ plena perfectaque cognitio; & famæ tuendæ neceſſitas. Pulchrum eſt illud intime perſpicere, quod niſi ingens eſſet, tanta contentione non ambiretur. Eius rei conturbandæ ſuſpicionem amoliri conuenit, cuius ſalus & integritas noſtrûm omnium vita optimè redimatur.

Magna, mihi crede, res eſt Hierarchia, cœleſtis origine, diuina ordine, veneratione operta, patens officio, actionibus multiplex, vna fine. *Materia ſubiecta commendatur.* Quæris quid ſit Hierarchia? Regnum ſacrum ſub Deo Angelos & homines, ſub principibus Hierarchis, Deo dicatos homines complexum. Prima ſupremæ bonitatis effuſio primos eius ordines creauit; ſummus humanæ voluntatis conatus & extaſis ad eam reflectitur. In ea tria ſunt omnia, vnionem cum Deo factura, & à creata trinitate, ad increatam deductura. Sedem in his habet auguſtiſſima pars orbis Chriſtiani, generis humani primitiæ Deo conſecratæ. Vinculum omnibus vnum eſt Caritas, Hierarchiæ vel præſes, vel finis. Neque te moueat tumultus ingredientium, iactantia propellentium, ardor rixantium. Turbatur fateor, ſed à paucis, & in extimis ædibus. *Vnde profecta ac quæſtio.* Hierarchiam tenere ambiunt Religioſi cum cæteris; obſiſtunt æmuli vel odio cæci, vel ignorantia glorioſi. Et de vnica Hierarchiæ ſpecie lis eſt: plena omnes ſuſcipit. Norunt periti, Hierarchiam Deum proximumque amanti, patere latiſſimè. Magna pars beatitatis eſt habere conſortes Tu ſi quid genuinum hic amas diſcere, curioſos in diſcordiam oculos caue deferas, Ad Hierarchiæ cognitionem ſola caritate venitur. Explora gloriabundos iſtos Hierarchiæ buccinatores, tria verba de Principatu, de proprio Sacerdote, de Parochiani debito vbi aſſeueranter dixerint, Theologi videntur, & triumphant. Vetus S. Hieronymi querela eſt, in eum qui *in vno Eccleſiæ tractatu cuncta comprehendiſſe ſe diceret, de quibus ſingulis nouimus eruditiſſimos viros infinita verſuum millia conſcripſiſſe.* *Hier. ep. 61.* Quibus ergo tam eſt tenuis Hierarchiæ doctrina, miraris anguſtam videri Hierarchiam?

Quamobrem quod vigilijs lucubrationibuſque meis colligere potui, hoc loco tibi, Lector, offero, non cupiditate gloriæ, ſed rixarum tædio; non ſtudio nouitatis, ſed amore quietis. Materiam propoſitam explico, ſimplicem *Auctoris hoc in tractatu methodus.*

nomine, re vberem, varietate iucundam. Toram exhautio, quia partis vnius ſpeculatio, belli ſeminarium eſt. Cœleſtem ſuſpicio; vnde forma & ordo; vbi in infinita multitudine, diuina pax. Terreſtrem partior, pluribus vt ſatisfaciam, auctoribus de Hierarchia, Theologis pro Hierarchia, perſonis in Hierarchia. Ordines recenſeo, primarios in Epiſcopis, ſecundarios in ſubditis, controuerſos in Religioſis. Obſcuritatem illuſtro, Scripturæ ſacræ, Patrum, Conciliorum. Argumentis opiniones meas ſtabilio petitis ex auctoritate, à ratione, à decretis Eccleſiæ & Pontificum. Rectus doctrinæ ductus eſt; diſceptatio vt philoſophica, Theologa oratio, quæ neque ſe pompatica iactet eloquentia, neque barbara tenuitate ſordeſcat. Rideo nonnullos ſtyli excuſantes mediocritatem, qui deinde in affectando dictionis ornatu multùm olei perdunt. Loquor omnibus, & illum audire videor, qui clamabat olim, ſi non vis intelligi, tace. Minimè omnium culti priores libri, quos ſi fundamenta nuncupas, ex impolitis lapidibus conſtrui fateris; ſi mauis inferiorem domus aream appellare, ornatum non requiris, vbi omnia vtilitati ſeruiunt: ſi cum pedibus corporis conferendos iudicas, illis latentibus, decorem membris nobilioribus conciliari non inuides. Sparſæ ſunt per opus vniuerſum quæſtiones nonnullæ, vt de Caritate, de virtutibus Moralibus, de votis Religioſis, quorum plena & integra diſciplina loco vno claudi non debuit: tu ſi vis aſſequi, diſſipata colligas oportet, & in faſciculum compingas.

*Scribendi neceſſitas.*

Cæterùm nemo philoſophus aut Theologus ſua ſic poſuit, vt aliena non refelleret. Poſcit hoc neceſſitas, permittit exemplum, vſus comprobat. Contrariarum aſſertores opinionum, ſcholæ mores, aduerſarios appellant. Hinc altera ſcribendi cauſa. Nonnulli enim & malè Hierarchiam habent, & à ſcriptoribus Societatis Ieſu indignè Hierarchas haberi criminantur; quorum proinde doctrina penitus conuellenda ſit. Poſtulant igitur hominum iudicia, vt facto demonſtremus, Societatis noſtræ doctrinam de Hierarchico culmine nihil detrahere. Licet enim non omnes illam eadem methodo explicaturi ſint, nemo tamen ea quæ de maieſtatis Epiſcopalis prærogatiua ſcribimus, non libentiſſimis animis ſuſcepturus eſt. Quid Angli dixerint, quid Hiberni, mea non intereſt: qui ſi Ieſuitæ omnes forent, non eſſent tamen omnes Ieſuitæ. Gallis, Germanis, Italis, Hiſpanis, Græcis, Indis, leges non imponunt Angli vel Hiberni: vt ipſe neminem meas in partes trahere volo repugnantem. Si quid pecco, mihi pecco, non ſocijs: ſic ego; tu, & ille, aliter. Sibi quiſque opinandi lex eſt, cum Deo & Eccleſia. Et hoc in propoſito S. Hieronymum Monachum audimus à Patriarcha ſuo vexatum, honorem tamen & venerationem à Religioſis omnibus exigentem. *Idcirco enim & patrias noſtras dimiſimus, vt quieti abſque vllis ſimultatibus in agris & ſolitudine viueremus* (ſcribebat iſta vir ſanctiſſimus in Bethleemitico Monaſterio, ne de ſolis Eremicolis dicta credamus) *vt Pontifices Chriſti, qui tamen rectam fidem prædicant, non dominorum metu, ſed patrum honore veneremur: vt deferamus Epiſcopis vt Epiſcopis. Non ſumus tam inflati cordis, vt ignoremus quid debeatur Sacerdotibus Chriſti. Qui enim eos recipit, non tam eos recipit, quàm illum, cuius Epiſcopi ſunt. Sed contenti ſint honore ſuo; patres ſe ſciant eſſe, non dominos; maximè apud eos, qui ſpretis ambitionibus ſeculi, nihil quieti & otio præferunt.*

*Anglicana controuerſia non tangitur.*

*Hierarcharum veneratio Religioſis omnibus ſemper commendata.*

Hier. ep. 62.

*Licet aduerſarios refellere.*

Hanc verò de Hierarchicis ordinibus, & Hierarcharum magnitudine doctrinam dum ſtabilimus, propulſandi ſæpe recurrunt aduerſarij, qui ſalem vt plurimùm

pluri mûm à lapide ſilice expreſſerint. Tanta eſt aliquorum ex ipſis importunitas, & falſo prætextu violatæ maieſtatis Hierarchicæ, dandæ peſſum Societatis noſtræ, imo Religioſi ſtatus vniuerſi libido. Hic quàm maximè potui (Deo teſte loquor) animo ſum admoderatus, & calami ſcripturientis imperum obſtinato modeſtiæ vigore ſuſtinui: conſiderans *non quid mereantur, ſed quid me deceat.* Quia tamen ſe totum in poteſtate ſemper habere perdifficile eſt, vtique ſi perpetuò lancinaris, ſi quid imprudenti nonnunquam paulò moleſtius excidit, indignationem puta Lector, non conuicium; zelum, non iracundiam. Illi putas non benè conuenire cum manſuetudine, & columbam, quia felle careat, roſtro & vnguibus non pugnare? *Idcirco Spiritus Sanctus in columba & igne monſtratur*, inquit S. Gregorius, *quia videlicet omnes quos implet, & columbæ ſimplicitate manſuetos, & igne zeli ardentes exhibet.* Quid enim faciam? *Reſpondere compellor, ne videar tacendo crimen agnoſcere, & lenitatem meam, malæ conſcientiæ ſignum interpreteris. Si tacuero, criminoſus ero: ſi reſpondero, maledicus*, aduersùs eum, qui *procacitatem diſertitudinem, & maledicere omnibus, bonæ conſcientiæ ſignum arbitratur.* Poſt illa tamen ſi quid aſperius in priuatos aliquos (nam Societates & Collegia ſemper ex animo veneratus ſum) quàm religioſa ferat benignitas, reſponſum, Lector, autumabis, culpam non deprecor; homo ſum, dictum nolo: retractent illi mala ſua, quàm liberè mea mihi poſtulo ignoſci. *Sint præteritarum noſtrarum contumeliarum dolore contenti, vetera vulnera ſaltem noua obliterent caritate.* Denique *noli accuſare, & ego ceſſabo defendere.*

Hiero aduerſ. Ruff. l. 3.

Greg Paſt. 3. p. c. 1.

Hiero aduerſ. Ruff. l. 3.

Idem ep. 62. Adu. Ruff. l. 3.

Hæc cum dico, ne me puta Lector, aliquos qui ſæpius hoc opere improbantur, ſuſcepiſſe debellandos: hactenus tam eſſe otioſo mihi nec licuit, nec libuit. Faciet hoc fortaſſe alius athleta virtutis aut fortior, aut felicior. Occurrunt crebriùs, quia eodem in argumento verſantur: ſi benè, laudo & ſequor: ſin iudicio meo aliter, improbo & confuto. Sine cæde & ſanguine eſt ſcholaſticum illud bellum, quod ſalua caritate confici totum poteſt ac debet. Fateor equidem ab eorum ſcriptis innatum animo meo inueſtigandæ veritatis ardorem: agnoſco benignam illos in pleriſque ad repetendum materiam obtuliſſe; neque diſſimulo conſilium illud vitæ meæ moderatoribus, quorum iterato coactus imperio animum ad hæc ſtudia appuli, ante annos aliquot inſediſſe. Verùm concitato per calumniam tumultu non mediocriter modò remittente, ſcriptis tamen ad poſteritatis memoriam propagatis, viſum eſt non apologia opus eſſe, ſed doctrina: vt habeat ſequens ætas in nobis, quod credat de nobis, & aduerſariorum criminationes iudicio excipiat, non fidei leuitate. Quamobrem Lectorem illis imprecor, qualem mihi ipſi delectum velim, nulli parti plus æquo addictum, veritatis appetentem, Theologiæ non ignarum, verborum & phalerarum minimè aucupem, qui ſciat ſeparare pretioſum à vili, æqui rectique iudicem incorruptum. Tibi qui hæc legis, ſi talis es, vt certiùs in ea cauſa verſere, duos de præcipuis æmulorum facio cognitos, eaque deſcriptione magnam ad inſtitutum meum facem præfero.

*Non eſt hæc apologia, aut mera confutatio.*

Prior eſt Franciſcus Hallier Theologus Pariſienſis, qui ſe *à piiſſimis parentibus ita inſtitutum & informatum* profitetur, *vt Regularibus viris, quos ſuſpicit, & veneratur, ſit caritate coniunctiſſimus.* Libros ad noſtrum propoſitum ſpectantes ſcripſit duos, *Vindicias in Spongiam*, & *de Sacris Ordinationibus*: In priore, nulli

*De doctore Franciſco Hallier.*

priuarim Ordini Regularium conrumelioſus, omnes vniuersè multis modis exagitat, ſed furtim & occulrè, vindicandi Cleri ſpecie, aſſerendæ dignitatis Epiſcopalis occaſione, propugnandæ Theologicæ Facultaris prætextu, omnium ludibrijs & conremptui Religioſum ſtatum exponit, non quidem verborum conuicijs, ſed ſenſuum malignitare dedecoratum. Religioſos vt Eccleſiaſticæ diſciplinæ perturbarores, hæreticis ſimillimos, fautores amplificatoreſque hæreſeon, religionis ſimulatores, & periuros deſcribit; ab ijs ſchiſma meruit, eorum apoſtaſiam futuram ominatur, & id genus *piiſsimorum parentum inſtituta*. Declamat in priuilegia, perniciem Reip. Chriſtianæ ab ijs pararam minatur, ſummo Ponrifici auctor eſt, vt ea recognita & contractiora iubeat promulgari. Poſterioris operis materia, licet harum mercium minùs ferax, ramen *hic virides etiam occultant dumeta lacertos*; ita ſparſim & frequenrer ingrarijs intrudunrur, æquè in totam Religioſorum nationem, & aliquoties ſingillatim in Patres Societatis Ieſu, ſiue illos aperrè nominet, ſiue ijs pingat colotibus, qui nullum requirant titulum, vt medio digito denotentur. Has excudebat vigilias, cum rogatus abſtinere à pacis amantibus, ne quietos ſoliciraret, data primùm fide, & ſubrractis è typographico prælo folijs annuir: mutato deinde conſilio, poſſe ſcripris certari reſpondit, modò conuicijs abſtinearur. Fuit illa certa prouocatio, quæ reparandi huiuſce operis mentem Superioribus noſtris iniecit: monenre ſcriprura, *Adoleſcens loquere in cauſa tua vix: ſi bis interrogatus fueris, habeat caput reſponſum tuum.* Nam primos flagranris per Petrum Aurelium incendij motus compreſſerant Illuſtriſſimi Hierarchæ, & huius rractatus, aur certè ſimilis alicuius neceſſiratem extinxerant. Accepta igitur conditio eſt, & ſine contumelia verborum, artes derectæ, aperræ inſidiæ, propalatum Religioſi ſtarus odium, & eius fronti, qui inuirat vt Abſalon, ſalutat vt Ioab, conſulit vt Chuſai, eò pernicioſior quò rectior, veri Anriregularis character impreſſus. Cauſas illius odij aperire, morum diſciplina non patitur.

*Contumelia in Religioſos.*

*Eccl. c. 32.*

Scio quid obtendat. Pro Epiſcopis ſtare ſe gloriatur: nos prærerea pro Regularibus. Tu parribus blandiris; ego ſic illos veris orno laudibus, vr ab eorum latere filios diuelli non pariar. Tu de Hierarchia ſcribis, vt eam anguſtis limiribus concludas; ego vr dilatem ſpatia caritatis. Quos anguſtiæ tuæ repellunr, ad bella & lires prouocant: amplitudo mea digniratem parribus, parres filijs, pacem omnibus conciliat. Tu ſtylum pretioſo ſtringis compendio; ego grarùita amplificatione diffundo. Tu Facultarem omni veneratione dignam vt protegas, non ignobilem, neque inutilem Eccleſiæ ſtarum indignis contumelijs rurpificas: ego vtriuſque honorem aſſero, promoueo gloriam prædico ſanctirarem.

*Ab Epiſcopis non ſunt diuellendi Religioſi.*

Poſterior eſt Petrus Aurelius: pulchrum nomen, mera perſona. Ens aggregatum per accidens, vt philoſophi loquunrur, hybridam larini poſſunr dicere. Theologus vnus aut plures, ſchedas ſuppedirarunr: larinas fecit alius declamator: rerrius labori typographico præfuit, vt nitidiùs vulgarentur. Hinc natum apud me Aurelij Theologi, ab Aurelio Grammarico diſcrimen; & huic ſæpius ſuccenſeo orario, quia non malos ſenſus bona latinirate corrumpir. Quis ſir auctor, ſcier forraſſe poſteriras; apud nos *preſſa eſt inſignis gloria facti, nec ſe ſe Ænea iactauit vulnere quiſquam*: ne rum quidem, cum propoſira mercede, rogatus eſt vt dignaretur agnoſci. Albus igitur an ater ſit, non inquiro:

*Petri Aurelij liber plurium labor eſt.*

quiro: quiſquis eſt, & quocunque eum inter mortales vocari nomine ius faſque eſt, eundem quem ſuperior exprimendæ, & opprimendæ Spongiæ prætextum arripiens, eius auctores fingit eſſe Ieſuitas, vt collectum ex longo in eos odium (qua de cauſa, ipſe viderit) totum ſemel euomat, nociturus profectò famæ noſtræ apud ignaros & æmulos, niſi nocere opere tanto voluiſſet. Nulla res magis apud ſapientes de falſitate præiudicauit, vt olim in cauſa C. Rabirij Senatoris optimi, quàm accuſatoris ardor indomitus. Ac licet ſolos atterere Ieſuitas, alios nonnunquam Ordines laudare videatur; eadem tamen illi, quæ ſocio mens eſt, Religioſi ſtatus eſſentiam labefactatam conuellere.

Duos igitur Vindiciarum Tomos ſcripſit: abſtineo à poſteriore, qui facti quæſtiones, & clariſſimæ Facultatis apologeticum continet. In priori, qui propriè noſter eſt, duo lego, doctrinam de Hierarchia, calumnias & contumelias in Societatem. Conſilium hominis eſt, infixam in Catholicorum animis de Ieſuitarum virtute & doctrina opinionem euellere, vt & moribus perditiſſimi, & in diſciplinis infantiſſimi cenſeantur. Pars hęc conuiciorum & maior, & peior, ſtatim vt apparuit, proſcripta eſt ab Illuſtriſſimis, qui tùm in vrbe Regia degebant, Hierarchis. Nam cum pati æquo animo non poſſent, inſtitutum illud quod in oculis ferunt, quod beneficijs ſuis prolixè ornant, quo impenſè ad Hierarchicas functiones quantùm licet, vtuntur, ab eo ſcriptore indignis modis lacerari, eius innocentiam encyclicis literis teſtati ſunt, & indicta ſe cupere, quæ Petrus Aurelius architectatus eſt. Noluerunt viri ſapientiſſimi dignitatem Hierarchicam de traductis per calumniam Religioſis triumphare; vt neque Facultas clariſſima de Ordinis Religioſi ruinis ambit creſcere. Si defenſionem cauſa merebatur, aliter ſuſcipienda fuit. Non debet eſſe minoris verecundiæ pro religione, quàm de religione ſcribere. Profligata igitur eſt morum quæſtio, & nos, vt verbo eloquar, apologiam non ſcribimus, ſed viuimus. *Vindiciæ magna ex parte ab Epiſcopis improbatæ.*

Doctrina ſupereſt, quam doctrinæ Societatis Ieſu vult oppoſitam. Eam tamen non video in dicta Epiſtola probatam aut laudatam ab Epiſcopis, ſed tantummodo zelum in Hierarchia propugnanda, qui nobis omnibus debet eſſe communis. De Hierarchia enim diſputat & incautiùs quàm Theologo conueniat, & confidentiùs quàm Grammatica patiatur. Patres, Concilia, Canones, veteris Eccleſiæ diſciplinam omni pagina concrepat, ſed neque certa fide, neque recto ſemper iudicio. Philoſophiam mirificè contemnit; Theologiam diſceptatricem ſubſannat: vt mirum non ſit frequentes ab eo paralogiſmos pro rationibus exhiberi. Non credidit ſchediorum amanuenſes labi poſſe, aut decipi: adeo improuida credulitate ſcriptores ab iis productos ſuſcipit, vt locos ipſos recognoſcere vix dignetur. Ita neque certum ab illis pro ſe teſtimonium adducit; neque verè illos confutat, quos negligit explorare. Sed ne plus æquo aduerſarium deprimere videar, Balſacum teſtem nullius emolumenti ſpecie corruptum hominem tibi, Lector, obijcio. Is enim togatus Petro Aurelio ſcriptis ſuis, vt olim Lucilio Seneca, Tullius Attico, immortalitatem dare, quam à ſe ſperare non poteſt, & poſtulantibus amicus, & Ieſuitis non inimicus, venuſto temperamento ſtylum per Socraticam ducit ironiam, quam alicubi probat, eamque tam graphicè repræſentat, vt non ineptiſſimus aliquis laudatum Petrum Aurelium iuuare non vereatur. *Qualis Petri Aurelij doctrina.*

*Balſacus de Petro Aurelio iudicium explicatum. Epiſt. 49. 2 p.*

*Admirabilis*, inquit, *ille Incognitus*, *cuius ſub ementito Petri Aurelij nomine magna fama eſt*, (audis, Lector? bonam non dicit, quam malle Seneca profitetur) *quanta cura, quibus artibus latere ſatagit? Suæ gloriæ minimè appetens, laruam obijcit laudibus ſibi debitis.* Hæc qui legit, non ſtatim ad vulgare illud oculos refert, *Qui malè agit odit lucem: non venit ad lucem vt non arguantur opera eius?* Pergit auctor. *Plagiarius non eſt; alienam gloriam non furatur.* Nam quæ ſibi donata deſcripſit, corrumpendo ſua fecit, vt olim Epigrammatis Latini princeps ludebat in ſimili. *Fileſacus qui operas typographicas recognouit, hominem retulit non aſpectabili modo Deo ſeruire velle.* Vellem hoc nomine abſtinuiſſet Panegyriſtes, neque ad poſteritatis memoriam talem virum pro chalcographiæ correctore tranſmiſiſſet. Quid enim libera dicent iudicia, cum viderint ſub tanta lima opus perquam impolitum, & ſublatas typographorum maculas, relictos auctoris errores? *Homo non eſt nota vulgaris, ipſorum aduerſariorum iudicio.* Habet enim Catholico hactenus nemini vſitatam conuiciandi formam, calumniarum copiam, ſegetem contumeliarum. *Eius ſcripta huius ſeculi non ſunt*, mordacia, ſatirica, politi & elegantis. *Primæuum vigorem ſpirant*; quæ nihil niſi veterem Eccleſiam, & antiqua Concilia loquuntur, præſentibus ritibus pene dicam faſtiditis. *Nobiſque Eccleſiam quam non vidimus repræſentant.* Myſticum hic aliquid latet: ſcimus enim qui nobis occinant, habere ſe Eccleſiam, quæ aſpectabilis non ſit, recentem ad antiquos ritus reuocandam, & ſimilia controuerſiarum ſcriptoribus familiaria. *Certè videtur alicubi* (paginis pene omnibus) *minùs de Auguſtini manſuetudine, quàm de Hieronymi bile aſſumere*: (illam autem Hieronymus in ſolos hæreticos effundebat) *& libentiùs iuſtitiæ, quàm caritati obſecundare.* Potuit-ne Auctor ſapientiùs læſæ caritatis fraternæ reum facere Aurelium? *Vellem caniciei, & magnorum meritorum P. Sirmondi rationem habuiſſet.* Hæc Spongia eſt qua grandes Aurelij Tomi ſemel obliterantur. Quis autem dubitet idem ſentire Balſacum de Suare, de Vaſque, de Bellarmino, de Thoma Sanchez, de Ordine toto, cuius pars nobilis quidem, ſed quota eſt P. Sirmondus? *Sed nimirum irritata virtus modum neſcit.* Hoc ait, Petrum Aurelium impetu ferri non prudentia, & infrenis equulei modo rapi, ruere, præcipitare, in hoc admirabilem, quòd longo in opere nuſquam placidè loquitur. *Ea venuſtas eſt Chriſtiani gregis, quòd Leonem admittat inter oues.* Non eſt igitur aliud Aurelius Ieſuitis, quàm ouibus Leo. *Dentes eius vt dentes Leonis, & molares eius vt catuli Leonis.* At Leonem in oues ſuas irruentem quo animo, qua ve fortitudine Dauid excepit? *Vel honorem ſolum ab eo didiciſſe, quem debent homines venerando Angelis characteri, opera pretium eſt.* Idem & ego diſcere peruelim, quis eſt inquam honor ille? *Si principes ſunt Epiſcopi, ſi dignitate Reges æquant vel ſuperant, cur ægrè Prælatum vnum, Dominum ſalutabimus?* Socraticè dictum, ita me Deus amet, & vrbanitas ipſa! Grandia ſemper & inaudita pollicetur Petrus Aurelius; largitur autem præter ſonum, & vmbram, nihil: hoc vt exprimat Encomiaſtes, Didici, inquit, ex Aurelio, Epiſcopatum ex Patribus, Concilijs, Eccleſia vetere, ad cœlum euehere promittente, apicem Epiſcopalis honoris hunc eſſe, vt illi *Domini* appellatio non denegetur. Ita bonas horas, malè collocaui. Sic Balſacus laudator Socraticus.

*Concluſio & ſcopus operis.* Quibus ego addendum nihil cenſeo, niſi vt poſt longam vtriuſque noſtrum de Caritate Dei diſputationem, ad Caritatem proximi exercendam inuitetur, & ſapientem filium Sirach audiamus. *Eccl. c. 43.* *Multa dicemus, & deficiemus in verbis,*

*in verbis, conſummatio autem ſermonum ipſe eſt in omnibus.* Ad finem Hierarchiæ, quod præfatus ſum, medio ipſo fine deuenitur. Si fortaſſe humano vitio, doctrinæ gloriam aucupari contendit, *ſuperemineat Caritas*, eaque *cuſtodiat corda noſtra, & intelligentias noſtras*: quæ ſunt facultates in Hierarchia perficiendæ, *in Chriſto Ieſu, qui mens eſt* (vt loquitur S. Dionyſius) *omniſque Hierarchiæ tum ſanctitatis, tum diuinæ actionis principium*, cuius ſponſæ Sanctæ Eccleſiæ iudicio hanc Hierarchiam, meque ipſum, arbitrio quoque & cenſuræ ſapientium tractandi methodum humillima ceruice ſuppono. Phil. c. 4. Dion. de Eccl. c. 1.

---

## *APPROBATIO DOCTORVM PARISIENSIVM.*

DEERAT certè vniuerſo litterarum orbi ingens ac egregium iſtud miræ ſanctiſſimæque Theologiæ opus, verè calamo ſcribæ velociter ſcribentis exaratum, cui nomen *De Hierarchia & Hierarchis libri IX. Auctore R. P. Ludouico Cellotio Pariſino Societatis Ieſu Theologo.* Deſiderandum ſanè in cunctis Bibliothecis, nec ſine ipſo ſat eſſe poterunt. Indigebant quippe ingenia, etiam valentiora, D. Areopagitæ interprete ac ſuppletore. Cum ecce tibi hic præclariſſimus Auctor omnia tempora & facta tranſuolans, mentes ad inacceſſibilem vſque rapit, dum ſacrum euoluit, & demonſtrat ordinem Increatum, & inde tum Angelicam, tum etiam Eccleſiaſticam Hierarchiam educit atque explicat. Sic ſanctæ Ieruſalem adyta pandens, & decorem domus Dei puriſſimi ac præſtantiſſimi ſtyli luce patefaciens; ſic denique omnium in ea lætantium iura æqua lance perpendens, vt *nulli querimoniæ locum det*, ſed ampliſſimum omnibus aſſenſus & admirationis argumentum, quibus legere feliciſſimè contigerit. Debent autem quotquot cæleſtibus voluerint inſtrui myſterijs. Id exemplo comprobauimus, teſtamurque ſine cenſuræ formidine, Nos Almæ Facultatis Pariſienſis Doctores Theologi. In noſtro Conuentu Auguſtiniano Rothomagenſi die 26. Septembr. anno 1638.

Fr. IACOBVS CHAPPELAIN, Prouinciæ Franciæ ordinis S. Auguſtini P. Prouincialis.

Fr. FRANCISCVS L'ABBE', Prior ac Profeſſor in Theologia.

## APPROBATIO DOCTORVM.
### ANDEGAVENSIVM.

NOs Philippus Gallet, Prior Monaſterij omnium Sanctorum Andegauenſis, Ordinis Canonicorum Regularium Sancti Auguſtini, ſtrictioris obſeruantiæ, & Nicolaus Fournier eiuſdem Monaſterij Supprior, Doctores Theologi, *Libros de Hierarchia à R. P. Ludouico Cellotio Societatis Ieſu Theologo,* ſcriptos, diligenter perlegimus, nihilque in ijs reperimus quod aut orthodoxæ fidei, vel bonis moribus ſit contrarium, *aut quemquam poſſit meritò offendere.* Sed hoc argumentum dignè, & pro ſingulorum ordinum, ac præcipuè Epiſcopalis, dignitate tuenda commodè pertractatum, repetitis ex Theologia ſanæ doctrinæ principijs, & ſecundùm ea varijs quæ hac de re agitari poſſunt quæſtionibus ſolidè & eruditè diſputatis, iudicauimus. Quamobrem hoc opus dignum, vtile, ac propemodum neceſſarium quod in lucem edatur, eſſe cenſemus. Datum Andegaui nono Calendas Nouembris, anno Domini milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo tertio.

P. Gallet. N. Fournier.

## FACVLTAS PROVINCIALIS.

EGo Stephanus Binetus Præpoſitus Prouincialis Societatis Iesv in Prouincia Franciæ, poteſtate ad id mihi facta ab admodum R. P. noſtro Mutio Vitelleſco Præpoſito Generali eiuſdem Societatis Iesv, concedo vt *P. Ludouici Cellotij ex eadem Societate Theologi*, *De Hierarchia & Hierarchis libri nouem*, iudicio quinque eiuſdem Societatis Theologorum approbati, typis mandentur à Ioanne le Boullenger Typographo Rothomagenſi: vt is ad decem proximos annos imprimere ac liberè diuendere poſſit, iuxta priuilegium eidem Societati à Chriſtianiſſimis Regibus Henrico III. 10. Maij 1583. Henrico IV. 20. Decembris 1606. & Ludouico XIII. nunc regnante 14. Februarij 1611. conceſſum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab eiuſdem Societatis hominibus compoſitos abſque Superiorum permiſſione imprimant. Datum Aurelijs die 14. Decembris 1638.

Stephanvs Binetvs.

## LICENTIA.

VIsis Doctorum approbationibus, & facultate Prouincialis, permiſſum eſt Ioannis le Boullenger Bibliopolæ & Typographo Rothomagenſi imprimere & diſtrahere librum *De Hierarchia & Hierarchis auctore P. Ludouico Cellotio*, & vetitum ne quis alius idem auſit ad decem proximos annos in Ordinis Priuilegio memoratos. Datum Rothomagi 4. Februar. 1639.

Godard.

PRO-

# PROSPECTVS OPERIS HIERARCHICI

## EXPOSITO LIBRORVM & Capitum INDICE.

# DE HIERARCHIA ET HIERARCHIS.

## LIBER PRIMVS.

### DE HIERARCHIA IN GENERE.

PRÆFATIO. Qua ſtatus quæſtionis & prima operis delineatio, auctoriſque inſtitutum exponitur. 1
Caput I. Hierarchiæ tabula, & expreſſior huius operis ichnographia. 4
Caput II. Ingreſſus in Hierarchiæ naturam per Notationem, ſeu nominis definitionem: quis Hierarcha ſit: quid eſſe de, & in Hierarchia: quid actio Hierarchica. 6
Caput III. Hierarchiæ creatæ in communi definitio ex S. Dionyſio profertur. 8
Caput IV. Genus in Hierarchiæ definitione poſitum explicatur. 9
Caput V. Quæ ſit Hierarchiæ differentia in definitione S. Dionyſij exponitur. 10
Caput VI Hierarchiæ finis ex eadem definitione monſtratur. 12
Caput VII. Hierarchiæ officium quo tendit ad finem, eius partes & actus diſtinguuntur. 13
Caput VIII. Tres officij Hierarchiæ partes eſſe monſtrantur. 15
Caput IX. Tres illæ officij Hierarchici partes ſingulatim exponuntur. 18
Caput X. Actuum Hierarchicorum fontes è Patrum & Conciliorum doctrina recluduntur. 20
Caput XI. Vtrum actus Hierarchici ab omnibus qui ſunt de Hierarchia de-

beant effici: & Agere, an Pari ſit nobilius in re Hierarchica. 22
Caput XII. Probatur efficaciter non omnes Hierarchicas actiones, à ſuperiore in inferiorem tranſire. 24
Caput XIII. Diuiſio Hierarchiæ vt totius in partes integrantes. 26
Caput XIV. De diuiſione Hierarchiæ in Hierarchizantem & Hierarchizatam quid ſentiendum ſit. 28
Caput XV. Hierarchiæ vt generis in ſpecies diuiſio. 29
Caput XVI. Supremi generalis Hierarchiæ Principes, & Hierarcharum Hierarchæ conſtituuntur. 31
Caput XVII. Generalis illius Hierarchiæ partes quo ſibi inuicem ordine & reſponſu connexæ ſint. 33
Caput XVIII. Vtra Hierarchiarum creatarum dignitate præcellat, Cœleſtis an Eccleſiaſtica. 35

## LIBER SECVNDVS.

### *DE PRIMA HIERARCHIÆ SPECIE, QVÆ eſt Cœleſtis.*

PRÆFATIO. Qua Hierarchiæ Cœleſtis conſideratio ad Eccleſiaſticæ cognitionem neceſſaria eſſe monſtratur. 41
Caput I. De ſuprema Hierarchia quæ eſt Auguſtiſſimæ Trinitatis. 43
Caput II. Ieſu Chriſti, & Mariæ Deiparæ, quà pertinent ad Hierarchiam, contemplatio. 45
Caput III. Ieſu Chriſti, & Mariæ Deiparæ actus Hierarchici. 48
Caput IV. De Hierarchia Angelica in communi diſputatur. Ac primùm, quo in Angelorum ſtatu ſit admirrenda quæritur. 51
Caput V. Quotuplex in genere ſit Angelorum Hierarchia. 52
Caput VI. Qua ratione diſtinguantur tres in Angelis Hierarchiæ. 54
Caput VII. Eadem Hierarchiarum Angelicarum diſtinctio alia methodo inueſtigatur. 56
Caput VIII. Hierarchiarum Angelicarum ſub ſanctiſſima Trinitate ordo, & collocatio. 57
§. Vnicus. Reliquarum Hierarchiarum diſpoſitio. 59
Caput IX. De hominibus in cœlum receptis, pertineant-ne illi directè ad cœleſtem Hierarchiam. 61
Caput X. Primæ Angelorum Hierarchiæ, & ſingulorum eius graduum conſideratio. 63
Caput XI. Secundæ Angelorum Hierarchiæ, & eius graduum explicatio. 67
Caput XII. Tertiæ Angelorum Hierarchiæ, & eius ordinũ breuis expoſitio. 67
Caput XIII. Infimos hoſce ordines Angelorum verè & propriè in cœleſti Hierarchia eſſe aduersùs Granciſcum Hallier diſputatur. 71
Caput XIV. De actibus Angelorum Hierarchicis aduersùs Deum pauca perſtringuntur. 72
Caput XV. De officijs Angelorum inuicem, ſeu actibus Hierarchicis inter eos exercitis. 79

Caput XVI.

Caput XVI. Breuis collectio rerum aliquot in Hierarchia Angelica memorabilium. 76
Caput XVII. Quæ ſit Hierarchiæ cœleſtis in humanam actio Phyſica. 78
Caput XVIII. Actio moralis cœleſtis Hierarchiæ in Eccleſiaſticam breuiter decurritur. 82
Caput XIX. Angelorum cum Epiſcopis & Sacerdotibus comparatio. 84
Caput XX. An & quomodo Paſtorum nomen Angelis conuenire poſſit. 89
Caput XXI. Sint-ne Angeli hominum doctores. 91

## LIBER TERTIVS.

### *DE HIERARCHIA ECCLESIASTICA IN communi.*

PRÆFATIO. Apparatus ad reliquam diſputationem. 94
Caput I. Triplex inter homines vt vera Religio & lex, ſic Hierarchia extitit. Et primùm de lege naturali quàm breuiſſimè. 96
Caput II. Hierarchia Moſaïcæ legis fuſiùs deſcribitur. 97
§. I. Prophetæ veteres in Hierarchia Legali conſtituti. 100
§. II. Aduerſariæ de Prophetis in Hierarchiam non admittendis ſententiæ refelluntur. 101
Caput III. Notabilis excurſus in Legis Moſaïcæ ſanctitatem, quæ ab errore & calumnia Petri Aurelij vindicatur, expoſita primùm eiuſdem Aurelij ſententia. 103
§. I. Refelluntur errores ex Petro Aurelio expoſiti. 104
§. II. Apoſtoli doctrina de lege Moſis abſolutè vt in ſe eſt, ſpectata, veſtigatur. 107
§. III. Legis Moſaïcæ cum naturali, ſecundùm Apoſtoli mentem collatio. 114
§. IV. Eadem legis Moſaïcæ cum Euangelica, ex Apoſtoli ſenſu collatio continuatur. 116
§. V. De Moralibus in vtraque lege Præceptis. 120
§. VI. S. Auguſtini de quæſtione propoſita ſenſus, ex libris ab Aurelio citatis, vberiùs declaratur. 121
§. VII. Alia Petri Aurelij de Caritate in noua lege, & virtutum operibus doctrina, ſuper Paulum & Auguſtinum male fundata monſtratur. 123
§. VIII. Eiuſdem Petri Aurelij hallucinatio in Patribus & S. Auguſtino, pro virtutum omnium connexione. 127
Caput IV. Ventum ad Euangelicam Hierarchiam, eiuſque cum cœleſti, & legali ſimilitudo propoſita. 130
Caput V. Hierarchiæ Euangelicæ definitio profertur & explicatur. 134
Caput VI. Hierarchicorum in Eccleſia actuum fontes ex S. Dionyſij doctrina recluduntur. 136
Caput VII. Hierarchiæ diuiſioni præmittitur aliquorum hac in materia perturbationem inferentium terminorum breuis & neceſſaria explicatio. 137

BIBLIOTECA NAZ...

Caput VIII. Iuriſdictionis poteſtatem ab Ordine ſeparari poſſe aduersùs Petrum Aurelium demonſtratur. 140
Caput IX. Hierarchiæ diuiſio vt facultatis in partes obiecti. 142
Caput X. Hierarchiæ diuiſio vt generis in ſpecies, quarum prior auctoritate probatur. 143
Caput XI. Eadem Hierarchiæ pro Eccleſia ſignificatio rationibus confirmatur. 145
Caput XII. In hac Hierarchia non malè Laïcos collocari demonſtratur. 147
Caput XIII. Petri Aurelij rationes quibus amplam Hierarchiæ ſignificationem improbat, confutantur. 148
Caput XIV. Hierarchiæ laxioris diuiſio, & ſecundùm formam Angelicæ diſpoſitio. 151
Caput XV. Hierarchia ſtrictè ſumpta definitur. 152
Caput XVI. Hierarchiæ Eccleſiaſticæ diuiſio exponitur, & ad formam Cœleſtis reducitur. 154
Caput XVII. Huius diuiſionis neceſſitas atque opportunitas certis rationibus declaratur. 157
Caput XVIII. Diuiſionem hanc nouitatis ſuſpectam eſſe non debere probatur. 160

---

## LIBER QVARTVS.

### *DE INFIMA HIERARCHIÆ ECCLESIASTICA ſpecie, quæ eſt Iuriſdictionis.*

PRÆFATIO. Qua monſtratur in aditu, eandem modò aduersùs Regulares moueri controuerſiam, quæ Diuorum Thomæ & Bonauenturæ ſeculo agitata eſt. 163
Caput I. Hierarchia Iuriſdictionis definitur. 166
Caput II. Hierarchiam Iuriſdictionis à Gerſone explicari demonſtratur aduersùs Petrum Aurelium. 168
§. Vnicus. Quædam Petri Aurelij peccata in Gerſonis & Hierarchiæ doctrinam exponuntur. 170
Caput III. Hierarchia Iuriſdictionis aptè cum Angelica confertur à Guillelmo Pariſienſi. 172
Caput IV. Ad ſubtiliorem huius Hierarchiæ inueſtigationem, humanæ rationis & Intelligentiæ ordo & ſeries explicatur. 174
Caput V. Ad expoſitam ſimilitudinem Hierarchicus Iuriſdictionis ordo in rebus fidei definiendis reuocatur. 176
Caput VI. Idem Ordo Hierarchicus pro decernenda morum doctrina in humani Appetitus imagine conſideratur. 180
Caput VII. De ſingulis huius Hierarchiæ partibus. Ac primùm ſupremo Hierarcha, Pontifice Romano. 182
§. Vnicus. Romani Pontificis ampliſſima Iuriſdictio, quæ eſt Capitis. 184
Caput VIII. De ſacro S. R. E. Cardinalium Collegio. 186

Caput IX.

Caput IX. Epiſcoporum dignitas atque Iuriſdictio, ad Apoſtolorum ſimilitudinem aptiſſimè referrur. 190
Caput X. Legitima Conciliorum Generalium auctoritas generatim deſcribitur. 193
Caput XI. Conſiliorum Prouincialium ordo ſummarim perſtringitur. 199
§.Vnicus. Conciliorum Prouincialium quæ & vnde ſit auctoritas. 202
Caput XII. Priuata Diœceſeon ſtatuta quomodo ab Hierarchis decernantur. 205
Caput XIII. Minorum Prælatorum poteſtas & vis executiua declaratur. 209
Caput XIV. De antiquorum Chorepiſcoporum honore & Iuriſdictione breuis diſſertatio. 212
Caput XV. Referuntur errores nonnulli, quibus Hierarchicæ Iuriſdictionis ordo à nobis propoſitus perturbatur. 215
Caput XVI. Difficilis ad hoc propoſitum S. Hieronymi locus explicatur. 218
§. Vnicus. Mens Diui Hieronymi expreſſiùs indagatur. 220
Caput XVII. Quædam Petri Aurelij propoſitiones Hierarchicæ Iuriſdictionis ordini contrariæ referuntur. Ac primùm de electione Epiſcopi & Sacerdorum. 223
§. I Sanctorum Patrum ea de re ſenſus exquiritur. 225
§ II. De Epiſcopi iuriſdictione ex eodem Petro Aurelio. 228
§.III. De Iuriſdictionis Epiſcopalis inſtitutione Aurelij eiuſdem doctrina expenditur. 230
§.IV. Parochi iuriſdictionem Epiſcopi poteſtati æquiparat Petrus Aurelius. 232
Caput XVIII. De Epiſcopi in qualibet Eccleſia particulari neceſſitate. 235

---

## LIBER QVINTVS.

### *DE REGVLARIBVS IN HIERARCHIA Iuriſdictionis.*

PRÆFATIO. Qua ſtatus quæſtionis in ea Religioſorum Ordinum quæ modò viget forma, poni debere monſtratur. 239
Caput I. Religioſi Ordines in ſuas ſpecies diſtributi, & temporum varietate diſcreti, ducto à Clericis principio. 243
Caput II. Mediæ ætatis Clerici ſub S. Auguſtino. 245
§. I. Quinam Prælati Monaſterio S. Auguſtini ſint Præfecti. 247
§. II. Simile inſtitutum ab alijs Epiſcopis obſeruatum. 250
Caput III. Canonici Regulares à Secularibus diſtincti. 253
Caput IV. Monaſtici inſtituti conſideratio ab Anachoretis Orientalibus inchoata. 256
Caput V. Monachorum Cœnobijs coniunctorũ inſtitutio per Orientem. 259
§. Vnicus. Non fuiſſe veteres Monachos Parocho ſeculari ſubditos demonſtratur. 262
Caput VI. Tabenneſiotarum ſeu Tabennenſium Monachorum inſtituta priuatim enucleata. 266

Caput VII. Monachorum in Eccleſia Occidentali conſideratio. 270
Caput VIII. Mediæ ætatis Monachi ſub SS. Baſilij & Benedicti regula conſideȓati. Ac in primis eorum Ordinnm libata præſtantia. 273
§. I. Sanctorum Baſilij & Benedicti leges Monaſticæ inuicem comparatæ expanduntur, ducto à Monaſterijs ipſis, & Prælatis initio. 276
§. II. De perſonis in Monaſterium admiſſis. 281
§. III. De Nutritis & Conuerſis in Monaſterio. 283
§. IV. Votorum Religioſorum accurata conſideratio. 286
§. V. Reliqua Monachorum exercitia ſtudioſiùs perueſtigata. 291
§. VI. De labore manuum Religioſis imperato. 293
Caput IX. De mixto Religioſorum genere, hac poſtrema ætate, videlicet Mendicantium Ordinibus. 297
§. I. De Auguſtinianorum Eremitarum inſtitutore priuata diſputatio. 300
§. II. Monachorum Auguſtinianorum inſtitutio in Africa. 303
§. III. Auguſtinianorum Eremitarum aggregatio & Regula. 307
Caput X. Quid præcipuè ſupra ordines antiquos in Religionibus Mendicantium innouarit Eccleſia. 314
§. Vnicus. De paupertate Ordinum Mendicantium, & labore manuum priuatim dictum. 317
Caput XI. Quædam Patrum dicta aduersùs Monachos ab aduerſatijs allata explicantur. 321
Caput XII. Religioſos Apoſtolis aliqua ex parte ſucceſſiſſe monſtratur. 325
§. Vnicus. Contrariæ partis argumenta ſoluuntur. 328
Caput XIII. Septuaginta duobus diſcipulis, vt complures alios, ſic Religioſos dici poſſe ſuccedere demonſtratur. 331
§. I. Eadem aſſertio rationibus comprobatnr. 333
§. II. Obiectæ ab aduerſatijs rationes ſoluuntur. 337
Caput XIV. Religioſorum Prælatos & Superiores ad Hierarchiam Iuriſdictionis pertinere probatur. 342
Caput XV. Simplicibus Sacerdotibus, tum Religioſis, tum Secularibus, in hac Hierarchia, non per ſe, ſed tantùm ex commiſſione, locum eſſe declaratur. 345
Caput XVI. Ingreſſus in tractatum priuilegiorum, monſtrato naturali Hierarcharum Principatu, & Religioſorum ſubiectione. 347
§. Vnicus. In Regularibus obſeruantijs eadem Religioſorum ſubiectio demonſtratur. 350
Caput XVII. A priuatorum Epiſcoporum ſtricta ſubiectione poſſe Chriſtianos eximi, & reipſa plurimos eſſe exemptos. 353
§. I. Priuilegia quædam Galliarum Eccleſijs & perſonis conceſſa. 355
§. II. Aliæ quæpiam Regum & Curialium à proprio Epiſcopo exéptiones. 358
Caput XVIII. Exemptionis ſeu priuilegij definitio & diuiſio ſtrictim exponitur. 360
Caput XIX. Præcipuæ quædam exemptionum cauſæ referuntur. 364
§. Vnicus. Aliæ quæpiam exemptionum cauſæ Religioſis peculiares. 368
Caput XX. Nonnullæ Priuilegiorum affectiones conſiderantur. 371
§. I. De Priuilegiorum notitia, quæ eſt affectio neceſſaria, cum Franciſco Hallier diſputatur. 374

§. II. Expoſita opinio confutatur. 375
§. III. Romani Pontificis auctoritas vindicatur. 377
Caput XXI. De antiquis Monachorum circa Sacramentorum adminiſtrationem priuilegijs. 380
§. I. Priuilegia quædam diuerſis Monaſterijs à Diuo Gregorio conceſſa colliguntur. 384
§. II. Priuilegium Monaſterij ſancti Medardi Sueſſionenſis expenditur. 387
§. III. Inſigne Priuilegium Monaſterij S. Dionyſij proponitur. 389
Caput XII. Religioſi Mendicantium Ordines qua ſint ad aliorum ſalutem perfectionemque curandam poteſtate prædìti refertur. Primùm in prædicando Dei verbo. 392
Caput XXIII. Quæ ſit facultas Religioſis Ordinibus ad excipiendas fidelium confeſſiones collata. 394
Caput XXIV. Quæ conditiones idoneum faciant Religioſum ad exercendam confeſſionum audiendarum commiſſionem. 397
Caput XXV. Tres approbationis qualitates expenduntur. 401
Caput XXVI. Argumenta quibus Regularium aduerſarij priuilegia peſſumdare nituntur, referuntur, ducto ab auctoritate veterum canonum & Patrum initio. 404
Caput XXVII Rationes contra exemptiones & Priuilegia afferri ſolitæ, diluuntur. 408
§. Vnicus. Regularium exemptiones Parochis non nocere monſtrantur. 410

## LIBER SEXTVS.

### *DE SECVNDA HIERARCHIÆ ECCLESIASticæ ſpecie, qua eſt Ordinis.*

PRÆFATIO. Breuem Ordinis Eccleſiaſtici commendationem perſtringens. 415
Caput I. Solam Ordinis Hierarchiam à S. Dionyſio explicari, à S. Ignatio commendari, à Concilio Tridentino proponi probatur. 417
Caput II. Ordinis Hierarchia definitur, eaque definitio explicatur. 420
Caput III. De Ordinis Sacramento & charactere breuis & Theologica diſſeratio. 423
Caput IV. Recenſentur actus Hierarchici, quos media hæc Hierarchia comprehendit. 425
Caput V. Series perſonarum quæ in Ordinis Hierarchia iam ab antiquo recenſentur. 428
Caput VI. Veterum templorum Ichnographia tractatui de perſonis ſacris, & earum actionibus Hierarchicis præſtruitur. 429
§. Vnicus. Adyti & Sacrarij accurata deſcriptio. 432
Caput VII. De ſummo huius Hierarchiæ Principe & Hierarcha, qui vnus eſt Epiſcopus, deque eius actibus Hierarchicis. 437
Caput VIII. De medio huius Hierarchiæ gradu, qui eſt ſecundi Ordinis Sacerdotum. 441

Caput IX. Summi & ſecundi ordinis Sacerdotes inter ſe comparantur, initio à charactere ducto. 443
Caput X. Eadem comparatio per actus Hierarchicos ducitur. 445
§. I. De confectione & vſu chriſmatis cum Preſbyteris communicato. 447
§. II. De Confirmationis Sacramento pauca quædam patcè libata. 449
Caput XI. De Virginum & Viduarum benedictione ab Epiſcopo olim fieri ſolita. 454
§. I. De velo conſecrationis omnium nobiliſſimo. 456
§. II. De velo ordinationis & Prælationis. 458
Caput XII. Tertium comparationis caput in obſeruantia Hierarchis debita ponitur. 460
Caput XIII. De tertio huius Hierarchiæ gradu qui Miniſtrorum eſt. Ac primùm de Diaconis. 462
Caput XIV. De Hypodiaconis, Lectoribus, & Cantoribus. 464
Caput XV. De reliquis inferioribus Clericis. 471
Caput XVI. Ordines Hierarchizati, ſiue patientes conſiderantur: & in primis ſanctus Populus. 475
§. I. Communio veterum Eccleſiaſtica, Laïca, ſine oblatione, ſtrictim explicata. 479
§. II. de Communione Peregrina breuis diſſertatio. 485
Caput XVII. Ordines expiandi receruntur, & à Petri Aurelij calumnia vindicantur. 487
Caput XVIII. De Pœnitentia, quotuplex ea ſit, & quatenus ad ſacros homines pertineat. 488
Caput XIX. De Pœnitentibus Laïcis vniuersè dictum. 495
§. I. Singuli pœnitentiæ gradus decurſi, ducto à Fletu initio. 497
§. II. Mitiores pœnitentiæ gradus expoſiti. 499
Caput XX. De Pœnitentium reconciliatione. 502
§. Vnicus. Quædam pœnitentiæ publicæ affectiones expenduntur. 506
Caput XXI. De morientium cum pœnitentia reconciliatione. 509
§. Vnicus. Euchariſtiæ viaticum in exitu datum pœnitentibus. 512
Caput XXII. De mortuorum reconciliatione. 514
§. Vnicus. Reconciliatorum memoria in ſacris Myſterijs facta. 516
Caput XXIII. De miniſtro reconciliationis. 518
§. I. De Diacono reconciliante S. Cyprianus explicatur. 520
§. II. Lapſorum conditio, & opera Diaconi conſiderata. 522
§. III. Recentior alius in Eccleſia ritus exponitur. 524
Caput XXIV. De Energumenis, altera purgandorum ſpecie. 526
Caput XXV. De Catechumenis, tertia purgandorum ſpecie. 531
§. I. De Catechumenorum exorciſmis & ſcrutinijs. 536
§. II. De Catechumenorum inſtitutione & Catechiſmo. 538
§. III. De Catechiſtis. 541
§. IV. De Miſſa & Sacramentis Catechumenorum. 544
Caput XXVI. Aureliana Patrum & Conciliorum teſtimonia explicantur. 548

## LIBER SEPTIMVS.

### *DE REGVLARIBVS IN HIERARCHIA Ordinis.*

PRÆFATIO. Qua ſtatus quæſtionis quàm breuiſſimè proponitur. 552
Caput I. Religioſos quà tales ad Ordinis Hierarchiam pertinere monſtratur. 553
§. Vnicus. Monachos Clericis adiungi, non Laïcis. 557
Caput II. Monachos à S. Dionyſio in Laïcorum claſſem non reijci, apertè demonſtratur. 560
Caput III. Monachos à S. Dionyſio expreſsè ſeparari à Laïcis, clarè & ſolidè comprobatur. 563
Caput IV. Eadem diſtinctio conficitur ex comparatione vitæ & inſtituti Monachorum cum Laïcis, ſecundùm mentem S. Dionyſij. 568
§. I. Soluuntur obiectiones aduerſariæ ex S. Chryſoſtomo. 572
Caput V. Paupertatis Religioſæ cum ſeculari collatio. 576
§. Vnicus. Expoſitæ opinionis capita ſingula refelluntur. 578
Caput VI. Religioſos omnes Laïcorum facinoroſiſſimis à Petro Aurelio per ſummam calumniam æquari monſtratur. 581
§. I. Statum Monaſticum non minùs innocentiæ, quàm pœnitentiæ eſſe probatur. 582
§. II. Religioſa vita quomodo ſtatus pœnitentiæ dicatur, & ſit. 586
§. III. Pœnitentia Religioſa quo ab Eccleſiaſtica vetere differat. 587
§. IV. Religionem non eſſe coactæ pœnitentiæ ſtatum, aduersùs Petrum Aurelium probatur. 590
Caput VII. An veteris Eccleſiæ Concilia Abbates & Monachos Laïcis annumerent. 594
§. Vnicus. Reliquorum Conciliorum ſenſus exquiritur. 597
Caput VIII. Religioſos Clericorum Ordines ex inſtituto ſuo ad Hierarchiam Ordinis pertinere, fatentur aduerſarij. 599
Caput IX. Religiones quæ ad docendum & prædicandum inſtitutæ ſunt ab Hierarchia Ordinis excludi non poſſe monſtratur. 601
Caput X. Priuata cum Petro Aurelio de Societate Ieſu velitatio. 605
Caput XI. Rationes omnes numero decem & octo, quibus Doctor Hallier probare ſe putat, nulli Regularium Ordini deberi Sacerdotium, inutiles & ad rem minùs aptæ eſſe demonſtrantur. 609
§. I. Tres primæ Doctoris rationes, de indignis in admittendis, expenduntur. 610
§. II. Sex quæ conſequuntur argumenta leui negotio refelluntur. 613
§. III. Sex rationum ex Concilijs ductarum iniqua & inutilis oppoſitio aperitur. 615
§ IV. Trium quæ ſuperſunt rationum imbecillitas breuiter percurritur. 617
Caput XII. Dicta quædam eiuſdem Franciſci Hallier aduersùs priuilegia Regularibus in Ordinum ſuſceptione conceſſa, æqua lance penduntur. 622

§. I. De Priuilegio circa interſtitia. 624
§. II. De teſtimonio quod ordinandi Regulares Ordinarijs offerre debent. 627
§. III. De Clericali diſciplina cum Regularibus obſeruantijs comparata. 630
§. IV. Societatis Ieſu Priuilegia circa ordinum ſuſceptionem aduersùs Franciſcum Hallier propugnata. 633
§. V. Illa Priuilegia non eſſe reuocata monſtratur. 635
§. VI. De alio Priuilegio cum eodem Doctore diſputatum. 638
Caput XIII. Calumnia in Religioſorum Clero adſcriptorum fidem, ab eodem Doctore Hallier profecta, ventilatur. 642
§. Vnicus. Monachorum pro fide tuenda labor & ſtudium. 644
Caput XIV. Altera Petri Aurelij calumnia in Religioſos omnes ad Eccleſiæ gubernacula admotos, exploditur. 649
§. I. Patrum ab Aurelio citatorum verus ſenſus oſtenditur. 651
§. II. Reliquæ huius loci calumniæ ex hiſtoria ductæ expenduntur. 655

## LIBER OCTAVVS.

### DE SVPREMA HIERARCHIÆ ECCLESIASTICÆ ſpecie, quæ eſt Chariſmatum, ſiue Gratiarum.

PRÆFATIO. De præſtantia huius Hierarchiæ. 658
Caput I. Quæ ſit ratio huius Hierarchiæ cæteris adiungendæ, quibuſque illa nominibus appellari poſſit. 660
Caput II. Hierarchiæ ſupremæ definitio traditur & explicatur. 663
Caput III. Chariſmatum Hierarchicorum ex Apoſtoli Pauli mente diuiſio: cuius prior locus ex Epiſtola ad Corinthios literali explicatione panditur. 664
Caput IV. Singularum ſpecierum ex eodem loco literalis explicatio. 668
§. I. Chariſmatum cum humano corpore comparatio. 671
§. II. De opitulationibus & gubernationibus priuatim Apoſtoli ſententia exquiritur. 673
Caput V. Præcipua Hierarchiæ officia ex Epiſtola ad Epheſios ſecundum litteram explicantur. 676
§. Vnicus. Donorum eiuſcemodi finis declaratur. 678
Caput VI. Quædam ad Hierarchiæ naturam ſpectantia ex Apoſtoli verbis & mente, compendio colliguntur. 680
Caput VII. Ex vtroque Apoſtoli loco Hierarchia Chariſmatum aptiſſimè concinnatur, eaque ad Angelorum ſupremam refertur. 682
Caput VIII. Vtroque Apoſtoli loco agi de Hierarchia Eccleſiæ, monſtratur aduersùs Aurelium. 684
Caput IX. Ex eodem textu aliam quàm Iuriſdictionis & Ordinis Hierarchiam intelligi, probatur aduersùs Doctorem Hallier. 687
Caput X. Hierarchia Chariſmatum ab errore VVicleffi & Huſſij procul abeſſe, aduersùs eundem Hallier demonſtratur. 690
Caput XI. De actibus Hierarchicis ad hanc Hierarchiam maximè pertinentibus,

tibus. 695
Caput XII. Contemplatiuos agere quàm perfectiſſimè probatur ex philoſopho. 695
Caput XIII. Supremæ Chariſmatum Hierarchiæ Princeps, & Hierarcha Epiſcopus aſſignatur. 698
Caput XIV. Ad conſtituendos Hierarchiæ huius ordines declaratur in Hierarchia doctores eſſe reponendos. 701
Caput XV. Hierarchiæ Chariſmatum tertius ordo qui eſt Doctorum canonici iuris breuiter exponitur. 706
Caput XVI. Pro Theologiæ moralis ſcriptoribus è Societate Ieſu Petro Aurelio ſatisfactum. 710
§. I. De nimia librorum multitudine & imperitia. 711
§. II. Earundem rerum excuſata repetitio. 714
§. III. P. Thomæ Sanchez aduersùs Petri Aurelij calumnias iuſta defenſio. 718
Caput XVII. Eiuſdem Hierarchiæ ſecundus ordo, qui eſt Doctorum Theologiæ ſpeculatiuæ, perſtringitur. 722
Caput XVIII. Apologeticus pro doctrina Societatis Ieſu, aduersùs Petri Aurelij criminationem. 725
§. I. In Theologicis Philoſophiciſque rebus cui doctrinæ Societas adhæreſcat. 727
§. II. Quàm infeliciter nouo Moliniſtarum nomine notam hæreſeos inurere Societati Ieſu conetur Aurelius. 731
§. III. Theologicis ſtudijs literas ſæculares non malè miſceri demonſtratur. 735
Caput XIX. Eiuſdem Hierarchiæ Chariſmatum ſupremus ordo declaratur. 740
Caput XX. De contemplatione & actione dictum expreſſiùs. 745
§. Vnicus. Gradus contemplationis ad Angelicas Hierarchias accommodantur. 748

## LIBER NONVS.

### *DE REGVLARIBVS IN HIERARCHIA Chariſmatum ſine gratiarum.*

PRÆFATIO. Qua Religioſi ſtatus prædicationem Religioſo cuiuis & vtilem & glorioſam eſſe monſtratur. 753
Caput I. Religioſis in Hierarchia Chariſmatum locum dari oportere monſtratur. 757
Caput II. Religioſos in Hierarchia Chariſmatum & pati & agere declaratur. 761
Caput III. Quam ſublimem in hac Hierarchia locum ſtatus Religioſus obtineat. 765
Caput IV. Religioſorum cum Seraphinis petita è Patribus comparatio. 769
§. Vnicus. Huius collationis confirmatio è Bonifacio Pontifice, & Petri Da-

miani Epiſtola quantæ auctoritatis cenſeri debeat. 771
Caput V. Hanc vitæ perfectionem intimè in ſtatu Religioſo per votorum nuncupationem ineſſe monſtratur. 777
Caput VI. Quædam opiniones votorum perfectionem & meritum deprimentes Catholica doctrina refelluntur. 780
§. Vnicus. Soluuntur aduerſariorum obiectiones. 784
Caput VII. De eadem votorum perfectione contra Claudium Seguenotum fuſiùs diſputatur, expoſita primùm eius opinionis damnatione. 788
§. I. De interiori perfectione quam à votis remouet Seguenotus. 791
§. II. Doctrina ſuperior ad votorum perfectionem accommodatur. 797
§. III De libertate quæ per vota perire dicitur à Claudio Seguenoto. 800
§. IV. De neceſſitate & obligatione votorum, quæ meritum minuere dicitur. 802
§. V. De difficultate & tædio in executione votorum, vnde vis meriti malè cenſetur infringi. 804
§. VI. Vota imperfectorum tantùm non eſſe, decurſa breuiter Seguenoti doctrina, monſtratur. Vbi de voto B. Virginis. 807
§. VII. In conſiliorum cum præceptis collatione, perplexa & futilis Seguenoti doctrina declaratur. 812
§. VIII. Eadem conſiliorum cum præceptis collatio ex doctrina Seguenoti continuatur. 817
Caput VIII. Statum Religioſum ſine vllis votis non poſſe conſiſtere, aduersùs Petrum Aurelium diſputatur. 820
Caput IX. Strictæ Religionis ſtatum tribus ſubſtantialibus votis conſtare demonſtratur. 824
Caput X. Refelluntur argumenta quibus Petrus Aurelius ternarium votorum numerum Religioſo ſtatui eripere nititur. Ac primùm Religionum eſſentiam Eccleſiaſticæ inſtitutionis eſſe, non diuinæ. 823
§. I. Quo ſenſu negari debeat Religioſos Ordines factitios eſſe, quo poſſit admitti. 830
§. II. Qua mente S. Anſelmus & Gerſon factitios ordines nuncuparint. 834
Caaput XI. Alterum Petri Aurelij argumentum, vno voto cætera contineri, conuellitur. 838
Caput XII. De votis ſingulis libatum nonnihil. Ac primò de paupertate, in quo ea poſita ſit, an Religioſa paupertas ſit Euangelica. 843
§. I. Religioſæ paupertatis ſuas in ſpecies explicata diuiſio. 849
§. II. Religioſa paupertas quàm ſit vtilis, quamque ad perfectionem neceſſaria, ex Guillelmo Pariſienſi monſtratur. 854
Caput XIII. Conſilium caſtitatis in Religioſo ſtatu ab Eccleſiæ naſcentis exordio viguiſſe multis confirmatur. Vbi fusè de Eſſenis. 859
§. I. Votum caſtitatis in Religioſis ab ortu Eccleſiæ conſideratum. 865
§. II. Voti continentiæ ſolennitas in quo maximè poſita eſſe cenſeatur. 870
§. III. Voti ſolennis affectiones perſtringuntur. 873
§. IV. Voti ſolennis antiquitas exquiritur. 877
§. V. Pauca quædam Religioſæ caſtitatis neceſſitati à Petro Aurelio oppoſita diluuntur. 882
Caput XIV. De obedientiæ Religioſæ conſilio, eiuſque præſtantia & neceſſitate.

tate. 886
§. I. Obedientiam Religioſam abſque voto ſtare non poſſe demonſtratur. 889
§. II. Obedientiam Religioſam nulli repugnare iuri, eandemque Deo verius, quam homini exhiberi declaratur. 891
§. III. Obedientiæ Religioſæ votum non eſſe generale, ſed ſpeciale & priuatum demonſtratur. 896
§. IV. Explicatur Diui Bernardi locus de profeſſione obedientiæ ſecundùm Regulam S. Benedicti. 900
§. V. Votum obedientiæ ſecundùm regulam, quid obligationis inducat, ex mente D. Bernardi, & aliorum, exquiritur. 904
Caput XV. Religioſi ſtatus perfectio cum alijs collata, ducto à Laïcis initio. 909
§. Vnicus. In Baptiſmo quale votum edatur, eiuſque cum Religioſis comparatio. 912
Caput XVI. Religioſi ſtatus cum ſtatu Clericorum ſecularium comparatio inſtituitur. 917
Caput XVII. Eadem comparatio ex mutua vtriuſque ſtatus in alterum commutatione illuſtratur. 922
Caput XVIII. Ingreſſus in Religioſi ſtatus cum Epiſcopali comparationem, per explicationem ſtatus acquirendæ & acquiſitæ perfectionis. 927
§. I. Opiniones doctrinæ expoſitæ repugnantes confutantur. 932
§. II. Doctrina hac noua in ſingulis perfectionis ſtatibus expenditur. 936
Caput XIX. Status Religioſus cum Epiſcopali confertur in eo, quòd vterque ſit perfectionis acquirendæ. 942
Caput XX. Altera comparatio in ea perfectione ponitur, quam ſtatus vterque ante ſui profeſſionem requirit. 945
Caput XXI. Tertium comparationis caput in ipſa vtriuſque ſtatus conſecratione & profeſſione perpenditur. 948
§. Vnicus. Expenſa in hoc propoſito Petri Aurelij doctrina. 952
Caput XXII. Quarta comparatio in medijs conſtituitur, quibus vterque ſtatus amiſſam gratiam recuperat. 956
Caput XXIII. Quintus & poſtremus collationis articulus, in mutua ſtatus vtriuſque mutatione declaratur. 960
§. Vnicus. Epiſcoporum in Monaſteria migratio quantùm ſtatui Religioſo dignitatis afferat. 962
Caput XXIV. Totius operis per Anacephalæoſin collecta concluſio. 965

ō

# INDEX LOCORVM SCRIPTVRÆ SACRÆ.

Geneſis c.17. pag.117. c.18. p 96.c.49.p.99.
Exodi c.6.p.754.c.25.pag. 49.
Leuitici c.18.p.26.111.
Numerorum c.3.p.98.c.11.p.99.445. 755.c.12.p.98.
Deuteronomij c.18.p.910.c.28.p.111.
Ioſue c.5.p.117.
Iudicium c.12.p.861.c.20.p.814.
1.Regum c.2.p.188.855.c.10.p.951.c. 15.p.98.896.c.20.p.427.
2. Regum c.6.p.815.c.14.p.37.c.23.p. 805.
3.Regum c.4.p.702.
4.Regum c.13.p.816.c.16.p.433.c.25. p.98.
1.Paralip.c.23.p.99. c.24.p.98.c.26.p. 99.c.27.p.415.
2.Paralip. c.26.p.815.
1.Eſdræ c.7.p.702.
Tobiæ c.8.p.39.
Eſther c.1.p.56.
Iob. c.9.p.33.
Pſalm.4.p.146. Pſ. 21.p.809.Pſ.44.p. 194 Pſ.47.p.747. Pſ.83.p.747. Pſ. 88.p.19. Pſ.93.p.943 Pſ.104.p.49. 97.966.Pſ.109.p.49. Pſ.115.p.875. Pſ.118.p.124.161.Pſ.147.p.754.
Prouerb. c.5.p.665. c.9.p.702. c.10.p. 927.c.26.p.342.c.27.p.413.
Cantic. c.2.p.17.161.
Sapient. c.13.p.96.c.18.p.729.
Eccleſiaſtic.3.p.585.c.9.p.954.c.11.p. 856.c.12.p.702.713.c.19.p.882.c. 27.p.577.
Iſaiæ c.6.p.14.c.9.p.39.c.29.p.109.c. 35.p.34.c.61.p.49.c.66.p.943.
Ieremiæ c.33.p.82.c.51.p.659.
Thren. c.3.p.585.
Ezechiel. c.3.p.182.428. c.13.p.589.c. 20.p.112.117.
Danie.c.7.p.45.c.8.p.14.c.10.p.55.74. 75.c.12.p.754.951.
Oſee.c.4.p.161.
Abacuc.c.1.p.857.
Zachar.c.3.p.75.c.9.p.340.
2.Machab.c.3.p.428.c.5.p.815.
Matthæi c.2.p.99.685.c.5.p.755.783. 927.c.7.p.957. c.8. pag.887.c.10. pag 334.c.11. pag. 36. 81.c.14.pag. 90.cap.15. pag.109. c.16. pag. 760. 848. c.18. pag. 167. c.19. pag.329. 568.782.828. 844.887.911.916. c.20 p.156.667. c.21 pag.340.702. c.22.p.569.c.23 p.111.193.818.957. c.25.pag.90.841.846.c.26.p.807.c. 28.p.61.
Marci c.3.p.760. c.10.pag.782.887.c. 14.p.98.
Lucæ c.9.p.887.898.c.10.p.334.427. 911.c.11.p.20.113 671.846. c.12.p. 754.c.18.p.568. 846.887. c.22.p. 806.c.24.p.98.848.
Ioannis c.1.p.99.105.117.119.135.146. c.5.p.196. c.6 pag.848.887.c.7.p. 108.196. c.8.p.119. c.9.p.114.c.10. pag. 149. 427. c.11.pag 848. 887. 951. c.12. pag.16.c.14.pag.81. c.15. pag.65.701.754. cap.16. pag.81. c. 17.p.33.783.c.18.p.340.c.19.p.685.
Act. Apoſtol.c.1.p.199.554. c.2.p.149. 193.689. 829.c.3.p.193.c.4.p.98. 562.c.5.p.828.c.6. p.193 207.223. 284.653.699. 702.c.7.p.98.117. c.8.p.193.216.438.669.c.10.pag. 124.793.c.12.p.89.c.13.p.156.702. c.14.pag.668.c.15.pag.113.117.176. 187.194. c.16.pag 113.668.c.19. pag.207. c.20. pag.199.569.c.21. pag.113.205.676.c.26.p.755.
Epiſt.Pauli ad Roman. c.1.p.96.115.c.3. p.113.114.115.c.4.p.111.116.c.5.p. 105.115.c.6.p.120.146.c.7.p.104. 109.115.c.8.p.108.112.119.120.c.9. p.100.c.10.p.100.111.829.c.12.pag. 162.666.c.13.p.108.c.15.p.117.c.16. p.674.
1.Cor.c.1.p.90.680.c.2.p.542.866.c.3. p.426.677.c.4.p.954.c.5.p.527.c. 6.p.48.778.c.7.p.119.755.782.c. 8.p.207.c.9.p.335.848.952.957.c. 10.p.544.c.11.p.783.796.c.12.p.102. 162.421.666.754.755.c.13.p.125. 179.c.14.p.542.c.15.p.52.115.120. 542.c.16.p.755.954.c.17.p.653.

2.Cor.c.1.p.120.c.4.p.666.c.6.p.846.c.9.p.330.674.c.11.p.754.c.12.p.667.c.13.p.667.c.15.p.39.
Galat. c.1. pag.93. c.2.p.100.187.946.c.3.p.119.c.4.p.110.451.c.5.p.117.968.
Epheſ. c.1. p.105.146.680.c.2.p.193.486.692.c.3.pag.36 62.666.667.c.4.p.37.102.162.294.676.844.846.c.5.p.895.
Philippeoſ. c.1.p.957.c.2.p.783.c.3.pag.942.cap.4.pag.675.782.c.7.p.108.
Coloſſ.c.1.p.56.946.
1.Theſſal.c.3.p.294.
2.Theſſal. c.3. p.324.
1.Timoth. c.1.p.109.125.335.527.c.2.p.544. c.3.p 21.615.666.946. c.4.p.226.677.701.c 5 p.209.654.829.869.c.6.p.335.
2.Timoth. c.1.p.783.c.2.p.162.c.3.p.938.
Tit. c.1. pag.209.333.677.946.c.2.p.21.
Philem.p.187.207.766.
Hebr. c.1.p.62.70.685. c.2.p.39. c.5.p.427.c.6.p.507. c.7.p.49.117.c.9.p.589. c.10.pag.100.507.c.11.p.114.116.179.c.12.p.145.c.13.pag.589.
Epiſt.Cathol.Iacob.c.5.p.673.
1.Petr.c.2.p.146. c.5.p.427.
1.Ioan.c.2.p.12.
3.Ioan.p.215.
Epiſt.Cathol.Iudæ.p.39.75.
Apocal. c.2.p.955.c.5.p.146.c.7.p.72.c.8.pag.83.c.10.pag.432.c.12.pag.39.75.90.783.c.20.p.39.146.c.21.p.193.

# ELENCHVS AVCTORVM.

*QVI HOC OPERE CITANTVR, EXPLICANTVR, Refelluntur.*

## A.

Ægidius Coninx.p.402.
Æneas Gazæus.p.730.
Aimoinus.p.361.
S.Albertus in Reg. Carmel. p 298.321.
Alcuinus l. de diuin. offic. p.446.465.524.525.529.539.544.
Alenſis.p.52.53.73 395.450.
Alphonſus Salmeron.p.665.
Alexander 2.p.362.
Alexander 3.p.308.
Alexander.4.p.357.
Aluarus Pelagius de planctu Eccleſiæ.p.326.
Amalarius Fortunatus l. de Eccleſ. offic. p.432.462.466.470.471.472.528.544.545.553.
S. Ambroſius l. de Patre & Filio.pag.196.
Lib.de Dignit.Sacerd.p.441.
Comment.in Lucam.p.341.738.
Comment.in Paulum.p.120.628.665.
Lib.de Cain & Abel.p.466.
Lib.de Pœnit.p.509.
Ad Virg.Lapſam.p.475.566.
Epiſt.25.p.245.
Ambroſius Coriolanus in defenſ. Ord. p.300.306.
In Chronica.308.313.
Anecletus.p.417.438.
Andreas Cæſarienſ.in Apocal.p.145.
Andreas Cuquus.p.345.
Andreas Duuallius.p.171.177.192.193.197.198.212.343.
Andreas Mazius.in Ioſue.p 117.
Andreas Sauſſayus. in Martyrol.p.2.141.193.365.516.775.
S. Anſelmus in Epiſt. Pauli. p.52.146.665.946.
Lib. Similitud. p.284.575.807.835.857.
Epiſt.10.ad Gauſtid.p.923.
S. Antoninus. 2.part. hiſt. pag. 244.292.
3.p.hiſt.p.308.620.
Antoninus Diana.p.636.
Antonius Andreas.in 4. pag.450.

Antonius Poſſeuinus,in appar.ſacro.pag. 303.
Auctor operis Imperfecti.in Math. p.69.
S. Auguſtinus. Tom. 1. Retractat. l.1. p.301.303.539.542.
Confeſſ.l.8. p.302.305. l.9. p.301.302. 303.730.
De Morib. Eccleſ. pag. 126.270.763. 766.937.
Regula Auguſt. p.246.247.248.249. 312.908.
Tom.2. Epiſt.7. pag. 313. Epiſt.11. pag. 468. Epiſt. 20. pag. 468. Epiſt.29. pag.127. Epiſt. 45. pag. 804. Epiſt. 52. pag.110. 126. Epiſt. 54. pag.506. Epiſt. 57. pag. 669. Epiſt. 67. pag. 323. Epiſt. 76. pag. 652. Epiſt. 77. pag. 462. Epiſt. 81. pag.272. Epiſt. 103. pag. 119. Epiſt. 109. pag. 308. Epiſt. 118. pag. 685. Epiſt.120. pag. 841. Epiſt.130. pag. 959. Epiſt.137. pag.376. Epiſt. 155. pag. 534. Epiſt. 179. pag 457. Epiſt. 200. pag.119. Epiſt. 203. pag. 433. Epiſt. 215. p. 433.
Tom 3. l. 2. de Doctr. Chriſt. p. 728. l. 3. p.126.
Lib.1.de Trinit. pag. 52 715.966.
Lib. 3. p.54.68.80. Lib. 14. p.46.
Lib.15.p.966.
Lib.12. de Geneſi ad lit. p.670.
Lib. de opere Monach. p.260.271.295. 324.330.579.848.
Lib. de ſpiritu & lit. pag.100.108.120. 122.793.794.
Tom. 4. l. de fide & operib. p.535.536. 540.542.
Lib.2.de Conſenſu Euangel. p.340.
Lib. 83. quæſt. pag.115. 121. 126.758. 841.
Lib.de Catechiz.rudibus. pag.533. 541. 542.545.
Lib.de Patientia. p.126.
Lib.1. ad Simplicianum. p.794.
Lib.de bono Viduit. p.880.
In Epiſt. ad Rom. p.112.115.
In Epiſt. ad Galat. p. 110, 111. 113. 119. 120. 121.122.
Tom.5.l.1. de Ciuit.Dei.p.131.
Lib. 2. p.234.
Lib.5. p.794.795.800.
Lib.7. p.722.737.
Lib.12. p.18.
Lib.14. p.127.
Lib.17. p.327.
Lib.18. p.670.
Lib.19. p.9.930.
Lib.22. p.179.303.527.805.
Tom.6. l.de Hæreſib. p.348.
Lib. de vtilit. credendi. p.534.
Lib.15. contra Fauſtum.p.105.107.
Lib.de S.Virginit. p.50. 582. 808. 811. 870.
Tom. 7. l.1.contra Parmen. p.204.
Lib.3. contra Petilian. p.305.
Lib.de Bapt.contra Donat. p.541.830.
Lib.1. contra Creſcon. p.730.737.
Lib. de natura & grat. p.126.
Lib.2. de peccat. merit. & remiſſ. p. 533. 541.545.
Lib.4.contra Iulian.p.127.129.
Lib. de gratia & lib. arbitr. pag. 122. 666.
Lib.de corrept. & grat. p.447.
Contra 2. Epi.Pelagian. p.100. 108.109. 111.113.
Tom.8. in Pſalm.8. p.91.
Pſalm.29. p.659.
Pſalm.75. p.272.813.829.913.
Pſalm.86. p.659.671.
Pſalm.103. p.80.
Pſalm.118. p.119.
Pſalm.132. p.257.376.829.
Tom.9. Tract.9. in Ioan. p.555.
Tract.41. p.801.
Tract.48. p.149.
Tract.50. p.660.
Lib.de Symb.ad Catechum. p.539.
Lib.2. p.531.536.537.541.545.
Meditat. p.302.
Tom.10. De verbis Domini.Serm. 27. p.752.
Serm 50. p.796.
Lib.50. Homil.Homil.27. p.509.
Serm.de Temp.Serm.13. p.539.
Serm.49. p.921.
Serm.110. p.568.
Serm. 116. p.535.536.
Serm.135. p.539.
Serm.171. p.539.
Serm. 188. p.81.
Serm.213. p.478.
Serm.247. p.372.
Sermon. de diuerſis. Serm. 48. p.246. 249.250.251.
Serm.49. p.246.303.304.310.
Serm.de Sanctis. p.341.660.
In append. Serm.1. p.541.
Serm.ad.fratres in Eremo. p.92.
Auguſtinus Barboſa. Remiſſ. in Concil. Trid. p.628.
S.Athanaſ.l.de Communi eſſentia. p.72.
Lib.de fuga ſua. p.645.
In Euang. de Deip. p.47.

[illegible] p. [illegible]
A[illegible] D[illegible] p. [illegible]
[illegible] S. Anto[illegible]. p. [illegible] 5.64[illegible].
Au[illegible] in 7. ſent. p. 4[illegible].

B.

BAc[illegible] in [illegible] p.450.
B[illegible] p[illegible]g. 218. 22[illegible] [illegible]
[illegible] 4[illegible] [illegible] 0.[illegible] [illegible]7.
[illegible].
Bapt[illegible] Mantu[illegible]. p.[illegible].
Baron[illegible] C[illegible] in. Tom. [illegible] p. 4[illegible]4.45[illegible].
4[illegible] 4[illegible]4.[illegible].
T[illegible]m. 3. p. [illegible].
T[illegible] 4 p[illegible]g. [illegible] 47[illegible] [illegible]o.
[illegible].
T[illegible]. p[illegible].
T[illegible]n. [illegible] 4.
T[illegible]m. [illegible].
T[illegible]m. [illegible]. p[illegible] 4.[illegible] 4.
Tom. [illegible]. p.2[illegible].
T[illegible]m. 12. p. 2[illegible]8.4[illegible].
S. Baſilius Serm. 1. de Inſti[illegible]. Monach. p. [illegible]87.[illegible]4.829,
Serm. [illegible]. de Inſtit. Monach. p. 2[illegible].
Serm. de Abdic[illegible] rerum. p. 286.289.575. 769.
Conſt[illegible]. Monaſt. p. 259. 260. [illegible]. 276. 280 286.287.288.291. 2[illegible] 4.296. 327.[illegible]43.845.856.
R[illegible]g[illegible]ſius diſput. p. 279.280.281.282. 28[illegible].285.287.290.294.295.
Reg. breuior. pag. 287.289.290.291. 292.
Epiſt. ad Amphiloch. p. 491. 497.503. [illegible]54.866.868.870.
Epiſt. ad Chilonem. p. 277.
Epiſt. ad Gregor. p. 455.
Anaphora S. Baſil. p. 518.
Beda. l. 1. de Tabernac. p. 952.
In Prouerb. p. 413.
In Lucam. p. 20.81.334.740.
In Acta Apoſt. p. 471.846.
Hiſtor. Anglor. l. 1. p. 251.
L. 3. p. 252.292.382.
L. 4. p. 252.292.367.384.
Bellarminus Cardin. in ll. Controuerſ. p. 187.191.219.226.452.522.715.
L. de Script. Eccleſ. p. 304.655.855.
B[illegible]nedictus 12. p. 275.
Benedictus Iuſtinianus. p. 665.

S. Ber[illegible] de A[illegible]
[illegible] Serm. [illegible]
Ingr[illegible] Serm. [illegible]
5[illegible]. S[illegible]
S[illegible]m. [illegible]
[illegible]
de [illegible]
de [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] C[illegible]
p[illegible].
L[illegible] de Conſider[illegible].
[illegible] de Co[illegible] p[illegible] p. [illegible] L[illegible]
[illegible] 2.364.[illegible]4.
L[illegible] p [illegible] 8 6[illegible].
L[illegible] p. 4[illegible].
L. de [illegible] diſpenſ. p. 266. [illegible] 8.[illegible] [illegible] 04 [illegible] [illegible]6.899.902.[illegible] [illegible] 99.
L. de vita ſolitar[illegible]. p. 899.
Epiſt. [illegible] p. 2[illegible]4. Epiſt. 4. p. 279. Epiſt. 6. p. [illegible]2. Epiſt. 7. p. 279. 286 287 [illegible]0. 902. Epiſt. 42. p. 351.406.604.
Epiſt. 1[illegible]4. p. 47.
Apolog. ad G[illegible]idonem. p. 756.
Bibliotheca Cliniacenſ. pag. 361. 36[illegible]. 368.[illegible]83.388.
Bonacina. p. 451.6[illegible]7.
S. Bonauentura. l. de 7. itiner. æternit. p. 24[illegible]8.[illegible] 74[illegible].7[illegible]8.759.
L. Diæta ſalutis. p. 579.
L. Incend. Amoris. 694.
L. de pauperrate Chriſti. p. 579.
In Breuiloquio. p. 745.
L. de ſex alis Seraphim. pag. 695. 751. 771.
L. de Hierarch. Eccleſ. p. 151.683.696. 706.723.741.760.764.770.
In Apolog. Pauper. p. 30. 155.165.166. 318.319.325.411. 426.5[illegible]8.569. 580. 611.773.797. 910.911.913. 924.
L. quare Fratr. Min. præd. & confeſſ. au[illegible]diant. p. 347.366.306.411.
L. in eos qui Ord. Minor. aduerſ. pag. 61[illegible].
L. in Reg. Fr. Min. p. 320.[illegible]25.396.397. 398.757.888.904 906.
In Legenda S. Franc. p. 3[illegible]3.771.
Bonifacius 8. p. 308.
S. Bonifacius Moguntinus. p. 199.203.
Bullarij tom. 1. p. 187.

C.

CÆſarius Arelatenſis p.272.201 651.
Caietanus in D.Thom.p.450.587.5[illegible]8.870.
In [illegible] Pauli. p.665.
Ca[illegible]nes Apoſtolo. p.[illegible].210.461.469.480.4[illegible]5.486.491.[illegible]59.
C.[illegible]cu[illegible]us. p.4[illegible]
Cap[illegible]. p.45[illegible].
Capit[illegible]lare Adriani. p.199.201.202.204.206
Capit[illegible]lare Aquiſgranenſe. p.429.456.
Capit[illegible]lare Caroli Magni. pag.269.282.332.391 460.520.559.
Cap[illegible]. Interrog p.274.
Append.Capit.p.436.
Capitulare Ludouici. p.456.457.526.
Capitulare Theodulphi. p.247.524.
Capitulum Toloſanum.p.[illegible]85.
Caſſianus Inſtit.Monaſtic. l.2 p.865.l.4.p.268.822.891 892.896.l.1[illegible].p.294.l.11.p.544.559.
Collat. 7.p. 527. Coll. 8. p.65.[illegible]5.261. Coll. 9.p. 530. Coll. 10. p. 258. 261. Coll.17. p. 866. Coll.18. p.259.260.254.829. Cull.24 p 779.
Caſſiodo us.p.47[illegible].736.
Choppinus l. Eccleſ. p[illegible]lit. p. 297. 355. 356.357.360.362.365 366.853.
L.de Iurib. Relig. p.292. 297. 356.357.384.405.
S.Chryſoſtomus. Hom.8.in Matt.p.257.259.Hom.9.in Matth.[illegible].766.Hom.11 in Matth. p.578. H[illegible].27. in Matth. p.119. Hom.28. in Matth. ex variis. p.326, Hom.43.in Matth.p.615.
Hom.77. in Ioan.p. 763.
Hom.3.de Lazaro. p.794 Hom.6.in terræ motum & Lazaru[illegible].p.948.
Hom.17.ad popul. p.322.
In Pauli E[illegible]iſt. p.665.
Ad Theſſal. hom 6. p.[illegible]22.
Ad Timot[illegible] hom.5.p.701.hom.11.p.219.hom.[illegible]p.829.
Ad He[illegible]æos. p.11[illegible] hom.7. p.572.hom.2[illegible]572.
Hom.de S.Philogonio. p.763.
Hom.[illegible].de Incomp.Dei nat. p.83.
Ad eos qui habent coinductas. p.455.
Lib.de Sacerdotio. p.442.651.946.
Lib. contra vitup. vitæ Monaſt. p.573.580.585.651.
Lib. de Prouid.p.527.528.
Claudius Hemeræus. l. de Acad. Pariſ.p. 703.708.709.712.
Claudius Seguenotus. p.[illegible] 325 330.452. 458. 489. 523. 568. 576 788.912. & alibi ſæpe.
Clemens Alexand.p.729.[illegible]38.
Clemens Rom. Ep. 1. ad Iacob. p.189.207. 2[illegible]8. 211. 428. 463. 472. 488.[illegible]99.
Epiſt.3. p.439.46[illegible].462.
Epiſt.4.p.451.
Clemens 4. p.414.
Clemen[illegible] 5.[illegible]7.
Clemens 7.p.365.
Cod[illegible]x Canonum Af[illegible]norum.p.434.
Codinus. [illegible]g. 360.430.431.434.4[illegible]4[illegible] 468 469.4[illegible]8.
Co[illegible]s. p.509.
Compen[illegible]ium Priuileg. Mendic. p. 593.Minor. p. 396.[illegible]. 401. 402.449.Societ.Ieſu.[illegible].641.
Concil[illegible]iorum Tom.[illegible].p.183.200.457.
Tom.2.p.[illegible]86.
Tom.3.p 186.
Concilior. Gallican. Tom.1. p.368.369.429. 456.460.464.880.
Tom.2.p.387.[illegible]89.
Tom 3.p.369.385.
Conc[illegible]ium Agathenſe. p.283.463.465.485. 484. 493. 494. 500. 501. 508.535.539.
Ancyranum. p.481. 482. 497.500.512.530.
Andegauenſe.p.414.463.484.
Antiochenom. p. 141. 201.205.213.214.224 315.422.869.
Antiſſodurenſe. p.209.344.515.
Aque[illegible].p.414.
Aquiſgran[illegible] ſia plur. p.21.202.247.280.281.293.295.363.448.
Arauſicanum. 1.p. 283. 432. 449. 455.459.460.489.492.505.511.513.519.520.529.530.532.544.545 551.
Arauſicanum 2. p.202.204.734.
Arelatenſe.1. p.463.
Arelatenſe 2.p.202.283.462 493.495 505.509.517.529.
Arelat.4. p.21.283.297.
Arelat.5.p.210.368.
Auguſtodunenſes canones. p.288.
Aurelianenſe 1.p. 209.284.485.508.519.
Aurelian.2.p. 350.459.
Aurelian. 3. p.485. 491.508. 512.529.592.
Aurelian. 4.p.141.
Aurelian. 5.p.283.
Baſileenſe.p.50.273.
Bituricenſe. p.414.

Bracarenſe.

[illegible]enſe [illegible] p.202. 4[illegible]5.[illegible]
[illegible]
Braca[illegible]e 2.p.[illegible]03.
Burdegalenſe. p.[illegible]4.6[illegible]
C[illegible] p.[illegible]
Ca[illegible]nen[illegible] 2.p.448.[illegible]
5[illegible].
Cæla[illegible]enſe p.4[illegible].5[illegible]
Carnotenſe. p.414.
Carthaginen[illegible] ſub Cypr[illegible] p.[illegible]4.
Carthaginenſe. [illegible] p.44[illegible] 4[illegible] 4[illegible]8.
4[illegible]2.[illegible]
Carthaginenſ[illegible] p.4[illegible] 4[illegible].501.
51[illegible].54[illegible]
Carthag. 4.p[illegible]8.2[illegible]4 445.
4[illegible]9.4[illegible] 500.[illegible]2.513.
514.5[illegible]6.530.[illegible].545.
5[illegible]9.699.700.75[illegible]
Carthag. 6 p.2[illegible].46[illegible].
Chalcedonen[illegible]e. p.1[illegible]5.202.[illegible]
2[illegible]7.264.297.[illegible]44.[illegible]48.4[illegible]9.
48[illegible].486.557.648.668.
Colonienſe. p.254.
Conſtantienſe. p.232.[illegible].34[illegible].691.
709.894.91[illegible].9[illegible].955.
Conſtantinopolitanum œcumenicum. p.234.533.592.
Sub Menna. p.18[illegible].186.[illegible]43.
Sub Photio. p.257.
In Trullo. p.218.222.4[illegible].469.515.
5[illegible].559.
Eliberitanum. p.480.485.491.492.
496.497.510.511.529.534.870.
879.
Emeritenſe. p.518.
Epaonenſe. p.459.485.501.508.509.
510.513.
Epiri. p.184.
Epheſinum. p.186.344.646.
Florentinum. p.378.437.
Francofordienſe. p.269.343.359.360.
596.
Gangrenſe. p.348.610.
Ilerdenſe. p.481.483.
Laodicenum. p.141.200.210.211.213.
214.224.433.434.436.459.461.
464.465.469.472.477.478.
545.547.559.562.567.
Lateranenſe ſub Innoc.2. p.877.
Sub Innocent. 3. p.315.352.961.
Sub Alexand. 3. p.347.
Sub Leone.10. p.393.394.395.400.
413.414.731.
Lingonenſe. p.397.414.
Lugdunenſe. [illegible].[illegible]45.
Matiſconenſe. p.274.5[illegible]9.
Mediolanenſe. p.209.6[illegible]9.
Meldenſe. p.[illegible].
Metenſe. p.[illegible].
Mogu[illegible]inum p.[illegible]
[illegible]1.
Ne[illegible]æ[illegible]nſe p.[illegible]4[illegible].4[illegible]
4[illegible]5[illegible]2
Nic[illegible]num 1.p.141.[illegible]
[illegible]2.2[illegible]4[illegible]4[illegible]4[illegible]
[illegible]2.[illegible].
Nicæ[illegible]m [illegible] p.[illegible] 4[illegible]4[illegible].
Parne[illegible]e. p.[illegible].414.
Pariſienſe [illegible].p.[illegible]32 4[illegible] 455.45[illegible] 459.
Rauennat. p.[illegible]1.
Regenſe. p.214 484.486.
Remenſe p.[illegible]
Romanum ſub Syluestr[illegible]. p.178.20[illegible].
595.67[illegible].
Sub Felice [illegible]. p.501.5[illegible]8.
Sub Zacharia. p.198.
Sub Alexandro 2. p.91[illegible].
Sub Symmacho. p.44[illegible].
Sub Gregorio magno. p.[illegible]73.282.
Rothomagenſe. p.414.
Sardicenſe. p.185.[illegible]2.234.
Senonenſe. p.414.452.
Sexta Synodus. p.178.195.196.344.
440.
Septima Synodus. p.18[illegible].344.534.559.
Sueſſionenſe Concilium. p.200.201.
Tarraconenſe. p.[illegible]84.
Ad Theodotionis villam. p.203.326.
Toletanum 1. p.477.478.494.
Toletan. 3. p.383.
Toletan. 4. p.200.282.350.367.455.
495.567.590.92[illegible].
Toletan. 8. p.427.439.441.442.462.
467.591.593.
Toletanum 11. p.[illegible]29.
Trecenſe. p.414.
Triburienſe. p.455.
Tridentinum ſeſſ. 4. p.394.
Seſſ. 5. p.393.
Seſſ. 6. p.19.124.128.424.734.790.
798.950.
Seſſ. 12. p.436.
Seſſ. 14. p.124.230.42[illegible].489.503.509.
Seſſ. [illegible]1. p.639.917.
Seſſ. 23. p.21.199.233.236.398.400.
419.424.429.438.445.447.471.
605.622.625.650.684.708 714.
955.
Seſſ. 24. p.200.393.394.467.542.
Seſſ. 25. p.458.584.834.835.
In Bull. conuocat. p.345.
Turonenſe 1. p.205.
Turon. 2. p.200.206.284.469.829.
Turon. 3. p.21.

Turon. 4. p. 108.
Turon. p. 98. 4. 4. 15.
Valentinum. p. 06. 5.484.
Valenſe pag. 463 465.467.4 8. 1
516.
Veneticum. p. 5 8.
Vernenſe. p. 141. 200. 4 2. 458. 5
Congregatio Concilij. p 628. 726.
Conſtitution. Apoſt. l. 2. p. 147. 428.
4 . 474. 4 5. 488 566. 596.
L . p. 464. 469.
L. 3. p. 2.
L. 8 p 420. 442. 465. 472. 482. 500.
528 . 54 544. 567. 666. 673.
Corduba. p. 396. 401.
Cornelius C in Elogiis. p. 312.
Cornelius Ianſenius in Conc Euang. p.
230. 677.
Cornelius à Lapide. in Paulum. p 226.
666. 869.
In Acta Apoſt. p. 463.
Coruinus Herniensis. p. 42.
Couarruuias. l. 1. Var. p. 45
S Cyprianus. Ep 6. p. 206.
Ep. . p. 216 505. 517. 519.
Epiſt. 11. p 5 9 52 521. 522.
Epiſt. 12. p. 51 . 520.
Epiſt. 13. p. 505. 522.
Epiſt. 15. p. 237. 520.
Epiſt. 24. p. 467. 468. 472.
Epiſt. 31. p. 237.
Epiſt. 32. p. 548.
Epiſt. 33. p. 467.
Epiſt 34. p. 45 . 467.
Epiſt. 45. p. 440.
Epiſt 52. p. 225.
Epiſt. 54. p. 451. 549.
Epiſt 56. p. 451.
Epiſt. 62. p. 870.
Epiſt. 68. p. 225.
Epiſt 71. p. 177.
Epiſt. 72. p. 451.
Epiſt. 74. p. 77.
L. de Unit. Eccl. p. 18
L. de Opere & Eleem 8.
L. de Lapſis. p. 489. 490. 2. 506. 514.
L. de h Virg. p. 443.
Cyrillus Alexandr. pag. 50. 51. 83. 146.
8 86. 722. 864.
Cyrillus Ieroſolym. pag. 4 1. 470. 472.
5 . 32. 534. 5 . 536. 538. 539. 541.
Cyrillus Monach. in vita Theodoſ. pag.
647.

D.

S. DAmaſus. p. 214. 216. 332. 441.
Decius. p. 636.

S. Dionyſius. l. de Cœleſti Hierarch. c. 1.
p. 48. 82. 1 0. C. 2. p. 2.
C. . p. 9. 15. 8. 9. 22. 25. 30. 4.
C. 4. p 26. 4 58. 89. 91.
C. 5. p. 64. 98.
C. 6. p 6 .
C. 7. p. 18. 2 . 2. 48. 58. 64. 65. 74. 89.
. 742.
C 8. p. 6 . 67. 76. 86.
C . p 42 69. 86
C 10. p. 5 . 85.
C. 12. p. 4. 61 .
C. 13 p. 27. 70 85. 662.
C. 5. p. 5. 2 85.
Lib. de Eccl. Hierarch. p. 161. 417. 418.
560.
C. 1. p. 1. 32. 48. 136. 42. 148. 149. 153.
176. 4 9. 4. 943. 945.
C. 2. pag. 1 . 81 1 146. 153. 211. 439.
441. 4 3 3. 541.
C 3. p 48 135. 470. 476. 477. 516. 531.
548 1. 700.
C. 4 p. 32. 58 46. 531.
C. 5. p 29. 42. 48. 97. 98. 130. 132. 142.
53 63 336. 352 420. 438. 439. 442.
443 445. 487. 553. 751.
C. 6. p. 19. 257. 336. 352. 439. 531. 683
696 757 762. 7 8. 801. 822. 866
917. 927.
C 7. p. 473.
L. de Diuinis Nomin. p. 10. 23. 175. 716.
L. de Myſtica Theolog. p. 18. 749.
Epiſt. 8. ad Demoph. pag. 20. 420. 435.
488. 504. 569. 596.
Dionyſius Carthuſian. p. 450.
Dionyſius Paulus. p. 860.
Dominicus Sotus. p. 450 451 838.
Dominicus Traianus. p. 857.
Dorotheus in vita Doſith. p. 261.
Duareous l. de Sacr. Eccleſ. Min. p. 178.
202. 212. 213. 703. 707.
Durandus in Ration. p. 455.

E.

EDinerus in vita S. Anſelmi. p. 836.
Egiohardus. p. 440.
Emmanuel Rodericus. p. 298. 314. 345.
395. 401. 403. 627. 633. 636. 637.
638. 640. 641.
Emmanuel Sa. p. 75. 401. 403. 714.
Eonodius in vita Aotuoij Monachi. pag.
272.
S. Ephrem. p. 32.
S. Epiphanius. Hær. 16. p. 860. Hær 19.
p. 860 Hær 25 p. 722. Hær. 26. 722.
Hær. 28. p. 132. Hæreſ. 29 p. 132 860.
862.

862.863.865. Hær.30. p.132. Hær. 40. p.348. 616. Hær.58. p.327. Hær. 68. p.304. Hær.69. p.304. Hær.75. p.211. 216. 220. 233. 440. Hær. 79. p.98.464.621.
Contra Hæreſ. p.475.651. Compend. fidei. p.259.l. de Ponder.& Menſ.pag. 118.
Epiſtola Eccleſiæ Senonenſis. p.203.
Eſtius. p.666.
Euagrius. p.430.434.
Euariſtus. p.222.
Eucherius.
Eugenius 4. p.187.189.
Euodius. p.433.
Euſebius Emiſſenus. p.119.
Euſebius Pamphili. In Hiſt. Eccleſ. pag. 430. 432.434.498.514.543.575. 703.862.
Lib. de præpar. Euang. p.96.730.
Lib. de demonſtr. Euang. p.49.556.764. 766.

F.

FAbianus. p.452.
Felinus. 207.
Felix 3. p.481.482.501.
Felix 4. p.704.
Fabianus CP. p.198.204.
Flauios Cherubinus. p.635.
Flodoardus. p.361.517.
Franciſcus Hallier. in Vindic. p.2.7.27. 28.79.83.95. 100. 144. 147. 153. 290. 199. 209. 224. 234. 268. 272. 283. 332. 335. 348. 351. 451. 559. 599. 761. 772. 821. 918. 920. 943. 946. 961. 962.
Refellitur in Vindic. pag.27. 71.83.86. 89.102.103.134.140.159.166.210. 322.323. & alibi ſæpius.
Lib. de ſacr. Ordinationib. p.7. 23. 86. 95.224.226.296. 425. 428. 444. 455. 459. 467. 470. 555. 556. 590. 596.622.672.688.918.
Refellitur. p.8.226. 623.624.625.638. 842. & alibi paſſim.
Franciſcus de Luna in Biblioth. Carmel. p.299.
Franciſcus Saleſius Geneuenſis. p.844.
Franciſcus Suarez. in 3. part. S. Thomæ. p.192.377.400.450.
De Religione. Tom.2. p.786.
Tom. 3. p.315.797.821. 822.849.859. 870.878.881.884.886.893.896. 904.908.909.
Tom.4. pag.456.607.627.641.784.
854.870.885.888.
Franciſcus Tolerus in Ioan. p.98.
Franciſcus à Victoria. p.192.450.
S. Franciſcus Xauerius. 611.
S. Fulgentius. p.50.582.
Fuligatus. p.733.964.

G.

GAbriel Albaſpinæus in Obſernat. p. 478.479.480.492.493.494. 497.498. 501.503.505.509.512.516. 521.546.547.
Gabriel Vaſquez in D. Thom. p.186. 219.724.886.
Gagneius. in Paul. p.666.
Gaſpar Hurtado. p.636.
Garæns. p.267.280.
Gelaſius. p.196.440 456.461.650.
Gennadius. p.266.268.
Georgius Venetus. p.52.
S. Germanus CP. p.33.
Gerſon. p.28.32. 47. 61. 155. 167. 168. 169. 171. 172. 173. 178. 346. 410. 443. 542. 694. 764. 836. 912. 931. 932. 933. 934. 936. 941. 942. 944.
Gilda Sapiens. p.376.
Gloſſa Ordinaria. p.846.952.665.
Gloſſa. p.191.363.373.703.
Goffardus. p.612.
Gonzales in reg. Cancell. p.637.684.
Gratianus. Vide Ius Canonicum.
S. Gregorius. Hom.12. in Euangel. p.841. 842. Hom.17. p.611. Hom.18. p.852. Hom.30. p.798. Hom.34. p.31.60.65. 67.68.158.
Moral. l.2. p.569. Lib.4. p.80.695. Lib. 6 p.743.751. Lib.14. p.441. Lib.15. p.888. Lib.17. p.76. Lib.28. p.117. Lib.31. p.805.
In Ezechiel. hom. 12. p.555. Hom. 20. p.825.
In lib. Regum. p.841.
In Paſtor. p.21.696.946.
Dialog l 2 p.277.316.
Lib.4. p.515.516.
Regiſtr. l.1. Epiſt. 12. p. 382. Epiſt. 40. p. 924.
Lib 2. in Priuil. S Med. p.382.384 387.
Epiſt.27. & 57. p.383.
Lib. 3. Epiſt.1. p.512. Epiſt.7. p.204. Epi. 11. p.386.
Lib 4 Epiſt.1. p 630.926. Epiſt. 32. pag. 184 Epiſt.38. p.217.
Lib.5. Epiſt.25. p. 367. Epiſt 27. p 386. Epiſt.28 p 774. Epi.41. p.264.386. Epiſt.43. p.367.

# Index

Lib.6. Epiſt.12. p.385.460. Epiſt.10. p. 252. Epiſt.40.p.264.
Lib.7. Epiſt.11. p.282.284. Epiſt.15.p. 386.Ep.18.p.367.383.385.386.Ep. 31. p.385. Epiſt.33.p.384.385. Epi. 34.p.386.Epiſt.112.p.200.
Lib.9. Epiſt. 48. p.738. Epiſt.67. pag. 387.
Lib.10.Epiſt.53. p.264.
Lib.11. Epiſt.4.p.386. Epiſt.10. p.386. 387. Epiſt.38. p.923. Epiſt.64.pag. 559.
Lib.21.Epiſt.3.p.132.
S. Gregorius Nazianzenus. p. 105.128. 234.257.273.276.435.455.467. 534.536.537.570.593.643.645. 674.737.
S.Gregorius Neocæſarienſis.p.32.496.
S.Gregorius Nyſſenus. p.539.
S.Gregorius Turonenſis. p.431.592.
Gregorius à Valentia. p.378.870.
Gregorius 13. p.393.399.401.604.605. 633.634.707.871.873.874.
Gregorius 14. p.634.636.640.
Grodecius in Cyrill.Ieroſol. p.540.
Guillelmus Pariſienſis. l. de Legibus. p. 68.112.520.759.764.
Lib.de Virtutibus.p.758.759.760.761. 888.
Lib.de Moribus. p.46.579.855.
Lib. de Sacramentis. p.146.149.284. 318.416.421.425.442.444.451. 466.472.475.502.538.589.700.
Lib.de Rhetor.diuina. p.290.
1.Parte de Vniuerſo. p.2. p.730.
2.Parte de Vniuerſo. p. 2. p.7.11.13.15. 19.23.24.29.30.44.57.58.63.64. 65.67.68.69.70.72.73.77.82.86. 100.135.156.172.343.559.

H.

HArmenopulus. pag.213.218.224. 430.465.472.490.529.532. 534.
Henricus Henriquez. pag.398.399.401. 403.451.961.
Henricus Kalteiſ. p.188.191.327.333. 336.337.
Heraclides. p.53.
Heribertus Roſweydus. p.431.867.
Hermannus Loëmelius. p.28.29.143. 144.170.207.
Hermas Paſtor. p.90.490.507.
Hermias Philoſophus.p.730.
Heruæus. p.192.450.
S.Hieronymus. Epiſt.1. p.323.910. Epi. 2.p.462. Epiſt.3.p 554. Epiſt.4.pag. 631.924.938.
Epiſt.8. p.319.456.457.854. Epiſt.10. p.498.
Epiſt.13. p.322. Epiſt.16.p.256.
Epiſt.22.p.248.261.454.
Epiſt.25.p.527.
Epiſt.41.p.257.
Epiſt.49.p.473. Epiſt.53.p.921. Epiſt. 54.p.474.
Epiſt.57.p.737. Epiſt.60. p.248.249. 263.370.380.
Epiſt.61. p.211.249.263.363.370.380. 535.725.
Epiſt.62. p.264.267.380.725.
Epiſt.85. p.219.
Epiſt.146.p.738.
Epiſt.ad quendam Leuitam.p.283.
Ad Oceanum. p.21.
Ad Euagrium.p.225. Ad Damaſum.pag. 440.
Ad Marcellam. p. 586. 652. Ad Demetriadem. p. 828. Ad Ruſticum.p.652.
Lib.aduerſ.Iouinian. pag.185.191.779. 785.
Lib.aduerſ. Vigilantium. pag. 319.322. 911.
Lib.aduerſ.Luciferianos. p.220.221.
Lib.de Scriptorib.Eccleſ.pag.440.472. 479.542.543.829.863.910.
In Chronico. p.545.
In regulam Pachomij.p.267.
In vita S.Pauli. p.853. In vita Malchi. p.881.
In Iſaiam. p.117.
In Ezechiel. p.85.433.
In Danielem. p.736.738.
In Michæam. p.715.
In Naum. p.730.
In Matthæum. p.841.
In Epiſt.Pauli. p.665.
In Epiſt.ad Titum. p.219.947.
Hieronymus Platus. pag.298.317.586. 587.657.825.919.
Hieronymus Rodericus. p.675.
Hieronymus à Sorbo Capucinus. p.393. 398.399.402.403.627.
S.Hilarius. p.667.
S.Hilarius Arelat. p.25.775.
Hilarus. p.199.200.484.
Hincmarus. pag.155.183.225.315.359. 379.517.
Hormiſdas. p.212.
Hugo de Dina.p.325.
Hugo Menardus. p.248.257.267.278. 282.292.293.307.308.
Hugo à S. Victore. In Hierarch. Cœleſt.

l.1.

L.1.p.17.25.30.42.130.
Lib.4.p 9.11.12.16.18.25.30.44.
Lib 5.p.63.66.91.
Lib.6.p.16.
Lib.7.p.16.25.57.65.
Lib.9 p.27.67.69.131.
In Epiſt.ad.Rom.p.43.139.
Lib.7.Eruditionis didaſcalicæ p.161.
700.
Lib.1.Erudit.Theolog.p.700.751.752.
Lib.4.de Clauſtro animæ. p.242.273.
284.
L.1.Exercitat.prior.p.729.
In Regulam Auguſtini. pag.247.248.
249.
Apud Bonauent.p.742.

I.

IAcobus Diaconus in vita S. Pelagiæ.p.
431.534.
Iacobus Gretſerus. in Codin.p.430.433.
470.478.
Iacobus Gualterus in Chron.p.299.
Iacobus Pamelius.p.225.464.473.500.
504.506.518.520.775.
Iacobus Salianus.Tom.4.Annal.p.299.
Iacobus Sirmondus. p.350.
Idiota. p.47.
S.Ignatius Antioch.Epiſt. ad Trallian.p.
30.43.57.60.80. 416.419.429.462.
Epiſt.ad Smyrnæos.p.418.419.
Epiſt.ad Antiochen. pag.419.454.473.
474.
Epiſt.ad Epheſios.p.419.462.
Epiſt.ad Philadelph.p.419.
Epiſt. ad Tharſenſes.p.458.
Epiſt.ad Heronem Diacon.p.416.419.
S.Ignatius CP.p.186.
S.Ignatius de Loyola. p.756.
Indulphus Abbas. p.274.
Innocentius 2.p.199.440.454.457.511.
512.517.879.
Innocentius 3.p 465.962.963.
Innocentius 5. p.547.
Ioannes 3. p.215.
Ioannes 22. p.306.
Ioannes 23. p.357.
Ioannes Andreas. p.223.
Ioannes Azor. p.186.308.640.641.
Ioannes Baptiſta Gramaye. p.299.300.
305.307.310.311.312.
Ioannes Citrienſis. p.433.470.
S.Ioannes Climacus.p.888.891.
Ioannes à Cruce.p.636.
Ioannes Curopalates. p.360 470.
S.Ioannes Damaſcenus, l.3. de fide.p.46.
47.140.
Lib.4.de fide. p.480.
De Triſagio. p 27.
Ioannes Fileſacus, l.de ſacra Epiſc.auctor.
p.2.204.293.350.359.
Lib.de Orig.Parœc.p.7.391.412.
Lib.1.Select.p.283 720 722.
Ioannes Gonzales.in Epitom.hiſtor. pag.
300.304 306 307.311.313.
Ioannes Lomedé. l. de Exempt.Eccleſ.c.
1 p 351.363.367.369.
Cap.2.p.356 359 362.363 374.
Cap.3 pag.353.354 356.357.363.365.
374.
Cap.4 p 246.356.357.363 365.366.
Cap 5 p.371. c 7.p 356.
Cap.8.p.374.c.9.p 374.c.10.p.372.
Cap 11 d 372. c.12.p.373.
Ioannes Maior. in 4 p 377.447.932.
Ioannes Malderus. p.637.
Ioannes Maldonatus. p.185.182.250.
Ioannes Monachus. in vita Petri Damiani.
Ioannes Moſchus in vitis PP. pag. 470.
479.
Ioannes à Nigra valle, p.244.256.
Ioannes Petrus Camus Bellicenſis. Serm.
de S.Ignat.p.157.
In viatore Incogn. p.339. 351. 353.371.
397.413.
In Petronilla. p.586.
In Melitone.p.586.795.796 808.809.
835.912.
Ioannes Phelippæus Comm.in Oſee.pag.
479.485.490.491.504.
Ioannes Pineda. p.702.
Ioannes de Polemar. p.917.
Ioannes Præpoſitus. in Appar.p.251.256.
In 3.P.p.377.450.351.
De Sacram.Pœnit. p.399.
In Supplem.3.P. p.398.
Ioannes Reuclinus.in Cabala. p 702.
Ioannes Rouſſerius. pag.303. 307. 324.
325.584.
Ioannes Seruetus. p.775.
Ioannes de Terra rubea. p.358.
Ioannes Thaulerus. p.749.750.
Ioannes Trithemius. p.275. 277. 292.
294.656.
Ioannes Trullus. p.244.256.
Iodocus.Coccius. p.107.436.
Ioſephus Antiquit. Iud. l.1. p.96. l.3.p.
98. 611. 863. l.7. p.98. l.8. p.471. l.
17.p.98.702. l.18.p.860.
Lib.2.de Bello Iud.p.860.l.6.p.432.
Contra Appion.l.1.p.100.l.2.p.99.
S.Irenæus. p.730.792.

S. Iſidorus. in Origin. p.6.210.829.
Lib.de Offic. Eccleſ. p. 260. 465.466. 468.471.539.545.553.554.829. 920.
Lib.de Summo bono. p.699.
Iſidorus Mercator. p.200.
S.Iulius 1. p.194 205.
Iulius Nigronus. p.888.
Iuo Carnot. p.257.361.407.472.528. 767.822.
Ius Canonicum. Diſt 4.p.259. Diſt.21. p.554. Diſt.23.pag. 465. Diſt.24. p. 947. Diſt.27.p.879.880. Diſt.31.p. 459. Diſt.33. p.530. Diſt.36.p.704. Diſt.40.p.615. Diſt.55.p.373. Diſt.61. p.212. Diſt.66.p.191.231. Diſt.77.p. 590.622. Diſt.79.p.188. Diſt.81. p. 591.592. Diſt.93.pag.218.438.595. Diſt.95.p.461.
Cauſa 2.q.3.p.447.q.6.p.192.374.
4.q.2.p.629. 6.q.4 pag.201. 7.q.1.p. 962. 11.q.1.p.372.374.559.
12.q.1.tota. 559.919. C. duo ſunt. 283. 555.q.2.p.206.250.383.
16.q.1.p.297.323. 327. 343. 372.383. 412.588.615.650.653.776.
q.2 p.447. q.7.p.374.
17.q.7.p.197.366.
18.q.2.p.209.344.367.
19.q.1.p.590.661. q.2.p.923. q.3.pag. 923.
20.q.1.p.457. q.3.p.251.591.
21.q.1 p.456.
25.q.2 p.366 373.376.411.
27.q.1. pag.454. 455. 457.870.879. 880.882.
27.q.2.p.583.
33.q.3.p.589.
Extra. pag.191.206.207. 208.357.361. 368.372.373.374.473.629 833.
In 6. pag.308. 315. 361. 362. 374. 392. 394. 395. 414. 584. 590. 592. 693. 612.627.703.704.705.871.961.
Clement.p.296.614.629.704.705.
S.Iuſtinus Martyr. p.118.737.

L.

LActantius. p.41.948.
Ledeſma. p.636.
S.Leo 1. Serm.1.de Natiuit.p.753.
Serm.13. de Paſſione. p. 132. Serm.14.p. 119.132. Serm.16. p.135. Serm.18. p.135.
Serm.3.de Aſſumpt.ſua. p.193.
Epiſt.4.p.531.535.536. Epi.28.p.646.
Epiſt.83.p.25. Epiſt.88.p.213.214.216. 351.441.442.449.457.461.
Epiſt.89.p.225.355.
Epiſt.91.p.514. Ep.92.p.271.490.502. 513.962.
Epiſt.ad Flauian. p.204.646.
Epiſt.Epiſcop.Galliæ. p.202.
Leo 9. p.187.
Leo 10. p.187.189.
Leo Oſtienſis. p.632.
Leonardus Leſſius. p.612.805.825.870.
Leontius in vita S.Ioan.Eleemoſ.p.468. 479.
Liber vitæ Pontifi p.187.222.259.463.
Liberatus Diacon.in Breuiario. pag.185. 434.646.647.
Lincolnienſis in Dionyſ. p.24. 38. 161. 285.742.
Lipomanus in vita S.Auguſt. p.246.
Liturgia S.Iacobi. p.518.
Liturgia S.Marci. p.518.750.
Ludouicus Creſollius in Myſtag. pag.97. 186.188.

M.

MAgiſter in Regula. p.260.
Margarinus de la Bigne.p.721.
Martinus Bonacina. p.451.
Martinus Bracarenſis. p.224.
Martyrologium Roman. p.745.
Marſilius. 450.
Matthæus Blaſtares. p 433.
Matthæus Raderus.in Clim.p.888.889.
S.Maximus in Chron. p.307.308.
S.Maximus in Dionyſ. p.53. 56. 58.66. 130.174. 477. 487. 516. 527.822. 866.
Menæum Græcorum. p.60.
Metaphraſtes. p.477.483.583.
Methodius. p.32.47.
Michaël Maucletus. p.31.33.36.79.145. 152.172.192.358.364.692.
Michaël Medina. p.219.
Michaël à Palatio. p.450.451.452.
Michaël Syngelus. p.145.
Micrologus l.de Offic. Eccleſ. pag.446. 528.538.545.
Minutius Felix. in Octau. p.586.
Miſſa Æthiopum. p.518.
Miſſa Moſarabum. p.518.

N.

NAuarrus. p.318.400.401.451.636. 640.
Nicephorus in hiſt.p.105.178.730.751.
Nicephorus in orat.Syneſ. p.175.
Nicetas. p.216.435.

Nicolans 1. p.353.365.
Nicolaus l'Archeueſque.p.50.644.808.
Nicolaus Coeffetæus. p.187.189.191. 192.216.609.
Nicolaus le Maiſtre. de Inſtaur. Epiſc. princip.l.1. p.210.241.244.248.255. 260.262.265.266.268.280.288. 289 320.323.325.768.844.849. 889.919.
Lib.3.p.245.248.260.297.301.
Lib.4.p.293.322.
In Analyſi. p.285.
Nicolaus Orlandinus. p. 712.726.731: 404 835.
Nicolaus Serrarius. pag.702.860.862. 863.

O.

S. ODilo. p.272.
Optatus. p.185.191.457.
Ordo Romanus. pag.524.525.531.536. 539.
Origenes. pag.17.52.53:69.89.92.111: 117.118.145.317.531.
Otho Friſingenſis. p.366.
Otrado. p.356.

P.

PAchymeres.in Dion.p.33.130.449. 477.527. 545. 561. 567. 778. 779.822.
Palladius. pag.263.264.265.269 482. 483 892.896.
Panormitanus. pag.206.207.208.256. 312.374.703.
S.Paulinus. p.270.433.
Paulus 3. p.393.395.402.633.634.641.
Paulus 5. p.636.
Paulus Leymanus. p.401.
Pelagius 2. p.204.
Pennotus. p.657.
Petrus Abaelardus.p.293.715.923.924.
Petrus Arcudius.p.377 447.448.450. 455.459.469.470.477.
Petrus Aurelius.in Vind.Tom.1. citatur. p.2.30.79.89.90.101.103.104.269. 600.605.609.943.946.961.
Refellitur. p.7.28.86.92.101.104.124. 127.129.131.143.144.148.149. 264.168.189.207.323.335.427. & alibi paſſim.
Petrus Bleſenſis. p.351.367.406.407. 571.591.838.882.921:946.
Petrus Cellenſis p.275.
Petrus Cluniacenſis,ſiue Venerab.p.266. 270.276.281.284.286.292.293. 294.295.367.368.382.383.388. 389.406.
Petrus Damiani. l.1.Epiſtol.p.594.926. 961.
Lib.4.p.921. lib.5.p.396.776.
Lib.6.p.277.278.287.770.
Opuſc.11.p.277.763.
Opuſc.12. p.288.291.555.
Opuſc.13. p.333. Opuſc.14.p.382.
Opuſc.15. p.257 277 278.528.
Opuſc.16.p.271. Opuſc.18.p.775.
Opuſc.28.p.771.
Petrus Galatinus de Arcanis. pag.82.85. 99.100.101.113.552.665.702.
Petrus Halloix.p.66.418.
Petrus Lanſſelius. p.564.
Petrus Lombardus in 4. p.912.
Petrus Paulus Pariſienſis. p.360.
Petrus Rebuffus. p.223.358.
Petr. Ribadeneira. p.640.756.835.713.
Philaſtrius. p.348.860.
Philippus Abbas. p 723.
Philippus Gamaſchæus. pag.414.450. 588.881.
Philo. p.96.97.98.100.698.729.741. 779.860.862.
S.Pius 1. p.546.
Pius 5. p.399.401.
Poſſidius.p.302.303.304.308.309.310. 461.652.
Proclus. p.45.47.
Procopius. p.593.
Proſper Aquitan. p.21.530.

R.

RAbanus Maurus. p.68.545.558.
Radulphus Tungrenſis.p.440.708.
Regula S.Benedicti. pag.257.260.277. 279.280.281.284.285.286.290. 291.293.294.295.296.898.901. 904.926.
Regula S. Franciſci. p. 320. Teſtam.S. Franc. p.324.
Regula Fructuoſi. p.282.
Regula S.Pachomij. pag.267.268.269. 295.
Regulæ & Conſtit.Societ. Ieſu. pag.321. 543.584. 606. 607. 634.635.714. 726. 728. 729.731.739.740.756. 908.
Congreg.Gener.2. p.640. Congr.Gen. 5.p.728.
Congreg.Gener.7. p.640.
Remigius. p.468.
Richardus de Medina. in 4. p.450.
Richardus de S.Victore.Expoſit.in Cant. p.32.33.46.
Lib.1.de Arca Myſtica, p.746.

ü

Lib.de Gradib.Caritatis. p.842.843.
Rituale Romanum. p.343.
Robertus Arborieenſis. p.243.
Robertos de Sorbona. p.721.723.
Robertus in Gall.Chriſt. p.356.358.
Roſetos. p.243.
Rufinus. p.263.498.
Rupertus. p.75.320.769.
Roardus Tappet. p.450.451.452.

S.

SCotus in 4. p.221.
Seuerinos Binius. p.224. 259. 459. 477.533.546.547.
Seuerus Sulpitius. p.258.262.272.348. 479.651.661.670.852.891.
Sidonius Apollinaris. p.648.
Sigebertus. p.246.
Simeon Theſſaloo. p 478.
Siricius. p.272.
Sixtus 4. p.306.
Sixtus 5. p.338.
Socrates l.2.hiſt. p.195.349.645.
Lib.4. p.326.656.
Sophronius. pag.30. 50. 67. 68.80.96. 258.706.
Sozomeous. p.245. 266.269.321.349. 645.
Stellartius. p.312.
Stephanus 2. p.197.387.
Stephanus Binetus. p.340.
Suidas. p. 722.860.863.
Surius, ſiue Vitæ Sanctorum. S. Albertl. p. 299.321.
S.Anſelmi. p.836.
S.Arethæ. p.477.
S.Audoëni. p 274.
S.Bononij. p.275.
S.Dominici. p.298.317.
S.Doſithei. p.261.
S.Etheluoldi. p.285.
S.Euthymij. p.258.659.
S.Fulgentij. p.250.613.924.
S.Genoueſæ. p.457.
S.Ioannis Chryſoſtomi. p.483.583.
S.Ioannis Eleemoſ. p.468.479.
S.Ludouici Regis. p.319.
S.Mariæ Ægyptiacæ. p.258.
SS.Nerei & Achillei. p.876.
S.Norberti. p.253.270.
S.Pachomij. p.265.266.267.268.269.
S.Philiberti. p.274.
S.Polycarpi. p.480.
S.Sulpitij Pij. p.270.273.494.
S.Theodoſij Monachi. p.647.
S.Theodori Abbatis. p.530.
S.Vandregiſili. p.274.
Symmachus. p.355.
Syneſius. p.483.
Sylueſter. p.455.456.708.

T.

TAtianus Aſſyrius. p.730.
Tertullianus. l.de Pallio. p.586.
Apologet. p.611.763.
Lib.de Anima. p.729.730.
Lib. Aduerſ.Iudæos. p.114.118.
Lib.de Veland. Virgin. p.107.119.
Lib.de Pudicitia. p.184.
Lib.de Pœnitentia. pag. 489. 490. 501. 506. 587.594.
Lib.de Carne Chriſti. p.504.586.
Aduerſ.Marcion. l.3.p.105. l. 4 p.616.
Lib. 5.p.109.115.119.
Theoduretus in Daniel. p.76.
In Epiſt.Pauli. p.56.665.
Hiſtor. l.4.p.646.651.656.l.5.p.648.
Hæretic. Fabul. p.429.
Theophilus in Annalib. p.593.
Theophylactus. p.680.
S.Thomas in Summa. 1.P. q.1. p.197. q. 11.p.10. q.25. p.134. q.45. p.45.92. q.50.p.156. q.55.p.54. q.62.p.51. q. 79.p.176. q.106.p.23.51.
q.108. p.10.23. 26. 30.31.32.52.53.57. 60.63.65.68.149. q.112.p.56.q.113. p.69.70.
Prima Secundæ. q.12.p.180.q.14.p.182. q.17.p.181. q.18.p.124. q.37.p.697. q.65.p.841.q.68.p.683.q.99.p.1041. q.103.p.132.q.105 p.150.
Secunda Secundæ. q.1.p.690.q.25.p.46. q 26.p.10. q.62.p 184. q.66.p.741. q.83. p.83. q.88. p. 785.803.834. 870.895.
q.102.p.139. q.129.p.841. q.152.p.785. 841. q 181.p.694. q.183.p.162.343. 928. q.184. pag.146.212.574.778. 820.821.925. 928. 931.932.948. q. 184. p.339. q.185. p.635.944.947. 948.949.
q.186.p.575.822.826.909.
q.188.p.277.327.332.335.336.887.
q.189.p.584.589.815.950.961.
Tertia Parte. q.23.p.808. q.64.p.80.
q.72.p.450.451.q.73. p.480. q.80.pag. 528.530.
Supplem.3.Partis. q.8.411. q.16.p.588. q.71.p.516.
In 4. Diſt.38. pag 458.913. Diſt.49.p. 951.

Opuſc.18.p.778.788.789.805.888.
899.
Opuſc.19.p.165.166.
Quæſt.9.de Veritate.p.74.
Quodlib.1.p.342.699.905.
Quodlib.3.p.703. quodl.7.p.21.
L.3.contra Gentes.p.55.69.
Catena aurea.p.185.665.
Thomas a Ieſu, de Contempl. diuin. pag.
745.747.748.749.
Thomas Sanchez.p.192.718.719.721.
805.870.885.
Thomas Stapletonus.p.194.
Thomas Waldenſis. Tom.1.l.2.p.199.
218.220.441.445.703.705.762.
784.
Lib.3.pag.145.151.155.165.570.803.
828.
Lib.4.p.270.285.317.321.331.579.
692.
Tom.3.p.326.830.
Timotheus.p.530.
Toſtatus Abulenſis. in 4.Reg.pag.433.
702.
Tractatus de Iuribus Eccleſ. Gallic. pag.
358.363.371.373.
Tractatus de Regularib.delegatis.p.414.
Turrecremata Cardin. in R.g. S. Bened.
p.248.278.898.899.904.

Z.

ZAmbra in deciſion.p.451.
Zanchez l. de diſperſ. Monach. Pa-
læſt.p.299.
Zerola.prax.Epiſc.p.447.
Zonaras.pag.211.431.446.458.464.
469.485.486.491.497.515.530.
531.545.869.

# PROFANI.

A.

ANdreas Alciatus.p.636.
Ariſtoteles. l.1. Metaph.p.
27.693. lib.9. Metaph.
p.697. lib.12. Metaph.
p.54. l.13.Metaph.p.10.
Lib.3.de Anima.p.174.175.
Lib.1.de Cœlo.p.27.
Lib.1.Politic.p.27.185. Lib.7. Politic.
p.137.
Lib.7.de Rep.p.12.695.
Lib.6.Ethic.p.697. Lib.8.& 9.Ethic.
p.46.
Lib.1.Magn.Moral.p.697.
Lib.7.Moral.Eudæm.683.696.
Aulus Gellius.p.712.
Aurelius Victor.p.234.

B.

BArtholomæus Chaſſanæus.p.356.
358.

C.

CAſſius Longinus.p.715.
Cicero.p.711.800.
Claudius Salmaſius.p.860.

D.

DEmetrius Phalereus.p.470.

E.

EVnapius Sardian.p.582.

G.

GLoſſæ veteres.p.433.
Guillelmus Budæus.p.866.

H.

HErodotus.p.118.

I.

IAmblichus.p.70.711.
Iacobus Bonaudi.p.358.
Ioannes Ferraudus.p.358.
Ioannes Meurſius.p.468.
Iulius Africanus.p.671.
Iuſtinianus.p.276.344.468.

L.

LExicon Iuris. p.225.

M.

MAgdeburgenſes. p.582.
Mercurius Gallicus. Tom. 3. pag. 354.

P.

PAriſios. p.636.
Petrus Gregorius. p.362.
Philippus Probus. p.356.
Plato. p.6.75.
Plinius. p.2.860.
Plutarchus. p.352.
Polydorus Virgilius. p.313.
Porphyrio. p.470.
Porphyrius. p.864.

R.

RAphaël Volaterranus. p.243.247. 254.
Rutilius Numatianus. p.582.

S.

SAuaro. p.774.
Seneca. Epiſt.2. p.728. Epiſt.6. pag. 711. Epiſt.8.p.800. Epiſt 21.p.815. Epiſt.51.p.801. Epiſt.89.p.714. Epi. 96.p.56.
Lib.de Beata Vita. p.728.
Lib.de Tranquillit. p.712.
Lib.de Conſtantia Sapientis. p.801.
Solinus. p.860.
Strabo. p.118.
Suetonius: p.763.

T.

TItus Liuius. p.671.

V.

VIridarij Somnium. p.358.

DE

DE
# HIERARCHIA
ET
# HIERARCHIS.
## Liber Primus.
DE
# HIERARCHIA
IN GENERE.

## PRÆFATIO.

*QVA STATVS QVÆSTIONIS, ET PRIMA operis delineatio, auctoriſque inſtitutum exponitur.*

*Quæſtio hæc in hoc ad ea proponenda ratio.*

EST hoc in more poſitum ſapientibus æque ac generoſis regnorum adminiſtris, vt cuius Prouinciæ poſſeſſionem aut conſeruandam aut acquirendam Principi ſuadent, eius imaginem, opes, amœnitates in breui tabula repræſentent. Idem mihi quoque in ipſo diſputationis aditu faciendum eſſe putaui, vt Hierarchiæ meæ gratiam, amoremque tuum, Lector humaniſſime, vno penicilli ductu & delineatione, quátumuis rudi & inchóata emerear. Non hæc aduerſarijs cura, nó is animus eſt, qui merces ſuas eó magis vendibiles fore autumant, quo pluribus inuolucris obtectas proſcripſerint: veriti ne iuſto emptorum iudicio plurimum ipſis de æſtimatione decedat. Atque ijdem ſiquando magnificam Hierarchiæ ſpeciem in animis noſtris ingenerare ſe putant: id faciunt Religioſis, quod Deus Moyſi, cui terræ ſanctæ pulchritudinem eminus admiranti, dicebat olim, *vidiſti eam oculis tuis, & non tranſibis ad illam.* Quaſi tam ſit anguſta Hierarchiæ baſilica, vt cum *introierit in conuentum veſtrum vir aureum annulum habens, in veſte ſplendida, & dixeritis ei, tu ſede hic bene:* eliminari debeat *pauper in ſordido* Iacob. c. 2.

*habitu*, dicendumque ſit *iuſta illic, aut ſede ſub ſcabello pedum meorum.*

*Aduerſarÿ doctrinam Hierarchiæ non ſatis explicant.*

Petru. Aurelius in Vindic. p. 436.

Franciſcus Hallier in Vindic. li. 4. c. 1. toto.

Imo quod grauius eſt, illum ipſum Montis Nebo aſcenſum, & promiſſæ regionis proſpectum nobis inuidet Petrus Aurelius, quibus *ignorantiam ridiculam* exprobrat, *quod nec Hierarchiæ naturam generatim, nec ſpeciatim Hierarchiæ Angelicæ, neque vero Eccleſiaſticæ vim & proprietatem nouerimus.* Quam proinde cum à Franciſco Hallier *ab altiore principio rem ordiente*, conarerediſcere, is tantam materiam vno paragrapho, eoque non qua ſolet prolixitate deducto, complexus; tribus deinde grandibus, excludendos ab Hierarchia Regulares ſtudet conficere. Hanc igitur vtilitate præcipuam, cognitione non iniucundam, acquiſitione ſatis difficilem Hierarchiæ ſcientiam, cum neque ex Petri Aurelij torrente, qui turbidus & lutulentus præcipitat: neque ex Doctoris Hallier amne haurire poſſim, qui, quod de Iordane ſcripſit Plinius, *quatenus locorum ſitus patitur ambitioſus eſt, accoliſque ſe præbens velut inuitus*: alios mihi fontes conſulendos eſſe duxi, à quibus *tum generatim tum ſpeciatim Hierarchiæ naturam & proprietatem* ediſcerem. Occurrerunt mihi in natiuo ſolo S. Dionyſius Areopagita, quem huius controuerſiæ iudicem nemo defugiat: cui aurea ſcripta prudenter indignatur Ioannes Fileſacus à nonnullis præfractis, & peruicacibus ingenijs, puta Valla, aut Eraſmo grammaticis eripi: quæ in ipſo Galliæ ſinu, ad Lutetiam, eo loco *vbi Pariſienſis Academia, Athenienſis æmula nunc inſidet*, commentatum eſſe virum diuinum, memoriæ prodidit Andreas Sauſſayus ille Beda Gallicus, nouus Ado, nouus Vſuardus, in recenti opere, infiniti ſtudij, memoriæ ſempiternæ. Sequitur Guillelmus Pariſienſis Epiſcopus, vir pietate, doctrinaque celeberrimus, & in laudes & aſſentationem Monachorum, vt parciſſime dicam, non effuſus: Hugo de ſancto Victore, Pariſienſis quidem Monachus, at inſtruendis quam laudandis Monachis aptior: quos ſequutus; minores omnes *præſtrinxit ſtellas exortus vti æthetius ſol* D. Thomas Pariſienſis olim Doctor & Profeſſor: quorum proinde doctrinam non dubito quin Illuſtris Pariſienſis Facultas, tanquam paternam hæreditatem ſuſceptura ſit. Gerſonem Cancellarium Pariſienſem vbi opus fuit conſului: eum tamen magna ex parte alijs reliqui, qui magnum illud ſeculi ſui lumen primi hanc in arenam produxerunt. Acceſſerunt alij aliqui, tanquam ad exercitum auxiliares copiæ, ſocij atque amici ſcriptores, vt S. Bonauentura, vt Thomas Vualdenſis, & id genus alij, præſertim vbi Regularium cauſa ventilatur. Patres, Concilia, Canones non appello, quoniam arma ſunt illa, quibus aut me tutum ab aduerſarijs reddam, aut eoſdem palmati vulnere appetam.

Plin. l. 5. c. 15.

*Quibus ex auctoribus hæc noſtra de Hierarchia doctrina deſumatur.*

Fileſac. li. de Sacr. Epiſc. auctor. c. 1. §. 2.

And. Sauſſ. in Martyr. ad 9 oct.

*Veterum Patrum incerta opera quæ fide careant*

Inter hæc quædam opera non certiſſimæ fidei producta leges, vt Canones Arabicos Nicæni Concilij, vt vetuſtiſſimorum Pontificum Clementis, Anacleti, Damaſi etiam aduerſus Chorepiſcopos, & Petri Damiani pro Monachis, epiſtolas; quæ quia ab auctoribus non malis admittuntur, nonnunquam etiam ab aduerſariorum nonnullis agnoſcuntur, & ijs nulla grauioris momenti doctrina ſtabilitur, ſed tantum ad ornatum adſciſcuntur, eam certe quam antiqui Eccleſiaſtici ſcriptores auctoritatem obtineant poſtulo, alienum penitus ab inſtituto arbitratus, ea ſcripta illis auctoribus, quorum nomen præferunt, vindicare.

His ego Doctoribus inſtitutoribuſque Hierarchiam generatim & ſpeciatim

tim *ſine fictione didici*, *& ſine inuidia communico*, *& honeſtatem illius non abſcondo*: ſic profectò vt primarium inſtitutum ſit, dicere quid ſentiam: ſecundarium autem, & neceſſitate magis, quam diſputandi libidine ſuſceptum, aduerſariorum opiniones pacis perturbatrices conuellere.

Atque hic futurus eſt totius quæſtionis ductus & ſeries; vt ipſam Hierarchiæ quæramus eſſentiam: illam deinde in cœlo, tanquam exemplari ſuſpiciamus; qua intimè perſpecta, Eccleſiaſticam, quantum fas erit, ad eam accommodabimus, tribus inter homines, non minus quam inter Angelos repertis Hierarchijs; quæ cum fuerint explicatæ ſingularibus libris ſingulæ: quia propter Regulares hæc potiſſimum inſtituitur controuerſia, ijque aduerſariorum auctoritate & contumelijs miſerandum in modum atteruntur, de Religioſorum ad eas iure, proprijs etiam libris diſſeremus. *Totius diſputationis recta ſeries.*

Et quoniam aperta & ſimplex pronunciatorum poſitio, quæ ſæpe incurrere, ſæpe probari debent, non parum lucis diſputationi conciliat; præcipua vtriuſque partis fundamenta ſic accipe.

Contendunt Aduerſarij qui *Hierarchiæ vim & proprietatem* non intimè nouerunt, ipſo Hierarchiæ nomine, Principatum & Actionem Principis in ſubditos contineri, Paſſionem vero & ſubiectionem neutiquam. Actionem illam Purgare, Illuminare, Perficere alios, præterea nihil. Id fieri, cum per Poteſtatem in Corpus Chriſti Reale, quæ eſt Ordinis; tum per Poteſtatem in Corpus eius Morale, quæ eſt Iuriſdictionis. Ex illa duplici, ſed hac maximè, perfectam conflari Hierarchiam: in qua cum manifeſtè reperiantur tantùm qui ſubditos habent, qui agunt in illos, qui Hierarchicè Purgant, Illuminant, Perficiunt: ijque actus, & ex Poteſtates Regularibus quà Regulares ſunt, minimè gentium conueniant; nemini obſcurum eſt nullum ipſis in Hierarchia locum eſſe poſſe. *Aduerſariorum doctrina perſpicua breuitate proponitur.*

Ego vero tam hebes & tardus vt nunquam capere potuerim ſolos Reges, eſſe de Regno; ſolos Monarchas eſſe de Monarchia; diuerſam penitus viam ineo, & directa fronte fundamenta iſta conuello, & ſic diſputo. Non Actionis tantùm & Principatus, ſed etiam Paſſionis & ſubiectionis habendam eſſe in Hierarchia rationem. Ac licet concedatur de Hierarchia niſi qui agat, eſſe neminem; illam tamen actionem non eſſe neceſſariò debere Principis in Subditum, aut maioris in inferiorem, aut omninò agentis in alium. Et quoniam Eccleſiæ militantis Hierarchia ad triumphantis imaginem formata eſt: eſſe in illa neceſſariò diſtinguendas tres Hierarchias partiales, ex quibus totalis vna, eaque perfecta, ita componatur, vt ex ijs tamen aliquam occupare poſſint, qui ab alijs excludantur. Illos autem non eſſe Regulares, quos in ſingulis ſuo modo ipſa ratio euidenter collocat. *Cui oppoſita ex aduerſo diſputationis noſtra fundamenta.*

Opus hic mihi eſt te attento, lector, & theologicæ ſubtilitatis, quam rhetoricarum phalerarum appetentiore: ſi quidem non vno hæc loco ſimul & ſemel conficio, ſed ſparſim prout ſeſe occaſiones offerunt, ijs rationibus & argumentis, quibus niſi quid aliud præter conuicia teponent aduerſarij, ſaluere iam nunc illos iubeo, & res ſibi ſuas habere. Neque tu vero, neque illi de vno loco, vno argumentationis genere, vna ſcriptoris cuiuſpiam auctoritate iudicabitis, aut ad propoſitionem vnam tanquam nouam exclamabitis: nam quod hic nudè ponitur, alibi validè comprobatur; quod hic *In hac materia quam cautè verſari debeat lector.*

leuiore ratiuncula exornatur, iterumque omni fide conteſtatum ſtabilitur. Vniuerſum igitur opus ea mentis contentione quæ Theologum decet, ante voluendum eſt, quam de vna eius parte certum feras iudicium. Fuſiorem me quam par eſſet, alicubi fortaſſe iudicabis: ſed illud cogita, non vni tibi perito loqui; at ſemidoctis, quæ pars maxima eſt, quibus impoſuerunt aduerſariorum nonnulli; & artes retegere, quæ ſub paucis nonnunquam verbis deliteſcunt: & citationum telas retexere, quæ apud illos marginem, apud me textum faciunt. Denique ſi quid fortaſſe occurrerit quod nouè ediſcas, longum non erit: ſi iam aliunde tenes quæ hic legentur, librum pone, & victoriam adiudica.

---

## *HIERARCHIÆ TABVLA ET EXPRESSIOR huius operis ichnographia.*

### CAPVT I.

SERVARVNT ólim ſacra Eleuſinia in receſſu quod initiatis traderent, quo Teletas & Epoptas auguſtiores redderent: ego me in ipſo propylæo totum penituſque offero, earum tantum rerum quas hic explicatè leges, probationibus ad libri adyta remiſſis. Qui veritatis auctoramento militant, lucem & ſolem expetunt: mendacij præiudicium eſt, ambitus tenebrarum. Specta, lector, tanquam in marmorea tabula expoſitas opes, quas tibi æſtimandas proponimus.

Hierarchia prout ampliſſimo ſinu intelligentes naturas complectitur, triplex eſt, Diuina, Angelica, Humana.

Diuina Hierarchiarum ſuprema, fons & idea creatarum, SS. Trinitas.

Angelica quoque triplex; quarum in ſingulis tres ſunt ordines, in ordinibus tres gradus.

Humana triplex Naturalis, Moſaïca, Euangelica, ſeu Eccleſiaſtica. Prioribus antiquatis, ſupereſt modò vna

*Hierarchiæ vniuerſalis diuiſio.*

Eccleſiaſtica, eaque triplex, Angelicis reſpondens, nimirum Hierarchia Chariſmatum, Ordinis, & Iuriſdictionis, in ſingulis tres ordines, in ordinibus tres gradus.

Atque hæc omnia admirabili, & planè diuina catena colligata ſibi perfectè reſpondent, hoc modo.

Hierarcharum

Hierarcharũ Princeps & caput

VNVS DEVS.

Hierarchiarũ ſuprema, & origo

SS. TRINITAS LIB. I.

PATER. FILIVS. SPIRITVS S.

Supremus in creatis Hierarcha

IESVS CHRISTVS.

Præcipuum Hierarchæ inſtrum.

VIRGO MARIA.

Angelicæ Hierarchiæ Trinitati ſubiectæ

| | | | |
|---|---|---|---|
| THRONI. | CHERVBIM. | SERAPHIM. | |
| POTESTATES. | DOMINATIONES. | VIRTVTES. | LIB. II. |
| PRINCIPATVS. | ARCHANGELI. | ANGELI. | |

Eccleſiaſticæ Hierarchiæ Angelicis ſubiectæ, & per eas ſanctiſsimæ Trinitati LIB. III.

| | | |
|---|---|---|
| IVRISDICTIONIS. | ORDINIS. | CHARISMATVM. |

Supremus omnium & ſingularum Hierarcha

EPISCOPVS

Hierarchia Chariſmatum, quæ ſuprema LI. VIII.

| | | |
|---|---|---|
| CANONISTÆ. | DOCT. THEOL. | CARIT. PROFESSOR. |

Hierarchia Ordinis, quæ media LIB. VI.

| | | |
|---|---|---|
| MINISTRI. | EPISCOPI. | PRESBYTERI |

Hierarchia Iuriſdictionis, quæ infima LIB. IV.

| | | |
|---|---|---|
| PAPA, & EPISCOPI. | ARCHIDIAC. &c. | PAROCHI. |

Religioſi ad eas pertinent LIB. V. VII. IX.

| | | |
|---|---|---|
| EX COMMISSIONE. | DIRECTE. | EXCELLENTER. |

*INGRESSVS IN HIERARCHIÆ NATVRAM per Notationem, ſeu nominis definitionem, quis Hierarcha ſit, quid eſſe de, & in Hierarchia, quid actio Hierarchica.*

## CAPVT II.

*Periculoſum eſt in ſola nominis definitione cōſiſtere.* NVLLA vox in hiſce turbis glorioſius effertur quam Hierarchia; nulla res minùs in tanta animorum contentione intelligitur quam Hierarchia. Sic vmbram plerique captamus, & *per totam noctem laborantes, nihil capimus.* Eam vocem vt euoluamus, meminiſſe nos oportet duplicem eſſe definitionem; alteram nominis, alteram rei & ſubſtantiæ ipſius, quæ propriè dicta definitio, cuiuſque rei opertæ & inuolutæ naturam proponit & explicat. Atque eos quidem deridet Plato, qui (Plato in Theætet.) de quopiam interrogati, grammaticorum more, in exponendo nomine conſiſterent, neque ad definitionem progreſſi; quid illud cum alijs commune, quid ſibi proprium, & ab cæteris diſtinctum haberet, edicerent. Id vero hac in controuerſia fieri ſole clarius videbit, qui æqua lance penderet omnia: illumque eſſe lapidem offenſionis, & petram ſcandali, cui vulgus ignorantia præceps, malitia duce impingit: Eruditiores autem vſum loquendi populo concedunt, vt olim Romanus orator (qua mente, ipſi viderint) ſcientiam ſibi reſeruant.

*Etymon Hierarchiæ.* Hierarchia conflatum nomen eſt ἀπὸ τῆς ἱερᾶς, καὶ ἀρχῆς: atque poſtremæ huius vocis notio nobilis duplex eſt, initium, ſeu principium: & principatus; vt Hierarchia tam ſacrum principium, quam ſacrum principatum nomine ipſo præferat. Quis etiam vetet, (quod eodem redit) exiſtimare, non tam ἱερᾶς, quam τὴν ἱερῶν ἀρχὴν eſſe Hierarchiam, ſacrorum principium, aut principatum; aut quod Henricus Stephanus mauult, in rebus ſacris imperium? quod vocis ipſius naturam animo meo diſtinctius proponit. Cur enim ſacer principatus eſt, niſi quia ſacrorum ab eo principium, & in eo principatus eſt? Et principatus quidem omnis principium habet: in omni autem principio non ineſt principatus: quod in aliqua Hierarchiæ ſpecie facile agnoſcemus.

*Hierarcha quis dicendus.* Illum principatum qui gerit Ἱεράρχης eſt: quam vocem procudere maluit S. Dionyſius, quam recepta & communi τῷ Ἱεροφάντου appellatione vti; ſeu quod ea magis ad Ἱεραρχίας ſignificationē accederet: ſeu quod nefas duceret in ſanctiſſima Chriſtianorum Theologia ſacra nomina à profanis mutuari. Eſt autem Hierarcha Princeps Hierarchiæ, qui ſacris cum auctoritate & poteſtate præeſt; quod nomen non alteri, quam Pontifici & Epiſcopo ab eodem S. Dionyſio attribui, notius eſt quam vt probem. Regem ſacrorum dicebant Romani, appellationem in ſacris venerantes, quam à Rep. exterminauerant. Reliqui ſunt S. Dionyſio Ἱερεῖς Sacerdotes, quaſi ſacra dantes, vt explicant (Iſidor. l.17. orig. c.12.) Grammatici: vel à ſacrificando, conſecrando, ſanctificando. Et Λειτουργοὶ Miniſtri, qui ſacra facientibus obſequuntur.

*Solus Epiſcopus eo dignus nomine.* Quamobrem à S. Dionyſij mente diſcedunt, qui Sacerdotes omnes, & Diaconos ſub Epiſcopali gradu conſtitutos, Hierarchas vocant: cum nemo ſeu ordinaria, ſeu extraordinaria poteſtate hierarchizans, præter Principem

& Epiſcopum in illud nomen poſſit inuadere. Quod Bellarmini pace dictum velim, qui re non expenſa, Hierarcharum nomen ipſis etiam Diaconis aſſignat. Atque haud ſcio an quis alius doctrinæ laude præſtans, præter Gerſonem, eam vocem Parœcis attribuerit. Certè quod ex eo Fileſacus affert, Curatos eſſe veros ac legitimos Hierarchas, non dicit loco ab eo citato, idque verecundè tantú ex eo accipit, & excuſatione ſubdita, non iam Hierarcharum, ſed Prælatorú nomine cēſendos eſſe, cum pluribus exiſtimat. Grauiori tamen in errore perpetuus eſt Franciſcus Hallier, vel vbi eo tantùm nomine plebem & laïcos excludit ab Hierarchia, *Quia nulli ex plebe Hierarchæ dici poſſunt, nulli principes*: vel vbi Presbyteros & Diaconos, qui vel ipſo nomine miniſterium & obſequium præferunt, vocat *Eccleſiæ duces, & Eccleſiaſticæ Hierarchiæ Principes, populique Chriſtiani Patres*. Quos honorum titulos ſi miniſtris traditos volumus, equidem non video quid Epiſcopis peculiare reſeruemus. Quis autem Presbyteros, *Principes*, quis Diaconos, *Patres*, in Concilijs & Patribus legit appellatos?

Fileſac. li. de Parœciarum orig. c. 4.

*Hierarchæ nomen non ſatis anguſtè applicat* Hallier in vindic. p. 372.

Lib. de Sacr. ordin. p. 573.

Quid autem ſit eſſe de Hierarchia, etſi toto hoc opere quærimus, hic tamen non incommodè voces aliquæ diſcerni poſſunt, ne ad æquiuocum offendamus. Eſſe in Hierarchia, & de Hierarchia, pro eodem habet Petrus Aurelius, & eos tantum illis vocabulis complectitur, qui *Eccleſiæ præſunt, & quibus pars aliqua miniſterij, ſeu præfecturæ Eccleſiaſticæ committitur*: *Sub Hierarchia* autem eſſe, toto cœlo diſtinguit, videlicet regi & imperari ab Hierarchia, *ſicut omnes regni ſubditi, ſub Monarchia quidem ſunt, ſed non ſunt in ipſa Monarchia, ſeu Monarchiæ ipſius conſortes*. At ego eodem vtor exemplo, vt negem tria hæc vocabula differre, & Grammatici ſubtilitatem repudiem. Nam quicunque in regno vel ciuitate degunt, ſubditi legibus, vincti domicilijs, iurium participes, vnam ex diuerſis conditionibus conficiunt Remp. *in* ea ſunt omnes, *de* ea, & *ſub* ea: ſoli hoſpites & aduenæ peregrinantur; quales Chriſtianos vocari vetat Apoſtolus. Statim ergo vbi per regenerationis Sacramentum, & adoptionem filiorum Dei admittimur in Eccleſiam, *in* ea ſumus, & *de* ea vt qui optimo iure, & *ſub* ea: neque vllum Chriſtiano dignum nomine adminiſtrum puto, eſſe ſe ſub Eccleſia, in Eccleſia non eſſe. Male igitur Grammaticus illud adhibet exemplum, vt probet, eſſe tantum in Hierarchia, illos qui *Hierarchiæ*, id eſt Principatus, *ſunt conſortes*. Quid eſt ergo eſſe *De, & in Hierarchia?* Eſt Eccleſiæ publica & Hierarchica conſecratione conſtitutum eſſe ad actus ſacros exercendos aut recipiendos; qui quidem actus cum non omnes coniuncti ſint cum imperio, peruersè dicitur, eſſe *de*, & *in* Hierarchia, ſolos illos qui *Partem aliquam præfecturæ Eccleſiaſticæ habeant*. Quod ne nouum Aurelio videatur, interim dum plura audiat, diſcet à Guillelmo Pariſienſi dictum, primos Angelorum ordines ab Dionyſio ſacros Principatus, ſeu Hierarchias appellari, *Non tam propter poteſtatiua officia quæ habent in ſubditos; ſed quia inter ſubſtantias creatas principatum nobilitatis obtinent*. Qua vna voce de principatu illo ſuo deijciuntur Aurelius, & contubernales. Quid vero eſt *eſſe ſub Hierarchia?* Eſt ab Hierarcha mediate, aut nullo interpoſito actus Hierarchicos recipere: quod omnibus conuenit Eccleſiæ ordinibus, ſi Hierarcham excipis: qui tamen & ipſe niſi alicunde illos recepetit, Hierarcha non eſt. Hoc igitur poſtremum præciſe ſpectatum, Paſſionem ſolam; illud prius, & Paſſionem ſimul & Actionem comprehendit. Sed hæc alias.

*Quid ſit eſſe De, in, ſub Hierarchia.*

Petr. Aur. in vindic. p. 358.

*Refellitur Aurelius.*

Guillelm. Pariſ. 2. P. de vniuerſo p. 2. c. 136.

*Actio Hierarchica.*

Illa vero actio Hierarchica quid tandem rei eſt? Si in principio ſuo ſpectatur, ea eſt quæ ab Hierarcha vt ſic vel fit, vel imperatur; per quam ad finem Hierachiæ cum ſubordinatione, ſub Principe ſacrorum peruenitur. Nam cum *quæcunque ſunt à Deo, ordinata ſint*, & Hierarchica poteſtas ſit publica, in commune Eccleſiæ bonum conſtituta; quidquid vel ab ipſo Hierarcha, vel ab alijs quibuslibet auctoritate inde deriuata, & velut publico iure officij conficitur, Hierarchicum voco: cætera, priuatas actiones: quod & in adminiſtratione politica quotidie diſtinguendum videmus. Itaque hoc ſenſu Baptiſmus ab obſtetrice collatus, Hierarchicus non eſt, ſed qui à Parocho: recitatæ preces diurnæ à laïco coniugato Hierarchicæ non ſunt; ſed quæ à Sacerdote: erogatus in egentes numus priuata pietate, Hierarchica res non eſt; ſed qui tempore Iobelæi, quia genus illud operis ab Hierarcha præſcriptum eſt. Actio igitur Hierarchica, & Hierarchizandi vis primariò & præcipue de Epiſcopo dicitur; de inferioribus autem per participationem tantum, & minus perfectè, vt in analogis vſu venire ſolet.

*Hierarchicorum ordinum appellationem malè reſtringit Hallier de Sacr. ord. p. 575.*

Et vt hic obiter iterum Doctorem Hallier ſalutemus, quærimus ex eo, quo ſenſu probo & recepto Preſbyteratum & Diaconatum, *ordines Hierarchicos* vocet, & ita vocandos ſolos innuat? an quia cõferuntur ab Hierarchis? conferuntur & cæteri. Quia ſoli ab illis? hoc apud ipſum in quæſtione eſt, & nugas agat ſi ſic argumentetur: Conferendi Preſbyteratus & Diaconatus miniſter præter Hierarcham nemo eſt, quia ſunt illi ordines Hierarchici, id eſt, ab ſolo Hierarcha conferendi: quod & magis ridiculum fuerit, repetenti memoria Doctori iſti, Diaconos etiam ipſos inter Hierarchas numerari. Hierarchicos igitur oportet eſſe, quia Hierarchica miniſteria ex officio operentur: operantur & alij, quod videbimus ſuo loco. Quam igitur Hierarchiæ cognitionem ab eo Doctore haurias, qui fœdè labatur in terminis? qualem in explicanda Hierarchia viam ab eo ſperes homine, qui ſit canterius in porta? Neque obijcias vti hac loquendi forma Petrum Arcudium, & alios nonnullos: nam ij rem Hierarchicam neque explicant, neque diligenter inueſtigant: quod tamen in Vindicijs facere ſe Franciſcus Hallier profitetur.

---

## HIERARCHIÆ CREATÆ IN COMMVNI *definitio ex S. Dionyſio profertur.*

## CAPVT III.

*Hierarchia latiſſime ſumpta non definitur à Dionyſio.*

FRVSTRA ſunt qui in S. Dionyſio quærunt eam Hierarchiæ definitionem, quæ omnibus eius ſpeciebus aptè conueniat: cum certo certiùs ſit eum creatas tantummodo deſcribere, qui nihilominus ſuperiorem alteram, & diuinam agnoſcat, vt paulo poſt erit demonſtrandum. Eius verò omiſſionis manifeſta eſt cauſa, quod cum diuerſa ſit analogorum ratio in ſubſtantia: ineſt in illius participatione tantum diſcrimen, vt eorum vna notio & intelligentia vix, ac ne vix quidem poſſit exprimi. Eſſe autem analogam Hierarchiæ rationem, & pro cuiuſque captu à ſingulis participari, nulla fere pagina omittit monere Dictator. Itaque ſi

*Hierarchia ratio analoga.*

Hierarchicas illuſtrationes ſecundum analogiam participant inferiores ordines

dines: atque adeo perfectius in Angelis,quam in hominibus; & in vtriuſque naturæ nonnullis indiuiduis, quam in alijs,Deus Hierarchiæ omnis principium operatur: colligi omnino debet non eodem modo, ſed ſecundum analogiam,Hierarchiæ rationem à diuerſis naturis,atque indiuiduis participari. Quare cum diuinum Doctorem nulla cogeret neceſſitas ad inueſtigandam eſſentiam vnam atque communem, in tot ramque diuerſas naturas,Diuinam, Angelicam, Humanam; in tam varios duarum harumce ordines, alijs atque alijs modis diſtractam, & diuiſam: in creata ſubſiſtere, & eius deſcriptionem, quam ad vnguem exactam definitionem tradere ſatius eſſe iudicauit: Ex qua deinde non difficili negotio, leuiter immutatis quibuſdam atque additis, creatarum ſingulæ ſibi propriam conuenientemque deſumant. Hæc eſt aperta Hugonis in eum locum explicatio,agere illum de Hierarchia *non vniuerſaliter ſumpta, ſed ſecundum eam tantum quæ in Angelis & hominibus conſtat, Hierarchiam, ſignificatione reſtricta.* Quam quidem analogiam ſi ex ſuo Dionyſio colligere potuiſſet acumen Aurelij: aut ſi ex Philoſophis dignatus eſſet diſcere, quantum laboris inſit in rebus analogicis præciſè & perfectè definiendis: neque nobis opinor, *æquiuocationem, & fœdam confuſionem* hac in parte obijceret: neque nos vt *inanis Philoſophiæ* ſtudioſos, cauillis & cachinnis proſequeretur: ſed vel hinc agnoſcere inciperet ſine noſtro Ariſtotele, Dionyſium illi ſuum meram eſſe caliginem: ſi tamen eius pectoris anguſtiæ quicquam aliud præter latinas calumnias capere poſſunt.

*Creatam ſolum Hierarchiam definit Dionyſius.*

Hugo Victorinus li. 4. in c. 3. Hier. cœl.

Eſt ergo concepta à S. Dionyſio Hierarchiæ definitio eiuſcemodi. *Hierarchia, vt quidem exiſtimo, eſt ordo ſacer, & ſcientia, & actio, diuinitatis ſimilitudinem quantum poteſt effingens, & ad illuſtrationes diuinitùs ipſi inditas pro rata & proportionaliter in Dei ſimilitudinem aſcendens.* Cuius definitionis germana ſoror eſt, verbiſque ſolis differt, quæ eodem capite affertur, quaque contentus eſt Aurelius nudè propoſita, ſine vlla expoſitione: quia fortaſſe tam habet familiarem ſuum Dionyſium, vt eruditos eius oculos nihil ſubterfugiat; quam cognitionem, vt ad Hierarcharum officium propius accederet, nobis extra ſacra ſepta conſtitutis ἐκδότως communicare debebat. Ego igitur vt potero ex meis auctoribus eam ſic ediſſeram.

Hierarchiæ definitio ex Dionyſ. c. 3. cœl. Hier.

Ἔστι μὲν ἱεραρχία, κατ' ἐμὲ, τάξις ἱερὰ καὶ ἐπιστήμη καὶ ἐνέργεια, πρὸς τὸ θεοειδὲς ὡς ἐφικτὸν ἀφομοιουμένη, καὶ πρὸς τὰς ἐνδιδομένας αὐτῇ θεόθεν ἐλλάμψεις ἀναλόγως ἐπὶ τὸ θεομίμητον ἀναγομένη.

---

## *GENVS IN HIERARCHIÆ DEFINITIONE poſitum explicatur.*

## CAPVT IIII.

GENVS, differentiam,& finem Hierarchiæ, definitio Dionyſiaca complectitur: adeoque ſuis numeris abſoluta eſt. Ordo eſt pro genere. Eſt autem ordo in creatis, qualem hic ex auctoris mente conſideramus, multitudo rerum diuerſarum,diſpoſita ſecundum gradus ſub vno principio. Sic & S. Auguſtinus ordinem deſcribit, *Parium, diſpariumque rerum diſpoſitionem.* Vt videas in ordine & multa ineſſe, & ea quodammodo diſſimilia. Neque verò in rerum quantarum multitudine, quæ ſint inter ſe perfectè ſimiles, ſi proprie loqui volumus, numerus, ſiue ordo ponitur, niſi eius qui numerat intelligentia, effingat in eis aliquam diuerſi-

*Genus Hierarchiæ ordo, quid.*

Auguſt. li. 19. de ciui. Dei c. 13.

tatis ſpeciem; aliam nimirum vnitatem, vt principium conſtituendo, aliam autem vt terminum, vt ex Ariſtotelica metaphyſica non difficile percipitur.

Ariſt. l. 13. metaph. c. 10.

*In ordine diſpoſitio eſt.* D. Thom. 1 p. q. 108. a. 2. ad 1.

Sequitur earum rerum *diſpoſitio.* Quis enim confuſam multitudinem ordinem dixerit? Et quidē D. Thomæ viſum eſt Ordinem poſſe duobus modis ſumi. Vno pro ipſa *Ordinatione comprehendente ſub ſe diuerſos gradus; quomodo Hierarchia dicitur ordo:* alio pro ſingulis gradibus; & *ſic vnius Hierarchiæ plures eſſe dicuntur ordines.* Nos apertioris diſtinctionis gratia, Hierarchiæ, ordinis, & gradus nomina, vbi opus fuerit, ſic retinebimus, vt Hierarchiam in pulcherrima diſpoſitione relinquamus.

Gradus igitur illi ſic eſſe diſpoſiti debent; vt, quod ait S. Auguſtinus, *ſua cuique loca tribuantur:* Quod fieri non poteſt, niſi ſint alij priores, alij poſteriores. Quid eſt enim gradus aliud, quam collatio & comparatio rei cum altera aut ſuperiore, aut inferiore? Atqui prius & poſterius ſimpliciter, habent ſe vt ſuperius & inferius: oportet igitur vt prius & poſterius ſimpliciter inuoluat diſpoſitionem ſecundum gradus.

*Principium cauſa graduum.* D. Thom. 2. 2. q. 26. a. 1.

Quorum graduum cauſa eſt Principium. Ordo enim, inquit D. Thomas, *includit in ſe aliquem modum prioris & poſterioris: vnde oportet quod vbicunque eſt aliquod principium, ſit etiam aliquis ordo.* Nam quomodo res alias alijs priores concipis, niſi quia primæ rei, ſeu habenti rationem principij ſunt viciniores, à qua cæteræ, quæ poſteriores dicuntur, magis ac magis recedunt?

*Principium vnum eſt.* D. Thom. 1. p. q. 11. a. 3.

Denique principium illud ſeu in Initij, ſeu in finis vltimi ratione conſideratur, neceſſariò vnum eſſe debet. Nam vt optimè philoſophatur idem Doctor Angelicus, *quæ diuerſa ſunt, in vnum Ordinem non conuenirent, niſi ab vno aliquo ordinarentur. Melius enim multa reducuntur in vnum Ordinem, per vnum, quam per multos: quia per ſe vnius vnum eſt cauſa; & multa non ſunt cauſa vnius, niſi per accidens: in quantùm ſcilicet ſunt aliquomodo vnum.* Hinc fit vt omnia ad vnum reducantur, & quod ait S. Dionyſius, *non ſit multitudo nōn participans vno:* Quæ enim multa ſunt partibus, ſunt vnum toto: quæ multa accidentibus, vnum ſubiecto: quæ multa numero, vnum ſpecie: quæ multa ſpeciebus, vnum genere: quæ multa proceſſibus, vnum principio. Quæ illuſtri breuitate complexus Illuſtriſſimus Bellicenſis, Hierarchiam ſcribit eſſe ſacrum principatum, id eſt, multitudinem ſub vno ſacrorum principe bene ordinatam. Sed de hac multitudine nobis erit etiam inferius dicendum: quam fautores Aurelij ſi nolunt diſtinguere, Ariſtotelica ſententia ferientur, *qui ad pauca attendunt, de facili enunciant.*

Dionyſ. l. de diuin. Nom. c. vlt.

---

## *QVÆ SIT HIERARCHIÆ DIFFERENTIA in definitione S. Dionyſij exponitur.*

## CAPVT V.

*Vox Sacer, prima pars differentiæ.*

PLVRIBVS differentia particulis, quam genus exprimitur: quia in vna ratione communi cum multis conuenit, in pluribus differt à cæteris. Itaque prima differentiæ vox eſt *Sacer*, qua diſtat à profano, vt œconomico ordine qui ad familiæ bonum, vt politico qui ad ſalutem Reipub. ordinatur: cum è diuerſo Hierarchia ad gloriam cultumque

cultumque Dei promouendum inſtituta ſit. Equidem ſcio in vetere interpretatione vice τοῦ *Sacer*, legi τὸ *Diuinus*, vt Hierarchia ſit, & dicatur *ordo diuinus*, id eſt cœtus diuinitus ordinatus: aut ſecundum Hugonem, *Poteſtas à Deo ordinata, & ſecundum Deum diſpoſita.* Sed hæc explicatio, pro differentia genus iterum reponit. Siquidem profanis etiam ordinibus competit, vt à Deo procedant: *Non eſt* enim *poteſtas niſi à Deo: quæ autem ſunt à Deo, ordinatæ ſunt.* Quamobrem præſtat hic inchoata differentia reddere *Sacer*, expreſſius ad S.Dionyſij mentem, eo ſenſu qui omnibus ſatis obuius eſt. Quæſiuit tamen in vocis huius recondita ſignificatione Guillelmus Pariſienſis plus fortaſſe aliquid, quam Theologorum vulgus peruiderit. Hæc eſt enim eius opinio, ſubſtantias Angelicas (ad quas Dionyſiacam definitionem reſtringit) ſacros vocari principatus *propter elongationem, & inacceſſibilitatem ad omnem execrationem.* Quaſi dicat, omnis quidem ordo habet aliquod munus & officium, ſacer autem ordo quilibet habet pro ſuo officio creaturam Dei capacem ab omni ſorde, boniſque creatis (quorum amóre velut glutino adhæreſcens ſordes ab ijs contrahit) ita dimouere ac liberare, vt eam aptam efficiat excipiendis Dei illuſtrationibus & donis, quibus fiat Deo ſimilis, & coniuncta per cognitionem & amorem. Eodem reſpicit cum alibi ait, Hierarchias illas eſſe *congregationes ſanctæ conuerſationis*, quia nimirum in Hierarchia quæritur, & efficitur ſancta illa & Deo ſimilis conuerſatio, ſeu ab ijs qui operantur, ſeu à ſubditis qui actus Hierarchicos recipiunt.

Vocis Sacri alia acceptio ex Guil. Pariſ. 2. p. de vniu. p. 2. c. 112.

Ibid. c. 141.

*Scientia & Actio in Hierarchiæ definitione quid?*

Eandem Hierarchiæ differentiam alia duo vocabula conſtituunt, *Scientia, & Actio*, abſtruſioris quam præcedentia difficultatis. Guillelmus noſter, vt totus eſt in Angelicam Hierarchiam intentus, & commentatione perquam ſolerti præditus, Hierarchiam definiri ait, Ordinem complectentem ſubſtantiam omnem Angelicam, *Quia*, inquit, *eſt ſua ſcientia*, id eſt vt loquitur, *intellectiuitas.* Quia ſecundum aliquos *ſua eſſentia eſt vnicuique earum ſuus intellectus.* Similiter eſt *ſua Actio*: illa videlicet *quam agit apud ſemetipſam, vel in ſemetipsâ.* Verum in hac explicatione non ita perſiſtit, vt ad aliam altero ab hinc capite non progrediatur: vbi vult ſic intelligi definitionem, vt Hierarchia ſit ſocietas ordinata tam ſcientiâ quam officio, ſeu *ſcientialiter & officialiter*: quia in ea ordinatæ ſint ſcientiæ & officia, ita vt nullus Angelus deputetur alicui officio, quod probè exequi aut neſciat aut nolit. Dabit hic, & in iſta omni diſputatione nobis veniam Aurelius Grammaticus, ſi eius latinitatem Theologica nonnunquam barbarie lædimus. Maluit enim ſemper diuina ſapientia *reprehendi à Grammaticis, quam non intelligi à populis*: & omnino periculoſum ab omni æuo eſſe putauit, nomen religionis & fidei Grammaticæ remis impellere: quod recens crebris, vt videbimus naufragijs, confirmauit Aurelius.

Guil. Pariſ. ibid. c. 141.

Ibid. c. 143.

Clarior explicatio ex Hugone Vict. l. 4. in cœl. Hier.

Clarius neſcio quid, & ad S.Dionyſij mentem commodius Hugo ſubminiſtrat, quam Guillelmus. *Poſt ordinem ſequitur ſcientia, qua quid faciendum ſit intelligant: & actio qua quod intellexerint agendum, perficiant. In ordine, officium: in ſcientia, diſcretio: in actione miniſterium.* Quidni etiam aliter explicando per Ordinem, Scientiam, & Actionem intelligamus tres ſingularum Hierarchiarum gradus? Quorum primus dicitur Ordo ordinans, ſeu principium & Perfectio: ſecundus Scientia ſeu Illuminatio: tertius Actio ſeu executio & Purgatio. Quis enim neſcit eſſe in omni ordine totali tres gradus: Primum,

perficientem in eo genere in quo eſt ordo: Secundum, deferentem actionem primi ad tertium: denique illum ipſum Tertium, recipientem, & non reſiſtentem, ſed potius cooperantem duobus prioribus? Eſt autem Hierarchia ordo ſubſtantiarum intelligentium, quarum operationes ſunt ordinare, ſeu conſtituere finem, diſponere media, & exequi. Primus dicitur Ordo, nomine generico; Secundus, Scientia; Tertius, actio. Quapropter Hierarchia eſt ordo ſacer continens Perfectionem, Illuminationem, Purgationem: quibus probè diſtinguitur à quibuſuis alijs ordinibus.

*Colligitur aperta definitio Hierarchiæ.*

---

## HIERARCHIÆ FINIS EX EADEM DEFInitione monſtratur.

## CAPVT VI.

*Hierarchiæ & omnium eius partium idem finis.* Ariſt. l. 7. de Rep. c. 13.

QVI finem Hierarchiæ indagat, eundem omnibus eius partibus quærit; ſi quidem totius & partium finis vltimus, vnus eſt: hoc tantum diſcrimine, quod illud immediatè ad ipſum, hæ per fines ſuos peculiares eodem tendant. Certe apud Ariſtotelem, in benè conſtituta ciuitate, prius origine eſt ſingulos ciuium eſſe bonos, quam ciues omnes eſſe viros bonos: neque vlla ineſt toti perfectio, niſi ex partium ſingularum abſolutione. Sit igitur totius Hierarchiæ & eius membrorum finis, intelligente creatura digniſſimus, Dei quam perfectiſſima ſimilitudo primum, deinde imitatio: ſiue vt loquitur Hugo, *ſimilitudo imitationis Dei*, vt Hierarchia tota, & ſingulæ ipſius partes, quantum creaturæ fas eſt, Dei formam in ſe, ſeu ſimilitudinem expreſſam habeant: *vt Hierarchia ſecundum ipſum ad ipſum incedat*, inquit Hugo, *ipſum habens omnis ſanctæ & ſcientiæ & actionis ducem: ipſum ſequens iudicio & actione, illuminata ab ipſo ad cognitionem veritatis, & adiuta ad executionem boni operis: ipſum habens ducem intus præſidentem in demonſtratione veritatis, & foris præcedentem in exemplo bonæ actionis*. Breuius id mihi videtur præcepiſſe dilectus diſcipulus *Debet ſicut ille ambulauit, & ipſe ambulare*, videlicet Deum in actuum Hierarchicorum exercitio & vſu imitari; vt quemadmodum illuminat & purgat, ipſe purget & illuminet. Vnde fiet vt *ſecundum ipſum*, & ad eius exemplum faciendo, *ad ipſum* tandem perueniamus, *quando ſimiles ei erimus* in æterna ſanctorum beatitate.

Hugo Vict. l. 4. in c. 13. cœl. Hier.

1. Ioan. 2.

*Poſtrema pars definitionis explicatur.*

Quid vero ad extremum inutili, vt videtur, pleonaſmo ad definitionem additur, *Ad illuſtrationes diuinitus ipſi inditas proportionaliter in Dei ſimilitudinem aſcendens*? Nimirum, quia partes Hierarchiæ omnes illum finem & ſcopum, ſi æqualiter intendere, certe non æqualiter poſſunt attingere, neceſſaria fuit apertior eius diſcriminis explicatio, quæ tribus potiſſimum verbis concipitur. Primum eſt, virtus Dei, quæ *Illuſtrationes indit*, ſecundum quam quilibet Hierarchici gradus Deum imitantur. Non enim creatæ illæ ſubſtantiæ quantumlibet perfectæ, & in omni virtutis genere excellentes, ex ſe ſuiſque viribus, ſed ex gratuito Dei dono, & gratia mera talem Dei ſimilitudinem affectant. Sed quoniam in illo vitæ Chriſtianæ oceano remis quidem contendimus, & diuinæ gratiæ collaboramus, ſed tota vis eſt à Spiritus Sancti fauonio, qui vela omnia non impellit æqualiter: idcirco ſecundum apponitur,

tur, vt id *proportionaliter & pro rata* fieri dicatur: nam omnes Deum imitantur *iuxta menſuram donationis Chriſti.* Tertio denique virtus illa creaturam ſupra ſe attollit, & Hierarchiam motu quodam indito facit ad illam *Dei* ſimilitudinem *aſcendere.*

Vnde poſtea concludit S. Dionyſius, ſcopum Hierarchiæ, eſſe cum Deo ſimilitudinem & vnitatem quantum fieri poteſt. Similitudo autem & vnitas vel idem ſignificant; cum ſimilia ſint ea quorum qualitas eſt vna: vel, ſi quid diuerſum ſonant, vnitas certe quandam addit firmitatem ac conſtantiam, quam deſcripſit Guillelmus Pariſ. his verbis. *Ut ſit vnicuique* (Hierarchiæ) *inclinatio fortiſſima in ſublime diuinæ ſimilitudinis quantum poſſibile eſt, & adhærentia inabrumpibilis ab eadem* (ô bonam, Aurelj latinitatem!) *& ſtabilitas inconcuſſibilis in illa, ac vera quies, & pacatiſſima in illa, tanquam in loco naturæ ſuæ conuenientiſſimo, & in patria: extra quam eſſet ei damnationis exilium, & captiuitas, & carcer, & locus tormentorum.* Quæ verba pluſquam mellea, pluſquam aurea, noſtros animos mirum in modum inflammare debent, ad appetendum totis viribus *vnum* illud *neceſſarium*: dum hic *ſolicitiſumus & turbamur erga plurima.* Certè illud oſtendere incipiunt, quinam inter homines Hierarchiæ finem proximè attingant.

*Similitudo & vnitas cum Deo.*

Gail. Pariſ. 1. P. de vn. p. 2. c. 144.

Itaque vt in ſcala Iacob Patriarchæ Angeli, ſic in Hierarchia Deus & creaturæ deſcendunt atque aſcendunt. Deus labitur per donorum ſuorum largitionem: creaturæ aſcendunt per eorumdem acceptationem & ſanctam vſurpationem. Et creaturarum quidem aliquas per ſe ſe Deus ſui participes pro modulo facit: alias interpoſitis quibuſdam, tanquam miniſtris: Hi eo quod accipiunt exornantur, perficiunturque, & illud in alios transfundunt; iſti in ſubditos, & ita per gradus deſcendendo diuinæ bonitatis fiunt omnes participes, *nec eſt qui ſe abſcondat à calore eius.* Vnde fit vt homines quibus grandis reſtat via vſque ad montem Dei, acceptæ à Deo gratiæ cooperando, *aſcendant de virtute in virtutem, donec videatur Deus Deorum in Sion.* Id quomodo fiat, explicatius tradendum eſt.

*Hierarchia ſcala & gradus.*

---

## *HIERARCHIÆ OFFICIUM QUO TENDIT ad finem, eius partes, & actus diſtinguntur.*

## CAPVT VII.

CONSTITVTO fine, nemo dubitat quin Hierarchiæ munus ſit & officium ad eum tendere, & vias omnes inueſtigare quibus illum attingat. Sed officium iſtud; & vias illas video à pleriſque non ſatis apertè diſtingui; eamque confuſionem multorum errorum procreatricem eſſe. Illis enim ſufficit pingui minerua dicere, effici in Hierarchia cum Deo ſimilitudinem; actus Hierarchicos eſſe Purgationem, Illuminationem, Perfectionem, qui a ſolis Hierarchiæ Principibus peragantur: alios autem quærere non ſatagunt; cum tamen agnoſcere debeant neceſſariò, qui Religioſos ideo concionibus & pœnitentiæ applicandos negant, quia in Hierarchiam non admittantur, quod eſt fateri

*Diſtinguen-da finis, of-ficium, par-tes, actus.* actus iſtos Hierarchicos eſſe & appellari debere.

Quamobrem vt explicatius iſta tradantur, neque fluctuemus in ambiguo, tria hic diſtingui volo, officium, officij partes, & actus, ſeu actiones quæ partes illas efficiunt, ex quibus deinde officium expletur. Finem igitur Hierarchiæ dico eſſe ſimilitudinem cum Deo efficere; officium ea omnia inueſtigare, & adhibere, quæ finem eiuſcemodi producere ſint idonea: illi autem ſunt actus, quibus ſubiectum vel præparatur, vel promouetur ad recipiendam illam ſimilitudinem; ij nimirum qui Purgationem, Illuminationem, Perfectionem in rationali creatura ingenerant. Quæ ego nomina, partes officij Hierarchici appello, cum propriè loqui volo, actus Hierarchicos dico, cum vſum loquendi populo concedo. Propriè autem actus Hierarchici ſunt, prout hic conſiderantur, ij omnes quibus Purgatio, Illuminatio, Perfectio Hierarchica fit, iuuatur, ſtabilitur. Quos vbi exercet is qui de Hierarchia eſſe dicitur, officij ſui partem aliquam exercere cenſendus eſt, & pro virili finem Hierarchicum aſſequi.

*Exemplo ea diſtinctio monſtratur.* Hanc diſtinctionem, quæ maioris eſt quam prima fronte videatur momenti, comparatione demonſtro. In ſtatu politico Regiæ adminiſtrationis finis eſt, tranquilla & glorioſa ciuium cum virtute felicitas: Regis officium, felicitatem illam modis omnibus procurare: eius officij partes, pacis & belli artes & ſtudia per ſemet, atque per alios rite ſapienterque gerere: actiones, ius dicere, iudices conſtituere, ſeditioſos coërcere, hoſtes ſubmouere, amicos & ſocios parare, & ſimilia opera, quæ ſanè regia ſunt, quoniam à rege, aut regis auctoritate in bonum publicum perpetrantur. Sic in artium liberalium regina finem eſſe dicimus oratori propoſitum, perſuadere dicendo: ipſius autem oratoris officium, appoſitè dicere ad perſuadendum: Eius vero officij partes eſſe quis neget probare, delectare, permouere? actus ſiue actiones, ea quæ facit ad probationem, delectationem, & motum perducentia, vt locorum vſum, figurarum tanquam ſtellularum collocationem, argumentorum poſitionem, periodorum rotundationem, quæ omnia in Rhetoricæ nomen veniunt, loci Rhetorici, argumenta Rhetorica, figuræ, periodi Rhetoricæ: quoniam ijs rhetor ad exequendas officij ſui partes vtitur, & per ea ad finem conſequendum aſpirat.

*Exemplum ad Hierarchiam applicatur.* Redeo ad Hierarchiam. Eodem plane modo Hierarcha pro fine habet Deiformitatem conciliare; pro officio, modos adhibere, quibus conciliari poſſit; pro officij partibus, purgare, illuminare, perficere; pro actionibus, eas quæ ad purgandum, illuminandum, & perficiendum conducunt: quæ & Hierarchicæ non deteriori iure dicuntur, quam illæ ſuperiores Regiæ, aut Rhetoricæ. Sic ille Seraphinus qui Prophetam Iſaiam diuino igne luſtrauit, eam Hierarchici officij partem executus eſt quæ Purgat & præparat; *Iſa. c. 6.* idque actione Hierarchica, ſacro carbone labijs applicato. Is autem Archangelus, aut ſuperioris Hierarchiæ ſpiritus, qui Gabrieli imperauit vt Prophetæ Danieli viſionis obſcuræ velamen reſeraret, in ea officij Hierarchici parte *D.n.c.8.* verſatus eſt quæ Illuminat, idque actione Hierarchica, ſuas videlicet partes pro poteſtate alteri delegando, ipſumque primo Gabrielem, deinde eius opera Danielem noua ſpectaculi intelligentia illuſtrando.

*Hæc diſtinctio ab Dionyſio* Atque eius quam tracto diſtinctionis veſtigium non tenue, in Hierophanta noſtro diſpicere mihi videor, vbi præcipit, nefas eſſe aut initiatoribus,

aut

aut initiatis, quos agentes patienreſque appellamus, *quicquam penitus efficere præter leges proprij ſacri principatus : præter propria grattarum dona*, vt explicat Hugo Victorinus, & ſacros ordines vnicuique proprios aſſignatos. Hoc enim vult Hierarchiæ legiſlator, Diaconum in officium Sacerdotis, Sacerdotem in munia Hierarchæ non iuuadere : atque adeo Diaconum in ſola Purgatione ſubſiſtere, Sacerdotem in Illuminatione, quoniam iſta illorum ſunt officia, & rermini actionibus Hierarchicis ordinum ſingulorum poſiri : ad quos diuerſos, per diuerſas actiones, tum in cœleſti, tum in Eccleſiaſtica Hierarchia deſcriptas, pertingere fuſè demonſtrat. Inde factum vt Angelum illum Iſaiæ Purgatorem, non Seraphinum, ſed infimæ Hierarchiæ Angelum eſſe credat, qui non ſuapte vi & αὐθεντίᾳ, ſed Seraphini auctoritate atque commiſſione Prophetam purget. Eſſe videlicet, *proprietatem igne purgandi* Seraphinis attributam, quam proinde inferior Angelus non vſurparet, niſi tanquam illius legatus, diceretque *ego diuinam expiandi ſcientiam ab eo didici, non ego te, ſed ille per miniſterium meum purgat & expiat*, Ex quibus apparet ad Magiſtri mentem, Hierarchica officia, atque adeo proprias officiorum illorum actiones Hieratchicas, diuina lege certa & ſtabili inter Angelos diſttibutas.

*docta. c. 3. cœl. Hier.*

[illegible]

*Hugo Vict. in illum locum.*

Dionyſ. c. vlt. cœl.

*Seraphinorum proprietas.*

---

## *TRES OFFICII HIERARCHIÆ PARTES eſſe monſtrantur.*

## CAPVT VIII.

EX dictis id habemus inrer cætera, Hierarchiam omnem ad Dei ſimilitudinem operari ſecundum ordinem, & gradum ſuum, & donum gratiæ illuminantis. Illam aurem operationem dirigi & ordinati certum eſt ad volunraris perfectionem : adeo vr non ſit nuda ſpeculatio ſeu conremplario, ſed practica ; ſaltem quatenus voluntatem erga Deum afficit. Non enim diſputo ea-ne cognitio ſpeculatiua vocanda ſit, an practica ? Eius vero dicti firmiſſima eſt ratio, quia Deus ipſe ſe immediatè & intelligit & amat, nos autem dum viatores ſumus, illum qualis in ſe eſt, & immediarè, intelligere non poſſumus, amare poſſumus, amando vtique, quam intelligendo & propiores & ſimiliores. *Vnde melior eſt caritas, qua realiter à ſanctis & electis ſuis in hac vita diligitur*, inquit Pariſienſis Anriſtes, *quam ſapientia qua ab iiſdem, in eadem vita cognoſcitur. Cum caritas eo vſque approximet, ſeque ipſam, & diligentes ipſum abſque medio ei coniungat, & vniat. Prædicta autem ſapientia, quaſi foris ſtans, ad fores ſcilicet creaturarum, ad ipſum nullatenus attingat.* Itaque cum res vnaquæque tunc perfecta ſit, cum principio ſuo vnitur, id eſt, eius ſimilitudinem in ſe exprimit : Hierarchiæ autem perfectio ſit Deum imitari : illa denique imitatio cognitione non fiat, ſed amore : neceſſario concluditur Perfectionem conſiſtere in amore, Illuminationem in cognitione & ſcientia. Verum ad neutrum perueniri poteſt ab eo

*Finis Hierarchiæ, officij partes demonſtrat.*

Guil Pari. 2. P. de vn. p. 2. c. 130.

Hugo l. 4. inc. 7. cœl. Hier.

qui mundus non ſit. *Niſi enim præcederet Purgatio, non ſequeretur Illuminatio: & niſi eſſet Illuminatio, non veniret Conſummatio: quia cognitio veritatis non niſi mundos illuminat, & Perfectio virtutis non niſi illuminatis virtute appropinquat.*

Idem l. 7. ad c. 7 cœl. Hier.

Sunt igitur tres actus Hierarchici, ſeu *triplex gratia, quam Hierarchiæ omnes duobus modis exercent, Accipiendo & Impertiendo. Purgatio ad puritatem, Illuminatio ad veritatem, Perfectio ad bonitatem,* ſeu ſanctitatem.

*Eadem partes ex diuerſis cognitionibus oriuntur.*

Aliter hic ternarius officiorum numerus ex diuerſis cognitionibus elicitur, quas ſuperior Hierarchiæ ordo inferiori ſuggerit, ad hunc modum. Tota Hierarchiæ notio in intelligentibus naturis, eſt ordinata ad amorem conditoris; ideoque neceſſe eſt vt modo eis conuenienti fiat, per diuerſas cognitiones, idoneas ad Dei amorem excitandum. Sunt autem illæ omnino tres. Prima eſt admiratio; imperfecta certe cognitio eius rei, cuius rationem, eius effectus, cuius cauſam ignorat: vt cum puer faciem ſuam videt in ſpeculo, cum ruſticus Solis & Lunæ defectionem aſpicit, neque quicquam prætera. Hæc tamen via eſt ad inquiſitionem, & putat Ariſtoteles prognatam ex admiratione Philoſophiam, quæ cauſas & principia rerum naturalium venatur & inueſtigat. Secunda igitur eſt Scientia, rationem ducem ſequuta, & inueſtigatione tanquam venatico cane inſtructa: quæ nuda ipſa & mera eſt cognitio, in qua vehementer laborat intellectus, & reliquas animæ vires pene exhaurit. Donec ſequatur tertia ſuauitatis maioris Contemplatio; quæ quoniam inueſtigatione non indiget, atque obiectum ſuum, directius immediatiuſque attingit, ſumma cum facilitate exercetur. Sicque tota ſe mens colligit, vt affectu liberiore voluntas in Deum feratur: eſtque illa cognitio Sapientia cum dilectione, ſeu vt loquitur Hugo, *cum experientia* coniuncta. Quem proceſſum eleganti Hugonis eiuſdem ſimilitudine illuſtrare poſſumus, cum ad vocem orante Chriſto cœlitus delapſam alludit, *Ipſa aures,* inquit, *noſtras iam* STVPORE *implevit: nondum tamen corda manifeſta veritate illuminauit. Propterea qui homines fuerunt, & nondum diuina capere potuerunt, dixerunt quod tonitruum factum fuerat, quia ſolum conſternabantur, & non erudiebantur. Alij ad modicum* ILLVMINATI, *nondum conſummati, Angelum putauerunt, Deum non intellexerunt. Itaque & nos ſupernæ vocis tonitruum audiuimus, & cæpimus* MIRARI, *nondum illuminari. Si tamen fuerit noſtra admiratio, excitatio, ipſa admiratione conuertemur, vt conuerſione illuminemur. Et erunt tunc verba ipſa dulcia non ſolum miranda, ſed* AMANDA, *cum cæperint audiri & ſciri. Si tamen ad ipſa gratioſi fuerimus. Si enim non diliguntur, non intelliguntur; neque amantur, ſi non guſtantur.*

Arist. li. 1. Metaph. c. 2.

Hugo l. 6. in c. 7. cœl. Hier.

Ioan. c. 12.

*Earum cognitionum differentia.*

In prima cognitionum illarum creaturæ cognoſcuntur vt res quædam & obiecta. In ſecunda vt ſimilitudines & ſigna Dei, qui ſub ſenſum cadere non poteſt. In tertia Deus ipſe cognoſcitur; confuſè quidem & ſecundum rationem analogam, ſed tamen cum negatione identitatis, aut æqualitatis cum creaturis. In prima, mens intelligit eſſe aliquid longe excellentius rebus omnibus, quas concipere naturæ viribus poteſt. In ſecunda, Deum cum creatis comparat. Nam cum omnis effectus cauſæ quadantenus ſimilis ſit, in illa ſimilitudine cognoſcenda occupatur: affirmatque Deum eſſe lucem, vitam, ſapientiam &c. Quæ eſt affirmans Theologia *incompacta*, vt dicit Hugo, *ſiue impropria & non cohærens*: quoniam *diſſimilia coniungere & coaptare*

*Affirmans Theologia.*

conatur

*conatur, ſecundum illum modum dicendi, quo de Deo formari non poteſt aliter humana locutio.* [Hugo l.2. in c.2. cœl. Hier.] Aſcendat igitur oportet ad Tertiam, in qua vlterius agnoſcens diſſimilitudinem cauſæ cum effectu, videt non eſſe lucem, vitam, ſapientiam, qualis hæc eſt, ſed aliquid ſuperius & omni ex parte perfectius: quæ eſt negans Theologia, *vera*, Hugoni dicta, *id eſt propria*, [*Negans Theologia.*] qua mens omnibus rerum creatarum perfectionibus ſuperior, iam non afficitur erga eas, neque vt res ſunt, neque vt ſigna Dei: ſed ab omni vanitate liberrima, excipit proxime ardorem Dei, cuius pulchritudinem in ipſamet pulchritudine contemplátur, eo quo poteſt módo. Ac licet in caliginoſa tantum nube appareat quæ *poſuit tenebras latibulum ſuum*; ac proinde intellectus illam vt in ſe eſt non attingat: audacior tamen voluntas ad eam euolat *vbi paſcit, vbi cubat in meridie.* In prima Philoſophorum Ethnicorum Theologiam fuiſſe arbitror: Secunda S. Dionyſij librum de diuinis nominibus: Tertia Myſticam eius Theologiam conficit.

In tribus autem illis Purgationem, Illuminationem, Perfectionem ineſſe, [*Eadem officij partes Angelica cognitionis exemplo explicantur.*] poteſt quidem oſtendi hominis exemplo, quod alicubi proponit S. Dionyſius: ſed in Angelo ſeipſum, & alios cognoſcente, id ipſum explicare iucundius fuerit. Rei enim cuiuſlibet cognitionem adipiſcimur, vel per eius ipſius eſſentiam & ſubſtantiam propriam, vel per proprietates, vel per effectus. Angelus ergo inferior ſeipſum videns, & Dei effectum agnoſcens, Deum ipſum [Dionyſ. c. 2. Eccl. Hierar. in contemp.] vt cauſam cognoſcit, & Deum eſſe; quæ ſola cognitio per effectum comparari poteſt: eaque perquam imperfecta, dæmonibus non negata, qui credunt quoniam *vnus eſt Deus, & contremiſcunt.* [Iacob. c. 2.] Quod ſi oculos ad ſuperiorem educit, longè nobiliorem de Deo conceptum efformat: quo enim propius ille accedit ad Deum, eo illi ſimilior eſt. Itaque Archangelus Thronum, & Thronus Seraphinum cognoſcens, intelligit ſe non eſſe pulcherrimum, optimum, ſummè amabilem: ſicque eius voluntas abducitur quo minus adhæreſcat, & terminetur ad ſe, ſibi que maxime placeat. Vnde ſequitur Purgatio, & remotio ab amore ſui ſuperbo; & ſancta humilitas, ad comparationem non Dei tantum, ſed alterius etiam, ſe perfectioris creaturæ. Hinc accidit vt diuinæ naturæ præſtantiam in Seraphino libentius, quam in ſeipſo conſideret: in quo vt in nobiliori, clariorique ſpeculo diſtinctius cognoſcit qualis ſit Deus: & ſic amplius Illuminatur, apertioremque Dei cognitionem percipit. Sed quoniam & Seraphinus ipſe creatura eſt, ipſum requirit Creatorem, voluntate iam in ſeipſo per Illuminationem excita; & intellectum ipſum impellente, ad tam præclari effectus cauſam, quam clariſſimè poteſt, cognoſcendam; vt ea reperta ſe ipſi coniungat intime, quæ Perfectio eſt. Pro qua conſequenda dicit, *Oſtende mihi faciem tuam. Sonet vox tua in auribus meis.* [Cant. c. 2.] Excitat quidem appetitum meum illa tuæ pulchritudinis in lucentibus ſpeculis contemplatio; ſed tunc tantum *ſatiabor, cum apparuerit gloria tua.* Quem ſenſum [Ori Hom. de Magdal.] Magdalenæ tribuit Origenes, Chriſtum in ſepulchro ſolicitè quærenti, *Non quæro Angelos, ſed eum qui fecit me & Angelos: non quæro Angelos, ſed meum & Angelorum Dominum.*

## *TRES ILLÆ OFFICII HIERARCHICI PARtes ſingulatim exponuntur.*

## CAPVT IX.

*Prima pars Purgatio.*

COMMVNE illud eſt omnibus Religionibus vt Deum caſtè colant, & à ſacris profanos & immundos ſemper arceant. Prius igitur quam quis θεοειδὴς fiat, & Illuminetur diuina doctrina, Mundetur oportet, animumque ſuum ad res ſublimes, & diuinos ſatus percipiendos præparet. *Non enim fruſtra diuinus Moſes mundari expiarique primum iubetur ipſe, rurſuſque ab impurioribus ſecerni, & poſt talem expiationem audit multifores tubas, & multa cernit lumina, puros ac diffuſos radios in vultum ſuum iaculantia.*

Dionyſ. li. de Myſt. Theol. c. 1.

*Quid ea ſit.* Dio y c. 3. cœl. Hier.

Purgatio igitur quæ ordine prima eſt, & quaſi cæterarum parens, eſt liberatio ab omni diſſimilitudinis confuſione. Naturæ quippe ſpiritalis corruptio eſt, vel ab ignorantia veri, vel à concupiſcentia mali. Diſſimilitudo ab illa corruptione proficiſcitur: quia hæc ſubiectum ſuum alterum facit quam eſſe debeat, & quodammodo ſibi ipſi diſſimile. *Quare Deus qui ſemper idem eſt, diſſimilitudinem non capit: & qui perſeuerat immutabilis, corruptionem non admittit.* Quod quia nulli comperit creaturæ, ſuopte ipſa pondere vergit in corruptionem, & vel ſuſtineri debet ne in eam præcipitet: vel ex ea cum lapſa eſt, educi & extrahi; & ſic Creatori ſuo, ſibique ſimilis effici. Eſt vero vterque ille modus Purgatio, cum neceſſe non ſit vt in ea natura quæ purgatur, actu & reipſa præfuerit immundiria & corruptio. Quemadmodum non deſunt Philoſophi quibus priuatio Principium eſt, etiam in corporibus cœleſtibus, quorum tamen materiam nunquam forma ſua priuatam fuiſſe autumant. Hoc modo & Virgo ſanctiſſima ab omni peccati ſeu contrahendi, ſeu perpetrandi labe purgata eſt, qua nunquam infecta extitit: & cœleſtium mentes puræ dicuntur *non vt immundis maculis, & inquinationibus liberatæ, ſed vt omni diminutione mundæ & altiores*, in quam proinde cadere non poſſunt. Nam *ad caſtiſſimam fortitudinem collocantur: id eſt, ſtabiliuntur ad inflexibilitatem, hoc eſt fortem & inflexibilem & incorruptibilem caſtitatem.*

Hugo l. 4 in c. 3. cœl. Hier.

Dionyſ. c. 7. cœl.

Hugo l. 7. in c. 7. cœl.

*Quid Caſtitas Angelorum.*

Quæ quidem Caſtitas per diuinam illam Purgationem accepta, quænam ſit in Angelis explicari non poteſt, niſi ad humanæ illius virtutis ſimilitudinem. Eſt enim in nobis virtus qua pars ſuperior ad inferiorem, anima ad carnem non deprimitur: Habet enim Angelus inferiorem & ſuperiorem partem, non minus quam hominis ratio: & per inferiorem attendit rationibus naturalibus, & ad ea quæ per ſe ſe cognoſcere, & diligere poteſt: Siue, ducitur cognitione & amore naturali, ac proinde fundata in cognitione ſui, & ſui amore: quia in eo ſui & ſuæ ſubſtantiæ cognitio & amor, eſt menſura & principium omnium naturalium cognitionum, & amorum eius. Caſtus eſt ergo Angelus qui ſe non amat amore illo proprio ac peruerſo, in quo conſiſtit ſuperbia illa tantopere decantata Angelorum, *qui ab illo qui ſummè eſt auerſi, ad ſe ipſos conuerſi ſunt, qui non ſummè ſunt: qui eſt primus defectus, & prima inopia, primum quoque vitium eius naturæ, quæ ita creata eſt vt nec ſummè eſſet.* Sic ergo

*Superbia Angelorũ.* Auguſt. li. 12. de ciui. Dei c. 6.

ergo qui ſe amat in abiectionem & admixtionem cadit, & ſe veluti caput contra Deum facit, à Deo diſcedens, in quo habere debebat *incaſualem & intranſmutabilem puriſſimam collocationem*. Illud ipſum præclare Guillelmus Pariſienſ. explicat. *Qui voluntate propria vel ſemetipſum regit, vel quæ ſua ſunt adminiſtrat, ſe à Deo ſeparat, & contra ipſum ſe erigit, atque ſedem regni, id eſt regiminis proprij ex aduerſo eidem ponit, vel ſtatim ſemetipſum ſibi caput conſtituens, & Deum caput habere nolens. Vbi ergo ſolus Deus caput eſſe debuit, ibi aliud caput ſemetipſum erigens vnitatem diuidit, pro vno capite duo ſtatuens.* Eſt igitur Angelorum, imo & noſtra Purgatio, elongatio ab amore proprio ſuperbo, quæ fit humili cognitione & affectu, quo quis Deum ſe ſuperiorem agnoſcit miratur, & timet: & ſic, *initium ſapientiæ timor Domini*.

Hugo l. 7 in c. 7 cæl. Guil. Pariſ. 2 P. de vn. P. 2. c. 144.

Præter hunc Purgationis Angelicæ modum, placet & alius Dionyſio, ſcientiæ per illuſtrationem diuinitus inditam acceſſio, quatenus illa nobilem naturam ignorantia rei diuinæ qua laborabat antea, purgat & liberat. Sic enim quaſi corruptio ea tollitur, quam in ignoratione veri ſupra ponebamus, & proxime ad illuminationem attinet. Neque tertius à Guillelmo noſtro modus repudiandus eſt, qui beatos illos ſpiritus puros; & puriores eſſe dicit, *non quidem deterſione ſordium, & maiori elongatione ab illis, ſed maiori receptibilitate beatiſſimarum influentiarum, quæ ex magnificentiſſima largitate creatoris deſcendunt, & ad inſtar terſiſſimorum ſpeculorum, hoc eſt, nihil omnino fæculentiæ vel labis habentium, efficiuntur iſta ſpiritalia ſpecula diuinæ pulchritudinis apparitionibus, ſeu reſultationibus conuenientiora, & receptibiliora.*

*Alia ratione explicandæ Purgationis Angelicæ.* Dionyſ. c. 6. E. cl. Guil. P. tit. c. c. 1. 8.

Illuminatio eſt caſtæ ſiue *Purgatæ mentis per diuinum lumen excitatio ad habitum & vim cæleſtia contemplandi*, vt ea & veraciter apprehendat, & perſeueranter retineat. Per eam igitur anima ab ignorantia veri, & amore ſui ſuperbo Purgata, ſupremam veritatem clarius cognoſcere incipit, & ei conſtantius inhæret. Quæ quidem Illuminatio quomodo ab Hierarcha exerceatur, paulo poſt erit explicandum.

*Illuminatio quid.* Dionyſ. c. 3. cæl.

Perfectio eſt illuſtratæ mentis *eleuatio, corroboratioque ad bona illa vera & ſumma, quæ per ſcientiam perficientem agnouit, participanda*: vt ſicut per ſcientiam perfectam perfecta eſt in cognitione; ita per bonitatem perfectam, perfecta ſit in participatione, atque adeo in ſanctitate: ſicque quam maxime purgetur & remoueatur à concupiſcentia mali, & immutabiliter ſtabiliatur in fruitione boni vnde exiſtit. *Intellectus bonus omnibus facientibus eum* per Illuminationem, *& laudatio eius manet in ſeculum ſeculi*, per perfectionem.

*Quid Perfectio.* Dionyſ. c. Pſal. 38.

Eſt ergo pulchritudo diuinæ aliquatenus ſimilis in Purgatione: ſcientia Deum attingens in Illuminatione: ſanctitas Deum bonum participans in Perfectione. Quæ quidem ſecundum habitum in Angelis conſiderata, ſunt Purgatio quidem, Puritas; Illuminatio vero, Luminoſitas; Perfectio denique, Plenitudo ſeu integritas eorum quæ ſunt ad eſſe, vel bene eſſe. In homine vero ad fidem aut iuſtificationem veniente, qualis à Concilio Tridentino conſideratur, Purgatio eſt ſancti caſtique timoris Domini, & religioſæ humilitatis exercitatio, qua voluntas facile ducitur ad credendum Deo, ſeu nihil habet quo fidei reſiſtat: Illuminatio eſt fidei diuinæ communicatio, qua Deus cognoſcitur bonus, miſericors, beneficus: vnde ſequitur Spes, & ad Deum acceſſus. Nam ſi credo Deum velle mihi ſuam impertiri gratiam, meque ad ſe vocare, ſine dubio excitor vt eum ſequar. Perfectio denique eſt in-

*Anacephalæoſis officij Hierarchia.* Concil. Trid. ſeſſ. 6

fuſio gratiæ ſanctificantis, & caritatis perfectæ. Et vide num tria illa vno ſimul miraculo fecerit Princeps Hierarcharum, in dæmonij muti eiectione; in qua tria ſimul ſigna perpetrata notat Beda. *Quod & tunc quidem carnaliter factum eſt, ſed & quotidie completur in conuerſione credentium, vt eiecto primum Dæmone*, quæ Purgatio eſt, *fidei lumen aſpiciant*, in qua Illuminatio: *deinde ad laudes Dei tacentia prius ora laxentur*, quod Perfectionem & facit & monſtrat.

*Beda in c. 11. Lucæ.*

---

## ACTVVM HIERARCHICORVM FONTES E *Patrum & Conciliorum doctrina recluduntur.*

### CAPVT X.

De fine dictum & officio, de quo ſatis dici nihil poteſt; venio ad modos quibus officium illud exercetur: ad vias quibus ad eum terminum peruenitur: ad media quibus finis ille conficitur. Actiones illæ ſunt Hierarchicæ, non illa pauca noſtræ ſalutis inſtrumenta, vt Sacramentorum confectio, & adminiſtratio, & verbi diuini prædicatio, præter quæ aduerſarij, prolato actuum Hierarchicorum nomine, vix quicquam aliud volunt intelligi: ſed vberiores aliqui & Dei magnificentiæ propiores influxus. Latius quippe ſe propagant, & effundunt benigni Hierarcharum radij, pluteſque longè actus diuina ſua conſecratione ſanctificant.

*Hierarchica actiones multa.*

Itaque quicquid Dei cognitionem & amorem vel ſimpliciter vel perfectius in animis noſtris excitat, quicquid Purgationem peccatorum, aut ignorantiæ facit; Hierarchicum eſſe poteſt: ſi nimirum Eccleſia per Hierarchas, homines aliquos, & aliqua vitæ genera ad eiuſmodi actiones deſtinat & conſecrat. Quo ſenſu quicquid ab Hierarcha quolibet, quicquid à Clerico, quicquid à Religioſo ex officio, & quaſi nomine & munere publico fit, illud quia fit per dedicationem Hierarchicam, Hierarchicum eſt. Quamobrem horæ canonicæ præclarè dicuntur à Guillelmo noſtro, publica Eccleſiæ vox: ad quam formam quid vetat Epiſcopi contemplationem, Sacerdotis Sacrificium, Parochi prædicationem, Religioſi mortificationem & ſimilia, publicas Eccleſiæ actiones appellare? Sunt enim illa hominum genera in eo munere & officio ab Eccleſiæ Principibus conſtituta, vt id auctoritate publica exequantur, quod à priuatis quibuſlibet exigi, quod omnibus in commune imperari non debet.

*Contemplatio Epiſcopi, mortificatio Religioſi.*

Scio equidem à S. Dionyſio actiones Hierarchicas tantum enumerari *propria myſteria Hoſtiarum, & ſacras ordinationes*, præter quas vetat quemquam operari, vt ſinguli ſuo in ordine, & officio decenter permaneant. Sed ibi de ijs agit quæ poteſtatem Ordinis requirunt, vt eſt totus in Ordinis Hierarchia; non autem de ijs quæ ſine tali poteſtate poſſunt exerceri. Nam in illis tolerari non poſſet confuſio, ſi, vt modo dicebamus, in alienum locum inuolare ſinguli vellent, & myſteria ſibi non debita attrectare: quod in Demophilo Monacho grauiſſimè reprehendit Magiſter.

*Occurritur obiectioni ex Dionyſ.*

*Dionyſ. ep. 8 ad Demoph.*

*Hierarchicarum actionum diuiſio.*

Iam vero actiones eiuſmodi Hierarchicæ, & Hierarchiæ finis effectrices, diuidendæ mihi videntur in immanentes & tranſeuntes; atque iterum in

abſolutas, & quodammodo relatiuas: ſic enim modo loqui lubet. Immanentes cur appellem, vt contemplationem, ſtudium diuinarum litterarum, interiores virtutum actus; cur tranſeuntes, vt Pſalmodiam, rerum diuinarum ſcriptis libris explicationem, ſermonem exhortationis ad populum, & eiuſmodi infinitas, nemo non facile peruidet. Abſolutarum quoque & relatiuarum aperta eſt ſignificatio, cum aliæ circa alterum exerceri debeant, vt doctrinæ traditio, Sacramentorum collatio, ægrorum alloquium, egentium ſuſtentatio: Aliæ talem ordinem, & reſpectum non requirant, vt illa ipſa quam modo nominabamus, contemplatio, Hymnodia, actus interior ardentiſſimæ caritatis.

Quæ ſint autem actiones illæ in particulari, docet Patrum & Conciliorum concors ſententia, verbis licet diuerſis concepta. Nam vt in ipſis Hierarchis id videamus, vnde poſtea pro rata inferioribus poſſunt aſſignari, actiones illis maximè conuenientes D. Thomas attribuit quatuor, tanquam capita quatuor eius fluuij, qui *egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradiſum.* Prima eſt occupatio in iudicijs Eccleſiaſticis exequendis: altera, opus prædicationis: tertia, orationes quæ fiunt in horis canonicis ad ſalutem Eccleſiæ: quarta, ſcripturæ ſacræ elucidatio. Concilium autem Tridentinum explicatius & plenius aliquid *præcepto diuino mandatum* omnibus animarum curam habentibus, eſſe dicit; *pro ouibus ſuis ſacrificium offerre, verbique diuini prædicatione, Sacramentorum adminiſtratione, ac bonorum operum exemplo paſcere; pauperum, aliarumque miſerabilium perſonarum curam paternam gerere; & in cætera munia paſtoralia incumbere.* In Sacrificio & horis canonicis apparent actiones illæ quas immanentes dicimus, de quibus & Proſper in Concilio Pariſienſi citatus. *Sacerdotes*, inquiens, *pondus populi ſibi commiſſi viriliter ſuſtinentes, pro peccatis omnium, velut pro ſuis, infatigabiliter ſupplicant Deo, ac velut quidam Aaron incenſum contriti cordis, & humiliati ſpiritus offerentes, quo placatur Deus, auertunt iram futuræ animaduerſionis à populo.* Quem ſenſum ab Auguſtino mutuatus eſſe credi poteſt, qui paſtores ait, *Prælatos plebibus, plangere culpas infirmantium, ſeque ſic de alienis lapſibus, ac ſi de proprijs affligere.* Idem perſpicuum eſt & in exemplo, quod rem eſſe Hierarchicam niſi docerent Concilia, non crederent aduerſarij. Certe Concilium Turonenſe ſub Carolo Magno iubet Epiſcopum *vita, habitu, forma, & conuerſatione ſancta ſuis eſſe ſubiectis exemplum.* Arelatenſe quoque ſub eodem Imperatore vult Sacerdotes, *ædificare cunctos tam fidei ſcientia, quam operum diſciplina*, quod ex Apoſtolica doctrina hauſtum, præcipiente Paulo *in omnibus teipſum præbe exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in grauitate*, cum paulo ante ſcripſiſſet ad eundem, *ſi quis ſine crimine eſt*, & alibi, *oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe. Omnes virtutes in vno ſermone comprehendit*, ait S. Hieronymus citatus in eodem Aquiſgranenſi Concilio, *& pene rem contra naturam exigit. Qui irreprehenſibilis eſt non ſolum à domeſticis, ſed ab alienis conſono ore laudatur. Talis ergo ſit Pontifex Chriſti, vt qui religioni detrahunt, vita eius detrahere non audeant.*

*Actiones Hierarchiarum propriæ.*
D. Thom. quodl. 7. a. 18.
Concil. Trid. ſeſſ. 23 c. 1. de reform.
Concil. Pariſ. ſub Lud. & Lothar. c. 4.
Proſp. li. 1. de vita cont. & act. c. 2.
Auguſt. cit. in Concil. Aquiſgr. c. 12.
*Exemplum res Hierarchica.*
Concil. Turo. 3. c. 4
Concil. Arelat. 4. c. 3.
Ad Tit. c. 2. 1. Tim. c. 3.
Concil. Aquiſgr. ſub Lud. Pio, c. 14.
Hier. ep. ad Ocean.

Plura, ne dicam infinita, eadem Concilia ex Patribus antiquis deducunt, maximeque ex libro aureo Paſtorali D. Gregorij, de quo magnificum eſt decretum Concilij Turonenſis antea citati. vt *nulli Epiſcopo liceat canones, aut librum Paſtoralem à B. Gregorio Papa editum, ſi fieri poteſt, ignorare: in quibus ſe debet vnuſquiſque, quaſi in quodam ſpeculo, aſſiduè conſiderare.* Et laudatiſſimum factum

*Commendatur Paſtorale D. Greg.*
Con. Tur. cit. c. 3.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

Conc. Magunt. Concilij Moguntini ſub Carolo Magno, quod in tres turmas diuiſum fuiſſe conſeſſum ſcribit: in earum prima conſediſſe Epiſcopos cum quibuſdam notatijs, *legentes atque tractantes ſanctum Euangelium, nec non Epiſtolas & Actus Apoſtolorum, Canones quoque ac diuerſa ſanctorum Patrum opuſcula, Paſtoralemque librum Gregorij, cum cæteris ſacris dogmatibus diligenti ſtudio perquirentes.* Quod & Concil. Rhemenſ. eodem anno, eodemque animo à Patribus Rhemenſis Concilij factum legimus. *Lecta ſunt*, inquiunt, *ſententiæ libri Paſtoralis B. Gregorij, vt Paſtores Eccleſiæ intelligerent, quomodo ipſi viuere, & qualiter ſibi ſubiectos deberent admonere.* Quæ tempora ſequuti Patres alij in eodem argumento verſati ſunt, vt Bernardus libris de Conſideratione, Bonauentura opuſculo de ſex alis Seraphim, Petrus Bleſenſis, & quis non? Quorum omnium doctrina vna eſt, vt Prælati ſibi alijſque prodeſſe ſciant, actiones immanentes & tranſeuntes exercere, officio legatorum ad Deum & homines perfungi condiſcant. Quæ omnia Hierarchica appello, quia ex officio & Hierarchica deſtinatione ab ijs fiunt, qui ſunt de Hierarchia, & Hierarchiæ finem efficiunt.

---

## *UTRUM ACTUS HIERARCHICI AB OMNIbus qui ſunt de Hierarchia debeant effici: & Agere an Pati ſit nobilius in re Hierarchica.*

## CAPUT XI.

*Aduerſariorum opinio vulgaris.* *Dionyſ. c. 3. cœl.* POST demonſtratas vniuersè ſingillatimque Hierarchicas actiones, in earum vſu supereſt aliquid Theologica conſideratione digniſſimum. Nam cum Magiſtri apertum ſit de ordine Hierarchico effatum, alios eſſe in eo qui purgent, illuminent, perficiant; alios qui purgentur, illuminentur, perficiantur: id vulgo ſic accipiunt, vt ijs verbis neceſſariò ſignificetur actio ſuperioris in inferiorem, & paſſio inferioris à ſuperiore; Vnde conficiunt de Hierarchia tantùm eſſe ſuperiores, quibus ſolis actus Hierarchicos efficere conueniat: inferiorum autem neminem ad Principatum pertinere, qui nihil aliud quam ſacros illos influxus recipiant, & patiantur. Verum in hoc adyto latet quidpiam luce dignum, quod ſi vulgi non peruidet ignorantia, Theologorum ſapientia non repudiabit.

*In Hierarchia eſt actio & paſſio.* Hoc enim primum aſſero, omnes qui ſunt de Hierarchia pati, omnes agere, ſeu recipere & dare illuſtrationes & diuinos inſtinctus: ſolum enim de creatis Hierarchijs diſputo. In receptione ſeu Paſſione, difficultatis nihil reſidet: cum nihil habeat creatura quod non acceperit: & *ſecundum inditas ſibi diuinitus illuſtrationes* Deum in agendo imitetur: quod in ipſa definitione ſpectauimus. Atque Hierarcha ipſe, in quo, vt in principe analogato, naturam Hierarchiæ conſideramus, num prius ad officium conſecrari debet, quam illud exerceat? num à Deo qua Hierarcha eſt, chariſmata & gratuitas gratias accipit, quas in ſubditos etiam vt Hierarcha eroget? Actionem quoque nemo denegat: cum in ea vis & poteſtas Hierarchica vulgo conſtituatur. Cuius à priori ratio hæc eſt, quia nemo niſi operatione ſua in finem ſuum tendere poteſt: cum ergo ad finem Hierarchiæ debeant omnes qui de Hierarchia ſunt conſpirare, agant ipſi neceſſe eſt.

Aſſero

Aſſero prӕterea ſi rem vniuersè ſpectemus, prius & nobilius eſſe Pati, quam Agere. Vniuersè dico, mentem meam ab particularibus nonnullis abducendo. Non enim dubium quin Hierarcha qui conſecratur, ſit conſecrantibus quodammodo minor; quin baptiſmum qui recipit, conferente ſit ignobilior. Sed opera illa exercendi poteſtatem ad principium ſuum reduco, eaque proximè ipſum contemplor; meique dicti rationem ex Hierarchiӕ natura & fine deſumo. Quia Deiformitas, ſeu perfecta quantum quidem fas eſt, cum Deo ſimilitudo, non hauritur ex actione, & quaſi deſcenſu ad inferiora, ſed ex conuerſione & aſcenſu ad Deum ipſum: Qui ergo proximè Deum aſcendit, & eius influxum minus mediatè, minuſque per creaturas participat, ille perfectiſſimus eſt: in quo non Actio, ſed Paſſio, non donatio ſed receptio ſatis animaduertitur. Atque haud ſcio ſit-ne ea ratio, cur in illius ordinis enumeratione, & quaſi collocatione, eos qui patiuntur, ijs qui agunt prӕponat S. Dionyſius, illiſque verbis definitionem Hierarchiӕ conceperit, quӕ non ineptè per paſſiuam ſignificationem efferri poſſunt *ἀφομοιουμένην, ἀναγομένην*, *Aſsimilata, adducta*, licet interpretes actiuè maluerint reddere, *aſsimilans, aſcendens.*

*Prior & nobilior in Hierarchia eſt Paſſio quam actio.* Hallier. l. de ſacr. ordin. p. 574.

Sed ne ijs verbis, quorum libera eſt interpretatio pronunciatum meum videar ſtabilire; aliam prӕterea rationem duco ex diuinarum illuſtrationum natura, in quibus Pati quam Agere eſt excellentius. Sic enim S. Hierotheus à S. Dionyſio laudatur, non tantum quod actione ipſe ſua & labore diſceret, ſed maximè quod pateretur diuina: haberetque quandam cum ipſis ſympathiam, id eſt, exponente Pachymere, non verbis quibus doctrina traditur, perciperet rerum diuinarum cognitionem, ſed *diuina illuſtratione perculſus, & quaſi in mente ſignatus.*

*In diuinis pati quam agere nobilius eſt.* Dionyſ. l. de diuin. nomi c. 2. τῷ θεῖα μαθεῖν, ἀλλὰ καὶ παθεῖν τὰ θεῖα.

His adde tertio, quod nobiliſſimӕ & primariӕ Angelorum Hierarchiӕ dignitas, arceſſatur non ab Agendo in cӕteras ſubiectas, ſed à Patiendo immediatè à Deo, maximaque, quӕ inter Creatorem, & creaturas eſſe poteſt propinquitate. Sic Magiſter in eius expoſitione, *Prima cœleſtium Hierarchiarum ab excellentiſsimis eſſentijs ſanctificatur, & primò operantes theophania & perfectiones in eam, tanquam proximam, principaliter deferuntur.* Et deinde de Thronis. *In eo qui verè ſummus eſt, immobiliter, firmiterque hæret, diuinumque aduentum ſine vlla motione atque materia recipit, ac Deum portat, & familiariter in diuinas ſuſceptiones apertum eſt.* Sic expreſsè D. Thom. *In Angelis potius eſt quod ſubijciuntur Deo, quam quod inferioribus præſident; & hoc deriuatur ex illo.* Sic Guillelm. Pariſ. vbi de Dominationum nomenclatione, ita dictos aſſerit Angelos, *propter altiſsimam ſubiectionem ipſorum, qua apparent in vltimitate ſubiectionis eiuſdem eſſe ſubditi: veriſsimè enim dominari in omni ſubſtantia intelligente, non eſt niſi veriſsimè ac perfectiſsimè Domino ſeculorum eſſe ſubiectum.*

*Nobiliſsima Hierarchia patitur.* Dionyſ. c. 7. cœl. D. Tho. 1. p. q. 108. a. 6 ad. 1. Guil. Pariſ. P. 2. de vni. p. 2. c. 136.

Aſſero tertio, modum quo Hierarcha in ſubditos agit, eoſque illuminat, eſſe, accepta diuinitus lumina partiendo, & multiplicando pro captu inferioris intelligentiӕ quam habet illuſtrandam. Quemadmodum in membris humanis dentes cibum conficiunt ac diuidunt. *Sicut etiam apud nos, Doctores quod in ſumma capiunt, multipliciter diſtingunt prouidentes capacitati aliorum.* Deinde illa applicando ad eum qui illuminari ac perfici dicitur. Applicare autem ſeu *illuminare, nihil eſt aliud quam manifeſtationem agnitæ veritatis alij tradere; fortificando virtutem intellectiuam eius*, & veluti oculum cordis amplius aperiendo,

*Agit Hierarcha partiendo lumina.* Dionyſ. c. 15. cœl. D. Tho. 1. p. q. 106. a. 1.

atque confirmando. *Nam viſus dicitur lumen, & propter hoc illuminatus, qui lumen viſus recipit, & illuminans qui illud dedit: atque conſequenter illuminator, qui ſic illuminandi vel vſum habet, vel officium, vel poteſtatem.* Linconienſis autem Hierarchiæ commentator apud S. Bonauenturam, Angelos ſuperiores eſſe ait *ſpecula ſpiritualia pura, clara, & plana, quæ primo recipiunt radios ſolares, ſibi incidentes immediatè à fonte luminis; & tale dicitur lumen contemplationis: & ſecundariò lumen idem receptum ab iiſdem ſpeculis refundi in eos qui luminis ſunt capaces. non tamen ſecundum claritatem illam qua ipſi recipiunt, ſed ſecundum cuiuſlibet capacitatem. quod dicitur lumen ſpeculationis, quia mediante ſpeculo ſpirituali recipitur, vel per ſcripturam, vel per doctrinam, vel per exempla ab illuminatis ſpeculis procedentia.* Quæ ab Angelis, ad Angelicos homines deducere non eſt difficile: & hinc diſcere etiam librorum piorum & Theologicorum elucubrationem ad Hierarchicas actiones referri.

Gail. Pari. à p. de vn. p. 2. c. 145.

Bonau. li. de ſept. iti. æternit. in 3 diſt. 3. ex Linconiēs. in 1 caput Hier. cœl.

---

## *PROBATUR EFFICACITER NON OMNES Hierarchicas actiones, à ſuperiore in inferiorem tranſire.*

### CAPVT XII.

PRINCIPATVS ille quem perpetuum & neceſſarium, in iis qui de Hierarchia eſſe dicuntur, fingunt aduerſarij, ſuperiore, vt arbitror, capite de Actione Paſſioni poſtponenda conſternatus eſt; ſed modo impreſſione vehementiori ſuis illum caſtris & munitionibus impingam, ſi effecero non paucas eſſe actiones Hierarchicas, quæ à ſuperiore non deſcendant in inferiorem: imo eſſe quæ ab inferiore ad ſuperiorem aſcendant. Ipſum igitur in primis Hierarcham agentem contemplor, quem ſi abſoluero à neceſſitate transfundendæ in inferiorem actionis alicuius Hierarchicæ, quis eam in alio requirat?

*Actio immanens non eſt in inferiorem.*

Omnis actio ſacra immanens & abſoluta, quam Hierarcha ex officio, & quaſi publico nomine peragit, Hierarchica eſt: aliqua autem neque in inferiorem, neque omnino in alium tranſit, quia immanens & abſoluta ponitur: Hierarchica igitur actio eſt aliqua quæ neque in inferiorem, neque in alium profertur. Iam deſcendo ad ſubditos hac ratione. Actiones illæ immanentes & abſolutæ poſſunt à ſacris viris, ad hoc Hierarchicè deſtinatis exerceri, non minus quam ab Hierarchis, imo de facto exercentur: ergo actiones Hierarchicæ nonnullæ à ſubditis æquè ac principibus fiunt: & eæ à ſuperiori aut inferiori abſtrahunt. Quam igitur ob rem Principatus Hierarchici neceſſitas inducitur, in iis omnibus qui & de Hierarchia eſſe, & actus Hierarchicos efficere dicuntur? Reſpondent fortaſſe Hierarchas per actus illos ſibi nobiſque cœleſtium largitionum imbres impetrare: nunquid idem Canonici faciunt in hymnodia, & Religioſi in meditationibus? Dicunt mereri ſubditis de congruo neceſſarias ad ſalutem gratias: num idem pro modulo ſuo & Religioſi? Nunquid ieiunat omnibus Monachus, pſallit omnibus Clericus, meditatur omnibus Carthuſianus, quemadmodum in caritate ſe radicat & fundat Epiſcopus pro omnibus? Hinc augetur Eccleſiæ theſaurus, hinc depromuntur indulgentiæ, hinc Sanctorum maximè cōmunio conſeruatur.

Quid

Quid quod illud ipſum in relatiuis nonnullis actionibus videre eſt, quæ natura ſua licet alium, non tamen ſuperiorem aut inferiorem poſtulant? Pono exemplum in ipſo exemplo, quod certè in ſacris hominibus Hierarchicum eſt: nam & ad id conſecrantur, & per illud Hierarchiæ finis acquiritur: & S. Dionyſius vult Hierarcham *oſtendere diuinam in ſeipſo actionem, ſecundum quod poſſibile eſt, relucentē.* Id eſt, explicatore Hugone, *vt ad alios relucendo transfundat per exemplum operis, quod primum percipere meruit per donum occultæ aſpirationis.* Nam diuinas illuſtrationes recipiendo fiunt Hierarchæ ἀγάλματα θεῖα; Deum in ſe ipſis perfectè exprimentia: deinde cæteris à quibus videntur; quoſque officio illuminant ἔσοπτρα διειδέστατα *ſpecula clariſſima, & illuminata lucentia, & illuminata ipſa; & fiunt lux lucentia, & illuminantia lumina.* De S. Honorato, eiuſque ſocijs antequam Lirinenſem ſolitudinem incolerent, ſcripſit Hilarius Arelatenſis. *Longum eſt percurrere quem ab illis profectum vnuſquiſque locus traxerit, quam ſalubritatem Eccleſiæ ſine vllo Clericatus actu innexerint, quot magiſtris magiſtri in ſilentio fuerint.* Vides ignotos homines in ſilentio magiſtros magiſtrorum, id eſt, exemplo ad pietatē magiſtris & ſuperioribus præeuntes. Quid? in ipſo martyrio an aliter quam exemplo, Dei cognitionem & amorem in alijs vel augent vel ingenerant? *De fortitudine fidelium,* inquit Leo Magnus, *exempla nata ſunt patientiæ, non dona iuſtitiæ.* Quod ſi Hierarcha diuino perfunditur oleo, vt ſit *Chriſti bonus odor in omni loco*; nonne ad idem ex vitæ ſtatu pro rata & Clericus & Religioſus obligatur? Quis autem dicat Hierarcham exemplo, vel ſcriptis libris ſolos actu ſubditos inſtruere, fouere, gubernare? Baſilius & Chryſoſtomus; Athanaſius & Hilarius: Clemens Ancyranus & Cyprianus, ſuæ tantum plebi, imo ſuo ſeculo doctrinæ, virtutis, & patientiæ exemplo profuerunt? non æqualibus Epiſcopis? non maioribus, & in ſublimiore throno reſidentibus? Quam multos in Eccleſiæ Hierarchia cernere eſt Religioſos ſuperioribus, Clericos Prælatis, Diaconos Sacerdoribus ad caritatem, & viam factis ſuis ſternentes, & ſtimulos ad currendum admouentes? Corripit enim proximam remoramque materiam ſine diſcrimine ſacer ille ignis, & in ſumma æquè, ac plebeia capita diuinum virtus ſpectabilis exercet imperium, ſi ſic placet appellare. Nam ſeu dixeris ſuperiores gradus hoc ipſo quod ab inferioribus iuuantur exemplo, inferiores fieri, & quaſi ordinem conturbari; ſeu malis quolibet gradum ſuum obſeruante, moueri tamen ſuperiores inferiorum exemplo, & creſcere meritis in commune collatis, & iuuare precibus pro Eccleſia vniuerſa profuſis: num fateri cogêris actionem Hierarchicam vel ſubditos in Prælatorum locum euehere, quod nunquam dabunt aduerſarij: vel in ſuperiores ęquè ac inferiores aut æquales ferri, & omnibus prodeſſe communiter, quod expreſſit argumentum?

*Exemplum non tendit ad inferiorem.*

Dionyſ. c. 3. cœl.

Hugo l. 4. ad c. 3. cœl.

Idem l. 2. c. 3. in cœl.

Hilar. Arelat. in vita S. Honorati.

S. Leo epiſt. 83. c. 4.

Vis & Angelos aſpiciamus, atque admirabilem illum diuinarum laudum concentū attoniti audiamus? Sunt omnes, puto, de Hierarchia cœleſti: in qua deſcendendo per gradus Deo ſoli cognitos, deueniendū tandem eſt ad vnum vltimum vel ordinem, vel indiuiduum Angelicum, cuius nulla ſit actio in inferiores, qui ponuntur inter Angelos nulli eſſe. Nam quod modò homines hierarchizent, accidentarium eſt ad Hierarchiam Angelicam: & ſi eos conſideremus vel ante Adamum conditum, vel poſt extremū iudicium, cum ex hominibus & Angelis cœleſtes Hierarchiæ conſtabuntur, modo alias explicando; tunc vel homo vel Angelus erit vnus, qui à ſuperiore quod accipiet,

*Angelus aliquis non agit in inferiorem.*

inferiori communicare non poterit, quem nullum habebit: & tamen erit de Hierarchia cœleſti; ergo aget canendo, laudando, amando Deum, quæ ſunt in eo actiones Hierarchicæ, non quidem condignè ſuperiorem Angelum, aut ordinem perficientes, ſed toti tamen Hierarchiæ perfectionis aliquid afferentes, in quantum ea eſt vnius indiuidui perfectio. Habes hic ergo actiones Hierarchicas non tranſeuntes, ſed penitus immanentes: habes abſolutas ab omni erga ſubditum reſpectu: habes denique ab inferiore ad ſuperiorem aſcendentes: non eſt igitur omni ex parte, omni loco & tempore neceſſarius principatus ad perſonam in Hierarchia agente conſtituendam. Et hactenus de actibus Hierarchicis, qui ſæpe recurrent inferius, deque tota Hierarchiæ definitione: nunc ad diuiſionem veniendum.

---

## *DIVISIO HIERARCHIÆ VT TOTIUS IN partes integrantes.*

## CAPVT XIII.

*In qualibet Hierarchia tres ſunt partes.* Dion. c. 4. cœl.

HIERARCHIARVM omnium opificem ac Principem Deum, opera & obſequio Angelorum, ad regendos homines vtentem conſiderans Dictator eximius, vniuerſè pronunciat, hác eſſe Hierarchijs omnibus poſitam legem, vt in ijs primi, medij, infimi ordines reperiantur; inferioreſque à ſuperioribus diuinas illuſtrationes, vt plurimum percipiant. D. etiam Thomas poſtquam affirmauit in nomine principatus duo intelligi; ſcilicet ipſum Principem, & multitudinem ordinatam ſub Principe; quomodo hic ordo inſtituatur inquirens, omnes ordines ad tres reduci poſſe docet, *ſecundum quod qualibet multitudo perfecta habet principium, medium, & finem.* Ex quo neceſſariò deducitur in Hierarchia partes integrantes pauciores tribus eſſe non poſſe. Cui ſummorum virorum auctoritati has etiam adiungo rationes.

D. Th. 1. p. q. 108. a. 1.

*Probatur Aſſertio rationibus.*

Primò enim nullus ordo perfectus eſt, niſi finem habeat: tunc enim res vnaquæque perfecta eſt, cum finem ſuum eſt adepta; vbi auté finis, ibi eſt & terminus; vbi terminus, ibi principium ex quo ad illum itur, & proceditur. At vbi principium & terminus, quæ ſunt extrema duo, medium datur, illa veluti vniens, & connectens, vtriuſque particeps, ne ab vno ad aliud præceps, & immediatus detur tranſitus. A principio autem exitus eſt, & nondum quies, quæ tantum poſſidetur in termino: media igitur via eſt inter principium & terminum. Deinde vbi eſt principium, ibi eſt mouens non motum: poſtea motum non moués, qui eſt terminus: denique mouens motum, quod eſt mediú: neque enim paucioribus gradibus poteſt principij virtus exhauriri.

*Egregia de numero ternario Ariſtotelis Philoſophia.* Διὸ καὶ τὰ τρία πάντα ἐστὶ, καὶ τὸ τρὶς πάντῃ.

Atque numerum hunc ternarium demonſtrat ipſa Diuinitas, in qua perfectiſſimus ordo in tribus Perſonis reperitur: quarum prima eſt veluti mouens non mota, ſeu producens improducta: ſecunda producta & producens: tertia terminus productus & non producens. Vide an aliqua ratione, ſaltem per nebulam, ad hanc ſanctiſſimam Triadem aſpexerit Ariſtoteles, quando corpus trinam habens dimenſionem, probauit eſſe perfectum, quia quod ter tale eſt, omni ex parte ſeu perfectè tale eſt, *triaque ſunt omnia ſeu omne: & omnia tribus, & numero ternario definiri ſolent, vt aiunt Pythagorici, &*

nos

hos natura duce & magiſtra duos non dicimus niſi ambos, nec omnes niſi de tribus: & tres ſunt de quibus primum dicimus quod ſint omnes: eſt autem omne & perfectum, idem. Subditque rationem à priori, *finis enim, medium, atque principium ipſius omnis, numerum habent, hæc autem trinitatis.* Vnde factum ait, vt quaſi accepta lege naturæ, in ijs quæ ad Deorum ſacrificia pertinent, vtamur numero ternario. Quod quaſi ex eo didicerit Damaſcenus de ſacris noſtris hymnodijs ſic loquitur. *Atque etiam in omnibus rebus ob eam cauſam ter ſanctum numerum reliquis anteponimus, quia ſanctam Trinitatem declarat, & quia ab ipſa perfectionem ac plenitudinem accipit.* Idem patet in creatis ordinibus omnibus: Hierarchia enim Angelorum triplex eſt, & quælibet ordinem triplicem complectitur: Eccleſiaſtica Epiſcopum, Presbyterum, Miniſtros; Politicus ordo Optimates, Populum honorabilem, & Plebem: familia ipſa priuata partes habet Patrem, Matrem, & Miniſtrum, vt ait idem Ariſtoteles in Politicis, ex Heſiodo. Itaque in omni ſemper ordine perfecto, adeoque in Hierarchia, quæ Ordinem habet pro genere, tres aſſignari debent partes: quarum prima ſit principium; quia illud eſt vnde reliquæ hauriunt in illo ordine, & in eo eſt plenitudo & perfectio rationis, ſecundum quam ordo ille conſtituitur. Secunda verò medium, ſeu id per quod agit principium, tertia terminus, id videlicet in quo recipitur eius influxus. Et prima quidem agit in ſecundam, ſecunda in tertiam: hæc autem non agit in alteram, ſed tantùm in ſe, ſiquidem viuit: eſt enim viuere; agere in ſe, ſiue ſe mouere.

ὡς φασὶ καὶ οἱ Πυθαγόρειοι, τὸ πᾶν καὶ τὰ πάντα τοῖς τριςὶν ὥρισται. τελευτὴ γὰρ καὶ μέσον καὶ ἀρχὴ τὸν ἀριθμὸν ἔχει τὸν τοῦ παντός, ταῦτα δὲ τὸν τῆς τριάδος. l. 1. de cœl. c. 1.

Damaſc. de Triſa. in fin.

Ariſtot. 1. Polit. c. 2.

Diu eſt cum me contineo ab aduerſariorum dictis examinandis: tamen Angelorum more & exemplo ab illa cœleſtis Hierarchiæ tranquillitate, ad diſputationum tumultus, nobis aliquando vel inuitis, deſcendendum eſt. Campum occupat Doctor Hallier, qui cum negare tres illas Hierarchiæ partes non poſſit; vltimam partem, ſiue gradum duntaxat *impropriè* rationem Hierarchiæ participare contendit. Verum magis propriè locutus fuiſſet, ſi excluſa voce *impropriè*, maluiſſet *minùs perfectè*, dicere. Nam vox illa *propriè*, & ei oppoſita *impropriè*, quod ad præſens inſtitutum pertinet, ſumi poſſunt tribus potiſſimum modis, à quibus abeſſe ſe Doctor agnoſcet. Primo vt *propriè* ſit idem quod per ſe, *impropriè* idem quod per alium. Quemadmodum ſumit S. Dionyſius, cum ait Deum *eſſe ſimul cunctis illuminatis principium naturaliter, verè, & propriè*. Quod explicans Hugo, ait Deum *eſſe illuminandi principium naturaliter, quia ex ſe eſt: verè, quia in ſe; propriè quia per ſe. Naturale enim eſt, quod aliunde non aſſumitur: verè eſt, quod eſſentialiter poſſidetur: propriè quod per alium non confertur.* Hoc ſenſu non dicet, vt arbitror, rationem Hierarchiæ conuenire tertio gradui duntaxat *impropriè*, id eſt per alium; nam etiam eodem modo ſecundo gradui conuenit: niſi forte dicturus eſt Sacerdotes illuminantes, à ſe, non autem à Deo & Epiſcopo vim habere illuminandi. Secundò vt *propriè* idem ſit quod directè; *impropriè* idem quod indirectè. Quem videtur ſenſum probare, ſaltem in ijs quos ex priuilegio vel commiſſione, ſacra munia obeuntes *reductitiè atque indirectè tantum in Hierarchia* reponit. Sed neque hoc ſenſu tertius gradus dici poteſt ad Hierarchiam *impropriè* ſeu *indirectè* pertinere, cum ſit pars eius integrans: pars autem non reducatur, neque indirectè pertineat ad conſtitutionẽ totius. Tertiò vt *proprium* opponatur metaphorico, & *impropriè* idẽ ſit quod metaphoricè, gradusq; ille tantum metaphoricè ſit de Hierarchia. Sed neque id defendi poteſt, tum quia, pars eſt integrans Hierarchiam:

*Hallier vltimum gradum impropriè tantùm in Hierarchia collocat.*

in Vindic. p. 378. 379.

*Refellitur.*

*Propriè & impropriè tribus modis dicuntur.*

Dionyſio c. 13. cœl.

Hugo l. 9. in c. 13. cœl

*Deus principium illuminandi.*

Hallie. in Vin. p. 385.

tum quia ratio Hierarchica conuenit analogicè omnibus ipſius gradibus; & conſequenter omnibus propriè, licet vni, videlicet Hierarchæ, prius & perfectius; cæteris poſterius & minus perfectè. Sit igitur hoc conſtitutum, quemlibet Hierarchiæ gradum propriè ad Hierarchiam ſuam pertinere.

## DE DIVISIONE HIERARCHIÆ IN HIErarchizantem & hierarchizatam quid ſentiendum ſit.

## CAPVT XIV.

*Ex Gerſone ducta ſunt voces illæ.*

IVSTIOR mihi futura pugna de verbis eſt cum Grammatico, quam ante cum Theologo. Gerſon Cancellarius Eccleſiaſticam Hierarchiam cum Angelica vt aptius conferret, ſapientiſſimè dixerat, eſſe in Angelis ordines qui hierarchizent, non hierarchizati: eſſe qui hierarchizentur, non hierarchizantes: eſſe denique medios qui hierarchizentur ipſi, quique hierarchizent. Vocabulis hiſce in optimi Theologi officina fabricatis, ſic vſus eſt poſtea Loëmelius, vt Hierarchiam Eccleſiæ diuideret *in Hierarchizantem & Hierarchizatam*. Hic vero exultat Grāmaticus Aurelius, & *nouam iſtam Hierarchiam hierarchizatam exſibilat: Hierarchiam Ieſuiticam, à Ieſuitis ſodalibus hoc tempore fabricatam* appellat: quorum tamen *non tam potens eſt potentia, & ſolertia, vt figmentum quod nuper inuenerunt, ad decimum ſextum retro ſeculum trahere, & in S. Dionyſij opera transferre poſſit*. Loëmelium defendere non inſtitui, *ætatem habet*. Quæſtionem nondum definio in cuius gratiam hæc verba ſunt vſurpata: nam & illa ſuo in ordine locabitur: & modò generalius aliquid tractamus, quam quod Eccleſiæ ſoli conueniat. De nomine & verbo cum Grammatico tantum velitor, & eum omni penè ex parte deceptum eſſe commonſtro.

*Ridentur ab Petro Aurelio in Vindic. p. 454. 455.*

*Vox Hierarchizata non eſt recens cuſa.*

Tria ſolum in hanc diſputationem venire poſſunt & reprehendi, Participij ipſius *hierarchizata* fabricatio: eiuſdem cum nomine Hierarchia coniunctio, & vtriuſque in S. Dionyſij opera translatio. In primo ſi quæ culpa eſt, tota Gerſonis eſt, non Loëmelij. Dixit Cancellarius *hierarchizare & hierarchizari*, vſus eſt voce ab eo adinuenta Canonicus Lectoralis: quid hic ſuggillas?

In altero culpæ maior eſt ſpecies. Non dixit Gerſon *Hierarchiam hierarchizatam*, dixit Loëmelius, hoc delicatas aures Petri Aurelij offendit. At ruſticior, Grammaticotum iudicio, Franciſcus Hallier, vt pote Theologus, ſcrupulum hunc facile deuorat, & inſuper habet voce cum aduerſario conuenire, modo ſenſu diſcrepet. Admittit igitur diuiſionem Hierarchiæ in *Hierarchizantem & hierarchizatam*; ſeu vt explicat, *Agentem & Patientem*, cumque nimis latè fuſam eſſe huius ſignificationem, adeoque *impropriam* aſſeruit: addit id, quod ab eo accepit Aurelius, Hierarchiā propriè ſumptam non aliam eſſe quam Hierarchizantem, ſeu Agentem: eamque ad illos tātum pertinere qui Hierarchici Principatus ac poteſtatis ſint participes quod ſuperius à nobis ſatis ſuperque refutatum eſt.

*Hierarchia Hierarchizata vocabulum non repudiat Hallier in Vind. p. 578.*

*Hierarchia Hierarchizata locutio propria non eſt.*

Itaque Hierarchiæ diuiſionem recipio cum Franciſco Hallier, *in hierarchizantem & hierarchizatā*; cum eo tamē diſcrimine & analogia, vt illa quā hęc ſit perfectior, vtraque propria. Verū addo, ne ſibi nihil cōcedi queratur Aurelius, videri mihi minus propriam *Hierarchia Hierarchizata* locutionem: non tam

ideo

ideo quod ipſa vox Hierarchiæ poteſtatem & imperium ſonet, cui cum paſſiua ſignificatione minus conueniat; ſed quod totius nomen, parti vni, eique imperfectæ non bene accommoderur. Pars igitur Hierarchizans, pars Hierarchizata, ſiue gradus,dici debet,vt Cancellario placuit,qui poſuit *ordines Hierarchizatos, ordines Hierarchizare* : & niſi cœcus eſſet Aurelij amaror, vidiſſet in Loëmelio, non ſemel *perſonas Hierarchizatas*. Quod ſi quis oratione συνεκδοχικῶς figuratâ, partem illam totius nomine donauerit, ſi me audiet Aurelius,non paratragœdiabitur in nugis.

Ad Dionyſium quod pertinet, videamus illi-ne imponatur à Loëmelio *tertia Hierarchia*, ſeu *Hierarchia Hierarchizata*, ſi non ipſum vocabulum, at certè Aureliana explicatio. Poſt repetitam capite illo quinto Hierarchiæ Eccleſiaſticæ diuiſionem, in ſacra, in Miniſtros ſacrorum, in initiatos; addit vnamquamque partium ita diuiſarum, ad exemplar legalis, imo vero Angelicæ Hierarchiæ, ordine apto & conueniente diſponi in primam, medianı, & vltimam. Loëmelius ſuperioris diuiſionis partem poſtremam, id eſt initiandos, vocat *tertiam Hierarchiam*, ſiue ſimpliciter *Hierarchizatam*, illamque ait *in tres ordines diuidi*, quod verum eſt; & ipſiſſima S.Dionyſij doctrina, Energumenos, Pœnitentes, Catechumenos inferius explicantis. Non eſt igitur ab eo peccatum in diuiſionem, ſed fortaſſe in Grammaticam, quæ verum Theologum morata nunquam eſt. Verum ſi hoc illi condonaret Aurelius, quam multa, quamque bona in Loëmelium, id eſt, in Ieſuitas omnes, verba perderet.

*In hac quæſtione quid erratur à Dionyſio.*
Ἐπειδὴ δὲ τριὰς τῆς καθ' ἡμᾶς ἱεραρχίας διαιρέσεως, ἀκολούθως τῇ τελεσιουργικῇ καὶ τῇ ἐνθέῳ καθ' ἡμᾶς ἱεραρχίᾳ πρώτῃ καὶ μέσῃ καὶ τελευταίᾳ τέτακται δυνάμει. c.5. Eccleſ.

Id ergo poſitum ſit,in omni Hierarchia, extremos eſſe ordines duos, medium vnum: hierarchizare duos, ſummum & medium: hierarchizari totidem medium & infimum.Manendo autem in eadem Hierarchia,ſupremum tantùm hierarchizare, vltimum tantùm hierarchizari. Sic generatim partes Hierarchiæ cuiuſlibet duas eſſe, Hierarchizantem & Hierarchizatam, ſeu Agentem & Patientem; quarum vtraque æquè propriè, ſed non æquè perfectè ſit de Hierarchia.Eſt enim ſæpe repetendum, æqualitatem in Hierarchia non eſſe neceſſariam, quod in Angelica fusè probat Guillel.noſter Pariſienſ. Guil. Pari. 2. P. de vni p.2.c.150

## *HIERARCHIÆ VT GENERIS IN SPECIES DIVISIO.*

## CAPVT XV.

NIHIL hic nobiscum Aurelio diſputandum, in re quam perſpicax eius ingenium ne per ſuſpicionem quidem attigit: etiam ex quo magnam Dionyſij mentem admirabili μετημφιασμένως in pectus ſuum ſenſit infuſam. Si quid tamen ad eius doctrinam addi poteſt,hic ſaltem agnoſcet non vni ſibi *Hierarchiæ naturam generatim* eſſe perſpectam.

Tres Hierarchiæ ſpecies diſtinguit Dionyſius,Diuinam,Angelicam,& Humanam,ſiue Eccleſiaſticam. De duabus poſtremis nulla pugna pugnabitur. Primam & ſupremam certandi potius animo, quam quod id ad rem de qua agitur, pertinere magnopere autument, eripere tentabunt aduerſarij, *ne quid ſit in quo gloriari poßimus nos eſſe veraces*. Eam tamen certò tradidit S. *In Deo Hierarchiã agnouit S. Dionyſius.*

Dionyſ. c. 3. cœl. — Hugo l. 4. in c. 3. cœl. — Idem. l. 2. c. 3. in cœl.

Dioniſius cum definitione Hierarchiæ propoſita, ſubiunxit. *Diuina pulchritudo vt ſimpla & optima, vt conſummatiua: pura quidem eſt*, &c. Quæ verba qui exponit Hugo *Diuina* ait *pulchritudo, quam ſummam nominamus Hierarchiam, ſecundum quam cætera facta ſunt Hierarchia.* Quod & antea dixerat apertius. *Tres ſunt Hierarchiæ in quarum deſcriptione Theologus, & narrator Hierarchiarum, & poteſtatum ſacrarum quæ in Cœlo & in terris ſunt, Dionyſius opus conſummatum explicuit. Prima principalis omnium, & forma & exemplar reliquarum, ſumma & ineffabilis poteſtas eſt Trinitatis.* Conſentit Guillel. Pariſ. *Sapientem iſtum diſtinxiſſe Hierarchias in tres, Diuinam ſcilicet, Angelicam, & Humanam: Diuinam intelligendo ipſam venerandam ſolamque, & ſemper adorandam Trinitatem.* Neque ſolus S. Dionyſius, ſed & Apoſtolicus vir S. Ignatius, loco alibi producendo, Angelicis Hierarchijs Diuinam adiunxit, nominatis ſingulis auguſtiſſimæ Trinitatis Perſonis. Conſonat & Sophronius vbi meminit *Trini vniciqué Principatus vndecumque perfecti.* Quibus adnumerare lubet S. Bonauenturam, & ipſum Seraphici doctoris titulo illuſtrem, ab Aurelio in res alias maximè intento diu multumque verſatum. *Cæleſti Hierarchiæ placuit*, inquit, *aliquos ad hoc opus eligere, quos & ſubcæleſtis Hierarchia voluit & debuit approbare.* Quæ profecto *Cæleſtis Hierarchia* non eſt Angelorum, quibus non competit *eligere* aut mittere homines.

Guil. Pari. 2. P. de vn. p 2. c. 140. — Ignat. ep. ad Trallian. — Sophro. in encomio Angel. — Bonau. Apol. Pau. reſp. 4 3. p. a. 1. Aurel. p 416.

*Contraria S. Thomæ aſſertio explicatur.* — S. Tho. 1. p. q. 108. a. 1.

Videre mihi videor grauiſſimam D. Thomæ auctoritatem nobis oppoſitam, qui præciſè affirmat *eos errare, & contra Dionyſij intentionem loqui, qui ponunt in Diuinis perſonis Hierarchiam, in quibus eſt ordo quidem naturæ, ſed non Hierarchiæ.* Verum illi facilè cum noſtris Doctoribus conueniet, ſi attendimus eum de mente S. Dionyſij loqui, hoc eſt, de poſitâ ab eo Hierarchiæ creatæ definitione; quæ profecto in ſanctiſſimam Trinitatem non quadrat, in qua Purgatio, Illuminatio, Perfectio propriè non reperitur, cum ſit ipſa eſſentialiter Puritas, Veritas, Bonitas: quod non tacuit D. Dionyſius. Tum etiam propriè loquendo, qui finis ipſe eſt rerum omnium, finem non habet; vnde licet omnia dicatur facere propter gloriam ſuam, exiſtimandum tamen non eſt gloriam illam eſſe Dei ipſius, ſed operum ab eo conditorum finem: quia eo fine operatur, vt in operibus, & per opera ipſius bonitas, ſapientia, potentia eluceſcat. Eam ob cauſam dudum monuimus creatas tantum Hierarchias ab S. Dionyſio deſcribi. Verum non negat magnus Doctor, imo potius fatetur in Trinitate ordinem quendam perſonarum, qui ſanè ſacratiſſimus, & diuinus eſt; quem & poſtea terminari ait ad Spiritum Sanctum. Nec aliud noſtri voluerunt. Siquidem Guillelmus *cognominationem Hierarchiæ* docet *per excellentiam conuenire Beatiſſimæ ac glorioſiſſimæ Trinitati.* Et Hugo illam eſſe *formam & exemplar* reliquarum: exemplar autem nulla neceſſitate conuenit in eadem ratione, cum iis quæ exprimuntur.

Dionyſ. c. 3. cœl. — D. Th. cit. a. 6.

*De tribus Hierarchiis ſeorſim tractat S. Dionyſius.*

Quod autem monebat Hugo ſuperius; opus conſummatum à Dionyſio explicatum eſſe: quis vetet ſic intelligere, vt cum Angelicam Hierarchiam libro de Cœleſti; Humanam, libro de Eccleſiaſtica Hierarchia deſcripſerit; Diuinam longè alia, eaque obſcuriore methodo, libro de Diuinis nominibus, & de Theologia myſtica ſublimius attigerit: quia nihil habet in natura diſtinctum, nihil in actionibus foras exertis diuerſum, nihil in ſumma æqualitate, per ſummos infimoſque gradus diſpoſitum, nihil denique in perfectiſſima virtutum omnium abſolutione purgandum.

SUPREMI

***SVPREMI GENERALIS HIERARCHIÆ PRINcipes, & Hierarcharum Hierarcha conſtituuntur.***

## CAPVT XVI.

QVAM verè tria ſint omnia, concipiet facilè, qui ſpecies Hierarchiarum in generalem vnam & communem conſlabit cum D. Thoma, quæ totam rationalem creaturam ſacrorum participem comprehendat, cuius ſit Deus per excellentiam Hierarcha Perficiens, Angelus per officium Illuminans, homo per ſubiectionem Purgans. Deus vt Princeps intendens finem: Angelus vt conſiliarius, & quaſi adiutor, præſcribens media ſecundum ordinationem Principis: homo vt miniſter in ſe exequens. Siue, Deus conſtituens Ordinem, Angelus per Scientiam gubernans, Homo Actionem in ſe ſe exprimēs. Neque alius cogitari poteſt ſupremus Hierarcha, qui ſecundum excellentiam, ſeu per exceſſum, & vt vocant, eminenter, inferioribus præſideat. Apertè S. Dionyſius rem ad ſuum principium reduxit, & tria iſta compoſuit, cum dixit Hierarchiæ principium eſſe Trinitatem, vitæ fontem & bonitatis eſſentiam, cuius voluntas ſit ſalus ſubſtantiarum tam quæ nobis coniunctæ, quam quæ ſuperiores ſunt.

*Totalis vna Hierarchia ex omnibus conflanda.* — D. Th. 1. P. q. 108. a. 1. — Dionyſ. c. 1. Eccleſ.

Verum quoniam diuerſæ à ſubditis ordinibus naturæ eſt, alium prætereà requirimus in ipſo rerum creatarum ordine, qui creatis duabus, Angelicæ & Humanæ imperet: quique ſit non iam eminenter, ſed formaliter Hierarcha, ſeu ſecundum proprietatem; qui vnus eſt eorum modorum, quibus apud D. Thomam ratio aliqua reperiri poteſt; qui quidem Hierarcha ſit caput, & pars præcipua eius ordinis, cuius eſt Princeps. Quemadmodum præter numerum numerantem, qui eſt in intellectu numerantis, neceſſum eſt in numero numerato dari vnitatem, quæ ſit principium & pars illius. Ita licet Deus ſit cauſa prima, reperiuntur tamen creatæ cauſæ in ſuo genere principales: licet ſit Rex Regum & Dominus Dominantium; nullum tamen regnum eſt, nulla familia, vbi Rex ſuus, ſuus Dominus deſideretur. Ad hanc dignitatem exiſtimant plerique deſtinatum à Deo fuiſſe Luciferum *initium viarum* eius, *cunctis agminibus Angelorum prælatum*, vt loquitur S. Gregorius: qui eſſet proprius Princeps Angelicæ primæ, & communis Hierarchiæ generalis, Angelos & homines complexæ, ac per id excellenter & eminenter Hierarcha aliarum Hierarchiarum ſubordinatarum. In cuius locum ſucceſſiſſe S. Michaëlem piè & probabiliter affirmat Mauclerus; ſed non ijs rationibus quæ aſſenſum noſtrum omni neceſſitate extorqueant. Sub eo nulla mihi apparet neceſſitas proprium ſingulis cœleſtium ſpirituum Hierarchijs Hierarcham aſſignandi: cum iiſdem omnes medijs, ad eundem Hierarchiæ finem tendant. Suum autem priuatum totali Humanæ Hierarchiæ tradere, ſuadet oppoſita ratio, quod idem finis per diuerſa media quæratur: eſt igitur ille, diuerſorum mediorum principium, ſub diuerſa ratione conſiderandus: vbi vero diuerſa eſt principij ratio, ibi ordinem diuerſum eſſe oportet; & Hierarchiam. Erat ergo huic etiam totali Hierarchiæ præponendus aliquis Hierarcha, qui ſine dubio fuit Adamus: à quo tanquam à capite bona omnia

*Creaturarum Hierarchiarum Hierarcha.* — D. Tho. loc. cit. a. 3. — *Lucifer.* — Gregor. Hom. 34. in Euang. — *S. Michaël.* — Maucle. de Monar. l. p. l. 4. c. 8. & 9. — *Adamus.*

in nos deriuari debebant,ſi ſupremo Hierarchæ ſe totum & penitus ſubijceré voluiſſet.

*Creatorum Hierarcharum cum Deo comparatio.*

Quod ſi creatos hoſce Principes, cum ſupremo & eminentiſſimo Hierarcha conferre volumus; in eo maximè conuenire repetiemus, quod vtrique ſint Principium. Tam enim id quod eſt natura atque excellenter, quam id quod eſt tantum per participationem, principium eſt, licet imperfectius; quia *non eſt plenariè*, inquit S.Thomas, *ſed deficienter*. In eo vero potiſſimùm differunt, quod creatus Hierarcha ita ſit principium, vt ſit etiam pars ordinis; non autem Deus, qui eſt ipſe primum principium, & finis omnium vltimus. Vnde fit vt Deus non habeat ſibi communem cum creaturis finem & bonum. Creatus autem Hierarcha ſpectet totius Hierarchiæ bonum, vt id cuius eſt particeps, & à quo ſibi etiam benè futurum cognoſcit, cum ipſis etiam Angelis gloria accidentalis accreſcat.

D. Th. ck.

*Vnus Hierarcha Chriſtus.*

Sed quoniam & Luciferum intoleranda ſuperbia, & Adamum contracta peccato mortalitas, præſtante illo Principatu deiecit; mutatus eſt ordo ille, ſed vt à Deo decebat mutari, in melius: iamque locum vtriuſque Ieſus Chriſtus implet, longè nobiliori modo factus caput vniuerſalis Hierarchiæ creatæ, & ſingularum, quam fuiſſet vnquam aut Lucifer vniuerſalis, & Angelicarum; aut Adamus Humanæ. (nam de S.Michaële certo nihil ſtatui poteſt) Propterea Ieſum S. Dionyſius eſſe pronunciat *omnis Hierarchiæ tum ſanctitatis, tum diuinæ actionis principium. Totius Hierarchicæ interpretationis manifeſtationem. Hierarchiam omnem in Ieſum deſinere.* Itaque primæ Hierarchiæ ſpiritus *circum Ieſum ſtare & locatos eſſe, & beatiſſimis eius contemplationibus pro captu plenos eſſe, tanquam verè ad ipſum proximè accedentes in prima participatione cognitionis deificorum eius luminum.*

D onyſ.c. 1 Eccl. c.2.cœl. c 4 Eccl. irſcon. c 7.cœl.

*B. Virgo immediatè ſubeſt Deo in Hierarchia.*

Sub eo immediatè colloco non iam caput, ſed quaſi collum & præcipuum Principis Hierarchæ inſtrumentum, Auguſtiſſimam Angelorum & hominum Reginam Mariam Deiparam, per quam Deus habere nos voluit quicquid boni cœlo terraque continetur. Certe quod collum dixi, iam id antea viſum Georgio Veneto, qui Mariam appellat, *Collum Eccleſiæ, per quam veniunt diuinæ influentiæ in corpus ipſius Eccleſiæ à capite Chriſto*: Bernardo autem dicitur, *vellus medium inter rorem & aream, mulier inter Solem & Lunam, Maria inter Chriſtum & Eccleſiam conſtituta.* Eo reſpexiſſe videri poteſt Richardus à S.Victore, cui dicitur *inter diuina; & humana media, & mediatrix, vt humana ſupergrediatur, dum tam ſublimia per filium operatur.* Eodem in magnam Matrem animo Gerſon noſter, vult ſolam ipſam *conſtituere Hierarchiam ſecundam ſub Deo Trino & vno, Hierarcha primo & ſummo, apud quem Hierarcham Humanitas filij ſui ſola ſublimata ſedet à dextris virtutis Dei per vnitatem ſuppoſiti.* Et ne quid ad legitimam Hierarchiæ diſpoſitionem deſit, eodem loco dicitur abyſſus illa diuinarum largitionum, *iuxta Hierarchiam Dionyſij legem, continere eminenter omnem perfectionem creaturarum, tanquam inferiorum, vt iure dicatur Regina mundi, & Domina.* Et vt ad antiquiores aſcendamus S.Ephrem Mariam ita ſalutat, *Aue præclariſſimum Hierarchiarum cœleſtium ornamentum, aue lignum vitæ, gaudium & voluptas, aue vallum fidelium, & mundi ſalus.* Methodio ſanctiſſimo Pontifici, dicitur *fons vberrimus totius ſanctitatis, animarum altare, panis vitæ.* In ea Gregorius Thaumaturgus ait fuiſſe *reconditum totius gratiæ theſaurum.* Et quoniam primarium Hierarchæ inſtrumentum appellaui, hoc etiam tituli genus è

Georg.Venet.inCan. c.1.tom. 8. c 29. Bern.ſer. de Aſſum. Richard. à S.Vict.expoſit. in Cant. p. 2. c.39. Gerſon tr. 4. in Magnificat ad illa verba: Beatam me dicent: Ephre.ora. de laud. S. Dei Matr. Metho. or. in hypapantem. Greg Neocæſ. hom. in annunc. B.Mariæ.

Patrum

Patium ſenſu demonſtrandum eſt. Richardus à S. Victore *omnium*, inquit, *ſalutem deſiderauit, quæſiuit, obtinuit: imo ſalus omnium per ipſam facta eſt*. Quæ verba quacunque explicatione elucidentur, in mentem meam redeunt. Petrus Damiani grauiter dicit *Per ipſam, cum ipſa, & in ipſa totum hoc faciendum decerni: vt ſicut ſine ipſo factum eſt nihil, ita ſine illa nihil refectum ſit*. Multus eſt S. Germanus Patriarcha Conſtantinop. in Virgine celebranda, quam aliquando vocat *vitæ largitricem, maledictionis interemptricem, benedictionis conciliatricem*. Alias ipſi cum omni fiducia dicere audet, *nemo eſt qui liberetur à malis, niſi per te, ô puriſſima: nemo eſt cui donum concedatur, niſi per te, ô caſtiſſima: nemo eſt cuius miſereatur gratia, niſi per te, ô honeſtiſſima*: & alibi rationem reddit cur in Liturgia ſtatim poſt Chriſtum B. Virgo inuocetur, ante reliquos ſanctos: *quia ipſa eſt dux miniſterij, & veræ diſpenſationis, meritò tanquam ſuperiorem Dei matrem omnibus ſanctis, aut etiam ipſis ſuper cæleſtibus poteſtatibus in ſupplicatione primam appellamus: deinde eos qui complacuerunt eius filio*. Vbi & Crateras interpretetur *manus Deiparæ, ſalutare lætitiæ poculum, & tutelare ac conſeruatorium totius generis humani*. Neque viatores ſolos, ſed etiam beatos in cœlo eius munificentiæ participes facit Richardus Victorinus, dum aſſerit *non ſolum per eam, legem gratiæ in terris, ſed etiam viſionem Dei animabus datam eſſe in cœlis*.

Richard. à S. Vict. in expoſit. in cant. 2. p. 1. c. 23.
Pet. Dam.
German. CP. in Pſ. 44.
Idem orat. de zona Deip. c. 11.
Idem lib. Theoria rerum Ecc.
Richard. Vict. expo. in Cantic. 2. p. c. 39.

Hæc & infinita iſtiuſmodi Magnæ Matris encomia non inuidebunt, credo, Aduerſarij, ne parum piè de Virgine ſanctiſſima, ſentire videantur: ſed his conceſſis, Principatum tamen ſecundarium in Hierarchia, quem illi aſſertum imus, fortaſſe denegabunt. Verum quid reſpondebunt ſi quæſiero, num ideo ſit Rex Hierarcharum Chriſtus quia eſt ſalus, vita, ſpes noſtra? Idem eſſe dicunt Patres & Virginem, inſtrumentaliter tamen, quod ille vt cauſa principalis eſt. Num quia ſalutem noſtram operatus eſt? Cooperata eſt & Virgo, & quidem plus cæteris. Num quia grandis illius familiæ Pater eſt? Mater eſt & Virgo: in nulla autem familia poſt Patrem, vlli aut œconomo, aut ſeruo, aut etiam filio, maior & amplior poteſtas eſt, quam Matri familias. Deſcendant ad Hierarchas, Angelos, aut homines, & vel vnum ex illis nominent qui plures, qui tam multos actus Hierarchicos exerceat, quos ſequente libro videbimus; qui opus vllum agat in aliorum ſalutem & Dei gloriam ſine Virginis opera; qui gratiam vllam gratuitam impendat Hierarchica caritate, quam à Deo per illud inſtrumentorum inſtrumentum non acceperit? Denique ſi titulum hunc Mariæ inuident, & reliquos eripiunt, & Hierarchiam de mundo tollunt.

*Ex dictis mo ſtratur B. Virg. eſſe eximie in Hierarchia.*

---

*GENERALIS ILLIVS HIERARCHIÆ PARtes quo ſibi inuicem ordine & reſponſu connexa ſint.*

CAPVT XVII.

NVLLA gratior eſt conſideratio quam diuini illius vinculi, & aureæ catenæ, qua Hierarchiæ omnes inuicem cohærent, & ad principium ſuum reducuntur. Quod enim inſtitueram dicere, in generali illa Hierarchia, Deus vt Princeps finem intendit; Angelus vt conſiliarius præſcribit media; homo vt miniſter exequitur. Deus tantum

*Singulæ generalis Hierarchiæ ſpecies, ſibi eminenter reſpondent.*

ordinat: homo tantùm ordinatur: Angelus & ordinatur à Deo, & homines ordinat. Dico tantùm ordinari hominem, quia licet ex eo quod ſit in Hierarchia debeat agere, vt olim dicebamus: gradus tamen infimus quatenus talis eſt, non alios, ſed ſeipſum tantum purgat, & in ſeipſum agit, quod viuenti, vt viuenti, multoque perfectius intelligenti, competit. Hæc ſi legerint, recolant Aduerſarij ſuam illam de Principatu Hierarchico doctrinam, de actione in ſubditos, gradu patiente *impropriè* ſolum & *reductitiè* ad Hierarchiam pertinente; & dicant quemnam in Hierarchia iſta generali locum homini putent aſſignandum?

*Inde probatur patientē ordinem eſſe in Hierarchia.*

*Homo in Hierarchia ſubiici debuit Angelo.*

Dico Angelum ordinare: Quia ſecundum leges poſitas à Deo rerum naturæ conſentaneas, nullus purus homo beatitatem ſuam aſſequi poteſt, niſi ope Angeli: quod hoc diſcurſu Theologico perſpicuè monſtratur. Angelus cum ſit Intelligentia, & Mens pura, non eget tempore, & multiplici actionum ſerie vt finem ſuum aſſequatur. Quare ſtatim à ſua creatione, ita meruit, aut demeritus eſt, vt actu vnico aut ad beatitudinem aſcenderit, aut in miſeriam præceps ierit. Et quia qui perfectus eſt in aliqua ratione, ſiue quod aiunt Philoſophi, in actu, eos qui in potentia ſunt, ſiue imperfecti, mouere poteſt, & ad perfectionem deducere: idcirco Angelus qui beatus eſſe debuit antequam homo exiſteret; aut certè beatus eſſet, potuit & debuit à Deo aſſumi tanquam cooperator & fratrum ſuorum adiutor. Eodem redit finis conſideratio, qui generalis iſtius Hierarchiæ, & priuatarum omnium vnus eſt: ad quem cum diuerſæ naturæ per ſua quæque tendant media; quis non videt eorum qui iam termino fruuntur & patria, partes eſſe, peregrinantibus adhuc, & in hoſtico inter pericula & præcipitia, impetu potius quam conſilio ingredientibus, viam complanare, auertere offendicula, hoſtes comprimere, lapſus monſtrare, & dicere *Eſt ibi ſemita & via, & via ſancta vocatur: hæc erit vobis directa via, ita vt ſtulti non errent per eam.* Inde fit vt pars hæc inferior vniuerſalis Hierarchiæ, ſit ita ſuperiori ſubordinata, vt niſi per eius actionem diuinas illuſtrationes non ſuſcipiat. Hinc etiam accidit, quod ſæpe monebimus, vt Angelica ſit Humanæ exemplar, quemadmodum Diuina vtriuſque forma & idea nuncupatur. Non dubito quin hoc loco tuum, Lector, animum honeſta curioſitas excitet ad indagandum, qua tandem ratione ſubordinatio illa exerceatur, & quomodo actibus Hierarchicis hominem Angelus purget aut illuminet. Verum totam hanc quæſtionem, quæ eſt illis cum B. Virgine communis, in Hierarchiam cœleſtem conferre duxi ſatius; cum mihi modò ſufficiat, vt rem ita ſe habere vel ingenio tuo, vel orationi meæ credas.

*Is. c. 35.*

*Hierarchiarum ordo colligitur.*

Eſt igitur admirabilis ille ordo, & nexus omnium quæ ſacro iſto Principatu gubernātur, vt ſupremus Hierarcha Deus vnigenito Ieſu Chriſto, Chriſtus dilectiſſimæ Matri Mariæ, Magna Mater cum illo Seraphinis, & toti primæ Hierarchiæ Angelorū, hæc ſecundæ, ſecunda tertiæ diuinas illuſtrationes contradat. Angeli deinde idem hominibus preſtent officium: immediatè quidem Hierarchæ; per ipſum autem inferioribus cæteris. Nam & hic ſupremus hominum in hoc ſacro ordine, tanta propinquitate Angelis coniunctus eſt, vt etiam Angelus appelletur: teſte ipſo S. Dionyſio. Eſt quoque ſcitum Theologorum, eas reuelationes quæ in commune bonum Eccleſiæ cadunt, eius Principibus & Hierarchis fieri. Quem ordinem cum ratio ipſa perſuadet,

*Hierarcha Angelus appellatur à Dionyſ. c. 5. cæl.*

det, tum etiam S.Dionyſij agnoſcit Paraphraſtes Georgius Pachymeres, ne nos vel latum vnguem putes à Magiſtro diſcedere, cum ait Purgare, Illuminare, Perficere, propriè & præcipuè Dei eſſe: deinde & quaſi ſecundariò Angelorum, tertio loco ipſorum hominum. Hoc ipſum in re quidem leuiori demonſtrat Plato, ſed ad propoſitum noſtrum eximiè, qui Poëticorum verſuum recitatorem, auditores ſuos in theatro admiratione defixos tenentem, cum Magnete comparat, qui annulos ferreos ſic ad ſe attrahat, vt aliorum etiam trahendorum vim ipſis & energiam imprimat. Qua in catena ſpectator annulorum extremus eſt, medius Rapſodus, primus ipſe Poëta: *Deus vero per omnes iſtos, hominum animos quocunque vult, trahit, dum inuicem vim ſuſpendit, ac traiicit, ex quo velut ex Magnete ſeries tota dependet.* Hinc fit denique vt *ab vno totum ſit, & ad vnum totum, & totum vnum*, vt impleatur Chriſti oratio, & ingens deſiderium, vt omnes *vnum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te.* O vnitas! ô in Deo! hoc vnum quærimus, ô Hierarchæ, & aſſequi prohibent qui pro Hierarchia pugnare ſe dicunt, Aurelius & ſimiles.

*Pachym. præf. in Paraphr. Dionyſ.* — *Apta comparatio magnetis & Rhapſodi en Plat. in Ione.* — Ioan. c. 17.

---

## *VTRA HIERARCHIARVM CREATARVM dignitate præcellat Cæleſtis an Eccleſiaſtica?*

## CAPVT XVIII.

NEC alienum à propoſito, nec iniucundum eſt duas è tribus Hierarchias, reliquum huius operis laborem occupaturas inuicem conferre, & ei palmam dignitatis offerre, quam auctor Hierarchiarum, ſupremus & vnicus Hierarcha, pluribus Hierarchicis doribus honorauit. Primam neque ſolam neque vlli aliarum coniunctam in certamen adduco: *ſcio* enim *quod non iuſtificetur homo* vel Angelus *compoſitus Deo.* Vtramque creatam in eo ſtatu conſidero quo nunc fruitur, & prout alterius rationes ab altera ſeiunctæ ſunt. De naturæ quoque præſtantia nulla quæſtio, cum ſe minutum paulo minus ab Angelis agnoſcat homo, quamliber gloria & honore coronatus. Itaque in controuerſiam venit Hierarchia, eiuſque ordo, influxus, finis, media; hæc omnia ſintne in cœleſti apud Angelos, an potius in Eccleſiaſtica apud homines perfectiora quæritur.

*Statuitur huiuſce comparationis.* — Iob. c. 9.

Pro Eccleſiaſtica validè pugnat grauis & pius Doctor Michaël Maucletus, qui mihi perſuaderet illam ad ſupremum dignitatis apicem, etiam ſupra Angelos, euectam eſſe, & horum ſacros ordines illius maieſtati aſſurgere, niſi me ab ea ſententia reflecteret Dionyſiaca Hierarchiæ definitio ab omnibus recepta: in qua plurimas grauiſſimaſque video cauſas quæ Angelicam Hierarchiam Eccleſiaſticæ præferri cogant. Scitum enim eſt è Logices rudimentis, cui potius perfectiuſque definitio conueniat, illud eo in genere melius nobiliuſque eſſe definitum. Itaque cum Hierarchia ſit *ordo ſacer, ſcientia, & actio, diuinitatis ſimilitudinem quantum poteſt effingens, & ad illuſtrationes diuinitus ipſi inditas pro rata aſcendens*: dubium nemini eſſe poteſt, ordinem Hierarchicum apud Angelos eſſe pulchriorem, qui cogitauerit cœleſtem Hierarchiam Humanæ ideam & exemplar eſſe, & inferiorem hanc caſtrorum aciem, ad eius militiæ cœleſtis formam ordinari: quod multis conficit ipſe

*Angelica humana præfertur.* — Contra Maucleti opinionē l. de Mona. 1. P. l. 5. c. 8. 9. 10. — *Ordo Hierarchiæ Angelicæ nobilior quã humana.*

Maucler. ibid. c. 4. & 5.

Mauclerus,& nos inferius ex S.Dionyſio aliiſque monſtrabimus.Cauſam autem effectu ſuo, & ideam antitypo perfectiorem eſſe non eſt probandum. Certè Patrum omnium intenta mentis acies, cum in admirabiles illos ordines fixa eſt,tam ſuauiter in illa contemplatione habitant, vt in terris ſimile aut æquale nihil repiriri non obſcurè ſignificent. Ac licet illa vtriuſque Hierarchiæ diſpoſitio Deum habeat auctorem, potius tamen eam Angelis quam hominibus conuenire ſubindicat S.Dionyſius,cum eos dicit *natura præeſſe, & principatum obtinere*: quod ad homines referri non poteſt,quos natura fecit æquales inuicem,Angelis minores.

*Angeli natura præſunt*, Dion. c. 15 cœl.

*Obiectio contra ordinis nobilitatem.*

Hunc tamen ordinem & in capite, & in membris auguſtiorem eſſe apud nos,quam apud beatiſſimos ſpiritus, inde probat Mauclerus,quod Deus vnionis hypoſtaticæ prærogatiua non Angelos, ſed homines decorauit,per quam & intimius naturæ ſe noſtræ coniunxit, & nobilius Eccleſiæ caput dedit, videlicet Ieſum Chriſtum θεάνθρωπον, ſupra Angelos omnes, & ipſum Michaëlem principem & Hierarcham eleuatum. Ad membra autem quod attinet, non tantum Chriſtum & ſanctiſſimam eius matrem, ſed etiam Apoſtolos,& plurimos ſanctorum, vt meritis acceptiores Angelis non paucis, ſic gloria ſublimiores exiſtere,non temerè dici & credi poteſt. Verum huius argumenti leue pondus deprehendet,qui Chriſtum viderit non Hierarchiæ tantum humanæ, ſed etiam cœleſtis caput & Hierarcham eſſe, ab eo conſtitutum qui *ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam*, vt illud vnionis mirificæ priuilegium naturæ ſit non Hierarchiæ. Sanctorum autem merita,& diſpoſitas in cœlo ſedes ad Hierarchiam non pertinere, in qua non quæritur quis vberiore gratia, ſed quis ampliore iuriſdictione, aut maiori ordine ſit præditus. Quis enim non videt multos Hierarchico gradu ſubditos, ſuperioribus ſuis merito maiores eſſe poſſe? Quæ vero iſta eſt conſecutio, quod Apoſtoli vel Martyres Angelis ſuis cuſtodibus in cœlo ſublimius euehantur, inde monſtrari in Hierarchicis rebus & gradibus Angelicos ſpiritus cedere?

*Reſponſio.*

Epheſ. c. 3.

*Hierarchia non diſponitur ſecundum merita.*

*Supremi hominum comparati cum infimis Angelorum.*

Imo cum mihi probabilius videatur, homines æuo beato fruentes, ordinem Hierarchicum illius Hierarchiæ ad quam ſunt admiſſi non tenere, non inter eos & Angelos, ſed Angelorum cum viuis & ſpirantibus inſtituenda comparatio eſt: in qua,ex aliquorum opinione, de hominum maximo dicitur *qui minor eſt in regno cælorum, maior eſt illo* in ijs quæ mox in conſiderationem adducemus. Quia philoſophico pronunciato,infimum ſupremi, infinitis partibus nobilius eſt ſupremo infimi. Cuius & ſpeciem aliquam nobis D. Dionyſius exhibet,cum decurſis omnibus Angelorum Hierarchijs,explicata infima,vt Humanæ cum Cœleſti vinculum & nodum demonſtret, Eccleſiaſticæ caput Hierarcham,eo dignitatis eductum eſſe in ſcripturis gloriatur,vt Angelus domini nuncupetur, & ſit, *qui & pro virili proprietatis Angelorum quæ ab alijs accepta, alijs enunciat, ſit particeps, & ad eorum ſimilitudinem interpretandi, quantum homini licet, contendat.* Summa igitur Hierarchæ hominis gloria eſt, Hierarchicas infimæ Hierarchiæ actiones exprimere conari: nam ad Poteſtates & Dominationes,& Thronos Hierarchizantes, quis hominum audeat aſpirare?

Matt. c. 11.

Dionyſ. c. 12. cœl.

*Hierarchia Angelica ſcientia, quã humana clarior.*

Sequitur enim *Scientia*, cuius cum primam & immediatam profuſionem, ab ipſo fonte & theſauro Cherubini accipiant, & per eos alij pro rata portione; cum in ſole lumen ſine ſpeculo, ſine ænigmate, & nubecula contemplentur;

tur: mirum mihi videri debet ſi nos cum tota perſpicacia noſtra, in obſcuro fidei itinere, per incertas rationes ambulantes, ad lucis ſimilitudinem peruenire ante poſſimus, quam patriam teneamus. *Tu domine mi Rex* (aiebat Thecuitis ad Dauidem) *ſapiens es ſicut habet ſapientiam Angelus Dei, vt intelligas omnia ſuper terram.* 2.Reg.14. Summum fuit conferre ſapientiſſimum hominem & Regem Prophetarum cum Angelo, à quo ad Cherubinos & Seraphinos quam longa eſt intercapedo? In Eccleſia rebus fidei definiendis, dum ea non abſurdiſſimis hæreticorum erroribus turbaretur, quam multa coacta ſunt Concilia? Quam *magna* in ijs *conquiſitio* facta? quam pauci ex ſcriptorum veterum quaſi patricijs in explicanda religionis veritate ad ſcopulum aliquem non offenderunt? Credimus-ne in iſtis beatas caligaſſe intelligentias, aut ad eruendam veritatem Conciliorum aggregatione, & intento ſtudio eguiſſe?

*Obiectio contra Angelica ſcientia præſtantiam.* Vrget hic Mauclerus illuminatos fuiſſe ab Apoſtolis Angelos, & depulſam ab hominibus eorum ignorantiam in myſterio Incarnationis, Redemptionis, vocationis gentium clarè diſtinctéque percipiẽdo. Quod & validè Apoſtoli ipſius teſtimonio comprobatur, *Mihi omniũ ſanctorum minimo data eſt gratia hæc in Gentibus euãgelizare, & illuminare omnes; vt innoteſcat Principatibus, & Poteſtatibus in Cæleſtibus per Eccleſiam, multiformis ſapientia Dei.* *Apoſtoli Angelos illuminarunt.* Quibus ex verbis auſus eſt S. Chryſoſt. Paulum *Angelorum Euangeliſtam* appellare; & Patrum conſeſſione aſſerere poſſumus, prædicãte Paulo, alijſque Apoſtolis, didiciſſe Angelos quaſdam Euangelicæ annunciationis & vocationis gentium circunſtantias. Fuit ergo Apoſtolorum plenior perfectiorque ſcientia, quam Angelorum. Ephes. c. 4. *Paulus Angelorum Euangeliſta.*

*Reſponſio.* Tria mihi occurrunt quæ non incommodè reſpondeam. Primum, notam prius Angelis fuiſſe quam hominibus illorum myſteriorum ſubſtantiam. Si quidem illam eorum opera Deus & Prophetis & B. Virgini; aperuit & vocationem gentiũ myſtico ſomnio Angeli Petro Apoſtolorũ Coryphæo, & Cornelio gentilium primogenito annunciarũt, prius longè quàm Paulus Gẽtium Apoſtolus eſſet conſtitutus. *Subſtantiã myſteriorũ à Deo didicerunt prius Angeli, quam homines.* Circunſtantias ergo, vt in argumento dicitur, & alia quæ apertam diſtinctamque myſteriorum cognitionem pariunt, vſu quodam, vt ſic loquar, & experientia, agentibus reipſa & prædicantibus Apoſtolis nouè didicerunt; quod magnam in ijs imperfectionem ſcientiæ non arguit, neque propriè Apoſtolos Angelorum magiſtros vocari cogit. Aio deinde quicquid fuit in ſacra ſcientia prærogatiuæ, id ſolis Apoſtolis conceſſum fuiſſe, neque ad Apoſtolorum ſucceſſores tranſiiſſe illam erudiendorum quomodolibet Angelorum curam & miniſterium. *Apoſtolorum ſcientia fuit ipſis propria.* Quis autem extraordinarium munus paucis commiſſum, vocare velit in iudicium, vbi de certis legibus & ſtabili firmoque Hierarchiæ ordine diſceptatur? Num Deus naturæ auctor & gratiæ, immediatè per ſe ſe poteſt infimæ Hierarchiæ Angelum illuminare? num eo vti ad ingenerandam Dominationibus aut Thronis voluntatis ſuæ cognitionem? at non propterea ordo Hierarchicus turbabitur, aut Angelus Archangelo & Throno cenſebitur præferendus.

*Apoſtoli Angelos Hierarchicè non illuminarunt.* Nego tertio hanc illuminationem quam ab Apoſtolis Angeli perceperunt, Hierarchicam eſſe, & debere exiſtimari, vt quæ tantum ex accidenti euenerit, & non ſecundum Hierarchicam deſtinationem. Hanc enim Hierarcha ſupremus legem non poſuit Hierarchiæ, vt Angeli per homines illuminarentur: neque Hierarchica diſpoſitione ſunt conſecrati & conſtituti Apoſtoli ad Angelos erudiendos: neque ad illarum

D

mentium illuminationem, Apoſtolorum docentium prima ferebatur intentio, ſiue audirores ſe Angelos habere ſcirent, ſiue alia omnia cogitarent: quando in vnam Eccleſiæ ædificationem etant intenti, ad quam talis Angelorum doctrina non pertinebat. Humanum pono exemplum in Origene ad Porphyrij ſcholam, hominis eruditi ſpectandi cauſa, adueniente. Tunc enim ad diſcipulos dicente Porphyrio, potuit nonnihil ſibi hactenus inauditum perdiſcere Origenes: tunc propterea Porphyrium Origene, cui palmam ſapientiæ concedit, doctiorem exiſtimas, aut Origenem Porphyrij diſcipulum appellas? Itaque prædicantibus Apoſtolis omnia diſcunt homines, tanquam diſcipuli; aliquid Angeli, tanquam auditores honorarij, Apoſtolica prædicatio illorum reſpectu Hierarchica eſt, non iſtorum.

*Actio Hierarchiæ Angelicæ quã humana perfectior.*

*Fortis & conſtans erga Deum amor Angelicus.*

Linc. in c. 5. cœ. apud Bona. l. de ſeptem iti. ætern. in 4. itin. diſt. 2.

*Hominis amor intellectualis.*

Dionyſ. c. 4. de diui. nomin.

De *Actione* idem quod de *Scientia* iudicium. Nam ſi Deum aſpicimus, quam ſublimes erga eum perfectoſque actus Hierarchicos, ingeniorum noſtrorum imbecillitati inacceſſos amando, laudando, glorificando exercent ſpiritales illæ ſubſtantiæ? De amore qui vnus omnium præcipuus & fons eſt Linconienſis Hierarchiæ commentator, hæc verbis ſcribit aureis, quæ D. Bonauentura non ſemel deſcribere dignatur. *Angeli ex rationis abundantia ſcientes id quod appetunt eſſe verè deſiderabile, & vehementiſſimè, & intimè, & totis viribus deſiderandum & amandum amore puro, & non in aliud tendente; illud intendunt ita fortiter & inauertibiliter, quod illa intentio à nulla poteſtate, & potentia intercipi poteſt, vel impediri: & ſic amor intellectualium tenait in eu in viſum bonum, quod eſt verum & ſummum bonum.* Quo ſanè peruenire non poteſt hominis in Deum amor, quem *intellectualem* vocat D. Dionyſius, vt naturali, & animali ſuperiorem, ſic Angelico, & Diuino inferiorem.

Si de ſubditis loquimur, Hieratcharum in Eccleſia Purgationem, Illuminationem, Perfectionem ſubditis exhibitam, neſcio an quis ſana mente præferre poſſit Seraphicis & Cherubicis illuſtrationibus, quæ inferiores Angelos mirum in modum illuminant & perficiunt. Si deſcendimus ad homines, omni ex parte maiores agnoſcemus. Nam ſi paſſionis in Hierarchia magna dignitas eſt, vtri aur immediarius, aut perfectius à Deo patiuntur, Angeli an homines, Seraphini an Epiſcopi, Cherubini an Sacerdotes & Diaconi? Sin actionis maior eſt auctoritas, vtri plus agendo ſocijs conferunt, homines Angelis, an hominibus Angeli? Cœleſtis Hierarchiæ in Eccleſiaſticam actio tum Phyſica, tum Moralis inferius exponetur. Angelicam cuſtodiam & deprædicat, & ad imitandum Prælatis omnibus proponit Mauclerus ipſe: quam parem Angelis gratiam rependere poteſt homo, infirmitatis ludibrium, miſeriæ conceptaculum, bulla vanitatis, vmbra prudentiæ?

*Obiectio pro Actionis humanæ Hierarchiæ amplitudine.*

H. br. c. 2.

Obijcies nihilominus ex Mauclero, Iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, quæ Actione continetur, amplitudinem orbis rerrarum finibus non coërceri, ſed in cœlum, & inferos vſque protendi, quando *S. Petrus eiuſque ſucceſſores cœlos aperiendo, claudunt inferos, & illos claudendo, hos reſerant & aperiunt.* Quæ poteſtas Angelis denegata eſt, ab eo qui *non ſubiecit Angelis orbem terræ futurum, de quo loquimur.* Deinde Sacramentorum confectio & adminiſtratio, quæ ſunt actiones Hierarchicæ gratiam producentes, imo ipſum gratiæ dominum in auguſtiſſimo Sacramentorum conficientes, quanta gloria, quantaque maieſtate homines ſupra cœleſtes Spiritus efferunt? Reſpondeo Eccleſiæ Iuriſdictionem propriè non dici ad cœlum & inferos pertingere, ſed remotè tantum, &

*Reſponſio.*

moraliter, quatenus quicquid in Eccleſia facimus aut meremur, cœlo vel inferis dignos reddit, hominibus enim in ſolos homines vere & ſtrictè dictam poteſtatem Deus attribuit; qua ſoluti ſunt qui purgante vel æternùm cruciante flamma, amburuntur. Neque alio referuntur Angelicæ cuſtodiæ munia, quam ad clienres orco eripiendos, aſſerendoſque cœlo: quibus ſi dicitur *orbis terræ futurus non ſubijci*, neque profectò hominibus, ſed hominum & Angelorum Hierarchæ Chriſto. Si quidem illum *orbem futurum*, cum communi ſententia, ſtatum integræ reſurrectionis & gloriæ conſummatæ interpretor: de quo fusè tractat Apoſtolus ſcribens ad Corinthios, & verbis duobus Iſaias, cum *Patrem futuri ſeculi* appellat. Interim dum Eccleſia peregrinatur in terris, negari non poteſt actio phyſica Angelorum bonorum in malos; quam apertè prædicat Saræ dæmonium à Raphaële reuinctum, Michaëlis cum Diabolo altercatio de Moyſi corpore, prælium in cœlo magnum Michaëlis eiuſdem cum Dracone, Angelus eundem diabolum tanquam canem moloſſum in abyſſo catena ingenti alligans.

*Explicatur Apoſtoli locus.* H.b.c.2. 1.Cor.c.15. Iſai.c.9. Tob.c.8. Iudas in epiſt. Apo. c.12.&20.

Ad Sacramentorum confectionem quod ſpectat, dico in primis, actiones illas Hierarchicas Angelis conceſſas non eſſe, quod earum abſit in cœlo neceſſitas; vt Sacramenta omnia percurrenti facile patet. Quo enim Baptiſmus & Pœnitentia, vbi perpetua ſecuraque eſt puritas? quo Confirmatio & Extrema Vnctio, vbi nullus eſt ab hoſte metus, ſed inconcuſſa in bono conſtantia? Cui bono Matrimonium, vbi nulla ſingularium corruptio, nulla ſpeciei propagatio requiritur? Quamobrem Ordo & Euchariſtia, vbi ſunt omnes Deo ſuo *Regnum & Sacerdotes*, Deumque Chriſtum abſque panis velo facie ad faciem intuentur? Atque ſacramenta illa rebus aſpectabilibus & corporeis incluſa Chriſtus eſſe voluit, imperfectæ naturæ accommodata, vt homines in ſenſum & carnem proni; haberemus quo ſenſus noſtri afficerentur, & tanquam fugitiui quidam ſerui ſtigmate aliquo ad dominum reduceremur. *Si enim incorporeus eſſes incorporea tibi dediſſet Sacramenta*, inquit S. Chryſoſtomus. Sunt igitur omni ex parte imperfectionis imbecillitatiſque noſtræ notæ & characteres, Sacramenta illa quibus tantopere gloriamur; quæ cum Angeli non habeant neceſſaria, hoc etiam nomine nobis ſunt anteferendi.

*Cur Angelis negata Sacramentorum confectio.*

Præterea dico non Angelis ſolis inconceſſa; ſed etiam hominibus ijs qui Angelos inter æuum degunt: è quorum tamen gloria mox verbis argumentum iſtud ſequentibus, hominum ſupra Angelos dignitatem Mauclerus extollit. Sic enim ratiocinari licet; ſi neceſſitatem Sacramentorum pati, quandam denotat imperfectionem, cur ea ratio vt argumentum excellentiæ proferturt? Sin amplitudo ſacramentorum naturæ noſtræ magnitudinem amplificat, cur ea hominibus illis denegatur, qui nos Angelis in cœlo faciunt auguſtiores? Si demùm non ægrè patimur ſine dignitatis imminutione, Sacramentalibus miniſterijs vſibuſque priuari beatos ex hominibus, cur eam rem Angelis fraudi eſſe putamus?

*Negata etiam hominibus in cœlo beatis.*

Addo denique, quod maximè hac in cauſa maieſtati fauet Angelicæ, cum his adiumentis eorum ſtatus neutiquam egeat, egeat noſter; nos ipſos abſque illorum opera, & pene dixi, labore, his præſidijs vti non poſſe: ita diſponente Deo, vt comminiſtri ſint noſtri, operum duces, & perpetui in ſanctiſſimis illis myſterijs adiutores, vt ſequente libro videbimus: in quam Hierarchicæ ſanctitatis partem, aſſumptos ex hominibus cœleſtes Hierar-

*Sine Angelico miniſterio Sacramenta non conficiuntur.*

cha non vocat. Quare actionibus Hierarchicis hominem Angelus antecellit. Progredior vlterius ad finem Hierarchicum.

*Finem Hierarchia propius attingit Angelica, quam humana.*

*Diuinitatis ſimilitudinem quantum poteſt effingens.* Si reliqua in dubio eſſent, hoc profectò vincerent Angeli. Superfluum eſt enim quærere vtris maior & auguſtior ſit Deiformitas, & arctior cum principio amoris coniunctio, comprehenſoribus, an viatoribus; ijs qui *vident facie ad faciem*, an qui *per ſpeculum & in ænigmate* proſpiciunt: vtris quoque ſint magis idonea, ſanctiora, propinquius à Deo ſuſcepta ad eum finem media; cum in terrena Hierarchia per Sacramenta nobiliſſima, per Hierarchicas illuſtrationes atque perfectiones, per ordinem principatus & ſubiectionis Hierarchici, vnum id agamus, vt ſimus aliquando *ſicut Angeli Dei.* Quapropter nullo ex capite, meo quidem indicio, non ſuperat Eccleſiaſticam Hierarchiam Cœleſtis ſeu Angelica. Quod argumentum proximo libro tractandum recurret aduerſus Petrum Aurelium & Franciſcum Hallier: quos inter, & Mauclerum, hoc intereſt quod iſte ſalua pietate erga Cuſtodes ſpiritus donum reparatoris noſtri ſupra ipſos effert: illi Angelica munia quantum rationibus poſſunt eleuant & deſpiciunt, vt eorum depreſſione noſtram augeant Hierarchiam.

*Mauclerus in hac opinione differt ab Aurelio & Hallier.*

# DE
# HIERARCHIA
# ET
# HIERARCHIS.

## Liber ſecundus.

## DE PRIMA HIERARCHIÆ SPECIE QVÆ EST CÆLESTIS.

### PRÆFATIO.

*QVA HIERARCHIÆ COELESTIS CONSIderatio ad Eccleſiaſticæ cognitionem neceſſaria eſſe monſtratur.*

QVÆ *ſupra nos, nihil ad nos* attinere pronunciauit olim Græcorum ſapientiſſimus, ſatis quidem inſipienter optimo Lactantij iudicio. Id enim ſi tanquam ex tripode dictum accipimus, *Procumbamus in terram, & manus nobis ad præclara opera datas conuertamus in pedes: nihil ad nos Cælum, ad cuius contemplationem ſumus excitati, nihil denique lux ipſa pertineat.* Et hoc ille forſitan animo fuerit, quia veri numinis cognitione priuatus, beatiſſimi illius aſpectus, & pulcherrimi domicilij potiundi ſpem aut cupiditatem nullam conceperat. Nos autem quos Deus *de tenebris vocauit in admirabile lumen ſuum:* quorum vna eſt *vita cognoſcere Deum verum, & quem miſit filium ſuum:* qui ex quo Chriſtus *aſcendit ad Patrem ſuum & Patrem noſtrum parare nobis locum,* ſpe plena & ardenti deſiderio *acceſſimus ad ciuitatem Dei viuentis, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Eccleſiam*

*Cæleſtia ſpeculari Chriſtianum eſt.* Lactant. l. 3. diuin. inſtit. c. 19.

*primitiuorum qui conſcripti ſunt in Cœlis*, quid iucundius ſpectemus quam *Dominum Patris noſtri in qua multa manſiones ſunt?* quibus-cum libentius colloquamur, quam *conſeruis noſtris & fratrum noſtrorum?* quid audiamus attentius quam *arcana verba qua non licet homini loqui?* quid ſcribamus melius quam *ſermones Dei?* Equidem Iuſtinum video Martyrem Chriſtianæ fidei dediſſe nomen, veteris inſtrumenti vaticinijs ad Chriſtum eximiè accommodatis: Arnobium Rhetorem Chriſti & Chriſtianorum miraculis: Pacomium eorundem Chriſtianorum caritate & exemplo excitatum. Ego ſi de meo ſenſu loqui licet, nihil magis in Chriſtiana religione amo ac veneror, quam quod ſublimiter, & *dignè Deo* de Deo loquitur: cum variæ ſuperſtitiones figmentis ſacrilegis Dei naturam, & nomen in mera monſtra, & portenta commutent. Itaque Lector æquus Catholico tractatori & Religioſo Theologo permitteret, vt ſpero, vel captata occaſione, & opportunè, importunè de Deo rebuſque cœleſtibus, reguſtata identidem ſuauitudine diſſerere; ſi nulla probabilis eius tractatus cauſa incideret.

*Hierarchia cœleſtis exemplar eſt humanæ.*

Verum cum in inſtituto meo non iam excurſio, ſed opus: non emblema, non ornamentum, ſed res ipſa ſit illa ſupernarum contemplatio naturarum: quis reprehenſione dignum exiſtimauerit, ſi hanc illis partem operis conſecro, quæ totum ſuo ſibi iure vendicare poſſunt? Nam vt homo expreſſam in ſpeculo imaginem, ſuam meritò dicit; vt archetypon ſi loqui poſſit, effictum ad ſuam formam exemplar ad ſe retrahat: ſic Hierarchiam Humanam Angelica, Eccleſiaſticam Cœleſtis, & vtramque Diuina reuocat ad ſe ſe, & in prototypo perfectiſſimè ſpectari deſiderat. Eſſe autem Angelicam Humanæ exemplar Hierarchiæ, ſi homines, ſi libri tacerent, ipſi profecto cœleſtes orbes, & ardentes aſtrorum ignes quaſi linguæ clamarent. Dionyſio certè non
Dionyſ. c. 9. cœl. c. 5. Eccl. &c. fuit ſatis homines Angelorum opera ad Dei cognitionem adductos demonſtrare: ſed etiam placuit Humanæ Hierarchiæ gradum primum ſub Hierarcha, conferre cum Seraphinis: & in explicandis ordinibus perpetuò in Cœleſtem Hierarchiam, tanquam in ſpeculum intueri. Neque alia fuit, ſi Hugoni credimus, cauſa cur explicandæ Hierarchiæ principium ab Angelica fecerit, quam quod ea ſit *quaſi exemplar Humanæ Hierarchiæ, ad cuius ſimilitudinem ea quæ in hominibus eſt Hierarchia omnis facta eſt, & formata.* Quamobrem
Hugo l. 1. c. 3. in cœl.
grauiter dixit in Concilio Lateranenſi ſub Leone X. Coruinus Hernienſis Epiſcopus *Concilij originem à Deo initium accepiſſe & formam, qui Cœlum in tres principatus (quas Hierarchias vocant) inſtituit.* S. Bernardus eodem animo cœleſtis Hieruſalem ſimilitudinem transfert in Eccleſiam, *quod ſicut illis Seraphim & Cherubim, ac cæteri quique, vſque ad Angelos, & Archangelos ordinantur ſub vno capite Deo: ita hic quoque ſub vno ſummo Pontifice, Primates, vel Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Presbyteri vel Abbates, & reliqui in hunc modum.* Deinde tanquam eius conſeruationis zelo flagrans ſubijcit *non eſt paruipendendum quod & Deum habet auctorem, & de Cælo ducit originem.*

Coruin. Hern. orat. habita in Concil. Latera. ſub Leone X. ſeſſ. 12. Bern. l. 3. de Conſid. c. 4.

*Manca eſt aduerſariorum de Hierarchia Eccleſiaſtica tractatio. prætermiſſa cæleſti.*

Quod ſibi dictum accipient aduerſarij, à quibus adeò contemnitur cœleſtis illa caſtrorum acies à Deo ordinata, vt totam tribus abſoluant verbulis: contenti dicere, eſſe in illis ordinem Hierarchizantium, & Hierarchizatorum; infimamque Hierarchiam in Hierarchizandis hominibus occupari. Dicas ignem tangere, à quo confeſtim reſiliunt, quia fortaſſe controuerſiam illa conſideratione iuuari non putant. Qua igitur ex idea Hierarchici Docto-
res

res iſti Hierarchiæ ſuæ lineamenta duxerunt? nonne ridiculum eſt viuam ac ſpirantem effigiem formare velle, non conſulto exemplari? nonne temerarium eſt in periculoſam & difficilem viam ſine duce & rectore ſe dare? Quid in hoc itinere ſecuritatis ſperare poſſunt faſtiditis Angelis, quibus *Deus mandauit vt nos cuſtodiant in omnibus vijs noſtris, ne vnquam offendamus ad lapidem pedem noſtrum*? Et miramur eos in turpes decidiſſe lapſiones, non tantùm circa Hierarchiæ Eccleſiaſticæ doctrinam, ſed etiam circa Angelos, quas ſi quis eorum honori conſultum volet, incogitantiæ potius & ignorantiæ, quam beatarum mentium contemptui cupiet aſſignatas?

Pſ.90.

Imo etiam neglectus illius, & omiſſionis cauſam ſatis probabilem diſpicere mihi videor in eorum conatu & inſtituto. Nam quia totas animi vires in Regularibus ex humana Hierarchia proturbandis & exterminandis occupant, nihil ſibi pro Cœleſti reliqui faciunt, ſed *euertunt ſenſum ſuum, & declinant oculos ſuos vt non videant Cœlum.* Euenit autem iuſto Dei iudicio vt de cœleſtibus Angelis loqui nihil poſſint, qui terreſtres omni opprobrio peſſundant. Ego igitur locum hunc vt vacuam poſſeſſionem adeo: illud certè lucri facturus apud Aurelium, vt criminari non poſſit *nihil hic ſingulare reperiri, præter repetitos vulgarium cantilenarum ſuſurros.* Apud æquos autem & Theologos Iudices, vt certa hæc & ſolida de Hierarchia doctrina cenſeatur, quæ ritè à ſuo principio repetita eſt. Denique apud Deum; vt Iſraëlitarum priuilegio me inſtruat, dicatque *Ecce ego mitto Angelum meum qui præcedat te, & cuſtodiat in via* tractatus iſtius, *& introducat in locum,* Hierarchiæ, *quem præparaui. Obſerua eum, & audi vocem eius* Hierarchizantis, *inimicus ero inimicis tuis, & affligam affligentes te; præcedetque te Angelus meus.*

*Eius prætermiſſionis cauſa ex aduerſariorum animo ducta.*

Dan.c.13.

Exod.c.23.

---

## *DE SVPREMA HIERARCHIA QVÆ EST Auguſtiſſima Trinitatis.*

### CAPVT I.

OMNIPOTENS, adorande, colende, *poſuiſti tenebras latibulum tuum,* etiam vbi *lucem habitas inacceſſibilem*: cuius maieſtaté ſcrutari ſi volo, à gloria opprimendum minatur Sapiens: nullo vt hymno dignius tua prædicetur natura, quam ſilentio. Quod tamen aut in ſcripturis tuis reuelare dignaris, aut quod ille magni conſilij Angelus acceptum à Patre nobis nunciauit; *cum pro ſua in ſalutem noſtram beneficentia, in eorum numerum qui myſteria enunciant adſcriptus eſt*; ore licet mortali, poſt Theophorum Ignatium tibi dilectum, appellare audemus *Incomparabilem Dei Patris omnipotentis Diuinitatem, Domini Regnum, Spiritus ſublimitatem,* & dicere, eſſe te Patrem *à quo omnia,* Filium *per quem omnia,* Spiritum ſanctum *in quo omnia.* Eſſe te Patrem Principium ſine Principio; Filium Principium de Principio: Spiritum ſanctum terminum Principij, in quo Diuinæ proceſſiones conſiſtunt. Tibi Patri auctoritatem dari, Filio & Spiritui Sancto non dari ſubiectionem. Gradum inter vos nullum eſſe, vbi nullus maior, aut minor eſt: ordinem tantùm originis reperiri, qui nullum auget aut minuit pluſquam alterum. Eſſe in te *Patre vnitatem, in Filio æqualitatem, in Spiritu Sancto vnitatis*

*Quomodo concipienda ſit in Trinitate Hierarchia.*

Dionyſ. c. 4. cœl.

Ignat. epiſ. ad Trallia.

Hugo in ep. ad Rom. q. 282. 285.

*& æqualitatis concordiam. Quia ſicut vnitas eſt principium numerorum, ſed ipſa non habet eſſe ab alio numero; ſic & Pater cum ſit omnium cauſa, non habet cauſam. In Filio autem eſt prima diſtinctio, & diſcretio, & prima pluralitas, & ſecunda perſonalis vnitas: & ſi habet eſſe à Patre, nec Pater eſt, nec diuerſus ab eo in natura, ſed in omnibus æqualis & conſubſtantialis illi: Spiritus vero ſanctus ſic eſt ab vtroque, vt ſit vtrique æqualis.* Eſſe denique in te *Patre, ſummam omnium originem: in Filio perfectiſsimam pulchritudinem: in Spiritu Sancto beatiſsimam delectationem.* Tu ſacra Trinitas Hierarchiæ omnis forma & exemplar es, *ſacra ſupra omnem cogitatum, Principatus in vltimate Principalitatis, & Princeps atque Principium ex temetipſa & non aliunde: nec Principatus eſt in te, vel apud te ſuſceptum vel iniunctum officium, quin potius pura ac vera, eſſentialiſque nobilitas tua.* Tu Sanctiſſima Trinitas *Pura es ſine omni diſsimilitudine*, quia idipſum es totum & concordans vnum *Plena verò luminis æterni*, non quaſi illuminata, quoniam ipſa lumen es: *Et non indigens ſimul omnis Perfectionis*, quia totum habes & poſſides, & es ipſa totum quod poſſides. *Purgatio, Illuminatio, Perfectio, ſuper Purgationem, ſuper Illuminationem, ante Perfecta.*

Guil. Pari. 2. P. de vn. p. 1. c. 14.

Dionyſ. c. 3. cœl. Hugo in eum locum.

*SS. Trinitas fons aſtuum Hierarchicorum.*

Purgario Patri aſſignatur, qui vt naturæ, ſic puritatis ſubſtantialis fons eſt, & origo. Illuminatio Verbi eſt & Filij, cui veritas & ſapientia competit; vt pote per intellectum, & ipſius naturæ Diuinæ, omniumque attriburorum intelligentiam genito. Perfectio denique Spiritus Sancti, qui Bonitas ipſa & Caritas ſubſtantialis cum ſit, dicitur & eſt vinculum Perfectionis, ſeu nexus perfectè vniens Filium cum Patre: vt Filius qui a Patre procedit per generationem, affectu & voluntate reuertatur ad Patrem. Sed hæc de ineffabili Hierarchia ſatis: Quæ quoniam aliarum *forma & exemplar* eſt, quædam in ea maximè conſideranda ſunt.

*In Hierarchia Trinitatis non eſt Principatus.*

I. In hac Trinitatis Hierarchia Principium eſt, non Principatus: nemo enim Catholicus vnquam Patrem Filij Principem appellauit; nonnulli cauſam, omnes Principium dixerunt: vt explicatum communiſſimè nomen Hierarchiæ, non ſacrum Principatum, ſed ſacrum Principium ſignificare debeat. Ex quo apertè deducitur Hierarchizare poſſe aliquem, qui Princeps non ſit, neque *in ſublimi Eccleſiæ gradu inter magiſtratus collocatus*, quod requirit Hallier: cum in Trinitate ordinem habeamus Hierarchizantem ſine Principatu.

*Hinc refellitur doctrina* Hallier. in vin. p. 388.

*Tres Trinitatis virtutes totidem in creatis conſtituunt Hierarchias. Quo id fiat ordine.*

II. Deus iam in tribus Perſonis ſubſiſtens, & in ſe habens ſuam, vt ita dicam, plenitudinem, & perfectionem, intelligitur à nobis extra ſe agere poſſe: ſic tamen vt diuerſus ſit ordo actionis illius extraneæ, ab ordine actionis intrinſecæ. Nam cum ſermo eſt de Proceſſionibus Diuinis, prius origine ſunt ea quæ Patri, quam quæ Filio, aut Spiritui Sancto aſſignantur. Quando autem extra ſe actiuus cogitatione noſtra comprehenditur, primo bonus, tum ſapiens, vltimo potens, animaduertitur. Ad hunc modum Principi vero & perfecto in Hierarchia creata conſtituendo, tria neceſſaria ſunt bonitas, ſapientia, poteſtas executrix: prima dos perficit, ſecunda illuminat, tertia purgat. Idem in ſingulis Hierarchiæ vnius gradibus ordo reperitur, neque aliam videbis in enumerandis Eccleſiæ tribus Hierarchiis differentiam, vt cum eo ventum fuerit, huius prototypi recorderis.

*In Trinitate non eſt*

III. In Hierarchia diuina Pater dat eſſe Filio: hic accipit à Patre, & ſimul cum eo dat Spiritui Sancto. Hic vero habens ab vtroque, neutri Perſonarum

illarum

illarum, imo etiam alteri nulli dat illud eſſe; ſed ſatis eſt quod in ſe vitam habeat, quod viuat in ſe. Ita in creata Hierarchia ſufficit quod Princeps ſacrum illud & diuinum, ad quod ſpectat Hierarchia, dat ſecundo gradui, & iſte cum primo dat tertio, hic autem ſic accipit vt nemini donet, ſed ſecundum id quod accipit, viuit. Poſt hæc ſi pergunt Aurelius & Hallier ad Hierarchiæ rationem, exigere omni neceſſitate actionem Principis in ſubditum, à Diuina, ſi videtur, Spiritum Sanctum excludant.

*Actio tranſiens in ſubditum.*

IIII. Vt id fiat dilucidius, conſidera in Hierarchia Diuina non conuenire Spiritui Sancto rationem Principij aut dantis, ſed tantum accipientis & termini; & per iſtam ineffabilem receptionem naturæ diuinæ, eſſe tertiam Trinitatis Perſonam in Hierarchia Diuina, vt abſque ſcelere aliquam, vt ita dicam, ſine vlla mutatione Paſſionem ab Hierarchia non poſſis excludere. Cui non repugnat D. Thomæ doctrina, vbi pronunciat ſubtracto motu ab actione & paſſione, nihil remanere niſi relationem. Actio igitur illa ad extra, qua Spiritus Sanctus dat eſſe ſanctum creaturis, non eſt ratio illum conſtituens in Hierarchia Trinitatis: alias ante mundi molitionem Hierarchia in Auguſtiſſima Trinitate, nulla fuiſſet. Cur ergo tantopere triumphat Aurelius cum Angelos infimos in Angelica Hierarchia, ideo reponi dicit, quod homines Hierarchizent? Cur Fr. Hallier eoſdem Angelos ex eo quod in alios Angelos nihil agant, negat eſſe propriè in Angelica Hierarchia? Tam enim eſſe propriè debent in Angelica, quam Spiritus Sanctus in Diuina; neque magis in iis ratio Principij quærenda eſt, quam in Spiritu Sancto. Et vniuersè loquendo in Hierarchijs iſtis conſtituendis, non ſemper neceſſariò attenditur quid agant in inferiores naturas ad extra: poſſunt enim de Hierarchia eſſe, & nihil exteriùs in ſubditos producere. Et ſi qua pars creatarum Hierarchiarum alterius reſpectu actiua eſt, id habet præciſè, non vt eſt in Hierarchia, ſed vt in ſuperiore quam altera in quam agit: quod ad ordines ſingularum Hierarchiarum, & ad ordinum ſingulorum gradus extendendum eſt. Et tamen hic murus aheneus iſtorum eſt, vt negent tertium Hierarchiæ Eccleſiaſticæ gradum eſſe de Hierarchia, quia non agat in inferiora. Non hoc diceres Aureli *ſi naturam Hierarchiæ generatim* in eius idea, & forma ſpectare potuiſſes, Sed & hoc alibi videbis, deſcendendo ad res creatas.

*Spir. S. non eſt in Hierarchia Trinitatis per actionem in creaturas.*

D.Th. 1. P. q. 45. a. 2. & 3.

---

## IESV CHRISTI ET MARIÆ DEIPARÆ QVÆ *pertinent ad Hierarchiam contemplatio.*

### CAPVT II.

INFINITÆ Maieſtatis Thronum igneum vidit Daniel igneis rotis circumactum: cui ſubiectus *fluuius igneus rapiduſque egrediebatur à facie eius: millia millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſſiſtebant ei.* Hunc fluuium ſi de ineffabili diuinæ bonitatis in homines eluuione, deque ſupremo & vnico eius effectu, Verbi Incarnatione, ſanctiſſimaque Chriſti Humanitate explicuero, quis reprehendat? Si de Matre ipſius intellexero, quæ *ſola pons eſt, per quem Deus ad hominem deſcendit:* & ad Angelos poſt Deum facturus gradum, in medio immoratus fuero,

*Ieſu Chriſti & Mariæ encomia.*

Dani. c. 7.

*Maria Pons Dei.*

Procl. orat. de Chriſti natiuit.

[Dionyſ. l. de Diuinis Nom. c. 4.] quis iure coarguat? *Nonne diuinus amor bonus, boni, & cauſa boni* primum in illud ferri debet, quo melius nihil ſub Deo aſpicit? Nonne ardoris & incendij riuum in Seraphinos ab duplici illo fonte manare oportet? Niſi forte fluminis ignei ſimilitudine Filio conceſſa, Matrem cum Ezechiele videre mauis [Ezech. c. 1.] *velut aſpectum arcus cum fuerit in nube in die pluuiæ*, quæ Angelos homineſque diuinæ caritatis inundat oceano. Arcum inquam, & *compactam ſedem* cui Deus inſideat, multò conſtantius quam toti Thronicæ Hierarchiæ. Nubem inquam, imo matricem aquarum, quam Deus poſuit aſcenſum ſuum, eoque ſibi propinquiorem fecit, quo & à terrenis ſordibus defæcatior, & æthereæ [*De Chriſti & Mariæ humilitate & gloria præclarè philoſophatur* Guil. Pariſ. l. de Morib. c. 10. V. & Rich. de S. Vict. expo. in Cant. p. 2. c. 39.] leuitatis magis particeps extitit. *Quemadmodum enim quæ eſt proportio leuitatis ad leuitatem in corporibus, eadem eſt altitudinis ad altitudinem in locis, & ſitibus ſuis naturalibus: ſic quæ eſt humilitatis ad humilitatem hic, vel etiam in patria, ea eſt ſublimitatis ad ſublimitatem in gloria: vt quemadmodum ignis tantò eſt in loco ſuo & ſitu naturali aëre altior, quantò eſt eo leuior: ſic ipſa beatiſſima Dei genitrix tantò eſt cæteris electis ſede gloriæ ſublimior, quanto humilior eſt. Et ipſe Chriſtus Dominus ſecundum quod homo, eſt tantò omnibus cæleſtibus virtutibus, omnibuſque ciuibus cæleſtibus eminentioris gloriæ, quantò adhuc etiam eſt, non ſolum fuit, humilitate maiori præditus.*

[*Chriſti & Mariæ caritas.*] Poſſum ire per cæteras virtutes, & vtriuſque in ſingulis ſublimitatem admirari. Sed me rapit vna caritas quæ rebus omnibus pretium facit, vt *ignitum* quoddam *aurum*, nobilis Hierarchiæ finis, deifica ſimilitudo, & repugnantes adeò naturas æterno nexu deuinciens. Quiſquis amat ſe amat, vel agnoſcéte [Augu. l. 14. de Trin. c. 14.] Auguſtino *ſic conditam eſſe humanam mentem, vt nunquam ſe non diligat.* Imo etiam teſte Diuo Thoma, [D. Thom. 2. 2. q. 25. a. 4.] *amor quo quis diligit ſeipſum, eſt forma & radix amicitiæ*: & amare ſeipſum *non ſecundum naturam ſenſibilem, ſed ſecundum rationalem, vt ſibi velit ea bona quæ pertinent ad perfectionem rationis, præcipuè ad caritatem pertinet.* Amat autem ſe vel in ſe, vel in altero: in Deo, vel in creatura: & ſic amat vt vel alterum ſibi, vel ſe alteri coniungat. Inclinatio enim & pondus, vt ſic dicam, dilectionis petitur ex vnitate diligentis & dilecti, vnde dictum [1. Cor. 6.] *qui adhæret meretrici vnum corpus efficitur: erunt enim duo*, inquit, *in carne vna: qui autem adhæret Domino, vnus ſpiritus eſt.* Itaque quò aliqua duo magis inuicem amant, magis vnum ſunt; quò magis vnum, magis amant. Hinc diuerſi amores, quatenus quis ad alium accedit amplius, aut amplius recedit. Pater & [Ariſt. l. 8. & 9. Ethic.] Mater filium amant, vt aliquid ſuum, & plus ille: filius patrem amat & matrem, vt eſt eorum aliquid: frater fratrem, vt ambo ſunt vnius & eiuſdem [*Amor Chriſti Theandricus.*] principij. Deus autem ſe amat vt penitus vnum. Chriſtus ex duabus naturis compoſitus, dilectionem, vt cæteras actiones, habet Theandricam: id eſt, explicante S. Damaſceno, humana ipſius actio deitate perfuſa nec di- [Damaſc. l. 3. de fide orth. c. 19.] uinæ actionis expers: diuina ſimiliter humanæ actionis expers non eſt. Amat ergo Theandricè ſe Deum, & eundem ſecum ſubſtantialiter, non quidem in identitate naturæ, ſed ſuppoſiti: quæ res efficit vt tanta iſta non ſit dilectio, quanta ea qua ſanctiſſima Trinitas ſe diligit. Deinde amore fertur [*Chriſti & B. Virginis amor mutuus.*] in Magnam Virginem, vt ipſa eſt aliquid ſui, & ipſe aliquid eius. Amat enim vt eximia ſuæ redemptionis prærogatiua purpuratam, & primarium ſui ſanguinis effectum: qui nihilominus eſt eius aliquid quia filius, ex puriſſima eius ſubſtantia formatus. Ex aduerſo Virgo dulciſſima dilectionem illi rependit vt ipſa eius aliquid eſt, creatura, filia, redempta, gratijs cumulata, ad ſupremæ dignitatis apicem euecta. Et vt ipſe aliquid eius eſt, filius, &

alumnus. Quod licet obſcurius, tangere dici poteſt Methodius, cum Mariam ſalutat *dignam Deo ſedem, dilectionis Dei theſaurum, humanitatis filij fontem, Spiritus Sancti vmbraculum.*

Method. in Thren.

Iam vero noſtræ ſalutis auctorem gignendo, non vni ſibi, ſed *verè pro nobis genuit*, vt loquitur Damaſcenus, dicta iure meritiſſimo à S. Athanaſio *noua Eua, mater vitæ, variegata ad primitias vitæ immortalis omnium viuentium*: fecit enim Deum fratrem noſtrum, cui fidenter dico *hoc nunc os de oſſibus meis, & caro de carne mea: Neque cōfunditur fratres ſuos vocare.* Quamobrem à Deo diligimur non tantùm vt creaturæ, ſed vt fratres per naturam, vt filij per redemptionem: à Magna Matre vt aliquid eius, videlicet filij ſui fratres, & redempti in natura, quam ipſi donauit. Nos ergo vtrumque diligimus vt aliquid eorum, Dei creaturæ, Chriſti fratres, & filij redemptionis, Mariæ filij adoptionis. In quo ſole clarius apparet quantò perfectius B. Virginem Chriſtus, & hunc illa diligat, quam nos illum, & ille nos. Quid enim cum eo amore conferri poteſt, quo diligit mater infantem vteri ſui, quo pater filiam, & filius matrem?

*Chriſti & B. Virginis amor in nos.* Damaſc. l. 3. de fide ortho. c. 12. Athan. in Euang. de Sanctiſ. noſt. Deipara.

Huius ergo dilectionis fructus, & effectus meritum eſt: & quidem in Chriſto nobiliſſimum. Nam cum amor meritorius ſit, amor inquam amicitiæ maximè, qui erga alterum, Chriſtus amans ſe, & Patrem amat, illum quidem alterum à ſe, ſed non amat Patrem, & ſe Deum alterum, ſed vt in eadē natura aliū. Itaque cum ratione alterius eſt maxima vnitas, idcirco maxima & excellentiſſima ratio meriti. Sequitur pro rata Mater, magis vnum cum ipſo per maternitatem, quam vlla quælibet creatura. Quare cum aliter Deum quam nos diligat, & eius ſubſtantia ſit illi intimè coniuncta; equidem illi caritatem alterius à noſtra ſpeciei non aſſigno: ſed hoc dico, immenſum in modum magis illam eſſe meritoriam, quam noſtra ſit; & non tantùm pro nobis impetrandi & ſatisfaciendi vim cum alijs, & præ alijs ſanctis habuiſſe: verum etiam gratias meruiſſe noſtras merito congruo, quas Chriſtus condigno. Quod Idiotæ viro ſanctiſſimo doctiſſimoque cogitatum videtur, cum diceret *cæteros ſanctos iure quodam patrocinij pro ſibi ſpecialiter commiſſis, plus prodeſſe in curia altiſſimi, quam pro alienis: beatiſſimam verò Virginem Mariam, ſicut eſt omnium Regina, ſic & omnium Patronam, & aduocatam, & curam illi eſſe de omnibus.* Eſt enim communis omnium Mater, vt Chriſtus Pater; & ſi Pater materque theſaurizare debent filijs, cum ſciamus eſſe in Chriſto omnes theſauros ſapientiæ & gratiæ Dei abſconditos, quidni Virginem admirabilem ſub eo, & per eum omnium gratiarum theſaurum appellabimus, aut vt maluit Proclus Conſtantinop. *ſalutaris reconciliationis panegyrin?* S. Bernardus certè vbi parcior in eius laudes videtur, prædicari tamen illam cupit *electam ex omnibus, prælatam omnibus.* Magnificari *gratiæ inuentricem, mediatricem ſalutis, reſtauratricem ſeculorum. Et hæc*, inquit, *mihi de illa cantat Eccleſia, & me eadem docuit decantare.* Gerſon quoque hoc loco non indignus audiri, iure cœli & mundi Reginam vocari ſcribit, cum habeat *præeminentiam & virtutem influxiuam ſuper omnes: principatum dimidij regni Dei, ſi ſic dici poteſt, ſub typo Eſther & Aſſueri. Regnum quippe Dei conſiſtit in poteſtate & miſericordia.* Quod ſi negari non poteſt ſanctos alios, eo quod Deo placent, gratiam ſibi & gloriam condignè mereri, alijs autem impetrare: aut ſi mauis, vt communiter loquuntur, congruè mereri auxilia quædam gratiæ, adeò vt meritum quodlibet in eo ſit

*Chriſtus de condigno meretur. Maria de congruo.* Idiota in Præfa. contemplat. de Maria. Proclus CP. hom. de natiuit. Chriſti. Bern. ep. 174. ad Lugduo. *Mariæ virtus influxiua.* Gerſon.

poſitum quod quis Deo placeat; illa quæ *ſola ſine exemplo placuit altiſſimo, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum*, quanto vberius nobiliuſque aſſecuta eſt, vt non ſibi tantùm, ſed etiam nobis vt filijs mereretur; nos vt aliquid ſuum bonis afficeret, nos vt redemptionis effectus ipſa inſtrumentorum præcipuum adiuuaret?

---

## *IESV CHRISTI ET MARIÆ DEIPARÆ Actus Hierarchici.*

## CAPVT III.

*Chriſti actio in inferiora.*

MEDIATOR Dei & hominum homo Ieſus Chriſtus volens facere vtraque vnum, & gloriam in excelſis Deo, in terra hominibus bonæ voluntatis ſuæ pacem procurare, magni Conſilij in reparandis Angelorum ruinis, & facienda humani generis ſalute Angelus, ante omnia diuinas illuſtrationes Angelis partitur, in homines poſtea refundendas. *Mos enim hic eſt diuinitatis ſanctiſſimus, per prima, ſecunda, & inferiora ad diuiniſſimam ſuam lucem deducere.* Itaque in communem vtriuſque naturæ Reginam primo agit, ſuam noſtrumque omnium matrem, quam verè mediatricem, & ſalutis noſtræ cooperatricem agnoſcimus. Angelis deinde ſe ſuaque bona communicat, & quidem longè quam nobis perfectius, vt pronunciat Dictator eximius: interque cæteros, ſublimibus illis Spiritibus qui ſanctiſſimæ Triadi ſunt immediatè ſubiecti. *Illos enim dignos eſſe qui Ieſu participes fierent exiſtimare debemus, non in ſacrè fictis imaginibus per modum figura Deificam ſimilitudinem exprimentibus: ſed tanquam verè ad ipſum accedentes proximè in prima participatione cognitionis deificorum eius luminum: quodque eis ſummè conceſſa ſit Dei imitandi poteſtas, & participes ſint pro captu ſuo in prima efficaci virtute diuinarum eius humanarumque virtutum.* Ac paulò infra ſublimes haſce naturas ab ipſo Ieſu quædam de Incarnationis myſterio immediatè diſcere declarat: *Ieſumque ipſum eas per ſe docentem, ac primum eis ſuam in homines benignitatem explicantem.* Poſt Angelos Pontificem ipſum inſtruit, vt ſibi ex hominibus coniunctiſſimum, & ſacræ omnis actionis inter homines Principem, dicente magno Hierophanta, *Diuinorum Pontificum ordo, primus eorum eſt qui Deum vident. Summus autem & poſtremus rurſum idem eſt, in eo enim & abſoluitur & expletur omnis Hierarchiæ noſtræ diſtinctio. Vt enim Hierarchiam omnem videmus in Ieſum deſinere, ſic vnamquamque in ſuum Pontificem.*

*Dionyſ. c. 5 Eccleſ.* — *In Mariam.* — *In Angelos.* — *Idem c. 1. Eccleſ.* — *Idem c. 7. cœl.* — *In Hierarchas.* — *Idem c. 5. Eccleſ.*

*In homines.*

Iam verò quid nobis contulerit Dei virtus, Patris ſapientia, vnigenitus qui eſt in ſinu Patris, factus pax noſtra, & propitiatio pro peccatis totius mundi, ſuperfluum eſt dicere. Nam de plenitudine eius omnes quid non accepimus? Id tantùm meminiſſe oportet, Ieſum eſſe principium Hierarchiæ, viam, veritatem, & vitam, oſtium quo intratur ad Patrem, ſiue vt magiſtri verbis loquamur, eſſe *lucem Patris, quæ eſt, quæ vera eſt, quæ omnem hominem venientem in hunc mundum illuminat, per quem nobis ad Patrem lucis auctorem aditus patuit.*

*Idem c. 1. cœl.*

*Chriſtus exemplar Hierarchiæ.*

Addo & iſtud non animaduerſum vulgo, non tantùm principium, ſed & exemplum eſſe omnis Hierarchiæ. Quod in S. Dionyſio tam eſt apertum, vt putidæ ſit diligentiæ locos corrogare, quibus diuinorum myſteriorum ritus, & Hie-

& Hierarchicas Pontificis actiones ad Chriſti Ieſu ſimilitudinem reducit.
Idem Euſebij Theologia grauis ſanè & ſubtilis in hunc modum ab alto prin- Euſeb. l. 4.
cipio edilſerit. Voluit Deus in Hebræa, quam per Moſen fundabat, religio- de Demon.
ne, inuiſibilium, & diuinarum rerum ſpecies quaſdam exprimere. Fecit Euan c. 15.
igitur prophetam illarum ſpectatorem & conſcium, addito mandato *fac ſe-* Exod. 25.
*cundum exemplar quod tibi in monte monſtratum eſt.* Viderat autem in eo monte,
diuinam naturam principium omnis boni & fontem, omnia potentem, om-
nia confirmantem, viuificantemque própria & conuenienti imagine cum
oleo poſſe conferri: naturam inquam ſimpliciſſimam ſimpliciter conſide- *Chriſti o'eũ*
ratam cum oleo ſimplici conuenire. Quatenus autem in ea comprehendi & *& vnguen-*
conſiderari poſſunt compluria, vt quod regnare poſſit, quod prouidere, quod *tum.*
iudicare, quod homines amare, quod eis ſalutem afferre, & eiuſmodi alia
non iam cum oleo ſimplici & puro, ſed cum vnguento quod eſt *commix-*
*tum migma* debere comparari. Hoc igitur oleo, & hoc vnguento primum,
ſolum, & totum vnctum eſſe Verbum Dei, Deum de Deo, vnigenitum gi-
gnentis æterna communicatione. Hactenus non malè Euſebius: cætera quæ
nonnunquam Euſebium ſapiunt, clementi explicatione correcta proſequi-
mur.

Vidit idem Moſes eundem vnigenitum in ſalutem humani generis hu- *Ad formam*
manam aliquando naturam aſſumpturum, & quaſi Pontificem Dei & ho- *Chriſti vn-*
minum mediatorem Patri Sacrificium oblaturum, quo eius iram aduerſus *ctus Ponti-*
homines eſſet penitus mitigaturus: ad cuius imaginem induxit Pontificem *fex.*
quem terreſtri vnguento vngeret. Itaque vmbratilem quendam ac ſimula-
tum, non autem verum Chriſtum & Pontificem, ad illius tamen inſtar ex-
preſſit. Cui proinde vngendo myſticum confecit vnguentum, vt oſtenderet
humanam naturam per ſe ſpectatam, ſine aduentitia Dei gratia, præſtantio-
ris cuiuſdam fragrantiæ indigere: ſed quæ Patris ſummi & ingeniti eſt, eam
attingere memini fas eſſe, cum illud donum coëſſentiali & conſubſtantiali
filio reſeruetur. Chriſtum autem eſſe Pontificem ſpiritali delibutum vn-
guento, ſic demonſtratur. Ante Moſaïcæ legis vnguentum Deus Chriſtos ap-
pellauit Patriarchas, nullam certè ob cauſam, quam propter Sancti Spiritus, *Patriarchæ*
cuius participes erant, influxum. Eodem modo Meſſiam cœleſti vnguento *Chriſti ap-*
vnctum à Patre, declarat Iſaias, *Spiritus Domini ſuper me, propter quod vnxit* *pellati.* Pſ. 104.
*me.* Sic vnctus, factus eſt Sacerdos in æternum, ſecundùm ordinem Melchiſe- Iſ. c. 61.
dech, iuxta Dauidis prophetiam. In qua notari decet tam eius Sacerdo- Pſ. 109.
tis ſpeciem, tam auguſtam & diuinam fuiſſe magno illi Regi, & inſigni Pro-
phetæ obiectam, vt eum dominum ſuum appellet. Deinde illum æternum *Chriſtus Sa-*
Pontificẽ, Sacerdotem quoque eſſe Dei altiſſimi, & confeſſorem Patris æterni, *cerdos, ſe-*
eiuſdemque filium: atqui ſine vnctione Sacerdos nullus eſſe poterat. Præte- *cundum*
rea animaduertendum non ſecundùm Aaronem, ſed ſecundùm Melchiſe- *Melchiſe-*
dech eſſe Sacerdotem, qui artificioſo illo vnguento tinctus non eſt, & ante le- *dech.*
ges à Moyſe ſcriptas fuit Sacerdos Dei altiſſimi, idemque virtute præſtantior Heb. c. 7.
Abrahamo, vt qui eum benedixerit. Cæteri autẽ poſt eum vncti per eiuſdem
vnigeniti communicationẽ bonum illud conſecuti ſunt. Cuius maximè par-
ticipes voluit Moſes fieri Sacerdotes, Reges, & Prophetas: vt qui non tantùm
pro ſeipſis, ſed etiam pro tota gente Deo ſacrati eſſent. Ideo illos corporali

vnguento vnctos eſſe voluit, vt ſpiritalis, & interioris vnctionis ſignum eſſet, & Chriſtos relatione ad eum qui talis verè eſſet, & diceretur, appellari. Hactenus ex Euſebio: quæ ad gentem Chriſtianorum ſanctam, & regale Sacerdotium nullo negotio transferri poſſunt.

*Maria actus Hierarchica.*

Iam verò licet Deus immediatè per ſe ſe nobis Hierarchicarum gratiarum copiam elargiri poſſit, in operis tamen adeo præclari ſocietatem & miniſterium creaturas adſciſcit, quæ ſe dicunt *miniſtros Chriſti & diſpenſatores myſteriorum Dei.* Primarium igitur, & nobiliſſimum, vt ſæpe dictum, huiuſce diuini miniſterij inſtrumentum eſt Chriſti Mater, Virgo ſanctiſſima, cui vt olim Salomon Berſabeæ ſupparem ſibi thronum in cœlo erexit, quam vt Aſſuerus Eſtherem, dimidia regni ſui parte donauit, quam Sol omnis iuſtitiæ, qui dixit de tenebris lucem ſplendeſcere, prodromum ſuum facit & auroram, de matrice auroræ natiuitatis ineffabilis rorem adeptus. Miniſterium dico & inſtrumentum, ne quid ſuprà modum efferam cum recenti ſcriptore, qui dubium ſibi eſſe ſcribit, an Deus amoris ſui hominibus impartiendi curam omnem à ſe abijcere, & in B. Virginem penitus transferre voluerit. Hoc enim Theologo nemini venit vnquam in mentem dubitare, an otiante Deo ſola Mater laboret; an donum illud perfectum ab alio, quàm à Patre luminum deſcendat? Eius ergo Princeps, maximeque vniuerſalis actio Hierarchica eſt, nos homines ad filium deducere, quem ipſa nobis aliquando tradidit; aptiſſimè per ſcalam Iacob figurata, *quia*, inquit S. Fulgentius, *per ipſam Deus deſcendit in terras, vt per ipſam homines aſcendere mereantur ad cælos.* Qua de re S. Auguſtinus *fuit mater ſpiritu, non capitis noſtri, quod eſt ipſe Saluator, à quo illa magis ſpiritualiter nata eſt; ſed planè mater membrorum eius, quod nos ſumus: quia cooperata eſt caritate ſua, vt omnes fideles in Eccleſia naſcerentur, qui illius capitis membra ſunt: corpore verò mater ipſius capitis.*

*L'Archeme que des grandeurs de la V. M. l. 10. c. 1.*

*Homines ad filium adducere.*

Fulgent. Serm. de Laudib. Mariæ.

Auguſt. li. de Sancta Virg. c. 6.

Conc. Baſi. ſeſſ. 43.

Quamobrem in Concilio Baſileenſi grauiter admonemur *inter omnes qui cæleſtem regem pro nobis interpellant, præcipuè ad glorioſiſſimam illam, & omni laude digniſſimam Virginem Mariam recurrere, quæ quantò altior exiſtit, tantò humilius ad nos reſpicit, omnes ad ſe trahere cupiens, pro quibus in vtero geſtauit Saluatorem.* In particulari autem S. Cyrillus, Alexádrinus, ei attribuit omnia quæ Deus in ſalutem humani generis operatur. *Salue Virgo per quam S. Trinitas in vniuerſo orbe glorificatur, & adoratur, per quam cælum exultat, per quam dæmones fugantur; per quam tentator Diabolus cælo decidit: per quam vniuerſa creatura idolorum veſania detenta, ad veritatis cognitionem deducta eſt: Per quam ſanctum Baptiſma obtingit credentibus: per quam exultationis oleum conſecratur: per quam toto terrarum orbe fundatæ ſunt Eccleſiæ: per quam gentes adducuntur ad pœnitentiam: per quam Prophetæ prænunciarunt: per quam Apoſtoli ſalutem gentibus prædicarunt: per quam mortui exſuſcitantur: per quam Reges in Sancta Trinitate regnant.* Hæc glorioſè prædicabat Cyrillus, audiente plaudenteque Synodo Epheſina, cui cùm ſumma poteſtate præerat: cuius proinde hac in parte doctrinæ derogari ſalua fide non poteſt. Neque tantùm eius opera extincta eſt vaniſſimorum Idolorum ſeruitus, ſed etiam de hæreſibus per eam profligatis, quæ difficillima eſt purgationis Hierarchicæ portio, canit Eccleſia *ſola cunctas hæreſes interemiſti in vniuerſo mundo.* Quod olim dixerat S. Sophronius *Hæc eſt virgo quæ ſola interemit hæreticam prauitatem, ſola poſt Deum quæ nos confirmat in omni veritate.* Idcirco

Cyrill. Alex. hom. habita in Concil. Epheſ.

*Omnia bona Eccleſiæ conciliare.*

*Idola & hæreſes profligare.*

Sophron. Serm. de Aſſumpt. Mariæ.

circo rectè ab eodem S.Cyrillo dicta *ſceptrum recta doctrina*, qua hæreſes omnes tanquam vas figuli confractæ ſunt.

Cyril.cit.

Concludo locum hunc de Chriſto & eius matre benedicta verbis melleis, incerti licet apud S.Bernardū auctoris, *Chriſtus ergo fons latens & occultus in cælis, fons patens & apertus in terris; illic de vtero Patris, hic egreditur de vtero Virginis. Illic viuens terram irrigat viuentium, hic moriens terram morientium. Illic diuiditur in quaternarium admirabilem, hic in dulcem. Dulcis dominus, dulcis domina quia ille dominus meus, miſericordia mea; hæc domina miſericordiæ porta. Ducat nos mater ad filium, filius ad Patrem, ſponſa ad ſponſum, qui eſt Deus benedictus in ſecula.*

Serm. 2. de Natiu. qui incipit ex vtate fraeres. Inter operà S. Bernard.

---

*DE HIERARCHIA ANGELICA IN COMmuni diſputatur. Ac primum, Quo in Angelorum ſtatu ſit admittenda quæritur.*

## CAPVT IIII.

DVM myſticam Iacobi ſcalam contemplamur, commeantes per eam beatiſſimos illos ſpiritus æquum eſt ſalutemus. Tres eorum ſtatus ſe ſe nobis obijciunt, in quibus Hierarchicum ordinem requirere poſſimus. Primus viæ, qui ante homines conditos: alter gloriæ, ſed nondum conſummatæ, qui modò peragitur; tertius gloriæ vndecunque perfectæ, qui iudicij diem in beata æternitate ſequetur. Extremi duo ſolos ſpectant Angelos; medius cum noſtris rationibus coniunctus eſt. Primus Angelum conſtituit in periculo amittendæ gloriæ: Secundus eſſentialem beatitudinem ſecutam illi reddit, & perpetuam, penituſque immutabilem; ſed ex accidenti aliquid ſuperaddit, quod eius operæ, &, dicere liceat, labori conueniat. Tertius accidentia illa ſic complet, vt iam ampliùs adijciendum ſit nihil; ſed tantùm parto fruendum. In primo ſibi militauit: in ſecundo ſibi triumphat, & nobis militat; in tertio nobiſcum exacto militiæ tempore triumphabit.

*Tres Hierarchiæ Angelicæ ſtatus.*

Et fuiſſe quidē in ſtatu viæ in illis Hierarchiam, & in ea ſuperiores inferioreſque ordines ex natura ſua; quique ſuperiorem habebant naturam, illis gratiam prælationis datam (ſi quidem pro modo perfectionis naturalis gratiam acceperunt) nemo vt arbitror ibit inficias. Eſſe autem modò in ſecundo ſtatu Hierarchiam inter illos ad Dei gloriam, & ſalutem noſtram procurandam, etiam aduerſarij agnoſcunt, qui tertium Hierarchiæ ordinem, eo tantùm nomine reponunt in Hierarchia. Qui licet beati ſint, totamque ſuam eſſentialem beatitudinem ab infinitæ perfectionis ſpeculo hauriant; quomodo poſſint nihiloſecius ab Angelis alijs illuminari & perfici docet Theologorum apex D.Thomas, & erit nobis locus ille inferius neceſſario tangendus.

*Primus præteryt, ſecundus huius ſeculi eſt.*

D.Th. 1.P. q.62.a.6.

Idem 1. P. q.106 a.4.

At verò in tertio ſtatu perfectæ, & omni ex parte conſummatæ beatitudinis, Hierarchias Angelicas non fore quoad officia illa & actiones, quæ in prioribus ſtatibus habentur, & ratio declarat & auctoritas. Cum enim nulla poſt iudicium ſuperfutura ſit hominum ſalus promouenda, quis

*Tertius futurus, in quo Hierarchia ex parte euacuabitur.*

1.Cor.15. — Auguſt. li. 1. de Trin. c.8. — Anſelm. in eum Pauli locum. — Alenſ. 2. P. q 41. mem. 4. a. 1. D. Th 1. P. q. 108 a. 7.

dubitet quin finis illius media ſint ſuperuacanea? Tunc videlicet cum Chriſtus *tradiderit regnum Deo & Patri, cum euacuauerit omnem Principatum, & Poteſtatem & Virtutem*, id eſt explicante S. Auguſtino, cum amplius neceſſaria non fuerit, ideoque abolita gubernatio & diſpenſatio Eccleſiæ per Angelicos Principatus, & Poteſtates, & Virtutes *Quandiu* enim vt fuſius S. Anſelmus, *præſentis vitæ conuerſatio tenetur, neceſſarios hactenus Angelicos Principatus, & Poteſtates, & Virtutes habemus, per quorum diſpenſationem gubernemur, & bona operari, & mala ſuperare poſsimus, ac virtutibus illuſtremur. Sed & homines neceſſe eſt nobis præſint Pontifices, & Presbyteri, ac Diacones, & ſint Reges, & Conſules, alijque Principes. Sed in futuro ſeculo euacuabuntur omnes huiuſmodi prælationes, ibi iam nulla earum nobis erit neceſſaria.* Idem ſentit Alenſis, idem D. Thomas, manſuram poſt iudicium diſtinctionem graduum, non executionem officiorum, eorum videlicet quæ ad finem illum perducunt.

*Aliqua tamen ex parte perennabit.* — Ori. Hom. 11. in Num.

Nam quæ cum fine iam comparato poſſunt conſiſtere, aboleri non debent. Quemadmodum aliud eſt militarium ordinum in pugna officium, aliud in triumpho. Origeni etiam credibile videtur Angelos, eorum quos è diuerſis gentibus ad fidem & virtutem inſtituerint, fore in ſeculo futuro Principes. Quemadmodum ſi quis ciuitatem aut gentem vniuerſam ad fidem adducat, eique poſtea præficiatur Epiſcopus & Princeps. Quamobrem ex tribus propoſitis, conſiderandus nobis tantùm remanet ſecundus ſtatus, vt eum intimè perſpectum habeat Eccleſiæ Hierarchia, per quem regitur ipſa, & ſecundum quem ordinatur.

---

## *QVOTVPLEX IN GENERE SIT ANGElorum Hierarchia.*

## CAPVT V.

*Cur in Angelis diſtinguantur Hierarchiæ.* — D. Th. loco mox ci.

DE Hierarchiæ definitione quæ ſunt explicata ſuperiore libro, ea in Angelis apertam habent ſignificationem; eſt igitur in diuiſione laborandum. Ordinem multitudinis ſub Principatu exiſtentis, vult D. Thomas attendi per reſpectum ad finem: vbi ergo diuerſi ſunt fines, aut etiam diuerſa media non ſubordinata ad eundem finem tendentia, quemadmodum homini & Angelo videmus accidere, vnus & idem ordo eſſe non poteſt. Sunt autem diuerſa media, quando ſunt diuerſi Principes, aut diuerſi qui ordinantur. Ita D. Thom. ordinum diuerſitatem peti docet ſecundum diuerſa officia & actus. Fuit ergo Magiſtro cauſa ordines, & Hierarchias in Angelicis mentibus poſt, ſcripturæ oracula diſtinguendi.

*Totalis Angelorũ Hierarchia.*

Tota verò Angelorum ſocietas in tres primùm Hierarchias diſtribuitur, communem quandam Hierarchiam conflantes: in qua primus ordo eos continet, quorum principes proximè Deo ſubijciuntur: quorum ratione hoc habere dicitur dignitatis tota hæc Hierarchia, vt à Deo immediatè purgari, illuminari, perfici cenſeatur. Secundus eos qui primis intermedijs Deo ſubijciuntur, & ab eo illuſtrationes accipiunt. Tertius infimos, qui per ſecundos illuminantur à primis, ſeu potius per primos & ſecundos à Deo. Sic Heraclides

quidam

quidam Cappadox iam olim dicebat *Primos ordines habere magiſtram ſummam Trinitatem: ſecundos autem diſcere à primis: tertios à ſecundis, & ſic deinceps vſque ad extremos.* Huic totali Hierarchiæ Principem diximus deſtinatum fuiſſe Luciferum. Rurſus Hierarchiarum illarum ſingulæ, tres iterum Ordines numerant, ſeu particulares Hierarchias: quarum prima conſtat Seraphim, Cherubin, Thronis. Secunda in Dominationes, Virtutes, Poteſtates diuiditur. Tertia Principatus, Archangelos, Angelos nobis notiores complectitur. Hæc communia.

Heraclides Cappa l. ep. ad Lauſum Præpoſ.

Iſtud ex Dionyſio non fortaſſe omnibus obuium: in iſtis quoque particularium Hierarchiarum ſingulis, tres gradus reperiri, ſupremum, medium, & infimum: vt omnis illa præſtantiſſimorum ciuium multitudo diſtinctiſſimè ordinata ſit. Nam Seraphim clamant alter ad alterum, dum primi ſecundos participes faciunt diuinarum illuſtrationum. *Imo etiam* (inquit Theologus) *ſecundum ſeipſum vnuſquiſque & cæleſtis, & humanus animus ſpeciales habet & primas, & medias, & vltimas ordinationes, & virtutes ad iam dictas, per vnumquemque Hierarchicarum illuminationum proprias anagogas proportionaliter manifeſtatas.* Quas ſequenti capite nominat Eſſentiam, virtutem, & operationem. Mens enim quælibet, ait S. Maximus ſcholiaſtes, habet eſſentiam, ſecundum quam primùm exiſtit: virtutem ſecundum quam perdurat: efficientiam ſecundum quam propria faciens piè agit. Sed hæc obiter, vt vult ipſe Dionyſius, quæ tamen πάρεργα non fuerint, ſi ex ijs meminerit lector, omnia in Hierarchia tria eſſe, & ea ſummum, medium, infimum.

*In ſingulis Hierarchiarum ordinibus tres gradus.*

Dionyſ. c. 10. cœl.

S. Max. in eum locum.

Itaque Seraphinorum ſic diuiſorum (& eadem eſt aliorum ratio) vna eſt tota Hierarchia particularis, quem vocamus Ordinem, & in eo ſui gradus: neque aliter intelligebat Magiſter cum diceret, *Cæleſtium naturarum innumerabiles ordines eſſe.* Quod & D. Thomas more ſuo plenius explicans, aſſerit Angelorum ordines & officia non cognoſci à nobis niſi in communi: eſſe autem cuilibet Angelo ſuum proprium officium, & proprium ordinem in rebus, qui nobis ſit incognitus. Origenis quoque ſententia ab hoc loco non abludit, multos malos ſpiritus fornicationis eſſe, qui vni Principi pareant, multos auaritiæ, & ita ſingulorum vitiorum. Eodem ergo, ſi non meliori iure, dicere poſſumus dari vt in malis pro vitijs, ſic in bonis pro virtutibus politiam quandam, & Hierarchiam: vt multi ſint deſtinati ad procurandam caſtitatem, multi ad patientiam; & ita de alijs; quorum vnus aliquis ſit Princeps & Hierarcha. Quæ doctrina placuit olim Alenſi. Et fortaſſe non inſcitè dixerit aliquis, Theologicis virtutibus in homine ingenerandis, præeſſe primam Hierarchiam, cum illæ Deum pro termino, & obiecto formali habeant. Secundam verò ijs præſidere virtutibus quæ Deum pro termino proximo habent, qualis eſt Religio, Pœnitentia, & ſimiles. Tertiam denique eas curare virtutes, quæ Deum vt terminum remotum reſpiciunt, creaturam autem vt proximum: quales dulia, hyperdulia, fortitudo, caſtitas, pietas aduerſus parentes.

*Angeli ordine virtutibus præpoſiti.*

Dionyſ. c. 14. cœl.

D Th. 1. P. q. 108. c. 3.

Ori. Hom. 15. in Ioſu.

Alenſ. 2. P. q. 37. mēb. 3.

## *QVA RATIONE DISTINGVANTVR TRES in Angelis Hierarchiæ.*

## CAPVT VI.

*Omnia reguntur per Angelos.*

BERNARIVS Hierarchiarum Angelicarum numerus iucundam habet conſiderationem, ſi in earum diſtinctione inueſtiganda deſigitur. Quis enim laudabili curioſitate non ducatur ad inquirendum, cur hæc in ſupremis mentibus diſtinctio à Theologo; cur in illa diſtinctione ordo eiuſcemodi deſignetur? Id vero vt apertius ediſſeramus, meminiſſe conuenit omnes illos Hierarchicos gradus ex officijs duci, quibus beati Spiritus Dei gloriam, vel ſalutem noſtram procurant, noſque regunt, & gubernant. Hunc autem eſſe in rebus conſtitutum à parente omnium ordinem, *vt inferiora corpora regantur per ſuperiora, & omnia per ſpiritalem creaturam, & ſpiritus malus per ſpiritum bonum.* Illam denique ſpiritalem creaturam à Deo ipſo regi per illuminationes in intelligibili puritate perceptas, vt ſæpe monet S. Dionyſius, quoque magis Angelica perfectio ad Deum accedit, aut ab eo recedit, cognitionem veritatis magis aut minus vniuerſalem pro ſuo captu haurire.

*August. li. 3. de Trini. c. 4.*

*D.Th. 1. p. q 55 a. 3.*

*Conſtitutio ſupremæ Hierarchiæ.*

*Ariſt. 12. Metaph. in fine.*

Dum hæc animo replicas, accipe & ex Ariſtotele, triplicem eſſe in vniuerſo finem, Principij, ſcilicet Dei, Totius, & Partium. Dei eſt primò & per ſe gloriam ſuam in omnibus operibus intendere, quique ſub Deo media diſponunt, huius finis intentionem præerequirunt. Itaque debent aliqui eſſe Angeli, qui à Deo immediatè ordinationem & diſpoſitionem mediorum & directionem accipiant, ea videndo in gloria Dei, vt à Deo intenta, ſiue in ipſo Dei beneplacito, quod eſt quaſi finis intentio. Proinde ad eos ſpectat conſideratio, & intentio finis vltimi, & ex officio ſuo peculiari procurare debent finem Principis. Hæc eſt ſuprema Hierarchia, in eos Ordines diſtributa, quorum nomina reſpectum ad Deum, finem ipſum vltimum præferunt: hæc apta ad finem media reperit, ordinat, & executioni mandari curat, inferioribus reuelando.

*Secunda & Tertia Hierarchia cõſtitutio.*

Huic ſubſunt, & illiuſmodi reuelationes ab ea immediatè ſuſcipiunt ij Angeli, quibus commiſſa eſt diſpoſitio vniuerſalis de rebus agendis, qui totius vniuerſi bonum procurant, & in eo ſpectant quid agendum ſit: quod quidem vt ipſum Dei gloriæ ſubijcitur, ita bonum ſingularum partium præcedit, vt longè nobilius. Hoc bonum promouent ſecundæ Hierarchiæ Spiritus, quorum nomina ſignificant gubernationem communem, ſiue diſpoſitionem. Et quoniam ex ſingularium partium bono totius bonum pendet & exiſtit, ipſiuſque partis bonum non curatur, niſi quatenus redundat in bonum totius: idcirco iſtorum eſt inferiores Angelos mouere, & dirigere: quibus, quorumque Hierarchiæ Tertiæ competit applicatio diſpoſitionis illius ad effectum, ſeu executionem diſpoſitorum operum in partibus, vt Regno, Prouincia, familia, homine: ideoque nomina ab executione ſortiti ſunt. Hi quæ ſunt agenda vident in ſpeciali ſuo fine; ſic tamen vt debeant à ſuperioribus erudiri, ita vt id quod pro ſuo officio meditantur, ſit Deo placitum.

tum. Neque enim apud Danielem Princeps Perſarum, Princeps Græcorum, & Gabriel prius ab altercatione ſua deſiſtere potuerunt, qua ſinguli partium ſibi creditarum commodum appetebant, quam ab Angelo ſuperiore diſcerent quid maior Dei gloria poſtularet.

*Dan. c. 10.*

Sed opinor Doctorem, vt vbique, ſic in iſta maximè parte, Angelicum, vt ſeduli diſcipuli, audiamus, eiuſque fideliſſimum enarratorem Ferrarienſem: ex quibus ſic philoſophari licet. Ad effectum quemlibet tres cauſæ concurrunt, Prima, Deus; vniuerſalis, vt Sol; particularis, vt ignis, homo. In Deo vt prima omnium cauſa, vident beati omnes ſpiritus in genere, quicquid Deus vult, id propter ſuam velle gloriam, ſiue vt miſericordiam, ſiue vt iuſtitiam, ſiue vt potentiam & aliquod aliud attributum commendet. Hæc eſt communis omnibus quaſi ſpeculatiua, confuſa, & generalis, non autem practica & diſtincta cognitio. At non vident omnes quonam modo, diſpoſitione, ordine peccatum Petri, exempli gratia, permiſſum, Deus in ſuam gloriam referat & ordinet; vtrum-ne ſe iuſtum puniendo, an condonando miſericordem ſit exhibiturus. Et licet aliquando peruideant velle Deum ex miſericordia glorificari, non poſſunt tamen aſſequi qua tandem via id velit perfectum. Pone igitur Petrum in ipſo peccati procinctu: obſiſtent iniquis eius conatibus tam cuſtos Angelus, clienti ſuo peculiariter addictus, quam Eccleſiæ Præſes Angelus, cuius intereſt in perfecto corpore nullum eſſe membrum habens maculam aut rugam. Neuter autem illorum ſcire poteſt, velit-ne Deus peccatum illud permittere: neque ſi permittat, qua tandem via in Dei gloriam ceſſurum ſit. Tum Deus decernit permittere illum arbitrij ſui viribus, & præcipiti voluntati: decretumque illud in diuina eſſentia, aut in lumine à Deo immediatè accepto videt ſupremæ Hierarchiæ Angelus, cuius officium eſt purè & vniuerſaliter Dei gloriam procurare. Hic acceptum tradit inferioris Hierarchiæ illi Angelo, cui commiſſa eſt diuinæ cura gloriæ, non iam purè & ſimpliciter, ſed in adminiſtratione vniuerſi. Denique hanc iſte reuelationem traducit ad Petri Cuſtodem Angelum in tertia Hierarchia, qui gloriam Dei curat tantùm vt ad Petrum determinatam: nimirum vt de Petro, vel in Petro Deus glorificari debet, vel per iuſtitiam, vel per miſericordiam. Cæterum primi illius Angeli vt nobilior, ita diſtinctior eſt cognitio, licet ex principio magis vniuerſali hauriatur: inferiorum cognitione per gradus vt nobilitatem amittente, ſic obſcuritatem acquirente.

*Alia diſtinguendarum Hierarchiarum ratio ex D. Th. 3 contra Gent. c. 8. & Ferri in eum locum.*

*Exemplo res declaratur.*

Atque vt hanc Ordinum diſtinctionem in medijs etiam clarius intueamur, ſit exemplum aliud ſalutis eiuſdem Petri. Eius prima & vniuerſaliſſima cauſa eſt, Dei miſericors bonitas, qua Petrum ad gloriam eligit: ſecunda Chriſti Paſſio: tertia particularis vt Pœnitentia, Martyrium, & eiuſmodi viæ acquirendæ iuſtitiæ, & ad finem conſeruandæ. Seraphinus ſalutem Petri videt in Dei voluntate, ſeu ea voluntate qua & multos, & ſpeciatim Petrum prædeſtinat: eademque cognitione videt prædeſtinationis illius cauſam meritoriam Chriſti Paſſionem, & per eam datas omnes ſingulis hominibus gratias. Dominatio, ſeu ſecunda Hierarchia eam ſalutem videt in eadem Dei voluntate, vt determinata ad Chriſti Seruatoris paſſionem. Tertiæ Hierarchiæ Angelus cuſtos idem Petri bonum cognoſcit in Dei voluntate prædeſtinante per Paſſionem Chriſti, vt ad talem gratiam deſtinatur.

*Aliud in diuerſa materia exemplum.*

*Forma eſt & in humana politia.* Cuius ordinis adumbratam habemus in rebus humanis ſimilitudinem. Siquidem in Regnis omnibus tria Principatuum ſiue ordinum genera videre eſt. In primo ſunt Principis Conſiliarij, quod eſt ſanctius concilium, qui-cum Rex immediatè de Regni negotijs agit: quales ſeptem illi ſapientes Perſæ Aſſuero ſemper adiuncti, *qui videbant faciem Regis*; in ſecundo Prouinciarum Præſides & Iudices; in tertio ſingularum ciuitatum Præfecti. Quam imaginem paulo aliter in D. Thoma ſpectabis per otium.

*Eſther. c. 1.* *D Th. 1. P. q. 108. a. 3.*

---

## EADEM HIERARCHIARUM ANGELICArum diſtinctio alia methodo inueſtigatur.

### CAPVT VII.

*Ex fine indagatur diſtinctio.* EANDEM Hierarchiarum diſtinctionem alia, quamquam conſimili via, poſſumus cum eodem D. Thoma, ex Philoſophorum, vt aſſolet, principijs differente, ſic indagare. Vnicuique Hierarchiæ ſuus eſt finis. At in ijs quæ ſecundum intelligentiam operantur tria conſideranda ſunt: finis ipſe intentus: ars ſecundum quam agunt; particularis diſpoſitio, ſeu practica cognitio artem ad tale opus determinans. Sit exemplum in Architecto. Is finem ſibi præſtituit, commodum conſtruere ædificium: in eo eſt ars, docens in genere quæ ſit huic & illi hominum generi domus commoda: quam tertio loco ſequitur cognitio huius domus, hoc modo, & præſcriptis ab arte regulis fabricandæ. Et finis quidem arte vniuerſalior eſt, cum poſſint artes quamplurimæ ad finem vnum conſpirare. Imo etiam ex finis intentione peccari nonnunquam poteſt in artem, nam *Grammaticus ſciens ſolæciſmum ſi fecerit, non erubeſcit*, vt ait Seneca. Ars autem vniuerſalior eſt quam illa rerum ſingularium diſponendarum cognitio. Ex ſuperiori autem capite facilè intelligitur, Hierarchiæ primæ eſſe, res in ipſo fine videre; ſecundæ, in arte, ſeu, vt S. Doctor loquitur, in forma; tertiæ, in diſpoſitione diuina.

*Seneca. ep. 96.*

*Tertij gradus nomen, aliorum officium demonſtrat.* Atque vt hunc locum concludam, qui volet Hierarchiarum illarum facilè noſſe officium, is tertij gradus in ſingulis collocati nomen attendat. Nam vt Hierarchiæ vltimæ nomen aſſignatum eſt Angelorum, quod cœleſtibus illis mentibus commune eſt: ſic in prima Thronos, in ſecunda Poteſtates, in tertia Angelos ipſos videmus. Nam cum ex eo Throni dicantur quod immediatè Deum ſuſcipiant tanquam inſidentem: id Cherubinis & Seraphinis maximè conuenire certum eſt. Qua ratione Theodoretum intelligo, illud Pauli ad Coloſſ. *Siue Throni, ſiue Dominationes*, explicantem de Cherubim, quia *diuinum Thronum vidit ſuper eos poſitum Propheta Ezechiel*. Liberum eſt & vnum è Seraphinis, illi officio tunc addictum credere: vt leuius appareat dictum ex eius viſionis auctoritate argumentum, quo S. Maximus probare contendit, Thronos ſpirituum eſſe primos & ſummos. Nimirum & Cherubini & Seraphini omnes Throni ſunt, non minus, imo magis quam qui Throni appellantur. Sic Dominatio & Virtus, Poteſtatem includit: ſic tertiæ Hierarchiæ gradus omnes mittuntur, non minùs quam Angeli. Quod & in auguſtiſſima Trinitate licet animaduertere, in qua Spiritus Sancti nomen tertiæ perſonæ

*Omnis prima Hierarchia Thronica eſt.* *Coloſſ. c. 1.* *Theod. in eum locum.* *S. Max. in c. 7. cœl.*

perſonæ dederunt homines, quod in alias non minus quadrat. Id verò ea ex cauſa factum inter Angelos videri poteſt, quod, vt monet S. Dionyſius, ſuperiores Ordines inferiorum vim & perfectionem omnem eximiè continent, non autem inferiores ſuperiorum. Quare percepta eius perfectionis cognitione, quæ tertio Hierarchici gradus nomini competit, vnum atque idem de tota Hierarchia ferri debet, cum excellentia quadam, iudicium.

*Singuli ordines & gradus quomodo diſtinguendi.*

Sic illuſtrata totalium Hierarchiarum diſtinctione, quæri poteſt vlterius quomodo terni illi ordines, quos ſingulis aſſignat Theologia, inter ſe diſtinguantur. Cui ego quæſtioni ſatisfieri puto, ſi reſpondeatur pro rata de particularibus æque, vt de generalibus philoſophandum. Vt enim ſe habet Hierarchia in Angelis tertia ad ſecundam, ſecunda ad primam: ſic in ſingulis tertius ordo ad ſecundum; ſecundus ad primum, & in ipſis ordinibus gradus infini ad medios, medij ad ſupremos, vt facilè poſſint generales illæ diſtinguendi rationes peculiaribus ordinibus applicari, quod à D. Thoma factum lego, quem proinde hoc loco deſcribere operæ pretium non arbitror.

D. Th. 1 P. q. 108. a. 6.

---

## HIERARCHIARVM ANGELICARVM SVB
### *Sanctiſſima Trinitate ordo & collocatio.*

### CAPVT VIII.

*Tres ordines primæ Hierarchiæ perſonis Trinitatis immediatè attributi.*

QVID cuique reſpondeat, in apta collocatione ſemper inquiritur. Cum igitur à Deo ipſo Hierarcharum Hierarcha, non tantùm exiſtentiam, ſed ipſam etiam diſpoſitionem naturæ ſuæ & grariæ conuenientem acceperint Angeli, quis dubitat quin ordo ille à Deo, & ad Deum diuinus ſit, & noſtrum omnium admiratione digniſſimus? Incipio illum apetire Hugonis verbis obſcura quædam Magiſtri oracula interpretantis. *Tres Trinitatem circumſtant, Seraphim dilectione, Cherubim cognitione, Throni dominatione. Tota hic Trinitas eſt: Dominatio in Patre, ſapientia in Filio, dilectio in Spiritu Sancto: Throni ad Patrem pertinent,* & (quod inde facilè colligimus) Cherubim ad Filium, Seraphim ad Spiritum Sanctum. Quam collocationem diſpicere mihi videor in magni Ignarij Hierarchia Angelica, qui licet in ipſis Angelorum ordinibus non conueniat aliquando cum Dionyſio, & alijs Patribus; in ordine tamen Hierarchico auguſtiſſimæ Trinitatis recenſendo, à Spiritu Sancto ducit initium, vt ad Patrem vltimo deueniat, *Cherubim & Seraphim excellentiā, & Spiritus ſublimitatem, & Domini regnum, & ſuper omnia incomparabilem Dei Patris maieſtatem.* Cuius ordinis ratio duplex eſt. Primò enim vltimum ſuperioris coniungi debet cum primo inferioris: oportet igitur vt Spiritus Sanctus immediatè ſigillet, & formet primam Hierarchiam. Deinde ordo qui animo concipitur, inuerti debet cum extra animum procedit, ſeu, quod philoſophi dicunt, priora ordine intentionis, ſunt poſteriora ordine executionis. Quamobrem participationes illæ diuinarum perfectionum quæ à Deo exeunt, oppoſitum ordinem tenere debent, ei, quem in Deo videmus, non quidem participationem, ſed plenam naturæ ſuæ communicationem donante. Quod ſi in philoſophico illo pronunciato hærere volumus, cum prima ſit finis intentio, ſecunda

Hugo l. 7. in c. 7. cœl. quod & docet [illegible]. Guil. Pari. 2. P. de vn. p 2 c. 110. Ignat. epi. ad Tralli.

*Ordo Hierarchia primæ incipit à S. Spiritu, & in Patre deſinit.*

mediorum diſpoſitio, tertia executio: hanc in operatione incipit Notionalis amor Spiritus Sanctus, per Verbi Dei artem & ſapientiam, ſecundum Dei Patris intentionem & omnipotentiam.

*Ordines primæ Hierarchiæ ſibi inuicem non ſubijciuntur.*

Habent & ſublimes illi ordines hoc eximium, quod ſibi inuicem non ſubijciuntur, nec Cherubini à Seraphinis ordinariè, Throni à Cherubinis diuinas illuſtrationes percipiunt, contra quàm aliquibus placere video. Sed cum ſinguli vni alicui ſanctiſſimæ Trinitatis perſonæ peculiariter ſubiecti ſint, non a ſe ipſis mutuò, ſed à diuinis perſonis immediatè Hierarchizantur. Hoc indicat S. Dionyſius, cum ait vniuersè de tota prima Hierarchia, *non enim ab alijs ſanctis eſſentijs, ſed ab ipſo diuinitatis principio ſacris initiantur: eo quod nullius interuentu ad illud ſurrigantur:* & paulò poſt, *hoc enim Theologi planè tradunt, inferiores cæleſtium naturarum ordines, à ſuperioribus rite diuina opera explicantes ſcientias diſcere, ſummos autem à Deo ipſo, proſuo captu, doceri myſteria.* Tam autem id eſt Hugoni noſtro Victorino certum, vt indubitanter id ponat, eos ordines, diuinum quoque in eo vnitari, *quod inuicem non ſubijciuntur, & omnes ſimul primum locum habent, & circunſtant prima collocatione ſinguli: vt vnus alium nec interueniat poſitione, nec præueniat participatione, nec tranſcendat dominatione.* Succinit & Guillelmus Pariſ. cum expreſſè de cognitionibus Cherubicis, id eſt, ijs quibus Deus ſecundum primæ Hierarchiæ ordinem, Cherubinos illuminare dignatur, ait, eas *non deſcendere ſuper Seraphim, ex cauſa quæ apud ipſum eſt.* Nam ex quas Græci S. Dionyſij interpretes afferunt, æqualitatem inter illos ordines non tam probant, quam ſupponunt. Idcirco enim negat S. Maximus eos à ſuperioribus Hierarchizari, quia nullos habent: quod de ſolis Seraphinis poſſet intelligi, ſi cæteri ordines illis ſubeſſent. Et Pachymeres paraphraſi S. Dionyſium explicans, ait *ſuperiores illas virtutes non ab alijs ſanctis ſubſtantijs, ſed à Deo ipſo illuminari, eo quod ad ipſum ſine medio tendunt cum virtute tum ordine.* Quod in quæſtione verſaretur, ſi quis præfractè derogare vellet auctoritati doctorum, quæ vna eſt opinionis noſtræ fundamentum & præſidium.

*Dionyſ. c. 7. cæl.*

*Hugo in hunc locum.*

*Guil. Pari. 2. P. de vn. p. 2. c. 130.*

*[illegible Greek]*

*Max. in c. 7. cæl.*

*[illegible Greek]*

*Georg Pachym. in hunc locũ.*

*Occurritur obiectioni.*

Sed exiſtit ex hac doctrina nodus aliquis perplexus & difficilis, qui nos contradictione videatur inuoluere. Nam ſi verum eſt ſine medio Deum ipſum nobiliſſimis iſtis ſpiritibus, ſuas elargiri illuſtrationes, quomodo antea poſuimus inter Deum & illos Hierarcham Chriſtum; Hierarchæ inſtrumentum Mariam Virginem? Nam vt id contra Doctoris mentem à nobis factum fuiſſe noſcamus, S. Maximus ex eius ſenſu notare nos iubet, *Tres illos ordines omni inuiſibili & viſibili virtute maiores eſſe.* Sed quis non videt Chriſti domini Humanitatem, licet viſibilem, huius virtutis nomine non comprehendi, quæ grauiter à Theologo noſtro appellatur, *Cæleſtium eſſentiarum auctor, omni eſſentia ſuperior?* Quis non legit Seraphinorum ordinem *circa Ieſum ſtare, & beatiſſimis eius contemplationibus, quantum licet, & ſpiritalis diſtributionis, in ſanctiſſimis receptaculis ſanctè plenum eſſe?* Pugnat igitur ipſe ſecum Dionyſius, ſi in ijs qui opponuntur locis Chriſti Humanitatem excluſam voluit, vt penitus nihil inter Deum, & illos ſublimes Angelos eſſe iudicet. De Virgine Deipara, fateor equidem nullam a S. Dionyſio mentionem induci: ſed cum allatæ ſuperius rationes, & conſtans Patrum auctoritas, eam quam poſuimus illi ſedem in Hierarchia adſtruant, aio ego artificem & inſtrumentum, Filium & Matrem, Chriſtum & Mariam pro vna quaſi re, quaſique perſona hac in

*[illegible Greek]*

*Dionyſ. c. 4. cæl.*

*Idem c. 4. Eccl. in contemp.*

materia

materia haberi: quamobrem cum velit Dictator noſter, excellentes illos ſpiritus immediatè à Deo Hierarchizari, licet medium habeant Ieſum Chriſtum, idem in magnæ Matris interpoſitione cenſeri poteſt. Quomodo ergo immediatè ſubiecti Deo dicuntur? Comparatione cum cæteris inferioribus ſubſtantiis facta, vt τὸ ἀμέσως, in Dionyſij doctrina, alios tantùm Angelos excludat, non eas perſonas quæ omnibus Angelis ſuperiores fuerint. Vult enim, vt ex productis eius verbis ſole clarius eſt, hanc eſſe primæ huius Hierarchiæ ſupra inferiores prærogatiuam, vt cum aliæ diuinos influxus ſuperiorum Hierarchiarum opera percipiant, hæc quia ſuperiore careat Hierarchia, nullum Angelum digniorem agnoſcat à quo illuminetur, & perficiatur. Fateor equidem ante incarnationem Verbi, medium nihil extitiſſe: ſed poſt illam, noua Eccleſia condita, nouus quidam ordo fuit conſtituendus. Neque verò aliter aut Chriſtus, aut beata Virgo Hierarchizant Angelos, niſi in ordine ad Eccleſiam Chriſtianam, & vt ſunt adminiſtratorij Spiritus, ſecundum media Euangelica: non enim modò nouas myſteriorum reuelationes videntur accipere. Quod ſi naturæ ſpectas ordinem, Hierarchicas in illis operationes ante Chriſti ortum agnoſco, vt viſionem beatam, vt hymnodiam, & ſimiles: ſed eæ non ſunt huius loci & propoſiti. *Quomodò hæc Hierarchia immediatè Deo ſubſit.*

His adde, naturam inſtrumenti eam eſſe, vt quoniam à Principe cauſa virtutem & efficientiam ſuam mutuatur, hæc in opus immediatè influere ſemper dicatur. Nam in humano corpore anima, licet vtatur potentijs, operationes tamen vitales immediatè efficit: & in rebus omnibus cauſas adhibet ſecundas Deus, qui nihilo ſecius immediatè agere cenſendus eſt. *Cauſa cum inſtrumento agit immediatè.*

Sed ecce aliud ex alio errandi periculum. Seraphinos Spiritui Sancto immediatè ſubdidimus, Cherubinos Filio, cum S. Dionyſius à nobis productus Seraphinos circa Ieſum ſtare disertè aſſerat. Sed huius loci fidelis interpres S. Ioan. Damaſcenus in Ieſu Deum ipſum, in Seraphinis totum primæ Hierarchiæ ternionem intelligi putat. Vt non tam Seraphini Ieſum Chriſtum, quam tota Hierarchia Deum circumſtare *ac citra vllum interuentum ei copulata* eſſe cenſeatur. Atque eum magno illi Imperatori, tanquam Hierarchæ generali, cœleſtes omnes exercitus annea ſubdiderimus, nonne primam Hierarchiam totam, quæ Seraphica & eſt & appellatur, illi ſine medio oportet eſſe ſuppoſitam? Quid? credimuſ-ne Seraphinos minus Patri, quàm Spiritui Sancto, quàm Filio immediatè reapſe eſſe ſubiectos? & tamen peculiaris quædam ratio hos illi perſonæ potius aſſignat, vt loqui amat Theologia, in ijs operibus quæ à diuinitate proficiſcuntur. *Ordines ſic diſpoſiti per appropriationem.*

## *RELIQVARVM HIERARCHIARVM diſpoſitio.*

### §. Vnicus.

SVPREMA Hierarchiarum creatarum rite conſiderata, in qua pauciſſimi ſcriptores variant, cum vulgò, & verè dicatur conſtari ex Seraphinis, Cherubinis, Thronis, ad reliquas antequam deſcendamus, requiret fortaſſe aliquis vt certum inter Angelicas ſubſtantias ordinem aſſignemus. Quis enim earum ſub ſanctiſſima Trinitate collocationem inueſtigare audeat, ſi quomo- *Diuerſus ordo in Angelis aſsignatur à Patribus.*

Ignatius epiſt. ad Trallian.

do ſint ipſæ inuicem diſpoſitæ ignorat? Certè Ignatius ille magnus, quos ait ſe mente conſequi Angelicos ordines, ſurſum verſùs aſcendendo ſic enumerat: *Angelorum, & Militiarum diuerſitates* (Archangelos ſine dubio hic intelligit) *Virtutum, & Dominationum diſcrimina; Thronorum, & Poteſtatum differentias; Principatuum magnificentiam, Cherubim, & Seraphim excellentiam; & Spiritus ſublimitatem, & Domini Regnum, & ſuper omnia Dei Patris omnipotentis maieſtatem.* Virtutes hic Theophorus ad imum ternionem reijcit, Thronos ad ſecundum, Principatus autem ad ſummum euehit, quod nulli alteri Theologo viſum. In Menæo Græcorum nouem ordines à ſupremo numerātur Seraphim, Cherubim, Throni: Dominationes, Poteſtates, Principatus: Virtutes, Archangeli, Angeli. Gregorio & ipſi Magno mutare viſum eſt nonnihil in ordine inferiorum ternionum. Nominat enim Angelos, Archangelos, Virtutes: Poteſtates, Principatus, Dominationes: Thronos, Cherubim atque Seraphim. Dionyſius autem noſter duobus maximè locis ſacros hoſce ordines ordine non ex omni parte eodem repræſentat, cum in enumeratione continua Virtutes Dominationibus præferat: in explicatione autem ſingulorum, Dominationes Virtutibus anteponat. Quæ diuerſitas ſacri huius catalogi diſtinctiùs percipietur ſi ſic eum colligamus.

Menæum Græcorum ad 8. Nouemb.

Greg. hom. 34. in Euā.

Dionyſ. c. 6. cœl. Idem c. 8. cœl.

*HIERARCHIARUM ANGELICARUM TABULA.*

| *S. Dionyſius.* | *S. Ignatius.* | *S. Baſilius:* | *S. Sophronius.* |
|---|---|---|---|
| Seraphim. | Seraphim. | Seraphim. | Seraphim. |
| Cherubim. | Cherubim. | Cherubim: | Cherubim. |
| Throni. | Principatus. | Virtutes. | Throni. |
| Dominationes. | Poteſtates. | Poteſtates. | Dominationes. |
| Virtutes. | Throni. | Principatus. | Poteſtates. |
| Poteſtates. | Dominationes. | Dominationes. | Virtutes. |
| Principatus. | Virtutes. | Throni. | Principatus. |
| Archangeli. | Militiæ. | Archangeli. | Archangeli. |
| Angeli. | Angeli. | Angeli. | Angeli. |

| *S. Maximus.* | *Menæum Græc.* | *S. Gregorius.* | *Hincmarus* |
|---|---|---|---|
| Throni. | Seraphim. | Seraphim. | Seraphim. |
| Cherubim. | Cherubim: | Cherubim. | Cherubim. |
| Seraphim. | Throni. | Throni. | Throni. |
| Dominationes. | Dominationes. | Dominationes. | Dominationes. |
| Virtutes. | Poteſtates. | Principatus. | Principatus. |
| Poteſtates. | Principatus. | Poteſtates. | Poteſtates. |
| Principatus. | Virtutes. | Virtutes. | Virtutes. |
| Archangeli. | Archangeli. | Archangeli. | Archangeli. |
| Angeli. | Angeli. | Angeli. | Angeli. |

*Ordo Dionyſii ſeligitur.* D.Th. 1.P. q.108. a.6.

Ex his omnibus catalogis, ne me vaga libertas vltra veritatis metas abripiat, vnum ſeligo eumque S.Dionyſij à D.Thoma, & alijs probatum, rationibuſque firmatum.

Quamobrem

Quamobrem euoluta prima altiſſimorum ſpirituum Hierarchia, reliquas perſtringo, quarũ ſecunda Dominationes Filio, Virtutes Spiritui Sancto, Poſtates Patri attribuit. Dominationem Filio damus, quia ſæpe Dominus vocatur, & ipſe de ſe, *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra*. Deinde Dominationum eſt diſtinguere quæ ſunt agenda, ſeu ordinare media: id verò ad rationem pertinet: Filius autem eſt λόγος Patris. At Virtutum ordinem Spiritui Sancto potius concedimus, quàm Patri; quia cum hæc ſecunda Hierarchia pendeat à Prima, in qua primus ordo ſpecialiter Spiritui Sancto tribuitur, in ſecunda poſt Filium ſiue Dominationem, quæ eſt ſpecialis imitatio Filij, ſecundum ordinem tenere debet imitatio Spiritus Sancti, qui in creatis Hierarchijs peculiarem quandam Principij rationem tenet.

*Secunda Hierarchiæ diſpoſitio.* Matt. c. 28.

In tertia Hierarchia Principatus Patri, Archangeli Filio, Angeli Spiritui Sancto aſſignantur. Nulli enim Perſonæ magis conuenit ratio Principis, ſeu Principij, & Principatus, quam Patri. Archangelus autem Principem & miſſum ſonat; eſt verò Filius generatus & producens, principium de principio, mittitur & mittit, factus & ipſe pro nobis *Angelus teſtamenti*, & pro Angeli officio dicit, ſe omnia quæ à Patre audiuit, nobis nunciaſſe. Angelus denique hoc habet quòd tantùm mittatur; mittat autem ipſe neminem: quod in Spiritum Sanctum in diuinis Perſonis cadit.

*Tertia Hierarchiæ collocatio.*

Erit fortaſſe qui quærat, cur cum in prima Hierarchia ſummus ordo tertiæ Trinitatis Perſonæ, in tertia ſummus item ſuperioris infimo immediatè reſpondeat, fuerit in ſecunda mutatus ordo, vt Dominationes non Patri, ſed Filio immediatè ſubditæ fuerint? Reſpondendum arbitror, non poſſe hunc ordinem in omnibus tribus ſeruari: Nam ſic poſt Thronos ſpecialiter imitantes Patrem, deberet ſequi gradus primus ſecundæ Hierarchię Patrem etiam imitatus: atque ita tertiæ Hierarchiæ primus gradus deberet Spiritui Sancto attribui, qui excluſo à primis ordinibus Verbo, duos ſibi védicaret. Deinde tres Hierarchiæ totales vnam è Trinitate Perſonam quaſi Principem, imitari debent, & quidem ordine retroacto: quare à Spiritu Sancto per Filium ad Patrem debent peruenire.

*Leuis difficultas ſoluitur.*

---

## *DE HOMINIBUS IN COELUM RECEPTIS PERtineant-ne illi directè ad Cæleſtem Hierarchiam.*

## CAPUT IX.

QVANDOQVIDEM intelligentis animæ priuilegio, vnam & eandem cum beatis illis ſubſtantijs, à terrena concretione liberis conſtituimus rempubl. quandoquidem altiſſimo Mediatoris noſtri merito munificentiaque ſic in cœlum euehimur, vt Angelorum perduellium ſedes occupemus, & diuinæ illius Hieruſalem ruinas inſtauremus; dubitari iure meritò poteſt, homines-ne in ijs ordinibus collocati, pertineant ad eam Hierarchiam in qua cenſentur? Ita viſum Gerſoni magno, ſi eius doctrinam rite percipimus. Nam loco alibi citato, poſtquam in Diſcipuli perſona Mariam Virginem in peculiari poſt Deum Hierarchia poſitam eſſe dixit, in Magiſtri deinde, hoc eſt, ſua perſona ſic loquitur. *Suſcepit ipſam Dominus, recordatus miſericordiæ ſuæ, collocans ipſam ſuper omnes choros Angelorum, apud quos videtur B. Ioannes Baptiſta primus*

*Aliqui collocant homines beatos in Hierarchia.* Gerſon. Tr. 4. in Magnif.

*poſt Mariam poſitus in ordine Seraphim loco Luciferi: ſimiliter & alij pro qualitate meritorum, vſque ad infimum ordinem Angelorum, ſub quo repoſitos dicunt ſaluatos ex ſolo Chriſti merito, deficiente proprio, quæ ſecundam Hierarchiam conſtituunt.* Quod & ſuadet ratio: cum enim ardenti caritate creatorem diligant, cum perenni Triſagio eius gloriam prædicent, quod in propheticis illis viginti quatuor Apoc. c. 4 ſenioribus adumbratum eſt: cum noſtris etiam rationibus ſeruiant, & diuinæ beneficentiæ influxus nobis impetrent, miniſtrentque: quid prohibet quo minus de Hierarchijs Angelicis, ad quas per merita prouecti ſunt, vere & propriè eſſe dicantur?

*Oppoſita ſententia probatur.* Huic tamen opinioni ſuffragium addere me vetat perpetuum antiquiſſimorum Patrum ſilentium: eorum, inquam, quorum Angelica doctrina Hierarchiæ ratio nobis tradita eſt: in quibus ne per vmbram quidem eius ſententiæ veſtigium vllum apparet: S. Ignatium dico, S. Dionyſium, eiuſque enarratores S. Maximum, S. Thomam, Hugonem, & alios; qui omnes in Hierarchiæ Cœleſtis deſcriptione ſolos Angelos, homines autem beatos, neutiquam commemorant. Atque vt prioris ſententiæ rationi rationem opponam, & quidem à priori, dico illos non eſſe in eo ordine & ſtatu ab Hierarcha Deo, ad actuum Hierarchicorum erga homines exercitium, primò per ſe & ex rei natura deſtinatos. Soli enim Angeli dicuntur ab Apoſtolo *adminiſtratorij Spiritus in miniſterium miſſi propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis.* Hebr. c. 1. Sunt igitur primario Dei conſilio, & naturali Hierarchicorum influxuum ordine præcisè conſiderato, ſibi ſolis beati, Angeli autem nobis & ſibi; tales modò ſunt ergaſtulis corporum liberati, quales poſt extremi iudicij tempora futuros diximus Angelos.

*Homines non Hierarchizant Angelos.* Specta & Hierarchicum ordinem, in quo inferiores à ſuperioribus illuminantur: illud autem fieri ab Angelis in Angelos lego in ſcriptura, & S. Dionyſius multis exemplis comprobat: at Angelos ab hominibus ſuperiore in Hierarchia reſidentibus Hierarchizari, nemo vnquam ſcripſit. Quod enim ex Apoſtolo Patres oſtendunt, Angelos aliqua fidei Chriſtianæ myſteria prædicantibus Apoſtolis didiciſſe, Epheſ. c. 3. id & de præſenti Eccleſiæ ſtatu dicitur, & hanc doctrinam Hierarchicam eſſe nego, quoniam ad Hierarchizandos Angelos non fuerunt primò & per ſe in Eccleſia creati Apoſtoli. Non habent igitur Hierarchicum homines in cœlo miniſterium.

*Extraordinariam cōmiſſionem accipiunt.* Fatendum tamen eſt Catholico cuiuis, noſtri curam ab ijs ſuſcipi, crebris precibus Deum interpellari, adſciſci eos non rarò ab Hierarcha in operis alicuius Hierarchici functionem, ad cœleſtium theſaurorum largitionem in nos effundendam; ſed illud vi ſtatus & ordinis non fieri volo, ſed tanquam ex commiſſione: vt etiam in cœlo quærat Hierarchia Eccleſiaſtica eorum imaginem, qui reductiuè ad Hierarchiam pertinere putantur. Atque hæc aperta rationis aduerſariæ elucidatio.

*Gerſonis doctrina obſcurior.* In ipſa autem noſtri Doctoris auctoritate, idem lumen præſtare non auſim. Eſto enim Principis apoſtatæ thronum ſanctiſſimus Prodromus occuparit, at in eiuſdem officij poſſeſſionem pedem non poſuit: at Hierarcha dici non poteſt, quam dignitatem Lucifero peccatum & perduellio eripuit, longéque iuſtiùs eam militiæ cœleſtis Principi Michaëli ſedem dignitatemque Doctor Mauclerus aſſignat. Quid eſt autem quod infantes nullis proprijs meritis beatos, ſecundam Hierarchiam conſtituere ſcribit Theologus? Quæ tandem

eſt

eſt prima cui ſecunda hæc reſpondeat? Quomodo ſecundi vocantur qui eiuſdem Doctoris calculo decimum in cœlo faciũt ordinem, imminuti paulo minus ab Angelis. Qualis hæc eſt in Aurelij & Hallier opinione Hierarchia, cui nulli ſunt ſubditi, in qua principatus nullus, quæ quod ab Angelis recipit, in homines non refundit? Hæc ego càpere cum non poſſim, facturum me amanter puto, &, vt loquitur Dionyſius, [illegible], ſi totum hunc diſcurſum non Gerſoni referenti, ſed alijs quos indicat ſcriptoribus ſic affirmantibus attribuero. Quamobrem ſecretis pauliſper ab Hierarchiæ cœleſtis conſideratione, tranſmigrantibus è terra hominibus; in ſolis Angelis habitandum eſt.

---

## PRIMÆ ANGELORVM HIERARCHIÆ ET ſingulorum eius graduum conſideratio.

## CAPVT X.

Caligat ad hos ſoles acies noſtra, niſi mutuos cœleſtium Aquilarum oculos accipiat. Et verò noſtræ quatuor in iſtis mirum quantùm, & ingenij ſubtilitate, & volatus pernicitate exultant. Sequamur illas, ſi placet, & mentem in ſublimes, & vicinas creatori ſubſtantias defigamus.

Percommodè in primis monet D. Thomas nomina primæ Hierarchiæ *imponi per reſpectum ad Deum:* quaſi minimum ſit id quod in alios agunt, habita eorum ratione quæ à Deo accipiunt. Idem eſt Hugonis Victorini ſenſus, dicentis illos ordines *ex virtute ſingularis excellentiæ, & vi denominationis ſua ad interiora tantummodo reſpicere*: & rationem ſubijcit quæ exeuntis capitis doctrina clariùs intelligetur. *Amare enim*, inquit, *& cognoſcere, & iudicare, intus præſidentium, & conuerſionem ad interiora habentium proprium eſt.* S. Bernardus eandem aliter paſſionem explicat, *Cernere eſt in his qui Seraphim appellantur, quomodo amet, qui vnde amet, non habet: quomodo delicta electæ iuuentutis, & paleas ignorantiarum eius ignis ille conſumens, ipſam ſibi purgatiſſimam, & ſuo amore digniſſimam reddat.* Et tamē S. Dionyſius Hebraïcas voces ſecutus Seraphim vocat *Incenſores vel Calefacientes*, quæ ſignificatio non paſſionem à Deo, ſed actionem in alios denotat. Horum vtrumque in Angelis requirendum eſt, quia, vt ſæpe notatum, prius in ſe diuinam exprimunt imaginem, quam in alios vim & energiam ſuam transfundant, & alterum ex altero neceſſariò procedit.

*Nomina primorum Angelorũ ducta ex reſpectu ad Deum.* D. Th. 1. p. q. 108. a. 6. Hugo l. 5. in c. 5. cœl. Bern. li. 5. de conſid. c. 4. Dionyſ. c. 7 cœl. [illegible]

Id vt in ſublimi ordine Seraphinorum explicetur, conſideratione dignus eſt Guillelmi Pariſ. diſcurſus ſubtilis, & verè Theologicus. Eorum nominum ſignificationes ſic à Deo communicari ſubſtantijs illis eximijs, vt in eo nihilominus propriè inſint. Itaque Deum poſſe dici Seraphinum, quia ex natura ſua eſt fornax ardens in ſe viuifici & ſpiritualis amoris, ex infinita perfectione pulchritudinis & bonitatis ſuæ. Vnde conſequitur ex eadem perfectionis immenſæ natura, vt conſideratores & inſpectores ſuos poſſit calefacere, & incendere: illos præcipuè Spiritus, qui ſunt ita penitus in illo, & ex illo igniti, quemadmodum ferrum candens ex igne.

*Seraphini ſunt Incenſores à Deo.* Guil. Pariſ. 2. p. de vn. 2. p. c. 119. *Deus Seraphinus eſt.*

Præter haſce duas rationes in natura poſitas, quaſi ex officio ſe Chriſtus Seraphinum vocauit, cùm dixit, *Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi vt accendatur & ardeat?* Eadem quantùm fas eſt ratione ordo Seraphicus

*Chriſtus iſte Seraphinus. Seraphins perfectè a-*

*mabiles, & per eos Deum.*

puræ & diuinæ pulchritudinis & boniraris abundantiſſimam, & expreſſam ſimilitudinem accipit, adeoque narura ſua eſt eximiè amabilis: ſicque amorem ſui naturaliter ingerit illam perfectionem ſpectãribus & admirantibus, vt per eam Deus ametur, ſummeque amabilis iudicerur. Quæ omnia paſſionem quandam in præſtantiſſimis illis naturis dicunt. Sed prærerea ex officio habenr incendere alios amore crearoris, in quo eſt actio: alios inquam, ſeu homines, ſeu Angelos, cum talibus eguerint adiumenris. Nam quia rectiſſima fortiſſimaque dilectione diligunr Creatorem, neceſſe eſt vt rotis viribus eius gloriam quærant. Pars autem potiſſima gloriæ eius, eſt dilectio qua diligitur: vnde rota diligentia id efficere debenr, vt ab alijs prout eius bonitas

*Seraphini exemplo ſuo alios incendunt.*
*Hugo l. 7. in c. 7. cœl.*

exigit, diligatur. Ira Guillelm. cui ex Hugone non male id corollarium adijci poreſt, *Ignis dilectionis ad ſuperiora quidem reducitur, dum per dilectionem Dei bonum ſuum ſitiens, mouetur, & ad inferiora, & ſubiecta participes boni ſui & conſortes ſecum colligere volens. Diligentes ergo diligendi formam ſubiectis tribuunt, & ardentes in ſe, alios quoque flamma dilectionis ſuccendunt. Propter hoc itaque dilectio illorum exemplum facta eſt ſubiectorum ad ſuperiora incendendi, tanquam recalificans illi.* Neque alia mens eſt S. Bernardi ſcribentis, *Putemus Seraphim ſpiritus totos diuino igne ſuccenſos, ſuccendere vniuerſa, vt ſinguli ciues, ſingulæ ſint lucernæ ardentes & lucentes: ardentes caritate, lucentes cognitione.*

*Bernar. de conſid. l. 5. c. 4.*

*Prima Hierarchia tota Seraphica.*
*[illegible]*
*Dionyſ. c. 7. cœl.*
*Idem c. 5. cœl.*

Factum inde, qnod ex S. Dionyſio norabis, vr Hierarchia prima tota Seraphinorum & caritati, & nomini participet. *Nam Calefacientes quidem etiam Throni appellantur, & ſapientiæ diffuſio, quod nomen diuinas eorum affectiones exprimit.* Quam participationem, quia infimæ Hierarchiæ ternio minus abundanter excipit, *abſurdum eſt eum Principatus, aut Thronorum, aut Seraphinorum nomine dignari*, vt hæc Hierarchia creatarum Princeps, non minus Seraphica, quàm Thronica debeat nuncupari, & àliquando Seraphinorum vocabulo in ſcriptura ſacra Cherubini, aur Throni poſſint intelligi, ſecundum id cui tum applicanrur, officium. Ex quibus apparet & ille ad Deum reſpectus, & vis actiuæ ſignificarionis ſuperius producta, & exempli Hierarchici energia.

*In Cherubinos Dei Sapientia primo funditur.*
*Guil. Pari. cit. c. 130.*

Cherubim ſignificant multitudinem ſcienriæ, vel fuſionem ſapientiæ, id eſt, primam Verbi in creaturas effuſionem per Sapientiam. Quæ nihil eſt aliud, quam *fortiſſima & inſeparabilis vnio, ſiue vnitio intellectus ipſorum ad primum & ſapientiale lumen*, air idem Guillelmus. Ac licet ſcriptura more humano locuta, omnibus Angelis pennas & oculos affingat, in Cherubico tamen gradu præcipuè ſpectanrur oculi, vixque apud Græcos Patres Cherubinos leges *ſine oculatorum* adiuncto ſeu *multi-oculorum*: quæ ſunt indita vel inſita ipſis *ſapiẽtialia lumina*, quibus *ante & retro*, ſpiritalia & corporalia, vel eligenda vel relinquenda: *intus & foris*, naturalia ſeu eſſentialia ſua, quæ à largitate Creatoris accipiunr: *in circuitu*, per circunſpectionem, omnia, quæ ſunt circum ſe *circumſpectè conſiderant, & qualiter erga vnumquodque illorum ſe habere debeant, qualiter illis, vel frui illa oporteat, ſapientialiter pleneque cognoſcunt.* Nimirum quia, vt ait S. Bernardus, *de ipſo fonte ad plenum hauriunt, ipſo per ſe domino Ieſu dignanter introducente in omnem plenitudinem veritatis.* Sunt enim illi, vt ante diximus, immediatè ſuppoſiri. Vel, vt alibi ſcribit, *ex ipſo ſapientiæ fonte, ore altiſſimi haurientes, & refundentes fluenta ſcientiæ vniuerſis ciuibus ſuis. Et vide ne is ſit quem Propheta loquebatur fluminis impetus lætificans ciuitatem Dei.* Vbi vides præuiam actionis paſſionem, & hanc illius cauſam & originem.

*Cur oculati Cherubini.*
*Guil. Pari. cit. c. 132.*
*Bernard. in Cant. ſer. 19.*
*Idem l. 5. de conſid. c. 4.*

Throno-

Thronorum nomenclationis cauſas aliquot in Doctoribus meis lego, ſanè *Throni dicti*
admirabiles. Dionyſius enim ducit ab exaltatione ex ignominia ſubiectionis,
id eſt, omni ignominioſa ſubiectione. *Nam quantò perfectius præſidentes Dei ſub-* *1. ab exaltatione.*
*iecti ſunt, tantò verius per ipſum; & in ipſo ſupra cætera omnia ſublimari meruerunt.* Dionyſ. c. 7 cœl.
Eſt autem *ignominioſa*, hoc eſt, aliquid imperfectionis in ſe continens *ſubiectio* Hugo in eum locū
per alium illuminari, & ad Creatorem accedere debere, quod Thronis non
conuenit: cum inter Deum & ipſos nullus ſit medius, per quem ipſi iungan-
tur, & illuſtrationes accipiant. Quæ ratio cum ſit toti primæ Hierarchiæ
communis, iam ex D. Thoma diximus Thronis ſpecialiter aſſignari.

Altera nominis cauſa ex Hugone eſt, qui Thronos *celſitudinem dignitatis ſi-* *2. à celſitudine iudicorum Dei.*
gnificare vult; *pro eo quod inuiſibilis conditor in ipſis ſedens, ſubiecta omnia iudicando*
*diſponit.* Quamobrem Throni altiſſimæ & compactæ ſedes dicuntur à S. Dio- Hugo l. 7. in c. 7 cœl.
nyſio, *altiſſimæ propter dignitatem, compactæ propter veritatem.* Quo dicto vide- Greg. hom. 34. in Eua.
tur alludere vir doctiſſimus ad Danielis viſionem, *Aſpiciebam donec Throni* Dan. c. 7.
*poſiti ſunt, & antiquus dierum ſedit*; & ad Dauidis contemplationem, *Parauit in* Pſal. 9.
*iudicio Thronum ſuum, & ipſe iudicabit orbem terræ in æquitate, iudicabit populos in*
*iuſtitia.* Conſonat & S. Bernardus loco ſæpe citato; *Cernere eſt in Thronis quàm* Bern. li. 5. de conſid.
*non ſuſpectus omni innocentiæ iudex ſedeat in his, qui circumuenire nolit, circumueniri* cit. c. 4.
*non poßit: quippe qui ſit amans & videns.*

Tertiam Guillelmus profert, ex eo quod beatiſſimi illi ſpiritus tantum ex *3. Quia adhærent Deo.*
gloria & magnificentia creatoris gaudium concipiant, vt de ea non poſſint Guil. Pari. cit. c. 131.
non gaudere & gloriari; eidemque propterea inſeparabiliter adhærere & ſub-
ſeruire: vnde fit vt in illis Deus tanquam in ſtabili & pacata ſede conſideat,
illique eum, inſtar ſedis & Throni portare videantur. Atque vt ob oculos po-
nat piè doctus hic Antiſtes trium iſtorum graduū cum Deo coniunctionem,
exemplo vtitur Puellarum trium, quarum Matrem ſe, & fratrem noſſe reſta-
tur. Harum prima Creatoris poteſtatem, altera ſapientiam, tertia bonitatem
mirabiliter amabant, & incredibiliter in illis ſibi complacebant. Eodem re-
duci poteſt interpretatio Caſſiani, Sedes vocari, *quod ita Deo cohæreant & do-* Caſſi. coll. 8. c. 15.
*meſticæ ſint ei ac familiares, vt in ipſis velut in quadam ſede diuina Maieſtas pecu-*
*liarius requieſcat, & quodammodo in iis firmius reclinetur.* Vel S. Bernardi *ex eo quod* Bern. li. 5. de conſid.
*ſedent, Throni dicuntur, & ex eo ſedent, quod ſedet in eis Deus. Quæris quid illam ſen-* c. 4.
*tiam ſeßionem? ſummam tranquillitatem, placidiſsimam ſerenitatem, pacem quæ exu-*
*perat omnem intellectum.*

His de appellatione conſideratis, ad eorum collocationem veniamus. Om- *Quis inter ſupremos*
nes quidem continuò, vt loquitur S. Athanaſius; & ſine vllo mediatore aut *Angelos*
interprete à Deo condiſcunt: ordo tamen in illis eſt & diſtinctio. Primum in *ſit ordo.*
donis gratuitis donum eſt caritatis: per eam maximè obtinetur ſapientia: ip-
ſa enim potiſſimùm familiares, ſecretarioſque Creatoris efficit. Quamobrem
Apoſtolis dicebat Chriſtus *iam non dicā vos ſeruos, ſed amicos, quia omnia quacūque* Ioan. c. 15.
*audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Ex his ſequitur poteſtas iudiciaria, quæ danda
non eſt niſi amantibus Creatorem, & ſapientibus eius conſilia iudiciaque
ſcientibus. Propter hoc beatiſſimos Thronos & inflammauit amore ſuo, & il- Guil. Pariſ. cit. c. 121. 122.
luſtrauit ſapientia, & firmauit inſuperabili potentia, vt per eos optimè iudi-
cet, & regat ſubiecta omnia. D. Thomas rem eandem exemplo amicitiæ re- D. Th. 1 p. q. 108. a. 6.
giæ declarat. Sunt enim in aula qui familiariter ad Regem per ſe ipſos acce-
dant: ſunt quibus præterea ſecreta ſua committat: ſunt denique qui ab eius

latere nunquam diſcedant. Hi ſunt ex amoris incendio Seraphini ; cognitio intima Cherubinis, ſola familiaritas Thronis competit.

*Eorũdem ordinum altera inueſtigatio.*

Et vt noſtram de fine & medijs Philoſophiam repetamus, quam & S. Doctor in memoriam nobis reuocat: cum præſertim in humanæ Hierarchiæ doctrina, ad Angelicos hoſce ordines reſpectandum ſit. Triplex eſt de rebus agẽdis cognitio, prima finis primò & per ſe, & bonitatis ipſius : altera cognitio mediorum, ad eius comparationem vtilium ; tertia Iudicium, quod practicum appellant, & Imperium, electionem conſequens. Illo nempe dictatur agendum aliquid, nulla ratione addita, niſi quia voluntas prudens hoc & illud elegit. Et hæc quidem minùs, vt conſtat, explicata eſt cognitio ; clarior altera, quæ mediorum conſenſionem cum fine conſiderat. Prima verò in bonitate finis defigitur, quæ cæteras omnes rationes cum excellentia complectitur : quia quò melior finis eſt, eò medium ipſum melius, & imperium ſanctius. Hæc eſt Seraphica, eademque perfectiua, illa Cherubica & illuminatiua : vltimam Thronis purgatiuam aſſignamus, qui diuinorum iudiciorum imperia cæteris denunciant. Si quidem qui Dei imperio nititur, purus eſt, & omni prauo ſuperboque affectu libet, adhæreſcens ad regulam bonitatis omnis, quæ eſt Dei voluntas imperans. Hanc verò præcedit ea, quæ noſtro loquendi more, Deum ipſum dirigere dicitur ad eligenda varia media, in quo ſapientia conſiſtit. Supremum autem tenet ordinem prima omnium bonitas, rerum cauſa & finis omnium caritas.

*Eadem diuiſio ad formam ſpecierum prudentiæ.*

*Pars prudentia Gnome.*

*Syneſis.*

Et quoniam in iſtis prudentiæ virtus operatur, hoc mihi conſidera, principijs quibuſdam altioribus niti prudentem hominem perſæpe, vt iam ante admonui, vt præter, & ſupra communes agendi regulas faciendum aliquid decernat ; quæ virtus Gnome dicitur: nonnunquam verò in ijs ſolertet æſtimandis, & bene iudicandis quæ ad finem propoſitum conducunt, verſari tantùm ; quam virtutem Syneſim appellant. Habere denique ſemper ex habitu prudentiæ in agendo conſtantiam, qua fit vt neque à concupiſcentijs auocetur, neque à prauis affectibus abducatur ab eo quod decreuit. Quæ omnia vt

Hugo li. 5. c. 4. cœl.

ad Angelos, quamquam timidè traducamus, ſuadet Hugo, cum omnes primæ Hierarchiæ ordines Deum immediatè reſpicere admonet. Primum *in dilectione* quæ omnia ſupereminet : alterum *in cognitione :* tertium *in diſcretione.* Non eſt enim otioſum quod diſcretionem Thronis attribuit, qua quid faciendum ſit dijudicant, & fortiter conſtanterque quo poſſunt modo exequuntur. Hæc omnia vt ſummum Seraphinis, & medium Cherubinis in hac Hierarchia locum, ſic imum Thronis aſſignant, contra S. Maximi opinionem,

Halloix in vita S. Dionyſ. in doſum c. 7.

Thronos ad ſupremum ordinem, & Seraphinos ad infimum traducentis, quam & communi repugnantem, & à P. Halloix confutatam modò non ſollicito.

SECVN-

## *SECVNDÆ ANGELORVM HIERARCHIÆ & eius gradnum explicatio.*

### CAPVT XI.

ORDINEM à Magiſtro præſcriptum ſequuti, ſecundam Hierarchiam ex Dominationibus, Virtutibus, Poteſtatibus conflatam dicimus: licet S. Gregorius Principatus in virtutum gradu reponere maluerit. Hæc ergo tota Hierarchia, gubernationi præſidet, & mediorum à Deo electorum, pro gloria ipſius amplificanda executioni, pet cauſas vniuerſales præficitur.

Ordinem ducunt Dominationes, quatum appellatio & definitio apud S. Dionyſium non patet omnibus. Sic autem nuncupantur ex eo quod liberaliſſima fideliſſimaque ſeruitute, ita gaudent & gloriantur Creatoris ſuper ſe dominatione, vt alteri nulli præterquã ipſi ſoli ſubijciantur. Ex quo fit vt ad Deum quantum poſſunt ſe adiungant; & ab omni rerum creatarum oppreſſione violenta remotæ ſint. Quod ſi ad ſubditos reſpicere volumus, *habent in ſe*, inquit Hugo, *dominationem liberaliter ſeueram, id eſt, benignè ſeuerã, ſeueritatem habentem in poteſtate, liberalitatem in benignitate*. Simplicius S. Gregorius Dominationes vocari putat, *quæ mira potentia præeminent; pro eo quod eis cætera ad obediendum ſubiecta ſunt*. Aut etiam quod ad eos inferiora omnia reducuntur, dicente S. Bernardo *ad iſtos tanquam ad dominos referi regimina Principatuum, tutamina Poteſtatum, operationes Virtutum, reuelationes Archangelorum, curam & prouidentiam Angelorum*. At è diuerſo S. Sophrouius *venerandas Dominationes hoc nominis ea de cauſa ſortitas*, aſſerit, *quod diuinam auctoritatem ſuo munere exprimant, cæleſtiumque bonorum communicationem verè, propriéque citra vllum prorſus impedimentum excipiant*. Quod additum ſcias, Lector, vt in hac etiam ſecundæ Hierarchiæ parte nobiliſſima, reſpectum ad Deum, & paſſionem nomenclationis cauſam, non minus quam actionem agnoſcas. Quod non diffitetur S. Bernardus *cernere eſt in Dominationibus quanta ſit Dominus maieſtatis, cuius nutu imperium conſtat, & imperio vniuerſitas atque æternitas termini ſunt*.

*Dominationes vnde dicantur.* Dionyſ. c. 8. cœl. Guil. Pari. 2. P. de vn. p. 2. c. 127. Hugo l. 8. 10 c. 8. cœl. Greg. hom 34. in Euā. Bern. l. 5. de conſid. c. 4. Sophro. in Encomio Angel. Bern. loco cit.

Officium eatum eſt, non quidem exequi quicquam, ſed præcipere agenda quæ à Thronis ſuperioribus acceperunt. Atque conſenſus hic & connexio tertij gradus primæ Hierarchiæ, cum ſecundæ primo, in potentijs noſtris interioribus ſpectari poteſt. Nam vbi voluntas aliquid agendum per electionem omnino decreuit, intellectui imperat; eamque in rem prudentiam adhibet. Cuius virtutis munus videtur eſſe duplex: primum confirmare intellectum in recta ratione, & conſenſu cum voluntate finem bonum intendente, ſeu volente efficaciter: quod eſt principium practicum. Illa enim confirmatio neceſſaria eſt, ne in ipſa executione ſenſitiuus appetitus aliqua difficultate deterreatur, & intellectus in iudicio prius facto vacillet ac titubet. Deinde debet in particulari media omnia diſponere & ordinare, qui S. Thomæ dicitur actus imperij. Et priorem quidem illum prudentiæ actum ſuo modo ad Thronos refero, qui Deo, Deique voluntati firmiter adhærent; poſteriorem autem ad Dominationes,

*Quod earum officium.*

Virtutes ſuo nomine demonſtrant in ſe *vltimitatem virtuoſitatis creatoris*; inquit Guillelmus, *ad quam nullo modorum attingere poſſit defectibilitas, vel aliquid ex eum conſequentibus.* Habentque forrem & virilem incommurabilirarem in omnes operariones, diuinæ ſimilem. Dei ſiquidem virtus *& fortis eſt ad agendum, vt non frangatur in difficulrate alicuius operis: & incommutabilis eſt ad perſeuerandum, vt non langueat aut infirmetur.* Earum menrium eſt de facto mouere cauſas vniuerſales: nam cœleſtium orbium morores Angeli *Virtutes cœlorum* vocantur. *Cernere eſt*, inquir S. Bernardus, *in Virtutibus, vnam vbique æqualiter præſto eſſe virtutem, per quem omnia, viuificam, efficacem, inuiſibilem, immobilemque, omnia tamen mouentem vtiliter, tenentem fortiter.* Cumque nulla particularis cauſa, niſi in virtute cauſæ vniuerſalis agat; idcirco in omnes effectus inferiorum Virtutes influere dicuntur. Quamobrem Virtutum eſt, ea procurare omnia quæ ad Religionem ſpectanr in communi: qui fuit fortaſſe fons erroris eorum qui apud Guillelmum Pariſ. leges ſeu Religiones ſtellis varijs aſſignarunr, vr Hebraïcam Sarurno, Saracenicam Veneri, Chriſtianam Soli. Eædem Virtutes *habent etiam poteſtatem ſuper corporalem natu am in operatione* miraculorum, teſte D. Thoma. Q uam vnam nominis illatum cauſam rradit S. Gregorius, & poſt eum S. Bernardus, *Putemus Virtutes eſſe, quarum nutu vel opere, ſigna & prodigia in elem.ntis, ſiue ex el.mentis facta apparent, ad commonitionem mortalium. Inde eſt fortaſſis quod cum in Euangelijs legas, Erunt ſigna in Sole, paulo poſt habes, nam Virtutes cælorum mouebuntur.* Er poſt vtrunque Rabanus Maurus *Virtutes Angelica quædam miniſteria perhibentur, per quæ ſigna & miracula in mundo fiunt.* Ineſt eriam in eo nomine *quædam fortitudo dans efficaciam inferioribus ſpiritibus ad exequenda diuina miniſteria.* Quam in exercitu facile cum Legato cõferes, qui mandata Imperaroris executioni mandat, ſingulas legiones ad miniſteria dirigens: in regia familia cum Maiore domus, qui Domini mandata ſingulis diſtribuir, curatque vt omnes munus ſuum rite fungantur.

Virtutes cur ſic dictæ. — Guil. Pari. cit. — Virtutum officium. — Guil. Pari. l. de legib. c. 20. — Miraculorum operatrices. — D. Th. 1 P. q. 108. a. 6. — Greg. cit. — Bern. loco cit. Raban. Maurus. l. 1. de vniu. c. 5. — D. Th. ibi. ad 4.

In Poreſtatibus omniporenria Creatoris apparer, *contra quam nec reſiſtentia vlla, nec rebellio ſtare poteſt* Nam in illis eſt *erecta, fortis, & auerſans omnem iniquam rebellionem ſtrenuitas, & vinci neſciens, aut cedere rebellantibus per modum omnem impatiens.* Er hoc nomen à diuino reſpectu Sophronius accipit, Poteſtates ita compellans. *Nulla prorſus ſeruituti vacaſtis rem; nullo turbine concuti, quæque ab illo ſolo principatu, à quo omnis poteſtas fluit, poteſtarem, & firmitatem nactæ eſtis.* Vt & S. Bernardus, *Cernere eſt in Poteſtatibus, quam poteſtatiuè idem princeps quos regit, protegit, contrarias poteſtates arcens & propulſans.* Officium namque ordinis huius eſt, curare ne à cauſis inferioribus, aut aliunde confundarur, perturbeturque Virtutum actio: quod fit impediendo conrrarias cauſas, & inferiores per debitam ſubiectionem ſubordinando, vt idoneæ fianr recipiendæ motionis, & actionis, quam in ijs volunr imprimere Virtutes. Hinc fit vt Dæmones prohibeant ab cauſarum vniuerſalium ordine perrurbando, ſoluenda elementorum temperie, ciendis procellis & tempeſtaribus: falſis eriam & inanibus miraculis perperrandis: aut quoquo modo ſectis, hæreſibus, nouis religionibus excogitandis. Quæ ratio creditur eſſe, cur dixerir S. Auguſtinus *ſpiritum malum regi per ſpiritum bonum.* Et S. Gregorius *poteſtatum ditioni virtutes aduerſas ſubiectas eſſe, quorum poteſtate refrenantur, ne corda hominum tantùm tentare præualeant, quantùm volunt.* Aut vt loquitur S. Bernardus *quarum virtute poteſtas tenebrarum*

Poteſtatum nuncupatio. — Guil. Pari. 2 P. de vn. p. 2. c. 117. — Sophr. in Enco. Ang. — Officium Poteſtatum. — Aug. l. 3. de Trin. c. 4. — Greg. ſæpe cit. — Bern. l. cit.

*comprimitur, & coërcetur malignitas aëris huius, ne quantùm vult noceat, ne malignari, niſi vt proſit, poßit.* D.Th.1.P. q.113.a.3. Denique D. Thomas Dominationes bonis Angelis præeſſe putat; Virtutes naturis corporeis, ſeu cauſis naturalibus vniuerſalibus; Poteſtates Dæmonibus.

---

## TERTIÆ ANGELORVM HIERARCHIÆ, ET *eius ordinum breuis expoſitio.*

## CAPVT XII.

IN vltima Hierarchia, ſingulíſque eius ordinibus, eſt executionis miniſterium. *Tertia Hierarchia executrix.* Nam poſteaquam ſic cauſæ particulares coaptatæ ſunt, vt accepta virtute à Virtutibus, remotis per Poteſtates obicibus, expedita ſit eius rei effectio quam Dominatio præcepit, ad opus accingunt ſe Principatus, Archangeli, Angeli: qui omnes rebus humanis præponuntur, vt docet D.Thomas. D.Tho 3. cont.Gent. c 80.

In Principatibus paſſiuum etiam aliquid reperit noſter Guillelmus: id autem eſt, *nobilis & præcellens, & indeflexibiter erecta; & omni modo indeclinabilis in partem iniquitatis quamcumque, viuax, poteſtatiua iuſtitia, vel potius, regibilitas, ſeu principalitas. In quibus Creatoris ea perfectio ſe oſtendit, quæ eſt principalitatis mundiſſima, & per omnem modum immaculabilis veritas atque ſynceritas.* *Principatuũ nomen ex paſſiua ſignificatione ducit* Quod hauſtum Guil. Pari. loco cit. eſt ex S. Dionyſio, qui Hugone interprete, ipſa Principatuum cognominatione innui dicit, Dionyſ. c. 9. cœl. *quod in eorum prælatione primus Principatus manifeſtatur, quia ipſum principando & imitantur & manifeſtant.* Hugo l. 9. in eum locum. Neque aliter S. Bernardus. *Cernere eſt in Principatibus principiũ ex quo omnia; & quomodo à cardine oſtium, ſic ab ipſo regi vniuerſitatem.* Bern. loco cit. Eſt autem poſita illa manifeſtatio, & externum in alios opus, in eo quod more Principum, primi ſint in exequendo, nec mittant, ſed ducant cæteros. Ita S.Dionyſius *Principale ductiuum cum ordine ſacro. Illi enim*, vt addit D.Thomas, *qui alios ducunt primi inter eos exiſtentes, Principes propriè vocantur.* Hi præſident gubernationi regnorum & gentium: *eorum moderamine & ſapientia*, inquit S.Bernardus, Bern. loco cit. *omnis in terris principatus conſtituitur, regitur, limitatur, transfertur, mutilatur, mutatur.* Vnde Græcorum & Perſarum Principem Angelum in Daniele legimus: miracula perpetrant ex directione Virtutum, quibus miraculis ad fidem via ſternitur. Auct. operi Imperf. in Math. hom. 5. Cumque Auctor operis imperf. in Matthæum, Angelos Chriſto miniſtraſſe putet, *vel ad ſanitates infirmitatum, quemadmodum & per Angelum Raphaëlem ſanatus eſt Tobias; aut ad correctionem animarum; aut ad effugationem Dæmonum*; ſi illum ad miracula facienda Principatibus vſum dixero, quis iure reprehendat? Huic etiam ordini attribui poteſt, quod Origenes vniuerſè de Angelis pronunciat, in Babylonica linguarum confuſione vni homini Babylonicam linguam impreſſiſſe Angelum vnum; alium alteri Ægyptiacam, alium Græcam: & ſic diuerſarum gentium illi ipſi fortaſſe Principes fuerint, qui & linguarum videbantur auctores. Ori. hom. 11. in num.

Archangelos & Angelos ex grauiorum aut minus grauium rerum annunciatione dictos eſſe nemo neſcit. Hæc nomina neque ipſa Gentilium ſuperſtitio repudiauit: nam præter Platonem, eiuſque aſſeclas, quibus Angelorum nomen in ore frequens eſt, Archangelos etiam atque Angelos fusè deſcribit *Archangelos & Angelos etiam Gentiles agnouerunt.*

Iambl. l. de myſt. Ægy. & quomodo alia aliter appareant.

Iamblichus in myſterijs, quos & ait venire in aſpectum hominum, illos quidem horribiles, hos autem mitiores: Archangelos apparere cum quiete & ordine quibus adhibent efficaciam; Angelos illis adhibere motum ordinatum, & moderatum: illos ſurſum animas reuocare; hos tantùm ſoluere à materiæ vinculis: Archangelos dare corpori ſanitatem, virtutem animæ, menti ſynceritatem, omnia noſtra in propria principia reuocare; Angelos bona etiam magis particulària diuisè diſtribuere, effectumque agere valde ab intimo eorum vigore deficientem; & ſexcenta alia magorum delitia, quæ in Dæmonibus ſpectabant ij qui curioſa ſectabantur. Redeo ad Theologos. Curam gerunt Archangeli publicarum perſonarum; vt Regum & Magiſtratuum, aut etiam ciuitatum: at Angeli priuatorum. De quibus duo notabis ex D. Thoma, cum in eorum gradu ſint alijs alij nobiliores, deputari maiores Angelos ad cuſtodiam eorum qui ſunt ad maiorem gradum gloriæ à Deo electi. Deinde hos ipſos inferiores Angelos exercere nonnunquam officia ſuperiorum, in quantùm ſunt executores virtutis eorum. Certè hos ſolos ordines mitti multis diſputat S. Dionyſius, qui Seraphinorum aliorumque fungantur officijs. Quanquam pleriſque Theologorum non abſurdè dici videantur *omnes adminiſtratorij ſpiritus, miſſi in miniſterium.* Et verò, vt ſibi obijcit Guillelmus Pariſ. quem ex huiuſmodi ſpiritibus mitti noluit, aut cui illorum in parte iſta pepercit, quànd nec etiam in hoc cariſſimo vnigenito ſuo parcere voluit, quin eum mitteret, quandocunque humanæ reparationis negotium hoc requireret, propter quod ipſum Filium miſerat?

Archangelorum, & Angelorum officium.

D. Th. 1. P. q. 113. a. 3.

Dionyſ. c. 13. cœl.

Hebr. c. 1. Guil. Pari. loco cit. c. 137.

Sublimis notitia ordinum collectio ex Bern. l. 5. de conſid. c. 5.

Itaque vt huic contemplationi finem imponam, ſacrum hunc catalogum ſublimi D. Bernardi cõſideratione colligo, qui ſic officium ſingulorum Spirituum explicat, vt cum admirabili creatore comparet, & non prius ad inferiora conuerti poſſe affirmet, quàm à ſuperiori acceperint. *Ardent Seraphim, ſed igne Dei, vel potius igne Deo, quod præcipuum eſt in eis: amant, ſed non quantùm Deus, nec quomodo. Lucent Cherubim, & ſcientia eminent: ſed participatio veritatis, ac per hoc non vt veritas, nec quantùm. Sedent Throni, ſed inſidentis beneficio. Dominantur Dominationes, ſed ſub Domino dominantur, & ſeruiunt pariter. Præſunt Principatus & regunt: ſed reguntur & ipſi; ita-ut regere iam non norint, ſi regi deſierint. Præcellit in Poteſtatibus fortitudo: ſed cui debent quod fortes ſint, & aliter eſt fortis & plus. Virtutes pro ſuo miniſterio, & potentatu ſatagunt excitare corda torpentia hominum innouatione ſignorum: Virtus verò in eis manens, ipſa facit opera. Adſunt Angeli & Archangeli: ſed ille germanior nobis, qui non modò adeſt, ſed ineſt. Ineſt Angelus ſuggerens bona, non ingerens; Angelus cum anima: Deus in anima: ille vt contubernalis animæ ineſt, Deus vt vita. Itaque ſicut anima videt in oculis, audit in auribus, odorat in naribus: ſic Deus diuerſa in diuerſis ſpiritibus operatur, verbi gratia, in alijs amantem ſe exhibens, in alijs agnoſcentem, in alijs alia facientem: ſicut vnicuique datur manifeſtatio Spiritus ad vtilitatem.* Non debuit mel illud à nobis excidere, vt hinc diſcamus omnes illas Angelorum dotes, nihil aliud eſſe, quàm Dei in illis, & per illos manifeſtationes atque operationes: ſiue illæ in Angelis ſubſiſtant, ſiue ad nos partim per exemplum, partim per illuſtrationes, partim per externa opera traducantur. Subdit enim apis Chriſtiana. *Deus amat, vt caritas; nouit vt veritas; ſedet vt æquitas; dominatur vt maieſtas; regit vt principium; tuetur vt ſalus; operatur vt virtus; reuelat vt lux; aſſiſtit vt pietas: quæ omnia faciunt Angeli, facimus & nos: ſed longè inferiori modo; non vtique bono quod ſumus,*

*ſed*

*quod participamus.* Quæ verba ſolidam portantia rationem, noſtram de præferenda Cœleſti Hierarchia Terrenæ ſententiam mirum in modum adiuuant. Sed id modò non agimus: vlterius procedendum eſt. *Cœleſtis Hierarchia nobilior terrena.*

---

## *INFIMOS HOSCE ORDINES ANGELORUM verè & propriè in Cœleſti Hierarchia eſſe aduerſus Franciſcum Hallier diſputatur.*

## CAPUT XIII.

SIC ordines beatiſſimorum ſpirituum omnes & ſinguli ſint à nobis expoſiti. Verum quoniam proximè homines deſcendimus, apud quos *bella & lites* reperiemus, hic velitationem ab Doctore Hallier incipiamus. De tertia Hierarchia tria docet; Primò infimos hoſce Angelorum ordines *non ſolere dici abſolutè & ſimpliciter, ſed cum addito, eſſe tertiæ Hierarchiæ.* Sed quæro ex illo, quis vnquam negauerit tres eſſe propriè dictas Angelicas Hierarchias? quis ante ipſum viderit, cum dicimus Archangelos, exempli gratia, eſſe tertiæ Hierarchiæ, nos id ſignificatum velle, *non eſſe ſimpliciter & abſolutè in Hierarchia?* Cum ergo Dominationes eſſe ſecundæ, Cherubim primæ Hierarchiæ dicimus, pari iure negare dicendi erimus, eſſe ſimpliciter & abſolutè in Hierarchia. Præterea ſi Hierarchia illa quia infima & tertia eſt, non eſt ſimpliciter & abſolutè Hierarchia; ſuperiorum Hierarchiarum tertij & infimi ordines Throni & Poteſtates, imo ipſorum ordinum imi gradus, ſunt-ne ſimpliciter & abſolutè in Hierarchia ſua? Si negat, omnium conuicijs vapulabit: ſi fatetur, quis ſcrupulus eſt id aſſerere de tertia Hierarchia, quod ille de tertio aliarum ordine & gradu confitetur? *Eſſe abſolutè, negat Hallier in vin. p. 386. Refellitur.*

Secundum eius dictum eſt; *vſu factum vt Hierarchiæ acceptio, licet impropria, ad tertiam Hierarchiam Angelorum abſolutè prolata traheretur.* Eum qui hoc dicat proprij iudicij plenum eſſe oportet, vt ſe S. Dionyſio primùm, deinde conſequentibus alijs per tot ſecula doctoribus præponat, vt quod illi *impropriè* vſurparunt verbum, quod *traxerunt*, quod in alienam ſignificationem prauè torſerunt, nemine vno ſuum, aut alterius errorem deprehendente: hic tandem aduenerit qui natiuæ ſignificationi vocem redderet, & quaſi in libertatem aſſereret: cum nos priore libro ipſi monſtrauerimus, tertios Hierarchiæ ordines in ea non *impropriè* reponi. *Impropriam ait eſſe acceptionem. Refellitur.*

Tertium eſt, huic tamen Angelorum ordini locum tribuendum eſſe in Hierarchia abſolutè conſiderata, quia in homines functiones Hierarchicas exercent. Sed ex ſuperioribus conſtat non eſſe neceſſariam abſolutè tranſeuntem in ſubditos actionem, ad participandam Hierarchiæ rationem. Ac licet eius neceſſitatem concederemus, eam tamen reperire eſſet in infima illa Hierarchia: cum qui in ea ſupremus eſt Principatuum ordo Archangelos, hi Angelos illuminent. Et in hoc Angelorum gradu, ſi ſunt alij maiores, vt D. Thomas aſſerit, illi alios illuminent: adeoque propriè & abſolutè ſint in Hierarchia; tandemque ad eum Angelum deſcendemus, qui ſolos homines, non *Eſſe in Hierarchia quia agunt in homines. Refellitur.*

vllum Angelorum Hierarchizet: cui ſoli viderit Doctor an ſimpliciter & abſolutè negare aut donare velit Hierarchiam.

---

## *DE ACTIBUS ANGELORUM HIERARCHICIS aduerſus Deum pauca perſtringuntur.*

## CAPVT XIIII.

CVM humanorum cura negotiorum Angelicas Hierarchias præcipua occupatione non detineat, cum paſſione quàm actione ſint nobiliores, cum appellationem ſuam à Dei, non autem à creaturarum reſpectu acceperint: quis vetet liberos à rebus humanis conſiderare, & *noſtram conuerſationem habere in cælis*, *vbi audiuntur arcana verba quæ non licet homini loqui*? Sirenas ſingulis mundi ſuperioris orbibus aſſignauit Plato. Deus ſancte quàm ſuaues! O felices eos quibus datum eſt contemplatione in eum locum euehi *vbi Deum laudant ſimul aſtra matutina, & iubilant omnes filij Dei.*

*Primum Angelorũ officium.* Guil. Pari. 2. P. de vn. p. 2. c. 154.

Hoc enim Guillelmus meus fortunatiſſimarum mentium primum eſſe dicit officium, vt non habeant requiem die ac nocte, quin clament de Creatore, *Sanctus, Sanctus, Sanctus, ſimiliter & alia magnalia ipſius.* Laudát enim ipſum, hoc eſt, illius bona eidem narrant, vel ſignificant continuò & ex neceſſitate. *Sicut enim à cognitione in effectu magnalium Creatoris, quæ non eſt niſi cogitatus certiſſimus ac lucidiſſimus eorum, numquam ceſſant illæ beatiſſimæ ſubſtantiæ: ſic neque à clamoribus laudum ipſius omnium, non ſolùm à clamore triplici ſanctitatis eiuſdem.* Eo reſpexit & S. Athanaſius eum opus dixit *ſupercæleſtium Poteſtatum eſſe, hymnum irremiſſum & amorem inceſſabilem erga Maieſtatem Dei.*

Athan. l. de communi eſſentia, &c.

*Secundum officium.* Apoc. c. 7.

Alterum officium eſt, benedicere Creatori, ſeu bona imprecari, & illa vt in Deo exiſtentia amare. Quem hymnum audiuit dilectus diſcipulus *Amen, Benedictio, & claritas, & ſapientia, & gratiarum actio, honor, & virtus, & fortitudo Deo noſtro in ſecula ſeculorum, Amen.* Non eſt enim oratio illa propriè deſiderium, ſed amor bonorum iſtiuſmodi. *Eſt enim placitum, quieta voluntas, deſiderium verò mota, ſeu in motu voluntas. Quamquam tanta eſt bonorum gloria ſuauitas, vt ſemper ipſa rapiant in ſe fruentes eiſdem, & ſemper eoſdem in ſe quieſcere faciant: quia ſemper obtenta & habita, ſemper deſiderantur.* Quò referenda videtur perfectiſſima Eccleſiæ oratio, & laus Dei, quæ Angelicam doxologiam ſupplet his verbis *laudamus te, glorificamus te, gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam*: Non ſolùm tua tibi bona gratulamur adeò ſyncerè, vt ſi à nobis penderent, tibi facere vellemus ſempiterna: verùm etiam tantam in te eſſe gloriam, bonum noſtrum reputamus, quaſi beneficium à te accipiamus, quando infinitam in omni perfectionis genere naturam poſſides. Quo actu caritatis quis poteſt eſſe illuſtrior, niſi forte apud Seraphinos?

Guil. Pari. loco cit. c. 155.

*Oratio Eccleſiæ perfectiſſima.*

*Tertium officium.* Baruch. c. 3.

Tertium officium, magnificare Creatorem: in ſeipſis quidem eius magnitudinem prædicta ratione prædicando, & apud ſe magnum & immenſum cognoſcendo, vel inſinuando, vt cum Seraphim clamant alter ad alterum. Et cum Baruch exclamabat, quaſi è contemplatione euigilans, *O Iſrael quàm*

*magna*

*magna eſt domus Dei, & ingens locus poſſeßionis eius! Magnus eſt & non habet finem, excelſus & immenſus.*

*Quartum officium. Guil. Pari. loco cit.*

Quartò denique Deum clarificant, id eſt, clarè, ſublimiter, & latè bona ipſius vel in ſeipſis recognoſcunt, vel alijs prædicant. *Clara eſt fama Creatoru propter nobilitatu ipſius præſtantiam: ſublimu propter ſupereminentiam altitudinis, qua incomparabiliter ſupereminet vniuerſis & ſingulis: lata propter vniuerſalem peruagationem qua replet omnia. Non enim ſolum vocibus hominum omnium, ſed reſonantia creaturarum omnium glorificatur, audire ſpiritaliter, hoc eſt intelligere valentibus.*

*Angelorũ caritas in Deum eſt Hierarchica.*

Hoc eſt igitur *opus ſupercœleſtium Poteſtatum præcipuum, & pene vnum; cuius cætera quæ nos ſpectant ſunt leues & exiguæ appendices.* Vt enim Deus actu vnico & ſe & creaturas amat, & ſibi & propter ſe illas amat, amórque ſui, creaturarum cauſa eſt: ſic Angeli, ſi quæ poteſt reſpondere ſimilitudo, ex immenſo quo in Deum feruntur amore, cætera omnia quatenus Dei ſunt amant: neque niſi Deum amarent, aut nos Dei eſſemus, nos diligere poſſent. Meritò igitur & eximiam illorum in Deum caritatem ſpectamus, & eam Hierarchicam appellamus. Nam & ea finis eſt omnis Hierarchiæ, & hanc in rem & officium à conditore facti ſunt, & de Hierarchæ ſupremi Ieſu Chriſti plenitudine gratiam & gloriam acceperunt; & Hierarchicarum erga nos operationum fons & cauſa eſt. Quod ſi inter homines Epiſcopi aut Clerici hymnodia, vel Monachi contemplatio Hierarchicum opus eſt, quia ad illud Hierarchicam conſecrationem acceperunt; quanto magis in beata illa Eccleſia tam ardens, tam continua, tam glorioſa Deo, tam arctè Creatori coniungens caritas, erit & dicetur Hierarchica?

---

## *DE OFFICIIS ANGELORVM INVICEM; ſeu Actibus Hierarchicis inter eos exercitis.*

## CAPVT XV.

*Primus actus Hierarchicus Exemplum.*

QVID ſibi præſtent inuicem ſublimes illæ ſubſtantiæ quærenti, occurrit primò diligendi Creatoris Exemplum, quod licet in Seraphico ſolùm ordine ſpectauerimus, pro modo tamen ſuò ad alios etiam pertinere cenſendum eſt. Neque enim dubito quin ſingula beatiſſimæ illius multitudinis indiuidua, Deum pro virili amando, laudando, ſeque tanquam lucentia ſpecula inuicem præbendo; inuicem etiam quo poſſunt modo inflamment in amorem Dei, & ad eius laudem excitent, tum ineffabili delectatione, ex eo ipſo percepta, quod à tam nobilibus naturis, tota virium contentione laudetur. Tale autem Exemplum rem eſſe Hierarchicam quid hic repetam?

*Secundus Illuminatio. Alenſ. 2. P. q. 41. m. 3.*

Actiones aliæ locutione perficiuntur, ſeu illuminatione; quæ locutionis Angelicæ ſpecies eſt: illuminationem autem cum nomino, purgationem & perfectione intelligere, mox dicēda monſtrabunt. Non cuſtodit Angelus Angelum vt benè monet Alenſis: quia nihil eſt quo abduci poſſit à bono. Sed purgat

*Dionyſ. c. 7 cœl.*

illuminat, perficit ſuperior inferiorem:ſuperior, inquam, poteſtate, intelligentia,& verò etiam libertate, quibus plura poteſt, intelligit,eligit. Purgat verò & perficit non cognitionem naturalem, quam à prima conditione ſui perfectam omnes acceperunt: non ſupernaturalem beatam, quia eſſentialis eorum beatitudo creſcere non poteſt: ſed ſupernaturalem creaturarum cogitionem quas in verbo non vident. Purgat & perficit, non voluntatem & intellectum intrinſecè mutando, vt cum Deus in nobis fidei & caritatis habitum ingenerat:ſed obiectum aliquod alteri repræſentando, quo hic excitatus, aut quod ante non intelligebat, aut eo quo non intelligebat modo, cognoſcere incipit. Quare Purgatio, Illuminatio, Perfectio, ad intellectum referuntur.

*Diuerſis modis intellectus dicitur carere ſcientia.*

Et hic quidem vniuersè loquendo poteſt obtundi, vel errore aliquo, vel ignorantia ſola, vel mera ſcientiæ negatione,quam neſcientiam, ſi placet, vocabimus. Medicus enim ſi putat, exempli cauſa, cor non eſſe hepate calidius, errat:ſi neſcit ea quæ calefaciunt attenuare, ignorantia eſt: ſi non videt huic homini cor eſſe quam neceſſe ſit calidius, merè hoc neſcit. Sic oculi pupilla diuerſis modis poteſt eſſe compoſita; vel enim præuio colore infecta & occupata eſt,vt in ictetico morbo: vel omni quidem colore caret, ſed opacitate tamen aliqua, vt nubecula, ſuffunditur: vel denique tantùm tenebroſa eſt, & vt nullo inſtructa lumine, ſic nullo ad aliud excipiendum obſtaculo præpedita. Hac quaſi diſpoſitus negatione oculus, lumen intrinſecè recipit, quæ eſt quædam eius purgatio: deinde ab obiecto corpore, purpureo, viridi, albo ſpecies immittitur, quam impreſſam dicunt, quæ erit quaſi eius illuminatio: denique ſic adiutus oculus ab obiecto tum illuminante, tum per hanc ſpeciem fœcundante, viſionem albi & viridis elicit, quæ eſt ipſa perfectio.

*Neſcientia eſt in Angelis.*

Quæ ad Angelos vt transferam, in inferioribus neſcientiam ſolam agnoſco; cum nimiam imperfectionem ſecum vehat ignorantia. De errore, nefas eſt in ſupremis intelligentijs vel cogitare. Neſcit igitur Angelus, ſaltem diſtinctè, Dei voluntatem: ſuperior autem acceptam à Deo reuelationem directo ad eum ſermone manifeſtat, ad modum docentis; veritatem vnico intuitu à ſe cognitam,per rationes, per ſimilitudinum, & exemplorum appoſitionem fuſius ediſſerens. Quemadmodum diſcipulo tradit magiſter medium demonſtrationis, quo inſtructus concluſiones eas deducit, quas antea non poterat elicere.

*D.Th.q.9. dever.a.3.*

Hic verò vno & eodem actu illo primùm purgatur, quatenus liberatur a neſcientia: deinde illuminatur, quatenus per illum veritas ante ignota manifeſtatur: niſi mauis ſpeciem ipſam infuſam,ad cognitionis productionem idoneam,illuminationem appellare. Tertio perficitur, quatenus veritatis cognitio eſt intellectus perfectio.

*Exemplum Illuminationis Angelicæ ponitur in viſione Danielis c.10.*

Sit exemplum in illa nobili apud Danielem Angelorum contentione, in qua, receptiſſima eſt Patrum auctoritas,bonos Angelos Prouinciarum & Regnorum præſides, inuicem cum ſumma pace diſſidere. Angelus ergo Perſarum vi ſtatus ſui,diſtinctè tantùm nouit, quæ ad bonum Perſarum regimen attinent, cuius magna pars eſt Iſraëlitarum in ijs regionibus detentio. Quare procurat ne inde diſcedant, & neſciens Dei voluntati obſiſtit: quæ prauitas eſt quam in ſuis Angelis reperit Deus: & verò reperiet,

donec

donec poſt extremi iudicij diem nihil ſuperſit pro ſalute hominum reuelandum. Sed tandem à ſuperiore perdiſcit diuinum decretum, de Iſraëlitis ſeruitute liberandis; & ſic neſcientia liberatus purgatur; veritate obiectâ illuminatur; eadem cognita perficitur.

Damus hæc communi, vt dictum, ſententiæ, quæ ſanctos Angelos inuicem hoc loco committit. Ego verò non acutior Emmanuële Sa, viro doctrinæ iudicijque præſtanti, qui eam Angelicæ controuerſiæ explicationem intelligere ſe negat, præſtare arbitror non ſolicitari beatiſſimarum mentium incredibilem in exequenda Dei voluntate concordiam, & cum paucioribus vt Caſſiano, vt Ruperto, & quibuſdam alijs, malo bonorum iſtud eſſe cum malis prælium, quale in Zacharia, in Apocalypſi, & in epiſtola Iudæ deſcribitur: cum nuſquam alibi ſcriptura illam inter ſe beatorum ſpirituum diſcordiam repræſentet. Nam dubitari iure non poteſt, quin ex omnibus Angelorum Hierarchijs & ordinibus aliqui in peccatum & inferos præcipitauerint, quos Lucifer Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ, ad æmulationem diuinæ Hierarchiæ regnis, hominibus, negotijs præficiat. E Principatuum igitur ordine auulſus hic credi poteſt infelix ſtolo, qui Princeps regni Perſarum vocatur, & ſe Gabrieli Iudæorum libertatem nunciaturo oppoſuiſſe. De Principis Græcorum nuncupatione quid ſentiam non habeo dicere, cum in Gabrielis occurſum adueniat, neque ſe ipſe opere vllo prodat, neque cui ſe parti adiuncturus ſit, diuinare poſſim. Inclino tamen in peiorem, vt cum Principe Perſarum, aduerſus Gabrielem & Michaëlem dimicet. Ancipiti ergo in hanc aut illam partem appellatione, ducendum eſt ex effectu certum aliquod, eius bonitatis aut malitiæ ſignum, quod arbitror in re geſta deprehendi.

*Apud Danielem non bonos Angelos inuicem, ſed bonos cum malis pugnare, verior opinio.*
Emm. Sa in c. 10. Daniel.
Caſſian. co l. 8. c. 13.
Rupert. l. de vict. Verbi c. 6.
Zach. c. 3.
Apoc. c. 12.
Iudas in ep. can.
*Princeps Regni Perſarum, qualis.*

Sic enim perpendenda eſt: Daniele orationem & ieiunium inchoante, ſtatim emanaſſe à Deo decretum de reuelanda Prophetæ Iudæorum libertate: in quam rem miſſus Gabriel, obſiſtentem ſibi habuit Perſarum Principem, qui tres ſolidas hebdomadas eum ab eiuſmodi reuelatione facienda prohibuit. Quo toto tempore, quis credat Gabrielem Principi illi non manifeſtaſſe à quo, ad quem, & quamobrem mitteretur? & tamen ira cognitæ voluntati tamdiu reſtitit, non obſequens ſubditus, ſed infamis perduellio. Cui autem bono fuiſſe putas huiuſce reuelationis moram? non Angelo certè cœleſti, ſed impio, qui ſolarium illud optimo Prophetæ inuidebat; qui virum ardentiſſimum precum ſuarum effectu priuari, indeque ad quandam deſperationem induci poſſe gaudebat: qui verebatur ne Daniel tantæ felicitatis pollicitatione ciues ſuos in officio contineret. Vnde autem illa Gabrielis ſolicitudo, metuſque, ne dum apud Danielem moratur, per abſentiam ſuam aliquid aduerſus Hebræos moueatur? Quid enim timendum eſt ſi Principes Perſarum & Græcorum eius ſocij ſunt atque amici? Aulicorum imaginem hic animaduerto, qui cum à Regis conſpectu digrediuntur, ſemper ſunt in metu, ne quid ab æmulis detrimenti patiantur: ſecus autem fieret ſi ſe amicos omnes in aula reliquiſſe confiderent.

*Agnita Dei voluntas reſiſtitur.*

Quid igitur ad auctores communis ſententiæ dicemus, viros ſanctitate, doctrina, auctoritate admirabiles? quis enim ſe Gregorio, Hieronymo, Theodoreto, D. Tho. Lyrano, & alijs ſine præiudicio veritatis opponat? Veniam mihi dabunt Doctores grauiſſimi, ſi duo quædam diſcernenda profero,

*Veterum in quæſtione propoſita ſenſus explicatur.*

quod non ſatis diſtinxiſſe mihi videntur neoterici eius opinionis ſectatores, alterum eſt, decretum Dei de aſſerendis in libertatem Iudæis: alterum, de eius decreti cognitione Danieli concedenda, voluntas. In primo explicando laborat conſtans antiquorum recentiorumque oratio, vt apertè demonſtrant Gregorius Magnus, & Theodoretus; qui rationes ab Angelis Regnorum præſidibus allatas narrant, cur diuinæ gloriæ intereſſet, Hebræos aut in Babylonica ſeruitute retineri, aut in terram ſuam poſtliminio reuerti. Hanc ego amabilem pugnam in ſanctis Angelis cum viris ſanctis lubens admitto, ante diuinæ voluntatis abſolutæ manifeſtationem, ſuperioribus ſpiritibus factam. Sed & hoc conſidero, non illi decreto ſe ſe Principem Perſarum opponere, verum eius decreti reuelationi faciendæ Danieli, quam Perſa ille à Deo imperatam decretamque ignorare non poterat; cui proinde ſi bonus erat, cum cæteris placidiſſimè acquieſcere debuit, non eius decreti nuntium retardare, non conſilij ſui ſocios aduocare, non turbas, quas vereretur bonus Angelus, excitare. Quod decretum & vim eius executioni factam, ſi omnino tetigiſſent ſcriptores illi primæ notæ, non dubito quin poſterioribus ſeculis ad ſententiam noſtram ſe duces præbuiſſent. Sed hæc hactenus, ad opus reuertor.

*Duplex Dei decretum.*

*Greg. l. 17. Moral c. 7. Theodor.*

A quo priuſquam abeas, duo tibi tradam obſeruanda, primum in oculi, de quo dictum eſt, purgatione, poſſe ipſum, imo etiam debere ad purgationem ex ſe ſe concurrere; ita vt habeat ſpiritus animales lucidos: quamuis ab obiecto exteriore lumen aliquod accipiat; aut excitetur certè vt ſuos illos ſpiritus conuocet. Eundem tamen non concurrere ad ſpeciei ipſius productionem: vt vel inde concipias poſſe Angelum & hominem, potius in purgatione ſui, quam in illuminatione quicquam efficere. Neque otioſam putes partem Hierarchiæ patientem, quæ ſic agit, ſaltem in ſeipſam.

*Angelus ad ſui purgationem patiendo concurrit.*

Secundum, non poſſe illuminari ab inferiore ſuperiorem; tum quia huius ab illo non poteſt confirmari intellectus, inferioris cognitione minus clara, minuſque vniuerſali exiſtente: tum quia poteſt inferior quidem directè aliquid per ſuas ſpecies cognoſcere; ſed illud idem in conceptu ſuperioris longè nobilius cognoſcit.

*Non illuminatur ab inferiore ſuperior.*

---

## *BREVIS COLLECTIO RERVM ALIQVOT IN Hierarchia Angelica memorabilium.*

## CAPVT XVI.

NONDVM homines attigi, puros adhuc ſpiritus in Deo, & cum Deo contemplatus, perfectam tamen etiam in vltimis illorum ordinibus Hierarchiam reperi. Et placet exprimere, atque vnum in locum conferre præcipua quædam ἀξιώματα, ad quæ reſpectandum ſæpe erit inferius, ne aut fruſtra modò egiſſe de Angelis, aut ibi parum probata proferre videamur. Nunquam porro ſatis admonuerit Sanctus Dionyſius id exemplar frequenter conſulendum eſſe. *Non ſi diuinæ Cœleſtium Hierarchiarum deſcriptioni, Hierarchia noſtra ſtatus optimus, pro virili parte ſimilis euadat, Angelicam venuſtatem quaſi in imaginibus expreſſam*

*Conſideranda cœleſtis Hierarchia.*

*Dionyſ. c. 8. cœl.*

habebit

*habebit, formam per ipſam capiens, & ad ſupereſſentiale omnis Hierarchia principium eleuata.*

I. Hoc itaque primùm memineris, Lector, in Hierarchia tria omnia eſſe, totalem ex tribus Hierarchijs, trium ſingulas ex tribus ordinibus, ordines ipſos ex gradibus ſummo, medio, infimo eſſe conflatos: ſciaſque nuſquam viſurum te Hierarchiam, quæ ternarium graduum numerum aut non expleat, aut excedat.

*Tria omnia in Hierarchia.*

II. Tres omnes gradus de, & in Hierarchia eſſe, ſi verè partes ſunt de toto, ſi nullus Angelus eſt extra Angelicam Hierarchiam.

*Qua omnia ſunt de Hierarchia.*

III. Per Paſſionem, & id quod à Deo recipiunt, & non tantùm per actionem nobiliſſimè in Hierarchia conſtitui, & compluria eorum nomina ex reſpectu ad Deum, non ex Principatu in ſubditos deſumi. Thronos exempli gratia non eſſe in prima Hierarchia, quia Dominationibus imperant; ſed quia Deo, vt ſuperiores ordines, immediatè ſubijciuntur.

*Per paſſionem conſtituuntur in Hierarchia.*

IIII. Hierarchiam Hierarchiarum, & ſupremum ordinem Hierarchicum per ſanctitatem & caritatem conſtitui; inde prodire Hierarchias omnes, vt ab oceano flumina: ad eam redire eaſdem Hierarchias, vt ad centrum lineas, cauſam, parentem, finem, exemplum, ideam Hierarchiarum, vnam eſſe Dei caritatem.

*Prima Hierarchiarum in caritate fundatur.*

V. Dei amorem, contemplationem, laudem, Hierarchicas eſſe actiones: exemplum item non tantùm à ſupremis, ſed etiam ab infimis Angelis præbitum.

*Hierarchica actiones immanentes, & abſolutæ.*

VI. Agere etiam eos qui patiuntur, ſaltem in purgatione; & illam actionem viuentis eſſe in ſeipſum, non tranſeuntem in alterum.

*Agunt in ſeipſos.*

VII. Diuerſos ordines Principi & Hierarchæ immediatè poſſe ſubijci: quandoquidem Throni non ſubſunt Deo mediantibus Cherubinis, neque iſti Seraphinis.

*Plures ordines immediatè ſubijciuntur Hierarchæ.*

VIII. B. Virginem de, & in Hierarchia eſſe excellentiſſimè, vt primarium Hierarchæ Chriſti inſtrumentum ad opera omnia Hierarchica, ſine vlla reſtrictione.

*B. V. excellentiſſimè in Hierarchia.*

IX. Angelos infimos in Hierarchia non reponi, per id quod in homines agunt: ſiquidem illam actionem nondum tetigimus; & tamen plenè, propriè & directè in cœleſti Hierarchia illum ordinem inuenimus.

*Non ponuntur in Hierarchia per id quod agunt.*

X. Si quis Angelos ab Archangelis ſemper illuminari neget, quo ſcripturæ, quo Patrum dicto expreſsè falſi conuincetur? vtroſque enim nunciare legimus, & B. Virginem, Zachariam, Danielem à Gabriele Archangelo immediatè, non per Angeli miniſterium illuminari: & tamen Archangelos ab Hierarchia Cœleſti propriè dicta, nemo ante Doctorem Hallier, Catholicus excluſit.

*Inferiores non ſemper à ſuperioribus immediatè illuminantur.*

XI. Sed demus, quod probabilius eſt, Angelos ordinariè ab Archangelis, vt inferiores in natura, adeoque in gratia, illuminari; non fit illuminatio illa per imperium; ſed per modum doctrinæ, vt cum apud nos Doctor Theologus, aut concionator de fidei myſterijs diſſerit, eaque clarè & illuminatè proponit: Aut cum aliquis librum alteri aperit ea peritè tractantem, de qua re optimè; vt omnia, Guillelmus Pariſienſis, *ſi per libros ſenſibiles*, inquit, *fiunt in animabus noſtris ſcientiales illuminationes, & doctrinæ; quantò fortius per libros intelligibiles qui incomparabiliter lucidioris inſcriptionis ſunt, fieri*

*Illuminatio non fit per imperium.*

*Angeli libri ſpirituales.*

Guil. Pariſ. 2. P. de vn. 2. p. c. 151

*debent ſpirituales illuminationes & reuelationes, & in animabus noſtris, & in ſubſtantijs abſtractis?* Neque tantum libri ſunt, ſed etiam *Specula clariſſima viſibilium & inuiſibilium, iuxta quòd menſurauit eis creator benedictus imagines, lucidiſſimè reddentia, ſiue reddentia, & potentia ad transferendas, ſeu transfundendas apparitiones ſeu reſultationes ſuas in ſimilia ſpiritalia ſpecula.* In his ego imperium nullum video, & ſtrictam vt in iuriſdictione ſubiectionem. Quid quod hominibus immediatè à Deo reuelata ſunt plurima, quæ eorum prædicatione Angeli didicerunt, eò modo quo ſuperiore libro explicabamus, quem & Mauclerus Hierarchicum eſſe non dubitauit? Vbi eſt ergo aduerſariorum iuriſdictio, vbi Principatus Hierarchicus & ſubiectio? niſi forte Ioannem & Apoſtolos volunt Cherubinis & Seraphinis cum poteſtate præeſſe, & quod dicunt, illos auctoritatiuè Hierarchizare.

*Hierarchia Angelorũ per chariſmata diſpoſita.*

XII. Id etiam maximè conſiderari volo, per gratias & chariſmata diſponi Angelorum Hierarchiam, non per ordinem, vt conſtat, nec per propriè dictam iuriſdictionem: ſiquidem prohibitionis, minarum, coërcitionis, fori interni aut externi nulla in pacatiſſimæ pacis viſione mentio eſt. Cur ergò Hierarchiam omnem ad Ordinem & Iuriſdictionem reducunt Hallier & Aurelius?

Alia tuopte ingenio, Lector, in expoſita Hierarchiæ perfectiſſimæ tabula deprehendes, & cum duodecim iſtis lapidibus pretioſis in Eccleſiam transferes: vt cum animo tuo Hierarchiam, tanquam tabernaculum Dei cum hominibus, & magni Emmanuelis Rempublicam deſignare volueris, tibi à Deo dictum ſcias, *Inſpice & fac ſecundùm exemplar quod tibi in monte monſtratum eſt.*

---

## QVÆ SIT HIERARCHIÆ COELESTIS IN humanam actio Phyſica.

## CAPVT XVII.

*Aduerſarij contumelioſi in beatiſſimos ſpiritus.*

HACTENVS cœlum ſpectauimus, quaſi nihil ipſi cum terra eſſet commercij: nunc puriſſimæ illæ mentes quapiam veluti humanitate aſpergendæ ſunt; & earum beatitas cum ſalutis noſtræ rationibus coniungenda. Et ecce terram dum loquor, claſſicum ſonat; adeo etiam inter Theologos *militia eſt vita hominis ſuper terram.* Credeſne Lector, quod oculis ipſe meis vix credidi, auguſtum illud vniuerſæ Cœleſtis curiæ miniſterium, volente Deo nobis homulis ex luto & argilla compoſitis, ſumma cum alacritate exhibitum, ab aduerſarijs noſtris Petro Aurelio, & Franciſco Hallier omni faſtidio deprimi atque contemni? Nam eorum alter in corpora & exteriora ſolùm poſſe aliquid Angelos; Epiſcopos ab Angelis non illuminari, ſed potiùs Angelos ab Epiſcopis; Angelorum officium Diaconorum officio par & æquale eſſe; illos propriè loquendo in Hierarchia Angelica non reponi, cum Diaconi propriè ſint in Eccleſiaſtica, docet. Alter autem Angelos nobis exhibet vt volucripedes pediſequos, & petaſatos tabellarios: imo etiam, horreo dicere, cum hæreticis, quoad Eccleſiaſtica munia comparat. Poſt hæc ab iſtis hominibus aut Religioſi omnes contemni & vexari

xari, aut Ieſuitæ pro hæreticis haberi conquerentur? Quid enim ab ijs qui *poſuerunt in cœlum os ſuum*, expectari debuit, niſi vt *lingua eorum tranſiret in terra?*

Pronunciat Aurelius *miniſterium Angelicum nihil eſſe, niſi deſtinationem quandam, qualis ſimplicium miniſtrorum, & nunciorum eſſe ſolet*. Hallier autem, *quacunque Angeli operantur, oſtendere tantùm inferiora hæc corpora ipſis eſſe ſubdita, & quoad motum, localem præſertim, eſſe ſubiecta*. Ego verò licet fatear Angelos nihil extra ſe præter motum producere, ipſos tamen aio per eum motum multùm per omnem modum ad iuſtificationem & ſanctitatem noſtram conferre, & *ſimplices miniſtros & nuncios* contumelioſè appellari. Sed quoniam de tota mihi Cœleſti Hierarchia fuit hactenus oratio, lubet omnes eius ordines, & eorum etiam caput conſiderare.

Aurel. in vin. p. 471. H. Ilier in vin. p. 143.

Actio Phyſica Hierarchica, eorum eſt qui ad actus, aut habitus, & in genere ad aliqua dona ſupernaturalia producenda, & efficienda vim à Deo, & Hierarcha, virtutemque aliquam accipiunt; qualem in igne videmus ad calefaciendum, in calore vitali, & cum anima coniuncto, ad producendos ſpiritus vitales, animales, & carnes ſeu partes viuentes. Deus quidem ſolus eſt per ſe primò cauſa Phyſica omnis doni ſupernaturalis, ſolus cauſa principalis, auctor & principium, pater luminum, ex quo omnis paternitas ſpiritalis quæ in cœlo & in terra nominatur. Adſciuit tamen in operis ſui quaſi conſortium creaturas aliquas vt inſtrumenta, quibus ad eorum donorum collationem, vim & facultatem attribuit. Eorum primum & nobiliſſimum inſtrumentum phyſicum eſt Virgo Deipara, qua Spiritus Sanctus vti voluit ad primam & ſubſtantialem gratiam producendam, Chriſtum ipſum. Quam in eum efficientiam phyſicam, aut ei æqualem nemo in Eccleſia ſibi poteſt vendicare. Illi ſubſunt Angelicæ Hierarchiæ omnes, ad quiduis, prout Deus iuſſerit, idoneæ; & quidem eò magis, quò & bonorum auctori ſunt propinquiores per gratiam, & ad agendum paratiores per naturam. Aliqua nihilominus eorum donorum ſolis hominibus conceſſa voluit, vt inferiorem naturam, quam hypoſtaticè ſibi vnire dignatus eſt, hac etiam prærogatiua ſolaretur. Hominibus inquam, ſed viatoribus, non autem ijs qui cum Angelis æuo fruuntur ſempiterno. Nam Sacramenta conficere, Sacramentalia benedicere, impios Eccleſiaſtica cenſura coërcere, pœnitentibus abſolutionis beneficium impertiri, ſolis hominibus in hac adhuc mortalitate degentibus conceſſum eſt; quos eo nomine cum Angelis infimæ ſolum Hierarchiæ præponunt aduerſarij, haud ſcio an dubitent eandem eſſe & Angelicarum omnium ſubſtantiarum, & Beatorum, & Beatæ ipſius Virginis rationem. Ego certè non ſum adeo naturæ aut officij mei amans, vt Sacerdotes ita Thronis & Seraphinis putem excellere, vt aſſeram ita Beatiſſima Deipara ob hæc dona & miniſteria præſtantiores eſſe; vt ſolos ipſos homines ad Eccleſiæ & fidelium ſanctificationem, excluſa Cœleſti Hierarchia, concurrere profitear. Neque is animus eſt Doctori Mauclero, cum is quot quantiſque poteſt ex capitibus Eccleſiaſticam Hierarchiam præponit Angelicæ; cuius dignitati nihil detractum cupit, neque Angelorum contemptu maieſtatem hominum facit auctiorem.

*Qui phyſica ag. in Hierarchia.* — *Deus.* — *B. Virgo.* — *Angeli.* — *Homines viatores.* — Maucl. de monar. li. 5. c. 8. &c.

Nam vt à rerum vniuerſitate ducam initium, quàm nihil poteſtatem & energiam diuinæ Matris ſubterfugiat priore libro monſtratum eſt. De Ange-

*Actio phiſica Angelorum.*

August. in Pſ. 103.

lis id magnificè prædicat S. Auguſtinus, *Præpoſitos eſſe Angelos cœlorum ſuper Poteſtates aëreas, & inde procedere verbum quod fit hic. Intuentur enim legem fixam, legem æternam, iubentem ſine ſcriptura, ſine ſyllabis, ſine ſtrepitu, fixam ſemper, & ſtantem intuentur Angeli corde mundo, & ex illa faciunt quicquid hic fit, & poteſtates ex illa ordinantur à ſummis vſque ad ima.* Si meum Ariſtotelem ſcires Aureli, ſatis intelligeres eos qui legem æternam intuentur, qui ex illa ordinant, Architectos eſſe Principes, non *ſimplices miniſtros* executioni deputatos. Sed illud alibi monſtrabitur: repeto Auguſtinum, qui omnibus ſuo modo Angelis id aſſignat, quod tertio ſupremæ Hierarchiæ gradui fecit ipſa nomenclatio præcipuum.

Idem l. 3. de Trin. c. 4.

*Illic Dei voluntas qui facit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos ignem flagrantem, in ſpiritibus ſumma pace atque amicitia copulatis, & in vnam voluntatem quodam ſpiritali caritatis igne conflatis, tanquam in excelſa, & ſancta, & ſecreta ſede præſidens, velut in domo ſua & in templo ſuo, inde ſe quibuſdam ordinatiſſimis motibus primò ſpiritualibus, deinde corporalibus per cuncta diffundit.* Sublimius aliquid, vt video, ſapit de Dei miniſtris Aurelius Auguſtinus, quàm Aurelius ignorus: non enim in eis præſidere tanquam in ſede dicit, niſi vt per eos efficere omnia demonſtret, vt ex S. Gregorio facilè poteſt explicari, dicente *ſolium Dei Angelicas Poteſtates eſſe, quarum mentibus altius præſidens cuncta diſponit.* Et ne ſe queratur extra quæſtionem abripi, hæreo in Hierarchicis actionibus, in quibus conceptis verbis ait D. Thom. *Quod faciunt homines inferiori modo per viſibilia Sacramenta, quæ ſunt proportionata ipſorum, facere Angelos tanquam Superiores Miniſtros ſuperiori modo; ſcilicet inuiſibiliter, purgando, illuminando, perficiendo.* Vtri credis, Lector, D. Thomæ, *Superiores*, an Aurelio, *ſimplices miniſtros* appellanti? Nonne id vult Doctor Angelicus, & Angelos & homines eſſe *miniſtros Chriſti & diſpenſatores myſteriorum Dei*; ſed illos *Superiores*, hos *inferiores*, illos *inuiſibili*, hos *viſibili* modo; hos per corporalia, illos per ſpiritalia, vtroſque naturæ ſuæ proportionatè Deo miniſtrare in hominum ſalute curanda? Quò refertur & Sophronij encomium, quo Angelos *myſtas, myſteriorumque interpretes, & omnium Regis amicos, & muſicos, necnon ſacrorum miniſtros, & Diaconos dici* profitetur: eadem profectò mente, qua S. Ignatius alicubi Diaconos ipſos cum Angelis comparare non veretur.

Greg. li. 2. Moral. c. 15. al. 21.
D. Th. 3. P. q. 64. a. 7 ad 1.
*Angeli ſuperiores miniſtri.*
*Angeli Diaconi. & Diaconi Angeli.*
Sophro. in Encom. Angel.
Ignat. ep. ad Trall.

*Phyſicorum agentium in Hierarchia ſubordinatio.*

Contemplemur ſi placet *ordinatiſſimos illos Dei motus, primò ſpiritales*, ſi ab eo incipimus; ſed *corporales primò*, ſi ab homine. Chriſtus cauſa omnis ſanctificans, ingentis familiæ Pater eſt; ſine cuius auctoritate & virtute nec mater, nec miniſtri quicquam vnquam in commune bonum fecerint. Virgo Deipara vt mater, non tantùm familias, ſed etiam & maximè, Fratris, debet vim aliquam phyſicam in ſanctificatione habere. Et fortaſſe quemadmodum voluntas realiter in opus artis & manufactum influit tum intentione, tum electione; ita Chriſti eſt intendere, B. Virginis dirigere, Miniſtrorum tam Angelorum quam hominum exequi: Sic tamen vt motione aliqua indigeant à Chriſto & B. Virgine manante, vt ea velint quæ ad aliorum ſanctificationem ſunt neceſſaria. In illo autem miniſterio mouendos eſſe ſcimus interiores & externos ſenſus, & illud officium Angelis tribui; iſtud autem hominibus, quorum maxima vis eſt in actibus externis.

*Idem ordo in viſus ſimilitudine explicatur.*

Hæc vt arbitror ſatis probabilis eſt ratio, in qua non poſtulas, Lector, vt Angeli in phantaſiæ noſtræ vires, & efficientiam comprobem, quam ne ipſe quidem Aurelius negare audeat: Sed accipe non minus plauſibilem huius

œconomiæ

œconomiæ explicandæ methodum in eius qui ad fidem adducitur exemplo, & viſus ſimilitudine; nam & Baptiſmum Sancti Patres, & fidem Chriſti Apoſtolus illuminationem appellant. Quę cœcus eſt, quod de coloribus iudicium ferre, quam habere ſcientiam poteſt? *Animalis homo* (Iudæus, Ethnicus) *non percipit ea quæ Dei ſunt: nam crux Iudæis quidem ſcandalum eſt, Gentibus autem ſtultitia.* Curatur oculus ſublato velamine; feritur externus ſenſus per prædicationem, *quomodo enim credent ſi non audierint? quomodo audient ſine prædicante?* Sunt hæ Pontificis partes, qui *diuinè ſemper accedentibus, doctrina ſua radijs, vt Pontificem decet, collucet rectè, & ordine, ac pro cuiuſque ad ſacra ratione.* Fieri autem poteſt vt quis acuto viſu inſtructus, turbatæ imaginationis vitio nihil in intellectum poſſit traducere. Quam multi vel olim ab Apoſtolis, vel modò ab Apoſtolicis concionatoribus percepta exterius Chriſti cognitione iam *videntes non vident, audientes non audiunt?* Quid hic remedij? ab homine nihil; ab Angelo plurimùm? ſic enim humores, ſic ſpiritus animales commouebit, quibus tanquam vehiculis ſpecies ad phantaſiam deuehuntur, vt per eas ipſa, per ipſam deinde intellectus, excitetur. Sed neque qui plantat homo, neque qui rigat Angelus eſt aliquid, niſi dederit incrementum Deus.

*Quid homo efficiat.* Dionyſ. c. 2. Eccleſ. in contempl.

*Quid Angelus.*

Sit ergo benè & ab organo, & ab imaginante potentia inſtructus, errabit tamen in ſingularibus, non attendet ad diſtantiam obiecti, aut alia, vnde facile decipietur, neque anagogicos, quos vocant, diſcurſus faciet, neque habebit experimentalem cognitionem; quæ licet non ſit motiuum ſcientiæ, eſt tamen inductiuum. Quid enim viſus experimento cognoſcere potuit is qui videbat *homines ſicut arbores ambulantes?* Hanc ego experimentalem ſcientiam illis concedo qui cognoſcunt Chriſtum ſecundum carnem, vt hominem ſanctum, ſummè amabilem, Propheram à Deo miſſum, & quæ de eo ſecundùm humanitatem cognoſci poſſunt: quæ graphicè à S. Bernardo deſcribuntur. *Cum nomino Ieſum, hominem mihi propono mitem, & humilem corde, benignum, ſobrium, caſtum, miſericordem, & omni denique honeſtate ac ſanctitate conſpicuum.* Tales ex parte erant Apoſtoli, cum eos Chriſtus diſceſſurus ſolabatur, *expedit vobis vt ego vadam:* tanquam diceret, *Quandiu circa carnem meam occupatur veſter carnalis affectus, tandiu meam diuinitatem non ſuſcipit ſpiritalis veſter obtutus.* Tales illæ mulieres quæ ad crucem, imo cum cruce euntem *plangebant, & lamentabantur eum, ſcilicet vt moriturum* ex pia compaſſione, & *natura communis conſideratione.* Hanc ergo cognitionem procurari puto & effici à Virgine Deipara, quæ ſpecioſum forma præ filijs hominum, fratrem noſtrum ſugentem vbera matris noſtræ mundo peperit; eundemque in hominum mentibus virtute altiſſimi obumbrante, quotidie generare non ceſſat.

*Quid B. Virgo.*

Bern. ſer. 15. in Cãt.

Ioan. 16.

Auguſt. ſer. 188. de temp.

Beda in Luc. c. 23.

Verùm hominum & Angelorum opus purgatio tantùm ſit, B. Virginis illuminatio: ſupereſt addenda Perfectio. In illo certè homine quem experimentali obiectorum cognitione ornauimus, non naſcetur ſcientia, niſi quæ ſenſu percipit ſingularia, mente tranſcendat, & deductis inde principiis vniuerſalibus quæ ſint æternæ veritatis, certam & ſtabilem acquirat cognitionem, à qua nullo modo poſſit dimoueri. Sic in negotio noſtro, cognitione penitus ſpiritali Chriſtus cognoſcitur vt Deus, vt Verbum in principio, vt vnum cum Patre, ad quam nemo alius præter ipſum qui eſt *via, veritas, & vita* deducit: *nemo venit ad Patrem, niſi per me. Nemo nouit Patrem niſi Filius, & cui voluerit Filius reuelare.* Quare ad cœleſtem Hierarchiam inueſtigandam

*Quid deni-que Chriſtus ipſe.*

Ioan. 14.

Math. 11.

Dionyſ. c. 2. cœl.

Ieſum appellat S. Dionyſius *qui eſt lux patris, quæ eſt, quæ vera eſt, per quem nobis ad Patrem lucis auctorem aditus patuit.* Hic verè Hierarchicus & diuinus ordo eſt ad illuſtrandum intellectum, qui permouendæ voluntati nullo negotio poteſt à perito applicari, vt in eo non ſit opus moram diuturniorem trahere: maximè cum ex his magna probilitate diſputatis, nemo non videat quàm iniurioſè *ſimplices miniſtri & nuncij* dicantur Angeli, qui *tantùm oſtendant hæc corpora eſſe ipſis ſubdita.*

---

## *ACTIO MORALIS COELESTIS HIERARCHIÆ in Eccleſiaſticam breuiter decurritur.*

### CAPVT XVIII.

*Cauſa moralis quæ.*

CAVSAM moralem, quatenus ab explicata phyſica diſtinguitur, ſanctitatis in alio procurandæ, volo eſſe perſonam Deo gratá, cuius, eiuſque actionis pio intuitu, Deus infinita caritate ſua, inducatur ad donum ſuæ gratiæ alteri conferendum. Supremum autem hoc in ordine locum meriti condigni, Chriſto Seruatori: meriti congrui ſanctiſſimæ eius, & noſtræ Matri, & nos ante aſſeruimus, & nemo Catholicus ſuſtulerit: cum etiam Iudæi ipſi mundum à Deo conditum velint Ieſu & Mariæ amore; idque probent Ieremiæ dicto *niſi pactum meum, diem & noctem, leges cœlo & terræ non poſuiſſem.*

*Ierem 33. Petr. Gala. l. 7 de arcanis c. 2.*

*Aduerſarij Angelicum miniſterijs derogans.*

De cæteris ſupernæ Hieruſalem ciuibus, tam Angelis quàm hominibus, ne quid illis peculiare gratificari cogatur; vniuersè dicit Aurelius, *patronos eſſe noſtros, & tutelares, curare nos, regere, cuſtodire, non ſolum Angelos, ſed etiam Cælites omnes.* Franciſcus etiam Halliet Angelos quidem fatetur *orationes hominum ad Deum deferre, pro nobis orare;* ſed id officium quantùm poteſt eleuat, dum addit, id eos facere via omnino naturali, & *officium iſtud Angelicum*, vt & alia, *perfectiſſimè exhibere Sacerdotes.* Ego Patronorum noſtrorum cauſam ſuſcipio, & ſic ago. Si vis, Franciſce, duo eſſe Angeli officia quod oret, quodque orationes noſtras Deo offerat, erras, & munus illud neque intelligis, neque pro dignitate æſtimas.

*Quomodo Angeli preces noſtras offerant.*

*Guil. Pari. 2. P. de vn. p. 2. c. 156.*

*Orationibus quas offerunt permultum addunt Angeli.*

Videris enim ſentire eo loquendi modo, non aliter ad Deum peruenire preces noſtras, & vota, quam offerentibus Angelis, *quod manifeſtum eſt impoſſibile eſſe,* vt ait Guillelmus meus. *Deinde cuiuſmodi præſentatio, vel oblatio erit hæc? ridiculoſa quippe, & ſuperuacua iteratio precum noſtrarum erit. Neceſſe eſt igitur ab offerentibus preces noſtras Deo, aliquid addi eis quod exaudibiliores eas efficiat: hoc autem non eſt niſi interpellatio ipſorum, vel aliud adiutorium. Procurator namque vel mediator, ſi fauorem vel gratiam habuerit in conſpectu iudicis, adiuuat procul dubio, & promouet ipſam petitionem quam porrigit. Orationibus igitur noſtris & votis permultùm addunt Angeli ſancti. Et hoc eſt, fauore ſuo vel gratia quas obtinent in conſpectu altiſſimi, non ſolum orando vel petendo, ſed etiam fauendo vel porrigendo. Ex quo conſequenter manifeſtum eſt, quod multa nobis merentur & impetrant, quæ meritis noſtris nullatenus obtineremus. Sanctiſſimi quippe ſunt, & creatori acceptiſſimi, ſpiritualiſque Rhetoricæ peritiſſimi oratores. Impoſſibile eſt autem denegari eis à benigniſſimo largiſſimoque largitore bonorum omnium, vt pote omnibus quæ petunt dignis, & eadem*

*dignè*

*dignè petentibus. Neque enim poſsibile eſt ſapientiſsimos ſanctiſsimoſque aliquid petere vel indignum vel indignè.* Quis hanc purpuram alterius panni adiectione deuenuſtet?

Habent hoc, inquis, & ſancti homines, quique in cœlo triumphant, quique in terris Hierarchizant. Fateor equidem cum D. Thoma *Beatorum orationes habere efficaciam impetrandi ex præcedentibus eorum meritis, & diuina acceptatione.* Sed attende maioris efficacitatis eſſe debere Angeli, quàm Sancti orationem & oblationem; quia id Angelus ex officio facit, ad id à Deo Hierarcha conſtitutus. Atque vt inter homines qui Hierarchicè ad opus aliquod ſactum aſſumuntur, aliquid etiam ex opere operato plus habent in actione illa energiæ, quàm qui priuata poteſtate eam exercent: ſic inter Angelicos ordines, non malè putetur ipſa officij geſtio Deo eſſe acceptior, quia officium eſt, & actus Hierarchicus: ſunt enim ſuo modo Miniſtri Eccleſiæ Angeli, non ſunt homines Beati, vt olim probatum eſt.

*Angeli efficacius quàm Sancti nobis impetrant gratiam.*
D. Th. 2. 2. q. 83. a. 11. ad 1.

Quod ad Pontificem ſpectat, ſcio illum legatione fungi ad Deum pro populo; ſed & in hoc officio (Sacrificium ſemper excipio) Angelo ſe ipſe inferiorem profitetur, cum in venerando Miſſæ canone orat, *Sacrificia illibata perferri per manus ſancti Angeli in conſpectu Diuinæ Maieſtatis.* Idque verè fieri docet S. Chryſoſtomus, quem aiunt Angelico iti tremendis myſterijs dignatum fuiſſe conſpectu *Tempore ſacrificij, Angeli pro ramis oleagineis, Corpus Domini ipſum protendentes, rogant pro genere humano, quaſi dicant, pro his, Domine, rogamus, quos tu adeò dilexiſti, vt pro eorum ſalute mortem obires.* Producit quidem Hallier Chryſologi teſtimonium, vt demonſtret Sacerdotem munus illud Angelicum perfectiſſimè exhibere. Sed eo teſtimonio cum dicatur Sacerdos, *preces accipere, referre, reſtituere impetrata, ex homine totus in Angelum ſubſtitutus*, non videt Sacerdoti præponi Angelum, cum tota eius perfectio ſit *in Angelum ſubſtitui.* Angelum videlicet, cui in Apocalypſi ex officio competit *ſtare ante altare cum thuribulo aureo*, in quod imponuntur *orationes Sanctorum.* Denique mirari ſatis non poſſum hac in re conferri ab iſtis Sacerdotem cum Angelo, cum de Ioanne ipſo Baptiſta veritas dicat. *Qui minor eſt in regno cælorum, maior eſt illo.*

*Efficacius item quàm Hierarchæ.*
Chryſoſt. hom. 3. de Incomp. Dei natu.
Hallier in Vin. p. 145.
Chryſ. malè pro ſe allegat.
Chryſol. ſer. 26.
Al x. in c. 3. Zachar. ait illos [illegible] Sacerdotes.
Apoc. c. 8.

Poſſum cætera percenſere Cuſtodum Spirituum officia, quæ & communiter explicantur, & eadem ratione illis perfectè aſſeruntur: & ſola aduerſæ ſententiæ relatione apud Catholicos ſatis confirmantur. Quis enim credat docenti Hallier, nos à periculis liberari per Sacramentalia per Sacerdotes confecta, ad bonum excitari, & reuocari à malo per Sacerdotum exhortationes; Dæmones coërceri per Exorciſtarum miniſterium æquè perfectè, vt per Angelorum cuſtodiam? Paſtores aliquo modo etiam quoad illuminationem, Angelis cuſtodibus eſſe ſuperiores? Alias quidem affert prærogatiuas cum ordine & Iuriſdictione coniunctas, quas Angelis deeſſe mirum non eſt, cum viatoribus ſolis à Deo conceſſæ ſint.

*Parum probabilis ſententia* Fr. Hallier. in Vind. p. 144.

## ANGELORVM CVM EPISCOPIS ET *Sacerdotibus comparatio.*

## CAPVT XIX.

*Prælati Eccleſiæ Angelos debent imitari.* Maucl. de Monarc. 1. P. 1. 5. c. 7.

MAGNVM videtur, & pene ſupra ſpem noſtram pio Doctori Mauclero, ſi *qui in Eccleſia præſunt, tam maiores quam minores Prælati Paſtoreſque, cœleſtium ſpirituum virtutes in procuranda noſtra ſalute imitentur.* Earumque longam texens ſeriem, Paſtores denique ad perfectam imitationem auidè cohortatur. Sic Hierarchiam cœleſtem vir doctus, cum Eccleſiaſtica prudenter apteque coniungit. Petrus autem Aurelius præcipiti potius animi feruore, quam ſolida ſcientia, Prælatos Eccleſiæ multis partibus Angelis anteponens, hos ne ipſo quidem nomine Sacerdotum & Paſtorum dignandos eſſe aſſeuerat. *Legimus enim in ſcriptura*, inquit, *Sacerdotes vocatos fuiſſe Angelos; Angelos verò dictos eſſe Sacerdotes aut Epiſcopos, nunquam legimus.* Puta neque in ſcriptura, neque in Patribus. Nam ſi apud vllum Sanctorum Patrum, quos cum ſcriptura ſolet coniungere, Sacerdotum aut Epiſcoporum nomen Angelis attributum legiſſet, profectò verè non diceret, *nunquam legiſſe.* Hoc verò ſtupendum mihi videtur ad miraculum, Aurelium illum qui tam delicatè dicit *noſter Dionyſius, tuus Ariſtoteles*; qui Loëmelium arguit *nec Dionyſii opera legiſſe, nec iis legendis eſſe parem*; qui paginas integras, ipſoſque margines Dionyſii fruſtis Latinis Græcis ſuffarcinat, *qui ridiculam* Ieſuitis *ignorantiam* impingit, *quod ſpeciatim Hierarchiæ Angelicæ vim & proprietatem non norint*, hoc loco, nulla vi aduerſariorum adactum, liberè, ſpontaneè fateri Dionyſium *nunquam legiſſe.* O veritas magna es, & præuales!

*Negat Petrus Aurelius Angelos dici Epiſcopos aut Sacerdotes.* in Vind. p. 178.

*Fatetur Aurelius ſe S. Dionyſ. non legiſſe.*

*Angeli apud Dionyſium Sacerdotes vocat.*

Μίαν δὲ τὰς ταύτας ἱεραρχίας, καὶ [illegible] ἐπιστασίας [illegible] ἀγγέλους. c. 9. cœl.

Nam ſi legiſſet, vnquam-ne iſta capitis 9. verba prætereuolaſſet. *Vnum autem omnium principium & ad ipſum reduxerunt ſequentes ſecundum vnamquamque gentem Sacerdotio fungêtes Angeli.* Hoc eſt, interprete Hugone, *vnuſquiſque ex ea gente in qua Sacerdotio, id eſt, ſacra poteſtate, ſacra prælatione fungebantur, ad fidem conuertit eos qui crediderunt.* Locus hic bono omine tribus Aurelium vulneribus confodit. Primò cum Angelos Hierarchas vocat & ſummo Sacerdotio fungentes. Deinde cum non vni Hebræorum populo, ſed aliis etiam nationibus cum ſacra poteſtate præfuiſſe docet. Tertiò cum ipſos aſſerit homines ad fidem perduxiſſe, cui doctrinæ repugnantem Aurelium paulo poſt audiemus.

*Veterem in textu ſequimur verſionem, qua Hugo & Guil. Pariſ. vſi ſunt.*

Si legiſſet Dionyſium Aurelius, quid ad iſta c. 8. verba reſpondiſſet, vbi dicitur Zacharias Propheta ab vno ſubiectorum Angelorum ſuſcepiſſe reuelationem, de vrbe Hieroſolymitana reparanda, quod diuinum conſilium Angelus ille à ſuperiore, *tanquam à ſummo Sacerdote* fuerat edoctus? *vt pote ſcilicet à ſuperiori & ſacra dante.*

[illegible] ὡς ὑπὸ τοῦ [illegible] [illegible] Θεαρχικῶς [illegible]. c. 8. cœl.

Caput 10. non obiicio; eſt enim abſtruſioris doctrinæ, quod antiquum Interpretem Dionyſii Guillelmus noſter reprehendendum æſtimat, quod is quamlibet Hierarchiam rite atque ordine Pontificari vertérit. *Dixit enim pontificata, pro eo quod eſt in Græco, Epiſcopata: timens vt videtur, plus nominationem hanc, Epiſcopata, quam illam aliam, cum è conuerſo ei faciendum videretur.*

*In Dio. dici debet Hierarchia Epiſcopata* 2. P. de vn. p. 2. c. 144.

Epiſcopata

*Epiſcopata enim rectiſſima tranſlatione, & interpretatione ſuperintenta dicitur: vt vnaquæque beatiſſimarum Hierarchiarum Epiſcopata ſit, id eſt, tendens ad ſuum ſuper: quod non eſt niſi ſimilitudo, qualis poſſibilis eſt eis, ad perfectionem & pulchritudinem Creatoris.* O tempora! magnum officij ſui decus in eo conſtituit pius & doctus Epiſcopus, quod Epiſcopale nomen Angelis tribuatur, idque ab interprete vno ſublatum vendicat: & iſti totis viribus & rem & nomen nobiliſſimis ſubſtantijs eripere moliuntur.

c. 10. cœl.

Sed ſi locum hunc liberaliter illi concedo, ne ſe tamen euaſiſſe cæteros credat Aurelius. Nam c. 13. Seraphinus ille qui Prophetam Iſaiam purgauit, ex infimis ordinibus fuiſſe dicitur; qui *purgationem Theologi in Deum quidem veluti cauſalem, deinde in ipſum Seraphim, tanquam primò agentem ſummum Sacerdotem reponit*, & mox ſubdit, *ſummus autem Sacerdos & poſt Deum dux ipſe præſtantium eſſentiarum ornatus*, &c. Vertat ſe in omnes facies Aurelius, quod ruro poteſt, quia laruam gerit, & verba hæc calumnia torqueat.

c. 13 cœl.

Denique c. 15. Angelis Pontificiam à ſcriptura veſtem attribui docet, quæ in ipſis ſignificat *ad diuina & myſtica ſpeculamina ductiuum, & totius vitæ votum; id eſt, duces ſunt ad contemplationes diuinas & myſticas, ſubiectos erudientes ad cognitionem: & quod eorum vitam Deo dedicant, exhortantes, & confirmantes boni operis deuotionem*, vt ait Hugo Victorinus. Quomodo autem eo deducunt? Quemadmodum, inquit Pachymeres, Sacerdotes noſtri, cum per eos Baptiſmus, illuminatio, ordinatio, eulogia, & aliæ conſecrationes fiant; *quia vita illorum ſancta & ſacra penitus eſt.* Duo & hic Aureli vulnera accipis. Stola Pontificia decoratos Angelos in ſcriptura vides. Si ergo Scripturam, & Ieremiam, & Danielem Prophetas (quos hoc loco deſignari ait S. Maximus) legiſti, Sacerdotes ſummos Angelos in ſcriptura animaduertere debuiſti. Deinde per eos à Sacerdotibus noſtris Hierarchicas actiones fieri (ſic enim lubet Pachymerem interpretari) quaſi illis præſideant, & omnia rectè perfectéque confici procurent. Nam Sacerdos, verbi gratia, vt Baptizet infantem, non tantùm externo motu aquam debet aſpergere, & myſtica quædam verba eloqui, ſed etiam ad hanc actionem eius phantaſia debet concurrere, vt prudens loquatur, vt id intendat facere quod Catholica facit Eccleſia. Hominis autem phantaſiam vt propriam quandam prouinciam ab Angelo gubernari, iam ante diximus. Quod ſi hac decoratum à Deo prærogatiua magnum Eliam ſibi perſuaſerunt Hebræi Doctores, vt nullus eo abſente circumcidatur infans, eamque ob rem in eius Sacramenti apparatu duas ornant ſedes, alteram circumciſionem peracturo, alteram Eliæ ſub aſpectum non cadenti: Quanto potiori iure id in Sacramentis noſtris Angelicæ cuſtodiæ, & Hierarchico officio debitum eſſe putabimus?

c. 15 cœl.
Hugo
Pachym.
S. Max.
Hier. in c 9 Ezech.
*ait illum Angelum habitu Pontificis indutum fuiſſe.*
*Angeli cooperantur Hierarchicis actionibus.*
Petr. Galat. li. 10. de arcan. c. 9.

Poſt S. Dionyſium, quem expectas aduersùs Aurelium produci Lector? aut ijs locis confirmata Angelis Epiſcoporum & Sacerdotum nuncupatione, quid apertius poſtulas vt rem ipſam, & pro modo, munus & officium aſſeram? Nonne ſatis modò fuerit aduerſarios audire *rete ſuum iacientes ante oculos pennatorum?*

## RATIONES QVIBVS HIERARCHICA Angelorum officia eleuant Aduerſarij ſoluuntur.

§. Vnicus.

*Aliter Angeli, aliter Hierarcha regont Eccleſiam.*

IN conferendis Angelorum muneribus cum Hierarcharum noſtrorum officio & poteſtate toti ſunt aduerſarij, & quidem ſine iuſta vt arbitror ratione, cum res toto cœlo, totoque genere diſtantes, nulla ſatis legitima ſimilitudine poſſint inuicem comparari. Longè enim aliter Angelus homines & Eccleſiam; atque homo ſubditos ſibi homines & Eccleſiam Hierarchico regimine adminiſtrat. Vtrique verò naturæ propria quædam officia Deus eſſe voluit, vt neutri ſua periret gratia, ſua dignitas negaretur. Quis neſcit Epiſcopale onus Angelicis humeris eſſe formidandum, opus Sacerdotale Angelicis manibus inconceſſum, Sacramentorum confectionem, maximequè τὴν πολιτῶν πλειστῶν ab Angelis quodammodo nobis inuideri? Sed Angelos qui his careant prærogatiuis, cum alia multa in homines agant naturæ ſuæ conſentanea, nego eſſe illo contemptu dignos, quem aduerſarij palam & apertè demonſtrant. Quare licet grandia operum miracula Sacerdotibus à Deo conceſſa, commiſſa que ſint, ipſi Auguſtæ Cœli Reginæ ob ſexum & conditionem negata, non video cur ob illa priuilegia Sacerdos aut Epiſcopus quilibet Mariæ Virgini præferatur, illaque longè infra Sacerdotum maieſtatem deprimenda ſit: rationes tamen quas aduerſus Angelos producunt illi, pari iure Angelorum Dominam attingunt.

*Notanda inſtrumenti vis, & natura.*

Hoc tamen ab illis conſiderari cupio, quo fundamenta ipſorum omnia conuelluntur, hos atque illos, B. inquam, Virginem, Angelicos Spiritus, Hierarchas homines Sacerdotes, eſſe Chriſti & Dei miniſtros, & humanæ ſaluris inſtrumenta. Inſtrumenti autem dignitatem aut vilitatem, vniuersè & abſolutè loquendo ex eo ſpectari non debere quod agit; ſed ex maiore aut minore cum cauſa primaria propinquitate. Nam penicillo, quàm digito longè ſubtilius molliuſque colores tabulæ applicantur, & tamen digitus penicillo nobilius inſtrumentum eſt, quia manui coniunctius; & ipſa manus inſtrumentum nobiliſſimum eſt, quia mouenti animæ ad quælibet efficienda promptius famulatur

*1. Obiectio opera Sacerdotum nobiliora eſſe. Hallier in vin.p.141. &c. Aurel. in vind.p. 175.&c.*

*Hallier li. de Sacris ordin.p. 492.*

His prænotatis, pene ſuperfluum eſt audire quæ opponunt. Munus cuſtodiendarum animarum, inquit Halliet, Angelicum quidem eſt, ſed Epiſcopali longè inferius, quod eſt eaſdem animas ſoluere per abſolutionem peccatorum, ligare per cenſuras: conferre gratiam per Sacramenta, conficere auguſtiſſimum altaris myſterium, qua poſt Deum nulla maior poteſtas eſt. Facilis nodi ſolutio, viatoribus hæc conceſſit Deus mera voluntate, quæ cum beatis Spiritibus communicata velle poterat: ſiquidem alibi fatetur auctor hic, quaſi magnum aliquid, ex diuina commiſſione ſacra nonnunquam ab Angelis obiri miniſteria: & neque hæc ipſa illorum opera & miniſterio vacua eſſe permiſit; vt non incommodè dici poſſit, ea immediatè hominem facere, Angelum quodam modo mediatè. Deinde ſi quid priuatim homini dedit Deus, quo iure inde deducis inferiorem homine Angelum?

lum? idem-ne etiam de Maria Virgine profiteris? Hebræorum Legiſlatores & Paſtores fuiſſe Angelos fatetur Aurelius, qui tamen feriendæ hoſtiæ,& peragendorum ſacrificiorum ius nullum habuerunt: qui purgare immundos, lepram à lepra diſtinguere iuris auctoritate non potuerunt. Atenim Sacerdotum effectus ſupernaturales ſunt, Angelorum tantùm naturales. Quid? docet Angelus, docet Sacerdos: an iſte ſupernaturaliter, ille naturaliter? Reuelationem à Deo accipiunt Angeli & B. Virgo, accipit homo; an hic per gratiam magis quam illi? Præeſt Eccleſiæ Hierarcha, præſunt Angeli, præeſt B. Virgo, ſuo omnes modo; an ille minùs vt miniſter, vt inſtrumentum, vt cauſa ſecundaria, quam iſti? Nam hic Aurelius aut ridere vult, aut rideri: cum Sacerdotum dignitatem in eo collocat, quod *Chriſtus per eos non ſolum vt miniſtros, ſed etiam vt inſtrumenta operatur; ita vt illis agentibus ipſe adſit, & ſimul agat vt cauſa, & vt miniſter principalis.* Nunquid enim per aquam vt inſtrumentum in Baptiſmo producit gratiam? oleum in Confirmatione & Vnctione Extrema, Dei non eſt inſtrumentum? Sacra abſolutionis verba impium iuſtificant, an vi ſua, an vt Dei potentiſſimi inſtrumenta? rebus iſtis agentibus Chriſtus ipſe non adeſt, non ſimul agit, vt cauſa principalis? hæc igitur cum hominibus æquaueris, per me licet vt Angelis vtraque præponas. Sed iſta quid aduoco? Dic Aureli, per Angelos vt inſtrumenta non operatur Chriſtus? non adeſt agentibus, non ſimul cum illis agit vt cauſa principalis? qua igitur parte Angelicum miniſterium humano vilius & ignobilius eſſe vis? Poſſum & abs te poſtulare vt plus aliquid Chriſto Sacramentorum auctori concedas, quam *miniſtri principalis* appellationem: vt cauſam principalem, & miniſtrum ſeiungas, quæ admodum dura viderentur, ſi grauiores apud te errores iſtis catachreſibus non obſtruerent.

*Leuicula Aurelij obiectio. p.167.*

Ab eiuſdem Doctoris incude iſtud exijt: *omnes Angelicæ cuſtodiæ effectus ſunt naturalis ordinis quoad ſubſtantiam: nam pericula auertunt naturalibus cauſis, animam ad bonum excitant excitando humores, dæmones coërcent naturali immiſſa qualitate, orationes hominum ad Deum deferunt, & pro ipſis precantur, via omnino naturali, delinquentes puniunt virtute motrice naturali, vt ſatis patet. At verò effectus quos Eccleſiæ Paſtores producunt ſunt verè & propriè ſupernaturales, vt puta gratia habitualis: ideoque dicebat Auguſtinus, difficilius eſſe hominem iuſtificare, quod efficit Sacerdos, quam cælum & terram creare, quod nequit facere Angelos.* Rectè monet alicubi Spiritus Sanctus, in multiloquio non deeſſe peccatum: certè hic quot verba, pene tot peccata. Nam vt à comparatione ordiamur 1. Angelicum agendi modum pro ſubſtantia effectus accipis, eumque cum effectu Epiſcopalis ordinis comparas. Malè id quidem, ſi quidem modum agendi Angelicum, cum Epiſcopali agendi modo, effectum actionis angelicæ, cum effectu actionis Hierarchicæ conferre debuiſti, & dicere, effectus vtroſque ſuperàturales eſſe, modos agendi in vtriuſque vel ſupernaturalis vel naturalis ordinis. Nam ſi humorum excitatio naturalis eſt ad animam excitandam ad bonum, docta & elegans de virtutis honeſtate oratio non magis eſt ſupernaturalis. Si Dæmones coërcentur poteſtate naturali, capitis infantilis perfuſio, vel conceptorum verborum prolatio materialiter ſumpta, nihil habet ſupernaturale. Si delinquentes puniunt Angeli naturali virtute motrice, equidem non video quàm ſupernaturalis ſit Epiſcopalis

*2. obiectio: opera Angelorum eſſe naturalis ordinis. Halliet. in vin. p.141.*

*Diſtinguendus agendi modus ab effectu.*

apparitoris virtus morrix, reum in carcerem rapientis. 2. Supponere videris Angelicæ cuſtodiæ actiones (quas effectus nominare vis) ad gratiam non rendere, quam ſolæ pariant Hierarcharum actiones. Et hoc peruerſè, vt nemini obſcurum eſſe poreſt. Indicas 3. ad Hierarcharum actiones nullo penitus modo concurrere Angelos, quod falſum antea monſtrauimus. Imo id amplius 4. adeo eſſe ſeiuncta Angelicæ cuſtodiæ officia ab Hierarchicis officijs, vt commune habeant omnino nihil: quaſi Dei vnius hac in re., circa vnum & eundem ſubditum, in vna Hierarchiæ republica, ad vnum Deiformitatis finem Hierarchicum miniſtri non eſſent æquè vtrique. Quare tibi non patrocinarur S. Auguſtini dictum, cum ſine Angelica opera Sacerdos hominem non iuſtificet; imo ſæpe Angeli ſoli, obices omnes qui difficultatem creant, tollere ſoleant.

*Angeli cū Hierarchis concurrunt.*

Ac ne plura hoc loco congeram, abſolutè ſpecto nonnulla, & quæro ex te, quid ſit via naturali aliquid facere? Dices naturæ ſolius viribus, gratia Seruatoris nihil adiuuante. Bene eſt. 5. Angeli ergo non rarò natura minus perfecti, dæmones aliquos natura ſuperiores ſine graria, *naturali qualitate immiſſa coercent*, homines *ad bonum* excitant ſolis naturæ viribus; *orant pro nobis ſine diuina gratia*: *orationes hominum ad Deum deferunt* eo quo ſuperius explicabat Præſul Pariſ. modo, via naturali: procurant nobis finem Hierarchicum gratia nihil adiuuanre. In hæc verba, & Doctoris noſtri cogitata, niſi Pelagius & Celeſtius ab inferis excitati iurauerint, cauſæ nihil dico quin Angeli omnes cauſa cadant. Hæc dicta niſi S. Auguſtinus, niſi Arauſicanum & Mileuitanum Concilia, niſi fides Catholica proſcribat & abominetur, fiam ego ipſe anathema à Chriſto, extraneus fratribus meis Angelis, & peregrinus filijs Matris meæ Eccleſiæ.

*Abſurda multa ſequuntur ex aduerſarij dicto.*

Pergit Hallier Angelos deprimere. Omnia cuſtodum Angelorum munia Epiſcopi & Sacerdores obeunt: ipſam etiam illuminationem, nam & in hac inferiores eſſe Angelos hominibus ex eo patet 1. quod & Angeli à Paſtoribus Eccleſiæ illuminantur: 2. quod Epiſcopi à Deo immediatè illuminati ſunt, puta Apoſtoli à Chriſto; Angeli autem infimæ Hierarchiæ non à Deo immediatè, ſed à ſuperioribus mentibus illuminanrur. Hæc ſi vera ſunt, vti dicis, cui bono cuſtodes Angeli? cur ſingulis hominibus non beatum Genium, ſed Sacerdotem cuſtodem non adiungit Deus, vt hoc ſaltem nomine de Sacerdotum multitudine conqueri deſinas? potin' autem vt credas aquam à Sacerdote benedictam, tantumdem poſſe ad auerruncanda mala, quantùm Angelum? Sacerdorum adhortatione virtutis ſtudium & amorem æquè in nobis excitari, vt Angelica illuminarione vel phantaſiam perſuadente? non potentius Dæmonum vim & importuniratem à nobis abigi Angelica virtute, quàm exorciſtarum miniſterio? efficaciores eſſe apud Deum Sacerdotis preces pro populo, quam Angeli pro cliente? Circunſpice te Franciſce, & vide ad quos lapides offendas pedem tuum.

*3. obiectio Angelorū officia multa ab Epiſcopis exerceri. Hall. loco cit. p. 145. 146. Refellitur.*

Ab Epiſcopis illuminantur, inquit, Angeli. Pauci, nimirum Apoſtoli, quæpiam fidei myſteria, & rerum futurarum cognitionem acceperunt immediatè à Deo, ab illis, vt ante diximus, Angeli: debet-ne illud in ſucceſſorum prærogatiuam trahi? Ioannes ipſe nonne in Apocalypſi ab Angelis illuminatus eſt? Petrus & Apoſtoli nonne Angelos miniſterij ſui ſocios habuerunt? *Ipſi Apoſtoli*, ait Origenes, *Angelis vtuntur adiutoribus ad*

*Epiſcopi ab Angelis illuminantur.*

*ad explendum prædicationis ſuæ munus, & opus Euangelij conſummandum.* Quam in rem? antea explicauimus. *Sic enim dicebatur in Actibus Apoſtolorum, quia Angelus Petri eſſet qui pulſaret ad oſtium. Similiter ergo intelligitur & alius Pauli Angelus, ſicut eſt Petri, & alius alterius Apoſtoli, & ſingulorum per ordinem.* Hierarchas igitur adiuuant Angeli, Hierarchas illuminant communi lege, non Angelos Hierarchæ.

Ori. hom. 11 in num. Act c.12.

At enim à Chriſto immediatè illuminati ſunt Apoſtoli. Non ſanè de omnibus: & ſi Apoſtoli, non ſucceſſores, quod tamen videtur argumento probari. Atque vt hominum electi, ſic Angelorum aliqui, prout Deo viſum, de myſterijs quibuſdam immediatè ſunt edocti, vt oſtendit Dionyſius, qui Chriſtum ipſum vitæ ſuæ gubernationem Angelis ſubieciſſe miratur. Quid? nonne apud eundem Hierophantam, Angelorum nobiliſſimi digni ſunt habiti *qui Ieſu participes fierent non in ſacrè fictu imaginibus, per modum figuræ deificam ſimilitudinem exprimentibus; ſed tanquam verè ad ipſum proximè accedentes, in prima participatione cognitionis deificorum eius luminum*? Illuminantur ergo illi ſaltem ordines à Chriſto immediatè, & quidem perfectius quam Apoſtoli, dum Chriſtus eos in terris inſtrueret. Atque vt hic deſinam, quod iam iterum cogente materia retracto, mihi perſuadere non poſſum, in tantam confidentiam veniſſe Sacerdotem aut Epiſcopum vllum, quantam iſti efficere volunt, vt ſe Angelis abſolutè præferant, ſibi operam Angelorum neceſſariam eſſe denegent, à ſe Angelos, non ſe ab Angelis illuminari prædicent, Sacerdotes ſe quàm Angelos eſſe mauelint.

Dionyſ. c. 4 cœl.

Ibid. c. 7.

---

## *AN ET QVOMODO PASTORVM NOMEN Angelis conuenire poſſit.*

### CAPVT XX.

QVo tandem conſilio fieri dices, Lector, vt ipſum Paſtorum nomen Angelis eripiatur? quis metus eſt aduerſarijs, ne Sacerdotum, aut Paſtorum titulum amittant, ſi forte Angelis vſurpare permiſerint? Quæ inuidia eſt demere ab Angelis, quod ante nos poſſiderunt? nam Paſtoribus Chriſtum natum euangelizauerunt: Paſtoribus inquam Sacerdotum, & Doctorum figuræ, ſi Ambroſio, Gregorio, Eucherio fides.

Paſtorum nomen Angelis aſſignare videtur hæreticum Franciſco Hallier. Cur ita? quia Verbum Dei non prædicant: de hoc poſtea: quia Sacramenta non adminiſtrant. Neque id muneris in lege veteri obibant, & tamen Petrus Aurelius agnoſcit tunc eorum *fuiſſe miniſterium aliquod, & curam Paſtoralem, vt qui primi legiſlatores, prædicatores, promulgatores fuerint legis.* Itaque vel Aurelius ab commilitone Franciſco hæreticus cenſeri debet, vel ab Catholico homine non malè Paſtores Angeli nuncupantur. Sed & hic ipſe Aurelius, quod factum in priori teſtamento concedit, in poſteriore negat. Quamobrem? quæ potior eſt vnius cauſa quam alterius? qua ſua culpa tam glorioſum titulum intelligentes ſubſtantiæ amiſerunt? Quid ſi in hoc ipſo teſtamento, in Euangelio, in Chriſti Verbis, Paſtorum

*Angelos poſſe dici Paſtores negat Hallier in vind p. 159.*

*Affirmat fuiſſe in lege veteri Aurel. in vin. p. 169. in noua negat, ſed peruersè.*

officium ab Angelis inuenio exercitum ? Prænunciat Chriſtus in tremendi iudicij die ſeparaturum ſe homines omnes, *ſicut Paſtor ſegregat oues ab hædis, & ſtatuet oues quidem à dextris ſuis, hædos autem à ſiniſtris.* Erit igitur illud Paſtorale munus; at miniſtris vtetur: quibus? Angelis: *mittet enim filius hominis Angelos ſuos, & colligent de regno eius omnia ſcandala.* Erunt ergo Paſtoris miniſtri, & officium paſtoritium exequentur. Addo ex Apocalypſi aliud, etſi non eius roboris, non contemnendum tamen teſtimonium. Mulier enixa fugit in ſolitudinem, vt ibi *Paſcant eam diebus mille ducentis ſexaginta.* Si mulier illa Eccleſia eſt, metu perſecutorum in deſertú abrepta, qui ſunt Paſtores eius futuri? an homines? At illi ipſi ſunt qui fugiunt, qui latent, qui paſcútur. Angeli ergo qui Mulieris partum rapiunt in cœlum, iidem matrem paſcunt. Sed clarius aliquid appono. De libro Hermæ Paſtoris quid cenſes ? certè Origenes, Athanaſius, Hieronymus & alij *valdè vtilem & neceſſarium*, & non leuis auctoritatis eſſe dicunt. At in eo Hermæ apparet *vir quidam reuerenda facie, habitu Paſtorali, pallio albo amictus, peram in humeris, & virgam in manu geſtans, qui ſe à venerabili Nuncio miſſum* affirmat, iſque eſt, ſi Margarino de la Bigne Pariſienſi Theologo credimus, *Angelus cuſtos*, qui operi illi Paſtoris nomen dedit. Non eſt igitur alienus ab Angelo, Paſtoris habitus, quem nulli Patrum in eo opuſculo reprehendere venit in mentem.

Matt. c. 25
Matt. c. 24.
Apo. c. 12.
Her. Paſt. l. 2.

At non conferunt Sacramenta, non abſoluunt pœnitentes, non baptizant, non ſunt Patres & genitores fidelium, ſi quidem idem gignendi ei paſcendi munus eſt. Paſtores igitur dici non poſſunt. Si nullum eſt aliud Paſtoris opus, quá filios procreare, & oues ſuas cognoſcere; natos infantes baptiſmo tinguere, puerperas luſtrare: ſi qui exomologeſes in Paſchate non excipiunt, qui ſacra non faciunt, matutinas veſpertinaſque horas ad pulpitum, & membranam non occinunt, mortuos non condunt terra, Paſtores non ſunt; viciſtis, ô boni, nullum legerunt, nullum nominabunt aduerſatij veſtri Angelum, qui Parochi functus ſit officio. Quid nobis ſcripturam & Concilia tam ambitioſè citas Franciſce? victi ſumus, Angelos eſſe Parochos, gignere Filios, paſcere, neque probari poteſt, neque dici debet. Verùm putaſ-ne Paſtorem Hermetis aliud nihil feciſſe ? Dicit-ne Aurelius in veteri lege cum erant Paſtores Angeli, genuiſſe Filios, Parochos extitiſſe?

1. obiectio Angelos non conferre Sacramenta.
Hall. loco cit. Petrus Aurel. cit. p. 162. 163.

Non habent, inquit, oues ſuas quas paſcant; Paſtores igitur non ſunt. Quid ais Aureli? nec dum mihi ſatis explicata, eſt hæc ratio. *Aliud eſt Angelos hominibus præſidere, ceu ouibus Dei, aliud ceu ouibus ſuis. Non enim qui alterius ouibus præſidet Paſtor eſt, ſed qui ſuis.* Iam tandem capio & doctrinam tuam, & te Aureli. Cum dixit Chriſtus Petro, *Paſce oues meas*; erant-ne Chriſti, an Petri oues? Si Chriſti, Petrus Paſtor non fuit quia *alienis ouibus præſidebat.* Si Petri, cur eas Chriſtus ſuas dicebat? cur ipſi committebat? Cur Paulus Corinthios reprehendit quod dicerent, *ego quidem ſum Pauli; ego autem Apollo, ego verò Cephæ, ego verò Chriſti?* Angeli, populi quondam vt fateris *Hebraici Paſtores*, ouibus Dei, an ſuis præſidebant? Moyſem, Iacobum, Dauidem in vetere teſtamento paſtores verè dici, & fuiſſe negas? & tamen alienas illi oues paſcebant. Quis autem Hierarcha, quis Paſtor in Eccleſia ſuas vnquam oues, à Dei ouibus diſcreuit, niſi qui ſe ipſe ab vnitate Eccleſiæ, & à Deo ſegregauit ? quis vnquam verus legitimuſque Paſtor aliter ſuas, aliter Dei oues rexit ? vnde nata eſt hæc diſtinctio niſi à ſchiſmate? vbi adoleuit niſi in hæreſi?

2. obiectio Regere oues Dei, non ſuas.
Aurel. cit. p. 161.
Quæ eſt erronea doctrina.
1. Cor. 1.

Erronea

Erronea igitur illa; hæc ſtolida eſt obiectio. Oues in ſcriptura dicuntur Angeli: at non Paſtores, quia non ſunt. Non dicis, vt arbitror, omnino Paſtores non eſſe, cum altera poſt pagina in veteri lege tales fuiſſe fatearis, vt ſæpe notaui. Reſtat ergo vt aſſeras Paſtores non dici, quia oues ſunt, & quidem ex Matthæi quem citas parabola de oue perdita, in qua multi Patres nonaginta nouem relictas, Angelos interpretantur. Certè ouiculam eſſe oportet qui ſic agat: Sunt oues, ergo non Paſtores. Nam eodem iure Chriſtus Paſtor non erit, quia ouis & agnus dicitur: Apoſtoli Paſtores non erunt, quia illos ouium nomine, vt & fideles cæteros agnorum vocabulo Chriſtus Petro commendauit, loco nunc explicato. Et ipſa ouis perdita homines ſunt; certè in illis Epiſcopi & Sacerdotes, non ergo Paſtores. Theologiam habes paulùm obtuſiorem Aureli, cotem affero.

*3. obiectio oues eſſe, non Paſtores. Aurel. p. 162.*

---

## *SINT-NE ANGELI HOMINVM Doctores.*

## CAPVT XXI.

PRIMVM maximeque ſalutare Angelorum in nos officium illuminationem eſſe, eamque à libris illis ſpiritalibus, & mundiſſimis ſpeculis quam perfectiſſimam fieri qui meminerit, vereor vt me malè collocati temporis accuſet, qui demonſtrare velle videar homines ab Angelis edoceri, cum præſertim rationi & experientiæ coniuncta ſit magnorum virorum auctoritas, quæ aduerſarios, ſi contra hiſcere audeant, oppreſſura ſit.

Atque vt omittam legem veterem, quam *in diſpoſitione Angelorum acceperunt* Iudæi, Patriarchis præterea in lege naturali Deum colentibus illam ipſam diuinitatis cognitionem per Angelos datam Theologus noſter docet. Euangelicam quoque legem Angelis primùm deinde per eos nobis patefactam Gabrielis euangeliſmo ad Mariam, ad Zachariam Ioannis Prodromi patrem, Angelorum aliorum ad Ioſephum, ad Paſtores naſcentis Chriſti enunciatione facta, recenſet idem Magiſter, cum liberaliſſima grati animi ſignificatione. Ipſis etiam Chriſtus vti voluit ſubditis ſuis, & quibus illuſtrationes impertiebatur vt caput, & Hierarcha, vt ſciremus diuina myſteria per Angelos hominibus innoteſcere. *Si enim circa illum hominem, qui ſuper homines eſt, Angelica diſpenſatio non eſt repudiata; quanto magis in eis qui peccato obnoxij ſunt, & in tenebris ignorantiæ conſtituti, probatur eſſe neceſſaria?* Et vt ſententiam ipſe ſuam magis aperiat, illuſtrationem fidei, Angelis infimæ Hierarchiæ qui nobis citimi ſunt, attribuit longè poſtea, cum de Hebræorum in Deum fide, & aliarum nationum idololatria diſſerit, quæ non Angelorum culpa, ſed prauo libertatis vſu, iuſto Dei iudicio acciderit.

*Lex omnis & Dei cognitio per Angelos data.* Dionyſ. c. 4 cœl. Hugo l. 5. in c. 4. cœ. Dionyſ. c. 9 cœl.

Auguſtinus admirabili allegoria ſuam ea de re opinionem nobis propoſuit, cum boues appellat Angelos, & eorum imitatione homines Euangelij præcones. *Ipſi homines*, inquit, *non ob aliud boues dicti ſunt, niſi quod Euangelizando Verbum Dei Angelos imitarentur: vbi dictum eſt, boui trituranti os non infrenabis: quantò accipimus igitur facilius ipſos Angelos nuncios veritatis boues accipimus,*

*Euangeliſta Angelos imitantur.* Auguſt. in Pſ. 

*quando Euangeliſtæ participatione nominis eorum bones vocati ſunt?* Illi adiunctus, at non ipſe, Auctor Sermonum ad Fratres in Eremo, vir Catholicus & antiquus, Angelis hæc aſſignat elogia, vt ſint *Domeſtici Dei, cæli ciues, Principes Paradiſi, ſcientiæ magiſtri, doctores ſapientiæ, illuminatores animarum.* Conſentit Angelicus Doctor; & paternitatem in Angelis eſſe docet, vt in magiſtro reſpectu diſcipuli. Quod dictum ſi de Angelis inuicem interpretaris, quantò ego iuſtius de hominibus Angelico magiſterio & pædagogicæ cuſtodiæ ſubditis explicabo? Quas autem in fide in mentibus noſtris ingenerandas partes habeat Angelus, diuinè vt omnia explicat, cum in eo articulo neceſſarium eſſe ait, vt credituro homini credibilia quædam proponantur, quæ vocant ſcholæ, motiua credibilitatis: illa autem per homines quidem externo auditus ſenſui exponi, *Sed per Angelos principaliter*, inquit, *per quos hominibus reuelantur diuina: vnde Angeli operantur aliquid ad illuminationem fidei.* Huc reuocari poteſt & Origenis elegans dictum *Apoſtolos vſos adiutoribus Angelis ad explendum prædicationis ſuæ munus.* Et ſanè quantumcunque aurem feriat apoſtolicus Concionator, niſi ſenſus interiores diſponat Angelus, non plus proderit quam *æs ſonans, aut cymbalū tinniens.* Denique vltimos infimæ Hierarchiæ Spiritus ſalutans Sophronius, *vos*, inquit, *omnium Regis eſtis adminiſtri, & Diaconi, & Apoſtoli, & Prædicatores, & Prophetæ, & Euangeliſtæ, & rerum diuinarum interpretes, & cuſtodes, & præſides, & conſeruatores, & conductores, & viæ duces, & illuminatores, & iudices & ſuſceptores*, &c. Qui honorum tituli ad actuoſos tantùm, & diuinis pro noſtra ſalute, & Eccleſiæ ædificatione negotijs intentos poſſunt attinere.

*Angelorū encomia.*
Serm. 46 ad Fratres in Eremo.
D. Th. 1. P. q. 45. a. 5. ad 1.
*Quomodo Angeli cooperentur ad illuminationem fidei.*
Ori. hom. 12. in num.
Sophro. in Encom. Angel.

Poſt hæc à tantis viris grauiter pronunciata, ſuperuacaneum fuerit Aurelij ſophiſma referre, negantis Angelos eſſe præcones Euangelij, aut alios eſſe præter homines eius miniſterij participes. Verum officij ſuſcepti ratio, & Dei eiuſque ſublimium miniſtrorum gloria & dignitas, me cogunt, ſi aliud nihil, ſaltem recenſere inauditam hactenus audaciam, & os hominis cœlo oſtendere, ſi forte poteſt erubeſcere. *Quæ*, inquit, *Scripturæ ab Eccleſia Paſtoratu excludunt hæreticos, eædem Angelos excludunt, cum neutri vllam miſſionem quæ ab Apoſtolis defluxerit, proferre queant.* O cœlum! ô terræ! ô quicquid vbique eſt! Hæretici, Angeli. Deus ſancte! non magis regunt, gubernant, paſcunt Eccleſiam Angeli, quam hæretici. O portentum! Amici ſponſi, nihilo plus in ſponſæ ornamentum conferunt, quàm emiſſarij Sathanæ, laternarij Antichriſti. O blaſphemiam! Si quis hoc Ieſuita vel cogitaſſet, quam in toto Stephani Theſauro contumeliam reliquiſſet intactam Aurelius, qui ſibi licere vult impune cœli ciuibus maledicere? Nam ſi verum id eſſet, dici, ſcribi, emitti in vulgus debuerat? quod aures etiam facinoroſiſſimorum, ſi quid fidei retinent, vulnerat ſi audiatur ex impio; dictum ab eo qui ſe Catholicum profitetur, qui vocat Theologum, qui ſcriptis ſuis Europam implere deſtinat, qui Theologorum in fronte teſtimonium præfert, nihil dixiſſe *quod fidei Catholicæ, aut bonis moribus aduerſetur*, quem Angelorum cultum ex animis non euellet, ex aris non euertet, è ſenſu Catholicorum non eradicabit? Quid quod horrendum illud conuicium ipſa falſitate falſius eſt? Negare poteſt homo ille, omnes Angelorum Hierarchias in commune bonum Eccleſiæ, & ſingularium ſalutem diſpoſitas à Deo? Spiritus illos ad id deſtinatos quod iam diu verſamus? mitti illos à Deo? miſſionem à Deo accipere? Quid? inter homines,

Aurel. pag. 166.
*Inſignis Aurelij calumnia in Angelos.* p. 173.
*Extraordinaria bonorum miſſio.*

homines, extraordinaria miſſione nullus in Eccleſia laborat? Ioannes à quo homine miſſus eſt? *Paulus non ab hominibus, neque per hominem Apoſtolus?* Ab auxilijs iſtis extra ordinem aduenientibus, vt ſummum poſtulare ſolemus, ſaltem vt miraculis miſſionem à Deo ſuam procedere demonſtrent. Nihil-ne in his magis poterunt Angeli, quam hominum monſtra hæretici? non admittentur in Eccleſiam Angeli, quos ſcimus poſitos eſſe cuſtodes in vineis? non agnoſcemus in Eccleſia Eccleſiæ Præſides? Angelos enim Eccleſiarum Præſides eſſe Catholica doctrina eſt, quis idem de hæreticis dicet Catholicus? non erunt è nobis niſi miſſionem ab Apoſtolis oſtendant, ij ſine quorum opera nullam dant Apoſtoli, nullam exercent Hierarchæ, nullam approbant Epiſcopi miſſionem? Gal.c.1.

Tuum eſt Deus opt. max. miſſionem tuam vindicare; tuum eſt factam miniſtris nobiliſſimis iniuriam in eius auctorem conuertere. *Qui dixiſti Dijs non detrahes & Principi populi tui, non maledices*, audi quid iſti dicant, & ſi pergis eſſe miſericors & patiens, fac ſaltem vt palinodiam canant, & filijs altiſſimi de ſuo ingenio, dono tuo ſatisfaciant. Nos meliore quam illi animo, humiliore famulatu, quem tantis Præſidibus iam dudum vouimus, *eorum Hierarchiam laudibus ornauimus, ſi minus pro ipſorum dignitate, at certè vt potuimus, & ſacroſanctarum ſcripturarum Theologia explicauit.* Exod.c.22. Dionyſ. 1.Eccl.

## *TRIPLEX INTER HOMINES IN VERA Religione vt lex, ſic Hierarchia extitit. Et primùm de lege naturali quam breuiſſimè.*

### CAPVT I.

*Non temerè ferendum iudicium.* Act.c.17.

PAVLVM Athenis prædicantem *quidam irridebant, & ſeminiuerbium, nouorumque Dæmoniorum annunciatorem vocabant:* Dionyſio autem noſtro eius oratio ſapientiæ & pietatis plena viſa eſt. Ad hunc modum vereor vt *Epicurei & Stoici* dicam mihi apud Areopagum intendant, ſi tota ſequens diſputatio noua quædam inferre eorum auribus videatur. Hic ſi qui fuerint non æqui Iudices, rem ſine dubio vniuerſam *irridebunt:* ſi qui paulo prudentiores, antequam graui ſententia opinionem feriant, iterum & iterum diligenter & accuratè audire, legere, meditari conabuntur, & rationum momenta expendere: à quibus non adeo ſumus imparati, vt ne vnum quidem in auguſto Senatu Dionyſium reperiamus.

*Singulis legibus ſua ſunt Hierarchiæ.*

Tria omnia in cœleſtibus ſpectauimus, cur humana degenerent? Hierarchiæ creatæ munus eſt in genere, homines ad res diuinas traducere & ordinare, hominibus ingenerare Dei cognitionem & amorem: lex autem eſt quæ homines dirigit & ordinat. Tres porro leges extitiſſe ad Dei cultum pertinentes, nemo non videt. Naturalem vſque ad Moyſen, Moſaïcam vſque ad Chriſtum, Euangelicam vſque ad conſummationem ſeculi. Prima hominum eſt; altera Angelorum; tertia Chriſti Dei & hominis. Potuit quippe homo in Dei cognitionem & amorem perduci modis omnino tribus: ad numerum potentiarum quæ nobis ad cognoſcendum conceſſæ ſunt: per ſenſus externos; per interiores; per intellectum à materiæ concretione ſeiunctum, quique ſolus per ſe ſe Deum attingit.

*Religio legis naturalis circa externos ſenſus.* Rom.c.1. Sap.c.13.

Fuit igitur olim ea Religio quæ per ſe ſenſus tantum externos afficeret, neque vlterius progrederetur. De qua maximè intelligi poteſt Apoſtolus; *Inuiſibilia enim à creatura mundi per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur.* Et Sapientiæ dictum, *A magnitudine enim ſpeciei & creaturæ cognoſcibiliter poterit creator horum videri.* Et profecto ſi natura ipſa filios docet patrem & matrem agnoſcere, præclatè autem dixit Philo Iudæus, Deum mundi Patrem & creatorem, Matrem verò, Sapientiam eius per quam condita ſunt omnia: quis dubitet quin ea lex, hominem ſenſu rite & cum ratione vtentem, ad rerum omnium conditorem potuerit deducere?

Philo lib. quod dete. inſid. potiori.

*Hierarcha in lege naturali homo.* Gen.c.18.

Hierarcha in ea lege homo fuit, qui in alterius hominis ſenſus externos vim habet. Quo non incommodè referri poteſt illud Geneſis de Abrahamo, *Scio quod præcepturus ſit filijs ſuis, & domui ſuæ poſt ſe vt cuſtodiant viam Domini.* Et quod refert Ioſephus, cæterique apud Euſebium, de inito ab eo contra Ægyptios Sacerdotes pro religione certamine: iiſdemque tradita Aſtrologia & mathematicis diſciplinis. Hunc hominem credentium patrem, eleganter inducit Philo, à rebus iſtis quæ ſub aſpectum cadunt, ad conditoris cognitionem aſcendentem, & è Chaldæa ad Charrenſium regionem migrantem. *Heus tu,* inquit,

Ioſeph l.1. antiq.c.7. Euſeb. l.9. de præpar. Euang. c. 16. & ſeq.

inquit, vir ſapiens & eloquens, *magna plerumque cognoſcuntur ſignis exiguis; quæ intuitus aliquis imaginationum infinitarum mole premitur. Proinde vale Chaldæu dicto, quorum profeſſio eſt ſcrutari cæleſtia, demigra è magna mundi ciuitate in minorem aliam, ſic enim facilius videbis mundi præſidem. Et hoc eſt cur prima migratio fiat in agrum Charrenſem, quia Charran ſpecus dicuntur: per quos ſignificantur regiones noſtrorum ſenſuum, per quas tanquam cauernas vnuſquiſque illorum ſolet proſpicere ad obiecta ſua percipienda.* De Ioſepho quoque legitur apertè, *Conſtituit eum dominum domus ſuæ; vt erudiret Principes eius ſicut ſemetipſum, & ſenes eius prudentiam doceret.* Idem de Patriarchis Seth, Iacob, de Hebere, & Melchiſedech fuſius probat Creſollius noſter in Myſtagogo, vt oſtendat magnarum artium profeſſionem viris ſacris conuenire.

*Egregia Philonis allegoria l. de Abraham.* — Pſ. 104. — Creſoll. li. 2. Myſtag. c. 14.

In ſingulis etiam familijs Hierarcha erat Pater ipſe; vel quilibet alius à Patre conſtitutus, putà filiorum primogenitus, vt leges quaſi ferret ad Dei cultum pertinentes. Quod ita neceſſariò dicendum videtur, cum nuſquam legamus ipſos aliunde ſacra ſua, & ritus accepiſſe. Ne cui autem ſit abſurdum priuatum hominem Hierarcham facere & Sacerdotem, & tot Hierarchas quot familiæ tum eſſent Deo ſeruientes; recordetur in lege etiam Moſaïca, & in ipſo Paſchæ ſacrificio, non certos aliquos, ſed quemlibet è populo ſe pro Sacerdote ſolitum gerere, vt loquitur Philo. Non habebat autem prima illa lex alia ſacrificia, & cæremonias, quàm quæ ſenſus externos vi ſua, & vt aiunt, ex opere operato ferirent, qualia humanæ rationi ſunt expoſita ad excogitandum & decernendum. Quamobrem fuit eiuſcemodi & lex & Hierarchia admodum imperfecta, & rudis quædam cæterarum delineatio. Quam idcirco cenſendus eſt neglexiſſe S. Dionyſius, & qui alij de Hierarchia diſputarunt.

*Singularum familiarum Hierarcha.* — [illegible] — Philo li. 3. de vita Moſis.

## *HIERARCHIA MOSAICÆ LEGIS fuſius deſcribitur.*

## CAPVT II.

AT non Moſaïcam, quam & ſecundum legem, ſeu Legalem appellat S. Dionyſius, *pueris datam*, & adhuc diuinarum rerum imperitis: quæ tenuem veritatis imaginem, & imperfecta ſimulacra futurorum, quaſi lucem caligantibus adhuc oculis conuenientem, impertiebatur. In ea lege fuerunt Prophetiæ & viſiones imaginatiæ, ex quibus Prophetæ *Videntes* appellati; id eſt, per ſenſus interiores; & in phantaſia illuminati, & perfecti. Adeo quidem, vt Philone iudice, humana ratio adueniente diuino lumine occidere debeat; eoque recedente, iterum exoriri: *Non eſt enim fas vt mortalis cum immortali habitet.* Quapropter eius legis homines ſe totos ad Angeli nutum fingere debuerunt. Is enim mediator, & ſequeſter, & quaſi Legiſlator fuit, cui conceſſa in humanam phantaſiam poteſtas, per quam varias in intellectu cognitiones excitet. Nec verò ſacrificia aut Sacramenta legis Moſaïcæ, aliam per ſe vim habuerunt, quàm ſen-

*Legis Moſaïcæ mediator Angelus.* — Dionyſ. c. 5 Eccl. — 1. Reg. c. 9. — Philo li. Quis diui. rerum ſit hæres.

apparitoris virtus morrix, reum in carcerem rapientis. 2. Supponere videris Angelicæ cuſtodiæ actiones (quas effectus nominare vis) ad grariam non rendere, quam ſolæ parianr Hierarcharum actiones. Et hoc peruerſè, vt nemini obſcurum eſſe poreſt. Indicas 3. ad Hierarcharum actiones nullo penirus modo concurrere Angelos, quod falſum antea monſtrauimus. Imo id amplius 4. adeo eſſe ſeiuncta Angelicæ cuſtodiæ officia ab Hierarchicis officijs, vr commune habeanr omnino nihil: quaſi Dei vnius hac in re, circa vnum & eundem ſubdirum, in vna Hierarchiæ republica, ad vnum Deiformitatis finem Hierarchicum miniſtri non eſſenr æquè vtrique. Quare ribi non parrocinatur S. Auguſtini dictum, cum ſine Angelica opera Sacerdos hominem non iuſtificet; imo ſæpe Angeli ſoli, obices omnes qui difficultatem creanr, tollere ſoleant.

*Angeli cũ Hierarchis concurrunt.*

Ac nè plura hoc loco congeram, abſolurè ſpecto nonnulla, & quæro ex te, quid ſir via naturali aliquid facere? Dices naturæ ſolius viribus, gratia Seruaroris nihil adiuuanre. Bene eſt. 5. Angeli ergo non raró natura minus perfecti, dæmones aliquos natura ſuperiores ſine graria, *naturali qualitate immiſſa coërcent*, homines *ad bonum* excitant ſolis naturæ viribus; *orant pro nobis ſine diuina gratia: orationes hominum ad Deum deſerunt* eo quo ſuperius explicabar Præſul Pariſ. modo, via narurali: procurant nobis finem Hierarchicum graria nihil adiuuante. In hæc verba, & Doctoris noſtri cogitata, niſi Pelagius & Celeſtius ab inferis excirati iurauerinr, cauſæ nihil dico quin Angeli omnes cauſa cadant. Hæc dicta niſi S. Auguſtinus, niſi Arauſicanum & Mileuiranum Concilia, niſi fides Catholica proſcribat & abominetur, fiam ego ipſe anathema à Chriſto, extraneus frarribus meis Angelis, & peregrinus filijs Matris meæ Eccleſiæ.

*Abſurda multa ſequuntur ex aduerſarij dicto.*

Pergir Hallier Angelos deprimere. Omnia cuſtodum Angelorum munia Epiſcopi & Sacerdotes obeunt: ipſam etiam illuminationem, nam & in hac inferiores eſſe Angelos hominibus ex eo patet 1. quod & Angeli à Paſtoribus Eccleſiæ illuminantur: 2. quod Epiſcopi à Deo immediatè illuminati ſunt, puta Apoſtoli à Chriſto; Angeli aurem infimæ Hierarchiæ non à Deo immediatè, ſed à ſuperioribus mentibus illuminantur. Hæc ſi vera ſunt, vti dicis, cui bono cuſtodes Angeli? cur ſingulis hominibus non bearum Genium, ſed Sacerdotem cuſtodem non adiungit Deus, vt hoc ſaltem nomine de Sacerdorum multirudine conqueri deſinas? potin' autem vr credas aquam à Sacerdore benedictam, tantumdem poſſe ad auerruncanda mala, quantùm Angelum? Sacerdotum adhortarione virtutis ſtudium & amorem æquè in nobis excirari, vt Angelica illuminarione vel phantaſiam perſuadente? non potentius Dæmonum vim & importunitatem à nobis abigi Angelica virture, quàm exorciſtarum miniſterio? efficaciores eſſe apud Deum Sacerdotis preces pro populo, quam Angeli pro clienre? Circunſpice te Franciſce, & vide ad quos lapides offendas pedem ruum.

*3. Obiectio Angelorũ officia muliis ab Epiſcopis exerceri. Hall. loco cit. p. 145. 146. Refellitur.*

Ab Epiſcopis illuminantur, inquir, Angeli. Pauci, nimirum Apoſtoli, quæpiam fidei myſteria, & rerum futurarum cognitionem acceperunt immediatè à Deo, ab illis, vt ante diximus, Angeli: deber-ne illud in ſucceſſorum prærogatiuam trahi? Ioannes ipſe nonne in Apocalypſi ab Angelis illuminatus eſt? Perrus & Apoſtoli nonne Angelos miniſterij ſui ſocios habuerunt? *Ipſi Apoſtoli*, ait Origenes, *Angelis vtuntur adiutoribus*

*Epiſcopi ab Angelis illuminantur.*

ad

*ad explendum prædicationis ſuæ munus, & opus Euangelij conſummandum.* Quam in rem? antea explicauimus. *Sic enim dicebatur in Actibus Apoſtolorum, quia Angelus Petri eſſet qui pulſaret ad oſtium. Similiter ergo intelligitur & alius Pauli Angelus, ſicut eſt Petri, & alius alterius Apoſtoli, & ſingulorum per ordinem.* Hierarchas igitur adiuuant Angeli, Hierarchas illuminant communi lege, non Angelos Hierarchæ.

Ori. hom. 11 in num. Act. c. 12

At enim à Chriſto immediatè illuminati ſunt Apoſtoli. Non ſanè de omnibus: & ſi Apoſtoli, non ſucceſſores, quod tamen videtur argumento probari. Atque vt hominum electi, ſic Angelorum aliqui, prout Deo viſum, de myſterijs quibuſdam immediatè ſunt edocti, vt oſtendit Dionyſius, qui Chriſtum ipſum vitæ ſuæ gubernationem Angelis ſubiecisse miratur. Quid? nonne apud eundem Hierophantam, Angelorum nobiliſſimi digni ſunt habiti *qui Ieſu participes fierent non in ſacrè fictu imaginibus, per modum figuræ deificam ſimilitudinem exprimentibus; ſed tanquam verè ad ipſum proximè accedentes, in prima participatione cognitionis deificorum eius luminum?* Illuminantur ergo illi ſaltem ordines à Chriſto immediatè, & quidem perfectius quam Apoſtoli, dum Chriſtus eos in terris inſtrueret. Atque vt hic deſinam, quod iam iterum cogente materia retracto, mihi perſuadere non poſſum, in tantam confidentiam veniſſe Sacerdotem aut Epiſcopum vllum, quantam iſti efficere volunt, vt ſe Angelis abſolutè præferant, ſibi operam Angelorum neceſſariam eſſe denegent, à ſe Angelos, non ſe ab Angelis illuminari prædicent, Sacerdotes ſe quàm Angelos eſſe mauelint.

Dionyſ. c. 4 cœl.

Ibid. c. 7.

---

## AN ET QUOMODO PASTORUM NOMEN Angelis conuenire poſſit.

### CAPUT XX.

Quo tandem conſilio fieri dices, Lector, vt ipſum Paſtorum nomen Angelis eripiatur? quis metus eſt aduerſarijs, ne Sacerdotum, aut Paſtorum titulum amittant, ſi forte Angelis vſurpare permiſerint? Quæ inuidia eſt demere ab Angelis, quod ante nos poſſiderunt? nam Paſtoribus Chriſtum natum euangelizauerunt: Paſtoribus inquam Sacerdotum, & Doctorum figuræ, ſi Ambroſio, Gregorio, Eucherio fides.

Paſtorum nomen Angelis aſſignare videtur hæreticum Franciſco Hallier. Cur ita? quia Verbum Dei non prædicant: de hoc poſtea: quia Sacramenta non adminiſtrant. Neque id muneris in lege veteri obibant, & tamen Petrus Aurelius agnoſcit tunc eorum *fuiſſe miniſterium aliquod, & curam Paſtoralem, vt qui primi legiſlatores, prædicatores, promulgatores fuerint legis.* Itaque vel Aurelius ab commilitone Franciſco hæreticus cenſeri debet, vel ab Catholico homine non malè Paſtores Angeli nuncupantur. Sed & hic ipſe Aurelius, quod factum in priori teſtamento concedit, in poſteriore negat. Quamobrem? quæ potior eſt vnius cauſa quam alterius? qua ſua culpa tam glorioſum titulum intelligentes ſubſtantiæ amiſerunt? Quid ſi in hoc ipſo teſtamento, in Euangelio, in Chriſti Verbis, Paſtorum

*Angelos poſſe dici Paſtores negat* Hallier in vind. p. 139.

*Affirmat fuiſſe in lege veteri* Aurel. in vin. p. 169. *in noua negat, ſed peruersè.*

officium ab Angelis inuenio exercitum ? Prænunciat Chriſtus in tremen-
Matt.c.25 di judicij die ſeparaturum ſe homines omnes, *ſicut Paſtor ſegregat oues ab hœdis, & ſtatuet oues quidem à dextris ſuis, hædos autem à ſiniſtris.* Erit igitur illud
Matt.c.24: Paſtorale munus; at miniſtris vtetur: quibus? Angelis: *mittet enim filius hominis Angelos ſuos, & colligent de regno eius omnia ſcandala.* Erunt ergo Paſtoris miniſtri, & officium paſtoritium exequentur. Addo ex Apocalypſi aliud, etſi non eius roboris, non contemnendum tamen teſtimonium. Mulier enixa
Apo.c.12. fugit in ſolitudinem, vt ibi *Paſcant eam diebus mille ducentis ſexaginta.* Si mulier illa Eccleſia eſt, metu perſecutorum in deſertū abrepta, qui ſunt Paſtores eius futuri? an homines? At illi ipſi ſunt qui fugiunt, qui latent, qui paſcūtur. Angeli ergo qui Mulieris partum rapiunt in cœlum, ijdem matrem paſcunt, Sed clarius aliquid appono. De libro Hermæ Paſtoris quid cenſes ? certè Origenes, Athanaſius, Hieronymus & alij *valdè vtilem & neceſſarium*, & non leuis
Her. Paſt. lib. auctoritatis eſſe dicunt. At in eo Hermæ apparet *vir quidam reuerenda facie, habitu Paſtorali, pallio albo amictus, peram in humeris, & virgam in manu geſtans, qui ſe à venerabili Nuncio miſſum* affirmat, iſque eſt, ſi Margarino de la Bigne Pariſienſi Theologo credimus, *Angelus cuſtos*, qui operi illi Paſtoris nomen dedit. Non eſt igitur alienus ab Angelo, Paſtoris habitus, quem nulli Patrum in eo opuſculo reprehendere venit in mentem.

*1. obiectio Angelos non conferre Sacramenta.* Hall. loco cit. Petrus Aurel. cit. p 162.163.

At non conferunt Sacramenta, non abſoluunt pœnitentes, non baptizant, non ſunt Patres & genitores fidelium; ſi quidem idem gignendi ei paſcendi munus eſt, Paſtores igitur dici non poſſunt. Si nullum eſt aliud Paſtoris opus, quā filios procreare, & oues ſuas cognoſcere; natos infantes baptiſmo tinguere, puerperas luſtrare: ſi qui exomologeſes in Paſchate non excipiunt, qui ſacra non faciunt, matutinas veſpertinaſque horas ad pulpitum, & membranam non occinunt, mortuos non condunt terra, Paſtores non ſunt; viciſtis, ô boni, nullum legerunt, nullum nominabunt aduerſarij veſtri Angelum, qui Parochi functus ſit officio. Quid nobis ſcripturam & Concilia tam ambitioſè citas Franciſce? victi ſumus, Angelos eſſe Parochos, gignere Filios, paſcere, neque probari poteſt, neque dici debet. Verùm putaſ-ne Paſtorem Hermetis aliud nihil feciſſe ? Dicit-ne Aurelius in veteri lege cum erant Paſtores Angeli, genuiſſe Filios, Parochos extitiſſe?

*2 obiectio Regere oues Dei, non ſuas.* Aurel. cit. p.161. *Quæ eſt erronea doctrina.* 2. Cor. 1.

Non habent, inquit, oues ſuas quas paſcant; Paſtores igitur non ſunt. Quid ais Aureli? nec dum mihi ſatis explicata, eſt hæc ratio. *Aliud eſt Angelos hominibus præſidere, ceu ouibus Dei, aliud ceu ouibus ſuis. Non enim qui alterius ouibus præſidet Paſtor eſt, ſed qui ſuis.* Iam tandem capio & doctrinam tuam, & te Aureli. Cum dixit Chriſtus Petro, *Paſce oues meas*; erant-ne Chriſti, an Petri oues? Si Chriſti, Petrus Paſtor non fuit quia *alienis ouibus præſidebat*. Si Petri, cur eas Chriſtus ſuas dicebat? cur ipſi committebat? Cur Paulus Corinthios reprehendit quod dicerent, *ego quidem ſum Pauli; ego autem Apollo, ego verò Cephæ, ego verò Chriſti?* Angeli, populi quondam vt fateris *Hebraici Paſtores*, ouibus Dei, an ſuis præſidebāt? Moyſem, Iacobum, Dauidem in vetere teſtamento paſtores verè dici, & fuiſſe negas? & tamen alienas illi oues paſcebant. Quis autem Hierarcha, quis Paſtor in Eccleſia ſuas vnquam oues, à Dei ouibus diſcreuit, niſi qui ſe ipſe ab vnitate Eccleſiæ, & à Deo ſegregauit ? quis vnquam verus legitimuſque Paſtor aliter ſuas, aliter Dei oues rexit ? vnde nata eſt hæc diſtinctio niſi à ſchiſmate? vbi adoleuit niſi in hæreſi?

Erronea

Erronea igitur illa; hæc ſtolida eſt obiectio. Oues in ſcriptura dicuntur Angeli: at non Paſtores, quia non ſunt. Non dicis, vt arbitror, omnino Paſtores non eſſe, cum altera poſt pagina in veteri lege tales fuiſſe fatearis, vt ſæpe notaui. Reſtat ergo vt aſſeras Paſtores non dici, quia oues ſunt, & quidem ex Matthæi quem citas parabola de oue perdita, in qua multi Patres nonaginta nouem relictas, Angelos interpretantur. Certè ouiculam eſſe oportet qui ſic agat: Sunt oues, ergo non Paſtores. Nam eodem iure Chriſtus Paſtor non erit, quia ouis & agnus dicitur: Apoſtoli Paſtores non erunt, quia illos ouium nomine, vt & fideles cæteros agnorum vocabulo Chriſtus Petro commendauit, loco nunc explicato. Et ipſa ouis perdita homines ſunt, certè in illis Epiſcopi & Sacerdotes, non ergo Paſtores. Theologiam habes paulùm obtuſiorem Aureli, cotem affero.

*5. obiectio oues eſſe, non Paſtores.* Aurel. p. 162.

---

## *SINT-NE ANGELI HOMINUM Doctores.*

## CAPUT XXI.

PRIMUM maximeque ſalutare Angelorum in nos officium illuminationem eſſe, eamque à libris illis ſpiritalibus, & mundiſſimis ſpeculis quam perfectiſſimam fieri qui meminerit, vereor vt me malè collocati temporis accuſet, qui demonſtrare velle videar homines ab Angelis edoceri; cum præſertim rationi & experientiæ coniuncta ſit magnorum virorum auctoritas, quæ aduerſarios, ſi contra hiſcere audeant, oppreſſura ſit.

Atque vt omittam legem veterem, quam *in diſpoſitione Angelorum acceperunt* Iudæi, Patriarchis præterea in lege naturali Deum colentibus illam ipſam diuinitatis cognitionem per Angelos datam Theologus noſter docet. Euangelicam quoque legem Angelis primùm deinde per eos nobis patefactam Gabrielis euangeliſmo ad Mariam, ad Zachariam Ioannis Prodromi patrem, Angelorum aliorum ad Ioſephum, ad Paſtores naſcentis Chriſti enunciatione facta, recenſet idem Magiſter, cum liberaliſſima grati animi ſignificatione. Ipſis etiam Chriſtus vti voluit ſubditis ſuis, & quibus illuſtrationes impertiebatur vt caput, & Hierarcha, vt ſciremus diuina myſteria per Angelos hominibus innoteſcere. *Si enim circa illum hominem, qui ſuper homines eſt, Angelica diſpenſatio non eſt repudiata; quanto magis in eis qui peccato obnoxij ſunt, & in tenebris ignorantiæ conſtituti, probatur eſſe neceſſaria?* Et vt ſententiam ipſe ſuam magis aperiat, illuſtrationem fidei, Angelis infimæ Hierarchiæ qui nobis citimi ſunt, attribuit longè poſtea, cum de Hebræorum in Deum fide, & aliarum nationum idololatria diſſerit, quæ non Angelorum culpa, ſed prauo libertatis vſu, iuſto Dei iudicio acciderit.

*Lex omnis & Dei cognitio per Angelos data.* Dionyſ. c. 4 cœl. Hugo l. 5. in c. 4. cœ. Dionyſ. c. 9 cœl.

Auguſtinus admirabili allegoria ſuam ea de re opinionem nobis proponit, cum boues appellat Angelos, & eorum imitatione homines Euangelij præcones. *Ipſi homines*, inquit, *non ob aliud boues dicti ſunt, niſi quod Euangelizando Verbum Dei Angelos imitarentur: vbi dictum eſt, boui trituranti os non infrenabis: quantò accipimus igitur facilius ipſos Angelos nuncios veritatis boues accipiemus,*

*Euangeliſta Angelos imitantur.* Auguſt. in Pſ.

*quando Euangeliſtæ participatione nominũ torum boues vocati ſunt?* Illi adiunctus, at non ipſe, Auctor Sermonum ad Fratres in Eremo, vir Catholicus & antiquus, Angelis hæc aſſignat elogia, vt ſint *Domeſtici Dei, cæli ciues, Principes Paradiſi, ſcientiæ magiſtri, doctores ſapientiæ, illuminatores animarum.*

*Angelorũ encomia.* Serm. 46 ad Fratres in Eremo. D. Th. 1. P. q. 43. a 5. ad 2.

Conſentit Angelicus Doctor, & paternitatem in Angelis eſſe docet, vt in magiſtro reſpectu diſcipuli. Quod dictum ſi de Angelis inuicem interpretaris, quantò ego iuſtius de hominibus Angelico magiſterio & pædagogicæ cuſtodiæ ſubditis explicabo? Quas autem in fide in mentibus noſtris ingeneranda partes habeat Angelus, diuinè vt omnia explicat, cum in eo articulo neceſſarium eſſe ait, vt credituro homini credibilia quædam proponantur, quæ vocant ſcholæ, motiua credibilitatis: illa autem per homines quidem externo auditus ſenſui exponi, *Sed per Angelos principaliter*, inquit, *per quos hominibus reuelantur diuina: vnde Angeli operantur aliquid ad illuminationem fidei.*

*Quomodo Angeli cooperentur ad illuminationem fidei.* Ori. hom. 12. in num.

Huc reuocari poteſt & Origenis elegans dictum *Apoſtolos vſos adiutoribus Angelis ad explendum prædicationis ſuæ munus.* Et ſanè quantumcunque aurem feriat apoſtolicus Concionator, niſi ſenſus interiores diſponat Angelus, non plus proderit quam *æs ſonans, aut cymbalũ tinniens.* Denique vltimos infimæ Hierarchiæ Spiritus ſalutans Sophronius, *vos*, inquit, *omnium Regis eſtis adminiſtri, & Diaconi, & Apoſtoli, & Prædicatores, & Prophetæ, & Euangeliſtæ, & rerum diuinarum interpretes, & cuſtodes, & præſides, & conſeruatores, & conductores, & viæ duces, & illuminatores, & iudices & ſuſceptores*, &c. Qui honorum tituli ad actuoſos tantùm, & diuinis pro noſtra ſalute, & Eccleſiæ ædificatione negotijs intentos poſſunt attinere.

Sophro. in Encom. Angel.

Poſt hæc à tantis viris grauiter pronunciata, ſuperuacaneum fuerit Aurelij ſophiſma referre, negantis Angelos eſſe præcones Euangelij, aut alios eſſe præter homines eius miniſterij participes. Verum officij ſuſcepti ratio, & Dei eiuſque ſublimium miniſtrorum gloria & dignitas, me cogunt, ſi aliud nihil, ſaltem recenſere inauditam hactenus audaciam, & os hominis cœlo oſtendere, ſi forte poteſt erubeſcere. *Quæ*, inquit, *ſcripturæ ab Eccleſia Paſtoratu excludunt hæreticos, eadem Angelos excludunt, cum neutri vllam miſſionem quæ ab Apoſtolis defluxerit, proferre queant.* O cœlum! ô terra! ô quicquid vbique eſt! Hæretici, Angeli. Deus ſancte! non magis regunt, gubernant, paſcunt Eccleſiam Angeli, quam hæretici. O portentum! Amici ſponſi, nihilo plus in ſponſæ ornamentum conferunt, quàm emiſſarij Sathanæ, laternarij Antichriſti. O blaſphemiam! Si quis hoc Ieſuita vel cogitaſſet, quam in toto Stephani Theſauro contumeliam reliquiſſet intactam Aurelius, qui ſibi licere vult impune cœli ciuibus maledicere? Nam ſi verum id eſſet, dici, ſcribi, emitti in vulgus debuerat? quod aures etiam facinoroſiſſimorum, ſi quid fidei retinent, vulnerat ſi audiatur ex impio; dictum ab eo qui ſe Catholicum profitetur, qui vocat Theologum, qui ſcriptis ſuis Europam implere deſtinat, qui Theologorum in fronte teſtimonium præfert, nihil dixiſſe *quod fidei Catholicæ, aut bonis moribus aduerſetur*, quem Angelorum cultum ex animis non euellet, ex aris non euertet, è ſenſu Catholicorum non eradicabit? Quid quod horrendum illud conuicium ipſa falſitate falſius eſt? Negare poteſt homo ille, omnes Angelorum Hierarchias in commune bonum Eccleſiæ, & ſingularium ſalutem diſpoſitas à Deo? Spiritus illos ad id deſtinatos quod iam diu verſamus? mitti illos à Deo? miſſionem à Deo accipere? Quid? inter homines,

Aurel. pag. 166.

*Inſignis Aurelij calumnia in Angelos.* p. 173.

*Extraordinaria hominum miſſio.*

homines, extraordinaria miſſione nullus in Eccleſia laborat? Ioannes à quo homine miſſus eſt? *Paulus non ab hominibus, neque per hominem Apoſtolus?* Ab Gal. c. 1. auxilijs iſtis extra ordinem aduenientibus, vt ſummum poſtulare ſolemus, ſaltem vt miraculis miſſionem à Deo ſuam procedere demonſtrent. Nihil-ne in his magis poterunt Angeli, quam hominum monſtra hæretici? non admittentur in Eccleſiam Angeli, quos ſcimus poſitos eſſe cuſtodes in vineis? non agnoſcemus in Eccleſia Eccleſiæ Præſides? Angelos enim Eccleſiarum Præſides eſſe Catholica doctrina eſt, quis idem de hæreticis dicet Catholicus? non erunt è nobis niſi miſſionem ab Apoſtolis oſtendant, ij ſine quorum opera nullam dant Apoſtoli, nullam exercent Hierarchæ, nullam approbant Epiſcopi miſſionem?

Tuum eſt Deus opt. max. miſſionem tuam vindicare; tuum eſt factam miniſtris nobiliſſimis iniuriam in eius auctorem conuertere. *Qui dixiſti Dijs* Exod. c. 22. *non detrahes & Principi populi tui, non maledices*, audi quid iſti dicant, & ſi pergis eſſe miſericors & patiens, fac ſaltem vt palinodiam canant, & filijs altiſſimi de ſuo ingenio, dono tuo ſatisfaciant. Nos meliore quam illi animo, humiliore famulatu, quem tantis Præſidibus iam dudum vouimus, *eorum Hierarchiam laudibus ornauimus, ſi minus pro ipſorum dignitate, at certè vt potuimus, &* Dionyſ. & 1. Eccl. *ſacroſanctarum ſcripturarum Theologia explicauit.*

DE

# HIERARCHIA

ET

# HIERARCHIS

## Liber tertius.

DE

# HIERARCHIA

## ECCLESIASTICA IN COMMVNI.

### PRÆFATIO.

### *APPARATVS AD RELIQVAM diſputationem.*

IN diuturna Beatiſſimorum Spirituum contemplatione mentem meam tria tenuerunt, quæſtionis ſuſceptæ neceſſitas, materiæ ipſius ſuauitudo, & eius quæ conſequitur iniucunditas. Nam cum illa ſuopte ingenio ſummam pariant voluptatem : hæc animum pacis & Chriſtianæ caritatis appetentem à ſuo contactu aſpectuque mirificè arceat; dulciſſimum fuit in eo loco habitare vbi erat quod deſiderabam, procul aberat quod exhorteſcebam. Quod eò cupidius refugiendum videbatur, quod ipſa terræ mentio me iam in turbas iniecerat ; & ibi tumultus repereram, vbi factum eſt olim prælium magnum Michaële cum Angelis Draconem expugnante, & ad terram fortiter allidente. *Væ terræ & mari, quia deſcendit à vos, habens iram magnam* ; cuius importunitati furorique quis hominum obſiſtat, niſi *Angelus deſcendens de cælo apprehendat draconem, ſerpentem antiquum, & mittat eum in abyſſum vt non ſeducat gentes?* Huius ego gratia & auſ- Apo. c. 20.

picijs

picijs audeo terram ingredi quæ deuorat *habitatores ſuos*, & cum pera & baculo in campum procedere aduerſus *Philiſthæum incircumciſum lingua, qui exprobrauit acies Dei viuentis.* Quamquam id ego ſolus non auſim, ſed valido Doctorum comitatu ſeptus atque munitus; e quibus cum Hugo à S. Victore tanquam confectis in Angelica Hierarchia ſtipendijs miſſionem acceperit: Guillelmus autem magnus Antiſtes, tanquam veteranus aliquis extra ordinem ſpontaneè duci velit ad prælium: duos alios ſuccenturiare neceſſarium eſt, qui Dictatori Dionyſio, & Magiſtro Equitum D. Thomæ feliciter adjuncti, prælia Domini prælientur. Ij erunt D. Bonauentura bono nominis omine felicia omnia pollicens: & Thomas Vualdenſis ſanctitate & doctrina notiſſimus, quem mihi dubium non eſt Pariſienſi Facultati, quæ tunc maximè florebat, ſuam probaſſe ſcientiam. Quæ quàm vtilis Eccleſiæ fuerit, quàm proſternendo Vvicleffo neceſſaria, quanta auctoritate poſt Martini V. & ſacri Cardinalium Collegij examen & approbationem manarit in vulgus, nihil attinet dicere. Hoc tantum profiteor, cum Petrus Aurelius partem illam Vvicleuiſticæ hęreſeos, qua Religioſi ordines opprobrijs & calumnijs lacerantur, ab inferis excitet, & ſui ſimilibus perſuadere conetur; nullo modo fortius perfectiuſque eius impetus refutari poſſe, quam ſolida lectione Vualdenſis. Ad quam proinde, Lector, remitti te patieris, dum nos pauca quædam è conſpicuis eius dictis, pro materiæ opportunitate proferemus. Non poterit eius auctoritatem defugere Petrus Aurelius, quem in ſuæ ſententiæ patrocinium ſemel aduocat, ſaltem, vt pleroſque alios, nomine cognitum.

*Thomæ Vvaldenſis doctrina probata.*

Grande hiſtorici decus & ornamentum aiunt eſſe veritatem. Illam ego Theologi tractatoris animam voco. Quippe qui ab ipſo primæ veritatis fonte & haurire dicenda, & hauſta dicere teneatur. Magnum onus ſi intelligit, ſi ſuſtinet: nihil vt loquatur niſi a cœlo, & quæ habet à cœlo, tacere non poſſit: licet fortaſſe ſint ijs qui *in veritate non ambulant, lapis offenſionis & petra ſcandali.* Eius certè à nobis nulla ponetur occaſio: ſi qui odio cœci, vel gratia in hoc ſcriptum offendent, ſibi imputent. Nihil erit ab eorum palato alienum, quàm quod de Religioſorum laudibus dicetur. Sed aliam, vt arbitror, huius ſuæ diſplicentiæ cauſam quærent, quam profeſſum eorũ hominum odium, quos pij ſemper omnes in pretio habuerunt; omnes ſemper ab ineunte Eccleſia hæretici vexauerunt. Et iam Doctor Halliet lectorem ſuum admonet, *eſſe ſe Regularibus viris quos ſuſpicit & veneratur, caritate coniunctiſſimum: & eius rei plurimos ex ſingulis Regularium ordinibus, primores viros teſtes appellat:* vt cum eorum ſtatum omni, qua in hac controuerſia poteſt, ratione de gradu mouerit, & à ſua dignitate alienum in locum & ordinem detruſerit; hoc ſuæ in eos *caritati* dare ſe perſuadeat. Poſtularet etiam fortaſſe pro hac opera, gratiam ſibi à Regularibus haberi, niſi iam aliunde ſatis ſuperque mercedis accepiſſe ſe teſtaretur. De Aurelio nihil amplius dico, qui dum Ieſuitas infamet, Regulares alios nonnunquam etiam laudare poteſt.

*Veritas à Theologo non diſſimulanda.*

Halliet in vind. admon. ad lect. p. 68.

Idem de Sacr. ordin. in epiſt. dedic.

## *TRIPLEX INTER HOMINES IN VERA Religione vt lex, ſic Hierarchia extitit. Et primùm de lege naturali quàm breuiſſimè.*

### CAPVT I.

*Non temerè ferendum iudicium. Act.c.17.*

PAVLVM Arhenis prædicantem *quidam irridebant, & ſeminiuerbium, nouorumque Dæmoniorum annunciatorem vocabant:* Dionyſio autem noſtro eius oratio ſapientiæ & pietaris plena viſa eſt. Ad hunc modum vereor vt *Epicurei & Stoici* dicam mihi apud Areopagum intendant, ſi rota ſequens diſputatio noua quædam inferre eorum auribus videatur. Hic ſi qui fuerint non æqui Iudices, rem ſine dubio vniuerſam *irridebunt*: ſi qui paulo prudentiores, anrequam graui ſentenria opinionem feriant, irerum & iterum diligenrer & accurarè audire, legere, meditari conabuntur, & rationum momenra expendere: à quibus non adeo ſumus imparati, vt ne vnum quidem in auguſto Senatu Dionyſium reperiamus.

*Singulis legibus ſua ſuis Hierarchia.*

Tria omnia in cœleſtibus ſpectauimus, cur humana degenerent? Hierarchiæ creatæ munus eſt in genere, homines ad res diuinas traducere & ordinare, hominibus ingenerare Dei cognitionem & amorem: lex autem eſt quæ homines dirigir & ordinar. Tres porro leges extiriſſe ad Dei cultum pertinentes, nemo non videt. Naturalem vſque ad Moyſen, Moſaïcam vſque ad Chriſtum, Euangelicam vſque ad conſummationem ſeculi. Prima hominum eſt; altera Angelorum; rertia Chriſti Dei & hominis. Potuit quippe homo in Dei cognitionem & amorem perduci modis omnino tribus; ad numerum potentiarum quæ nobis ad cognoſcendum conceſſæ ſunt: per ſenſus externos; per interiores; per inrellectum à mareriæ concrerione ſeiunctum, quique ſolus per ſe ſe Deum attingit.

*Religio legis naturalis circa externos ſenſus.* Rom.c.1. Sap.c.13.

Fuir igitur olim ea Religio quæ per ſe ſenſus tantum externos afficeret, neque vlterius progrederetur. De qua maximè intelligi poteſt Apoſtolus; *Inuiſibilia enim à creatura mundi per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur.* Et Sapienriæ dictum, *A magnitudine enim ſpeciei & creaturæ cognoſcibiliter poterit creator horum videri.* Er profecto ſi narura ipſa filios docer parrem & matrem agnoſcere, præclarè aurem dixit Philo Iudæus, Deum mundi Parrem & creatorem, Matrem verò, Sapientiam eius per quam condita ſunt omnia: quis dubirer quin ea lex, hominem ſenſu rite & cum ratione vtentem, ad rerum omnium conditorem potuerir deducere?

Philo lib. quod deter. inſid. potiori.

*Hierarcha in lege naturali homo.* Gen.c.18.

Hierarcha in ea lege homo fuit, qui in alrerius hominis ſenſus exrernos vim haber. Quo non incommodè referri poteſt illud Geneſis de Abrahamo, *Scio quod præcepturus ſit filijs ſuis, & domui ſuæ poſt ſe vt cuſtodiant viam Domini.* Er quod refert Ioſephus, cæterique apud Euſebium, de inito ab eo contra Ægyptios Sacerdotes pro religione certamine: iiſdemque tradira Aſtrologia & mathemaricis diſciplinis. Hunc hominem credenrium patrem, eleganter inducit Philo, à rebus iſtis quæ ſub aſpectum cadunr, ad conditoris cognirionem aſcendenrem, & è Chaldæa ad Charrenſium regionem migrantem. *Heus tu,* inquit,

Ioſeph l.1. antiq. c.7. Euſeb. l.9. de præpar. Euang. c. 16. & ſeq.

inquit, vir ſapiens & eloquens, *magna plerumque cognoſcuntur ſignis exiguis; quia intuitus aliquis imaginationum infinitarum mole premitur. Proinde vale Chaldais dicto, quorum profeßio eſt ſcrutari cæleſtia, demigra è magna mundi ciuitate in minorem aliam, ſic enim facilius videbis mundi præſidem. Et hoc eſt cur prima migratio fiat in agrum Charrenſem, quia Charran ſpecus dicuntur: per quos ſignificantur regiones noſtrorum ſenſuum, per quas tanquam cauernas vnuſquiſque illorum ſolet proſpicere ad obiecta ſua percipienda.* De Ioſepho quoque legitur apertè, *Conſtituit eum dominum domus ſuæ, vt erudiret Principes eius ſicut ſemetipſum, & ſenes eius prudentiam doceret.* Idem de Patriarchis Seth, Iacob, de Hebere, & Melchiſedech fuſius probat Creſollius noſter in Myſtagogo, vt oſtendat magnarum artium profeſſionem viris ſacris conuenire.

*Egregia Philonis allegoria l. de Abraham.*

Pſ. 104.

Creſoll. li. 2. Myſtag. c. 14.

In ſingulis etiam familijs Hierarcha erat Pater ipſe; vel quilibet alius à Patre conſtitutus, putà filiorum primogenitus, vt leges quaſi ferret ad Dei cultum pertinentes. Quod ita neceſſariò dicendum videtur, cum nuſquam legamus ipſos aliunde ſacra ſua, & ritus accepiſſe. Ne cui autem ſit abſurdum priuatum hominem Hierarcham facere & Sacerdotem, & tot Hierarchas quot familiæ tum eſſent Deo ſeruientes; recordetur in lege etiam Moſaïca, & in ipſo Paſchæ ſacrificio, non certos aliquos, ſed quemlibet è populo ſe pro Sacerdote ſolitum gerere, vt loquitur Philo. Non habebat autem prima illa lex alia ſacrificia, & cæremonias, quàm quæ ſenſus externos vi ſua, & vt aiunt, ex opere operato ferirent, qualia humanæ rationi ſunt expoſita ad excogitandum & decernendum. Quamobrem fuit eiuſcemodi & lex & Hierarchia admodum imperfecta, & rudis quædam cæterarum delineatio. Quam idcirco cenſendus eſt neglexiſſe S. Dionyſius, & qui alij de Hierarchia diſputarunt.

*Singularum familiarum Hierarcha.*

[illegible]

Philo li. 3. de vita Moſis.

---

## *HIERARCHIA MOSAICÆ LEGIS fuſius deſcribitur.*

## CAPVT II.

AT non Moſaïcam, quam & ſecundum legem, ſeu Legalem appellat S. Dionyſius, *pueris datam*, & adhuc diuinarum rerum imperitis: quæ tenuem veritatis imaginem, & imperfecta ſimulacra futurorum, quaſi lucem caligantibus adhuc oculis conuenientem, impertiebatur. In ea lege fuerunt Prophetiæ & viſiones imaginariæ, ex quibus Prophetæ *Videntes* appellati; id eſt, per ſenſus interiores, & in phantaſia illuminati, & perfecti. Adeo quidem, vt Philone iudice, humana ratio adueniente diuino lumine occidere debeat; eoque recedente, iterum exoriri: *Non eſt enim fas vt mortalis cum immortali habitet.* Quapropter eius legis homines ſe totos ad Angeli nutum fingere debuerunt. Is enim mediator, & ſequeſter, & quaſi Legiſlator fuit, cui conceſſa in humanam phantaſiam poteſtas; per quam varias in intellectu cognitiones excitet. Nec verò ſacrificia aut Sacramenta legis Moſaïcæ, aliam per ſe vim habuerunt, quàm ſen-

*Legis Moſaicæ mediator Angelus.*

Dionyſ. c. 5 Eccl.

1. Reg. c. 9.

Philo li. Quis diui. rerum ſit hæres.

ſus interiores ſanctificandi, purgandi, illuminandi. Nec in ea lege quam *in diſpoſitione Angelorum acceperunt*, aut in eius virtute quicquam fiebat, quod ipſorum opera præſtari non poſſet.

Act.c.7.

*Moyſes Hierarcha.* Num.c 12. *Moſis elogia.* Epiph. hær. 79. Dionyſ. c. 5 Eccleſ. Philo. l. de mutat. nominum. Ioſeph. l. 3 antiq. c. 13.

Inter homines autem, Moyſes *palam, & non per ænigmata & figuras Deum videbat*, id eſt Angelum; ſeu haberet externam viſionem, ſeu tantùm imaginariam, non vt ante Pharao per ſomnia: & ad ſingulas pene populi cauſas, occurrenteſque difficultates oraculum conſulebat, verus Hierarcha, & vt loquitur S. Epiphanius *Propheta & Hierophantor*; vt noſter Dionyſius *Myſtes & Dux legalium Hierarcharum*, vt Philo; *Archipropheta, vir Dei, Deus Pharaonis*; vt Ioſephus, *vir ſingularis, & homine maior.* Cui tamen quantuſcunque fuerit, vt & ſuperiori Angelo, in Hierarchia Iudaïca officium & locum detrahat oportet Aurelius, ſi ſuis de Angelorum per Hierarchas miſſione principijs volet inſiſtere.

*Aaronis & filiorum eius conſecratio.* Num.c.3. *Summi Sacerdotes, & ſecundi ordinis.* Toletus in Ioan. c. 18.

Dei poſtea imperio Aaronem fratrem ſuum ornauit Sacerdotio, & ſupremum ordinarium Hierarcham conſecrauit: ex quo tempore, non autem priùs, obſeruarunt curioſi controuerſiarum ſcriptores, Eccleſiæ vocabulum à ſcriptura vſurpatú. Adeo vnum & idem eſt Pontificis & Eccleſiæ, Hierarchæ & Hierarchiæ perfectioris natale ſidus. Quatuor etiam filiorum eius *repletæ & conſecratæ ſunt manus, vt Sacerdotio fungerentur.* Mortuiſque primogenitis duobus, *functi ſunt Sacerdotio Eleazar & Ithamar coram Aaron patre ſuo.* Et ille maximè, ſuperſtitum primogenitus, qui & *Princeps Principum Leuitarum* appellatur, ſecundi vt arbitror a Pontifice ordinis, & ipſius, ſaltem nonnullis in officijs, quaſi vicarius & adiutor: vt ſi Pontifici quicquam accideret, cuius gratia munus ſuum obire non poſſet, vicariam operam nauaret. Arbitratur autem Toletus ſublato è viuis Aarone, diſcreros fuiſſe dignitate fratres ambos, & ab Eleazaro ſummos Sacerdotes, ab Ithamaro ſecundos ortum habuiſſe. Neque ego hac ratione refugio duos in lege Sacerdotes agnoſcere, quorum illuſtre exemplum Dauidicis temporibus extitit, Abiatharo nepote Ithamari, & Sadocho Eleazari item nepote Sacerdotibus. Nam & hunc à Dauide ſummo Sacerdotio donatum fuiſſe, conceptis verbis teſtatur Ioſephus. Neque ea dignitas redacto in ordinem Abiatharo videtur expiraſſe: ſiquidem ſub Sedecia lego *Saraiam Sacerdotem primum, & Sophoniam Sacerdotem ſecundum.* Poſtremis autem ſeculis Hierarchia perturbata, Matthias Pontifex, cum Sacerdotem ſecundum ad manum non haberet, & ipſe legis interdicto ab altari ſubmoueretur, ſolenni ieiunij die, ſubrogatum ſibi vidit adiutorem vicarium in diem vnum, Ioſephum Ellemi filium. Quæ omnia vide, Lector, an poſſis traducere ad Annam & Caïpham Chriſto patiente Sacerdotes? Sed hæc alij.

1.Reg.c.15. Ioſeph l 7. antiq. c. 6. 4.Reg. c. 25. Ioſeph. li. 17 antiq. c. 8.

*Hierarchia legalis diſpoſitio.* 1.Paralip. c. 24. Marc. 14. Luc. 24. Act. c. 4.

Sic autem per Dauidem conſtituta eſt Hierarchia, vt omnes Aaronis poſteros in Eleazari & Ithamari nepotes diuiſos, claſſibus viginti quatuor accenſuerit, quarum ſex & decem, Eleazari filij, octo reliquas Ithamari poſteri confecerunt: Ijs præerant *Principes familiarum Sacerdotalium, & Leuiticarum*, quaſi minores quidam Hierarchæ, ſub *Principibus ſanctuarij, & Principibus Dei.* Atque ij præcipuè ſunt qui *Principes Sacerdotum* appellari ſolent; & in Nouo Teſtamento *Summi Sacerdotes;* quam nuncupationem in vetere non reperies alteri, quàm Summo Pontifici attributam. Lucas vniuerſalius non dixit,

xit, quotquot erát de genere Sacerdotali; nam *ἐκ γένους ἀρχιερατικοῦ* ſcripſit. Sin-
gulis harum præfecturarum plus quinque Sacerdotum millibus aſſignat Io- Ioſeph.l.2. contra Appionem.
ſephus: vt videas quam iuſte Principes, eorum præfecti vocarentur. *Ex ijs*
*lecti & diſtributi in miniſterium domus Domini viginti quatuor millia, Præpoſitorum* 1.Paralip. c.23.
*autem & Iudicum ſex millia. Porro quatuor millia Ianitores, & totidem Pſaltæ canen-*
*tes Domino in organis.* Quibus addendi ſacri Gazophylaces, & quicunque
partem vllam in ſacrorum miniſterio habuerunt: *omnes ſub manu filiorum Aa-* Ibid. c.24.
*ron in cultum domus Domini, in veſtibulis, & in exhedris, & in loco purificationis, &*
*in ſanctuario, & in vniuerſis operibus domus Domini.*

Præter hæc Leuitici generis officia, non vereor ad Hierarchiam legalem *De Concilio Sanhedrim.*
reuocare Senes illos 70. quos popularibus iudicijs Moſes præfecit, quique Num. c.11.
poſtea tantam ſunt in ea Rep. adepti poteſtatem, vt etiam Mehokekim,
Scribæ, ſeu legum latores vocarentur, deque rebus grauiſſimis ſanctiſſimiſ-
que ſoli cognoſcerent. Magnum illi Concilium conflabant, Sanhedrin di-
ctum, in quod apud Galatinum Rabbi Iohanam ſcripſit nullos admiſſos, Galat. l. 4. de Arcan. c.5.6.
*niſi dominos ſapientiæ & apparentiæ, ac ſenectutis, & dominos incantationum, nec non*
*& ſcientes ſeptuaginta linguas, ne oporteret eos interpretes alios audire.* Quod ex-
plicans R. Salomon ait, requiſitam in eis *ſtaturam & apparentiam, vt in reue-*
*rentia haberentur. Quod autem eſſent incantationum Domini, ideo exigebatur vt in-*
*cantatores & maleficos conuincerent & occiderent.* Ad eorum cognitionem ſacra *Sacer fuit & Hierarchicus eorum magiſtratus.*
omnia, & profana regni negotia ſpectabant de Tribu, Sceptro, Pſeudopro-
pheta, Sacerdote magno: ipſi licita bella indicebant, *nec addebant ciuitati, nec*
*ſalarijs templi, niſi per os domus iudicij 71. Iudicum.* Id eſt, vt ego interpretor, niſi
de Concilij illius ſententia nec imponi tributa poterant, nec augeri reditus
ſacrorum miniſtrorum. Notabis hic, ſi placet, Lector, vnum & ſeptuaginta
Iudices numerari à Iudæorum Doctoribus: quia, inquiunt, cum iuſſus eſſet
Moyſes ſeptuaginta eligere, ipſe præter eos iudex fuit. Memineris illi Conci-
lio nunquam Moyſen ſuum, id eſt caput & principem defuiſſe, quem
ego non alium à ſummo Sacerdote fuiſſe arbitror. Hi mihi videntur fuiſ- Ioan.c.1.
ſe legati à Scribis & Phariſæis miſſi ad Ioannem: hic cœtus ab Herode Aſca- Matth.c.2.
lonita conuocatus ad inueſtigandam venturi Meſſiæ patriam, aut congre-
gatus à Caïpha ad Chriſtum tanquam Pſeudoprophetam, & Pſeudomeſſiam
condemnandum. Eodem refero & importunas Scribarum interrogationes,
*In qua poteſtate hæc facis? Quid ergo baptizas ſi tu non es Chriſtus, neque Elias, neque*
*Propheta?* Et vt euidentius cognoſcamus ſacra quadam ordinatione ad id *Non ſine cæremonijs ordinati.*
fuiſſe deſtinatos homines ſapientiſſimos, ritus aliquos in ea ſeruatos fuiſſe
ſcimus. Nam cum inſtitutio Iudicum, aut manu capiti impoſita fieret, aut
citato tantùm nomine: in illis prior cæremonia requiſita eſt, & quinque
homines neceſſarij, qui futurum Iudicem manu tangerent. Quo ex vſu for-
taſſe manarunt primi Apoſtolorum Canones de Epiſcoporum conſecratio-
ne. Fuiſſe autem ipſos in ſacra Hebræorum Republica plurimùm inſignes,
docet Iacobi prophetia, qua dicitur, iuxta expoſitionem R. Ankelos. *Non* Gen. c.49.
*præteribit auctor, vel factor poteſtatis, ſiue dominij regij de domo Iuda, & Scriba de*
*filijs filiorum eius, vſque in ſeculum; quouſque veniat Meßias cuius eſt regnum.* Scri-
ba, inquit, Mehokak, magnus legumlator. Sic adueniſſe Meſſiam, non tan-
tùm ſceptri, ſed etiam Concilij Sanhedrin, id eſt, ſacræ profanæque poteſta-

tis defectus denotat. Quorum vtrumque ab Herode Idumæo ſublatum, in hiſtoria Ioſephi legimus.

. Quæris forraſſe quem huic Concilio locum in Hierarchia legali aſſignandum putem? Eundem cum ſummo ſacrorum Principe, cuius hic erat Senatus: quemadmodum in profana politia Regium Concilium, quia regiæ auctoritati participat, vnum quodammodo & idem videtur eſſe cum Rege.

## *PROPHETÆ VETERES IN HIERARCHIA Legali conſtituti.*

§. I.

*Prophetæ fuerunt de Hierarchia legali.*

ATQVE vt Hierarchiæ quaſi baſilicam quibus viris poſſum aperiam, addo ad eam etiam Prophetas in illa lege pertinuiſſe, peculiari quodam diuini numinis priuilegio, & ſpectata eius legis narura. Nam cum tota Prophetica fuerit, cumque pene ordinariè nuntios illos extraordinarios, ſuæ volunratis inrerpretes mirteret Deus, qui futurorum malorum comminatione Reges Sacerdoteſque in officio continerent: cum illis nonnunquam vt Samuëli, vt Eliæ, licet Sacetdorio non initiatis, ſacrificare ramen permiſſum ſit: cum ſolis Pontificibus & Prophetis hiſtoriæ conſcribendæ ius poteſtaſque concederetur; cum *Dei homines, Sacerdotes, & Prophetæ* dicantur eleganter à Philone, *ſublimiores omnibus rebus ſenſibilibus*: cum Hebræorum magiſtri exiſtiment, delirè quidem, vt infinita alia, ſed tamen ad Prophetici muneris commendationem egregiè, Prophetas omnes in monte Sinaï Moſi legem à Deo accipienti aſtitiſſe; cum oleo ſacro non minùs quam Sacerdotes conſecrarentur; mirum profectò eſt ſi homines ſacri, Deo dicari, ſacra functione ornati non fuerunt: ſi nulla actione ſacra Dei cognitionem & amorem in popularium ſuorum mentibus excitarunt. Id certè negare non audet Franciſcus Hallier, qui *ſuſcitatos à Deo extraordinariè*, aſſerit, *vt Synagogæ ſtatum reſtaurarent*. Quo officio denr ſi poſſunt aduerſarij aliud vllum magis Hierarchicum.

Ioſeph. l. 1. contra Appion.
Philo l. de Gigantib.
Petr. Gala. l. 2. de arcan. c. 3.
Hallier in vind. p. 414.

*Filij Prophetarum & cunei.*

Vide autem nobiles illos Prophetarum greges & cuneos inſtitutore Samuële; & filios Prophetarum, id eſt diſcipulos, rectore Eliſæo, qui vel rerum cœleſtium oculatiſſima conremplatione, vel profunda diuinarum ſcripturarum interpretatione, vel hymnis, laudibuſque Dei decantandis, vel in eum qui venturus erar ſuſpirijs, vel rerum futurarum anticipata cognitione, vel diuini Verbi ad populum prædicatione, ac rurſum ad Deum pro populo obſecratione, Prophetarum & Videntium munus exetcebant. Nam *Prophetæ*, inquit Guillelmus noſter, *Videntes dicti ſunt, tanquam procul dubio videntes ea quæ procul, ſiue longè ſunt à cognitione hominum, nec intelligi poſſunt. Vel Prophetæ, quaſi prouidentes; prouidebant namque hominibus à malis eis imminentibus, vel interpellando pro eis apud miſericordiam creatoris: vel inſtruendo eos, qualiter vel illa à ſe auerterent, vel declinarent.*

Guil. Pari. 2. P. de vn. p. 2. c. 24.

*Publicâ auctoritate prophetabant.*

Sola quidem publicè vaticinandi auctoritas deſiderari videtur, ſine qua colligitur è iam dictis olim, actionem illam dici Hierarchicam non poſſe:

verum

verum neque illa rectè conſiderantem latebit. Nam illa olei prophetici perfuſio, & conſecratio, illa Concilij magni approbatio, quid aliud fuit quam auctoritatis publicæ, & poteſtatis exercendæ ſacræ actionis collatio? Vidimus enim inter Iudæos, penes magnum Concilium Sanhedrin ius fuiſſe de pſeudopropheta iudicandi: Itaque qui ab eo probatus Concilio, tanquam legitimus Propheta, dabat ſe in publicum, & vt homo miſſus cœlitus à populo excipiebatur, nonne id muneris auctoritate ab Hierarchis accepta exercebat? nonne Hierarchica conſecratione ad illud ſacræ functionis genus poteſtatem habebat? *Galat. ſupra cit.*

## *ADVERSARIÆ DE PROPHETIS IN HIERARCHIAM NON ADMITTENDIS ſententia refelluntur.*

§. II.

VERVM hæc Aurelio doctrina non placet, qui quoniam figuratos in Prophetis Religioſos dicturus eſt, ne quid ipſi vel per vmbram iuris in Hierarchiam ſibi arrogent, odio potius in iſtos, quam certa vlla ratione negat, *de legali, vt loquitur Dionyſius, Hierarchia fuiſſe Prophetas. Nam nec ſucceßionem habebant vnde orirentur, nec quàm ex ſe propagarent, mißionis ordinariæ legalis, non gentilitij, ſiue, vt cum Tertulliano loquar, conſanguinei, ſed collaterales.* Hoc iam oſtendi mihi poſtulo, non eſſe Hierarchiæ legalis conſanguineos Prophetas. Quis hoc dicit? S. Dionyſius? Tertullianus? *Conſtat*, inquit: Quibus? Aurelio. Prætereà? Aurelio. Qua auctoritate? Aurelij. Verborum myſteria non abſtruſa magnis auctoribus edoces; ex Dionyſio Moſis Hierarchiam *legalem* vocari monſtras, Græcè etiam loqueris τὴν κατὰ νόμον ἱεραρχίαν: ex Tertulliano *conſanguinitatem doctrinæ* dicente, oſtendis *conſanguineos* appellari gentiles· vocem etiam barbaram, & latinitati puræ inauditam *collaterales* tua auctoritate, quaſi Cæſaris imagine ſignatam depromis: Tanti refert eſſe grammaticum! Sed de verbis hactenus: rem ipſam quibus ante te teſtibus comprobas? Satis eſt quod conſtare dicat Aurelius. *Quia ſucceßionem non habebant vnde orirentur, nec quam ex ſe propagarent.* Si remoues ab Hierarchia quod à Prophetis Prophetæ non propagarentur, eadem lege Sacerdotes & Diaconos ab Hierarchia Eccleſiæ ſecernis, vt qui à Sacerdotibus & Diaconis non propagentur. Si negas Propheris Prophetas ordinaria poteſtate ſucceſſiſſe, aio ego ſibi inuicem ſucceſſiſſe; & extraordinarios iſtos homines, ordinaria pene Dei lege in Iudæa repertos eſſe, vt cuiuis diuinarum litterarum ſtudioſo perſpicuum eſt. Quod Iudæi ipſi Doctores in Cabala ſua profitentur, dum eorum ſeriem (quam benè? non quæro,) commemorant. Legem enim diuidunt in ſcriptam, & eam quæ in ore, ſeu traditam: hanc illius aiunt eſſe interpretationem, quam Moſes nunquam ipſe quidem ſcripſit, ſed in monte Sina cum priore lege acceptam à Deo, tradidit Ioſue, Ioſuas Phinee, Phinees Heli Sacerdoti, Heli Samueli, Samuel Dauidi Regi, Dauid Achiæ Prophetæ, Achias Eliæ, Elias Eliſæo, Eliſæus Ioiadę Pontifici, Ioiadas Zachariæ Prophetæ, Zacharias Oſeæ, Oſeas Amos, Amos Iſaiæ, Iſaias Michęæ, Michęas Ioëli, Ioël Nahum, Nahum Abacuc, Abacuc Sophoniæ, Sophonias Ieremiæ, Ieremias Baruch

*Aurelius ſimiles Prophetis Religioſos eſſe fatetur.* in vind. p. 668.

*Eos negat fuiſſe de Hierarchia.* p. 380.

*Refellitur ridicula Aurelij grammatica.*

*Prophetarū ſucceßio ſecundum Iudæos.*

Galat. l. 1. de arcanis c. 1.

Scribæ, Baruch Eſdræ Sacerdoti & Scribæ. Hanc ego Chronologiam & ſucceſſionem non præſto, id tantùm oſtendo, etiam ab Hebræis continuatam veterum Prophetarum ſeriem ſcribi & agnoſci, quam Aurelius quia non peruidet, Prophetas homines Deo plenos, ab Hierarchiaeliminat.

*Patres Prophetarum Propheta. Hieron*

*Non erant*, inquit, *conſanguinei*. Imo ſæpe filij, cum tecepta ſit Hieronymi regula, vbi pater Prophetæ in ſcriptura nominatur, eum fuiſſe Prophetam, vt Amos Iſaiæ, Buzi Ezechielis, Churi Sophoniæ, Phatuël Ioëlis parentes. *Sed collateralis, & ab eodem cum illa,* (Hierarchia) *auctore Deo, propria, & æquè propinqua origine oriundi*. Tua te grammatica fallit, Aureli: Non vides quàm apertè in vmbra & figura Prophetarum Religioſos facias Hierarcharum *collaterales, & Deo æquè propinquos?* Imo verò à Deo, non ab Hierarchis pendere aſſeras? Imo etiam, quod audies inuitiſſimus, *collaterales Epiſcoporum* Ieſuitas eſſe pronuncies? nam ſi Ieſuitæ Religioſi ſunt, & Religioſi prophetis ſimiles, Prophetæ autem Hierarcharum ſuorum *collaterales, & propria origine*, non ab Pontificibus *oriundi*: neſcio quod id iure de antitypo negare poſſis, quod de exemplari confiteris. Hoc ſi quis Loëmelius, quem mutares in Ieſuitam, diceret, quæ tu in eum epiphonemata, quos ſarcaſmos, quas exaggerationes?

*Ex Aurelij doctrina ſequitur Religioſos non pendere ab Epiſcopis.*

*Artificioſa Doctoris Hallier in Religioſos contumelia detegitur. In vind. p. 424.*

Nimium diu iam iſtic habito, ſed diſcedens Theologum inſalutatum dimittere non poſſum. Et iſte Religioſorum figuram in Prophetis tacitus agnoſcit, quos ita animo noſtro proponit. *Non enim ſicut in antiqua lege, Deus ex fæce nonnunquam populi, Prophetas ſuſcitabat extraordinariè, qui ſynagogæ ſtatum reſtaurarent; ſic in noua lege, vllos ſuſcitari opus eſt Prophetas, qui labentem Eccleſiæ ordinem, vt pote indefectibilem, corrigant*. Duo de Prophetis docet. Primum *ex fæce populi ſuſcitatos*, etiam Iſaiam, & eius patrem Amos, & Danielem, & Zachariam filium Ioiadæ, & Ioannem filium Zachariæ, & Ezechielem Sacerdotem, vt quando comparatos audies cum Prophetis Regulares, memineris & hos eſſe *de fæce populi*. Alterum, non alio fine, quam ad reſtaurandam Synagogam afflatos à Deo Prophetas, quaſi reparandæ Hierarchiæ, & non promittendo Meſſiæ, & morum prauitati corrigendæ miſſi ſint diuinitus Prophetæ. Atque cum in Eccleſia deficere non poſſit Hierarchia, quid ſunt opus Regulares, noui Prophetæ qui corrigant? Stat profectò Hierarcharum maiorum, minorumque ſolium, & ſtabit vſque ad conſummationem ſeculi: quapropter ſi eius ſuſtentandi ſola neceſſitas Religioſos ordines dedit Eccleſiæ, quin ea ſublata funditus exterminantur? Tuum hoc votum illi, mi Doctor, adiungo, quo nuper Angelos ex humanis negotijs abigebas, quod omnia illorum officia à Sacerdotibus, & inferioribus miniſtris obeantur. Quod ſi nulla Prophetarum in Eccleſia neceſſitas eſt, quamobrem *poſuit Deus in Eccleſia primùm Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas?* Dic amabo, quando *dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas?* An Apoſtolicis temporibus? Certè, ſi Paulus dixit. Et tamen *labentem Eccleſiæ ordinem* non *correxerunt*. Noſtris-ne etiam ſeculis? Profectò, ſaltem in imagine, vt fateris, quemadmodum Apoſtolos in ſucceſſoribus Epiſcopis: Vel ergo dicas oportet neceſſarios eſſe Prophetas in Eccleſia, vel ſuperfluum à Deo conſtitutum ordinem Apoſtolico ſupparem, & alterum à primo. En quo Chriſtianæ caritatis, aduerſus homines Deo conſecratos, ſenſim ſine ſenſu Doctorem noſtrum duxit obliuio, vt cum nullo Conciliorum canone, nulla Patrum & Theologorum conſpirante ſententia credere cogatur, Euangelicis Prophetis ſucceſſiſſe Regulares, & legalibus

*Refellitur. 1. Cor. 12.*

*Ephe. c. 4.*

ex

ex æquo reſpondere, qui hoc tamen probabiliter, & ab aliquibus, & à ſe ipſo credi ſentit, ne quem ijs in Eccleſia dignitatis locum gratificetur, Apoſtolo palam contradicere, & noſtræ Religionis fundamenta malit euertere. Prædicat enim Apoſtolus poſitos in Eccleſia, datos Eccleſiæ Prophetas; negat il- *Pauli, A-*
los opus eſſe Hallier, id eſt, non eſſe vllos in lege noua. Vocat eos Paulus cum *poſtoli, &*
Apoſtolis Eccleſiæ fundamenta; pronunciat Hallier non eſſe neceſſarios. *Doctoru*
Vult eos Apoſtolos conferre cum cæteris ordinibus, imo præ cæteris, ſi Apo- *Hallier op-*
ſtolos excipis, *ad conſummationem Sanctorum, in opus miniſterij*: Hallier aduocari *poſita ſen-*
ſcribit *extraordinariè, vt labentem Eccleſiæ ordinem, qui tamen indefectibilis eſt, corrigant.* Primo poſt Apoſtolos ordine, ante Doctores & Euangeliſtas collocat Apoſtolus, Hallier *è face populi* ſuſcitari per contemptum indicat. Scio quam in ſignificationem Euangelicos Prophetas deflectat, ſed eius animum conſu- *tentia.*
lo, num antiquæ legis Prophetis reſpondere putet Religioſos ex S. Hierony- *Hallier in*
mi, & aliorum Patrum ſenſu? num ea quæ paginis quinque de Prophetis E- *vind. a p.*
uangelicis diſputat, ſatis perplexè, eo conſilio attulerit, ne Regulares in Pro- *421. ad*
phetarum nomen & officium veniſſe cogatur admittere? *426.*

---

## NOTABILIS EXCURSUS IN LEGIS MOSAIcæ Sanctitatem, quæ ab errore & calumnia Petri Aurelij vindicatur; expoſita primùm eiuſdem Aurelij ſententia.

### CAPVT III.

LONGVM non eſt ab Hierarchia legali, ad legem ipſam diuer- *Expoſitio*
ticulum, vt hanc cum Aurelio Grammatico pro legis ſanctitate *Aurelij*
velitationem mihi nemo Theologus non facilè condonet. Is *ſententia*
enim vt Epiſcopali ſtatui media quædam & præſidia inſita eſſe *in vind. p.*
confirmet, quibus Epiſcopi perfectio mirificè augeatur, quod ego non diſputo: ſic agit exemplo legis: abſque inditis illis auxilijs *Epiſcopalem ſtatum infelicem fore, miſerum, noxium: legale quoddam & Iudaicum officium, miniſterium mortis & damnationis, vt loquitur Apoſtolus. Quia qui præceptum dat, nec addit vim gratiamque illi præſtando idoneam, per ſe ad peccatum rapit, & neceßitatem peccandi infligit, niſi aliunde ſubueniatur.* Huius dicti fundum teſtem aduocat S. Auguſtinum *libro de gratia & libero arbitrio c. 18.* &c. Auguſtinum dico? imo Apoſtolum Paulum, quo tanquam legi Moſaïcæ parum æquo abutitur. *Ideo legem veterem ſæpe vocat Apoſtolus legem mortis, & damnationis, quia iubebat non iuuabat, vt docent Patres, & Theologi omnes norunt.* Et hic producitur Auguſtinus ad marginem *in expoſitione Epiſtolæ ad Galatas.* Noſque ex abundantia doctrinæ remittit ad eundem, *libro de ſpiritu & litera c. 14. & alibi paßim.* Redit deinde per ἀπόδοσιν ad Epiſcopatum, cuius cauſa legis inducta mentio eſt, qui *ſi per ſe non ſpectet ſanctitatis & virtutis augmentum, nec media per ſe tribuat, officium erit legale, & miniſterium mortis, horrendè ac terribiliter imperans, quod non dat vt fieri poßit, prorſus vt legis veteris præcepta.* Quod certè à noua lege alienum eſt, in qua *nullus eſt ſtatus qui per ſe non tribuat ſectatoribus ſuis vim & opem congruam, ſua officia & munia exequendi. Hæc enim eſt nouæ legis benignitas, & gratia Dei Saluatoris noſtri.* Quibus glorioſè dictis, tanquam proſtratis & confoſſis omnibus

vno impetu Ieſuitis, epinicium adijcit, & ſolitam cantilenam, *In his verè, & ſine fallacia dicimus cæcutire Molíniſtas, & gratia Dei, & ſlatus Euangelici ignariſſimos, penè dixerim, inimicos.* Atque vt ſciamus hanc omnino eius eſſe mentem, nulla verbi calumnia corruptam, inferius idem alijs verbis repetit : *alia ratio noua legi ſpecialis eſt*, inquit, *quia & Epiſcopus, & quiuis alius fidelis, nihil agere poteſt ſine peculiari motu, & ope Dei.* Quod vt *noua legi ſpeciale ſit*, neceſſe eſt vt in alijs legibus naturali & Moſaïca, fideles aliquid agere potuerint, *ſine peculiari motu & ope Dei*, concluditque, *Sed hæc Moliniſtis ignota ſunt, quibus diuina gratiæ ſetentiam ignorare ludus eſt.*

Ibi. p. 619.

Conſecutiones erroneæ ductæ ex locis Aurelij citatis.

Hæc vt æqua lance, Lector, expendas, reiectis verborum phaleris, & oſtentatione non modeſtiſſima, mecum penitus inſpice tria dici ab Aurelio. 1. Legem veterem per ſe ad peccatum & mortem trahere. 2. Legis auctorem per ſe ad peccatum rapuiſſe, ſed aliunde ſubueniſſe : id eſt, ex accidenti vim & gratiam præſtitiſſe. 3. In lege veteri gratiam per Chriſtum datam per ſe non fuiſſe, quia *hæc eſt noua legis benignitas, & ratio ſpecialis.* Quæ ſi vera, ſi Catholica ſunt, Lex vetus per ſe & propriè loquendo mala & iniqua fuit : Legis auctor per ſe & propriè loquendo malus & iniquus, & auctor peccati : In lege veteri per ſe & propriè loquendo gratia per Chriſtum data non fuit, ſed tantùm ex accidenti ; quemadmodum tantùm per accidens lex vetus bona & iuſta, legis auctor, bonus & iuſtus fuit. Propoſitionum iſtarum primæ Manichæi, alteri præterea Lutherus & Caluinus, tertiæ Pelagius libentes volenteſque ſubſcribent.

## *REFELLVNTVR ERRORES EX Petro Aurelio expoſiti.*

§. I.

Prima Aurelij propoſitio refutatur.

Lex eſt ſancta & iuſta. Rom 7.

D Th. I. 2. q. 99 a. 4.

RECLAMABVNT autem Catholici, dicentque, legi Moſaïcæ, quam Manichæi modis omnibus contemnunt & lacerant, Sanctitatem non defuiſſe, vt monet vel vnus Apoſtolus, eo ipſo loco qui citatur ab Aurelio, quo merita legis eleuat; *lex quidem ſancta*, inquiens, *& mandatum ſanctum, & bonum, & iuſtum.* Id eſt, interprete D. Thoma, *Sanctum* propter Præcepta cæremonialia, *iuſtum* propter iudicialia, *bonum* propter moralia: quæ omnia à bono Deo præſcripta ei populo, quem præ cæteris gentibus bonum eſſe cupiebat, non poterant eſſe non bona. Et ſtatim iterum ſubiungit, *ſcimus enim quod lex ſpiritualis eſt*, quia præſcribit ea quæ ſpiritum & hominem ſpiritualem ſpectant, inquit S. Chryſoſtomus. Aut ſi mauis cum Caietano loqui, *Spiritum hominis dirigit & regulas tam circa Deum, quam circa ſeipſum & proximum* : Atque iterum ſubdit, *Inuenio igitur legem* (diuinam quæ mihi occinit ſuum illud, *non concupiſces*) *volenti mihi facere bonum* (à lege præceptum & imperatum) *quoniam mihi malum adiacet:* (meque ſtimulat *alia lege in membris meis repugnante legi mentis meæ*) *condelector enim legi Dei ſecundum interiorem hominem*, cui ſic condelectari non deberem, niſi mihi bonum ſuaderet : nam lex illa quæ hominem exteriorem & peccato corruptum ad peccandum pertrahit, mala eſt, *quia non habitat in me, hoc eſt, in carne mea bonum.* Quid verò inde deducit Apoſtolus? *Igitur ego ipſe mente ſeruio legi Dei* (quæ vetat *non concupiſces*) *carne autem legi peccati.*

Exponitur locus Apoſtoli.

Quæ

Quæ tota oratio legem ſanctam eſſe demonſtrat: eiuſque opera ſi quis Deo iuuante non abducitur à peccato, id, vt poſtea dicemus, à malo eius vſu prouenit. S. Auguſtino deniquè Apoſtolum explicanti credo, & clamanti ad inimicum legis, *lex ſemper eſt bona, ſiue obſit inanibus gratia, ſiue proſit plenis gratia, ſemper eſt bona. Sicut ſol ſemper eſt bonus, quia omnis creatura Dei bona eſt; ſiue dolentibus occulis noceat, ſiue ſanos mulceat.* Nam ſimpliciter hominem *Deo obligabat, vt nemo eam reprobare debeat, niſi cui non placet Deo deſeruire;* inquit Tertullianus. Et de prima propoſitione hactenus.

August. li. 15. contrà Fauſtum c. 8.

Tertul. l. 3. adu. Marcion.

Alterius certa conſecutio, conſequens manifeſtè hæreticum. Nam *peccandi neceſſitatem infligere, per ſe ad peccatum rapere*, per præceptum gratia vacuum, eſt auctorem eſſe peccati. Cum ergo dicitur Deus antiquis Patribus præceptum dediſſe, quo per ſe ad peccatum eos raperet, ſi quid Latinè intelligo, peccati auctor eſſe, peccatum imperare per ſe, malus eſſe per ſe & iniuſtus dicitur. Ad quam blaſphemiam cum à Luthero, aut Caluino ſcribitur, quis non exhorreſcit? cum ab eo qui nihil ſcripſiſſe dicitur *quod aduerſetur fidei Catholicæ*, quis non obſtupeſcit?

*Altera Aurelij propoſitio hæreſim importat.*

In tertia propoſitione, fides etiam non parum læditur. Nam Catholica doctrina eſt, quicquid gratiæ ſanctificantis ab orbe condito vllis hominibus conceſſum eſt, id totum ex Chriſti meritis depromptum; *& de plenitudine eius omnes accepiſſe.* De Angelis inter Theologos controuerſatur: maior tamen pars, quæ melior, etiam ipſos in gradu ſtetiſſe ait, donata intuitu Chriſti gratia, quam ſpreuere perduelles alij. Nam Deus *dedit ipſum caput ſuper omnem Eccleſiam*, etiam proinde Angelicam, cui benignos influxus liberaliter elargitus eſt. Sed hoc de Angelis ſi negetur; in homines tamen legis & æui cuiuſlibet conuenire certo certius eſt. Nimis enim anguſtè mihi videtur ſcripſiſſe Nazianz. *omnibus Dei amatoribus probabilem eſſe rationem, neminem eorum qui ante Chriſti aduentum martyrio conſummati ſunt, id ſine fide in Chriſtum conſequi potuiſſe.* Hoc enim ad omnes ex Apoſtolica doctrina transfert S. Auguſtinus, in expoſitione illa quam pro ſe allegat Aurelius. *Simul etiam nos cogit* (Apoſtolus) *intelligere, omnes antiquos qui iuſtificati ſunt, ex ipſa fide iuſtificatos. Quod enim nos ex parte præteritum, id eſt, primum aduentum Domini, ex parte futurum, id eſt, ſecundum aduentum Domini credentes, ſalui efficimur; hoc totum illi, id eſt vtrumque aduentum, credebant reuelante ſibi Spiritu Sancto vt ſalui fierent.* Et aliquantò poſt, vbi oſtendit per ſuperbiam excidiſſe nos diuina gratia, & in eam per humilitatem poſtliminio reſtitutos. *Sanati ſunt ergo* (inquit) *ab impietate ſuperbiæ, vt reconciliarentur Deo, quicunque homines humilitatem Chriſti, & per reuelationem antequam fieret, & poſt euangelium poſteaquam facta eſt, audiendo dilexerunt, diligendo imitati ſunt.* Atque iterum inferius laudata Dauidis in Saülem manſuetudine, de illo dicit eleganter, quod de omnibus verum eſſe intelligit, *hominem fuiſſe in veteri teſtamento, ſed non hominem de veteri teſtamento, quem fides futuræ hæreditatis Chriſti reuelata & credita ſaluum faciebat, & ad imitandum vocabat.* Hos ſanctos probat Nicephorus ſine nomine fidem & opera Chriſtianorum habuiſſe. Sed quid Patres allego, cum loquatur omnium Pater? *Si enim vnius delicto multi mortui ſunt, multo magis gratia Dei & Domini noſtri, in gratia vnius hominis Ieſu Chriſti in plures abundauit.* Quemadmodum omnes qui ſunt, fuerunt, aut erunt homines mortem ex Adami peccato: ſic ijdem gratiam qua præuenti ſunt & adiuti à Deo, ex Chriſti morte traxerunt.

*Tertia propoſitio Chriſti gratiæ aduerſatur.*

Ioan. c. 1.

*Angeli per gratiam Chriſti beati.*

Ephe. c. 1.

*Omnibus hominibus datur per Chriſtum gratia.*

Greg. Nazia. or. 20.

Auguſt. in expoſ. epiſt. ad Galat.

*David in veteri teſtamento, non de veteri teſtamento.*

Niceph. l. 1 hiſt. c. 4.

Rom. c. 5.

*In antiqua lege non eſt data gratia per accidẽs.*

Hoc per ſe lex illa non dabat, inquis, ſed aliunde ſubuentum eſt. Animi ſenſus explica. Vis per ſe, & natura ſua conuenire temporibus euangelicis gratiam per Chriſtum, quæ velut mutuò data ſit legalibus ſeculis, & accidentali anticipatione ab hoc ſtatu ad illum traducta? Audio. Vetuſtis ergo ſanctis tantùm ex accidenti mortuus eſt Chriſtus. Secluſa igitur Chriſti morte, & gratia hac accidentali, quæro ex te, Iudæi veteres, per ſe loquendo, gratiam habuerunt qua ſaluari poſſent, an ea caruerunt? Dicis caruiſſe? Repugnas Dei bonitati, qui per ſe loquendo *vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Affirmas habuiſſe? Quam? cuius generis? quibus meritis? quo ex fonte hauſtam, per ſe inquam, & propriè loquendo? Non inducis quidem duos Deos veteris & nouæ legis auctores, vt Marcion & Manichæus: ſed quod finitimum eſt, duas fides, duas diuerſi generis à diuerſis principijs gratias, quæ nuſquam ſunt, acutiſſimis oculis vides, & *excutire* dicis *Moliniſtas, Dei gratiæ ignariſſimos.*

1. Tim. 2.

*Nullum Dei præceptum ſine gratia.*

Aurel. ibi. p 618.

*Dat*, inquit, *præceptum, nec addit gratiam illi præſtando idoneam.* Et errorem ſuum inculcans alibi, dicit, *Iudaicum miniſterium actiones ſummas & onus grauiſſimum imponere, nec vires procurare ſpectareque illis ferendo neceſſarias.* Si quæſiero quæ ſint iſtæ ſummæ actiones, morales an cæremoniales? quod *onus grauiſſimum*, rituum an morum? quid ſatis opportunè poterit reſpondere? de ſolius enim Circumciſionis grauitate querebantur olim Apoſtoli. Sed verba non aucupor, rem malo. In lege & præcepto duo inſunt, res ipſa quæ verbis ſignificatur, & infinitè atque abſolutè conſiderari poteſt, vt, Non concupiſcere, Non occidere: & imperium inferiori per ſuperiorem impoſitum, quod effertur præcipiendo, Non concupiſces, Non occides; Declina à malo, & fac bonum. Imperium hoc rem ipſam confici poſſe, ab eo cui imponitur, vel facit, vel ſupponit: Nam ſi fieri non poteſt, tyrannis eſt non imperium; dominatus impotens, non lex, inanis verborum ſonus, non præceptum: cuius omiſſi reum torquere potes, vt immanſuetus carnifex, punire non potes, vt æquus iudex. Poteſtas autem legis diuinæ faciendæ, in voluntate eſt præuenta adiutaque Dei gratia; quam quia ex meis viribus eruere non poſſum, qui nihil habeo præter peccatum & mendacium, ea mihi à Deo ſimul cum mandato detur oportet, vt mandatum ſit. Eſt igitur intimè coniuncta cum præcepto gratia, quam ſi Deus denegat, quantumlibet terreat & minetur, nihil propriè præcipit. Sic Angelis præceptum obtulit, cum gratia; ſic primis parentibus arboris vſu interdixit, cum gratia: ſic Ægyptios & Pentapolitanos puniuit, mandatum & gratiam peſſundantes. Denique lex nulla vera & iuſta poteſt à Deo proficiſci, quin addat *gratiam illi præſtandæ idoneam.* Quam igitur legis vmbram, quod præcepti phantaſma nouus iſte ſcriptor procudit, quod ſine neceſſaria eius implendi facultate nos obliget? Niſi fortaſſe in Iudaïcam ſuperbiam, de qua inferius, imprudens incurrit.

Act. c. 15.

*In præcepto duo conſideranda.*

*Aurelij oratio non multum diſcedit à Luthero.*

Præceptum illud *quantùm in ſe eſt*, inquit, *ad peccatum trahit, ad mortem & damnationem; Lex vetus horrendè & terribiliter imperat, quæ non dat, vt fieri poſſit.* Contremiſcere me vult ad iſta Aurelius, quemadmodum ante coëgerat Lutherus exhorreſcere, cum verba in Iodoco Coccio legerē numero plura, ſono grandiora, ſenſu non multùm grauiora. *Moſes omnium carnificum magiſter eſt nemo eum terrendo, anguſtando, tyrannizando, comminando, tonando æquiparat. Conſcientias dirè aggreditur, corda terret, torquet, lacerat.* Et alio loco, *Lex eſt vera labyrinthus,*

*thus, quæ conſcientias ſolum in terrorem conijcit. Iuſtitia legis, Minotaurus eſt, hoc eſt,* Luth. apud
*mera fabula, non ad ſalutem, ſed acherontis ducens ad vndas.* Quantò mitior vtro- Coccium in theſ. 10. l. 1. 6. a 5.
que, & veracior S. Auguſtinus, cum de hac ipſa legis ſeueritate, *In obſeruatio-*
*nibus*, inquit, *ſi non intelligantur, ſeruitus ſola eſt, qualis erat in populo Iudæorum:* Auguſt. in ep. ad Gal.
*cui adhuc talis ſeruitus vtilis erat, vt ſub timore cuſtodiretur. Nihil enim tam piè ter-*
*ret animam, quàm Sacramentum non intellectum; intellectum autem gaudium pium pa-*
*rit, & celebratur liberè, ſi opus eſt tempori.* Iudicet lector vtri ſimilior ſit Aurelij
oratio, Auguſtino, an Luthero?

*Hæc eſt*, ait, *nouæ legis benignitas.* Quæ? Vt per ſe gratiam tribuat. Non ma- *Vtraque lex æquè gratiam requirit.*
gis per ſe, quà lex eſt, quam vetus: ſed vberius fortiuſque, quà noua, cum in
ea maiora imperet, perfectiora conſulat Legiſlator, qui *non venit ſoluere legem,* Matth. c. 5.
*ſed adimplere.* Separa cogitatione, vt ab Moſaïca, ſic ab Euangelica lege gra-
tiam Chriſti meritis conceſſam: Neutra lex eſt, Chriſtiano ſenſu loquor, non
Iudaïco, quia vtraque impoſſibilis. Reſtitue gratiæ præſidia; vtraque obli-
gat; hæc magis ad interiora, illa ſæpius ad exteriora: Hæc mollius, quia amo-
re ducit ad Deum; illa durius, quia timore trahit ad cœlum: hæc obſeruatu
facilior, quia gratiæ auxilijs locupletior. Illa, inquis, gratia per ſe datur in
noua lege, per accidens in antiqua. Hoc eſt quod explicari, quod probari
mihi poſtulo, quod Catholicè & Chriſtianè dici pernego. Quanquam ni-
mis fusè & populariter loquor, cum leges duas diſcerno. Perſuaſit enim mihi
S. Auguſtinus veterem & nouam legem vnam eſſe, diuerſis modis tempori- *Lex vetus*
buſque ſpectatam. *Eadem quippe lex quæ per Moyſen data eſt, gratia & veritas* *eadem cum*
*per Ieſum Chriſtum facta eſt, cum acceſſit litera Spiritus, vt inciperet impleri iuſtitia* *noua.*
*legis, quæ non impleta reos etiam præuaricationum faciebat. Neque enim alia lex ſan-* Auguſt. cit.
*cta, & iuſta, & bona: & alia per quam peccatum mortem operatur, cui mori nos opor-*
*tet vt ſimus alterius qui ex mortuis reſurrexit: ſed eadem ipſa eſt.* Hoc expreſsè di-
ctum & apertè: iſtud alibi eodem in opere explicatius. *Ipſa lex cum impleta eſt,*
*gratia & veritas facta eſt: Gratia pertinet ad charitatis plenitudinem, veritas ad pro-*
*phetiarum impletionem. Et quia vtrumque per Chriſtum, ideo non venit ſoluere legem*
*aut Prophetas, ſed adimplere, non vt legi adderentur quæ deerant, ſed vt fierent quæ*
*ſcripta erant.* Quod iam olim duplici allegoria Tertullianus explicauerat, gra- Tertul. l. de
ni in fruticem, arbuſculam, ramos, frondes, florem, fructum germinantis: & vel. ind. virgin.
hominis ex infantia ad iuuentutem creſcentis.

## APOSTOLI DOCTRINA DE LEGE MOSIS
*abſolutè vt in ſe eſt ſpectata veſtigatur.*

§. II.

QVÆ res ergo fraudi fuit Aurelio, vt in hunc lapidem offenſionis *Imperitia*
impingeret? Grammatica, quæ literæ occidentis ſono & ſtrepitu con- *Theologia*
tenta, viuificantem ſpiritum à Theologia mutuari dedignata eſt: verba, in- *feſellit Aurelium.*
quam, Apoſtoli cruda malè concoxit, & mentis ſecretum non penetrauit, Auguſt. li.
quod is *cui tu inſultas intelligit, quia gemens petit, quia humilis quærit, quia mitis* 19. contra
*pulſat, & ſic videt non reprehendi legem*, ſed inuectum Iudæorum malitia ſuper- Fauſt. c. 8.
biaque legis ſimulacrum, quod tu pro vero complecteris.

De qua re tota, vt remotis verborum ambagibus, & Theologica ſolidita- *Quid ſit iuſtitia ex le-*

*ſtitia ex fide.* te cum magno diſputemus Apoſtolo, exquirendus eſt ante omnia vocum
quarundam genuinus ſenſus, & ex fideliſſimo eius interprete S. Auguſtino,
mens ſubtilius capienda. Iuſtitiam ex lege, iuſtitiam in lege, ex operibus le-
gis, iuſtitiam hominis, legimus in Paulo: quæ omnia vel penitus ſynonyma
eſſe, vel paucis immutatis eodem redire confirmo. Illam enim ſignificant
ſanctitatem, quam homo Iudæus operum, & rituum lege Moſaica præcepto-
rum vſu, vt ſacrificijs, expiationibus, otio ſabbatico comparare ſe credebat;
quæ cum opera ſuapte virtute, nullo aliunde rogato gratiæ ſubſidio perfice-
re ſe putaret, quaſi naturalem iactabat habere ſe iuſtitiam, & extra legis ſuæ
literam nullum Dei adiutorium ad rectè viuendum requirebat. Huic ex ad-
uerſo opponitur Iuſtitia ex fide, quam conſequi ſperat verè fidelis, per fidem
in Chriſtum, non ſuis viribus, ſed ſpiritu gratiæ, non externis operibus, ſed
ſpiritali caritate. Lex enim quælibet & doctrina intelligentiam tantùm illu-
ſtrat, voluntatem autem erga Deum non afficit. Quod potius fidei dono com-
petit: qui enim ex fide credit, non tantùm Deo credit, vt Dæmon contre-
miſcens, ſed etiam in Deum; id eſt, ex pio & bono credit affectu. Dicitur ea-
dem Iuſtitia Dei, non quoniam Deus iuſtus eſt, ſed quia homini ex Deo eſt.
Hæc manifeſtè diſtinguit Apoſtolus in ſeipſo, *ſecundum iuſtitiam quæ in lege eſt*
*conuerſatus ſine querela. Sed quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus ſum propter Chri-*
*ſtum detrimenta, vt inueniar in illo non habens meam iuſtitiam quæ ex lege eſt; ſed il-*
*lam quæ ex fide eſt Chriſti Ieſu, quæ ex Deo eſt iuſtitia in fide ad cognoſcendum illum.*
At verò Iuſtitia legis generalius aliquid eſt, illa videlicet ſanctitas, quam lex
poſtulat, cum iubet quod Deo placet; vetat, quod diſplicet. Ad hanc implen-
dam non legis opera, ſed ſpiritus gratiæ, & fides operans per dilectionem re-
quiritur. Nam *iuſtitia legis Dei non impletur cum lex iubet, & homo quaſi viribus*
*ſuis facit; ſed cum ſpiritus adiuuat, & hominis non libera, ſed Dei gratia liberata vo-*
*luntas facit.* Quò mihi certum eſt alluſum à Chriſto Iudæos obiurgante, *Non-*
*ne Moyſes dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legem?* Eo ſpiritu animoque
quem ipſa legis natura, quem Deus auctor, & Moyſes iuſtus promulgator
expoſcit: quo ſi caret, non lex verè perfectéque impletur, ſed tantùm opera
legis exteriùs, & ſecundum literam efficiuntur.

Lex alia eſt in Apoſtolo, Concupiſcentiæ dicta, lex carnis, & membrorum,
repugnans legi mentis, nihil aliud quam contracta ex Adamo carnis aduer-
sùs ſpiritum rebellio, & miſera in vitia, ſenſuumque titillationes propenſio,
intolerabilis iuſtorum ſarcina, & mentis ad Deum anhelantis ergaſtulum &
compedes. Hanc *legem peccati & mortis* Paulus appellat, & longam de ea que-
relam ad Romanos ſcriptam, negat S. Auguſtinus ad legem Moyſi, de qua
nobis eſt quæſtio, pertinere. Vt hinc etiam inconſiderata Petri Aurelij teme-
ritas reprehendi debeat, qui triſtia illa verba ad legem veterem transfert,
eiuſque deprimendæ occaſiones, non ex legitimo Apoſtoli ſenſu, ſed ex ver-
bis malè corrogatis aucupatur.

Hac igitur prætermiſſa, Moyſi legem repeto, & recto iudicio expenſam
dico vnicam eſſe, duo tamen complecti quæ cogitatione ſeiungi poſſunt: ex-
terna videlicet opera, tanquam corticem & literam ſeu corpus; & gratiam
Chriſti, tanquam animam & ſpiritum: quæ duo iterum comprehendit velut
potentias; Fidem in Chriſtum, & Caritatem: nam *legis* ſecundum Apoſtolum
*plenitudo, dilectio eſt.* Verùm quoniam incredibilis Moſaicæ legis amor, &
ſtudium

Vide Aug. in epiſt. ad Galat. & contra 2. Pelag. epi. l. 3. c. 7.

Philip. c. 3.

*Iuſtitia legis.*

*Quomodo impleatur.*

Ioan. c. 7.

*Lex Concupiſcentiæ.*

Rom. c. 8.

Augu. contra 2. epiſt. Pelag. l. 1. c. 10.

*Lapſus Aurelij.*

Rom. c. 13.

ſtudium Iudæos animos in terram curuos & cœleſtium inanes, ad literam & opera penitus alligauerat, cogitur Apoſtolus enucleandæ veritatis, & comprimendæ ſuperbiæ gratia, duas quaſi leges diſtinguere, legem operum, & legem fidei: non quod fides opera negligat, vel opera fide non egeant: ſed quod ſpreta fide Iudæi ſola opera colerent; ſit autem apertior efficaciorque diſputatio, quæ ex aduerſariorum principijs, licet falſis & incredibilibus educitur. Quod ſi tenemus animo comprehenſum, magna mox luce perfundemur ad diſſipandas tenebras, quæ ex contrario diuerſis locis Apoſtoli ſenſu incogitantibus oriuntur. Sic enim habeamus oportet, vbi lex deprimi & contemni videtur, legem operum Iudaïco ſenſu reprehendi: vbi extollitur, laudari legem Apoſtolico ſenſu, dotibus ſuis omnibus, videlicet gratia, fide, caritate locupletatam. Qua diſtinctione quaſi de Apoſtoli manu accepta, legem vtranque conferre poſſumus, & veram Pauli mentem aſſequi: conferre inquam vtranque, non Euangelicam, & Moſaïcam; id enim ſuo loco exequemur inferius; ſed duplicem illam Moſaïcam, operum & fidei, quarum prior carnalium, poſterior ſanctorum ſemper extitit apud Iudæos.

I. Deum in vtraque repetio auctorem. *Neque enim lex illa Dei non eſt: quis hoc niſi Marcion & Manichæus, & aliæ ſimiles peſtes dixerint?* Hinc conſequitur vt ab optimo Principe nihil niſi bonum & honeſtum decerni poſſit. *Itaque lex quidem ſancta, & mandatum ſanctum, & iuſtum & bonum. Scimus autem quia bona eſt lex, ſi quis ex legitimè vtatur.* Neque vult Apoſtolus permitrere peccati mentionem induci cum lege. Nam *teſtimonium perhibet legi, & cauſa delicti eam excuſat*, ait Tertullianus, *Quid ergo dicemus? Quia lex peccatum? Abſit. Erubeſce Marcion: abſit: abominatur Apoſtolus criminationem legis.* Quam criminarionem cum tam ardenter vrgeat, amplificerque Petrus Aurelius, nonne ſe mauult Marcioni, quàm Apoſtolo ſimilem videri? Verùm neque præcipuus Legiſlator, neque eius miniſter Moyſes, eam legis diſtractionem, & dilacerarionem aut induxerunt ipſi, aut probarunt; ſed prauis hominum inſtitutis inuenta, vſurpata moribus, confirmata iudicijs, non animorum modò, ſed ipſius etiam legis ſtragem acciuit. Quamobrem lex operum eo etiam ſenſu lex hominis dici poteſt; lex autem fidei, lex Dei, qualis à Deo data, & à fideli ſubditoque populo accepta eſt.

*Legis operum Deus auctor.* Aug. contra 2. epiſt. Pelag. l. 3. Rom. c. 7. 1. Tim. 1. Tertul. l. 5. adu. Marc. *Quomodo lex hominis dici poſſit.*

II. Vtraque in operibus externis occupatur, quæ omni ſemper religione obſeruarunt ſancti veteres: improbi ſeniorum etiam traditionibus amplificarunt, vt carnales animos omni qua poſſent ſuperſtitione vincirent. Sed illi carnalia tractarunt ſpiritaliter, plus mentis interius, quam corporalis obſequij Deo impendentes; Iſti ſola ſpectarunt, & legem multa exterius præcipientem, exterius tantùm & carnaliter impleuerunt. Imo quò minus de interiori homine, hoc plus de exterioribus cæremonijs & ritibus, traditionum ſuarum inuento addiderunt, quæ & legis ſpiritum, vt ſic dicam, ad extimam corporum ſuperficiem euocabant. Hoc ipſum Chriſtus illis exprobrat. *Quare vos tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram?* Et adſcito Iſaiæ teſtimonio penitus obruit, *Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè eſt à me. Sine cauſa autem colunt me, docentes doctrinas, & mandata hominum.* Hac igitur etiam ex parte lex hominis appellari poteſt, quam Dei mandato Chriſtus opponit.

*Circa externa occupatur.* Matt. c. 15. Iſa. c. 29.

*Ad tam non requiſita à Iudæis gratia per Chriſtum.*

III. Vt hæc opera impleantur, habet vtraque neceſſarium gratiæ, & quidem diuinæ auxilium. Nemo enim tam erit vnquam ſtolidus & vecors, vt cum Deum agnoſcat, eiuſque ſe legi & poteſtati ſubijciat, nihil ſe tamen ad eius executionem accipere, nihil habere ab eo glorietur. Eſt tamen, inquies, vel maxima hoc loco inter vtramque differentia, quod alij glotiantur in ſe, alij in Chriſto. Certè, nam illud gratiæ diuinæ auxilium, non vno vtrique modo vel explicant vel expetunt. Nam ad operum legem catnales Iudæi nullam aliam quàm acceptæ à Deo naturæ gratiam, quod poſtea Pelagiani, adhibebant: cum iuſti donis iſtis naturalibus gratiam à futuro mediatore donatam neceſſariò ſupetaddetent. Et hæc eſt Patriatcharum Prophetarumque fides, & in Deo fiducia certa & ſolida, humanæ oppoſita, quæ ſuis ſe vitibus iuſtitiam, & promiſſa legis obſeruationi præmia demeteti poſſe ſumma ſuperbia gloriatur. Nam victimæ & ſacrificia ſunt *infirma* ad acquirendam iuſtitiam, *& egena elementa: impoßibile enim eſt ſanguine hircorum & taurorum auferri peccata.* Quamobrem bteuiter dixit S. Auguſtinus *lex ſine gratia iubet, non iuuat,* quod dictum innuens mutilando & corrumpendo ſcribit Aurelius *lex iubebat, non iuuabat, vt docent Patres.*

Galat. c. 4
Hebr. c. 10.
*Auguſtinum citando corrumpit Aurel.* p. 609.

*Iuſtitia hominis.*
Rom. c. 10.
Aug. contra 2. epi. Pelag. cit.

Hæc illa propriè eſt iuſtitia hominis, iuſtitiæ Dei contraria, tantopere ab Apoſtolo, & eius enarratore S. Auguſtino teptehenſa, eorum qui *ignorantes iuſtitiam Dei, & ſuam volentes conſtituere, iuſtitia Dei non ſunt ſubiecti. Putant enim ſe arbitrij ſui viribus implere legem iubentem, & iſta implicati ſuperbia, ad gratiam non conuertuntur iuuantem. Sic eos litera occidit.* Hic eſt lapis offenſionis quem notat Apoſtolus. *Iſraël ſectando legem iuſtitiæ* (viribus ſuis parandæ) *in legem iuſtitiæ* (pet Dei gratiam acquirendæ) *non peruenit. Quare? quia non ex fide* (in Chriſtum gratiæ auctorem) *ſed quaſi ex operibus:* (*tanquam iuſtitiam per ſeipſos operantes, non in ſe credentes operari Deum*) *offenderunt enim in lapidem offenſionis.* Accidit enim illud lacrymis dignum, vt ſua operum lege confiſi Iudæi ad fouenda peccata abuterentur; quando illa niſi per gratiam & legem fidei curati non poterant, quam ipſi minimè gentium requirebant. Quare totum zeli ſui ſtomachum in eam Paulus exerens, *literam occidentem* vocat, quæ videlicet mortem peccati non remouet, & per nimiam legis viriumque ſuarum fiduciam verum mali remedium negligit. *Miniſtrationem mortis & damnationis* appellat, id eſt, miniſterium legis mortem & damnationem per accidens, ob malam ſubiecti diſpoſitionem inferentis. Duplex hic etiam Aurelio lapis offenſionis, alter in eius legis imperfectione, alter in Apoſtoli aduersùs eam conuicijs. Nam qui legem hominis, à Dei lege, operum legem, à lege fidei non diſtinguit, quæcunque grauia in legem operum iaculatur Apoſtolus, ea in legem Dei contorquet Aurelius: quaſi Deus nudam operum legem Moyſi tradiderit; aut ex lege Dei nata per ſe ſit hominum ſuperbia, eius perfectionem proprijs viribus aſſignantium; aut ea denique ſine fidei caritatiſque dono ad ipſam implendam neceſſario decreta ſit: quod ſine Dei & legis iniuria cogitari non poteſt. Litera igitur occidens & miniſtratio mortis eſt lex operum, non fidei; lex hominis, non Dei; lex hominum ſuperbia deprauata, non à Deo Moyſi & Iudæis dictata. Et ſi qui hac malè ſunt vſi, culpa illius non fuit: *lex enim ſpiritalis eſt, nec carnaliter ſe cogit intelligi: ſed illorum vitium eſt, qui & illa quæ acceperunt, carnaliter ſentiunt, & multa etiam ſua tradiderunt.*

Rom. c. 9.
Auguſt. de ſpir. & lit. c. 39.
*Idem de antiquis Philoſophis ſcribit epi. 52. ad Maced.*
*Quæ cauſa errandi Petro Aurelio.*
Auguſt. in ep. ad Gal. in c. 2.

At

At lex fidei gratiam à mediarore mutuata, quæ legis opera non proprij arbitrij viribus, ſed gratuiro Dei per Chriſtuin auxilio exequitur, illa inquam ipſa lex, proür in monte Moyſi à Deo donata eſt, deinde à Moſe promulgata, à populo acceprata, & Moyſen ipſum & populum *ea legitimè vtentem* iuſtificauit, dicente Paulo, *ſcientes quòd non iuſtificatur homo ex operibus legis, niſi per fidem Ieſu Chriſti, & nos in Chriſto Ieſu credimus, vt iuſtificemur ex fide Chriſti: & ideo illi qui cum iam eſſent ſub lege, Chriſto crediderunt, non quia iuſti erant ſed vt iuſtificarentur venerunt ad gratiam fidei.* Quæ certa & firma ratio eſt, cur affirmem aduerſus Petri Aurelij opinionem, grariam per Chriſtum, & fidem in Chriſtum, legi Moſaïcæ extraneam & accidentariam non fuiſſe, ſed in intima eius natura inſitam, vt ab eo omni neceſſitare vim efficacitatemque acciperet, quem natura & eſſentia ſua figuris adumbrabat, promittebat vaticinijs, ſacrificijs adorabat. *Si per legem iuſtitia, ergo Chriſtus gratis mortuus eſt,* quaſi dicat, omnis legis iuſtitia ex Chriſti morte hauritur: non eſt ergo magis accidentaria legi iuſtitia per Chriſti meritum, quam mors ipſa meriti fons & cauſa. *Hinc enim loquebatur, & hæc fuit cauſa vt hæc diceret, reſiſtens inimicis gratiæ Chriſti, pro qua largienda crucifixus eſt Chriſtus.*

*In lege iuſtificati ex ſ. de Chriſti.*
Galat. c. 2.
Auguſt. in eum locũ.
*Gratia per Chriſtum non fuit accidentalis legi Moſaïcæ.*
Augu. contra 2. epi. Pelag. cit.

IIII. Vtrique legi iuſtitia, ſanctitas, & iuſtificatio ſuo modo competit: ſed legi fidei perfecta, interna, apud Deum; legi operum externa, apud homines, imperfecta, quam antè iuſtitiam ex lege vocabamus. Planè vt cum apud nos carnales quidam Chriſtiani Sacramentis exterius obeundis, & communibus Eccleſiæ cœtibus adeſſe contenti, famam Catholicæ pietatis apud homines colligunt. *Eſt iſta quædam*, inquit S. Auguſtinus, *in operibus legis iuſtitia, quando ſine ſuo præmio relicta non eſt, vt qui fecerit ea, viuat in eis. Unde & ad Romanos dicit, ſi enim Abraham ex operibus iuſtificatus eſt, habet gloriam, ſed non apud Deum. Aliud eſt ergo non iuſtificari, aliud non iuſtificari apud Deum: Qui animo non iuſtificatur, nec illa ſeruat quæ temporale habent præmium, nec illa quæ æternum. Qui autem in operibus legis iuſtificatur, non apud Deum iuſtificatur, quia temporalem inde expectat viſibilemque mercedem. Sed tamen eſt etiam iſta vt dixi, quædam vt ſic dicam terrena carnaliſque iuſtitia.* Hæc eſt Phariſæorum Scribarumque ſanctitas, tam ſeuerè à Chriſto reprehenſa, & *ſepulchris dealbatis* comparata, quam Chriſtiana caritate Ieſuitis omnibus ſæpenumerò attribuit Petrus Aurelius. Lege autem fidei, quam Apoſtolus *iuſtitiam fidei* citato loco appellat, non hominem tantùm ex Gentili Chriſtianum, aut ſub Moſe Iudæum, ſed etiam nulli ſcripræ legi ſubditum, vr Abrahamum ante circumciſionem, verè, perfectè, interius ſanctificari, non eſt hoc ſeculo probandum.

*Iuſtitia ex lege, ſanctitas externa.*
Auguſt. in ep. ad Gal. Rom. c. 4.
Matt. c. 23.

V. Vtrique præmium à Deo promittitur, & merces, ſed prò meritorum genere, perquam diuerſa. Excipit enim legem fidei primùm gratiæ, deinde gloriæ vita; legem autem operum & iuſtitiam ex lege, vita temporalis, & terrena feliciras, Leuitico atque Deuteronomio fusè deſcripta. *Moyſes enim ſcripſit quoniam iuſtitiam quæ ex lege eſt qui fecerit homo, viuet in ea.* Quod interpretatus Origenes, tem noſtram expreſsè tradit, *Iuſtitia Dei, non tantùm vitam præbet, ſed æternam vitam: illam verò quæ ex lege eſt iuſtitiam faciens homo, non dixit quod viuet in æternum, ſed tantùm quod viuet in ea, vitam ſcilicet cor-*

*Merces operum legis, tantùm temporaria.*
Rom. c. 10. ex Leuit. c. 18. 26.
Deut. 28.
Origen. in Leuit.

Lex Hebræorum, lex fortunæ. Guil. Pari. l. de legib. c. 20. *poralem ac temporalem.* Eodē ſpectat in Guillelmo Pariſienſi eorum opinio, qui Hebræorum legem fortunæ legem eſſe dixerunt, & ab eis coli fortunam: *quia propter fortunam, id eſt, proſperitatem temporalium; legem tenere videbantur, nec aliud erat eis expreſſè in lege promiſſum, quàm proſperitas temporalis, nec aliud eis minatum eſt, quam fortuna contraria, hoc eſt, aduerſitas temporalis.* Hæc autem vita quam lex obſeruatoribus ſuis promittit, duplicem habet intelligentiam, vel quod quiete & pacatè ſit victurus ſub vite ſua, & ſub ficu ſua, vt loquitur ſcriptura, qui legis præcepta cuſtodierit: vel quod qui eorum violatione abſtinuerit, nihil eius legis ſeueritati debeat, quæ ſupplicium capitis in tranſgeſſores intentat: vitam proinde largiatur quam non adimit. Quo loco grauem Ezechielis obiurgationem audire non eſt alienum, qui peruicaciſſimæ genti præuaricationes omnibus ſeculis reperitas obijciens, vbi frequenter tanquam intercalare carmen intulit illum Leuitici verſiculum, *Dedi eis præcepta mea, quæ faciens homo viuet in eis*: tandem ſubdit, *Ergo & ego dedi eis præcepta non bona, & iudicia, in quibus non viuent.* Quod ſic exponendum videtur, vt ea præcepta quæ per ſe, vt ab auctore bonorum profecta, bona erant & beatam ac tranquillam vitam conciliatura, ſi æqui & iuſti amantes ſubditos reperiſſent, eorum vitio & rebellione, mali & mortis cauſa eis ipſis extiterint, in quorum ſalutem parata fuerant; mala inquam facta non natura, ſed euentu. Hæc eſt Romani Clementis explicatio propoſito noſtro congruens.

Præcepta non bona quomodò dicantur. Ezec. c. 20.

Cle. Rom. l. 6 Conſt. Apoſt. c. 21. *Illis qui noluerunt videre, neque audire, non quia priuati eſſent facultate partium animi, ſed quia nimia erat eorum peruerſitas ac malitia: illis, inquam, dedi præcepta non bona, & iuſtificationes in quibus non viuent in ipſis: Non bona dico, illorum ſcilicet propoſito (nam ferrum ad vrendum, & ſcalpellum ac medicamentum inimica ſunt non valentibus) non ſunt autem ſeruata propter eorum contemptum non obediendi: ex quo fit vt non ſeruata mortem eis afferrent.*

Legis operum imbecillitas. VI. Cæterum hoc ipſo ex capite, quòd carnali Iudæo externis cæremonijs contento, lucris temporalibus inhianti, altiora glorioſioraque ſanctitatis conſilia lex operum non ſuggerit, arripit Apoſtolus eius imbecillitatis demonſtrandæ non inefficax argumentum, & ſimul commendandæ legis fidei, & gratiæ per Chriſtum. *Lex enim ſpiritus vitæ in Chriſto Ieſu, liberauit me à lege peccati & mortis*, lege concupiſcentiæ quæ me ad peccatum & mortem ſuopte pondere pertrahit, *Nam quod impoſſibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus Filium ſuum mittens*, &c. Id certè lex operum gratia Chriſti vacua facere non poterat, cum & ipſa carni ſupparaſitetur, & ad eius ſe partes expetendis diuitijs delicijſque adiungat, hoc infirmior quò carnalior. Id lucu-lentius explicans D. Auguſtinus: *quibus*, inquit, *data lex erat ante gratiam, dediti erant carnalibus bonis, & ex his beatitudinem acquirere cupiebant, infirmabatur ergo lex, non implendo quæ præcipiebat, non ſua culpa, ſed per carnem: id eſt, per eos homines qui carnalia bona appetendo non amabant legis iuſtitiam, ſed ei temporalia bona præponebant.* Fuit igitur ad legem fidei recurrendum, & à Deo in hominem infuſo poſtulanda gratia, qua caro violento impetu ad Deum, & ſpiritalia traheretur.

Rom. c. 8.

Auguſt. ll. eum locū.

Non implet iuſtitiam legis. VII. Quid eſt autem quod Auguſtinus dicit, legem non implere quod præcipit? Quia lex operum opera imperat, & exequitur, ſed tantum timore pœnæ temporalis, aut amore boni temporalis: hoc non eſt implere legem, quę poſtulat

poſtulat vt *homo benè faciat amore recti, non timore ſupplicij*, vt ſpiritu faciat, non ſolo corpore, vt ex Dei gratia, nō ſuis viribus operetur. Nam lex impleri quomodo poteſt, quæ Deo vacua fuerit? Hoc ergo complementum legi fidei refertur acceptum, *arbitramur enim iuſtificari hominem per fidem, ſine operibus legis*; interim dum Iudæi *putando ſe facere, quod ſpiritali quæ ex Deo eſt non faciunt caritate, remanent aut apertè iniqui, aut fallaciter iuſti; in aperta iniquitate euidenter eliſi, in fallaci iuſtitia inſipienter elati: ac per hoc miro quodam modo, ſed tamen vero, iuſtitiam legis non implet iuſtitia quæ in lege eſt, vel ex lege, ſed quæ in ſpiritu gratiæ.*

> August.
> Rom.c.3.
> Aug. contra 2. epiſt. Pelag.c.ti.

VIII. Denique vt & hunc concludamus locum, & Apoſtolicæ diſputationis ſtatum breuiter colligamus, fallax illa iuſtitia, & inſipiens elatio, de lege operum fuit, proüt eſt à nobis explicata, quam cum ſuiſ-met viribus implere confiderent, eoque facto iuſtificari crederent, neque Chriſti fidem & gratiam, vt pote minimè neceſſariam, deſiderabant, & Gentiles qui vulneribus ſuis effuſum Ieſu Chriſti oleum infunderent, tanquam non ſua, ſed aduentitia & corrogata ſanctitate puros & caſtos, importuniſſimo ſupercilio deſpiciebant: bis rei, vt Chriſtus exprobrat, *quod tuliſſent clauem ſcientiæ, ipſi non introïſſent, & eos qui introibant prohiberent.* Qui autem Chriſto ſe ſe adiunxerant pauci perfectam fidei legem erant amplexati, vt Gamaliel, & R. Haccanas, qui librum à ſe ſcriptum in hæc verba concludit. *Ego Haccanas ſum vnus ex illis qui credunt in eum, & ablui me aquis ſanctis, in eiuſque vijs rectis incedo.* Plures legis operibus nuntium remittere dedignati, vtriuſque ſimul & Moſis & Chriſti lege volebant viuere: quo in numero Petrus Galatinus Philonem Iudæum, & Ioſephum collocat: & ſine dubio ij qui Galatas faſcinarunt, qui primo Apoſtolorum Concilio cauſam dederunt, qui legalem Pauli ſanctificationem expetierunt, qui Timothei circumciſionem ſuaſerunt, legem fidei ſic excolebant, vt neque operibus legis abſtinerent, Baptiſmo ſimul & Circumciſione ſignati. Horum vt arbitror ea fuit opinio, ſe iam neceſſaria legis obſeruatione ſanctos, ſuperuenientem Chriſti fidem & gratiam accepiſſe, vt ea velut appendice, non iuſti, ſed iuſtiores fierent. Hinc perpetuus ille Gentilium ad Chriſtum adductorum contemptus: quaſi Gentiles opera legis, rem ad iuſtitiam prærequiſitam omitterent: vel certè vna Chriſti fide, ipſi autem duplice gratia ornati forent: cumque Gentiles in peccatis adoleuiſſent ſolo Chriſti Baptiſmo purgati, nobilius ipſi corporali Circumciſione iuſtificati, legalibus cæremonijs locupletati, Chriſti fide & lauacro nitidiores euaſiſſent. Neque dubito quin ijdem innata genti ob legem ſuperbia, priores in Eccleſia tenere, & præputiatos ſibi ſubdere affectarent.

> *Qui ſint tumidas contra quos Paulus diſputat.*
> Luc.c.11.
> Petr. Galat. l.1. de arc. c.4.
> Act.c.15. 16. & 21.

Duos igitur habet Apoſtolus aduerſarios, Iudæos peruicaces, & Chriſtianos ex Iudæis; vtroſque lege Moyſi gloriantes, quam non impleuerant; vtroſque lege operum ſuperbos, qua verè non iuſtificabantur; vtroſque Chriſtianis ex Gentilibus moleſtos, quibus ſuam illam operum legem intrudebant. Quapropter vt eorum peruicaciam expugnet, illud legis vallum & propugnaculum aggreditur, & legem operum, quo ſimulacro, tanquam Palladio, ſe tuentur, euertit & diſſipat: ſcribenſque ad Romanos, ad Galatas, ad Corinthios, ad Hebræos ipſos *deſtruit ſuperbiam gloriantem de operibus legis, quæ deſtrui & deberet & poſſet; ne gratia videretur non neceſſaria, ſi opera legis, etiam ſine illa, iuſtificare crederentur.* Hoc cum præſtat, non ipſam Moſis

> *Status quæſtionis inter Apoſtolum & Iudæos.*
> Auguſt. in ep. ad Gala.

legem, quod ſemper eſt recolendum, & ſpiritum quo à Moſe illi populo tradita eſt, imperit, ſed vmbram & ſimulacrum legis, qualis tum à populo colebatur. Sic enim expreſsè. *Vnus eſt Deus qui iuſtificat Circumciſionem ex fide, & Præputium per fidem. Legem ergo deſtruimus per fidem? Abſit: ſed legem ſtatuimus*: demonſtrando quo ſemper, etiam cum ſola erat, cum externa ſua opera, ad verá & intimam ſanctitatem exigebat, fundamento niti debuerit, vt firma ſtabiliſque conſiſteret. Hoc fundamentum & columna cum ſit fides in Chriſtum, & gratia eius meritis conceſſa, eaque ſit æquè Græcis & Iudæis expoſita ad fruendum, apertiſſima certiſſimaque conſecutione deducitur, nihil ex ſua operum lege habere Iudæos, quo ſe Gentilibus legem fidei amplectentibus anteponant. Hanc igitur operum legem, quam ſolam habent qui ſolam amant Iudæi, vt ſolidis rationibus expungat, & ex hominum memoria euellat, eam nonnunquam abſolutè, & vt in ſe eſſe fingitur, conſiderat, quod nos hac ſectione fecimus accuratè: alias cum lege naturali, aut cum Euangelica collatam; quod nobis Apoſtolica legentibus veſtigia faciendum ſupereſt.

Rom. c. 3.

## *LEGIS MOSAICÆ CVM NATVRALI SEcundùm Apoſtoli mentem collatio.*

### §. III.

Lex fidei ſemper viguit.

LEx fidei, ſiue fides per dilectionem quodlibet Dei mandatum operans, propria non eſt Euangelio, quod falsò credit Aurelius, ſed per omnes ætates legeſque fuſa, iuſtis hominibus veréque fidelibus nullo non ſeculo internam ſanctitatem conciliauit, vt Hebræis longa inductione probat Apoſtolus. Eſt igitur retroagenda, & ad primam mundi originem reuocanda, vt in ſtatu liberioris naturæ ſumpta, cum lege operum conferatur, in iis quæ poſſunt eſſe controuerſa. Quod adiici à me oportet ex natura legis Iudaïcæ, in qua cum duplicis generis præcepta legantur, cæremonialia, & moralia: de illis nulla diſputatio eſt, cum in lege naturali nihil eiuſcemodi à Deo homines accepiſſent. De ſolis igitur moralibus mandatis, quæ ſunt vtrique legi communia, controuerſatur Apoſtolus, probarque Iudæorum conditionem in lege operum, ſecluſa fide & gratia Chriſti, deteriorem eſſe, quam Patriarcharum veterum in lege naturali.

Heb. c. 11

Patriarchis legem Deus dedit.

Ante omnia Iudæi Deo ſuæ legis auctore gloriantur: vnde illud Phariſaïcæ ſuperbiæ, *Nos ſcimus quia Moyſi locutus eſt Deus; hunc autem neſcimus vnde ſit.* Neque minus Patriarchas fidei lege Deus inſtruxit. *In hac enim teſtimonium conſecuti ſunt Senes*, cum omnibus gentibus eandem legem dederit, *quam certis & ſtatutis temporibus obſeruari præcepit, quando voluit, & per quos voluit, & ſicut voluit*, inquit Tertullianus; Qui & datam protoplaſtis in Paradiſo legem *Primordialem* appellat *quaſi matricem omnium præceptorum Dei.* Quod poſteaquam enumeratione mandatorum decalogi comprobauit, rem totam concludit. *Igitur hac generali & primordiali lege Dei, quam in arboris fructu obſeruari Deus ſanxerat, omnia præcepta legis poſterioris ſpecialiter indita fuiſſe cognoſcimus, quæ ſuis temporibus edita germinauerunt. Eiuſdem eſt enim docere legem, qui ante præmiſerat præceptum.* Ea veritas Patriarcharum veterum exemplo manifeſta redditur,

Ioan. c. 9.
Heb. c. 11
Tertul. li. aduerſ. Iudæos. c. 2.

Lex primordialis, & matrix, in Paradiſo data.

tur, eorum qui ſine ſcripta lege, Dei gratiam iuſtis operibus emeruerunt. *Unde intelligimus Dei legem antiquiorem primùm in Paradiſo, poſt Patriarchis, atque ita & Iudæis certis temporibus reformatam: vt non iam ad Moyſi legem ita attendamus, quaſi ad principalem legem, ſed ad ſubſequentem, quam certo tempore Deus & Gentibus exhibuit, & repromiſſam per Prophetas in melius reformauit.*

Verùm cum dominante concupiſcentia, obrutus eſſet diuinus ille caritatis ignis, & omnibus in hominis anima perturbatis, ipſa Dei mandata non tam neglectu quàm ignoratione præterirentur, *tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, vt facerent ea quæ non conueniunt*, rectæ tationi, & legi naturali. Tum verò lex Moyſi data eſt, quæ præcepta explicatius oſtenderet, & ad eorum obſeruationem ſignis viſibilibus fortius adſtringeret. Hæc ſi ex opinione Iudaïca, proüt de operum lege diſputamus accipitur, ipſos in deteriore, quàm Gentiles antea ſtatu conſtituit, duplici de cauſa. 1. Mentis oculos aperuit vt peccatum, eiuſque fœditas cognoſceretur. *Per legem enim cognitio peccati. Peccatum non cognoui*, diſtincta ſatis intelligentia, & recenti memoria, *niſi per legem: nam concupiſcentiam*, interiorem certè quæ in publicum non prodit, *neſciebam*, etroneè quidem, ſed tamen ignorabam eſſe peccatum, *niſi lex diceret, Non concupiſces*, tam interius quam exterius rem & vxorem proximi. Iuſta eſt autem Domini ſententia, vt ſeruus qui cognouit eius voluntatem, & non facit eam, multis vapulet. Quare in illa naturæ confuſione, & incredibili veritatis ignorantia *Peccatum non deputabatur, cum lex non eſſet. Non ait, non erat, ſed non deputabatur: neque cum lex data eſt, ablatum eſt, ſed deputari cœpit, id eſt apparere.* Et iterum, *Sine lege enim peccatum mortuum eſt; ego autem, viuebam aliquando ſine lege. Quod hic dicit, mortuum eſt, hoc eſt quod ſuperius dicit, non deputabatur, id eſt latebat; quia non apparebat, antequam lege prohibente oſtenderetur.*

*Cur data lex Moyſi.* Rom. c. 1. *Iudæi per legem operum Gentibus deteriores.* Rom c. 3. Rom. c. 7. *Per legem cognitum peccatum.* Rom c. 5. Auguſt. in eum locũ. Rom. c. 7. Aug. l. 83. qq q 66.

2. Præcepti ipſius occaſione, concupiſcentia & praua animi affectione in vetitum nitente, peccatum præuaricando creuit, *lex enim iram operatur.* Hinc dicta, *virtus peccati: vehementius enim peccamus lege prohibente, quàm ſi nulla lege prohiberemur.* Quamobrem *peccatum vt appareat peccatum*, vt eius vires & robur manifeſtétur, *per bonum*, præceptum ex ſe bonum, ſed occaſionaliter ex ſubiecti malitia & ſuperbia, *operatum eſt mihi mortem.* Quod ipsũ paulò ante dixerat *peccatum occaſione accepta per mandatum ſeduxit me: ſiue quia ſuaſio delectationis ad peccandum vehementior eſt, cum adeſt prohibitio; ſiue quia etiam, ſi quid homo fecerit ſecundùm iuſſa legis, ſi adhuc non ſit fides quæ in gratia eſt, vult ſibi hoc tribuere, non Deo, & ſuperbiendo plus peccat.* Hæc circumſtantia peccati deformitatem exaggetans, in lege naturali reperta non eſt: ſolum enim *vbi lex, ibi præuaricatio*, vbi lex euidentior, ibi grauior præuaricatio. Hac igitur etiam ex parte lex fidei non ſcripta, legem operum ſuperare dicenda eſt. Quæ ſi legere dignabitur Aurelius, videbit quam verè ſcripſerit, præceptum *per ſe, & quantùm in ſe eſt ad mortem rapere, peccandi neceſſitatem infligere*: grandia verba, ſi non erronea, dicente Apoſtolo id tantùm bonæ legi hominum vitio accidiſſe. *Non ergo lex ſeduxit, ſed peccatum per præcepti occaſionem. Quid Deo imputas legis*, ait Tertullianus, *quod legi eius Apoſtolus imputare non audet?* Ita quidem Marcion; at Aurelius neque legi parcit, neque legis auctori Deo.

*Peccatum creuit præcepti occaſione.* 1. Cor. 15. Aug. l. 83. qq. cit. Rom. c. 7. Aug. cit. *Apoſtolo manifeſtè contradicit Aurelius.* Tertul. l. 5. adu. Marc.

Cæterum quia ſe iuſtos eſſe prædicabant Iudæi, iuſtificatos quoque in priori lege Patriarchas oſtendit Apoſtolus, non quidem legalibus cæremonijs, ſed illa fide quæ vtrique legi communis eſſe debuit. *Arbitramur enim iu-*

*Patriarchæ iuſtificati ſine lege operum.* Rom. c. 3.

*ſtificari hominem per fidem ſine operibus legis.* Quod exemplo Abrahæ perſpicuum eſt, *Quid enim dicit ſcriptura? Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam. Sed Abraham, inquit, Circumciſus eſt. Sed ante Deo placuit, quam circumcideretur, nec tamen ſabbatizauit: acceperat enim Circumciſionem, ſed quæ eſſet in ſignum temporu illius, non in ſalutis prærogatiuam.* Neque ſoli Abrahamo diuina gratia per fidem contigit, ſed & cæteris eius æui Patribus. Nam *fide plurimam hoſtiam Abel quàm Cain, obtulit Deo. Fide Enoch tranſlatus eſt ne videret mortem. Fide Noë reſponſo accepto de ijs quæ adhuc non videbantur, metuens aptauit arcam in ſalutem domus ſuæ.* Eadem fides Moſaïcæ legis iuſtos & Prophetas ad Dei amicitiã euexit. Nihil ergo magis iſti ad iuſtificationem præſidij habuerunt quàm illi, vt neutri alteris hac in parte præponendi eſſe videantur: improbi autem Iudæi cum ſuis operibus longè inferiores extiterunt, non tantùm non iuſtificati, ſed etiam præuaricatione grauius deturpati. Qua in comparatione poſtulo ab Aurelio, cum dicat gratiam præſtandis præceptis idoneam, accidentariam fuiſſe legi Moſaïcæ, idem-ne ſentiat de naturali? Idem profectò. Oſtendat igitur vel hoc toto capite Epiſtolæ ad Hebræos, vel vſpiam in Apoſtoli litteris apicem vllum, ex quo colligere poſſimus aduentitiam, & extrinſecùs aduectam fuiſſe fidem Patriarchis.

Rom. c. 4. Tertul. adu. Iudæos. c. 2. Hebr. c. 11.

*EADEM LEGIS MOSAICÆ CUM EUANGElica, ex Apoſtoli ſenſu collatio continuatur.*

§. IIII.

*Euangelica lex veterem legem partim ſuſcipit, partim reprobat.*

AD verum Apoſtolicæ diſputationis momentum deducta res eſt: Euangelium cum lege, gratiam cum operibus conferimus, haud dubiè quin ſuperaturi, nos ex gentibus fideles, Iudaïcam confidentiam & indomitum ſupercilium. Legem partim ſuſcipit, partim reprobat, nulla ex parte illegitimum. Quod præclara figura docet S. Auguſtinus noſter Moſis & Aaronis mortem exponens. *Huius rei myſterium datur intelligi, quia nec Sacerdotium quod prius inſtitutum eſt, cuius perſonam gerebat Aaron, nec ipſa lex cuius perſonam gerebat Moyſes, introducunt populum Dei in terram hæreditatis æternæ, ſed Ieſus in quo typus erat Domini Ieſu Chriſti, id eſt, gratia per fidem. Et Aaron quidem ante defunctus eſt, quàm Iſrael in aliquam partem terræ promiſſionis intraret; Moyſe autem adhuc viuente capta eſt terra Amorrhæorum atque poſſeſſa, ſed Iordanem cum eis non eſt tranſire permiſſus. Ex aliqua enim parte lex obſeruatur in fide Chriſtiana: ibi enim ſunt etiam præcepta, quæ hodieque obſeruare iubemur Chriſtiani. Sacerdotium verò illud & ſacrificia, nullam partem tenent hodie fidei Chriſtianæ, niſi quod in vmbris futurorum acta atque tranſacta ſunt.*

Augu. l. 4. quæſt. ſuper Num. q. 55. *Moſis & Aaronis figura.*

*Noua legis, quàm veteris ſpecioſior nuncupatio.*

I. Quod ad nomen attinet, *Nouum Teſtamentum, nouitatem ſpiritus, nouum hominem qui ſecundum Deum creatus eſt, nouam conſperſionem*, & eiuſmodi florentis ætatis vocabula, *veteri Adamo, vetuſtati literæ, veteri fermento* ſignificatione non recondita opponit Apoſtolus, in quibus nihil eſt quod nos detineat.

*Lex vetus vmbram, noua veritatem exhibet.*

Hebr. c. 10.

II. Iam quod ſpectat ad legales ritus, Moſes vmbram exhibuit, res ipſas Chriſtus, *vmbram enim habens lex futurorum bonorum,* non ipſam imaginem rerum, quæ imago & veritas Euangelio ſeruabatur. Quo ſenſu dixit Ioannes,

*Quia*

*Quia lex per Moyſen data eſt: gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.* Qua de re iam eſt à nobis dictum ſuperius.

Ioan. c. 1.

III. Et quemadmodum vmbra quantumlibet graphicè repræſentetur, vmbra ſolum eſt, rudis quidam, & ſatis inutilis nigror, neque vllo modo ad corporis abſolutionem peruenire poteſt; ſic legi Moſaïcæ, ſiue operum, nihil eſt cum Euangelica perfectione commercij. *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati propter infirmitatem eius & inutilitatem: nihil enim ad perfectum adduxit lex*, nulli homini perfectionem ſpiritalem conciliat. Circumciſio & ſacrificia veteris legis vmbræ tantùm fuerunt, quæ non valebant penetrare vſque ad animam. Quam ad comparationem refert Gregorius Magnus ea Ezechielis verba quæ nuper afferebamus *Ego dedi eis præcepta non bona*: *Bona*, inquiens, *quaſi bona non ſunt, comparatione meliorum. Ita melioribus Noui Teſtamenti præceptis ſubſequentibus, præcepta bona quæ rudibus data ſunt, non bona eſſe memorantur.* Hoc aiunt Patres cum Apoſtolo, non poſſe vmbram ſine coloribus duci in tabula, ſed eos colores amæniorum comparatione, quibus corpora venuſtiſſima perficiuntur, tenebras potius eſſe, quam colores.

*Lex nihil perficit, ſed Euangelium.*
Hebr. c. 7. Chryſ. in eum locum.
Ezec. c. 20. Greg. l. 28. Moral. c. 17. vel 9. vt diſtinguit alia editio.

IIII. Habent tamen vmbræ iſtæ, & iſta corpora hoc perquam mirabile & inuſitatum, quod ſuppoſitam tabulam vmbræ grauent & pene opprimant; corpora verò ſubleuent, & corroborent: quod, inquam, lex ſibi ſubditos grauiſſimis præceptis alliget, Euangelica autem mandata facillimè & omni cum alacritate exequamur. Hinc appellata lex *Seruitus, ſpiritus ſeruitutis, iugum ſeruitutis.* Quod vt Apoſtoli profitentur, *neque Patres noſtri, neque nos portare potuimus.* Quæ verba cum referat Petrus Aurelius ad moralia legis præcepta, intelligat autem manifeſtè Petrus Apoſtolus de legalibus, quis non videt & Apoſtolo & veritati repugnare Aurelium?

*Lex grauat ſubditos, Euangelium ſubleuat.*
Rom. c. 8. Galat. c. 5. Act. c. 15.
*Aurelius detorquet ſenſum Apoſt. Petri.*

Eius ſeruitutis ſtigmata ferebant in præputio circumciſo, tum vt à cæteris Gentibus, tanquam Dei ſerui & domeſtici ſecernerentur: tum vt ſi quando ab obſequio diuino ad Gentilium ſuperſtitionem tranſirent, velut fugitiua mancipia, & noti cop patiæ retraherentur in ergaſtulum. Sed hoc ſignum in lege operum ſpiritu vacuum fuit, exprobrante Stephano ijs ipſis quorum tunc vnus erat Saulus, qui poſtea conualuit, *& confundebat Iudæos, Dura ceruice, & incircumciſis cordibus & auribus, vos ſemper Spiritui S. reſiſtitis, ſicut Patres veſtri, ita & vos.* Hoc tamen qualecunque erat, in rudi peruicacique populo eò magis fuit neceſſarium, quò facilius in Gentilium quibuſcum habitabant mores ſolebant declinare. Eam ob rem duæ illæ Circumciſiones, quas generales appellare poſſumus, quia per eas totus Dei populus, & vniuerſa eius hereditas circumcidi debuit, viris præſtantiſſimis inter idololatras commorantibus Abrahamo & Ioſuë ſunt imperatæ. Dicitur enim Ioſuë ſecundo Iſraëlitas circumcidiſſe, comparatione cum Abrahami circumciſione facta; quia per vtramque Dei populus ſignatus eſt, vt optimè docuit Maſius: quod ſtatim ab Iordanis tranſitu, & ſalutata promiſſionis terra factum eſt.

*Circumciſio ſignum ſeruitutis.*
Act. c. 7.
*Duæ circumciſiones generales.*
Gen. c. 17. Ioſue c. 5.
Maſius in c. 5. Ioſue.

Quanquam & hoc ſignum ab impijs nonnullis deletum narrat hiſtoria ſacra, perduellibus illis præputium ſibi adducta diſtentaque pellicula reparantibus. Quod licet Origenes & S. Hieronymus arte naturali poſſe fieri negent, atque ille quod de Menelao & Iaſone, eorumque aſſeclis dicimus, id factum non in ipſis, ſed in filijs velit, adeoque ſcriptum impropriè *fecerunt ſibi præputia*, cum dici debuerit, reliquerunt filijs, id eſt, filios Gentilium more incir-

*Circumciſionis nota ab impijs obliterata.*
Orig. in ep. ad Ro. Hieron. in 52. Iſaiæ.

*Epiph. l. de Ponderibus & menſuris.*
*Eſaü eius ſceleris inuentor.*
Ioſeph. li. 12. ant. c. 6.
1. Cor. 7.

cumciſos eſſe voluerunt: quæ explicatio non caret difficultatibus. Hæc inquam licet illi exiſtiment, S. Epiphanius tamen id propriè factum accipit, eamque attrahendæ pelliculæ artem, inſtrumento quod ſpatiſtherem appellabant, ab Eſaü primum excogitatam eſſe, vt infanda apoſtaſia paternum characterem & Dei legem deleret. Neque aliter intelligi poteſt Ioſephus, cum perfidos illos ſcribit circumciſionem ſic occultaſſe, vt etiam nudi nihil à Græcis differrent. Idem fieri docet Cornelius Celſus, eiuſque perfidiæ artifices ἐπισπαστοὺς appellatos. Quo pertinet illud Apoſtoli noſtri, ne hac etiam digreſſione nos reliquiſſe videatur, *circumciſus aliquis vocatus eſt? non adducat præputium; μὴ ἐπισπάσθω.*

*Ridentur Iudæi neoterici ob circumciſionem.*
Iuſtin. dia. cum Tryphone.
Tertull. li. aduer. Iud. c. 3.

Redeo ad veros Iſraëlitas, & in Circumciſione tanquam legalium πλεῖσ πάλαιτῷ pluſculum immoror. Hoc enim Sacramento mirum in modum elati Iudæi, Gentilium præputium etiamnum ſuperbè contemnunt. Ridet Iuſtinus quod eam ſolam è ceteris omnibus ritibus conſeruarint, vt agnoſci queant. *Vt,* inquit, *desertæ ſint veſtræ regiones, vrbes incenſæ, fructuſque vobis ſpectantibus & videntibus edant externi: nec quiſquam veſtrum Hieroſolyma proficiſcatur. Neque enim ex re alia præ cæteris agnoſcimini, niſi præputij veſtri præciſione.* Eadem mente Tertullianus hanc fuiſſe ait Dei prouidentiam, *dandi circumciſionem Iſraël in ſignum, vnde dignoſci poſſet, cum adueniret tempus quo meritis ſuis in Hieruſalem admitti prohiberetur: quod & quia futurum erat, annunciabatur; & quia factum videmus, recognoſcimus.* Quæ verba ſic accipio, non vt Deus eò conſilio & fine, hanc diſtinctionem iſtis temporibus Iudæorum ab alijs, fieri voluerit: ſed quod ex circumciſione reipſa modò talis diſtinctio conſequatur, quæ miſeros illos, & extorres facit non eſſe, ſed agnoſci.

*Alij olim præter Iudæos circumciſi, vt Ægyptij.*
Orig. in c. 2. epi. ad Rom.
*Etiam fœminæ.*
Strabo li. 17. Geogr.
Herod l. 2.
*Et Æthiopes.*
Munſt. l. 6. Geogr.

Sed ne hac etiam gloriæ materia abutantur, meminerint oportet, quæ modò ſoli agnoſcuntur, eam olim non ſolos ſuſcepiſſe, ſi fides Origeni, qui neminem apud Ægyptios admiſſum ad Geometriæ, Aſtronomiæ, Geneſeôs ſtudia teſtatur niſi circumciſione ſuſcepta. *Sacerdos apud eos, Aruſpex, aut quorumlibet ſacrorum miniſtri, vel vt illi appellant, Propheta omnis circumciſus eſt. Literas quoque Sacerdotales veterum Ægyptiorum, quas Hieroglyphicas appellabant nemo diſcebat, niſi circumciſus; omnis Hierophantes, omnis vates, omnis cæli, vt putant inferique myſtes, apud eos non creditur niſi circumciſus.* Strabo ea conſuetudine non ſolos ſacratos homines comprehenſos putat, ſed & quoſlibet, & ipſas etiam fœminas, cum ait apud Ægyptios *laudabile eſſe natos omnes infantes alere, circumcidere, ipſas etiam fœminas, vt Iudæis ſolenne, & legitimum eſt.* Peccat autem ſcriptor iſte vſitata in Græcis omnibus Iudaïcæ legis negligentia. 1. Quod putat lege circumciſionis obſtrictas etiam Iudæorum fœminas, cum legis ipſius verba nihil manifeſtius erroris redarguant. 2. Quod Iudæos ab Ægyptijs circumciſionem accepiſſe credit, cum verius ab Iudæis Ægyptij, quo in errore eſt & Herodotus, qui Syros & Phœnicas eum ab ijſdem Ægyptijs morem mutuatos ait. Quantò probabilius ab Hebræis in vicinas Gentes dici debet propagatus? Munſterus quoque narrat ab Æthiopibus Abyſſinis retineri circumciſionem, à Regina Saba acceptam, eamque in ipſis etiam fœminis vſurpati.

*Lex noua circumciſionem repudiauit.*
Tertul. cit.

Sed hæc carnis ludibria gentes æmulæ ſuſceperint, & ſine Deo Iudaïſarint: Domini ſui characterem corpore circumtulerint Hebræi, eaque circumciſio, *imbuta fuerit in ſignum populo contumaci*, vt loquitur ante laudatus

Tertul-

Tertullianus, tanti nunquam fuit Chriſtiano populo Iudæos ſimulare, vt verpus & apella fieret: & quidem ex Apoſtoli noſtri præſcripto. *In præputio aliquis vocatus eſt? non circumcidatur.* Nos enim *in libertatem vocati* ſumus, antiquatis illis per Chriſtum cæremonijs, & ſeruato præputio, vt animo non corpore circumciſi, Deum in ſpiritu & veritate adoremus. *Lex enim Spiritus vitæ in Chriſto Ieſu liberauit me à lege peccati, & mortis.* Neque magis ad mores, quàm ad ritus pertinere debet illud Chriſti dictum ad Phariſæos, *cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit vos. Si ergo vos filius liberauerit, verè liberi eritis.*

1. Cor. 7. — Rom. c. 8. — Ioan. c. 8.

V. Vmbras etiam appellant pictores, rudia quædam lineamenta, quibus corporum ſitum & granditatem deformant, vt ea ſequuti, quaſi manu ducantur ad corpora ritè artificioſeque ducenda. Hoc, in propoſito noſtro, alia figura effert Apoſtolus, pædagogi, qui puerum ijs elementis inſtituit, quæ iam grandior ſpreturus ſit præ ſublimiori ſcientia, quam pleno pectore & ingenio hauriet. *Itaque lex pædagogus noſter fuit in Chriſto, vt ex fide iuſtificemur.* Quod ſequutus Tertullianus *iuſtitiam*, ait fuiſſe, *quaſi in rudimentis in lege naturæ: deinde per legem ac Prophetas perueniſſe ad infantiam: per Euangelium denique efferbuiſſe in iuuentutem.* Eſt autem infantibus & pueris opus pædagogus: atque is pueritiam illorum, & imbecillitatem iudicij *infirmis & egenis elementis* inſtituebat. *Elementa autem apud Romanos quoque etiam prima littera dici ſolent. Et quæ velit intelligi elementa, primas ſcilicet litteras legis, ipſe declarat, Dies obſeruatis, & menſes, & tempora.* Itaque quod inter pueros & maturæ ætatis viros diſcrimen fecit natura, hoc inter Iudæos & Chriſtianos gratia renouauit.

Lex vmbra rudimentum, & pædagogus. — Galat. c. 3. — Tertul. l. de veland. virgin. — Idem. li. 5. adu. Marc.

VI. Solent autem obliterari & euaneſcere vmbræ illiuſmodi, poſtquam forma corpori per colores conſtat, & acceſſit tabulæ ſua perfectio. Quod & ſua figura Paulus exponit. *Quid igitur lex? propter tranſgreſſiones poſita eſt, donec veniret ſemen cui promiſerat: at vbi venit fides, iam non ſumus ſub pædagogo. Hoc enim agitur per pædagogum, vt non ſit neceſſarius pædagogus: ſicut per vbera nutritur infans, vt iam vberibus non indigeat: & per nauem peruenitur ad patriam, vt iam naui opus non ſit.* Eodem animo legem quamlibet mitti ſcribit ad gratiam. *Lex ſiue in paradiſo data, ſiue naturaliter inſita, ſiue in literis promulgata, præuaricatores fecit omnes peccatores terræ. Propterea dilexi teſtimonia tua, quæ ſunt in lege tua, de gratia tua: vt non ſit in me iuſtitia mea, ſed tua: lex enim ad hoc prodeſt, vt mittat ad gratiam.* S. Chryſoſt. eadem mente conſiderans Ioannem Diſcipulos ad Chriſtum mittentem, qui ſine dubio legis typus fuit, illum primo cum Patre, deinde cum pædagogo confert. *Sicut Pater moriens, ſi viderit filios ſuos bonis moribus inſtructos, & omni ſapientia perfectos, quaſi ſecurus moritur, nihil de cætero timens illis: ſic & Ioannes volebat diſcipulos ſuos perfectos videre in Chriſto, vt iucundius moreretur. Magis autem non ſicut Pater filios ſuos commendabat Chriſto, tanquam tutori, ſed quaſi pædagogus alienos filios quos ad tempus acceperat vt erudiret, eruditos volebat Chriſto reddere, quaſi proprio Patri ipſorum.* Itaque quandoquidem lex & Prophetæ vſque ad Ioannem, & ab eo iam tempore *in Chriſto Ieſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed noua creatura. Ita circumciſio in Chriſto completa eſt, in quo & aliæ legis cæremoniæ conſummatæ ſunt: finis enim legis Chriſtus.* Quod eleganter dicit & D. Leo. *Licet idem ſit auctor veterum, qui nouorum figuratorum: tamen promiſſionum Sacramenta mutauit, quia promiſſa perfecit: & denunciatoribus ceſſationem impoſuit, quoniam denuntiatus aduenit.* Neque minùs ſignanter S. Auguſtinus noſter, etiam in illius ſignaculi commendationem *hoc Sacramentum ipſe*

Legis & pædagogi modò nulla neceſſitas. — Galat. c. 3. Augu. ibi vide & epi. 200. ad Aſellicum. — Auguſt. in Pſ. 118. conc. 25. — Chryſoſt. hom. 47. in Matth. — Ioannes pædagogus Chriſto patri filios reſtituit. — Ioan. c. 1. — Euſe. Emiſ. hom. in oct. Natiu. — D. Leo ſer. 14. de Paſſ. c. 5. — Augu. ep. 203 ad Maximinum.

*Dominus quamuis euacuauerit crucifixus, tamen natus accepit. Non enim ſignacula illa damnata ſunt; ſed ſuccedentibus opportunioribus deceſſerunt. Nam ſicut Circumciſionem abſtulit Domini primus aduentus, ſic Baptiſmum auferet ſecundus aduentus. Quare ſi opera legis quædam poſt fidem ſuperflua, quædam ante fidem nulla ſunt, viuat iuſtus ex fide, vt & onus graue ſeruitutis abijciat, leui ſarcina Chriſti vegetatus, & iuſtitia metas non tranſgrediatur, leui iugo caritatis obtemperans.* Sic S. Auguſtinus. Poſt quem videbis quid apex Theologiæ de præceptorum cæremonialium ceſſatione ſcripſerit.

Idem in ep. ad Gal. loco cit. D Th. 2. 2. q. 103. a. 3. & q. 107. a. 2.

## *DE MORALIBUS IN UTRAQUE lege Præceptis.*

§. . V.

*Amplior Euangelij gratia pro moralium obſeruatione.* 1. Cor. 15. Rom c. 6.

VII. VENIO ad Moralia, quæ nobis ſunt cum Iudæis communia. Ad hæc implenda, & edomandas carnis perturbationes, datur in Euangelio amplior potentiorque gratia. *Stimulus enim mortis peccatum eſt, virtus verò peccati lex: Deo autem gratias qui dedit nobis victoriam per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.* Quamobrem Chriſtianos omnes ad ſpiritalem illam victoriam adhortans, confidenter dixit *peccatum vobis non dominabitur* (dominari non poterit) *non enim eſtis ſub lege, ſed ſub gratia*: victoriam illam cupiditatum carnalium, non legis operibus, ſed Chriſti gratiæ referris acceptam. Non enim Iudæi more, tantùm legem ſuam Chriſtianus prædicat, quantùm gratiam Mediatoris.

*Lex Euangelica ſuauior.* Rom. c. 8. Auguſt. in ep. ad Gal. Augu. l. de ſpir. & lit. c. 13.

VIII. Neque tantummodo fortior, ſed & ſuauior eſt Euangelij, quàm legis gratia, quia caritate & amore ducit, non timore pœnæ temporalis. *Non enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis in timore* (ad timorem, qui vos ſeruorum more ad implendum præceptum Domini veſtri, tanquam ad piſtrinum cogat) *Sed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum.* (caritatem, imò Spiritum Sanctum per quem adoptati eſtis in filios Dei.) *Rectè itaque accipitur ad hoc pertinere quod etiam Dominus ait, non veni ſoluere legem, ſed implere. Quia erat ablaturus timorem carnalem, ſpiritualem autem caritatem daturus, qua ſola lex impleri poteſt. Plenitudo enim legis caritas, vt quando fides impetrat Spiritum Sanctum, per quem caritas Dei diffuſa eſt in cordibus operantium iuſtitiam, nullo modo quiſquam ante gratiam fidei de bonis operibus glorietur.* Quæ omnia breuius alibi dicit idem S. Auguſtinus *quod operum lex minando imperat, hoc fidei lex credendo impetrat. Ac pro hac lege operum dicit Deus, fac quod iubeo; lege fidei dicitur Deo, da quod iubes. Ideo enim iubet lex, vt admoneat quid faciat fides.*

*Chriſtianus liber, & ſeruus Chriſti.* 2. Cor. 7. Ambroſ. in eum locũ.

IX. *Itaque non ſumus ancillæ filij, ſed liberæ*, & ſi ſerui, non legis, ſed gratiæ; non Moſis, ſed Chriſti; non ſuperbiæ, ſed iuſtitiæ: adeoque omni ex parte liberi. *Qui liber vocatus, ſeruus eſt Chriſti. Vtraque conditio optima*, inquit S. Ambroſius, *eſſe ſub Chriſto, ſub quo & pretioſa ſeruitus, & glorioſa libertas. Pretioſa ſeruitus, quaſi tanti ſanguinis pretio comparata; glorioſa autem libertas, quam nulla ſeruitus culpæ, nulla peccatorum vincula conſtringunt; nulla flagitiorum onera, nulla criminum commercia degeneris nexui ſeruitutis addicunt.*

*Vincit concupiſcentiã.*

X. Non quod concupiſcentiam exuerimus, ſed quod vincamus. *Igitur ego ipſe mente ſeruio legi Dei, carne autem legi peccati.* Quod certamen ad propoſi-

tum

tum quæſtionis huius, egregiè nobis proponir S. Auguſtinus, quatuor viras, aut actiones in diuerſarum legum ſtatu oculis ſubijciens. Prima eſt actio ante legem, ſecunda ſub lege, tertia ſub gratia, quarta in pace. Ante legem, actio eſt *cum peccatum ignoramus, & ſequimur carnales concupiſcentias: ſub lege eſt actio, cum iam prohibemur à peccato, & tamen conſuetudine eius victi peccamus, quoniam nondum nos adiuuat fides. Tertia actio eſt, quando iam pleniſſimè credimus liberatori noſtro; nec meritis noſtris aliquid tribuimus, ſed eius miſericordiam diligendo, iam non vincimur delectatione conſuetudinis malæ, cum ad peccatum nos ducere nititur: ſed tamen eam adhuc interpellantem patimur, quamuis ei non tradamur. Quarta eſt actio, cum omnino nihil eſt in homine quod reſiſtat ſpiritui. In prima actione nulla eſt pugna cum voluptatibus ſeculi. In ſecunda pugnamus, ſed vincimur. In tertia pugnamus & vincimus. In quarta non pugnamus, ſed perfecta & æterna pace requieſcimus.* Sic igitur explicata magni Apoſtoli doctrina, ad magnum Doctorem progredior, imo in nonnullis eius vnius libris immoror.

Augu. l. 83. qq. q. 66. & in Epiſt. ad Galat.

*Quatuor vitæ, ſeu actiones.*

*S. AVGVSTINI DE QVÆSTIONE PROPOſita ſenſus, ex libris ab Aurelio citatis, vberius declaratur.*

§. VI.

AVRELIO Auguſtino poſt Paulum Apoſtolum abutitur Petrus Aurelius. Senſum eius in re propoſita poſt locós omnes profeſſa opera ſuperiùs adductos, ſi dixero ſolaribus radijs ſcriptum, quis niſi funditus cœcus non agnoſcet? Eum tamen tanquam ſuffragatorem ſuum allegat Aurelius. Audio loquentem, examino teſtimonium, & librum ipſum vnde producitur. Nam alia infinitis locis, libris omnibus ſparſa colligere, & otioſi hominis fuerit, & ad rem noſtram otioſum.

Præ manibus eſt commentarius in Epiſtolam ad Galatas, *principalem aduerſus Iudaiſmum*, vt loquitur Tertullianus. Locus integer è quo pauca verba decerpit, ſic habet.

*Locus epi. ad Galat ab Aurelio cit. integer producitur.*

*Iam hinc opera illa legis tractare incipit, quæ ad nouum quoque teſtamentum ſpectare nemo ambigit, ſed alio fine: quo liberos ea facere decet, id eſt, caritatis æterna ſperantis hinc præmia, & ex fide expectantis. Non ſicut Iudæi qui timore iſta implere cogebantur: non illo caſto permanente in ſeculum ſeculi, ſed quo timebant præſenti vitæ ſuæ. Et ideo quædam opera legis implebant, quæ in Sacramentis ſunt; illa verò quæ ad bonos mores pertinent, implere omnino non poterant. Non enim implet ea niſi caritas. Quia & hominem ſi propterea non occidit aliquis, ne & ipſe occidatur, non implet præceptum iuſtitiæ: ſed ſi ideo non occidat, quia iniuſtum eſt, etiamſi id facere poßit impune, non ſolum apud homines, ſed etiam apud Deum. Sicut Dauid cum diuinitus accepiſſet poteſtatem in Regem Saül,* &c. Hic legem operum, iuſtitiam ex lege, pœnæ temporalis metum; & hæc omnia legi fidei, caritati operanti, iuſtitiæ legis oppoſita; exemplum à verò Iſraëlita ductum, quo improbi cum ſuo legis figmento percelluntur, ſi non videt Aurelius, cæcutit in ſole. Et tamen alia omnia meditatus, ex hoc loco conficere ſe putat, legem veterem eſſe legem mortis, quæ quantùm in ſe eſt ad peccatum trahat; media per ſe non tribuat ad

*Explicatur mens Auguſtini.*

*A qua diſcedit Aurelius.*

bonas actiones, ſed tantùm per accidens. Quæ toto cœlo abſunt ab Auguſtini ſententia.

*Auguſtinus l. de ſpir. & lit. legem defendit, & laudat.*

Producitur deinde c.14. libri vnici de Spiritu & littera. Quem librum ſi vel primoribus digitis attigiſſet Aurelius, ab eo citando abſtinuiſſet; aut legem certè Moſaïcam eiuſcemodi contumelijs non oneraſſet. Legiſſet enim eam defendi ab Apoſtolo, etiam poſt aliqua durius in illam dicta, *ne quiſquam ab hoc imperitus argueret, & ſacrilegus accuſaret.* Audis Aureli, verba ſunt eius quem laudas libri, non à Ieſuita; ſed ab Auguſtino in te iam olim vibrata, qui diuinæ legis accuſator eſſe vis. Eſt autem S. Auguſtini eo libro

*Auguſtini eo libro inſtitutum.*

propoſitum, gratiæ Dei ſupra naturam aduerſus Pelagianos neceſſitatem demonſtrare, ijs locis, iiſque argumentis, quibus contra Iudæos diſputat Apoſtolus, legis operibus aduenire oportere fidem & gratiam Chriſti, vt ea bona ſint, & æternæ vitæ præmio compenſanda: hoc ſenſu dici à Paulo *litteram occidere, ſpiritum viuificare.* Quod cum pluribus antea probauit Epiſtolam ad Romanos interpretans, concluſitque caput 13. in hæc verba, *His igitur conſide-*

c. 13. *ratis colligimus, non iuſtificari hominem præceptis bonæ vitæ, niſi per fidem Ieſu Chriſti; hoc eſt, non lege operum, ſed lege fidei; non littera ſed ſpiritu; non factorum meritis, ſed gra-*

c. 14. *tuita gratia.* Deinde c.14. multis oſtendit illam factorum legem, non ad circumciſionem ſolam & cæremonialia, ſed etiam ad moralia præcepta pertinere. Quo loco equidem nihil video quod in rem ſuam trahere poſſit Aurelius ad legis contemptum; niſi forte cum ex Apoſtoli ſenſu dicit, *quod litera prohibens peccatum, non iuſtificat hominem, ſed potius occidit augendo concupiſcentiam, & iniquitatem præuaricatione cumulando, niſi liberet gratia per legem fidei, quæ eſt in Chriſto Ieſu.* Quod ſuperius quamobrem diceret explicauerat. *Quæ hoc præcipit, bona & laudabilis lex eſt. Sed vbi ſanctus non adiuuat ſpiritus, profecto illa lex, quamuis bona, auget prohibendo deſiderium malum. Neſcio quo enim modo hoc ipſum quod concupiſcitur, fit iucundius dum vetatur. Et hoc eſt quod fallit peccatum per mandatum, & per illud occidit, cum accedit etiam præuaricatio, quæ*

c. 10. *nulla eſt vbi lex non eſt.* Et alibi eodem ſenſu legem ait *terrendis iniuſtis imponi, vt cum & in ipſis cœperit inolitæ concupiſcentiæ morbus incentiuo prohibitionis, & cumulo præuaricationis augeri, confugiant per fidem ad iuſtificantem gratiam, & per donum ſpiritus ſuauitate iuſtitiæ delectati pœnam literæ minantis euadant.* Vides lector quam honorificè de lege loquatur cum Apoſtolo S. Auguſtinus, eamque non ſuo, ſed concupiſcentiæ vitio improbis obeſſe dicat, tantùm ex accidenti, non *per ſe, & quantùm in ſe eſt.* Perfici autem Dei gratia, non ab ipſa lege aliena, ex alia quadam lege mutuò ſumpta; ſed ipſi non

c. 19. minùs quàm Euangelio intrinſeca. Cum mox ſubdat, *hæc gratia in teſtamento vetere velata latitabat, quæ in Chriſti Euangelio reuelata eſt, diſpenſatione temporum ordinatiſſima.* Quod & ex eo præterea oſtendit, quod Spiritus Sanctus in Euangelio digitus Dei dicitur. *Vnde quia & illæ tabulæ digito Dei*

c. 16. *conſcriptæ ſunt, & digitus Dei eſt Spiritus Dei, per quem ſanctificamur, vt ex fide viuentes per dilectionem bene operemur; quem non moueat iſta congruentia, ibidemque eadem ſubſiſtentia?*

*Explicatur locus libri de gratia & lib. arbitr. c.18.*

Ad hanc libellam expendi debet locus libri de gratia & libero arbitrio, qui primus indicatur ab Aurelio: quo dicitur *Præcepta caritatis per legem dantur & veterem & nouam, quamuis in noua venerit gratia, quæ promittebatur in vetere: lex autem ſine gratia litera eſt occidens, in gratia verò, ſpiritus viuificans.*

*viuificans.* Hoc dicit quantùm ſapio, quantùm capio, velata erat in lege, re-
uelata eſt in Euangelio. Nuſquam enim Auguſtinus, aut ſcriptor vllus Ca-
tholicus, Dei gratiam ex accidenti datam in lege dixit ad bene operandum.
Nuſquam legi calumniam irrogauit: imo veretur hoc libro, ne Mooachi ad
quos ſcribit, irrogatam putent ab Apoſtolo. *Per legem enim cognitio peccati. Co-* c. 10.
*gnitio dixit, non conſumptio. Quando autem cognoſcit homo peccatum, ſi non adiuuat gra-*
*tia vt cognitum caueatur, ſine dubio lex iram operatur. Hoc autem dixit, quia ira Dei*
*maior eſt in præuaricatore, qui per legem cognoſcit peccatum, & tamen facit. Et ne pu-*
*taretur accuſaſſe legem, vel reprehendiſſe, continuò ſibi oppoſuit quæſtionem*, &c. &
alibi. *Adiuuat gratia, quæ niſi adiuuerit nihil lex erit, niſi virtus peccati. Augetur* c. 4.
*enim concupiſcentia, & maiores vires accipit lege prohibente, niſi adiuuet ſpiritus gra-*
*tiæ.* Deduces-ne ex his, Aureli, legem quantùm in ſe eſt per ſe, id eſt vitio ſuo, *Nihil ſanè Aurelio.*
malitia ſua, & non potius noſtra, trahere ad peccatum? *Eis dominabitur pecca-* c. 12.
*tum, à quo non fit homo liber lege, ſed gratia. Non quia lex mala eſt, ſed quia ſub illa*
*ſunt; quos reos facit iubendo non adiuuando. Gratia quippe adiuuat, vt legis quiſque ſit*
*factor, ſine qua gratia, ſub lege poſitus tantummodo erit legis auditor.* Id dicit gratiæ
doctor, in eos qui legem à gratia præciſam ſpectantes, eius ſe opera operibuſ-
que iuſtos fieri & eſſe credebant, vt Iudæi, vt Pelagiani, quod ipſum æquè de
lege Euangelica, vt Moſaïca poteſt efferri.

## *ALIA PETRI AVRELII DE CARITATE in noua lege, & virtutum operibus doctrina ſuper Paulum & Auguſtinum male fundata monſtratur.*

## §. VII.

CONVENIENDVS hic eſt ex alio loco Petrus Aurelius, & ad Catho-
licam mediocritatem reuocandus, ne qui durè nimis antea legem Mo-
ſaïcam obtriuit, Euangelicam modò nimis delicatè deamet & oſculetur. *Explicatur*
*Noua lex*, inquit, *ex hoc differt à vetere quod tota interior ſit, tota caritatis,* *Petri Aurely ſenten-*
*tota amoris illius quem Chriſtus diſcipulorum, & Eccleſiæ cordibus die Penteco-* *tia in vind.* p. 187.
*ſtes infudit.* Caritas ſine dubiò perfecta in eorum cordibus diffuſa eſt, qui
primitias ſpiritus acceperunt: de hac igitur ſermo eſt apud Aurelium. *Vnde*
*tota cum præceptis, inſtitutis, & obligationibus ſuis in caritate conſiſtit* (perfecta, de
qua loquimur) *nec in ea quicquam præcipitur niſi præcipuè amore caritatis; nec niſi*
*eodem amore, ſicut lex primariò poſtulat, impleri poteſt.* Atqui primariò lex poſtu-
lat vt diligatur Deus ex toto corde, anima, & viribus, quæ perfectiſſima cari-
tas eſt. Et iterum inferius. *Non ſolùm*, inquit, *actus virtutum moralium, qualis* pag. 189.
*eſt iuſtitia, ſed ne quidem virtutum Theologicarum, niſi ſolius caritatis per ſe meritorij*
*ſunt, teſte Apoſtolo, ſi habuero omnem fidem, & ſi tradidero corpus meum ita vt ar-*
*deam; caritatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.*

Ex his verbis eas propoſitiones colligo, quas Aurelius extra verborum ſo-
noritatem, & grammatices tumultus ſuas agnoſcet.

I. Totam eſſe interiorem legem Euangelicam: quod fieri non poteſt ſi *1. Propoſitio Aurely refellitur.*
quicquam exterius iubet aut vetat. Quid ſunt igitur Sacramentorum per-

ceptiones, Miſſæ diebus dominicis frequentatio, ſtatutis diebus indicta ieiunia, & alia eiuſmodi? Negas hæc in Euangelica lege præcipi? negas externa eſſe? Et later in animo tuo aduersùs illa virus neſcio quod, cui euomendo poculum iſtud comparo. Curenim Ieſuitas criminaris *mentium quas regendas ſuſcipiunt pietatem Sacramentis & præſidijs exterioribus agglutinare*, ſi tu quicquam Sacramenta æſtimas? cur Sacramenta præſidia vocas exteriora, aut certe vtraque in eodem gradu collocas? Non vides quantam in euellendis bonis operibus, & Chriſtiani hominis exercitijs ab Eccleſia imperatis libertinorum, & nouatorum ſynagogæ præſtes operam? Adeo ritus externos Moſaïcarum cæremoniarum refugis, vt nihil in Euangelio niſi internum eſſe velis: immemor Eutychetem eò in errorem lapſum, quòd ab Neſtorij errore longius quam fas erat diſcederet.

*Ritus Sacramentorum videt Aurel. cit. p. 104.*

*Altera Aurelij propoſitio expenditur.*

II. Eccleſiæ ſeu legis Euangelicæ præcepta impleri non poſſe, niſi ex amore caritatis Theologicæ & perfectæ. Si dictum illud ad ea quæ de Iuſtitia legis antea ex S. Auguſtino explicuimus, refert; habet me conſentientem. Sin ad opera in Eccleſia & Euangelio præcepta, merum ſemper caritatis perfectæ motiuum, excluſis alijs minùs perfectis poſtulat, Dauidi repugnat, profitenti ſe inclinatum *ad faciendas iuſtificationes Dei, propter retributionem*. Repugnat Tridentino Concilio neganti *gehennæ metum, per quem ad miſericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abſtinemus, peccatum eſſe*. Imo affirmanti *Contritionem imperfectam, quæ Attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, eſſe donum Dei, & Spiritus Sancti impulſum*: Repugnat Theologorum communi doctrinæ, quorum certa vox eſt frequenſque conſenſus, hominem qui diebus vetitis ab eſu carnium abſtinuerit, qui diem ſtatutum ieiunus exegerit, qui ſacrum feſta luce audierit; obedientia duce, vel macerandæ carnis deſiderio, cœlum mereri. Non enim poſt diſputata cum Iudæis, dubitare poteſt Aurelius, qui Paſchalem ſynaxim cum peccati lethalis conſcientia celebrauerit, quin is nihilo ſecius Eccleſiaſtico præcepto paruerit, & legem operum, ſi non iuſtitiam legis, impleuerit.

*Pſal. 118.*
*Trid Con. ſeſſ. 6. can. 8*
*Idem ſeſſ. 14. cap. 4.*

*Tertia Aurelij propoſitio refellitur.*

III. Actus virturum moralium, & Theologicarum per ſe ſecluſo caritatis perfectæ actu, meritorios non eſſe. Meritum congruum à condigno diſtinguent Theologi complures, aſſeuerabuntque aduerſus Grammaticum hunc, morales virtutes ſine habitu caritatis multa de congruo mereri, etiã ad vitam æternam conducentia: eiuſque rei nobile exemplum producent Cornelium Centurionẽ, cui diuinitus dictum eſt, *orationes tuæ, & eleemoſynæ tuæ aſcenderunt in memoriam in conſpectu Dei*. Conquerẽtur ijdem cæteras virtutes reijci præ vna caritate, cui licet veram animæ vitam aſſignent, & facta quæuis ſine eius habitu opera, nihil minùs quam meritoria vitæ eternę eſſe fateantur; negabunt tamen omnibus motiuum caritatis, tanquam formam neceſſariam eſſe imprimendum: ſed poſito caritatis habitu, actum ſpei Theologicæ, ex ſpei ipſius motiuo eductum, appellabũt bonum & meritorium æternæ felicitatis: idemque penitus de iuſtitia, de temperantia, deque ſplendido virtutum moralium choro affirmabunt. Addẽt etiam quaſi ad demenſum, admodum probabiliter poſt S. Auguſtinum & D. Th. nullos peculiares, & in indiuiduo actus eſſe indifferentes: quærent igitur, actus illi virtutũ moralium ex earum, non autem perfectæ caritatis motiuo producti ab homine iuſto, per ſe boni ſint, an mali? ſi mali,

*Act. c. 10.*

*D. Th. 1. 2. q. 18. a. 9.*

ſi mali, virtutes non ſunt, vitia ſunt & peccata; quæ propoſitio quomodo
» propugnabitur? Si boni, ergo meritorij per ſe, & quidem regni cœleſtis.

IV. Solius caritatis actus eſſe meritorios. Licet hæc propoſitio germana ſit ſuperioris, habet tamen pluſculum confidentiæ; ſi quidem aliqua manifeſto errore confundit, acutius diſcernenda. Habitum cum actu, opus factum in caritate, cum opere facto ex caritate, imo cum opere caritatis permiſcet, & Apoſtoli verbis more ſuo perperam vtitur. Nam homo gratia ſanctificante ornatus, ieiunat ex motiuo obſeruantiæ quam debet Eccleſiæ Prælatis id imperantibus, & corporeæ afflictationis, quam ſubit non inuitus; opus id in caritate factum eſt; at non ex caritate, neque caritatis; Niſi fortaſſe tum etiam fieri dicimus ex caritate, quod caritas habitualis in eum actum phyſicè influat, eique vim meriti proprij & condigni communicet. Sed hic non eſt ſenſus Aurelij, qui ſi ſe totum prodere audeat, non dubitet dicere, non id tantùm, caritatem ſolam meritoriam eſſe, ſed etiam ſolam eſſe virtutem. Quapropter apertioris diſtinctionis & vitandæ amphiboliæ gratia, actum eiuſcemodi factum in caritate voco, & per ſe meritorium eſſe dico, negat Petrus Aurelius. Hoc martyrium, hæc fides eſt, hæc prodigalitas in pauperes quam Paulus vult prodeſſe Nam eo loco habitum caritatis poſtulari ab Apoſtolo aio ego, negat Petrus Aurelius, & actum vult intelligi, quaſi ſolus caritatis actus, in fide, aut martyrio ſit meritorius: & qui cum habitu caritatis martyrium ſubeat, nihil ſit, niſi actum caritatis, & quidem perfectæ exerceat. Cui profectò ſenſus Eccleſiæ reſtagatur in Sanctorum Infantium cæde, quos Martyrum flores & primitias appellare non veretur. Homo idem habituali caritate inſtructus, ieiunat, vt Deum voluntario quaſi corporis ſacrificio purius colat & amet. Opus illud in caritate factum, ex motiuo caritatis, non tam actus caritatis, quam imperio caritatis elicitus cenſetur. Hunc autem per ſe eſſe meritorium aio; videat id-ne conceſſura ſit Petri Aurelij Theologia. Idem ille iuſtus ad faces diuini amoris animo ſuo admouendas, quanta poteſt virium contentione, in Dei amorem ſe ipſe cum ieiunio ſuo impellit & trahit; opus hoc perfectæ caritatis eſt, in caritate, ex caritate factum: quem ſolum per ſe meritorium agnoſcit ſæpius producta Petri Aurelij Theologia.

*4. Aureliana propoſitio.*

*Opus caritatis, ex caritate, in caritate factum.*

*Apoſtolum male intelligere Aurelius.* 1. Cor. 13.

Vide autem quam opportunè alium Pauli textum deſcribat in margine? *finis præcepti eſt caritas de corde puro*, &c. Quænam illa caritas? an actualis, ac non potius habitualis? an ſpecialis virtus, qua Deus ſuper omnia diligitur: an potius generalis, quæ cæteras virtutes ampliſſimo ſinu complectitur? vt qui iniuſtus, qui parum temperans, qui durus in pauperes fuerit, is minimè Deum diligere fuſiſſima ſignificatione dicatur? Putaſ-ne Aureli eo tendere præcepta vtriuſque legis omnia, vt vnus caritatis actus expreſsè à nobis exerceatur; quem ſi omiſerimus à merito, proindeque à gloria excludamur? Cum veriſſimè pronunciauit Chriſtus in duobus præceptis legem & Prophetas pendere, amore videlicet Dei & proximi, voluit-ne niſi actu explicito Deum & proximum diligeremus, omnia à nobis præcepta violari? Actum profectò laudant, ſuadent, omnibus præferunt ſcripturæ; at habitum caritatis tanquam rem ſemper neceſſariam expetunt.

*Caritas generalis, & ſpecialis virtus.* 1. Tim. 1.

Neque alia mens eſt S. Auguſtini, loco illo quo ſe Aurelius iugulat in

*Auguſtinũ male allegat Aurelius.* Augu. li. 3. de doct. Chriſt. c. 10.

margine. *Non præcipit ſcriptura*, inquit, *niſi caritatem, nec culpat niſi cupiditatem, & eo modo informat mores hominum.* Hanc ergo caritatem imperat, quam opponit cupiditati; atqui generalem & vitiorum omnium radicem cupiditatem vetari, & ſcripturæ verba, & ratio ipſa, & doctrina S. Auguſtini omnibus non indoctis perſuadet: non illam ſimpliciter & anguſtè cupiditatem, qua proximi bona præter ius faſque appetuntur. Id verò locus hic apertiſſimè demonſtrat, quo caritatem definit, *modum animi ad fruendum Deo propter ipſum, & ſe atque proximo propter Deum.* Cupiditatem autem *motum animi ad fruendum ſe & proximo, & quolibet corpore, non propter Deum.* Quod autem agit indomita cupiditas ad corrumpendum animum & corpus ſuum, flagitium vocatur: quod autem agit vt alteri noceat, facinus dicitur. Et hæc ſunt duo genera omnium peccatorum. Quantò autem magis regnum cupiditatis deſtruitur, tantò caritatis augetur. Sic dilectus Apoſtolus *concupiſcentiam carnis; & concupiſcentiam oculorum* damnat. Sic S. Auguſtinus ipſe alibi, *In bonis caritas Dei eſt quæ tolerat omnia; ſicut in malis mundi cupiditas.* Veræ patientiæ matrem, caritatem illam vniuerſalem appellans, malæ patientiæ originem, malam vniuersè loquendo cupiditatem.

*Vt cupiditas, ita caritas generalis eſt.* Vide præterea l. 83. q. 3. c. 36.

Idem li. de Patient. c. 23.

*Iterũ Auguſtino abutitur Aurelius.* Augu. l. de nat. & gr. c. 70.

Conſimili quoque figura caritatis & iuſtitiæ latiſſimum ſignificatum amplectitur eo loco, quem pro ſe perperam allegat Aurelius, *Caritas ergo inchoata, inchoata iuſtitia eſt: caritas prouecta, prouecta iuſtitia eſt: caritas magna, magna iuſtitia eſt: caritas perfecta, perfecta iuſtitia eſt.* Non illa ſpecialis virtus actu vno completa, quem ſolum meritorium affirmat Aurelius, ſed generalis alia per omnes virtutum ſpecies peruagata: de qua ante dixerat, *omnia ſunt facilia caritati, cui vni Chriſti ſarcina leuis eſt, aut ea vna eſt ſarcina ipſa quæ leuis eſt. Quando eſt enim graue cum ſit dilectionis mandatum? aut enim quiſque non diligit, & ideo graue eſt: aut diligit, & graue eſſe non poteſt.* Denique decretorium eſt quod morales iſtas virtutes, non ſatis Aurelio æſtimatas, per caritatem illam ſuſſiciam deſcribit. *Definire etiam ſic licet, vt Temperantiam dicamus eſſe, amorem Deo ſe ſe integrum, incorruptumque ſeruantem: Fortitudinem, amorem omnia propter Deum facilè perferentem: Iuſtitiam, amorem Deo ſeruientem, & ob hoc benè imperantem cæteris quæ homini ſubiecta ſunt: Prudentiam, amorem benè diſcernentem ea quibus adiuuetur in Deum, ab iis quibus impediri poteſt.*

Ibid. c. 69.

*Virtutes definit Auguſtinus per caritatem generalem.* l. de mori. Eccl. c. 15. vide ep. 52. ad Maced.

*Ciuitates duæ apud* Aug. l. 14 de ciuit. c. c. 28.

Eandem generalem caritatem manifeſtè loquitur productus è Ciuitate Dei locus; adeo ſe famamque ſuam prodigit aduerſarius, dum marginali tumore fucum ſe putat facere. *Fecerunt*, inquit magnus doctor, *ciuitates duas amores duo, terrenam ſcilicet, amor ſui ad contemptum Dei; cæleſtem verò, amor Dei vſque ad contemptum ſui.* In libro autem de ſpiritu & litera, quid docet niſi quod nos prædicamus? non ideo tantùm iuuari nos à Deo, quia is *præceptis iuſtitiæ forinſecus inſonat ſenſibus noſtris, ſed quia intrinſecus incrementum dat, diffundendo caritatem in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum qui datus eſt nobis.* Hæc verba legem-ne dicunt totam eſſe interiorem? non poſſe impleri externa eius opera niſi expreſſo caritatis actu? ſolius caritatis actus eſſe meritorios? Sed progredior in Aurelianis propoſitionibus. Ait enim.

Idem l. de ſpiritu & liter. c. 25.

*Quinta Aurelij propoſitio repugnat Auguſtino.*

V. Illum meritoriæ caritatis actum ad ſolam Euangelicam legem pertinere, non autem ad veterem: ſi quidem nouam legem hoc differre putat, à veteri, *quod tota ſit caritatis illius & amoris, quem Chriſtus diſcipulorum, & Eccleſiæ*

*ſiæ cordibus die Pentecoſtes infudit.* Non hoc dicit S. Auguſtinus loco citato, ſed hanc eſſe *diſtantiam Veteris & Noui Teſtamenti, quod lex ibi in tabulis, hic in cordibus ſcribitur, vt quod ibi forinſecus terret, hic delectet intrinſecus.* Non hoc dicit veritas, quæ fidelibus antiquis per legem fidei, non minùs quam nouis dicebat, *Sine me nihil poteſtis facere.* Non hoc iterùm & ſæpius Auguſtinus, ſed *per Angelos miniſtratam eſſe omnem diſpenſationem veteris teſtamenti, agente in eis Spiritu Sancto, & ipſo verbo veritatis nondum incarnato, ſed nunquam ab aliqua veridica adminiſtratione recedente.* Non hoc Eccleſia Catholica, quæ nullum meritum, nullam gratiam ab omni æuo agnoſcit, niſi à Chriſto ſponſo & capite defluentem. Non hoc recta ratio, quæ Deum iniuſtitiæ accuſare prohibet, qui tanto rerum verborumque apparatu, de Deo ex intimo corde diligendo edictum promulgauit, quod nemo rum poſſet exequi: Aut ſtoliditatis, qui tantò ante legem tulit non ante implendam, quam *Chriſtus amorem diſcipulorum & Eccleſiæ cordibus die Pentecoſtes infudiſſet.* Non hoc verba ipſa legis, quæ futurum nihil promittunt aut figurant, ſed præſentes ſingulos obteſtatur, & iam tunc obligare incipit, *Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Non denique legis vtriuſque natura nouæ aut veteris, quarum neutra tota exterior, neutra tota interior eſt, niſi tota noſtra dicatur interior, errore Aureliano; vt tota illa exterior olim putabatur, errore Iudaïco.

Aug. l. de ſpir. & lit. c.25.
Ioan. c.15.
Augu l. de ſpir. & lit. c.25.

*EIVSDEM PETRI AVRELII HALLVCINAtio in Patribus & S. Auguſtino pro virtutum omnium connexione.*

§. VIII.

VI. DENIQVE alium Aurelij errorem tentare potiùs, quam tractare ſuadet materia, quæ de virtutibus eſt: & fœdus in Auguſtino maximè lapſus; hinc exorſus, quod auctorum fruſta hinc inde corrogata grammaticus vſurpat, cum ipſorum ſcriptorum verum ſolidumque ſenſum exquirere aut negligat, aut non poſſit. Omnes virtutes indiuiduas ait eſſe, *ſic quidem vt qui vnam purè ac perfectè colit, omnes colat, & ſi illam aſſequatur, omnes aſſequatur neceſſe ſit.* Et rationem ſubiicit. *Sunt enim indiuulſæ à caritate, à qua vel ſimul omnes manant, vel cum ea ſimul omnes infunduntur.* Ad ſtabiliendam propoſitionem citatur *S. Auguſtinus l.4. contra Iul. c.3. & ep. 29. latè.* Ad rationem confirmandam profertur *Tridentinum Concilium ſeſſ. 6. cap. 7. & S. Dionyſ. de Hierarch. Eccleſ. c.6.*

*Sextus error Aurelij proponitur.*
Aurel. in vin. p. 675.

Ac primum de propoſitione id dico, hanc non eſſe S. Auguſtini opinionem: ſi quidem priore loco illam non tradit, poſteriore oppugnat, vtroque fœdum glaucoma oculis Aurelij obijcit. Nam *lib. 4. contra Iulianum c.3.* illo bene longo, & quod vnum libri inſtar eſſe poſſit, *latè* demonſtrat aduerſario, veras in infidelibus virtutes non eſſe. Virtutes autem *indiuiduas & inuicem connexas* eſſe, neutiquam diſputat. Audis Aureli, virtutum connexionem eo loco Aurelius Auguſtinus, ne litterula quidem aut apice attingit. Poſteriore loco *epiſto. 29. ad Hieronymum,* duo Stoïcorum axiomata impugnat, *Peccata eſſe paria,* & *virtutes inter ſe connexas.* Quod vltimum vbi prolixius explicauit, (quod *latè* probatum dicit Aurelius, & in quo ſubſtitit, vt crederet S. Auguſtini opinionem eſſe, quam ipſe referret ea qua ſolet ſubtilitate, neque quic-

*Bis labitur in Auguſtino Aurelius.*
l. 4. contra Iul. c.3.
*nihil de Aurelij propoſitione tradit.*
*Aurelius reiectam ab Auguſtino opinionem, pro Auguſtini opinione accipit.*

quam vlterius inquirendum eſſe putauit) ſuo ipſe ſenſu deinde rectè loquitur. *Hac vtrum ſe habeant d ligentius inquirendum eſt. Non enim & iſta diuina ſententia eſt, qua aeitur, qui vnam virtutem habuerit, omnes habet: eique nulla ineſt, cui vna defuerit: ſed hominibus hoc viſum eſt, multum quidem ingenioſis, ſtudioſis, ſed tamen hominibus.* Contraria deinde opinione validis tarionibus confitmata, concludit. *Etſi verum eſſet eum qui habet vnam, omnes habere virtutes: cum qui vnam non habet, nullam habere, nec ſic peccata ſunt paria. Si autem, quod puto eſſe verius ſacriſque litteris congruentius, ita ſunt anima intentiones, vt corporū membra, poteſt dici habere aliam & aliam non habere, aliam magis, aliam minùs habere virtutem.* S.Betnardum adiungit S. Auguſtino, nihilo feliciùs *l.1.de conſid. ad Eugenium c.6.& 7. &c.* cum ſimplicitet 8.nominare debuerit. Ibi *pulchrè* non docet vir teligioſiſſimus, qui virtutem vnam aſſequitut, omnes neceſſariò aſſequi: ſed Cardinales quas appellanius virtutes, mutuum ſibi inuicem præſtare auxilium; quia modum habete debent omnes, quem vocat *virtutum meditullium, ita cunctu conterminum vt videatur eſſe proprium ſingularum.* Quo de *modo* & *meditullio* pluta deinde philoſophatut. Neque magis eam promouet ſententiam S.Gregorius Nazianzenus qui adducitur. *orat.33.* in qua cum legam plutima quæ in hac cauſa eximiè rotquete poſſin in Autelium, pro ſenſu Autelij vnum hoc facere videtut, *Viam vnam eſſe, eamque perangustam: vnam, ſi virtutem ſpectes, (hæc enim vnica eſt, licet in multas partes ſecetur) anguſtam propter ſudores, & quia à multis non teritur.* Hinc quàm benè deducis *omnes virtutes indiuiduas eſſe, & qui vnam aſſequatur, omnes neceſſariò aſſequi?* Quis dubitet quin omnes in vnum genus coëant? quod ſi vis idcirco qui vnam habeat ſpeciem, omnibus inſtructum eſſe, vide quid reſponſurus ſis cum quæram, ex eo quod cum quadrupedibus in genere animalis perfectiſſimè tibi conueniat, ideo-ne brutatum animantium dotibus participes?

*Bernardum malè citas & explicat.*

l.1. de conſid.c.8.

*Modus virtutum meditullium.*

Greg. Naz. or.33. *Non fauet Aurelio.*

*Legenda oratio in qua de Aurelij ſimilibus fuſe conqueritur.*

Hæc de Aureliana propoſitione, & Partibus ad eam confirmandam aduocatis. Maiotem auctoritatem in tarione comprobanda vſurparam videamus. Tridentinum apponitut, quid ait? *In iuſtificatione infuſas ſimul accipi fidem, ſpem, caritatem.* Quid hoc Auteli? quem ſperas decipete? virtutes Theologicas, ſine quibus vera hominis iuſtitia nulla eſſe poreſt: infuſas, quæ in nobis ſine nobis ponuntut, adducis vt probes, morales omnes virtutes quæ actibus acquiruntur, quæ obiectis etiam materialibus ſæpe differunt, inuicem connecti. Sed fallot: virtutes morales acquiſitas tua doctrina deſtruit, quæ ſolas agnoſcit infuſas: & ſi audes dicete, ſolam caritatem. Quid autem Caritatem aut tempote aut natuta vis eſſe illis ptiotem, cum allegatum à te Concilium, per fidem & ſpem, informes quidem, ſed tamen diſponi doceat impium ad iuſtificationem, & in ea iuſtificatione non ptius caritatem, ſed ttes omnes Theologicas virtutes ſimul ſcribat infundi? Sequitur S.Dionyſius, iſque proferrur quaſi aſſerat, *omnes virtutes ad vnum ſpiritum redigi, & ad eum poſſeſſores ſuos redigere.* Hoc nuſquam dicit. Audis iterum Auteli? nuſquam hoc ſcribit S.Dionyſius, de ſingulis virtutibus de quibus ſetmo eſt. *Diuiſas* ait *vitas* ſeculatium abdicari à Monachis; vitam non dicit, quia vna eſt coniugum, alia mercatorum, alia militum. Earum vni non tenunciat Monachus, ſed omnibus, & vitam ſimul perfectiſſimam profitetut. Hæc eſt expreſſa mens S.Dionyſij: ede tu modò vbi tandem virtutum vnamquamque poſſeſſores ſuos ad vnum redigere ſomniatit.

*Tridentinum Concilium non intellexit Aurelius.*

Conc. Tri. ſeſſ.6. c.6. 7.

*Dionyſium falsò citas.*

VII.

VII. Philoſophari etiam placet Aurelio, ſed paucis, vt hominem decet Philoſophiæ negligentem. *Externa*, inquit, *opera per ſe indifferentia ſunt ad quodlibet virtutis, imo ad quodlibet vitij genus: ex eorum enim quolibet manare poſſunt.* Eſſe poteſt igitur idololatriæ opus, verus actus religionis; Miſſam facere, indifferens eſt ad adulterium; homicidium & blaſphemia per ſe indifferentia ſunt ad fidem & caritatem. *Nec vlla eſt omnino virtus quæ vllum opus externum nominatim intueatur, ſed omnia obiecta materialia virtutibus inter ſe ſe communia & indifferentia ſunt.* Nouitatem huius philoſophiæ libet admirari, quæ materialia obiecta ſingulis virtutibus eripit, quæ materiale virtutum vitiorumque penitus confundit & permiſcet: quæ fortitudinis materiam, eandem eſſe cum materia religionis, obiectum materiale temperantiæ, nihil differre ab obiecto materiali deſperationis aſſeuerat. Poſt hæc à Theologo quæro, verè-ne dicant Theologi, virtutes Theologicas Deum proüt in ſe eſt, habere prò obiecto, & illa parte à cæteris virtutibus diſtare? eſt ergo illis aliud quam iſtis obiectum. Quæro verè-ne dicat B. Thomas multiplicandos eſſe virtutum habitus pro difficultatum ſuperandarum numero? ergo difficultatibus ſingulis ſua virtus, quaſi vir viro componitur. *Sicut*, inquit, *omnibus formis omnes materiæ; materijs omnibus omnes formæ.* Vide nobilem philoſophiæ contemptum. Materiam primam dicit omnis cum ſuo principe ſchola peripatetica, Materias Aurelius. Vnam diuerſis ſubeſſe formis profitentur philoſophi, plures pluribus Aurelius. Materiæ partem per ſe ſumptam, nihil habere quo ab alia parte præcisè item conſiderata diſtinguatur, agnoſcit philoſophia; ſignificat habere Petrus Aurelius, qui plures materias facit. Quemadmodum igitur quæ hominis forma modò ornatur materia, ſub informis colubrj forma deinde eſſe poteſt: ſic materiam manſuetudinis forma magnanimitatis: obiectum materiale ſpei, forma eutrapeliæ conueſtiri poſſe aſſerit doctor iſte nouitius. *Atque hæc*, inquit, *abſolutè ac per ſe loquendo vera ſunt.* Tibi tamen vni non creditur, ede à quo acceperis? *Auguſt. l. 4. contra Iulianum c. 3.* Iam diximus illo capite Gentilium virtutes à veris virtutibus proſcribi, quia licet aliqua bona faciant, benè non faciunt; quia *virtute ciuili non vera, ſed veroſimili dæmonibus vel humanæ gloriæ ſeruiunt; quia nec bonus facit, qui non bona voluntate facit.* Hæc vera & vna prælongi capitis doctrina eſt, in quo ſtupore omni dignum eſt, ſomniatum ab Aurelio S. Auguſtinum dicere *nullam omnino virtutem eſſe quæ vllum opus externum nominatim intueatur; externa opera tam omnium virtutum dici poſſe, quam nullius.* Quæ cum ſæpe doceri ab S. Auguſtino referat Aurelius, contendo ego nuſquam in toto Auguſtino quantus quantus eſt reperiri. Egregius autem ille locus hoc elogio clauditur. *Quod ſi aliter Ieſuitis loqui placeat, fidem facient peruagatæ multorum virorum opinioni, Moliniſtas eſſe ſobolem è ſucciſo antiquitùs Pelagij ſtipite fruticantem.* Non poterat apertius Pelagiani erroris ignorantiam profiteri. Quid enim iſta ad Pelagium? aut ſi quicquam Pelagianos tangunt, certè Aurelium; & in citato loco Iuliani, vocem Aureliano ſenſui admodum conformem videbis lector, ſi otium erit.

*Septima Aurelij propoſitio ridicula in vin. p. 284.*

*Theologia repugnat Aurelius.*

*Philoſophiā peripateticam violat.*

*Falſò citat Auguſtinū l. 4. contra Iul. c. 3.*

*Ridicula Aurelij oratio.*

Ego hic ſedeo fatigatus, neque plura perſequor, cum hæc ipſa cuipiam prolixa videri poſſint; neceſſariò tamen aduertenda, vt quilibet intelligat, nihil in iſtis libris habere Aurelium ex S. Auguſtino, vnde opprobria in Dei legem fulciat; omnia nos indidem habere vnde legis aduerſarium coarguamus; nihil ab aquila Doctorum accipere quo ſuas opinationes ſtabiliat;

multa nos hautire vnde illarum falſitatem demonſtremus. Et tamen poſt tot errotes, quotum à Theologis, à Patribus, à S. Auguſtino teuiricitur, audet ſctibete, *vt docent Patres, & omnes Theologi nrrunt.* Quod ſi tam paucis verbis vbi legem, caritatem,& vittutes tantùm dicis cauſa nominat, & κτ' συμβιβακῶς in cxemplum adducit, tam multa, tamque confidenter pcccat: qualem fore putas, cum incautis mentibus illudete, & ineruditos oculos vetborum præſtigijs fallere conabitur? Vides in hoc ſpecimine quid poſſim in cæteris ſi velim, quod velle nolo. Faciet hoc fortaſſe alius libetiore vel ſeculo, vel cœlo. Ego me non ptofiteot Hetculem, qui huic Augiæ ſeruiam. A lege igitur ad Euangelium tranſeo.

---

*VENTUM AD EVANGELICAM HIERARchiam, eiuſque cum Cæleſti & Legali ſimilitudo propoſita.*

## CAPVT IIII.

*Hierarchia Euangelica legali perfectior.*

REDIMVS è diuetticulo ad noſtræ diſputationis ſubiectum & cauſam, nouæ legis Hierarchiam; pto qua occupanda facimus inuicem anguſtias, neque dum anguſtantur vaſa carnis, dilatari ſinimus ſpatia caritatis. Aduenit igitur *in plenitudine temporis* Chriſtus *vt adimpleret omnia*: maximéque legem, quam vt dicebamus, *non venit ſoluere, ſed adimplere.* Pictoti ſimilis, vt eleganter Pachymetes, qui dum tabulæ vmbris viuos colotes imptimit, & eminentiam educit, imaginem non deſtruere, ſed petficere iure dicitut. Lex enim Chtiſti *viua & efficax, penetrabilior omni gladio ancipiti*, ad ipſum intellectum & voluntatem vi ſua pertingit, & Sactamentorum ſuorum virtute, fidei & caritatis habitum in nobis efficit. In ea non iam imaginariæ viſiones tantùm, ſed etiam intellectuales Hierarchis noſtris conceſſæ ſunt, vt Paulo in taptu, & Ioanni in Apocalypſeos reuelatione. Hanc Hugo de S.Victote cum ſola cœleſti comparatam, ait *Secundam primo, primam ſecundo loco imitari, & imaginem ſummam, & superexcellentem ſimilitudinem Trinitatis, per mediam Angelicam, participantiâ ſuſcipere.*

*Georg. Pachym. in c.5. Hier. Eccleſ.*

*Hugo Vict. l.1 c 3. in cœl.*

*Eius cum cæleſti, & legali ſimilitudo.*

Sed melius S.Dionyſius Cœleſtem ſimul & legalem complexus, noſtram eatenus vtriuſque participem facit, *quod media ſocietate quadam extrema comprehendat: cum illa quidem communes habens ſpirituales contemplationes: cum hac autem ſigna quæ ſenſum mouent, quorum etiam varietate diſtinguitur, & per ea ad Deum deducitur.* Nam cum mediæ cuiuſdam naturæ ſimus, intelligendi vi cum cœleſtibus ſubſtantijs, ſenſibus autem corpoteis cum btutis animantibus præditi; *non poteſt mens noſtra ad rerum cæleſtium materia expertem imitationem contemplationemque excitari, niſi rerum corporearum ſibi notarum præſidio vtatur.* Inde factum vt Theologia poëticis figmentis, & ſacris quibuſdam imaginibus mentes informes, & figuræ neſcias adumbrarit: alienis quidem à pulchettimis illis ſpiritibus, ſed ad noſtræ cognitionis vſum accommodatis. Itaque cum Hierarchia ſuperior, intelligentia; inferior autem & legalis, ſenſu comprehendatur, vt pote in ſimulacris & imaginibus conſtituta; mediam ſe infert Euangelica, & *ex ea ſpiritum, ex hac autem literam, id eſt, ſigna participat*; illa autem ſigna quid ſunt aliud quam Sacramenta, per tes ſenſibus obnoxias munus gratiæ ſalutaris

*[illegible]*

*Dionyſ. c. 5 Eccl.*

*Idem c.1. cœl.*

*c.2. cœl.*

*S. Max. in c 5. Eccl.*

ſalutaris efficientia? Quæ cauſa eſt cur Hierarchiæ Eccleſiaſticæ traditionem duas ſemper in partes diuidat Magiſter, Myſterium, id eſt, ſymbolorum & Sacramentorum enarrationem, & Theoriam, ſiue eorumdem ſignorum diuinam explicationem.

*Dionyſius tractationem Hier. Eccl. bifariã diuidit.*

Hinc facilè videas quam opportunè acciderit, ſummaque Dei ſapientia factum ſit, vt eam legem quæ talis eſſet, Chriſtus ipſe, non homo ſimpliciter, vt in natura, non Angelus, vt apud Iudæos, ſed Deus & homo ſimul ferret vt *ad Deum iter eſſet homini per Deum*, inquit S. Auguſtinus, *ſola eſt autem aduerſus omnes errores via munitiſſima, vt idem ipſe ſit Deus homo: quo itur Deus, qua itur homo.* Tali enim doctore qui viam Dei in veritate docet, quis errare poſſit in inuio, & non in via? Ipſe quidem eandem ob cauſam duobus vtitur adminiſtris, homine exterius verba, exempla, Sacramenta miniſtrante: Angelo vim imaginantem interius regente; ſed tamen vnus eſt magiſter noſter. Nam *Angeli à Deo accipiunt*, ait Hugo, *homines ab Angelis, & ipſi rurſum homines docti ab Angelis, alios homines docent, & venit doctrina veritatis per alios in alios, & videntur multi eſſe magiſtri & Doctores veritatis; & nemo tamen docetur, qui ab eius contemplatione non illuminatur. Alij magiſtri adhibent miniſterium; vnus Magiſter eſt qui præbet ſenſum.* Hæc Hierarchia, quæ Deum & hominem habet auctorem, Angelum & hominem miniſtrum; Deum Iter, Deum terminum, quæ poteſt excogitari perfectior? Quid nos igitur illam tot altercationibus dehoneſtamus? cur eam Grammatico penicillo turpificat Aurelius, doctrinam modò à nobis explicatam, imperito verborum genere deprauans?

*Chriſtus homo Deus Legiſlator.*
*Augu. l. 11. de ciu. c. 2.*
*Eius miniſtri homines & Angeli.*
*Hugo l. 9. in c. 13. cæl.*

Nam grauiter & ſocraticè aduerſarium admonet, *noſcat ſe, noſcat communem omnium ſtatum; ſciat Chriſtianorum in hac vita ſortem, nec totam Iudaicam, nec totam Cæleſtem eſſe poſſe: ſed ex vtraque conflatam, & vtriuſque mediam, vt docent Patres, & alibi latius exponetur.* Et ad marginem citatur *Dionyſ. c. 5. Eccleſ. Hierarch.* Faxit Deus vt quæ toto hoc libro polliceris, præſtes omnia diligenter! nemo tibi certiùs apertiuſque Catholici nominis ſpeciem detrahet, quam ipſe tu. Vis ex hoc loco iterum experiri? Si quidem Chriſtianorum *ſortem, legem, Hierarchiam ex Iudaica & cæleſti conflatam* affirmas, ede partes illas ex vtraque decerptas, quæ in tertiam quandam legem & Hierarchiam coaluerlnt. Nam vt aurum tibi & æs nomino, ex quibus conflatum eſt aurichalcum: vt terram & ſputum oſtendo, ex quibus lutum conficitur; vt elementa quatuor appello, quæ in corporum mixtorum compoſitionem veniunt; ſic è Cœleſti & Iudaïca Hierarchia partes deſumas oportet, quæ Hierarchiæ Chriſtianæ compoſitum efficiant. Age ergo, diuide cogitatione cœleſtem Hierarchiam duas in portiones, & alteram in cœlo relinque, alteram deduc in terras ad Hierarchiæ noſtræ fabricam. Scire equidem aueo quibus illæ nominibus indigitentur?

*Alius error Aurely circa legis Euangelica cum Moſaïca comparationem.*
*In vind. p. 619.*
*Hierarchia Euangelica non eſt conflata ex cæleſti.*

De Iudaïca peræque diſputo. *Non eſt*, inquis, *tota Iudaica.* Eſt igitur Iudaïca, licet non tota. Probari poſſes, Aureli, ſi legi Moſaïcæ ſatisfaceres, non de genio tuo. Nam cum illam omni antea contumelia peſſundederis, cum *legem mortis & damnationis*, Apoſtoli verbis, tuo ſenſu, *quantum in ſe eſt ad peccatum, ad mortem & damnationem, per ſe trahentem* appellaueris, nunc eam illi gloriam reſtituis, vt aliqua ſaltem ex parte legem Euangelicam conflare fatearis. Bifariam igitur legem diſſeca, & eam deſigna partem quæ cum cœleſti anonyma miſceatur. Cæremonialibus, inquies, & moralibus præceptis

*Neque ex Iudaïca.*

*Moralia præcepta omnibus legibus communia.* D. Th. 1. 2. q. 103. a. 3. ad 1. D. Leo ſer. 14. de Paſſ. c. 5.

continetur. Bene eſt. Vtram ergo partem Moſi ſoli, vtram præterea Chriſto aſſignas? Moralem arbitror: nam cæremonialem ceſſaſſe diffiteri non debes. At moralia præcepta æterna eſſe, nulli determinatæ lege addicta, ſed omnes peruagata, docent cum D. Thoma Theologi; vt eodem iure Euangelicam ex naturali, quemadmodum ex Moſaïca lege conflatam poſſis dicere. Imo ne id quidem: nam id à nulla lege mutuatur Euangelium, quod commune cum alijs, & aliquatenus præ alijs ſibi proprium habet. Recte enim D. Leo, *In præceptis moralibus, nulla prioris teſtamenti decreta reprobata, ſed Euangelico magiſterio multa ſunt aucta, vt perfectiora & lucidiora eſſent dantia ſalutem, quam promittentia Saluatorem.*

*Moralia præcepta à lege ad Euangelium traducta non vult Aurelius.*

Sed vt tuo te gladio iugulem, nego tuum hunc ſenſum eſſe poſſe, ſi vis ſtare in gradu: partem illam Iudaïcæ legis ex qua Chriſtiana conflata eſt, moralem eſſe pernego tuis in principijs. Ais in noua lege ineſſe aliquid quod abſit à vetere, quod ad *actiones ſummas, & onus grauiſſimum vires procuret neceſſarias.* Id profectò non eſt morum formandorum præceptum, quod neque per ſe abſque gratia, etiam in Euangelio, vires illas ſubminiſtrat: neque cum gratia in lege vetere deſideratum eſt. Aliud igitur quippiam requiris ἄφαντον, ἀνεφάνιστον, non minùs tibi quam omnibus ignotum & inuiſum.

*Male dicitur ab Aurelio lex Euangelica conflata ex Iudaïca.* D. Leo ſer. 13. de Paſſ. c. 2. Galat. c. 2. Epiph. hær. 28. 29. 30.

Denique cum legem Euangelicam aliqua ex parte Iudaïcam ita facis, vt conflatam ex Iudaïca exiſtimes, non ſentis repugnare te ante producto Leoni Papæ. *Nihil legalium inſtitutionum* (audis, excludit omnia) *nihil propheticarum reſedit figurarum, quod non totum in Chriſti Sacramenta tranſierit* (non permiſtione, ſed deſitione) *vt merito ceſſarint nuntij, poſtquam nunciata venerunt, nec vacuatur reuerentia promiſſionum* (vana & irrita redditur) *quia plenitudo manifeſtata eſt gratiarum.* Non vides incurrere tē in iracundiam Pauli rogantis, *Quomodo cogis gentes Iudaizare?* Non animaduertis tibi infenſum eſſe S. Epiphanium in Cerintho, in Nazarenis, in Ebione notantem adſcitos ab eis legis antiquæ ritus, & cum noua commixtos? Non vereris denique Antichriſti ſimilitudinem, præmonente S. Gregorio, *Peruenit ad me quoſdam peruerſi ſpiritus homines praua intra vos aliqua, & ſanctæ fidei aduerſa ſeminaſſe, ita vt die Sabbati aliquid operari prohiberent. Quos quid aliud niſi Antichriſti prædicatores dixerim? qui veniens diem Sabbatum atque dominicum faciet ab omni opere cuſtodiri.* Partem illam legis non vis fortaſſe retentam, Aureli, ſed conſeruatam tamen aliquam oportet, ſi Chriſtianorum religio *ex Iudaica conflata eſt.* At poſtquam *gratia omnipotentis Dei Domini noſtri Ieſu Chriſti apparuit, præcepta legis quæ per figuram dicta ſunt, iuxta literam ſeruari non poſſunt.*

*Ea eſt Antichriſti doctrina.* Greg. Reg. l. 11. ep. 3. Ind. 6.

*Aurelij ſententiam non tradit Dionyſius ab ipſo citatus.* Epitome c. 5 Ecc. Hierarchiæ.

Hoc tamen *docent Patres*, inquit Aurelius. Quid? Chriſtianam legem *ex Cæleſti & Iudaica conflatam, & vtriuſque mediam eſſe.* Qui hoc dicunt Patres, qui docent? an iſti modò producti? an illi ſuperiori diſputatione recitati? Non equidem, ſed S. Dionyſius. Videndum porro quid dicat S. Dionyſius. Docet laudato capite in omnibus Hierarchijs tria ſemper ſpectari oportere, Sacra ſeu myſteria, Initiantes, & Initiatos. In cœleſti quidem Deum percipi intellectuali & experte materiæ modo; hanc cognitionem haurire ſupremos ordines, & inferioribus elargiri. In legali autem imperfecta & puerili, conceſſam Dei cognitionem per ſigna corporea, & ſimulacra plurimum obſcura, & ab exemplaribus remota. Quam methodum à Moſe acceperunt Leuitici Pontifices, populoque tradiderunt. In Eccleſiaſtica maiorem ineſſe perfectionem,

ctionem, & ad Dei cultum medio inter vtramque modo perduci, vt quæ Cœleſti ſimilis ſit in cognitione ſpiritali, Moſaïcæ autem in ſignis quibuſdam aſpectabilibus. Ita S. Dionyſius eiuſque interpretes. Hic autem Eccleſiaſticam Hierarchiam *mediam vtriuſque* lego, *conflatam ex vtraque* non lego: niſi forte noua quædam Grammatica *ὁμωνυμίας* inter hæc reperit; vt cum Chriſtum meditamur pendentem medium latronum, intelligamus *conflatum ex latronibus*: cum Petrum dormientem inter duos milites legimus, *conflatum ex vtroque* dicamus: cum Hierarcham medium inter Deum & ſubditos ſuſpicimus, conflatum ex Deo & ſubditis arbitremur. Inter medium & extrema perpetua diſtinctio eſt: inter id quod conflatum eſt, & ea ex quibus conflatur nihil diuerſitatis intercedit, omnia inuicem permiſcentur. Si vis *conflatam ex vtraque* Hierarchiam noſtram, oportet illas ipſas Angelorum cognitiones ſpiritales, & illa ipſa Moſis ſimulacra, compingi ſimul, & in vnum corpus ab ſingulis diuerſum coaleſcere. Id tu non poſtulas vt arbitror, finge tamen perfectum. Quomodo partes illas conuenire dicis? Integras, impermixtas, vt lapidem lapidi adiunctum in ædificio? Sumus igitur vna parte purè cœleſtes, altera purè putè Iudæi: vt ſtatua Nabuchodonoſoris hinc aurea, inde ferrea. Mutatas mauis, & quadam velut refractione corruptas, quemadmodum elementa in mixtis corporibus Philoſophia coagmentat? Dic quid habeant commune *Cœleſtis & Iudaïca ſors*, ſicut ego qualitates eaſdem in elementis ſymbolis nominabo. Commune dico? imo quid non contrarium, cum ſpiritalis cognitio ſymbolicæ; intellectualis, ſenſitiuæ cognitioni penitus repugnet. Quomodo igitur partes illas intritas dicis, vt ex ijs *commixtum ænigma conficias*? *Ridicula Aurelij Grammatica.*

*Media* ergo *vtriuſque eſt* non commixtione, ſed imitatione; vtrique participat, non truncatis vtrinque partibus, ſed ſimilitudine: intelligentiam, non cœleſtem, ſed cœleſti ſimilem; ſigna ſenſibilia, non legalia, ſed legalibus ſimilia vſurpat. Similitudo autem pars non eſt è qua *conflari poßit*. Nam imago Cæſaris ad Cæſaris ſimilitudinem effingitur; ſed è tela & coloribus, non è Cæſare ipſo *conflatur*. Homo ad imaginem & ſimilitudinem Dei factus eſt; ſed non ex Deo ipſo *conflatus*. Niſi forte cum Philoſophorum deliris volumus hominem quemlibet Dei partem eſſe, vt cum puer vapulat, Dei partem vapulare doleamus, quod ridet S. Auguſtinus. Media eſt quia *ſecundam primo, primam ſecundo loco imitatur*, quantò hac imperfectior, tantò illa nobilior. Media eſt, quadantenus, vt virtus inter extrema, non ex illis *conflata*, ſed ab illis diuerſa. Quadantenus dixi, quia virtus vtroque extremo perfectior eſt, Hierarchia noſtra tantùm altero: virtus ad extrema non accedit, ſed à virtute recedunt vitia; Hierarchia noſtra quo paſſu recedit à legali, eodem accedit ad cœleſtem: virtuti cum vitijs nulla propriè ſimilitudo eſt, ſed eius mentita ſimilitudine tegunt ſe vitia & commendant: Hierarchia quantùm poteſt ad cœleſtis imaginem efformatur: nihil accipit virtus ab extremis; Hierarchia Eccleſiaſtica tota pendet à Cœleſti. *Quomodo lex Euangelica ſit media vtriuſque.*

Habes alium Aureli Patrem è veteribus, aut recentioribus qui veniat explicandus? Habes qui Hierarchiam Euangelicam ex Cœleſti & Iudaïca conflatam, non omni ex parte, ſed ex aliqua Cœleſtem & Iudaïcam eſſe dixerit? Quàm multa id genus tua dicta, tua promiſſa parturiunt? tam crebrò Patres,

tam ambitioſè Patres in textu, ad marginem, Græcè, Latinè Patres nominas, talium dogmatum aſſertores?

---

## HIERARCHIÆ EVANGELICÆ DEFINITIO *profertur & explicatur.*

## CAPVT V.

CAMPVM certaminis habere quàm notiſſimum, gradus ad victoriam eſt; ipſum autem ſibi diligere, aut in delectu opportunum reddere, paulum abeſt à victoria. Itaque cum in Hierarchia, & pro Hierarchia nouæ legis certandum ſit à nobis; vt olim ab Iſraëlitis pro Chananæorum regione: mittendi ſunt exploratores qui terram conſiderent, fauces recludant, aditus molliant, campos explicent. Ad id autem munus neminem video magis idoneum, quam duas Theologiæ adminiſtras Definitionem & Diuiſionem, quæ ſi ad Torrentem Borri peruenerint, non dubito quin pulcherrimos dulciſſimoſque fructus ſint allaturæ. Ordior igitur à definitione: non quod ignorem æquiuoca & analoga prius apud Ariſtotelem & Philoſophos diuidi, quàm definiantur: ſed quia video à pleriſque ante omnia quæ in diſceptationem veniunt, poſtulari definitionem; idque non parum luminis toti tractatui conciliare. Sed & hic repetendum eſt quod ante monuimus, germanam & ſuis numeris abſolutam Hierarchiæ, etiam Eccleſiaſticæ definitionem, fruſtra in S. Dionyſio, vno ſaltem loco requiri: cum ex dicendis probandiſque, in vnica eius ſpecie nobis exhibenda verſatus ſit. Hoc verò qui fecerunt, aut imperfectam ſcripſerunt Hierarchiam, aut eius diuiſionem cum definitione permiſcuerunt, à Logices elementis alieni; quod in Aurelio non arbitror animaduertendum, qui contemptum Ariſtotelis, & ignorantiam Philoſophiæ profitetur.

*Dionyſius accuratam Hierarchiæ definitionẽ non tradidit.*

*Definitio ab Franciſco Hallier excogitata reijcitur.* In vind. p. 375.

Vidit hoc, vt opinor, qui *per plures annos Philoſophiam profeſſus nouam è Analyſeos Logicæ Methodum* tradidit Franciſcus Hallier, & ex ea ſibi opportunam Hierarchiæ noſtræ deſcriptionem hanc concinnat, vt ſit, *Ordo ad æternam felicitatem inſtitutus:* eamque deinde ſic explicat, *Ordo, inquam, non agentium tantùm, verum etiam patientium: nec agentium & patientium ſolummodò, verùm etiam actionum quæ in eum finem diſponuntur. Nouam* profectò *methodum* eſſe oportet quæ ſic definire doceat. Nam cum de Hierarchia tractet Eccleſiaſtica, nihil affert quo eam ab Angelica & Legali diſtinguat: imo etiam prædeſtinationi conuenit, vt ſit Ordo ad æternam felicitatem inſtitutus. Singuli quoque Religioſarum familiarum ordines, nonne ſunt ad æternam felicitatem inſtituti? hoc igitur ſenſu, optimo iure non tàtùm de Hierarchia, ſed etiam Hierarchia ipſa, non minus quàm ea quæ definitur. Deeſt igitur aliqua differentiam explicans particula. Ordinis etiam noua eſt explicatio. Quis enim vnquam dixerit Hierarchiam (ſic enim in recto prædicatur) eſſe *actiones, aut ordinem actionum quæ in finem diſponuntur?* Et illud mirum eſt, in huius definitionis comprobationem aduocari à Doctore noſtro communis Magiſtri diuiſionem, tamquam facultatis in obiecti, de qua partes, nos ſuo ordine. Deinde non placet, quod ordinem hunc vult inferius eſſe *patientium & impetrantium*

D. Th. 1. p. q. 113. a. 1.

*rantium ordinationem.* Quia ambitioſum Principatus & Imperij vocabulum, vt à Diuina, & Angelica, ſic ab Eccleſiaſtica Hierarchia, ſaltem in aliquibus partibus, excludendum diſputo. Iuſtius Initiantes aut docentes dixiſſet, quàm Imperantes.

Halliet II. cit. p. 377.

Neque verò ſolus ego has in eum locum voces non admitto: cum eæ Guillelmo Pariſienſi notæ non ſint, Hierarchiam ita definienti. *Eſt diuinus Ordo, id eſt, diuinæ ordinationis, ſiue cœtus diuinitus aggregatus atque ordinatus ad obſequia ſeu officia Creatori placita, vel ab eodem impoſita.* Neque reſpondebit Theologus, cœleſtem ab Antiſtite definiri Hierarchiam, cum nos de Eccleſiaſtica quæramus. Nam cœleſtis illa eſt exemplar Eccleſiaſticæ, & ex huius poſtea ſimilitudine nobis cognita, illam vir magnus reddit notiorem. Verùm vt hoc demus aduerſario, præterita hac minùs explicata & aperta, propiùs S. Dionyſij mentem, & penè verba exprimendo, ſic controuerſiæ noſtræ materiam deſcribimus.

*Alia definitio, ſed non humanæ tantùm Hierarchiæ ex Guil. Pariſ.* Guil. Parl. 2 P. de vn. p. 2. c. 14.

Hierarchia Euangelica eſt Ordo ſacer, & ſcientia, & actio in lege noua, inſtituta à Chriſto, per eius imitationem, & præceptorum obſeruationem ad caritatem adducens, & ſecundum Hierarchicas actiones ſibi inditas, ad Dei ſimilitudinem pro rata & proportionaliter aſcendens. Generis locum primæ voces implent traditæ à S. Dionyſio, iam olim à nobis libro primo expoſitæ. In quibus tamen memoria ſtudioſè defigenda eſt, nemo vt ab ea excludatur qui ordinis ſacri, ſcientiæ, aut actionis item ſacræ particeps fuerit.

*Vera definitio traditur.*

Differentiæ initium ſic conſtituo, quod genus illud triceps à Chriſto in lege noua inſtitutum eſt. Neque enim aliæ Hierarchiæ auctorem, Hierarcham, & caput Chriſtum habuerunt, qui earum ſeculo non exiſtebat. Nimirum *lex per Moyſen data eſt; gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.* Et fortaſſe non inſcitè quis *veritatem* in *ſcientia* collocauerit: diuiſa bifariam *gratia*, in ſanctificantem, quæ ad ordinem; & gratuitam ſeu effectiuam ad agendum in alios, quæ ad actionem referatur. Sed hoc in coniectura eſt. Certè Chriſtus credentibus in ipſum via eſt per exemplum, veritas in doctrina & ſecundùm ſcientiam, vita ex actione, pro qua *venit vt vitam habeant, & abundantius habeant.* Et quod dixit S. Leo Papa, *via ſcilicet in forma conuerſationis iuſtæ; veritas in expectatione rei certæ; vita in perceptione felicitatis æternæ.*

*Differentia in definitione explicatur.* Ioan. c. 1. Ioan. c. 10. D. Leo ſer. 18. de paſſ.

Notus Hierarchiæ finis Dei cognitio, amor, ſimilitudo, noſtra ſanctificatio, & ſalus. Eius acquirendi proprium medium eſt, quaſi duplex. Hinc Chriſti ipſius imitatio: *Nobis enim,* ait S. Dionyſius; *ſi eius ſocietatis cupiditate ducimur, diuinam vitam, quam vt homo egit, proponere debemus, & eius in non peccando imitatione ad diuinum integrumque ſtatum ſurſum currere.* Inde diuinorum obſeruatio mandatorum: nam *Dei ſimilitudinem, ac cum eo coniunctionem, vt diuina ſcripta tradunt, auguſtiſſimorum præceptorum amore, atque effectione ſolum conſequemur.* His tertium ſi vis accedet medium, vt viuificæ eius actiones, & ab eo inſtituta ſacramenta, & gratiæ gratuitæ in hunc finem conceſſæ, ad curandam aliorum perfectionem exerceantur. Nam *Ieſus ipſe omnis Hierarchiæ tum ſanctitatis, tum diuinæ actionis principium; dat habitum & efficatiam gratiæ Sacerdotibus dignam, vt conſecrari & conſecrare, illuſtrari & illuſtrare, perfici & perficere poſſimus.* Sic enimuero *ab omnipotenti medico duplex nobis remedium præpa-*

*Hierarchiæ finis & media.* Dionyſ. c. 3. Eccl. id contempl. Ibid. c. 2. Ibid. c. 1. S. Leo ſer. 16. de paſſ. c. 5.

*ratum eſt, cuius aliud eſt in ſacramento, aliud in exemplo; vt per vnum conferantur diuina, per aliud erigantur humana.*

*Vltima pars definitionis exponitur.* Has actiones Hierarchicas, Sacramenta, exempla, conſecrationem, recipiunt omnes, etiam Hierarchæ, ab his alij. Diuinas autem illuſtrationes, nonnunquam immediatè à Deo, & Angelo, nonnunquam Hierarchæ ijdem modis alijs humanis: inferiores autem ab illis, vel illorum auctoritate. *Hierarcha ipſa prior perficitur.* Ita demum, vt ſecundùm actiones illas ſibi inditas *ipſe Pontifex pro ſua natura, modo, & ordine in diuinis rebus perficitur, atque diuinitatem conſequatur, ſubditiſque ſuis diuinam ſimilitudinem pro ſua cuique dignitate impertiat. Et inferiores tum ſuperiores imitentur, tum ſubiectos ſibi ad maiora excitent, tum ipſi progreſſum faciant, tum pro virili alijs ſe duces præbeant:* (Dionyſ. c. 2. Eccleſ.) omneſque tandem proportionaliter ad auguſtam illam dignitatem euehantur, vt *qualis eſt cœleſtis, tales ſint & cœleſtes; & ſicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœleſtis*; (1. Cor. 15.) de qua nonnihil etiam inferius dicetur.

Hæc eſt à nobis ſecundùm S. Dionyſij doctrinam propoſita generalis Euangelicæ Hierarchiæ definitio, quam ad *Nouæ ſuæ methodi dioptram* exiget Doctor Hallier. Quamcunque autem aut hic ſuam interpolando, aut Aurelius, aut qui aduerſariorum alij nouam procudendo afferent, hoc notare te velim, Lector, vnam tantùm earum complexuram ſpecierum quas infra recenſebimus, & eam pro communiſſima & receptiſſima, pro ſola & adæquata inaniter oſtentandam.

---

*HIERARCHICORUM IN ECCLESIA actuum fontes ex S. Dionyſij doctrina recluduntur.*

## CAPVT VI.

*Ordo Hierarchicorum actuū apud Dionyſ. c. 2. Eccleſ.* ERVDITOS ad S. Dionyſium oculos qui adferunt, ad illuminationem ſolam, ſiue Baptiſmum pertinere non putant, quæ eius expoſitioni, tanquam neceſſaria præponit. Nam poſtquam repetiit Hierarchiæ noſtræ finem eſſe ſimilitudinem & coniunctionem cum Deo, præceptorum eius obſeruatione, & caritate conſtantem: explicat quodnam ſit principium vitalis illius mandatorum obſeruationis: ſeu quibus præſidijs ad illam caritatem mandatorum diuinorum operatricem deueniamus. Triplex autem aſſignat, hominum more, apud quos eſſe prius eſt, quam operari. Infimum, id quod nobis ſanctam generationem impartitur: quæ eſt *ἁγιάστεια* & Purgatio per lauacrum regenerationis. Medium, id quod viam ſternit ad aſcenſum ſupernaturalis, imo ſupercœleſtis conuerſationis: quod nihil aliud eſt quàm *θεουργία* & Illuminatio, de qua Rex vates *Declaratio ſermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis.* (Pſal. 118.) Summum denique, illud quod animos noſtros ad diuina verba & Sacramenta quam aptiſſimè ſuſcipienda conformat: hæc verò eſt *ἱεραρχία*, & perfecta expolitio. A prima Chriſtiani naturam accipimus: altera rationem inſtruit: tertia conſuetudinem corroborat, & facilem reddit operationem. Quod idcirco à me additur, vt S. Dionyſij doctrinæ, lucem ex Ariſtotele afferam.

Docet

Docet enim Philoſophus tribus omnino rebus hominem fieri bonum: natura, conſuetudine, ratione. *Tribus rebus homo fit bonus ex Ariſt. l. 7. Polit. c. 13.* Et finis quidem noſter à natura non eſt, ſed habet tamen aliquod in nobis principium. Quis enim ad Deum diligendum aſcendat ſine caritate? quis in Deum credat ſine fide? Sint igitur habitus illi quaſi quædam natura Chriſtiani. Conſuetudinem autem exercendis religionis noſtræ actibus comparamus. Rationem verò ſequimur à diuinis Doctoribus nobis expoſitam, quæ animum corpuſque noſtrum *rationabili Dei obſequio* mancipandum perſuadet. Eſt ergo triplex Hierarchiæ munus, *Triplex Hierarchiæ munus.* quo Hierarchica omnis actio refertur. Primum ſanctificare, ſiue dare naturam illam ſanctam, id eſt, participationem diuinæ naturæ ſecundùm gratiam. Alterum procurare conſuetudinem; quod fit ab imperante; inſtituente, vitam moderante. Tertium ratione agere: quod ab docente fit, & diuinitus inditas illuſtrationes ſine inuidia communicante. Quæ omnia tractatui Dionyſiaco ſi accommodauero, diceſ-ne, Lector, ἀπροσδιόνυσον; In eo enim *Dionyſii tractatus commodè colliguntur.* video tria tantùm Sacramenta, Baptiſmum vitæ illius diuinæ datorem; Confirmationem retinendæ conſuetudinis etiam inter pericula monitricem: Synaxin, rationis cum prima bonitatis caritatiſque origine coniunctricem. Simul hoc ex abundanti deprehendo; cum ſingulis iſtis ſuum illuminandi munus conueniat, ſed perfectius perfectiuſque ſemper aſcendendo; vni tamẽ Baptiſmo datum ab Hierarchis noſtris illuſtrationis & τοῦ φωτίσματος nomen; eo modo quo in Diuina Hierarchia tertiam Perſonam Spiritum Sanctum, in Angelicarum ſuprema Thronos, in infima Angelos appellari monebamus.

---

*HIERARCHIÆ DIVISIONI PRÆMITTITUR aliquorum, hac in materia perturbationem inferentium terminorum, breuis & neceſſaria explicatio.*

## CAPVT VII.

VBICVNQVE facilis prolapſus eſt, cautio & diligentia requiritur. Id ſtudioſè obſeruant Theologi in myſterijs SS. Trinitatis & Incarnationis: in Elenchis Philoſophi. Neque deſunt in ea quam manibus verſamus materia, cautes & ſaxa ad quæ allidamus. Illa, audacter dico, ſi vitaſſent aduerſarij, næ verum legitimumque portum felicius attigiſſent.

Hierarchia & Eccleſia ſint-ne vnum & idem, ex hoc ipſo libro, modò perdiſces. *Quædam ante l. 1. explicata.* Eſſe in Hierarchia, & de Hierarchia non differre: Hierarchæ nomen ſoli Pontifici vt cauſæ primariæ relinquendum eſſe; Hierarchicam actionem eam dici maximè quæ ab Epiſcopo ſolo, ſecundo loco eam quæ ab inferioribus eius auctoritate fiat, ex libro primo non eſt repetendum. In quo & ea quæ aduerſus Theologum Hallier diſputauimus de vocabulis Propriè, Impropriè, Perfectè; Imperfectè, repetes Lector, & memineris etiam Propriè aliquid eſſe tale, quod ſit tantùm Imperfectè tale; quæ eſt analogorum natura. Eſt enim vermis & muſca ens tam

propriè quàm homo, ſed non tam perfectè; & prima tonſura ſolùm initiatus, propriè clericus eſt, non minus quàm Sacerdos, ſed minus perfectè.

*Actus & aptitudo diverſa.* Aurel in vind. p. 20.

De actu & aptitudine *argutatio puerilis ex minutiarum ſcholarium puluere* bona Aurelij venia huc inferetur, vt recordemur aliquid eſſe actu ſimpliciter ſale, aliquid tantùm potentia. Et hanc potentiam duplicem eſſe, remotam, & proximam. In remota intercedere adhuc nonnunquam impedimentum aliunde tollendum: aliquando nullum quidem ſupereſſe, verum longè adhuc poſitas eas diſpoſitiones quæ formam aut præcedere, aut comitari conſueuerunt: & tunc quaſi negatiuè diſpoſitum eſt ſubiectum. In proxima verò nullum vnquam reperiri obſtaculum, ſed poſitiuè diſpoſitum eſſe ſubiectum ad id ſuſcipiendum quod immittitur. Exemplum pono in re noſtra. Qui matrimonij iugum adhuc cum vxore trahit, is non cenſetur eſſe in potentia ad Eccleſiaſticos ordines & honores. Qui verò vxorem compoſuit felicem, in ea potentia videtur eſſe, quæ tamen alijs obicibus retardatur. Primam ergo tonſuram accipiat; iam omnia ſeculi remouerit impediméta, ſed tamen in remota adhuc conſtitutus erit potentia, & tantùm negatiuè diſpoſitus; quia vt nihil habebit quo prohibeatur, ſic nihil quo proximè perfectionem attingat. Itaque ad Lectorum, Acolythorum, Subdiaconorum gradus conſcendat; nonne poſitiuè partem aliquam ordinis Hierarchici exercebit, magis magiſque idoneus ad ſuperiores capeſſendos? Erit igitur in Diaconatu proximè ad Sacerdotium diſpoſitus: actu Sacerdos cum erit, tum omnis potentia & aptitudo ceſſabit.

*Potentia & Poteſtas.*

Hinc & intelligis aliud eſſe Poteſtatem, aliud Potentiam, Si quidem in ijs qui ſunt in actu conſtituti Poteſtas reperitur, non Potentia. Nam ordo definitur Sacramentum quo ſpiritalis poteſtas datur ordinatis, & officium. Semper igitur cum ordine coniuncta eſt, & vim efficiendi dicit, ſeu virtutem effectiuam. Non tamen requirit actualem effectum, aut aliquem ſubditum in quem vim illam exerceat, modo materiam habeat ſubiectam.

*Officium diſtinctum à poteſtate.*

Officium autem ſeu munus, ab ea diſtinguitur, vt quod ſuperadijciat requiſita omnia, vt ea virtus in actionem prorumpat: vnde ab *efficiendo* appellari volunt, quaſi *efficium*. Differre autem à Poteſtate vel hinc animaduertes, quod Sacerdos ab officio ſui ordinis ſuſpendi poteſt, eoque priuari; cui tamen poteſtas ſalua permaneat. Et in iure, Diaconus *qui eſt in dignitate, hoc eſt officio quolibet Eccleſiaſtico*, ab eo diſtinguitur qui eſt ſolùm Diaconus. Hic ergo poteſtatem habet, ille præterea officium. Quare diligenter obſeruabis aliud eſſe habere virtutem, ſeu poteſtatem illuminandi & purgandi; aliud officium habere. Eſt enim in altero primus tantùm actus, in altero quaſi ſecundus: vel ſi philoſophari mauis, Poteſtas eſt vt calefactiuum iam connotans mobile ſuum in quod agat.

c. Præcipimus. Diſt. 93.

*Iuriſdictio.*

Iuriſdictio verò plus aliquid dicit. Non enim omne officium coniunctam habet Iuriſdictionem, ſed omnis Iuriſdictio officium, & poteſtatem. Ea & ſubditos requirit; & imperat, cogitque, ſeu ius priuatum dicat per iudicium, præceptum, & priuilegium; ſeu publicum per leges toti communitati propoſitas ad obſeruandum, Et Iudex quidem priuata litigia ſic dirimit, vt non tantùm declaret, quid quiſque iuris habeat, quod poteſt arbiter, aut quilibet Iuriſperitus, ſine vlla auctoritate publica: ſed etiam obliget ſubditum & compellat vt ſuæ ſententiæ acquieſcat, niſi forte ad ſuperiorem appellet.

Auctoritas

Auctotitas autem duplex eſt, alteta cum imperio & Iuriſdictione con- *Auctoritas duplex.*
iuncta: vt in Principe ciuitatis qui ius publicum facit, & leges ſcribit, in quo ſuptema in omnes auctoritas reſidet. Altera non ex Iuriſdictione, ſed ex quadam excellentia profecta, qualis virorum grauium & ſapientium; quorum teſponſa pro oraculis, facta pro exemplis ſic habemus, vt ea tamen nullam parendi neceſſitatem inducant. Sic in Senatu Romano ſententiæ auctor dicebatur, in cuius opinionem Senatuſconſultum ſctibebatut. Sic in diuinis ſine imperio ex ſolo originis ordine Patri auctoritatem dat S. Epiphanius, cumque Filij & Spiritus Sancti principium & auctorem appellat Hugo Vi- Hugo in
ctorinus. Cui quidem auctoritati non obedientia, ſed obſeruantia defertur; ep. ad Rom. q. 282.
quam deberi pronunciat D. Thomas etiam *ijs quibus non ſumus ſubiecti*, idque D. Th. 2. 2.
*ratione ſublimioris gradus*, quod *morale debitum eſt*. q. 102. a. 2. ad 2.

Ad hoc autem vt aliquis in ordine ſacto, vel auctoritate ſacra conſtitu- *Auctoritas*
tus cenſeatut, neceſſarium eſt vt illa ordinatio, & deſtinatio fiat auctoritate *ſacra determinatur ab*
Eccleſiæ ab Epiſcopo ſeu mediatè, ſeu immediatè. Nam Epiſcopus ſolus, vt *Hierarcha.*
Princeps, dicitur ordinare Eccleſiam, ad quam ne acceſſus quidem per Baptiſmum datur, niſi Epiſcopi auctoritate. Itaque qui ſeipſum deſtinat ad officia Eccleſiaſtica, non ideo in ordine ſacro eſſe dicendus eſt. Quemadmodum vt quis in ciuitatem cenſeatur adſcriptus, nuda eius voluntas non ſufficit, ſed ad Reip. aut Principis conſenſum recurrendum eſt, per quem Principi coniungatur, vt eius quem apperit ordinis principio. Atque hic conſenſus plus etiam neceſſarius eſt, quàm illius qui ſeipſum applicat & exhibet voluntas, cum baptizantis, non etiam baptizati requiratur intentio: & ſi qui puer infans ad ſacros ordines admitteretur ab Epiſcopo, idque per canones liceret, verè ordinatus diceretur, quia eum ſibi Princeps non repugnantem adiunxiſſet.

Poteſtas denique ordinis, à Iuriſdictionis poteſtate plurimùm diſtat; tum *Poteſtas iu-*
obiecto, altera enim corpus Chriſti motale, altera phyſicum tractat: tum *riſdictionis*
agendi modo, cum altera cogat, & terreat, altera nullum gerat imperium: *& Ordinis.*
tum denique ſubiecto, cum nemo non videat ordine in aliquem collato, non ſtatim totam eam conferri iuriſdictionem, quæ cum illo coniungi poſſit. Atque hoc quod vltro concedimus & profitemur, illud pene vnum eſt quod totis viribus aduerſarij contendunt aduerſus Religioſos: ne qui eis Diaconatus, aut Sacerdotij ordinem confert Epiſcopus, eadem manu & opera iuriſdictionem tradere dicatur. Id enim ſi fieret, nihil ſupereſſet Aurelio & Hallier quo Religioſos, ſaltem ordinatos, Hierarchiæ Eccleſiaſticæ finibus pellerent. Iuriſdictionem etiam ſine ordine in Epiſcopis nondum conſecratis, in Parochis nondum ordinatis, quotidie videmus, vt putidæ diligentiæ ſit plura in eam rem argumenta conquirere.

## *IVRISDICTIONIS POTESTATEM AB ORDINE ſeparari poſſe aduerſus Petrum Aurelium demonſtratur.*

## CAPVT VIII.

*Aurelij ſententia proponitur in vind. p. 184. & ſeq.*

ANIMO tamen meo temperare non poſſum, quin Aurelianam hoc loco amplificationem paucis perſtringam; quæ commodiſſimè incipit ab illis verbis *Næ tu nugator es, & nugas tuas malè vendit as.* In ea poteſtatem Ordinis, & poteſtatem Iuriſdictionis diuidere, ait eſſe *diuiſionem & dilacerationem Epiſcopalis dignitatis, quam diuidere nefas eſt, & eius naturæ repugnat*, adeo quidem vt eas partes *diſcindere, nihil aliud ſit quam violare naturam à Chriſto conditam, & in ipſomet quodam modo Eccleſiæ capite proprium ſchiſma conflare.* Grandia verba; ſi quid ſit ſchiſma noſſet Grammaticus! ſi Theologis non liceret animo & cogitatione res arctius inter ſe coniunctas ſeparare, cum ſingularum naturam & vires ſeorſim conſiderant: ſi naturam à Chriſto conditam potius violarent in ſcholis Doctores, quàm qui diuiſionem illam reapſe faciunt, aut ſuſcipiunt in communi vitâ & agendi ratione. Quos enim tot conuicijs impetit, Theologos Scholaſticos, hoc eſt, innocenter diſputantes, an Illuſtriſſimos viros, cum illa poteſtatis vtriuſque diuiſione in Eccleſia degentes?

*Contumelia Aurelij in quoſdam Hierarchas.*

Sed quàm contumelioſus eſt in Eminentiſſimam poteſtatem, cum Epiſcopos Iuriſdictione, non Ordine præditos, cum embryone comparat, & primis tabulæ lineamentis? Quales igitur erunt Epiſcopi, Ordine quidem Epiſcopali, ſed non amplius Iuriſdictione inſignes? Cadauera puto Epiſcoporum; vt qui altera ſui parte mortui ſint. Erunt igitur modò; abſit verbo inuidia, Eminentiſſimi penè omnes, quotquot Gallia veneratur Cardinales, Epiſcoporum vel cadauera vel embryones. Sic Illuſtriſſimus Andreas Fremiotus Archiepiſcopi Bituricenſis, & Illuſtriſſimus Ioannes Petrus Camus librorum copia, & ingenij fœcunditate notiſſimus Bellicenſis Epiſcopi erunt cadauera: vt alij quidam Epiſcopatus titulo & Iuriſdictione nobiles, iuſtiſſimis de cauſis nondum Hierarchico vnguine delibuti, dicendi erunt Epiſcoporum embryones. O vitum impotentis maledicentiæ! ô cæcam conuiciandi libidinem, cui nihil ſanctum, nihil ſacrum eſt, ne ipſa quidem & regni & Eccleſiæ capita, ſeculi noſtri decora, ingenij, doctrinæ ſapientiæ apices, quos in cadauera & embryones deformat imprudentiſſimus calumniator.

*Iiſdem peccati conſcientiam obijcit.*

Quid de ea dicam indignitate, quod ſus mineruam docere audet, & iis qui certas ob cauſas Epiſcopalem Iuriſdictionem conſeruant, ordinem differunt, violati iuris diuini, & contractæ apud Deum culpæ conſcientiam inijcit, & ipſis & cæteris Doctoribus ſapientior, qui vel eos pœnitentiæ Sacramento expiant, vel domi foriſque aſſiduè cum eis verſantur? Adeo cæcus eſt in hoc homine lædendorum Ieſuitarum ardor, vt in quoſlibet alios per eorum nomen bacchari ſe poſſe arbitretur!

*Falsò citat D. Leon. p. 189.*

Poſt illa non queror huius poſtremi dicti falsò prolatos ad marginem teſtes duos, S. Leonem, & Concilium Aurelianenſe. Ille namque iuris diuini, aut peccati mortiferi hac in materia, nullo penitus modo meminit. Epiſtola

ſi quidem

ſiquidem citata 84. c. 6. iubet hoc ſolùm, vt poſt electum Cleri plebiſque conſenſu Epiſcopum, Metropolitani *auctoritas nihil mora aut difficultatis afferat: vtque iuſtæ electiones nullis dilationibus fatigentur.* Concilium autem Aurelianenſe 4. c. 5. ſi propriè loqui volumus non de Electi conſecrationis tempore, ſed de loco agit, *vt Epiſcopus in ſua Eccleſia, aut ſi neceſſitas temporis hoc implere non patitur, certè intra Prouinciam ordinetur.* Illud, *ſubitò* interpretatur Grammaticus, ius diuinum; & niſi fiat, *crimen*, adeoque perpetuum damnationis ſtatum. Et quoniam in detegendis citationum impoſturis neceſſitate orationis verſamur, paulò poſt, vt probet *culpa apud Deum non vacare, qui conſecrationem ſine neceſſitate quocunque tempore diſtulerit, licet hoc indultum ſit Eccleſiæ diſciplina relaxata.* Profert in primis Concilij Laodiceni Canonem 12. in quo huius rei ne per vmbram quidem fit mentio: cauetur ſolum, vt *Epiſcopi Metropolitanorum iudicio in magiſtratu conſtituantur diu examinati.* Deinde Concilij Nicæni primi *Canonem* 4. quo iubetur Epiſcopus à tribus Ordinari cum Metropolitani conſenſu. 3. Eiuſdem Nicæni *Can. 6.* in quo qui abſque Metropolitani ſententia factus fuerit Epiſcopus, vitio creatum Synodus magna definit. De maturanda autem conſecratione, de relaxando temporis interuallo, de iure diuino, de culpa apud Deum, ne apex quidem tenuiſſimus: vt iam Theologum Aurelium pudere debeat, hæc ſuggeſſiſſe Grammatico, & vtrumque noſtris oculis illudere conari.

Et Concil. Aurel. 4. c. 5.
Et Concil. Laodic. p. 191.
Et Nicæn. 2. duplici canone.

Sed in hac tota diſputatione ne mediocrem quidem Theologum ſe exhibet, maximè cum hanc eſſe vtriuſque poteſtatis naturam aſſerit, vt ſeiungi non poſſint. Nam quæ ſunt natura coniuncta, ſola cogitatione ſeparantur, reipſa nunquam, vtriuſque rei ſingulariter ſpectatæ ſeruata eſſentia: quod tamen in duplici hac poteſtate fieri modò, & ab antiquo factum fuiſſe cernimus. Apoſtolos enim ſine plebe Epiſcopos, ſequente libro videbimus. *Epiſcopum vacantem, qui in ſedem vacantem irruat* legimus in Concilio Antiocheno; & S. Gregorium Nazianzenum in agro paterno poſt dimiſſum Conſtantinopoleos & Sazymorum Epiſcopatum conſeneſcentem, Græca nobis tradit hiſtoria. Omitto dicere de vagabundis quibuſdam, & *ignotis Epiſcopis* qui in Rauennate Concilio reprobantur, & *de Epiſcopis vagantibus qui parochias non habent*; quorum conſecratio licet ignota, non tamen à Concilio Vernenſi cenſetur eſſe irrita. Superiora mihi ſufficiunt exempla, vt probem iam olim factum etiam à ſanctis viris, quod ſine piaculo fieri poſſe negat Petrus Aurelius, vt quis Epiſcopatûs Ordinem & characterem gerat, qui tamen Iuriſdictione careat. Quod & Innocentius III. doctiſſimus Pontifex apertè profitetur, *cum quis* (inquiens) *Epiſcopali præditus dignitate, nullius tamen Eccleſiæ poſſit eſſe Epiſcopus: quemadmodum de illo contingit, qui oneri Pontificali renunciat, non honori.* Neque deſunt quibus fieri poſſe videatur, vt Pontificis Romani auctoritate Epiſcopus aliquis ſine Diœceſi, ſine titulo conſecretur. Nam ſi Epiſcopalis Iuriſdictio reperiri poteſt ſine Ordine, cur non & Ordo ſine Iuriſdictione? Atque id reipſa factum à Conſtantino Papa in Vrſmari conſecratione, ſolerter admonet Andreas Sauſſayus in opere nunquam ſatis laudando.

*Falsò vtramque poteſtatem ſeiungi poſſe negat.*
Ἐπίσκοπον σχολάζοντα ἐπὶ σχολάζουσαν ἐκκλησίαν ἑαυτὸν ἐπιρρίψας
Conc. Ant. 1. can. 16.
Con. Rau. 2. rubr. 24.
Con. Vern. can. 13.
*c. inter corporalia. de tranſlat. Epiſc.*
*Hoſtienſ. & Abbas in c. cit.*
Sauſſay. in Martyr. Gallic. ad 28. April.

Quæ cum ſole clariora ſint, & ſuperfluè tot paginis, tanquam plauſtris quibuſdam, aduehantur conuicia, & exaggerationes plena manu ſpargendæ in homines doctrina ſapientiaque præſtantes, qui vel Epiſcopali Iuriſdi-

*Error Petri Aurelij de ordine Epiſcopali ſine*

*Iuriſdictione.* ctione præditi ſunt ſine ordine, vel ordinem cum exuere non poſſint, Iuriſdictionem tamen abdicarunt: ſi quid probabilius ſcribere volebat Aurelius, non debuit negare naturam poſſe diuidi, ſed perfectionem vtriuſque ſtatus. Fateor enim poteſtatem Iuriſdictionis non benè incomitatam procedere, & ab Ordinis poteſtate, non niſi repugnantem diuelli: ſed diuelli tamen & ſolitariam conſiſtere. Quid eſt autem quod noſter idem Aurelius nouitia opinione, & omnium Chriſtianorum vſui repugnante, docet in Epiſcopo ſemel conſecrato, ſi iuriſdictione cedat, Ordinis poteſtatem *non magis agnoſci ab Eccleſia, quam ſi reuera nulla eſſet; ſed omnem eius memoriam rationemque ita abijcere, quaſi nunquam fuiſſet?* Viderit Eminentiſſimus Cardinalis Richelius, quem honoris cauſa nomino, ſit-ne conceſſurus Aurelio, ſi ſacrum fecerit, illud non magis agnoſci ab Eccleſia, quàm ſi reuera nullum faceret. Viderit Illuſtriſſimus Bellicenſis olim Epiſcopus, an & cur, Aurelij iudicio, *abiectus ſit ex Eccleſia memoria quaſi nunquam fuiſſet*. Quid? conferre adhuc Ordines, chriſma conficere, ſacrare altaria non poſſunt? Vt omittam quod verè, licet ridicula contradictione, alibi probat idem Aurelius, in ijs ſupereſſe Iuriſdictionis aliquid, quia poſſunt in Concilijs ſedere. (Aurel. p. 193.) Hoc-ne eſt ſacræ poteſtatis iura defendere? Hoc Ordinem Hierarchicum ab Ieſuitarum, ſiue Loëmelij iniurijs tutum præſtare? Tanti erat ſatiricam amplificationem paginis ſexdecim ſtringere in Ieſuitas, vt Eccleſiæ capita ſimul attereres? vt ad ſingula verba contumelioſiſſimè peccares? vt ne limbo quidem & margini grandis tui voluminis parceres, quin & ignorantiam tuam, & impoſturas palam omnibus oſtentares? Sed his abſtineo; Aurelius fieri nolo.

---

## *HIERARCHIÆ DIVISIO VT FAcultatis in partes obiecti.*

## CAPVT IX.

*Hierarchiæ diuiſio ex Dionyſ. c. 5 Eccleſ. S Max. in eum locũ.*

FREQVENTISSIMA eſt apud S. Dionyſium Hierarchiæ diuiſio tres in partes, in diuina myſteria, ſeu ſacra; in eos qui illa tenent, enunciantque alijs; in eos qui ab illis initiantur. Siue vt breuiùs S. Maximus ſcholiaſtes, in ſacram ſcientiam, & magiſtros, & diſcipulos. Qua in partitione tria mihi occurrunt obſeruatione digna.

*Hierarchias creatas complectitur.*

I. Communem eſſe Hierarchijs creatis, tum Angelorum, tum hominum. Sic expreſsè S. Dionyſius. *Eſt quidem Hierarchia omnis, omnis ratio ſacrorum quæ ſubiecta ſunt, vniuerſaque ſacrorum huius vel illius Hierarchiæ ſumma.* Angelicæ videlicet, vel humanæ. Et ſtatim, *Qui Hierarchiam dixit, omnium ſimul ſacrorum dixit diſpoſitionem.* Non debuit addere interpres *ſacrorum ordinum*, cum à Græco ea vox abſit. Neque enim tantùm ordinum & graduum: ſed præterea eorum omnium, quæ ad Hierarchiæ ſcientiam pertinent ſumma eſt, & complexio. (*Ἁπάντων ὁμοῦ συλλήβδην τῶν ἱερῶν διακόσμησιν.* c. 1. Eccleſ.)

*Eſt diuiſio vt ſcientia in obiecta. Scopus libri S. Dio. de Eccleſ.*

II. Eſſe diuiſionem hanc quaſi ſcientiæ & facultatis in obiecta ſua. Quod & ex S. Dionyſio habemus, cum ait Hierarcham eſſe diuinum quendam hominem, omni ſacra ſcientia præditum. Et verò ſi libri Dionyſiaci methodus, & finis attentius inueſtigatur, id tantùm agere in eo deprehendetur, vt explicet,

explicet myſteria Baptiſmi, Synaxeos, Chriſmatis; Miniſtrorum ſacrorum, ipſiuſque Hierarchæ conſecrationem: & ordines Initiandorum, præcipueque Monachorum, cum ritibus qui Mortuis impenduntur. Hæc omnia docet Hierarcham, vt Hippocrates & Galenus medicum, Codex Iuſtinianæus Iuriſconſultum: facturus eum tandem in Hierarchiæ ſciëntia Doctorem, qui illa perfectè animo comprehenſa habebit.

III. Iſtud ipſum de Hierarchiæ vt facultatis in obiecti partes diuiſione ab Aurelio Theologo fuiſſe animaduerſum: ſed malè ab Aurelio Grammatico reprehendi Loëmelium, quaſi voluerit eam eſſe diuiſionem totius in partes, & è Myſterijs ordinem vnum, non minus quàm è tradentibus percipientibuſque, confecerit. Quod inauditum, & vel cogitatu abſurdum cum eſſe videat Aurelius; affingere non debuit Loëmelio, ſi calumniæ notam volebat effugere. Nihil enim dicit aliud Loëmelius, quàm *à Dionyſio c. 5. Eccleſiaſticam Hierarchiam trifariam diuidi, in ſacra quæ à Pontificibus exercentur, in miniſtros, in eos qui initiantur.* Deinde addit *Tertiam Hierarchiam*, nempe initiandorum, *in tres ordines diuidi.* Non quod tres in priori diſtributione voluerit eſſe Hierarchias, ſed quod ab huius controuerſiæ tractatoribus nonnullis, pars illa Hierarchiæ quæ tantùm patitur & recipit actus Hierarchicos, tertia Hierarchia, ſeu Hierarchia Hierarchizata appelletur. Ex quo conficere vult efficaciter, extremum ſaltem hunc patientium gradum, qui eſt in Hierarchia, Monachis non eſſe denegandum.

*Defenditur Loëmelium aduerſus Aurelij calumniam. p. 452.*

---

## *HIERARCHIÆ DIVISIO VT GENERIS IN ſpecies, quarum prior auctoritate probatur.*

## CAPVT X.

HINC Euangelicam Hierarchiam ſpectare incipio, vt totum aliquod ſuis partibus adornandum. Itaque capaciſſimam eius ſignificationem diſtribuo in Hierarchiam latè, & Hierarchiam ſtrictius ſumptam: illâ Chriſtianos omnes; hâc ſelectos ex ijs aliquos contineri volo: illam cum Eccleſia confuſam, hanc in Eccleſia ſeparatam facio: ad illam Laïcos etiam omnes; ad hanc ſacros tantùm homines reduco. Hanc agnoſcit Aurelius qui pro ea tantopere ſudat. Sed in illa contumelijs & cachinnis excipienda, conuellenda, è rebus humanis eijcienda thraſonicè atque athleticè ſe ſe oſtentat, & verborum phaleris pugnat, vacuus à rationibus. Summa eſt,

*Hierarchia latè ſumpta eſt Eccleſia.*

*Commentum eſſe inauditum, & abſurdam opinionem nouitiam, qua tota fidelium vniuerſitas in Hierarchiam Eccleſiæ contruditur. Neminem ante Ieſuiticos Doctores cogitaſſe, idem eſſe Eccleſiam & Hierarchiam, in Eccleſia & in Hierarchia verſari: & quicunque Hierarchizantur, eos Hierarchiam ipſam poſſidere: quia ſcilicet aliter nulla ratio ſupereſt, qua ſimplices Religioſi ad eam euehantur.* Innumera deinceps ingerit & infarcit nullo ordine, ſine delectu: vt conficiat eos qui Hierarchizantur, ad Hierarchiam reuocari non debere. Duo igitur reprehendit, & Hierarchiam ſumptam pro Eccleſia, & gradum Hierarchizatorum in Hierarchia collocatum. Quibus ſine hac vaniſſimæ eloquentiæ pompa ſatisfacio,

*Hanc diuiſionem deridet & reprehendit Aurelius. In vind. p. 433. & ſeq.*

ducto ab diuiſione initio, & ab ijs quæ controuerſiam hanc proximè contingunt. Nam Franciſcum Halliet Theologum; Autelio nihil minus quàm Theologo oppono, vt impleatur quod in Iſaia Deus comminatus eſt, *Et concurrere faciam Ægyptios aduerſus Ægyptios; & pugnabit vir contra fratrem ſuum, & vir contra amicum ſuum.*

Iſa. c. 19.

*Diuiſionem noſtram agnoſcit Hallier.*

*in vind. p. 377. & ſeq.*

Diuidit ergo nobiſcum Halliet Eccleſiaſticæ Hierarchiæ acceptionem, in latam ſeu generalem; & ſtrictam magiſque propriam. Illam vocat *collectionem & ordinationem perſonarum quarumcumque, tam agentium quàm patientium: tam ſuperiorum quàm inferiorum*: vt omnes illæ petſonæ ſint membra & partes Hierarchiæ. Hæc collectiò, ni fallor; ipſa eſt Eccleſia. Eccleſiam igitur & Hietarchiam idem eſſe aliquo ſenſu, quo & nos, Doctor agnoſcit. Hoc eſt quod ſubſannat Autelius. Eam collectionem ptobat Hallier ex S. Dionyſio, D. Thoma. Concil. Tridentino, Gregorio Nazianzenò, cum dicat Aurelius *antequàm Ieſuititi Doctores erupiſſent*, auditum illud & cogitatum non fuiſſe. Pergit dicere, eandem diuidi à Gerſone Cancellario in Hierarchizantem & Hietarchizatam. Hoc negat Autelius. Addit eam diuiſionem à Pariſienſibus Theologis admitti in cenſura libri Nicolaï Smithæi, quam Aurelius *Ieſuiticã* appellat, *à Ieſuitu ſodalibus hoc tempore fabricatam*. Sacrum Principatum à S. Th. in Principem & multitudinem diuiſum, hanc ipſam eſſe Hierarchiam aſſerit Halliet: Aurelius illud *commentum à D. Thoma ſatis ſuperque damnatum*, ait, *cum ſuppoſuit Hierarchiam nihil aliud eſſe, quàm ſacrum Principatum.* Iudica, Lector; vter acutiùs viderit tationem & narutam Principatus. Ad iſtud comprobandum affert Hallier S. Dionyſij locum ex c. 3. cœl. *Hierarchiæ ordo hoc poſtulat, vt alij purgentur, alij purgent*, &c. Quo eodem antea vſus fuerat Loëmelius, vt idem inſtitutum probatet. Aurelius & eius teſtimonij leuitatem detidet; & turpiter deprauatum ab Loëmelio locum queritur, quia is ſcripſit *Ad Hierarchiæ rationem pertinere non ſolum purgare, ſed etiam purgari*, &c. Quod quantùm aut à veritate, aut à Magiſtri mente abludat, fateor me petſpicere non poſſe. Alio quoque ad idem conficiendum S. Dionyſij loco vtuntut Loëmelius & Hallier ex *c. 6. Eccleſ.* vbi tres ordines Hierarchizatorum diſtinguntur Purgati, Illuminati, Perfecti. Hos ordines agnoſcere cogitur Aurelius, & tamen *ſine mente, ſine iudicio afferri* dicit ad probandum, Hierarchizatos eſſe de Hieratchia: quod efficere voluit Loëmelius, etſi minus ptopriè ſit loquutus. Cortigat ergo ſuam Grammaticam Aurelius, ad Theologi Hallier *dioptram*, ſi res ſupra ſe poſitas ardet attingere: dum ego ex alijs idem auctoribus comprobo, Hietarchiæ ſignificationem cum Eccleſia coniunctam, non eſſe *ab Ieſuitis hoc tempore fabricatam.*

*Doctrina Hallier Aurelij doctrinæ oppoſita.*

Aurel. p. 451.

Aurel. p. 449.

Idem p. 454.

*Ridicula Eccleſiæ militantis interpretatio.*

Poſtquam Anglicanæ conttouetſiæ turbo Theologiam noſtram commouete incœpit, poſt Anglicanorũ librorum cenſuram in vulgus emiſſam, audita apud Rothomagenſes noſtros Parochi cuiuſdam in concione vox eſt, glotiantis *Decretum tandem eſſe, non fore amplius Ieſuitas de Eccleſia militante.* Confudit hic ſine dubio Eccleſiam cum Hierarchia, & à militante in patientem ab Aurelio ttansferendos Ieſuitas eſſe præuidit. At fortaſſe neſciuit, etiam patientium ordines in illa qualicunque Hierarchia, eſſe ab Theologo Halliet recenſendos: fuiſſe demum hactenus in Hierarchia agnouit, ſed recénte decreto omnes orbis vniuerſi Ieſuitas ab illa Eccleſia iuſſos exulare. Hic vit adeo peritus Hietarchiæ *Ieſuitæ ſodalis* non fuit, vt opinor, & tamen Eccleſiæ

vocem

vocem pro Hierarchia vſurpauit. Pluribus antè annis quàm hæc diſſidia exorirentur, in publicam lucem prodiit, dignus parente Sorbona partus, Maucleri opus ingens de Monarchia, multiiugæ lectionis liber, index animi candidiſſimi, &, vt *Pariſinum* auctorem decuit, fidei Catholicæ, & Romanæ Cathedræ ſtudioſiſſimi; cui conſentiunt ſubſcribuntque Doctores Sorbonici octo, virtute omnes & doctrina inſignes. Illorum ergo ſuffragio, non minùs quàm ſcriptoris ipſius Maucleri ſenſu, Hierarchiam pro Eccleſia accipere diſcet Aurelius, cum audiet fidelium diuerſas conditiones, Hierarchiæ Angelicæ ordinibus reſpondere: quod ex Mauclero infra monſtrabitur: imo in clariſſima D. Bonauenturæ Hierarchiam Eccleſiaſticam cum Cœleſti conferentis doctrina. Idem quoque, licet paulùm obſcurius, indicat Thomas VValdenſis, cum Eccleſiæ diſpoſitionem ſpectandam eſſe ait *ad modum Cœleſtis Hierarchiæ, vbi quantò eſt altior gradus beatitudinis, tantò pauciores in illo gradu locantur. Sic conformiter in Eccleſia militante, in inferiori gradu perfectionis plurimi ſunt, in ſuperiore pauciores, & adhuc in ſuperiori pauciores; quouſque peruenitur ad ſummum gradum perfectionis, qui retinet vnum tantùm, ſcilicet Chriſtum.* Hic Eccleſiæ vt vides Hierarchiam, cum cœli Hierarchia comparat, & in illa gradus diſtinguit, qui fideles omnes comprehendunt. Neque dictum illud ad tres Eccleſiaſticos ordines referendum putabit, qui recolet ab S. Hieronymo ſcriptum, Diaconos ſuorum raritate abuſos, contra Presbyterorum multitudinem inſoleſcere. Qui licet effectus modò non vigeat, cauſa tamen & paucitas Diaconorum adhuc in Eccleſia paret, nemine Diaconatum ſuſcipiente alio conſilio, quàm vt illum prætervectus, ſtatim ad Presbyteratum aſcēdat. Eandem prætereà opinionem, Origenis, vnde illam hauſit VValdenſis, teſtimonio comprobare poſſem; niſi ſe prætermitti S. Dionyſius ægrè ferret.

Maucleri opus de Monarchia. 1 P. l. 5. c. 5. Thomas Wald. l. 3. doctr. fid. a. 2. c. 37. Orig. hom. 22. in Nu.

Nam cum cœleſtes Hierarchias deſcripſerit, Michaël Syngelus eius Panegyriſtes, & vitæ ſcriptor, cùm dicit *tres clariſſimorum cœleſtium ordinum Eccleſias* eſſe ſpeculatum. Eccleſiæ igitur & Hierarchiæ nomen pro eodem habet. Idem ſignificare videtur & apud Paulum *Eccleſia primitiuorum, qui conſcripti ſunt in cœlis.* Nam verè primogeniti noſtri Angeli ſunt, Dei beneficio & Chriſti gratia priusdonati, quàm eſſent in terris homines eius capaces. Quare illos Andreas Cæſarienſis *primarios Trinitatis ſeruos, & adminiſtros* appellat. Quod igitur iam olim ante natos Ieſuitas Michaël Syngelus, quod Thomas VValdenſis, quod S. ipſe Bonauentura, quod Origenes, quod S. Dionyſius, quod Apoſtolus Paulus, aut enunciarunt apertè, aut obſcurius indicarunt; quo illud iure Petrus Aurelius *Ieſuiticum, à Ieſuitis hoc tempore fabricatum* criminatur?

[illegible Greek] &c. Mich. Syn. in vita S. Dionyſ. Hebr. c. 12. Andr. Cæſar. inc. 1. Apoc.

---

*EADEM HIERARCHIÆ PRO ECCLESIA ſignificatio rationibus confirmatur.*

## CAPVT XI.

A DEFINITIONE nodi iſtius, non ſanè difficilis, petenda eſt ſolutio: nam ſi Eccleſiæ non conuenit tradita ſuperius à nobis Hierarchiæ definitio, vicit Aurelius.

Hierarchiæ genus eſt *Ordo ſacer, ſcientia, & actio.* Sacros autem eſſe fideles Hierarchiæ

[*definitio Eccleſia conſtituit.*] omnes, Chriſti ſanguine tinctos, is tantùm negauerit qui Baptiſmi Sacramentum,& Chriſtianorum nomen ipſis eripuerit. Certè [1 Petr. 2.] *genus electum,gentem ſanctam,regale Sacerdotium* primus poſt Chriſtum Pontifex appellat. Dilectus [Apoc. c. 5. 20.] autem diſcipulus monere non ceſſat, nos per Chriſtum factos eſſe *Regnum & Sacerdotes Dei & Chriſti*. Guillelmus verò Pariſ. poſtquam Eccleſiam cum ci- [Guil. Pariſ. l. de ſacra. in Gener. c. 2.] uitate, templo, domo, exercitu Dei comparauit, ſic tandem concludit. *Quicunque ad hanc perfectionem nobilem, quam diximus, Deo auctore adducti ſunt, huiuſmodi templi ſunt Sacerdotes, ſanctificati ad Dei cultum: huiuſmodi ciuitatis ciues ſunt aſſociati ad iudicium, & ad iuſtitiam, ad viuendum ſecundùm leges & ſtatuta Dei Regis: huius domus domeſtici & familiares ſunt, ſeruique vernaculi, ac filij patrũ familias Dei*. Et inferius vbi de Baptiſmo, docet [Idem de ſacram. Bapt. c. 3.] nos *ipſa gratia vngi ad ſanctitatem, ad decorem, ad Sacerdotalem, ad regiam dignitatem*. In eo porro ſacrorum hominum ordine ſcientiam eſſe *qua quid faciendum ſit intelligant*, vt loquitur Hugo, & actionem, *qua quod intellexerint agendum, perficiant*, probari non debet.

[*Chriſtiani Chriſto ſimiles per Baptiſmi characterem.*] In differentia video Chriſti imitationem, & Dei ſimilitudinem, ea imitatione comparandam. Quid enim eſt character aliud, quàm ſignaculum ſimilitudinis Chriſti? Non enim vt ſuis olim Iudæis Moſes, ſic Chriſtus *alienum* [Cyril. Alex. l. de recta fide ad Theod.] *his qui baptizantur immittit ſpiritum ſeruiliter, & vt miniſter: ſed vt Deus ſecundùm naturam cum ſumma poteſtate. Quia ex ipſo, & per ipſum, per quem & diuinus nobis character imprimitur. Reformamur enim quodammodo ad imaginem diuinam, non corporalem ſuſtinentes reformationem.* Quamobrem Pſalmiſta dicit, [Pſal. 4.] *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine*. Videlicet [Cyril. Alex. l. 3. in Ioan. c. 8.] *vnigenitus Dei Filius vultus Patris, incommutabilis illa imago, qui de ſe dicit; qui videt me, videt patrem, is in nobis ſignatus eſt. Nam conformes ſibi nos faciens, & illuminationem ſui Spiritus, quaſi* [Idem li. de recta fide ad Theod.] *diuinam imaginem in credentibus imprimens, Deos, Deique filios per gratiam reddit.* Ipſe eſt *quaſi radix poſitus, & initium eorum qui ad nouitatem vitæ in ſpiritu refor-* [Anſel in c. 1 ad Ephe.] *mantur*. Imo etiam quod ad Baptiſmum, & ad mentem meam propius accedit [Dionyſ. c. 4 Eccl. in contem. ait Chriſtum, δι' ἡμᾶς ἁγιαζόμενον...] *caput & fons omnium bonorum Eccleſiæ*, vt loquitur S. Anſelmus. Sic enim arbitror, eum cui, vt pote filio naturali gratia habitualis neceſſaria non erat vt ipſe ſanctus eſſet; illam tantùm *accepiſſe gratiam, & ſapientiam, & omnium bonorum cumulum, vt mundo fontis inſtar effunderet*, quod monuit S. Damaſcenus: [Damaſ. l. 3. de fide orthod. c. 22.] adeoque tantum accepiſſe, & fortaſſe non amplius, quantum voluit effundere, vt *de plenitudine eius nos omnes acciplamus*, ex quo *quaſi iugi fonte gratiarum* [Ioan. c. 1.] *donum ſcaturiens, in ſingulas animas, quæ digna ſunt defluit*. Sic nimirum Pater [Cyrill. in eum locũ.] dedit eum *caput ſupra omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius, & plenitudo eius qui* [Epheſ. c. 1.] *omnia in omnibus adimpletur*, dum per gratiam in omnes effuſam completur & [Rom. c. 6.] perficitur in ratione capitis, vt ſinguli & omnes hac eius habituali gratia [Cyril. Alex. l. de recta fide cit.] præditi, ſint eius integritas & *plenitudo*. Sic *quotquot in Chriſtum baptizati ſumus, Chriſtum induimus*, quos ſua ſanctificat gratia, *ſuo inungit ſpiritu, quem ipſum quidem verbum ex Deo Patre, & ex ſua natura nobis reſcaturire facit*.

[*Mandatorũ diuinorum obſeruatio.*] Talem Dei ſimilitudinem in Chriſtianis omnibus quando conſiderabit [Dionyſ. c. 2. Eccleſ.] Aurelius, non exiget, vt arbitror, oſtendi ſibi peculiarem mandatorum in Eccleſia obſeruationem, in qua medium conſtituit S. Dionyſius ad Hierar- [D. Th. 2. 2. q. 184. a. 3.] chiæ finem aſſequendum: in qua & perfectionem ponit D. Thomas, dicente [Cyril. l. 9. in Ioan. c. 43.] S. Cyrillo *Perfectiſſimum fidei terminum & dilectionis Dei demonſtrationem, eſſe Euangelicorum præceptorum obſeruationem atque cuſtodiam*. Vides ergo, Lector,

nullam

[illegible] partem non [illegible] in Ecclesiam, eamque appellari posse & debere Hierarchiam. Quod ipſum vlterius alia ratione demon[illegible].

## *IN HAC HIERARCHIA NON MALE Laicos collocari demonſtratur.*

## CAPVT XII.

ACTVM agam ſi ſolis Franciſci Hallier, in cuius partes tranſiui, aduerſus Aurelium vtar rationibus, quarum præcipuæ & nullis Rhetoricæ præſtigijs eludendæ ſunt hæ. Quod ex S. Dionyſio Hierarchiæ ordo id poſtulet, vt alij purgentur, alij purgent: in Cœleſti Hierarchia tres ſint Hierarchiæ, ratione paſſiuæ illuminationis potius quam actiuæ: in vnaquaque tres ordines ſupremorum, mediorum, infimorum. Quod ex D. Thoma in nomine Principatûs duo intelligantur, Princeps & multitudo ſub Principe: quemadmodum in Categoriæ ſerie non prædicabilia ſolùm, verum etiam indiuidua, tanquam fundamenta reponuntur. Citat ad hæc *Dionyſium to. 0 libro Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, præſertim c. 7. 9. & 19.* Quod incautis librarijs cupio aſſignatum. Eccleſiaſtica enim S. Dionyſij Hierarchia vltra ſeptimum caput non protenditur; & extremo illo capite parum propriè gradus Hierarchicos diſtinguere dicitur. Ego quidem clarius hanc diſtinctionem lego in Cœleſti c. 3. 4. 5. 6. 9. 10. 15. eoque poſtremo: in Eccleſiaſtica autem c. 5. Accipias igitur, Lector, obſecro ab Hallier rationes, à me citatam Dionyſij auctoritatem, quibus contra Aurelium, poſtremos gradus, & eos qui [illegible]ijciuntur, eſſe in Hierarchia iunctis animis efficimus.

*Rationes Doctoris Hallier pro noſtra ſententia vind. p. 3 7 & 376.*

*Hallier Dionyſium male citat.*

Deinde & à me rationum nubem iam hinc inde ſparſarum collige; omnem ordinem neceſſario tribus contineri; agere & pati Hierarchicum eſſe, in Hierarchia conſtitui gradus aliquos, non per id quod inferioribus communicant: agere etiam eos qui patiuntur: Principatum in Hierarchiæ gradibus omnibus non reperiri. Et id genus alia quæ priores libros tanquam ſtellulæ diſtingunt: & omni hæſitatione remota, vltimo Laïcorum gradui apud Aurelium adeo vili & abiecto, locum attribuunt in ea quam tractamus Hierarchia.

*Aliæ rationes ex ante dictis colliguntur.*

Vide & vtrum ratio hæc à priori vt murus aheneus, poſſit vllo Grammatices ariete concuti. Quicunque in Eccleſia auctoritate Hierarchica ad ſacras aliquas actiones deſtinantur, ij omnes & ſinguli ſunt partes Hierarchiæ propriè dictæ: fideles autem omnes, etiam Laïci, ſaltem per Baptiſmum publicâ Hierarchæ aut Chriſti, aut hominis poteſtate traditum, ad Sacramentorum participationem, & pias actiones conſecrantur, quibus & finem Hierarchiæ adiuuant, & Chriſti corpori *plenitudinem* conciliant. Sunt igitur fideles omnes, etiam Laïci illi Aurelio contemptiſſimi, partes Hierarchiæ propriè dictæ. Nam ſi in generali definitione Hierarchiæ id poſuit S. Dionyſius, vt *pro rata & proportionaliter in Dei ſimilitudinem aſcendat*, nonne id per actiones Hierarchicas ſibi inditas facit gradus iſte poſtremus?

*Chriſtiani omnes destinantur per Hierarcham ad ſacras actiones.*

Adde Dionyſiacam ſcientiæ Hierarchicæ diuiſionem in ſacra, My-

ſtas, & initiatos. C[illegible]m eti[illegible] res qualibet [illegible]era, [illegible] d[illegible] ei[illegible] ob[illegible] ſtæ, & initiati ſuo & ipſi, vt probatum eſt [illegible]odo ſacri, ab ea n[illegible] excludi. Nonne aute[illegible] Magiſter & diſcipuli partes [illegible]olæ ſunt. [illegible] tùm Pythagoreos a[illegible]pellas qui tradunt, non etiam qui per[illegible] doctrinam? Poteſt-ne aut Magiſter eſſe, aut ſchola ſine diſcipulis. I[illegible] naturam Hierarchiæ, ſeu diuiſionem, ſeu S. Dion[illegible]ſij mentem & d[illegible] ſpectes, verè & propriè Laici, ſiue [illegible]tiati, [illegible] de [illegible]mpliſſima H[illegible] *Propriè* addidi, vt Franciſci noſtri memoriam adiuuem, ſi forte [illegible] primi libri diſputatio, Laicos *impropriè in Hierarchia* non eſſe, ſed [illegible]ctè; neque *impropriam Hierarchiæ acceptionem eſſe*, ſed latam & impe[illegible]am *prout plebem Laicoſque comprehendit*. Ita qui bene de Hierarchia & E[illegible] loſoph[illegible] incœpit; cum oculos retorſit in Regulares, quibus eo d[illegible] cari videbatur, *in veritate non ſtetit*. Sed hanc ipſe [illegible]tiam alij [illegible] aliu[illegible] de patrocinium Religioſi expectant, quam ab eo qui ipſos [illegible]o[illegible]rum nomine & gradu in Eccleſia dignatur. Reuocor ad Aureliũ.

---

*PETRI AVRELII RATIONES QVIBVS AMplam Hierarchiæ ſignificationem improbat, confutantur.*

CAPVT XIII.

*1. obiectio de Principatu & Actione in Hierarchia p. 440.*

LEVIORA ſunt Grammatici tela, quam vt Loëmelij, & Doctoris Halliet, quam modò propugnamus ſententiam vulnerent. *Hierarchia*, inquit, *vim ſonat & pote[illegible]tem in alios exercendam*. Nam ab Hierarchia principatum & actionem ſi tol[illegible]

*1. Reſponſ.*

quid veræ Hierarchiæ relinquis? Primùm hoc ſi negem animi cauſa, cui auctoritate probabis: Non certè S. Dionyſij qui ſic ſcribit, *Eſt Hierarchia n[illegible]ſtra dicitúrque, ratio complectens ſacra omnia quæ ad eam pertinent, Qui Hierarcham dixit, omnium ſimul ſacrorum dixit diſpoſitionem*. Hic principatum & effectionem expreſſa non lego, Sed aliter ſatisfacio.

*Dionyſ. c. 1. Eccleſ.*

*2. Reſp.*

De tota loqueris Hierarchia, & graduum omnium trium, quibus perficitur, collectione; an potius de gradibus ſingulis? In priore ſignificato Poteſtatem habes vt plurimùm, Principatum, vim & actionem in ſubditos, Regnum ſi vis, & Imperium, & ſi quid eſt in rebus humanis auguſtius. In poſteriore non video cur illum vbi[illegible] Principatum, illam in ſubditos actionem anxiè deſideres. Nam ſpecta Hierarcham: is cum pſallit, cum contemplatur, cum ſe ipſe impertit Euchariſtia, cum ſe omni priuatarum virtutum acquiſitione ad imperandum exercet & comparat; nonne actiones facit Hierarchicas? Vide medium gradu[illegible]num is per paſſiuam receptionem in medio illo Hierarchiæ gradu conſtituitur, ideoque tertium Hierarchizat, quia Hierarchizatur à primo? Nam licet Hæreticus aut Turca verè baptizet, non tamen verè Hierarchizat. Quidni? qui[illegible] Hierarcha non Hierarchizatur. Prius igitur eſt, vt in Angelis, ſic in h[illegible]bus pati, quam agere: atque iſtud in ſuo cenſu numerat tertius grad[illegible]t Principes & ſubditos non recenſeat. Quæris quid agant qui initiantur? [illegible]rima Dei auxilio, & hoc maximè, quod ad Purgationem ſuam coope[illegible], obicem peccati tollendo, [illegible]iuinam acceptando gratiam; quando

*In omni gradu Hierarchiæ non eſt principatus.*

*Tertius Hierarchiæ gradus agit*

qui

*qui te creauit ſine te, non iuſtificat te ſine te.* Nam vt peccatum nullum eſt, niſi vel
communis, vel propriæ voluntatis monſtroſa progenies, ſic, vt oppoſitorum
idem genus oſtendamus, iuſtitia, vel communis, vel propriæ voluntatis partus
ſit oportet; vt eadem voluntas & iuſtum & peccatorem volentem faciat, certè
non reluctantem. Suâ igitur actione, & cooperatione purgat aliquo modo ſe
ipſe peccator, etſi ſeipſum nō propriè illuminet, aut perficiat. Quod ab Apo-
ſtolo principe diſtinctum ſapienter intelligere poſſumus. *Pœnitentiam agite,* Act. c. 2.
cooperamini actioni vos purganti: *& baptizetur vnuſquiſque veſtrum,* ab alio
accipiat illuminationem, & fidei ſignaculum: *& accipietis donum Spiritus
Sancti:* perficiemini caritate quam à ſolo Deo accipietis ſine veſtra, quoad
hoc cooperatione.

II. Si ſunt, inquit, in Hierarchia conſtituendi non ſolum qui agunt, ſed *2. ob. de*
etiam qui patiuntur *Apertè ſequitur Catechumenos in Eccleſiaſticam Hierarchiam* *Catechumenis in Hie-*
*euehendos eſſe, atque adeo prius in Hierarchia, quàm in Eccleſia verſari. Quod puti-* *rarchia.*
*dum, & inſolens, & paradoxum eſt.* Debuerat acumen Grammatici peruidere Pag. 449.
qui Eccleſiam & Hierarchiam illam latam, idem eſſe velit, nemini locum *Catechumeni*
in Hierarchia daturum, qui ſimul in Eccleſia non habeat ſibi proprium. Ca- *ni non ſunt*
techumenis quem aſſignat: Nam cum omnis ciuitas nobilis, ait Guillelmus *in Eccleſia.*
meus, omnis dignitas militaris, omnis hæreditas, omnis adminiſtratio, & Guil. Pariſ. l. de ſacr. in
omne officium, omnis honor, & omnis dignitas viſibili ſigno tradatur, vt gener. c. 1.
ea prædiri ab alijs diſtinguantur; illa autem diſtinctio nunquam conuenien-
tius fiat, quàm in ipſa ſeparatione ab alijs, & aggregatione ad ſuos: certum
eſt illud ſignum in ſolo imprimi Baptiſmo, cuius expertes Catechumeni
nondum penitus ab infidelibus ſeiuncti, & ad ſanctos aggregati ſunt: non-
dum effecti vnum corpus cum fidelibus, vna ciuitas, quemadmodum ij ſunt
qui Sacramentis participant, præcipueque Synaxi, quique per ea principio
ſuo, & Hierarchæ ſunt coniuncti: Hæc enim vniuſmodi mediorum coniun- *Coniunctio*
ctio ad Hierarchicum ordinem pertinet, non ſimplex Hierarchicarum *cum principio ſuo &*
actionum influxus. Niſi forte dicturus es hæreticos, Gentiles, Iudæos cum *Hierarcha.*
audiunt docentem Hierarcham, aut cum pro eis preces ad Deum fundit, eſſe
in Eccleſia: eodemque iure cum homines illuſtrantur ab Angelis, ad Hie-
rarchiam Angelicam; cum Angeli perficiuntur à Deo, ad Hierarchiam
diuinam euehi: denique cum à Religioſis docetur Aurelius, Religioſum
fieri.

III. Arbitrari *quicunque Hierarchiæ effectuum participes ſiunt, eos Hierarchiam* 3. ob. de re-
*ipſam poßidere, non minoris ſtoliditatis eſt, quàm ſi dicas, idem eſſe diuinitatis effectus* *ceptione actuum*
*percipere, & diuinitatem poßidere: idem eſſe ſubeſſe Principatus, & potiri Princi-* *Hierarchi-*
*patu.* Quod de diuinitatis participatione infers, ſi conceſſero, quomodo falſi *corum.*
conuinces? Certè Chriſtus Dauidis dictum, *Ego dixi Dij eſtis,* ad eos refert 1. *Reſp.* Ioan. c. 10.
*ad quos Dei ſermo factus eſt: qui participando ſiunt Dij,* ait S. Auguſtinus, *calefa-* Auguſt. tr.
*cti quodammodo igne ſalutari, Dij efficiuntur, lumina illuminata Dij ſunt.* Et S. 48. in Ioan.
Dionyſius diuinitatis cognitione nos ali, & Deos fieri, qui eſt Hierarchiæ Dionyſ. c.
finis, aſſeuerat. Sed hanc tibi remitto reſponſionem; habito in ſuperio- 1 Eccleſ.
re, non fieri Angelum qui Angelicos, non Deum qui diuinos influxus 2. *Reſp.*
percipiat, quia tota natura & ſpecie differunt, vt olim admonuit D. D. Th. 1. p.
Thomas: ſed per dona gratiæ, ex quibus conflatur Hierarchia, illum q. 108. a. 8.
qui ijs perficiatur, illuminetur, purgetur, in Hierarchiam euehi, quæ

eſt ordo donantium & accipientium, qualem cum Angelis conflabimus in communi beatitatis æternæ gloria. Et verò debuit ſcire Grammaticus diuinum fieri & Deum, Angelicum & Angelum, eſſe diuerſa. Nemo enim rei vllius particeps, illa ipſa res eſt; & Dei effectus omnes aliquam, ſaltem in eo quod ſunt, Dei perfectionem participant, neque tamen Deum eſſe dicimus.

*Quomodo dici poßint omnes Principatus participes.* *D.Th. 1 2. q.105.a.1.*

De Principatu autem & ſubiectione quod importunè, opportunè adijcis, audies fortaſſe plura quàm expectes, & ſi poteris, refelles. D. Thomæ doctrina eſt, in bona ciuitatis aut gentis ordinatione duo eſſe attendenda. Primum vt omnes partem habeant aliquam in Principatu, per hoc enim conſeruatur pax populi; & omnes talem ordinationem amant, & cuſtodiunt vt dicitur in 2. Politic. Secundum eſt vt ſit perfecta aliqua regiminis ſpecies. Ea autem eſt præcipua & optima, in qua vnus ſecundum virtutem præficitur, cui ſubſint aliqui principantes ſecundum virtutem. Et hic etiam Principatus ad omnes pertinet: quia omnibus imperaturus, & ex omnibus, & ab omnibus eligitur. Quo in regimine Monarchia eſt ex vno Principe, Ariſtocratia ex multis principantibus; Democratia ex electione aut actiua aut paſſiua. Talis fuit Moſaïcæ legis gubernatio. Huius ego doctrinæ auctoritate fretus dico, fideles omnes ſecundùm analogiam eſſe Principatûs participes. Is enim ſecundùm plenitudinem quoad Eccleſiam vniuerſalem, eſt in ſolo Papa: quoad particulares Eccleſias, in ſolo Epiſcopo: in inferioribus autem principantibus magis aut minus proüt reſpiciunt, & accedunt ad Epiſcopum, aut ab eo recedunt. Populus autem Laïcus, qui ad honores admittitur, eſtque rationis particeps & liber, eò participat regimini, quòd ex ipſo Clerici deliguntur, & in eorumdem, imo etiam olim in Epiſcoporum electione teſtimonij ius habuit: atque etiamnum ordinandorum Clericorum nomina publicè edicuntur, vt cuique liberum ſit conſecrationi intercedere. Hoc verò eſt partem habere in Eccleſiaſtico regimine, non quidem Rectoris & Principis; ſed ciuis, & patris familias: cui certè aliam dabis in ſua ciuitate conditionem quàm puero, mulieri, externo, & infami. Quibus excluſis, qui partem in ciuili regimine non habent, eoque ſenſu ciues non ſunt; vir quilibet fidelis nulla irregularitate conſtrictus, fieri poteſt Clericus & tonſuratus: idcirco, quamquam remotè, ad Hierarchiam pertinet, ad quam propius accedit Clericus ipſe, ab Epiſcopo iam ad ſacra munia deſtinatus; quatenus à ſecularium negotijs abductus myſtagogis traditur erudiendus, & in ſacris functionibus exercendus. Eidem Epiſcopo viciniores ſunt, quibus ordo collatus eſt aliquis, deinde Diaconus, tum maximè Sacerdos, itaut hi vel actu, vel potentia proxima ſint Myſtæ. Sic per analogiam gradus, aſcenditur ad eum cui primò & per ſe conuenit Principatus. Hoc eſt ſi neſcis, Aureli, ſimul & *ſubeſſe Principatui, & potiri Principatu.* Quod nouè audire te non dubito, cui ſordet noſter Ariſtoteles, ignotus eſt D. Thomas.

HIE-

COLLOCAZIONE

L'opera dovra essere conservata nella sala a disposizione del Signor Peronti

Data 13 . . . 51

Scontrino de conservare entro il volume.



## HIERARCHIÆ L[...]O ET SEcundum[...]

C[...]

PER hanc doctri[...]ius Hierarchiæ partitionem collo[...]am nemo non videt ex Hierarc[...]s, & Laïcis eſſe conflatam. Atque i[...]inutiores etiam fieri poſſe diſtributiones: quo[...]s partes diuiſæ, iam & ipſæ tota fiunt, in minores particulas diuidendæ. Religioſos ad extremam Laïcorum ſortem detrudit Hallier; nos ad perſonas ſacras inferius reducemus.

Vt ergo cœlum cum terra nobili commercio colligemus, & latiſſimam hanc Eccleſiæ militantis Hierarchiam, cum ampliſſima triumphantis Hierarchia quàm fieri poteſt aptiſſimè componamus, conſideranda in primis videtur S. Bonauenturæ doctrina. Is enim Religioſis ſolis in Hierarchia ſuprema collocatis, Sacerdotes & Epiſcopos Dominationibus, Virtutibus, eos *qui iudicandi recipiunt poteſtatem*, Poteſtatibus, Reges & Principes ſeculares attribuit. Ad tertiam *Statum ſubiectionis*, ſiue ſubditos reducit, & *humiles & verè obedientes, Principatibus; continentes ſiue innocentes, Archangelis; miſericordes & pœnitentes, Angelis comparat.* Quæ collatio cum Laïcos, & ſubditos inferat in Hierarchiam, adeoque totam Eccleſiam complectatur, quo pondere auctoritatis totum opprimit & obruit Aurelium?

*Bonauentura Hierarchiam Eccleſiæ cum Angelis comparat.* l. de Hier. Eccleſ.

Rem eandem aliter proponit Thomas VValdenſis Religionis titulo, quem ei diſputatio cum VVicleffo, quemadmodum nobis Hierarchiæ nomen Aureliana concertatio miniſtrauit. *Summa*, inquit, *Religio poſſibilis, eſt religio Christi hypoſtatica, quam ſeruauit in perſona ſua, quæ nulli alteri eſt communicabilis puræ creaturæ.* Decuit enim caput & auctorem adeo perfectæ religionis, vngi oleo ſanctitatis præ participibus ſuis, cui *non ad menſuram dat Deus ſpiritum.* Deinde *Religio Martyrum, ſiue in actu exteriori, ſiue in profeſſione, & in habitu prompti animi conſiſtens. Et hæc erat Religio peculiaris Apoſtolorum, & communicata deinceps Religioni Epiſcoporum. Eſt enim profeſſio Epiſcopalis, ponere vitam temporalem pro grege, cum oportet.* Vide in quo maximè ſuccedant Apoſtolis Epiſcopi: quæ res Chriſto proximos faciat: quis actuum Hierarchicorum nobiliſſimus ſit: quàm multi, quàmque varij gradum iſtum Hierarchiæ poſſideant Epiſcopi, Religioſi, Laïci, coniugati, continentes, puellæ, matres familias. Sequitur *Religio Monaſterialis, quæ vno eodemque gradu collocatur cum virginitate eius, ſecundùm Auguſtinum.* Nam totam iſtam collocationem ab S. Auguſtino more ſenſuque ſuo explicato mutuatur. Deinceps *Religio continentiæ vidualis. Et inter illa debet collocari Religio Sacerdotum.* Quam timeo ne VValdenſi ſuccenſeat, ſi hoc legerit, Aurelius! Ipſe tamen dictum mitigat. *In Sacerdotio eſt gradus duplex, dignitatis & ſtatus: quantùm ad gradum dignitatis collocatur ſuper omnes, iuxta Hierarchas: quantùm ad gradualitatem ſtatus inter continentes.* Dignitas in ordine eſt; ſtatus in vitæ perfectione, illâ proximi Epiſcopis ſunt Sacer-

*Alia Hierarchiæ diuiſio ex VValdenſi.* l. 4. doctr. fi. t. a. 1. c. 18.

*Religio Chriſti.*

*Apoſtolorum ſiue Epiſcoporum, quæ & Martyrum.*

*Monachorum.*

*Continentium & Sacerdotum.*

*Iuriſdictione.* ctione prædíti ſunt ſine ordine, vel ordinem cum exuere non poſſint, Iuriſdictionem tamen abdicarunt: ſi quid probabilius ſcribere volebat Aurelius, non debuit negare naturam poſſe diuidi, ſed perfectionem vtriuſque ſtatus. Fateor enim poteſtatem Iuriſdictionis non benè incomitatam procedere, & ab Ordinis poteſtate, non niſi repugnantem diuelli: ſed diuelli tamen & ſolitariam conſiſtere. Quid eſt autem quod noſter idem Aurelius nouitia opinione, & omnium Chriſtianorum vſui repugnante, docet in Epiſcopo ſemel conſecrato, ſi iuriſdictione cedat, Ordinis poteſtatem *non magis agnoſci ab Eccleſia, quam ſi reuera nulla eſſet; ſed omnem eius memoriam rationemque ita abijcere, quaſi nunquam fuiſſet?* Viderit Eminentiſſimus Cardinalis Richelius, quem honoris cauſa nomino, ſit-ne conceſſurus Aurelio, ſi ſacrum fecerit, illud non magis agnoſci ab Eccleſia, quàm ſi reuera nullum faceret. Viderit Illuſtriſſimus Bellieenſis olim Epiſcopus, an & cur, Aurelij iudicio, *abiectus ſit ex Eccleſia memoria quaſi nunquam fuiſſet.* Quid? conferre adhuc Ordines, chriſma conficere, ſacrare altaria non poſſunt? Vt omittam quod verè, licet ridicula contradictione, alibi probat idem Aurelius, in ijs ſupereſſe Iuriſdictionis aliquid, quia poſſunt in Concilijs ſedere. *Aurel. p. 193.* Hoc-ne eſt ſacræ poteſtatis iura defendere? Hoc Ordinem Hierarchicum ab Ieſuitarum, ſiue Loëmelij iniurijs tutum præſtare? Tanti erat ſatiricam amplificationem paginis ſexdecim ſtringere in Ieſuitas, vt Eccleſiæ capita ſimul attereres? vt ad ſingula verba contumelioſiſſimè peccares? vt ne limbo quidem & margini grandis tui voluminis parceres, quin & ignorantiam tuam, & impoſturas palam omnibus oſtentares? Sed his abſtineo; Aurelius fieri nolo.

---

## *HIERARCHIÆ DIVISIO VT FACULTATIS IN PARTES OBIECTI.*

## CAPVT IX.

*Hierarchiæ diuiſio ex Dionyſ. c. 5 Eccleſ. S Max. in eum locū.* FREQVENTISSIMA eſt apud S. Dionyſium Hierarchiæ diuiſio tres in partes, in diuina myſteria, ſeu ſacra; in eos qui illa tenent, enunciantque alijs; in eos qui ab illis initiantur. Siue vt breuiùs S. Maximus ſcholiaſtes, in ſacram ſcientiam, & magiſtros, & diſcipulos. Qua in partitione tria mihi occurrunt obſeruatione digna.

*Hierarchias creatas complectitur.* I. Communem eſſe Hierarchijs creatis, tum Angelorum, tum hominum. Sic expreſsè S. Dionyſius. *Eſt quidem Hierarchia omnis, omnis ratio ſacrorum quæ ſubiecta ſunt, vniuerſaque ſacrorum huius vel illius Hierarchiæ ſumma.* Angelicæ videlicet, vel humanæ. Et ſtatim, *Qui Hierarchiam dixit, omnium ſimul ſacrorum dixit diſpoſitionem.* Non debuit addere interpres *ſacrorum ordinum*, cum à Græco ea vox abſit. Neque enim tantùm ordinum & graduum: ſed præterea eorum omnium, quæ ad Hierarchiæ ſcientiam pertinent ſumma eſt, & complexio.

*Αὐτὸν ὁμοῦ συλλήβδην τῶν ἱερῶν διαταγμάτων. c. 1. Eccleſ.*

*Eſt diuiſio vt ſcientia in obiecta. Scopus libri S. Dio. de Eccleſ.* II. Eſſe diuiſionem hanc quaſi ſcientiæ & facultatis in obiecta ſua. Quod & ex S. Dionyſio habemus, cum ait Hierarcham eſſe diuinum quendam hominem, omni ſacra ſcientia præditum. Et verò ſi libri Dionyſiaci methodus, & finis attentius inueſtigatur, id tantùm agere in eo deprehendetur, vt

explicet,

explicet myſteria Baptiſmi, Synaxeos, Chriſmatis; Miniſtrorum ſacrorum, ipſiuſque Hierarchæ conſecrationem: & ordines Initiandorum, præcipueque Monachorum, cum ritibus qui Mortuis impenduntur. Hæc omnia docet Hierarcham, vt Hippocrates & Galenus medicum, Codex Iuſtinianæus Iuriſconſultum: facturus eum tandem in Hierarchiæ ſciëntia Doctorem, qui illa perfectè animo comprehenſa habebit.

III. Iſtud ipſum de Hierarchiæ vt facultatis in obiecti partes diuiſione ab Aurelio Theologo fuiſſe animaduerſum: ſed malè ab Aurelio Grammatico reprehendi Loëmelium, quaſi voluerit eam eſſe diuiſionem totius in partes, & è Myſterijs ordinem vnum, non minus quàm è tradentibus percipientibuſque, confecerit. Quod inauditum, & vel cogitatu abſurdum cum eſſe videat Aurelius; affingere non debuit Loëmelio, ſi calumniæ notam volebat effugere. Nihil enim dicit aliud Loëmelius, quàm *à Dionyſio c. 5. Eccleſiaſticam Hierarchiam trifariam diuidi, in ſacra quæ à Pontificibus exercentur, in miniſtros, in eos qui initiantur.* Deinde addit *Tertiam Hierarchiam*, nempe initiandorum, *in tres ordines diuidi.* Non quod tres in priori diſtributione voluerit eſſe Hierarchias, ſed quod ab huius controuerſiæ tractatoribus nonnullis, pars illa Hierarchiæ quæ tantùm patitur & recipit actus Hierarchicos, tertia Hierarchia, ſeu Hierarchia Hierarchizata appelletur. Ex quo conficere vult efficaciter, extremum ſaltem hunc patientium gradum, qui eſt in Hierarchia, Monachis non eſſe denegandum. *Defenditur Loëmelius aduerſus Aurelij calumniam p. 452.*

---

## *HIERARCHIÆ DIVISIO VT GENERIS IN ſpecies, quarum prior auctoritate probatur.*

## CAPVT X.

HINC Euangelicam Hierarchiam ſpectare incipio, vt totum aliquod ſuis partibus adornandum. Itaque capaciſſimam eius ſignificationem diſtribuo in Hierarchiam latè, & Hierarchiam ſtrictius ſumptam: illâ Chriſtianos omnes, hâc ſelectos ex ijs aliquos contineri volo: illam cum Eccleſia confuſam, hanc in Eccleſia ſeparatam facio: ad illam Laïcos etiam omnes; ad hanc ſacros tantùm homines reduco. Hanc agnoſcit Aurelius qui pro ea tantopere ſudat. Sed in illa contumelijs & cachinnis excipienda, conuellenda, è rebus humanis eijcienda thraſonicè atque athleticè ſe ſe oſtentat, & verborum phaleris pugnat, vacuus à rationibus. Summa eſt, *Hierarchia latè ſumpta eſt Eccleſia.*

*Commentum eſſe inauditum, & abſurdam opinionem nouitiam, qua tota fidelium vniuerſitas in Hierarchiam Eccleſiæ contruditur. Neminem ante Ieſuiticos Doctores cogitaſſe, idem eſſe Eccleſiam & Hierarchiam, in Eccleſia & in Hierarchia verſari: & quicunque Hierarchizantur, eos Hierarchiam ipſam poßidere: quia ſcilicet aliter nulla ratio ſupereſt, qua ſimplices Religioſi ad eam euehantur.* Innumera deinceps ingerit & infarcit nullo ordine, ſine delectu: vt conficiat eos qui Hierarchizantur, ad Hierarchiam reuocari non debere. Duo igitur reprehendit, & Hierarchiam ſumptam pro Eccleſia, & gradum Hierarchizatorum in Hierarchia collocatum. Quibus ſine hac vaniſſimæ eloquentiæ pompa ſatisfacio, *Hanc diuiſionem deridet & reprehendit Aurelius. In vind. p. 433. & ſeq.*

ducto ab diuiſione initio, & ab ijs quæ controuerſiam hanc proximè contingunt. Nam Franciſcum Halliet Theologum, Aurelio nihil minus quàm Theologo oppono, vt impleatur quod in Iſaia Deus comminatus eſt, *Et concurrere faciam Ægyptios aduerſus Ægyptios; & pugnabit vir contra fratrem ſuum, & vir contra amicum ſuum.*

*Iſa. c. 19.*

*Diuiſionem noſtram agnoſcit Hallier.* in vind. p. 377. & ſeq.

Diuidit ergo nobiſcum Hallier Eccleſiaſticæ Hierarchiæ acceptionem, in latam ſeu generalem; & ſtrictam magiſque propriam. Illam vocat *collectionem & ordinationem perſonarum quarumcumque, tam agentium quàm patientium: tam ſuperiorum quàm inferiorum*: vt omnes illæ perſonæ ſint membra & partes Hierarchiæ. Hæc collectio, ni fallor; ipſa eſt Eccleſia. Eccleſiam igitur & Hierarchiam idem eſſe aliquo ſenſu, quo & nos, Doctor agnoſcit. Hoc eſt quod ſubſannat Aurelius. Eam collectionem probat Hallier ex S. Dionyſio, D. Thoma. Concil. Tridentino, Gregorio Nazianzeno, cum dicat Aurelius *antequàm Ieſuititi Doctores erupiſſent*, auditum illud & cogitatum non fuiſſe. Pergit dicere, eandem diuidi à Gerſone Cancellario in Hierarchizantem & Hierarchizatam. Hoc negat Aurelius. Addit eam diuiſionem à Pariſienſibus Theologis admitti in cenſura libri Nicolaï Smithæi, quam Aurelius *Ieſuiticâ* appellat, *à Ieſuitu ſodalibus hoc tempore fabricatam*. Sacrum Principatum à S. Th. in Principem & multitudinem diuiſum, hanc ipſam eſſe Hierarchiam aſſerit Hallier: Aurelius illud *commentum à D. Thoma ſatis ſuperque damnatum*, ait, *cum ſuppoſuit Hierarchiam nihil aliud eſſe, quàm ſacrum Principatum*. Iudica, Lector, vter acutiùs viderit rationem & naturam Principatus. Ad iſtud comprobandum affert Hallier S. Dionyſij locum ex c. 3. cœl. *Hierarchia ordo hoc poſtulat, vt alij purgentur, alij purgent*, &c. Quo eodem antea vſus fuerat Loëmelius, vt idem inſtitutum probaret. Aurelius & eius teſtimonij leuitatem deridet; & turpiter deprauatum ab Loëmelio locum queritur, quia is ſcripſit *Ad Hierarchia rationem pertinere non ſolum purgare, ſed etiam purgari*, &c. Quod quantùm aut à veritate, aut à Magiſtri mente abludat, fateor me perſpicere non poſſe. Alio quoque ad idem conficiendum S. Dionyſij loco vtuntur Loëmelius & Hallier ex *c. 6. Eccleſ.* vbi tres ordines Hierarchizatorum diſtinguntur Purgati, Illuminati, Perfecti. Hos ordines agnoſcere cogitur Aurelius, & tamen *ſine mente, ſine iudicio afferri* dicit ad probandum, Hierarchizatos eſſe de Hierarchia: quod efficere voluit Loëmelius, etſi minus propriè ſit loquutus. Corrigat ergo ſuam Grammaticam Aurelius, ad Theologi Hallier *dioptram*, ſi res ſupra ſe poſitas ardet attingere: dum ego ex alijs idem auctoribus comprobo, Hierarchiæ ſignificationem cum Eccleſia coniunctam, non eſſe *ab Ieſuitis hoc tempore fabricatam.*

*Doctrina Hallier Aurelij doctrina oppoſita.*

Aurel. p. 455.

Aurel. p. 449.

Idem p. 454.

*Ridicula Eccleſia militantis interpretatio.*

Poſtquam Anglicanæ controuerſiæ turbo Theologiam noſtram commouere incœpit, poſt Anglicanorũ librorum cenſuram in vulgus emiſſam, audita apud Rothomagenſes noſtros Parochi cuiuſdam in concione vox eſt, gloriantis *Decretum tandem eſſe, non fore amplius Ieſuitas de Eccleſia militante.* Confudit hic ſine dubio Eccleſiam cum Hierarchia, & à militante in patientem ab Aurelio transferendos Ieſuitas eſſe præuidit. At fortaſſe neſciuit, etiam patientium ordines in illa qualicunque Hierarchia, eſſe ab Theologo Hallier recenſendos: fuiſſe demum hactenus in Hierarchia agnouit, ſed recente decreto omnes orbis vniuerſi Ieſuitas ab illa Eccleſia iuſſos exulare. Hic vir adeo peritus Hierarchiæ *Ieſuita ſodalis* non fuit, vt opinor, & tamen Eccleſiæ

vocem

vocem pro Hierarchia vſurpauit. Pluribus antè annis quàm hæc diſſidia exorirentur, in publicam lucem prodiit, dignus parente Sorbona partus, Maucleri opus ingens de Monarchia, multiiugæ lectionis liber, index animi candidiſſimi, &c, vt *Pariſinum* auctorem decuit, fidei Catholicæ, & Romanæ Cathedræ ſtudioſiſſimi; cui conſentiunt ſubſcribuntque Doctores Sorbonici octo, virtute omnes & doctrina inſignes. Illotum ergo ſuffragio, non minùs quàm ſcriptoris ipſius Maucleri ſenſu, Hierarchiam pro Eccleſia accipere diſcet Aurelius, cum audiet fidelium diuerſas conditiones, Hierarchiæ Angelicæ ordinibus reſpondere: quod ex Mauclero infra monſtrabitur: imo in clariſſima D. Bonauenturæ Hierarchiam Eccleſiaſticam cum Cœleſti conferentis doctrina. Idem quoque, licet paulùm obſcurius, indicat Thomas VValdenſis, cum Eccleſiæ diſpoſitionem ſpectandam eſſe ait *ad modum Cœleſtis Hierarchiæ, vbi quantò eſt altior gradus beatitudinis, tantò pauciores in illo gradu locantur. Sic conformiter in Eccleſia militante, in inferiori gradu perfectionis plurimi ſunt, in ſuperiore pauciores, & adhuc in ſuperiori pauciores; quouſque perueniatur ad ſummum gradum perfectionis, qui retinet vnum tantùm, ſcilicet Chriſtum.* Hic Eccleſiæ vt vides Hierarchiam, cum cœli Hierarchia comparat, & in illa gradus diſtinguit, qui fideles omnes comprehendunt. Neque dictum illud ad tres Eccleſiaſticos ordines referendum putabit, qui recolet ab S. Hieronymo ſcriptum, Diaconos ſuorum raritate abuſos, contra Preſbyterorum multitudinem inſoleſcere. Qui licet effectus modò non vigeat, cauſa tamen & paucitas Diaconorum adhuc in Eccleſia paret, nemine Diaconatum ſuſcipiente alio conſilio, quàm vt illum prætereuectus, ſtatim ad Preſbyteratum aſcédat. Eandem prætereà opinionem, Origenis, vnde illam hauſit VValdenſis, teſtimonio comprobare poſſem, niſi ſe prætermitti S. Dionyſius ægrè ferret.

*Maucleri opus de Monarchia.*

1 P. l. 5. c. 5.

Thomas Wald. l. 3. doctr. fid. a. 2. c. 37.

Orig. hom. 21. in Nu.

Nam cum cœleſtes Hierarchias deſcripſerit, Michaël Syngelus eius Panegyriſtes, & vitæ ſcriptor, eum dicit *tres clariſſimorum cœleſtium ordinum Eccleſias* eſſe ſpeculatum. Eccleſiæ igitur & Hierarchiæ nomen pro eodem habet. Idem ſignificare videtur & apud Paulum *Eccleſia primitiuorum, qui conſcripti ſunt in cœlis.* Nam verè primogeniti noſtri Angeli ſunt, Dei beneficio & Chriſti gratia prius donati, quàm eſſent in terris homines eius capaces. Quare illos Andreas Cæſarienſis *primarios Trinitatis ſeruos, & adminiſtros* appellat. Quod igitur iam olim ante natos Ieſuitas Michaël Syngelus, quod Thomas VValdenſis, quod S. ipſe Bonauentura, quod Origenes, quod S. Dionyſius, quod Apoſtolus Paulus, aut enunciarunt apertè, aut obſcurius indicarunt; quo illud iure Petrus Aurelius *Ieſuiticum, à Ieſuitis hoc tempore fabricatum* criminatur?

Καὶ τὰς [illegible] Ἐκκλησίας [illegible], &c.

Mich. Syn. in vita S. Dionyſ.

Hebr. c. 12.

Andr. Cæſar. in c. 1. Apoc.

---

*EADEM HIERARCHIÆ PRO ECCLESIA ſignificatio rationibus confirmatur.*

## CAPVT XI.

A DEFINITIONE nodi iſtius, non ſanè difficilis, petenda eſt ſolutio: nam ſi Eccleſiæ non conuenit tradita ſuperius à nobis Hierarchiæ definitio, vicit Aurelius.

Hierarchiæ genus eſt *Ordo ſacer, ſcientia, & actio.* Sacros autem eſſe fideles

*Hierarchia*

definitio Eccleſia conſtituit. 1 Petr. 2. Apoc. c. 5. 20. Guil. Pariſ. l. de ſacra. in Gener. c. 1.

omnes, Chriſti ſanguine tinctos, is tantùm negauerit qui Baptiſmi Sacramentum, & Chriſtianorum nomen ipſis eripuerit. Certè *genus electum, gentem ſanctam, regale Sacerdotium* primus poſt Chriſtum Pontifex appellat. Dilectus autem diſcipulus monere non ceſſat, nos per Chriſtum factos eſſe *Regnum & Sacerdotes Dei & Chriſti.* Guillelmus verò Pariſ. poſtquam Eccleſiam cum ciuitate, templo, domo, exercitu Dei comparauit, ſic tandem concludit. *Quicunque ad hanc perfectionem nobilem, quam diximus, Deo auctore adducti ſunt, huiuſmodi templi ſunt Sacerdotes, ſanctificati ad Dei cultum: huiuſmodi ciuitatis ciues ſunt aſſociati ad iudicium, & ad iuſtitiam, ad viuendum ſecundum leges & ſtatuta Dei Regis: huius domus domeſtici & familiares ſunt, ſerui que vernaculi, ac filij patris familias Dei.* Et inferius vbi de Baptiſmo, docet nos *ipſa gratia vngi ad ſanctitatem, ad decorem, ad Sacerdotalem, ad regiam dignitatem.* In eo porro ſacrorum hominum ordine ſcientiam eſſe *qua quid faciendum ſit intelligant*, vt loquitur Hugo, & actionem, *qua quod intellexerint agendum, perficiant*, probari non debet.

Idem de ſacram. Bapt. c. 1.

Chriſtiani Chriſto ſimiles per Baptiſmi characterem. Cyril. Alex. l. de recta fide ad Theod. Pſal. 4. Cyril. Alex. l. 3. in Ioan. c. 8. Idem li. de recta fide ad Theod. Anſel. in c. 1 ad Ephe. Dionyſ. c. 4 Eccl. in contem. ait Chriſtum, ... Damaſ. l. 3. de fide orthod. c. 21. Ioan. c. 1. Cyrill. in eum locũ. Epheſ. c. 1. Rom. c. 6. Cyril. Alex. l. de recta fide cit.

In differentia video Chriſti imitationem, & Dei ſimilitudinem, ea imitatione comparandam. Quid enim eſt character aliud, quàm ſignaculum ſimilitudinis Chriſti? Non enim vt ſuis olim Iudæis Moſes, ſic Chriſtus *alienum his qui baptizantur immittit ſpiritum ſeruiliter, & vt miniſter: ſed vt Deus ſecundùm naturam cum ſumma poteſtate. Quia ex ipſo, & per ipſum, per quem & diuinus nobis character imprimitur. Reformamur enim quodammodo ad imaginem diuinam, non corporalem ſuſtinentes reformationem.* Quamobrem Pſalmiſta dicit, *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.* Videlicet *vnigenitus Dei Filius vultus Patris, incommutabilis illa imago, qui de ſe dicit; qui videt me, videt patrem, is in nobis ſignatus eſt. Nam conformes ſibi nos faciens, & illuminationem ſui Spiritus, quaſi diuinam imaginem in credentibus imprimens, Deos, Deique filios per gratiam reddit.* Ipſe eſt *quaſi radix poſitus, & initium eorum qui ad nouitatem vitæ in ſpiritu reformantur.* Imo etiam quod ad Baptiſmum, & ad mentem meam propius accedit *caput & fons omnium bonorum Eccleſiæ*, vt loquitur S. Anſelmus. Sic enim arbitror, eum cui, vt pote filio naturali gratia habitualis neceſſaria non erat vt ipſe ſanctus eſſet; illam tantùm *accepiſſe gratiam, & ſapientiam, & omnium bonorum cumulum, vt mundo fontis inſtar effunderet*, quod monuit S. Damaſcenus: adeoque tantum accepiſſe, & fortaſſe non amplius, quantum voluit effundere, vt *de plenitudine eius nos omnes accipiamus*, ex quo *quaſi iugi fonte gratiarum donum ſcatuiens, in ſingulas animas, quæ digna ſunt defluit.* Sic nimirum Pater dedit eum *caput ſupra omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius, & plenitudo eius qui omnia in omnibus adimpletur*, dum per gratiam in omnes effuſam completur & perficitur in ratione capitis, vt ſinguli & omnes hac eius habituali gratia præditi, fiat eius integritas & *plenitudo. Sic quotquot in Chriſtum baptizati ſumus, Chriſtum induimus*, quos ſua ſanctificat gratia, *ſuo inungit ſpiritu, quem ipſum quidem verbum ex Deo Patre, & ex ſua natura nobis reſcaturire facit.*

Mandatorũ diuinorum obſeruatio. Dionyſ. c. 2. Eccleſ. D. Th. 2. 2. q. 184. a. 3. Cyril. l. 9. in Ioan. c. 43.

Talem Dei ſimilitudinem in Chriſtianis omnibus quando conſiderabit Aurelius, non exiget, vt arbitror, oſtendi ſibi peculiarem mandatorum in Eccleſia obſeruationem, in qua medium conſtituit S. Dionyſius ad Hierarchiæ finem aſſequendum: in qua & perfectionem ponit D. Thomas, dicente S. Cyrillo *Perfectiſſimum fidei terminum & dilectionis Dei demonſtrationem, eſſe Euangelicorum præceptorum obſeruationem atque cuſtodiam.* Vides ergo, Lector,

nullam

[illegible] non quadr[illegible] in Eccl[illegible]am, ea nqu[illegible] ap[illegible] Hier[illegible]. Quod ipſum vlterius alia ratione demon[illegible].

*IN HAC HIERARCHIA NON MALE*
*Laicos collocari demonſtratur.*

## CAPVT XII.

ACTVM agam ſi ſolis Franciſci Hallier, in cuius partes tranſiui, aduerſus Aurelium vtar rationibus, quarum præcipuæ & nullis Rhetoricæ præſtigijs eludendæ ſunt hæ. Quod ex S. Dionyſio Hierarchiæ ordo id poſtulet, vt alij purgentur, alij purgent: in Cœleſti Hierarchia tres ſint Hierarchiæ, ratione paſſiuæ illuminationis potius quam actiuæ: in vnaquaque tres ordines ſupremorum, mediorum, infimorum. Quod ex D. Thoma in nomine Principatus duo intelligantur, Princeps & multitudo ſub Principe: quemadmodum in Categoriæ ſerie non prædicabilia ſolùm, verùm etiam indiuidua, tanquam fundamenta reponuntur. Citat ad hæc *Dionyſium to.o libro Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, præſertim c.7.9. & 19.* Quod incautis librarijs cupio aſſignatum. Eccleſiaſtica enim S. Dionyſij Hierarchia vltra ſeptimum caput non protenditur; & extremo illo capite parum proprie gradus Hierarchicos diſtinguere dicitur. Ego quidem clarius hanc diſtinctionem lego in Cœleſti c.3.4.5.6.9.10.15. eoque poſtremo: in Eccleſiaſtica autem c.5. Accipias igitur, Lector, obſecro ab Hallier rationes, à me citatam Dionyſij auctoritatem, quibus contra Aurelium, poſtremos gradus, & eos qui [illegible]ijciuntur, eſſe in Hierarchia iunctis animis efficimus.

*Rationes Doctoris Hallier pro noſtra ſententia.*

*in vind. p. 377 & 376.*

*Hallier Dionyſium male citat.*

Deinde & à me rationum nubem iam hinc inde ſparſarum collige; omnem ordinem neceſſario tribus contineri; agere & pati Hierarchicum eſſe, in Hierarchia conſtitui gradus aliquos, non per id quod inferioribus communicant: agere etiam eos qui patiuntur: Principatum in Hierarchiæ gradibus omnibus non reperiri. Et id genus alia quæ priores libros tanquam ſtellulæ diſtingunt: & omni hæſitatione remota, vltimo Laïcorum gradui apud Aurelium adeo vili & abiecto, locum attribuunt in ea quam tractamus Hierarchia.

*Aliæ rationes ex ante dictis colliguntur.*

Vide & vtrum ratio hæc à priori vt murus aheneus, poſſit vllo Grammatices ariete concuti. Quicunque in Eccleſia auctoritate Hierarchica ad ſacras aliquas actiones deſtinantur, ij omnes & ſinguli ſunt partes Hierarchiæ propriè dictæ: fideles autem omnes, etiam Laïci, ſaltem per Baptiſmum publicâ Hierarchæ aut Chriſti, aut hominis poteſtate traditum, ad Sacramentorum participationem, & pias actiones conſecrantur, quibus & finem Hierarchiæ adiuuant, & Chriſti corpori *plenitudinem* conciliant. Sunt igitur fideles omnes, etiam Laïci illi Aurelio contemptiſſimi, partes Hierarchiæ propriè dictæ. Nam ſi in generali definitione Hierarchiæ id poſuit S. Dionyſius, vt *pro rata & proportionaliter in Dei ſimilitudinem aſcendat*, nonne id per actiones Hierarchicas ſibi inditas facit gradus iſte poſtremus?

*Chriſtiani omnes deſtinantur per Hierarchas ad ſacras actiones.*

Adde Dionyſiacam ſcientiæ Hierarchicæ diuiſionem in ſacra, My-

ſtas, & initiatos. Cum enim res qualibet [illegible] ra, ſic d[illegible] ci [illegible] ſtæ, & initiati ſuo & ipſi, vt probatum eſt, modo ſacri ab ea [illegible] excludi. Nonne autem Magiſter & diſcipuli partes ſcholæ ſunt [illegible] tùm Pythagoreos appellas qui tradunt, non etiam qui percipiunt [illegible] doctrinam? Poteſt-ne aut Magiſter eſſe, aut ſchola ſine diſcipulis? Itaque [illegible] naturam Hierarchiæ, ſeu diuiſionem, ſeu S. Dionyſij mentem & d[illegible] ſpectes, vere & proprie Laïci, ſiue initiati, ſunt de [illegible] pluſima Hi[illegible] *Propriè* addidi, vt Franciſci noſtri memoriam admueam, ſi forte illi e[illegible] primi libri diſputatio, Laïcos *impropriè in Hierarchia* non eſſe, ſed im[illegible] ctè; neque *impropriam Hierarchiæ acceptionem eſſe*, ſed latam & imper[illegible] am *prout plebem Laïcoſque comprehendit*. Ita qui bene de Hierarchia & E[illegible] loſophari incœpit; cum oculos retorſit in Regulares, quibus eo di[illegible] cari videbatur, *in veritate non ſtetit*. Sed hanc ipſe gratiam alij [illegible] aliunde patrocinium Religioſi expectant, quàm ab eo qui ipſos ſolo La[illegible] rum nomine & gradu in Eccleſia dignatur. Reuocot ad Aurelium.

---

## *PETRI AVRELII RATIONES QVIBVS AMplam Hierarchiæ ſignificationem improbat, confutantur.*

## CAPVT XIII.

*1. obiectio de Principatu & Actione in Hierarchia p. 442.* LEVIORA ſunt Grammatici tela, quam vt Loëmelij, & Doctoris Hallier, quam modò propugnamus ſententiam vulnerent. *Hierarchia*, inquit, *vim ſonat & poteſtatem in alios exercendam.* Nam ab Hierarchia principatum & actionem ſi tol[illegible] quid veræ Hierarchiæ relinquis? Primùm hoc ſi negem animi causa, cu[illegible] *1. Reſponſ.* auctoritate probabis? Non certè S. Dionyſij qui ſic ſcribit, *Eſt Hierarchia n[illegible]* *Dionyſ. c. 1. Eccleſ.* *ſtra dicitur que, ratio complectens ſacra omnia quæ ad eam pertinent, Qui Hierarchiam dixit, omnium ſimul ſacrorum dixit diſpoſitionem.* Hic principatum & effectionem expreſſa non lego. Sed aliter ſatisfacio. De tota loqueri Hierarchia, & *2. Reſp.* graduum omnium trium, quibus perficitur, collectione, an potius de gradibus ſingulis? In priore ſignificato Poteſtatem habes vt plurimum, Principatum, vim & actionem in ſubditos, Regnum ſi vis, & Imperium, & ſi quid eſt in rebus humanis auguſtius. In poſteriore non video cur illum vbique *In omni gradu Hierarchiæ non eſt principatus.* Principatum, illam in ſubditos actionem anxiè deſideres. Nam ſpecta Hierarcham: is cum pſallit, cum contemplatur, cum ſe ipſe impertit Euchariſtia, cum ſe omni priuatarum virtutum acquiſitione ad imperandum exercet & comparat; nonne actiones facit Hierarchicas? Vide medium gradum; num is per paſſiuam receptionem in medio illo Hierarchiæ gradu conſtituitur, ideoque tertium Hierarchizat, quia Hierarchizatur à primo? Nam licet Hæreticus aut Turca verè baptizet, non tamen verè Hierarchizat. Quidni: quia [illegible] Hierarcha non Hierarchizatur. Prius igitur eſt, vt in Angelis, ſic in [illegible] pati, quam agere: atque iſtud in ſuo cenſu numerat tertius gradus [illegible] Principes & ſubditos non recenſeat. Quæris quid agant qui *Tertius Hierarchiæ gradus agit.* initiantur: [illegible] rima Dei auxilio, & hoc maximè, quod ad Purgationem ſuam cooper[illegible], obicem peccati tollendo, diuinam acceptando gratiam; quando

qui

*qui te creauit ſine te, non iuſtificat te ſine te.* Nam vt peccatum nullum eſt, niſi vel communis, vel propriæ voluntatis monſtroſa progenies; ſic, vt oppoſitorum idem genus oſtendamus, iuſtitia, vel communis, vel propriæ voluntatis partus ſit oportet; vt eadem voluntas & iuſtum & peccatorem volentem faciat, certè non reluctantem. Suâ igitur actione, & cooperatione purgat aliquo modo ſe ipſe peccator, etſi ſeipſum nō propriè illuminet, aut perficiat. Quod ab Apoſtolo principe diſtinctum ſapienter intelligere poſſumus. *Pœnitentiam agite,* cooperamini actioni vos purganti: *& baptizetur vnuſquiſque veſtrum,* ab alio accipiat illuminationem, & fidei ſignaculum: *& accipietis donum Spiritus Sancti:* perficiemini caritate quam à ſolo Deo accipietis ſine veſtra, quoad hoc cooperatione.

Act. c. 2.

II. Si ſunt, inquit, in Hierarchia conſtituendi non ſolum qui agunt, ſed etiam qui patiuntur *Apertè ſequitur Catechumenos in Eccleſiaſticam Hierarchiam euehendos eſſe, atque adeo prius in Hierarchia, quàm in Eccleſia verſari. Quod putidum, & inſolens, & paradoxum eſt.* Debuerat acumen Grammatici peruidere qui Eccleſiam & Hierarchiam illam latam, idem eſſe velit, nemini locum in Hierarchia daturum, qui ſimul in Eccleſia non habeat ſibi proprium. Catechumenis quem aſſignat? Nam cum omnis ciuitas nobilis, ait Guillelmus Pariſienſis, omnis dignitas militaris, omnis hæreditas, omnis adminiſtratio, & omne officium, omnis honor, & omnis dignitas viſibili ſigno tradatur, vt ea prædiri ab alijs diſtinguantur; illa autem diſtinctio nunquam conuenientius fiat, quàm in ipſa ſeparatione ab alijs, & aggregatione ad ſuos: certum eſt illud ſignum in ſolo imprimi Baptiſmo, cuius expertes Catechumeni nondum penitus ab infidelibus ſeiuncti, & ad ſanctos aggregati ſunt: nondum effecti vnum corpus cum fidelibus, vna ciuitas, quemadmodum ij ſunt qui Sacramentis participant, præcipueque Synaxi, quique per ea principio ſuo, & Hierarchæ ſunt coniuncti: Hæc enim vniuſmodi mediorum coniunctio ad Hierarchicum ordinem pertinet, non ſimplex Hierarchicarum actionum influxus. Niſi forte dicturus es hæreticos, Gentiles, Iudæos cum audiunt docentem Hierarcham, aut cum pro eis preces ad Deum fundit, eſſe in Eccleſia: eodemque iure cum homines illuſtrantur ab Angelis, ad Hierarchiam Angelicam; cum Angeli perficiuntur à Deo, ad Hierarchiam diuinam euehi: denique cum à Religioſis docetur Aurelius, Religioſum fieri.

2. *Ob. de Catechumenis in Hierarchia.*
Pag. 449.
*Catechumeni non ſunt in Eccleſia.*
Guil. Pariſ. l. de ſacr. in gener. c. 1.
*Coniunctio cum principio ſuo & Hierarcha.*

III. Arbitrari *quicunque Hierarchiæ effectuum participes ſunt, eos Hierarchiam ipſam poſſidere, non minoris ſtoliditatis eſt, quàm ſi dicas, idem eſſe diuinitatis effectus percipere, & diuinitatem poſſidere: idem eſſe ſubeſſe Principatui, & potiri Principatu.* Quod de diuinitatis participatione infers, ſi conceſſero, quomodo falſi conuinces? Certè Chriſtus Dauidis dictum, *Ego dixi Dij eſtis,* ad eos refert *ad quos Dei ſermo factus eſt: qui participando fiunt Dij,* ait S. Auguſtinus, *calefacti quodammodo igne ſalutari, Dij efficiuntur, lumina illuminata Dij ſunt.* Et S. Dionyſius diuinitatis cognitione nos ali, & Deos fieri, qui eſt Hierarchiæ finis, aſſeuerat. Sed hanc tibi remitto reſponſionem; habito in ſuperiore, non fieri Angelum qui Angelicos, non Deum qui diuinos influxus percipiat, quia tota natura & ſpecie differunt, vt olim admonuit D. Thomas: ſed per dona gratiæ, ex quibus conflatur Hierarchia, illum qui ijs perficiatur, illuminetur, purgetur, in Hierarchiam euehi, quæ

3. *Ob. de receptione actuum Hierarchicorum.*
1. *Reſp.*
Ioan. c. 10.
Auguſt. tr. 48. in Ioan.
Dionyſ. c. 1 Eccleſ.
2. *Reſp.*
D. Th. 1. p. q. 108. a. 8.

eſt ordo donantium & accipientium, qualem cum Angelis conſlabimus in communi beatitatis æternæ gloria. Et verò debuit ſcire Grammaticus diuinum fieri & Deum, Angelicum & Angelum, eſſe diuerſa. Nemo enim rei vllius particeps, illa ipſa res eſt; & Dei effectus omnes aliquam, ſaltem in eo quod ſunt, Dei perfectionem participant, neque tamen Deum eſſe dicimus.

*Quomodo dici poſsint omnes Principatus participes.* D.Th. 1 2 q.105.a.1.

De Principatu autem & ſubiectione quod importunè, opportunè adijcis, audies fortaſſe plura quam expectes, & ſi poteris, refelles. D.Thomæ doctrina eſt, in bona ciuitatis aut gentis ordinatione duo eſſe attendenda. Primum vt omnes partem habeant aliquam in Principatu, per hoc enim conſeruatur pax populi; & omnes talem ordinationem amant, & cuſtodiunt vt dicitur in 2. Politic. Secundum eſt vt ſit perfecta aliqua regiminis ſpecies. Ea autem eſt præcipua & optima, in qua vnus ſecundùm virtutem præficitur, cui ſubſint aliqui principantes ſecundùm virtutem. Et hic etiam Principatus ad omnes pertinet: quia omnibus imperaturus, & ex omnibus, & ab omnibus eligitur. Quo in regimine Monarchia eſt ex vno Principe, Ariſtocratia ex multis principantibus; Democratia ex electione aut actiua aut paſſiua. Talis fuit Moſaïcæ legis gubernatio. Huius ego doctrinæ auctoritate fretus dico, fideles omnes ſecundùm analogiam eſſe Principatus participes. Is enim ſecundùm plenitudinem quoad Eccleſiam vniuerſalem, eſt in ſolo Papa: quoad particulares Eccleſias, in ſolo Epiſcopo: in inferioribus autem principantibus magis aut minus proüt reſpiciunt, & accedunt ad Epiſcopum, aut ab eo recedunt. Populus autem Laïcus, qui ad honores admittitur, eſtque rationis particeps & liber, eò participat regimini, quòd ex ipſo Clerici deliguntur, & in eorumdem, imo etiam olim in Epiſcoporum electione teſtimonij ius habuit: atque etiamnum ordinandorum Clericorum nomina publicè edicuntur, vt cuique liberum ſit conſecrationi intercedere. Hoc verò eſt partem habere in Eccleſiaſtico regimine, non quidem Rectoris & Principis; ſed ciuis, & patris familias: cui certè aliam dabis in ſua ciuitate conditionem quàm puero, mulieri, externo, & infami. Quibus excluſis, qui partem in ciuili regimine non habent, eoque ſenſu ciues non ſunt; vir quilibet fidelis nulla irregularitate conſtrictus, fieri poteſt Clericus & tonſuratus: idcirco, quamquam remotè, ad Hierarchiam pertinet, ad quam propius accedit Clericus ipſe, ab Epiſcopo iam ad ſacra munia deſtinatus; quatenus à ſecularium negotijs abductus myſtagogis traditur erudiendus, & in ſacris functionibus exercendus. Eidem Epiſcopo viciniores ſunt, quibus ordo collatus eſt aliquis, deinde Diaconus, tum maximè Sacerdos, itaut hi vel actu, vel potentia proxima ſint Myſtæ. Sic per analogiam gradus, aſcenditur ad eum cui primò & per ſe conuenit Principatus. Hoc eſt ſi neſcis, Aureli, ſimul & *ſubeſſe Principatui, & potiri Principatu.* Quod nouè audire te non dubito, cui ſordet noſter Ariſtoteles, ignotus eſt D.Thomas.

*HIE-*

## HIERARCHIÆ LAXIORIS DIVISIO ET SEcundum formam Angelicæ diſpoſitio.

### CAPVT XIIII.

PER hanc doctrinam dum aliud agimus, ad huius Hierarchiæ partitionem collocationemque deuenimus, quam nemo non videt ex Hierarchis, Clericis ſeu perſonis ſacris, & Laïcis eſſe conflatam. Atque in graduum illorum ſingulis, minutiores etiam fieri poſſe diſtributiones: quod in toto vſu-venire ſolet, cujus partes diuiſæ, iam & ipſæ tota fiunt, in minores particulas diuidendæ. Religioſos ad extremam Laïcorum ſortem detrudit Halliet; nos ad perſonas ſacras inferius reducemus.

Vt ergo cœlum cum terra nobili commercio colligemus, & latiſſimam hanc Eccleſiæ militantis Hierarchiam, cum ampliſſima triumphantis Hierarchia quàm fieri poteſt aptiſſimè componamus, conſideranda inprimis videtur S. Bonauenturæ doctrina. Is enim Religioſis ſolis in Hierarchia ſuprema collocatis, Sacerdotes & Epiſcopos Dominationibus, Virtutibus, eos *qui iudicandi recipiunt poteſtatem*, Poteſtatibus, Reges & Principes ſeculares attribuit. Ad tertiam *Statum ſubiectionis*, ſiue ſubditos reducit, & *humiles & verè obedientes, Principatibus; continentes ſiue innocentes, Archangelis; miſericordes & pœnitentes, Angelis comparat.* Quæ collatio cum Laïcos, & ſubditos inferat in Hierarchiam, adeoque totam Eccleſiam complectatur, quo pondere auctoritatis totum opprimit & obruit Aurelium?

*Bonauenturæ Hierarchiam Eccleſiæ cum Angelis comparat. l. de Hier. Eccleſ.*

Rem eandem aliter proponit Thomas VValdenſis Religionis titulo, quem ei diſputatio cum VVicleffo, quemadmodum nobis Hierarchiæ nomen Aureliana concertatio miniſtrauit. *Summa*, inquit, *Religio poſſibilis, eſt religio Chriſti hypoſtatica, quam ſeruauit in perſona ſua, quæ nulli alteri eſt communicabilis puræ creaturæ.* Decuit enim caput & auctorem adeo perfectæ religionis, vngi oleo ſanctitatis præ participibus ſuis, cui *non ad menſuram dat Deus ſpiritum.* Deinde *Religio Martyrum, ſiue in actu exteriori, ſiue in profeſſione, & in habitu prompti animi conſiſtens. Et hæc erat Religio peculiaris Apoſtolorum, & communicata deinceps Religioni Epiſcoporum. Eſt enim profeſſio Epiſcopalis, ponere vitam temporalem pro grege, cum oportet.* Vide in quo maximè ſuccedant Apoſtolis Epiſcopi: quæ res Chriſto proximos faciat: quis actuum Hierarchicorum nobiliſſimus ſit: quàm multi, quàmque varij gradum iſtum Hierarchiæ poſſideant Epiſcopi, Religioſi, Laïci, coniugati, continentes, puellæ, matres familias. Sequitur *Religio Monaſterialis, quæ vno eodemque gradu collocatur cum virginitate eius, ſecundùm Auguſtinum.* Nam totam iſtam collocationem ab S. Auguſtino more ſenſuque ſuo explicato mutuatur. Deinceps *Religio continentiæ vidualis. Et inter illa debet collocari Religio Sacerdotum.* Quam timeo ne VValdenſi ſuccenſeat, ſi hoc legerit, Aurelius! Ipſe tamen dictum mitigat. *In Sacerdotio eſt gradus duplex, dignitatis & ſtatus: quantùm ad gradum dignitatis collocatur ſuper omnes, iuxta Hierarchas: quantùm ad gradualitatem ſtatus inter continentes.* Dignitas in ordine eſt; ſtatus in vitæ perfectione, illâ proximi Epiſcopis ſunt Sacer-

*Aliâ Hierarchiæ diuiſio ex VValdenſi. l. 5. doct. fid. a. 1. c. 16. Religio Chriſti.*

*Apoſtolorum ſiue Epiſcoporum, quæ & Martyrum.*

*Monachorum.*

*Continentium & Sacerdotum.*

*Coniugatorum.*

dotes, hac inferiores Religioſis. *Collocemus in baſi Religionem pudicitiæ coniugalis*, quæ infimam Laïcorum partem complectitur. Atque ita Religio, Eccleſia, Hierarchia omnes Christianos vaſtiſſimo ſinu comprehendit.

*Hierarchia ex poſitio ad formam Angelica ex Mauel. l. 1 de Monarch. h 1 P. l. 5. c. 1. & 5.*

At pio & Religioſo Doctori Mauclero placet totam Eccleſiaſticam Hierarchiam, ad Angelicos ordines accommodare, hac ſerie quam breuiter colligo. *Princeps & Monarcha Angelorum omnium ſub Deo S. Michaël de gremio Seraphici chori eductus eſt*; in Eccleſia autem militante *Princeps atque Paſtor Monarchicus gregis Eccleſiaſtici Romanus Pontifex, de ſinu purpurei Cardinalium cœtus conſtitui, creari-ue conſueuit. Principi ſuo familiarius digniuſque ſociantur Hierarchiæ Primates Seraphim, Cherubim, Throni.* Vt apud nos ſummo Pontifici ſacer Cardinalium chorus, quorum Epiſcopi Seraphinis, Preſbyteri Cherubinis, Diaconi Thronis ſunt ſimillimi. Inter Cherubinos Prophetæ quoque, & ſancti Doctores non incongruè; inter Thronos Martyres fortiſſimi reponuntur. In ſecunda Hierarchia, ſi Iuriſdictionem ſpectamus, Primates Dominationibus, Archiepiſcopi Virtutibus, Epiſcopi Poteſtatibus comparantur. *Sin autem perſonarum ſanctitatem, diuerſaſque eorum moris virtutes attendimus, Dominationibus ſimiles dicimus pios ſanctoſque Dei Confeſſores*, id eſt, Religioſos; nam quæ in illorum deſcriptione auctor addit prolixius, ea vix alijs quàm Religioſis conueniunt. Virtutibus verò boni Antiſtites, Poteſtatibus denique pij Principes Laïci accommodantur. Tertiam Hierarchiam componunt Principatus, & iis ſimiles Abbates Monaſteriorum, & Eccleſiaſtici minores Prælati, vt pote Diaconi, cathedralium Eccleſiarum Præpoſiti, Archidiaconi, aliiſque dignitatibus Eccleſiaſticis inſigniti. Archangeli & iis reſpondentes *Curati, qui reſpectu ſimplicium Sacerdotum Archipresbyteri dici poſſunt.* Angeli denique, & iis pares ſimplices Preſbyteri. Et hos quidē gradus facit dignitas: eoſdem autem alijs concedit ſanctitas: Principatuum ſimilitudinem verbi Dei prædicatoribus, Archangelorum effigiem caſtiſſimis virginibus, Angelorum demum imaginem bonis piiſque ſecularibus. Ita Doctor, cuius caniciei Aurelius & Hallier debent aſſurgere; atque eo docente, vt veri diſcipuli, credere duo eſſe quæ homines in Hierarchia collocent, dignitatem, & ſanctitatem. Religioſos in ea Martyribus eſſe proximos: non excludi ab ea Principes, Laïcos, Virgines. Dicet aliquis, hæc eſt tua doctrina? ſic tu Hierarchiam diſponis? Cui ego: latæ Hierarchiæ diſtributionem qui excogitant, illam Hierarchiam agnoſcunt, quod potiſſimùm probatum volui; ordinem non malum contexunt; hoc Catone contenti ſi non ſunt aduerſarij, videant patienter eum quem paulò poſt adducemus.

---

## *HIERARCHIA STRICTE ſumpta definitur.*

## CAPVT XV.

HVCVSQVE ambulauimus in latitudine, in qua Religioſos commorari permittunt aduerſarij. Sed quod permittunt, Hierarchiam Antelius vocare formidat, ne vel *impropriè*, vt verbo Hallier vtamur, ſint in Eccleſiæ Hierarchia Ieſuitæ.

Nunc

[illegible] loquendum, & an[illegible] Hierarchia, ex [illegible]cta, & rebus *Hierarchia ſtricta definitio ex*
[illegible] parte co[illegible] [illegible] m, ſi *Hallier in*
[illegible]be [illegible] apud Hallier, *Ordinem ſacratum in Eccleſia perſonarum, quibus ſacræ alicuius functionis ex officio exercendæ poteſtas conuenit.* Nam ſa- vin.p.379.
*cras perſ*[illegible] nominat, ſacratis Hierarchiæ recordor; cum *poteſtatem* ex[illegible] & o[illegible] impoſitum à ſuperiore muneris conſidero, cui deeſſe non debe[illegible]erſona: cum *ſacram functionem* non hanc aut illam, ſed [illegible] aliquam [illegible] pro obiecto; & finem ordinantis Hierarchæ, & [illegible] actionum ſacrarum multiplicem varietatem concipio. Verum quod [illegible] *proprie tantum* [illegible] *icos, nec omnes forſan, ſed ſoli qui iuriſdiction. polleant, Hierarchicos eſſe, ſeu in Hierarchia propriè dicta c*[illegible]*ner*[illegible]: hoc eſt quod [illegible] intell[illegible] quodque notari à te peruelim. Lector, vt hos videas Doctores in [illegible] Iuriſdictionis Hierarchia verſari, ſolam verſare, & ad eam omnia, non ſine magna perturbatione reducere.

Lic[illegible] [illegible]s illa definitio faciat, meo tamen animo bene non *Hierar definitio e [illegible] Dionyſii.*
fu[illegible], niſi S.Dionyſium conſuluero, & eius verbis ita pronunciauero. Hierarchia Euangelica ſtrictè ſumpta, quam Eccleſiaſticam vocamus, eſt *ordo ſacer, & ſcientia, & actio in Eccleſia, perſonarum peculiariter ſacrarum, per ſpecialem Chriſti imitationem ad diuinitatis ſimilitudinem adducens, & ad eam ſecundum actus Hierarchicos ſibi inditos pro rata & proportionaliter aſcendens.* Nihil habet iſta peculiare definitio, niſi illud quo magis ad certas quaſdam perſonas, earumque actiones non omnibus per conſecrationem communes, adſtringitur, atque adeo ab illa fuſiori, & quaſi omnibus expoſita Hierarchia ſeiungitur. Itaque *Allata definitionis*
poſtulo *peculiarem conſecrationem*, ſiue deſtinationem, ab Hierarcha, aut eius *explicatio.*
auctoritate factam, quæ in Baptiſmo non percipitur. Volo *ſpecialem* Hierar- 1 Cor.11.
chæ *Chriſti imitationem*, Apoſtolo ſe imitatorem Chriſti dicente; ſeque ipſum Philip 3.
immediate ad imitandum Chriſtianis vulgaribus exhibente: S. Dionyſio autem nihil crebrius admonente, quàm Hierarcham Deo ſimillimum, & Deum Dionyſ. c. 1.2.3 Eccl.
fieri debere: Hierarchiam quidem omnem in Ieſum, vnamquamque autem in ſuum Pontificem deſinere. Quod pro rata portione de conſecratis omnibus dicendum eſt. *Actus Hierarchicos pati* omnes dico, cum & ipſe Epiſcopus Epiſcoporum conſecrari debeat, & ſubditorum ſuorum exemplo proficere, orationibus adiuuari poſſit: cum Hierarcha quilibet *pro ſua natura, mo-* Idem c.1.
*do & ordine in diuinis myſterijs perficiatur, ac diuinitatem conſequatur.* Cum Ange- Eccleſ.
lus non alia de cauſa appelletur, quàm quòd, vt beati illi ſpiritus, *accepta ab* Idem c.12.
*alijs enunciet, eorumque interpretandi rationem, quantùm homini fas eſt, æmuletur.* cœl.
Quod ſi Princeps Hierarchiæ ab excipiendis illis Hierarchiæ actionibus, non excluditur; quantò minùs inferiores gradus, qui vim & poteſtatem Hierarchicè operandi non habent, niſi quam ab illo accipiunt?

Sed erit fortaſſe, qui mecum ſic agat. Cum libri ſuperiores, tres tantùm *obiectio*
in omni Hierarchia gradus, & illorum tertium eſſe ſubditos meroſque patientes monſtrauerint; cur modò tantùm ad agentes perſonas conſtringitur Hierarchia? cur excluduntur ſubditi? aut ſi abſque ſubditis perfecta ſtare poteſt Hierarchia, quo tandem abibit illa ſuperior pro patientium ordine diſputatio? Cui orationi ſic ſatisfacio. 1. Nunquam à nobis in Hierarchia di- *Reſponſio.*
ſtinctos qui tantùm agant, ab ijs qui tantùm patiantur: cum hoc ipſum confecerimus, omnes qui ad Hierarchiam pertinent agere, omnes pati, ſuo ſin-

gulos modo. Quod & hoc loco maximè ſeruatum volumus, vbi c[illegible] ad agendum perſonas requirimus, hoc eſt quæ ad actionem perue[illegible] paſſionem. 2. Satis ſuperque probatum videri, non omnem ac[illegible] chicam in alium, cumque ſubditum tranſire, vt ſubdi[illegible] non [illegible] ceſſaria ſit mentio. 3. Quanquam ad inferiores prodire [illegible], il[illegible] tamen ad agentis Hierarchiam non debere omni[illegible] pertinere, [illegible] Angelorum in homines influxus, qui certè ill[illegible] ad Hierarchiam A[illegible] non euehit. Sic Diaconus in Catechumenos agit ad Eccleſiam nondu[illegible] quantò minus ad ſtrictam Hierarchiam pertinentes. 4. Si quis tamen pr[illegible] fracte volet euincere, ſubditos & patientes eſſe in Hierarchia conſidera[illegible] equidem non repugnabo; modò diuerſum ex illis ordin[illegible]n non co[illegible]iat, [illegible] que perfectum ternarium noua additione corrumpat. Agentis en[illegible] p[illegible]tientis vna quodammodo debet eſſe ratio, vna contemplatio: quem[illegible] dùm vna eſt actio, quæ ab agente profecta, in patiente recipitur. E[illegible] vi[illegible] is ſit magni Hierophantoris ſenſus, qui cum ſæpe monuit illum e[illegible] bonitatis morem, effundere ſe in media, per prima, & in ima per ſup[illegible]ra, illas actiones ab Hierarchis per Preſbyteros, deducit ad vſque Diacon[illegible], [illegible] omnes Ordinis deſcriptam Hierarchiam conficiunt: ſic tamen vt [illegible] dines non excludantur, Monachi perficiendi ab Hierarch[illegible], ſanctus popu[illegible] illuminandus à Sacerdote, Catechumeni purgandi per Diaconum. Dice[illegible] in Hierarchia Dionyſiaca iſtos ordines locum non habere, vt magiſtrum ar-guas quod extra chorum ſaltauerit? aut tres hoſce patientes, ab illis agentibus diſtingui, vt ſenarium numerum imperfectum in diſpoſitionem ordinati[illegible]ſſimam, contra mentem dictatoris intrudas? Hæc eſt igitur definitio, pro qua, vt arbitror, funem contentioſum non trahent aduerſarij, ſed induſtr[illegible] & ingenium omne ſuum in conuellenda diuiſione ponent; quod vt faciliu[illegible] perficiant, illam qua poſſum perſpicuitate propono.

*Agentium & patientium vna eſt conſideratio.*

---

## HIERARCHIÆ ECCLESIASTICÆ DIVISIO *exponitur, & ad formam Cæleſtis reducitur.*

## CAPVT XVI.

*Triplex Hierarchia Eccleſiaſtica.*

VNIVERSALEM Eccleſiæ Hierarchiam in ſtrictiore ſignificatu ro ſumptam, in tres partes, ſeu partiales Hierarchias diſtribuo earumque ſingulis tres gradus aſſigno. Primam & ſupremam Chariſmatum, ſeu gratiarum gratuitarum; Mediam Ordinis, infimam Iuriſdictionis appello. In prima ſanctitas eſt; in ſecunda conſecratio, in tertia miſſio. Prima dat auctoritatem excellentiæ; altera ſimpliciter poteſtatem, aut vt D. Thom. officium; vltima iuriſdictionem. Prima non nominatur ex reſpectu ad inferiora, ſed ad ſuperiora & diuina quæ patitur: reſpectu autem actionis in alios, non exigit quidem in illos poteſtatem aliquam, ſed tantùm apta & idonea eſt ad eam accipiendam. Secunda iam prædita eſt Hierarchizantium poteſtate, ſed tantùm in actu primo, nondum accedente mobili omni & paſſo. Tertia Hierarchizantes in actu ſecundo com-

plectitur:

plectitur: ſeu in actu materiam determinatam & paratam habente in quam agit. Prima proprie perficit: media illuminat; tertia purgat.

Hæc in Angelis poſtrema eſt, executrix, miſſorum, & rebus humanis regendis immediate adiunctorum. Cuius Principatus ſunt Epiſcopi, miſſorum ex officio Principes: Archangeli ſunt Archidiaconi, Archipreſbyteri: Angeli Preſbyteri ipſi qui vel ex officio, vel ex commiſſione curam animarum ſuſtinent. Quod Gerſoni non diſplicet, qui Curatos cum infima hac Hierarchia componit. In media Hierarchia illuminatrice, Dominationes pono Epiſcopos; ſunt enim ij qui ordinant & diſponunt Eccleſiam: Virtutes, Preſbyteros, in quibus vis illuminatiua reſidet, & gratiæ virtutumque conferendarum: Poteſtates, Miniſtros, qui pro ſuo quique modo tollunt obicem, & purgatione præparant ad cœleſtes ſtatus accipiendos. Primam & ſupremam Hierarchiam perficientem compono ex Thronis, quibus reſpondent Iuris Canonici, ſeu Theologiæ practicæ Doctores: Ex Cherubinis, qui ſpeculatiuæ Theologiæ Doctores erunt: Ex Seraphinis, ijque ſunt quotquot Deo aſſiſtunt; ſeu profitentur auctoritate Hierarchica vitam quæ pro fine proximo, Dei amorem, & eius amoris ardorem ſibi proponat. Talis omnino eſt Epiſcopus, ex eo poſitus in acquiſitæ perfectionis ſtatu: tales Religioſi omnes perfectionis ſtudium profeſſi: tales Clerici, qui & ipſi religioſæ vitæ participant, cuius eſt Deo vacare, aſſiſtere, per contemplationem, aut actionem, vel vtriuſque miſtionem. Quibus addenda eſt corollarij vice doctrina VValdenſis ante poſita, in vtraque Hierarchia quantò altior eſt aut beatitudinis aut perfectionis gradus, tantò pauciores in eo locari: vel S. Bonauenturæ, arcam ſpiritalis perfectionis, cum inferius ſit tricamerata, & bicamerata in medio, in cubito conſummari. Hæc eſt mea, ô boni, diuiſio & collocatio, quam ad *dioptram* veſtram examinare prius vobis non permitto, quàm conſequentes libros, qui ſingulis Hierarchijs dicati ſunt, fueritis contemplati.

*Angelica Hierarchia ſatis aptè reſpondet.*

Gerſon. l. de poteſt. Eccl. conſi. 5.

Wald. ſup. cit.

Bonau. in Apol. pau. reſp. 1. c. 5.

Cæterùm qua ſimilitudine vtraque ſibi reſpondeat Hierarchia, neque intelligere difficile eſt, neque neceſſarium exponere. At quomodo inter ſe differant, diligenter animaduertendum eſt. Non enim expreſſa effigies exemplar ſuum perfectè vnquam imitatur: & ſi Cæſaris imago à Cæſare non differret, Cæſar eſſet, non imago. Primùm igitur triplex Eccleſiaſtica eſſe dicitur; non vt Angelica, ex diuerſis indiuiduis conflata; ſed ex variarum conſideratione rationum in iiſdem vt plurimùm perſonis ſpectatarum. Nam Epiſcopus in qualibet ordinem ducit: Clerus in prima & ſecunda idem reperitur: Parochos poteſtas & officium in tertia, ordo in ſecunda, profeſſio caſtitatis, & amoris in Deum proximumque, reponit in prima. Religioſum Sacerdotem & Concionatorem commiſſio in tertia, ordo in ſecunda, ſtatus collocat in prima. Fauet huic rationum, in perſonæ vnitate diuerſitati, quod Hincmarus venuſtè S. Remigium in ſingulis Angelorum Hierarchijs in cœlo collocat, tanquam illis aliqua parte parem & ſimillimum.

*Vtriuſque Hierarchiæ differentia 1. in perſonis.*

Hincm. in Encom. S. Remigii apud Sur. 13. Ian.

Secundò ſi perſonas ſpectamus quæ Hierarchias illas poſſident, non ſecunda per primam, aut tertia per vtramque Hierarchizatur; neque vllus ordo eſt inter collocatos in diuerſis, qui inter Angelos reperitur; quia vnus & idem ſupra & infra ſeipſum eſſe non poteſt. Verum ſi ſingularum quaſi officia conſideramus, & rationes ſic diſtinguendarum, diſponendarumque Hierarchiarum, præſtantiſſimum inter illas generationis ordinem reperiemus,

*2. Differentia in ordine.*

quo prius aliquid primæ habeatur, quàm ad ſecundam, aut tertiam deue-
*Quis ordo ſit inter Hierarchias* niatur, neque hæc ſine illa rectè poſſideatur. Nam ex ſecundo libro memi-
niſſe oportet, Deum omnis Hierarchiæ principium, primo amoris dono in
Seraphinos, deinde ſapientiæ in Cherubinos, tertio potentiæ in Thronos ef-
fundi; ſic primam componi Hierarchiam, regulam cæterarum. Ad eum
enim modum, is qui vocatus fuerit à Deo tanquam Aaron, (hanc enim re-
quiri vocationem quis negare audeat?) ab ipſo vocante inſtruitur virtute &
ſanctitate ad opus neceſſaria, vt olim Spiritus Sanctus imperauit Antioche-
Act.c.13. nis fidelibus, *Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus ad quod aſſumpſi eos.*
Deinde ſic electum Eccleſia per Hierarcham ordinat. Sequitur enim *Tunc
ieiunantes & orantes, imponenteſque eis manus, dimiſerunt illos,* Nam tertio loco
mittuntur ad meſſem multam operarij. Itaque ſpectata rei natura, nemo mit-
titur ante ordinationem; neque poſſunt pleræque iuriſdictionis actiones va-
lidè committi, niſi ordine ſacro inſignitis: vt poteſtas abſoluendi à pecca-
tis; ordinandi Preſbyteros, & ſimiles. Ordinatur autem nemo, niſi aliqua
ſanctimonia dignus illo beneficio redditus fuerit. Nam irregularem, infa-
mem, indignum vel ſcientiæ vel ſanctitatis, maximeque caſtitatis, quæ ſan-
ctimonia dicitur, defectu ad ordines Eccleſiaſticos admoueri, ſacræ Cano-
num leges prohibent. Ex ſe igitur dignitatem ordo, ordinem miſſio prære-
quirit: quique Hierarchiam perfectè & cumulatè tenere vult, is tria ab Hie-
tarchis accipiat neceſſe eſt.

*3. Diſſimilitudo in gradu perfectionis.* Quia tamen Spiritus Sanctus chariſmata ſua diuidit ſingulis proüt vult,
& maiorem minoremque ſanctitatem multi gradus diſtingunt, Tertium diſ-
Guil. Pari. 2.P. de vn. p.1.c.141. crimen notabimus, à Guillelmo Pariſienſi prius indicatum, gratiæ & perfe-
ctionis magnitudinem intenſionemque non ſpectari hac in Hierarchiarum
collocatione. Fieri enim poteſt vt quis in vno gradu conſtitutus, multis par-
tibus alteri antecellat, à quo tamen ſuperiore officij gradu plurimùm ſupe-
retur. At in Angelis, vt naturæ, ita gratiæ ordo poſitus hic eſt, vt ſupremæ
Hierarchiæ, infimis; primi Angeli, ſubditis anteſtent. Itaque quod Hierar-
chia Iuriſdictionis in poſtremum locum à nobis reiecta ſit: quod Ordinis
Hierarchia medium, non primum gradum tenere iuſſa ſit: quod Hierarchia
Gratiarum in ſupremo loco ſit poſita; inque ea Religioſi inter Seraphinos lo-
cati; non id gratiæ, dignitati, excellentiæ vnius ſupra alteram Hierarchiæ,
ſed aptæ accommodatæque ſingularum compoſitioni datum eſſe putandum
eſt. Litem ergo mihi non mouebit Aurelius, quod Religioſis eximium in
Hierarchia Eccleſiaſtica locum, inani quadam oſtentatione quæſierim: cum
omnis non dominatu regio, ſed miniſterio contineatur; dicente Hierarcha
Matth. 20. *qui voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſeruus.*

*4. Diſſimilitudo in diſpoſitione.* Iam verò licet in ſingulis Angelorum ordinibus ſupremos, medios, infi-
mos gradus repererimus, & illis ea in varietate ſimilis videri poſſit Eccleſia-
ſtica: in eo tamen differt, quòd ſi ſunt infimæ ſpeciei omnes, vt Angelico
D. Th. 1.P. q.50.a.4. Doctori placuit, plures vniuſmodi ordines facere non poſſunt, ſicque diſpo-
ſiti ſunt omnes, vt alijs alij perpetua ſerie ſubſint. Noſtra verò Hierarchia in
ordine ſuo varios continet ordines, & conflatos è pluribus eiuſdem conditio-
nis hominibus, & à ſe inuicem minimè pendentes: quibus proinde ſufficit
Guil. Pari. loco cit. ad communem omnibus Hierarcham referri. Cuius rei exemplum pono
poſt Guillelmum meum in Capitulo, in ordine Monachorum, Canonicorum
regularium,

regularium, Templariorum: qui ſola catitate Chriſtiana & vnius Hierarchæ atque Epiſcopi impetio & gubernarione ſunt inter ſe connexi: *& in vnoquoque ordinum iſtorum manifeſtum eſt gradus diuerſos eſſe, atque multiplices; atque perſonas vniuſcuiuſque ordinis vides non omnino æquales eſſe vel ſanctitate, vel ſapientia, vel alijs donis, licet in vno, & de vnoquoque ordine ſint.* Illæ ſunt *priuatæ Hierarchia, in Generalis Eccleſiaſtica ſinu concepta*, vt eleganter Illuſtriſſimus Bellicenſis Epiſcopus Ioannes Petrus Camus, *diſtincta inuicem, non diuiſa: non ſeparata ab Eccleſia, quam admirabili varietate conuenuſtant: non diuerſæ religionis, ſed vitæ perfectioris: exemptæ ab ordinariorum iuriſdictione, ſed ſuperioribus proprijs ad formam ordinariorum diſpoſitis obtemperantes.* Ioan. Petri Camus Epiſc. Bellic. ſerm. 10. de S. Ignatio.

---

## *HUIUS DIUISIONIS NECESSITAS ATQUE opportunitas certis rationibus declaratur.*

## CAPUT XVII.

PERMAGNI intereſt diuiſionem hanc conteſtatam habere, cum aduerſarios noſtros, & antiregulares omnes eius ignorantia in fœdam perturbationem, & flexuoſiſſimos labyrinthos impulerit. Solam enim volunt & agnoſcunt Iuriſdictionis Hierarchiam, idque omnia eorum argumenta conficiunt, non eſſe hos & illos de Hierarchia Iuriſdictionis; cum aliæ præterea duæ ſint omni neceſſitate ponendæ, quod ſic efficio.

I. Ex hac ipſa, quam modò declarabamus, cum Cœleſti ſimilitudine: niſi enim dederis Eccleſiaſticæ tres ordines, ſanctitatis, ſcientiæ, porentiæ capaces, neque Trinitatis Hierarchiam, neque profuſa eius in Angelorum ſupremos dona exprimes. Niſi hos ordines terniones feceris, & trium ſingulis tres gradus aſſignaueris; non tantùm ad eorum munia non attinges, quod ipſum per ſe magnus fuerit in antitypò defectus: ſed ne numerum quidem aſſequeris, cum ea tamen naturæ lex ſit, vt quæ ſunt in ſuperioribus coniunctiora, multiplicentur in inferioribus. *1. Ratio, ſimilitudo cum Hierarchia cœleſti.*

II. Ex Hierarchia Legali ante producta, quam noſtra perficiendo exprimit; in qua Iudices ſpectauimus ad ſolam Iuriſdictionem diuinitus electos, Leuitas, Cantores, Ianitores in ſolo Ordine conſiſtentes: Prophetas autem ſuo priuato, non Sacerdotali chriſmate inunctos, ſuis chariſmati non Leuitico miniſterio diſpoſitos: Dei inſtinctu, non generatione naturali ſucceſſionem penè perpetuam ducentes: viros Dei, non templi: vel potius viros templi, quia Dei: ſine imperio, ſumma cum auctoritate totum populum, ipſoſque principes diuinis illuſtrationibus impartientes: quibus ſi Chariſmatum Hierarchiam rite concedi negant aduerſarij, alteram edant oportet in quam referantur. Pontifices denique per omnia ſacrorum ordinũ genera commeantes, vt vniuerſæ Sacrorum ſcientiæ doctores, moderatoreſque actionis. *2. Ratio, ſimilitudo cum legali.*

III. Euangelica tempora & Euangelicos Doctores conſulo. Inter omnes ſatis conſtat tres eximios Doctores de Hierarchia Eccleſiaſtica ſtrictè ſumpta, in qua modò verſamur, diſſeruiſſe; Paulum Apoſtolum, Dionyſium Magnum, & Gerſonem Theologum. Hunc licet & tempore, & auctoritate *3. Ratio, ſacrorum ſcriptorum auctoritate.*

longè cæteris imparem adiungo: non quod primus aut ſolus Hierarchiam ſuo modo explicarit, (nam ante Cancellarium Pariſienſem, Guillelmus Epiſcopus Pariſienſis eandem deſcripſit) ſed quod & celeberrimus ſit, & vulgo notiſſimus, & præcipuæ apud eos qui huic doctrinæ repugnare poſſunt, fidei atque auctoritatis. S. Dionyſij quoque ſanctam eſſe hic volo auctoritatem, quando & pro hiſce ſcriptis ad Areopagitam referendis plures certant, & ab huius controuerſiæ ſcriptoribus magno ſemper ambitu citatur Dionyſius. De Apoſtoli ſenſu ſine periculo dubitari non poteſt, ex quo Tridentinum, quod S. Dionyſij Hierarchiam ſequitur, clarè pronunciauit, Pauli doctrinam eſſe de Eccleſiaſtica Hierarchia.

*Diuerſi auctores probati diuerſas Hierarchias explicant.*

His ita poſitis, argumentum ſic informo. Scriptorum iſtorum de Eccleſiaſtica Hierarchia doctrina vulgò ab omnibus admittitur, & eius explicandæ modi; atqui Doctores iſti tres, Hierarchiæ ſpecies varias, ſinguli ſingulas tradunt, ergo tres Hierarchiæ ſpecies variæ ab omnibus admittuntur. Maior ſuperius explicata, non verſatur in ancipiti. Conſecutio aperta eſt: cuius ex abundanti confirmationem petere poſſumus à S. Gregorij doctrina, qui nouem Angelorum ordines agnoſcendos ex eo probat, quod diuerſi diuerſis ſcripturæ locis nominati & expreſſi, cum in vnum catalogum ſunt omnes relati, nouem eſſe reperiuntur. In Aſſumptione igitur cardo difficultatis fixus eſt; in qua monſtrare oportet, cum omnes in genere de Hierarchia ſcripſerint, neminem cum alio in eadem ſpecie conuenire.

*Gre. hom. 34. in Euan.*

*Nonnulli ſunt in vna Hierarchia, alij in alia.*

Nonnulli reponunrur in Hierarchia ab Apoſtolo, qui vi ſtatus ſui ad alias ſpecies ab alijs traditas non pertinent, idem de S. Dionyſio, idem de Gerſone dicendum: ergo in eadem ſpecie Hierarchiæ non conueniunt. Probatur Antecedens. 1. Prophetæ, Interpretes ſermonum, qui habent gratias virtutum & curationum, Hierarchiam tenent apud Paulum; quid illi ad S. Dionyſium, aut Gerſonem? Diaconi, Hypodiaconi, Exorciſtæ, Preſbyteri quilibet, etiam ſine cura animarum, in S. Dionyſij verſantur Hierarchia: quid illis cum Paulo, aut cum Gerſone? Archipreſbyteri, Archidiaconi, Parochi Hierarchicos in Gerſone faciunt ordines; quid illi S. Dionyſio, aut Paulo neceſſarij? Probatur 2. Ipſi tractatus, auctorum mentem explicant. Nam Paulus diuina chariſmata aliquibus Eccleſiæ membris in bonum totius corporis conceſſa explicat. S. Dionyſius tria Sacramenta, Baptiſmi, in quo Purgatio, Chriſmatis, in quo Illuminatio, Euchariſtiæ, in quo perfectio, & Miniſtros ad ea neceſſarios, vt Hierarcham, Preſbyteros, Diaconos exſequitur, quibus addit Tridentinum inferiores alios altaris & Eccleſiæ miniſtros. Gerſon toto tractatu de Poteſtate Eccleſiaſtica, in ſola Iuriſdictione verſatur, vt patet vel cæcis qui Gerſonem legi audierint: ac præcipuè Conſideratione nona manifeſtè animum ſuum exprimit, cum ab ea eximit Curatos, vel ſolos titulares Epiſcopos carentes plebe; & Religioſos ſimplices auctoritatiuè Hierarchiſare negat. Probatur 3. Hierarchia prout à Gerſone deſcribitur, requirit auctoritatem & poteſtatem in corpus Chriſti myſticum: prout autem à S. Dionyſio, ordinem poſtulat ad corpus reale, de myſtico autem minimè curat. Prout denique à Paulo, nullam importat auctoritatem & poteſtatem in reale aut myſticum corpus. Nam, vt Lectores, & Acolythi officia ad quæ deſtinantur, ſine auctoritate in plebem exercent; ita Prophetæ, interpretes ſermonum, operatores virtutum, & miraculorum, chariſmatis ſuis vtuntur ſine poteſtate in ſub-

*Tractatus auctorum mentem explicant.*

in ſubditos, ergo tota ſpecie differunt tres illæ à tribus receptis Doctoribus expoſitæ Hierarchiæ. Quas qui volet inuicem permiſcere, & Paulinam ad Dionyſiacam reducere, quod tentatum, at non feliciter perfectum videmus in Hallier, is profectò & pleraque praue detorquebit, & omnia confundet.

*4. Ratio, omnium ſoli citu diſpoſitio in Hierarchia.*

IIII. Eadem diuiſio alia ratione ſtabilitur, facillimæ & apertiſſimæ diſpoſitionis Eccleſiaſticæ, quæ ſine dubio, eſt *caſtrorum acies ordinata*, & ſine tribus iſtis partialibus Hierarchijs non bene conficitur. Nam qui ſolam Iuriſdictionem amant in Hierarchia, quæ multò maxima pars eſt, Cardinales, Epiſcopos plebe carentes, Doctores Theologos, Euangeliſtas ſeu concionatores, & eiuſmodi alios ab Hierarchia excludant oportet: quod faciunt iniuria. Vt enim de ſolis Epiſcopis plebem non habentibus loquar, nonne poſſunt actus Hierarchicos exercere, vt fideles confirmare, definire fidei articulos in Concilijs? Ergo in Hierarchia eſſe cenſendi ſunt, & tamen ſubditis & Iuriſdictione carent. Qui Parochi fuerunt, & iam Curato beneficio exciderunt, cur eodem iure ab Hierarchia dimoti eſſe dicuntur, cum adhuc Preſbyteri ſint, & apud S. Dionyſium ſedem in choro, & miniſterium in altari retineant? cum adhuc Theologi Doctores eſſe poſſint, & in Hierarchia Paulina tertio loco poſt Apoſtolos & Prophetas collocari? Quis ſine perturbatione omnes quos de Hierarchia eſſe ex alijs conſtat, in vnam Iuriſdictionis Hierarchiam omnium anguſtiſſimam compingat?

*5. Ratio: vna Hierarchia eſt ſine alia.*

V. Et vt hoc clarius explicetur, dicant amabo aduerſarij; Preſbyter & Diaconus, vi ordinis quam accipiant Iuriſdictionem? in quos? qualem? ordinariam an extraordinariam? ex officio, an ex commiſſione? Illi, inquam, Preſbyteri qui ad templa mane totum expectant, dum locentur ad ſacrum faciendum, cui ius dicunt? cui imperant? in quam ſublimi throno reſident? Et tamen illos, vt ſic, faciunt Hierarchas, certè locant in Hierarchia, à qua Religioſos, vt ſic, exterminant, illa igitur eſt Ordinis, ſine Iuriſdictione.

*Hallier refutatur. in viii. p. 581.*

Negat iſtud Doctor Hallier, & in vna eandemque Hierarchia, quam ſolam nouit, duplicem facit poteſtatem, Ordinis & Iuriſdictionis, & vtraque præditum perfectè in Hierarchia; altera autem *tantum imperfectè, & inchoatè, atque ex parte* reponit. Verùm, eſſe *imperfectè, inchoatè*, incompletè in aliquo ordine, eſt tantùm ad eum reduci, & indirectè pertinere. Itaque Epiſcopi electi, non conſecrati, ex confeſſione Doctoris, ſunt imperfectè in Hierarchia: Quod idem dici debet de Papa electo, neque adhuc conſecrato. Illud verò debeat-ne admittere Theologia, viderint Doctores. Ego certè caput nunquam putauerim eſſe incompletè de corpore: neque caput Eccleſiæ & Hierarcharum Hierarcham vnquam audiui *imperfectè*, & vt ipſe idem loquitur, *impropriè* eſſe de Hierarchia. Quantò verò noſtra expoſitio commodior cuilibet videri debet, cum non duplicem in vna Hierarchia poteſtatem; ſed duplici poteſtati duplicem Hierarchiam partialem damus, eumque dicimus, qui ſolo ordine ſit inſtructus, eſſe verè, propriè, perfectè in Hierarchia Ordinis: qui Iuriſdictionem ſolam teneat, verè, propriè, completè in Hierarchia Iuriſdictionis collocamus: qui neutram poſſideat, ſed tantùm gratias Hierarchicas in ſtatu ab Hierarchis approbato, quibus actus Hierarchicos vel in ſe, vel in proximum operetur, alteri partiali Hierarchiæ conſignamus: ex quibus omnibus grandis vna conflatur, quam perfectiſſimè habeant, qui nulla trium carent.

*Papa non conſecratus ſecundum Hallier non eſt de Hierarchia.*

*Rat. commoditas explicandæ Hierarchiæ.*

VI. Hæc omnia pro neceſſitate, cuius adamantina vis eſt, militant. Quam ſi conſulimus, coget nos id reperire, quod nuſquam eſſe putetur. Quod ſi ab ea deuoluimur ad vtilitatem noſtræ diſputationis, doctrinæ perſpicuitatem, collocationis venuſtatem, nulla magis, nulla perfectius ambages omnes tollit, omnes difficultatum nodos reſecat, pacem & caritatem reuocat, quam noſtra diuiſio. Vide enim aduerſarios, quantùm intricent ipſi ſe in hac tota

*Aduerſarij nihil certi pronunciant.*

controuerſia. Religioſos modò cum Laicis confundunt, qui eſt error minimè tolerandus: modò deſtinari ad Sacerdotium concedunt, & tamen ablegant ab Hierarchia; quod eſt loqui pugnantia. Eſt vbi reducant ad Hierarchiam propriè dictam, & tamen omnem Iuriſdictionem adimant; quæ meræ ſunt tricæ. De Cardinalibus nihil conſtanter enunciant. In Epiſcopos & Summos Pontifices non conſecratos contumelioſi exiſtunt. Hierarchiam verſant Tridentini Concilij, Pauli Apoſtoli, Dionyſij, Gerſonis, & dum omnes in vnam commiſcent, ſingulas vexant, & diſperdunt. Nos autem omnia hæc ſuis locis reddita in luce; & ſole ponimus. Hierarchiam dicimus Iuriſdictionis à Gerſone, Ordinis à Tridentino & S. Dionyſio, Chariſmatum ab Apoſtolo deſcriptam. A Iuriſdictione Religioſum ſtatum vt ſic diſpungimus, in Ordine & Chariſmatis contenti ponere; Epiſcopos, Cardinales non conſecratos tenet Iuriſdictio, & propter clericalem tonſuram, & habitum, Ordo; & propter doctrinam atque exemplum ſingulare, quibus cæteris ad bene viuendum duces eſſe debent, Hierarchia Gratiarum. Facile eſt ire per ſingula, & omnibus in hac diſtributione gradum ſuum & ordinem impertiri.

---

## *DIVISIONEM HANC NOVITATIS SUSpectam eſſe non debere probatur.*

## CAPVT XVIII.

*Hæc diuiſio nouitatis arguitur.*

VIDEO locum in quo ſe iactabunt aduerſarij: Hierarchiam Gratiarum, Hierarchiæ in tres ſpecies diuiſionem, Hierarchiam perfectam Iuriſdictionis abſque ordine, *nouam, Ieſuiticam, à Ieſuitis ſodalibus hoc tempore fabricatam, Inauditam apud Theologos, & apud Dionyſium, Ieſuiticis tantùm Doctoribus nunc primùm poſt tot æuorum ſpatia reuelatam*, & illiuſmodi roſas & violas loquetur Aurelius. Quibus id tantùm breuiter oppono. Qui eius diuiſionis nouitatem ſubſannas, de nomine recens excogitato arguis, an de re ipſa in Theologiam temere, ſine exemplo patrocinioque inducta? Pro nomine pugnat Grammaticus Aurelius; pro re ipſa, Theologus. Et vincit ille: nullum enim habeo qui totalem Hierarchiam è tribus iſtis partialibus Hierarchijs conflatam hactenus expreſsè ſcriptis aut voce tradiderit. Et ſcio quantùm Paulo *profana vocum nouitates* diſpliceant. Sed iſtam explicationem in re tam ſacra, profanam; in tam neceſſaria, curioſam; in eo toto cuius partes ſingulæ Hierarchiarum nomine cenſentur à veteribus, nouam appellari poſſe pernego. Ac licet aliquid præ ſe ferret nouitatis, nonne illud in controuerſis de fide quæſtionibus, & nouè exortis in Theologia perplexitatibus vſu euenire oportet, vt ad earum apertam declarationem, noui

*Id concedi poteſt de nomine.*

*Ad res nouo modo explicandas, noua nomina fabricant Theologi.*

qui

quidam modi, nouæ methodi, voces nondum vſu tritæ, modò à Catholicis Doctoribus non alienæ, formantur? Quod Nicæni Partes in verbo Conſubſtantialis, Tridenrini in productione vocis Tranſſubſtantiatio, vſurparunt Iudicet autem, Lector, vtra magis profana ſit vocum nouitas, noſtra, qui ex antiquis ordinibus nomen nondum fortaſſe vſitarum, & nominibus ab anriquo teceptis totalem vnam, ttes partiales Hietarchias vocamus; an Doctoris Hallier, qui Epiſcopos & Papas electos antequam ordinentut *imperfectè, inchoatè, ex parte* reponendos affirmat in Hierarchia: & Aurelij ſapientis, qui eoſdem *embryones* Epiſcoporum & Paparum vocat, non tantùm nouo, ſed etiam iniurioſo vocabulo?

*Res ipſa antiqua Patribus non fuit incognita. Eruitur ex Dionyſio.*

Sed de nomine hactenus. Rem, Theologe Aureli, rem inquam & horum ordinum graduumque diſtinctionem, credis-ne nouam eſſe, & hoc tempore fabricaram? Quid ergo cauſæ putas eſſe quod S. Dionyſius Hierarchiam definit Ordinem, ſcientiam, actionem? nonne vt vnius totalis Hietarchiæ partes eſſe oſtendat eam Hierarchiam, quæ generis nomen retinet, eſtque in chariſmatis, quæ maximè Deiformitarem & caritatem efficiunt? Eſt autem caritas aliud nihil ex S. Auguſtino, quam amor ordinatus, ab eo & ad eum cui ſponſa dicit, *ordinauit in me caritatem.* Et Hietarchiam ſcientiæ quæ Ordinis eſt, dicente Deo. *Quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi.* Et Hierarchiam Actionis, quæ in officio & Iuriſdictione apparet? Linconienſis apud S. Bonauenturam eodem planè ſenſu Deiformem ordinationem ad tria reducit capita, amorem, ſcientiam, & operationem ad Deum, *vt amor referatur ad Spiritum, ſcientia ad Filium, operatio ad Patrem,* quæ ipſa eſt Hierarchiarum noſttarum collocatio. Quis vetet dici præuiſum hoc à Dauide ſic orante, *Bonitatem, & diſciplinam, & ſcientiam doce me, quia mandatis tuis credidi?* Ego certè Chariſmata in *Bonitate,* Iuriſdictionem in *Diſciplina,* Ordinem in *Scientia*; medium Hierarchici finis, in *Mandatis* Dei; finem ipſum in fide ex mandatorum operatione viuente, non imprudenter agnoſco. Neque temerè poſthabita Franciſci Halliet definitione illius quam petimus Hierarchiæ, meam ſubdidi ex S. Dionyſio, eamque nobiliſſimis ſuis partibus inſtruxi, quas incauta manu Doctor ille truncauerat.

*Caritas amor ordinatus.* Cant. c. 2. Osee. c. 4. Bonau. l. de 7. itin. æternit. Itin. 7. diſt. 7. ex linc. in 3. cœl. Hierarch. Pſal. 118.

*Idem Hugo Victorinus indicat* Erudit. didaſc. l. 7.

Apertius quoque ordines eoſdem diſtinxit Hugo, in ſubſidium noſtrum reuocandus: quando ſubtilirer, vt omnia, tradidit, *Duplicem eſſe debere Aſſumptionem eorum qui præficiuntur; ſcilicet vt primùm intus per gratiam aſſumantur ad excellentiam virtutis,* (vides id quod poſtulabamus in excelſo dignitatis faſtigio collocatum? dubitas quin hæc ſit Hierarchia Gratiarum diuinæ ſanctitati propinqua?) *Poſtmodum foris per obedientiam vocentur ad excellentiam dignitatis*: vel in Ordinis, vel in Iuriſdictionis Hierarchia. *Alij aſſumuntur intus, & non foris, ſicut boni ſubiecti*: licet intus excellentiam virtutis, & Gratiarum Hierarchiam poſſideant, nihil tamen exterius magis quàm ſubiecti, quales Religioſi ſimplices. *Alij aſſumuntur foris & non intus, ſicut mali Prælati.* Quibus tamen per impoſitionem manuum & Eccleſiæ ritus, Ordinis & Iuriſdictionis poteſtas verè confertur; atque adeo Prælati ſunt intet homines, coram Deo ſubiectis inferiores. *Alij foris & intus, ſicut boni Prælati* triplicem in ſeipſis Hierarchiam recapitulantes, perfectiſſimè cumulatiſſiméque ſtatum Hierarchicum vndecunque complexi. *Alij nec foris, nec intus, ſicut mali ſubiecti*: ab

Hierarchia ſtricta omni ex parte ſecluſi, quoniam neque à Deo per gratiam, neque ab Eccleſia per conſecrationem aſſumuntur.

Et D. Th. 2. 2. q. 183. plur. artic.

His adiungo D. Thomæ doctrinam, vt *in ore duorum aut trium teſtium ſtet omne verbum.* Diſtinguit Doctorum Angelus Eccleſiæ membra ſecundùm ſtatus, officia, & gradus: in ſtatu perfectionem, in officio actionem, in gradu dignitatem, & pulchritudinem conſiderat. In ſtatu, eſt immobilis conditio perſonæ; in officio, eſt efficientia importans actionem tendentem in aliud; in gradu, eſt ordo ſuperioritatis & inferioritatis. De ſtatu dicitur, *Ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos; quoſdam autem Prophetas; alios verò Euangeliſtas; alios autem Paſtores & Doctores.* De officio autem, *ſicut in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi vnum corpus ſumus in Chriſto.* De gradu verò, quòd *in magna domo non ſolum ſunt vaſa aurea & argentea, ſed & lignea & fictilia.* Statuum diuerſitas ex perfectione deſumitur; Officiorum ex actione: dicuntur enim in diuerſis officijs eſſe, qui ſunt ad diuerſas actiones deputati. Actiones autem hic accipimus pro Sacrificio, & ijs quæ eò tendunt, ſeu proximè, ſeu paulùm remotius. Graduum denique ex ordine pulchritudinis Eccleſiaſticæ, prout in eodem ſtatu vel officio, vnus eſt alio ſuperior. *Contingit tamen quod iſta tria in eodem concurrant, ſicut patet de Epiſcopo. Ordines autem Eccleſiaſtici ſpecialiter diſtinguntur ſecundùm diuerſa officia. Dicit enim Iſidorus, officiorum plurima genera ſunt, ſed præcipuum illud eſt quod in ſacris diuiniſque rebus habetur.* Ita Diuus Doctor, adeò diſtinctè, vt ſtipes ſit qui diuiſionem noſtram hic non intelligat, Chariſmata in ſtatu, Ordinem in ordine ſeu officio; Iuriſdictionem in gradu. At hæc S. Thomas non appellat Hierarchias. O nos miſeros!

Margin notes: *Status, officium, gradus.* — Ephe. c. 4. — Rom. c. 12. 1. Cor. 12. — 2. Tim. 2.

Itaque ſpecioſum nouæ & inexpertæ cognitionis fructum Definitio & Diuiſio, quaſi exploratores duo ex amæniſſima Hierarchiæ regione detulerunt, vt prædixeram: quem ſi guſtare nolunt Aurelius & Hallier; non eſt tamen Iſraëlitis deſperandum, quin *per exploratorum viam* Deo duce in terram fluentem lac & mel poſſint ingredi. Scimus quidem nos *filijs Enac de genere gigantæo comparatos, quaſi locuſtas videri*: ſed & ſcimus quis dixerit, *Ego ante te ibo, & glorioſos terræ humiliabo.* Quamobrem de ſingulis ſpeciebus diſputandum modò ſupereſt, videndumque quam in ijs ſedem, & locum Religioſi ſibi vendicare poſſint.

DE

# DE HIERARCHIA ET HIERARCHIS.

## Liber quartus.

## DE INFIMA HIERARCHIÆ ECCLESIASTICÆ SPECIE QVÆ EST IVRISDICTIONIS.

---

### PRÆFATIO.

*QVA MONSTRATVR IN ADITV EANdem modò aduerſus Regulares moueri controuerſiam, quæ Diuorum Thomæ & Bonauenturæ ſeculo agitata eſt.*

IN comparanda rei cuiuſpiam ſcientia initium ducitur à notioribus. Habent autem Iuriſdictionis Hierarchiam adeo notam aduerſarij, vt in ea ſola ſubſiſtant, ſolam velint. In hac igitur ante cæteras gradùm figo, ad ſuperiores poſtea commodius euaſurus. Atque vt à S.Dionyſij ductu & verbis ordiar, *Tempus eſt vt ipſos Sacerdotum ordines exponamus, & diſtributiones, vimque eorum, & actiones atque perfectiones, ternionemque excellentium ordinum qui ei ſubiectus eſt, vt Hierarchiæ noſtræ deſcriptio, id quidem quod inordinatum eſt, indigeſtum & confuſum, ſine ulla commixtione & admixtione improbare, excludereque doceatur: quod autem digeſtum eſt, quod ordinatum eſt, quod bene diſpoſitum, cum rationem ordinum ſuorum habet, oſtendere.* Dionyſ. 5. Eccleſ. Nimirum *non eſt poteſtas*, (ſi profana, certè longè iuſtiùs ſacra) *niſi à Deo: quæ au-*

*tem ſunt à Deo ordinatæ ſunt*, vt à pacatiſſima Ieruſalem perturbatio omnis Babylonica exulare iubeatur. Ac ne lapidem offenſionis in Regularium cauſa reperire ſe criminentur aduerſarij; iam hoc ipſo aditu profitemur claré & apertè Regulares, & ſic, nullum actu in Hierarchia Iuriſdictionis locum habere. Quod vnum Aurelius tota vi exaggerationum ſuarum, quod Franciſcus Hallier locorum communium congerie, quod illi vel illi perpetuo in Regulares odio, tantùm facere & probare poſſunt, hoc libentes, volentes concedimus, Religioſos vi ſtatus nullam Iuriſdictionis Eccleſiaſticæ partem attingere: ſi quid agunt in ea, id totum ab Hierarchæ commiſſione deriuari, ab eius arbitrio pendere; neque aliter ſeruata rerum natura, & recto ordine fieri poſſe. Vt vel ex iſta vna publica, & communi omnium ſociorum nomine facta profeſſione, intolerabilis Petri Aurelij aduerſariorum infenſiſſimi diſpungatur, & ex omni hominum memoria deleatur impoſtura, qua ſcribit *Ieſuitas Eccleſiæ functiones ſui iuris efficere moliri, ſibi vendicare, ſibi aſſerere, vt poſſeſſionem non ſolum debitam, ſed etiam naturalem, & indiuiduam ordini Ieſuitico, quaſi ſtatui non ſolum Religioſo, ſed etiam Hierarchico; vt non ſolum Hierarchiam ſuo iure poſſideant, ſed etiam ſint Hierarchæ, eminentia Hierarchiæ membra, Parochis & minoribus omnibus Prælatis in Hierarchia ſuperiores, ne Epiſcopis quidem ex omni parte cedentes.* Quod quàm iniuſtè, impudenterque dicatur, ſole clarius reliqua diſputatione monſtramus.

*Regulares vi ſtatus non ſunt in Hierarchia Iuriſdictionis.*

*Intolerabilis Aurelij calumnia* In vind. p. 415.

Nam vt Religioſorum ordinum murum & antemurale vno diſijciat impetu, *Sanctum*, ait, *Bonauenturam ne tenuiſſima quidem cogitatione*, in Apologia ſua, *quæſtionem quam nunc verſamus attigiſſe.* Deinde S. Thomam illi adiungens, ſubdit, vtrumque ea ætate aſſeruiſſe *licere Prælatis Eccleſiarum, Religioſos ad Eccleſiæ miniſteria ſua auctoritate aſſumere: licere Religioſis mandatum à Præſulibus miniſterium ſuſcipere. At verò Ieſuitæ*, inquit, *non contenti conceſſo per humanitatem beneficio, & poteſtate precaria, hoc ipſum miniſterium, & has ipſas Eccleſiæ functiones ſui iuris efficere moliuntur, &c.* Tria hic audio, iactam in Ieſuitas calumniam, quam opus iſtud propulſat. Statum quæſtionis vtriuſque, antiquæ & nouæ, ſanctorum Doctorum & noſtræ, non eſſe eundem, vt quem *ne tenuiſſima quidem cogitatione attigerint.* Denique alia omnia dixiſſe ipſos, quam quod nos hoc tempore aſſerimus: ne dum Ieſuitas omni diritate perſequitur, & eorum famam, ac per eos illorum ipſorum Ordinum, imo Religioſorum omnium dignitatem peſſundare conatur; in ſanctiſſimos viros homo innocentiſſimus, in tantos Doctores ipſe Theologus, in illos ordines, ſolis Ieſuitis infeſtus, peccare credatur. Tum etiam vt nobis vtrumque eripiat, neque illius violentia & importunitate incredibiliter oppreſſis, vllum apud hæc Religioſorum propugnacula poſſit eſſe perfugium. Mihi autem in hac laboranti controuerſia, ab vtroque Doctorum iſtorum dictum ſemper exiſtimaui, *Ego murus, & vbera mea ſicut turris, ex quo facta ſum coram eo quaſi pacem reperiens*, vt in hoc bello, quo pacis prætextu caritas trucidatur, neque ſanctorum virorum auctoritas ad præſidium, neque cœleſtis doctrina deſit ad cibum.

*Negat SS. Thomam & Bonauenturam de controuerſia noſtra locutos.*

*Aurelij conſilium omnes Religioſos ordines impugnat.*

Cant. c. 8.

Nam vel theſim hac in quæſtione attendimus, vel hypotheſim. Theſis eſt de odio fraterno in ordines Regulares concepto: de Prælatorum inuidia illis creanda: de Regularibus ab Eccleſiæ miniſterijs & functionibus Hierarchicis exturbandis: de ſtatus Religioſi obterenda perfectione. Quæ omnia machinari ſe diffiteri non poteſt Aurelius; & ſi negat, nulla non pagina conuincetur;

*Refellitur Aurelius.*

uinceTur: ſunt igitur & in Doctorum aduerſatijs requirenda, vt in idem cum illis conſilium conueniſſe noſcãtur. Et hæc quidem declarat S. Thomas cum opuſculum illud ex his Pſaltæ regij verbis inchoat. *Ecce inimici tui ſonuerunt, & qui oderunt te extulerunt caput: ſuper populum tuum malignauerunt conſilium, cogitauerunt aduerſus ſanctos tuos. Dixerunt, venite diſperdamus eos de gente, non ſolùm contra mediocres, ſed etiam contra cæleſtes viros. Duo autem contra ſanctos cogitant; Primò vt ipſos annihilent. Secundò vt ſi hoc non poſſint, ſaltem eorum famam deſtruant apud homines, vt in eis fructificare non poſſint: volentes quædam adſtruere, per quæ eorum ſtatus totaliter deſtruitur, & redditur nimium oneroſus & vituperabilis.* Neque aliud S. Bonauenturæ antipalus moliebatur, cum aduerſus libellum ſcribebat, quo Pauperum Religioſorum perfectio defendebatur. *Quaſi non poſſet paupertatis celſitudo laudari, niſi in iniuriam Christi, & Eccleſiaſtica dignitatis.* Et paucis interiectis ſubiicit ea, vnde Aurelium agnoſcas, Spongiæ libellum Ieſuitis attribuentem. *Ex quibus apertè relinquitur, præfatum titulum à falſi criminis impoſitione ſumpſiſſe originem, per quam Pauperum hoſtis molitur procurare diſſidium inter Patres & Filios, tutores & orphanos, nutritios & alumnos: vt ſic Patronorum ſuorum ſubſidio diſtitutos deglutiat inopes, rapiat pauperes, & interficiat innocentes.* His de libri titulo addenda ſunt hoſtis illius conſilia. *Primò perfectionis Euangelica apicem conatur deijcere, dehinc præcipitare mœnia, tertiò euertere fundamenta, tandemque pauperum Christi profeſſionem falſis criminibus infamatam, abominabilem reddere mundo.* Liceat & generoſis hiſce athletis tertium adiungere VValdenſem, qui Religioſorum ordinum cauſam acturus aduerſus VVicleffum, ſic orditur, *Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea, dicat nunc Iſraël*, &c. Deinde Eccleſiam Religioni ſic reſpondentem inducit. *O Filij mei, qui vos inculpant, qui veſtra detrahunt Societati, tanquam profana, nonne famoſi ſunt heretici, elati, propediem caſuri, aut alioqui peccatores extremi?*

*Aduerſariorum S. Thomæ idem animus qui Aurelij.* Opuſc. 19. in proœ.

*Idem in aduerſario S. Bonauenturæ oſtenditur.* In Apol. paup. Reſ. 1. c. 1.

Ibid. in Prologo. *Idem Wicleffi apud* Waldenſem Doct. fid. l. 3. in Prol.

*Qui Religioſis detrahunt, aut heretici, aut peccatores.*

Hypotheſim volo eſſe in rebus controuerſis quas diſputant, in certis quibuſdam caſibus, qui vel ſingulis peculiares ſunt, vel vtriſque communes. Agunt enim ſanctiſſimi Doctores de Religioſi ſtatus perfectione, eamque cum Archidiaconis & Curatis comparant: de verbi Dei prædicatione, & confeſſionibus excipiendis, ex Summi Pontificis & aliorum Prælatorum commiſſione: de ſtipendijs temporalibus, quæ ſubſidiarijs iſtis copijs ex pietate & caritate conferuntur. Nonne in his toti ſunt Aurelius & Hallier? Probant, inquit ille, tantùm licere Prælatis illos ad Hierarchicas actiones admouere, licere Religioſis ea vti commiſſione. Rem difficilem! nimirum erat hoc in quæſtione. Poſt tantam Epiſcoporum in Religioſos ab ineunte Eccleſia poteſtatem, poſt tot præteriti temporis ab Apoſtolorum ſeculo exempla, poſt integras nationes aut Chriſtianæ Religioni adiunctas, aut ſacra poteſtate per Religioſos gubernatas, dubitabant ſcilicet Theologorum Pariſienſium Coryphæi, duas in partes diuiſi, poſſent-ne Religioſis hæc imperare Prælati, aut Religioſi Prælatis obtemperare. Vide opuſculi illius caput 4. in D. Thoma, quo lis iſta deciditur; lege in D. Bonauentura Apologiæ caput extremum, ex quo tu fruſta quædam euulſiſti; & Opuſculum, *Quare fratres Minores prædicent, & confeſſiones audiant*; & libellum Apologeticum *In eos qui Ordini fratrum Minorum aduerſantur*: & definitum videbis, à Pontifice Summo delegari immediatè Religioſos, in Proprij Parochi nomen etiam venire ſic delegatos extra ordinem: inſtitui poſſe Religiones quæ ordinentur ad docendum & prædi-

*In particulari eadem ſunt controuerſiæ puncta.*

*Falſum quæſtionis ſtatum excogitauit Aurelius.*

candum, & alia quæſtioni noſtræ conſentanea. Poſſint-ne autem ab Epiſcopis delegari Regulares, propriè diſputatum non inuenies; ſed aſſumptum *aduerſus Plebanos, qui tales operas admittere recuſabant.* Regularibus verò liceat-ne mandatum à Præſulibus miniſterium ſuſcipere, neuter quærit, quia nemini dubitare venit in mentem.

*In minutis quæſtionibus diſſerunt ſinguli.*

Fateor equidem in priuatis quibuſdam verſari quæſtionibus, vt de Martyrij fuga, de laude arctiſſimæ Paupertatis, de opere Religioſorum, ſeu vt vocant, *laboritio*: quemadmodum generalis eadem controuerſia nobis etiam priuatas peperit quæſtiones, de Epiſcopi ad confeſſiones approbatione, de veterum Monachorum inſtitutis, de priuilegijs eorumque vſu. Sed ea diuerſitas quam inuexerunt tempora, non iniucunda in minoribus quibuſdam circumſtantijs ſimilitudine compenſatur, qualis eſt iam notata in titulo falſi criminis impoſitio; quod illi iiſdem Patrum aduerſus Monachos vterentur locis, quibus iſti. Quod S. Bonauenturæ aduerſarius, eius ordini *hæretica prauitatis crimen impingeret*, vt Aurelius noſtro: quod fratrum Minorum obtrectatores, eos objcerent *in bonis ciuitatibus & villis & oppidis frequenter prædicare, quia ibi plura darentur munera, in alijs autem locis rarò vel nunquam*, quod ipſum exprobrat Aurelius. Quod Prælatos inducerent, *vt eos facerent ab omnibus euitari; qua crudelitas non debet amplius tolerari*, ait S. Thomas. Id toto opere conatur Aurelius. Quod *eorum detractio non ad vnam perſonam, aut ad plures determinata ferretur, ſed ad totum Religioſorum Collegium: vnde eorum temeritati eſt viriliter reſiſtendum.* Hæc eſt detractio quam maximè promouet Aurelius. Quod minima *Religioſorum peccata mordaciter arguentes, ſua grauia non curarent*, quod euidentiſſimè patet in Aurelio. Itaque cum tanta ſit inter veteres illos, & Aurelium ſtudiorum animorumque conſenſio, quis me veret vti S. Bonauenturæ conſilio? *Nequaquam peccatorum oleo, adulatione videlicet, impinguandum eſt ipſius languidum caput, nec tumidi cordis apoſtema palpandum: quin potius procacis hominis erectam ceruicem oportet dura increpatione ferire, non quidem amari cordis odio, ſed tranquillæ mentis æmulatoria caritate.* Id permittit quidem doctor manſuetiſſimus: ſed ego propius ad Chriſti exemplum malo, quantùm quidem potero, calamum quaſſatum non confringere, & linum fumigans non extinguere.

*In pluribus circumſtantijs conueniunt cum antiquis Aurelius.*
Bonau. in Apol. pau. reſp. 1. c. 1.
Idem in Apologet. q. 19.
Aurel. p. 308.
*Crudelitas aduerſariorum.* S. Th. Opuſ. 19. c. 20.
*Temeritati viriliter reſiſtendum.* Ibid.
Bonau. in Apol. pau. in Prolog.

---

## *HIERARCHIA IVRISDICTIONIS definitur.*

### CAPVT I.

*Malè definita eſt ab Hallier.*

TRADITAM antea ſuperiore libro ab Franciſco Hallier Hierarchiæ definitionem, poſſe aliquo modo ad ſtrictam Generalem pertinere conceſſimus, licet eam ipſe non rectè ad Iuriſdictionis ſpeciem voluerit adſtringere. Quaſi *ſacra functio*, cuius exercendæ poteſtatem eſſe dicit, omnis & ſola iuriſdictionem poſtulet, quod in horis canonicis, in contemplatione, in exemplo, nemo conceſſerit. Quod verò addit, exercendam illam *ex officio*, aliquos excludit, quibus alia ratione, quàm ex officio Hierarchizandi ius ſaltem temporarium competit, vt ipſe non diffitetur.

ficetur. Redundat igitur ea Iuriſdictionis definitio, qua functiones nimis vage aſſignat, deficit autem, qua officium nimis ſtrictè & preſsè exigit.

Itaque ſit iſta particularis huius Hierarchiæ deſinitio. *Ordo ſacer in Eccleſia, per actionis ſacræ poteſtatem ſubditos ad mandatorum obſeruationem, & Dei ſimilitudinem adducens.* Genus & finis nota ſunt ex ſuperioribus. Differentiam pono in medio, quod eſt actio in ſubditum. Hic enim eſt ille Principatus ab aduerſarijs tanto cum ambitu proclamatus: hic gradus ſuperioritatis & inferioritatis à D. Thoma expoſitus: hic ius & imperium in agentibus, cui in patientibus reſpondet ſubiectio, & parendi atque obediendi debitum: quos eam ob rem non ſimpliciter patientes, non inferiores, ſed humiliore, magiſque voluntatem conſtringente vocabulo ſubditos nuncupaui. Siquidem ſuperioris iſtius poteſtas, directè ſubditi voluntatem ſibi ſubiugat, ſuis deuincit legibus, & pene ſuæ mancipat ſeruituti.

*Vera eius definitio.* — *Principatus & ſubiectio.*

Scio equidem Iuriſdictionem à Gerſone diuidi, in eam quæ fori exterioris, & quæ interioris eſt: atque illam vocari poteſtatem coërcitiuam alterius, etiam inuiti; hanc verò magis ſpontaneam, quoad ſubijcientes ſe eidem. Quæ doctrina licet vera ſit Cancellarij ſenſu; quandoquidem fori exterioris ſubditus, coërceri poteſt etiam per pœnam & mulctam; alius autem voluntariam init ſubiectionem ei qui Sacramenta conferre poteſt: addo tamen etiam coactum in hac reperiri aliquid, dum is qui ſe mihi, exempli cauſa, voluntariè ſubijcit abſoluendum à peccatis, vel inuitus cogitur hanc atque illam ſubire conditionem, ſi meo vult frui beneficio. Adeo vniuersè verum eſt in hac Hierarchia imperium & ſeruitutis ſpeciem inueniri.

*Duo ſubditorum genera, ex Gerſ. li. de pot. Eccl. conſid. 4. & 5.*

Quæ ſit autem prior illa poteſtas, ſiue Iuriſdictio ſatis explicat Cancellarius, cum docet fundatam eam in illo Chriſti præcepto: *Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum. Quod ſi te non audierit, dic Eccleſiæ. Quod ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus. Quo in loco*, inquit, *fundatur iuridica poteſtas excommunicandi rebelles & inobedientes Eccleſiæ*, vt & *Poteſtas definiendi, determinandi, ſtatuendi, decernendi, conſtituendi præcepta, leges, & canones.* Notandum & quod adiungit, poteſtatem hanc Eccleſiaſticæ Iuriſdictionis *adeo vicinam eſſe Iuriſdictioni ſeculari & politicæ, quod Laïcis, imo & mulieribus plerumque, & in multis caſibus, communicari poſſit executio vel committi.*

*Poteſtas Iuriſdictionis exterior.* Matt. c. 18. — *Poteſt communicari Laïcis & mulieribus executio.*

At Iuriſdictionem fori interioris definit *Poteſtatem Eccleſiaſticam ſuper corpus Chriſti myſticum, illuminando, & perficiendo ipſum per doctrinam, & Sacramentorum miniſtrationem, & purgando per Baptiſmi & Pœnitentiæ Sacramenta.* Spontaneos hæc ſubditos, non tantùm coactos, habere poteſt; cum ad Sacramenti neceſſitatem ſufficiat ſubiectio voluntaria ſuſcipientis, ab illo qui conferre poteſt. Si tamen Pœnitentiæ Sacramentum excipis; in quo requiritur ſtrictior ſubiectio, *ſic quod alicui non datur abſolutio, etiam ſi dari tentetur, quia materia deficit, quæ eſt peccator ſubditus.* Et quoniam multis ex capitibus prodire poteſt ea ſubiectio, & quaſi coactio, ſubijcit, *Subditus inquam, nedum voluntaria ſubiectione, ſed aliena ſuperioris auctoritate.* Id eſt, vt ego quidem interpretor. Peccator vltro ſe & voluntariè alicui ſubijciens, non dat illi in ſe Iuriſdictionem fori interioris; ſed ab aliquo ſuperiorum conferri debet, vel Pontifice, vel Epiſcopo, vel Parocho. Nam niſi ab iſtorum aliquo tradatur auctoritas, *iuxta communiorem Doctorum ſententiam*, neque licitè, neque validè confertur abſolutio. *Hoc rite ſtatuit primus Legiſlator Chriſtus, hoc Eccleſia ſic elucidauit & tra-*

*Poteſtas fori interioris.* Gerſ. l. cit. con. 6. — *Commoda Gerſonis interpretatio.*

*didit, ne confunderetur Eccleſiaſticum regimen : & ne Hierarchicus ordo, quem tradit Dionyſius talem eſſe, vt infima reducantur ad ſuprema per media, turbaretur.* Quod & argumento populari poteſt inde probari, quod iuriſdictio poteſtatem ſonet; nemo autem poteſtatem niſi ab alio habeat, & non à ſubdito, aut pari, vt patet: ergo à ſuperiore, vt rectè Cancellarius.

---

## *HIERARCHIAM IVRISDICTIONIS A GERſone Petrum explicari demonſtratur aduerſus Aurelium.*

### CAPVT II.

INVITAT me cum magni huiuſce Doctoris auctoritas, tum materia ipſa quam tracto, tum noſtri etiam ordinis, quæ cum hoc opere coniuncta eſt, defenſio, vt paulùm accuratius cum Aurelio noſtro de eius mente diſceptem. Is enim negat *veram Hierarchiæ naturam & amplitudinem hic* ( libro de poteſtate Eccleſiaſtica ) *definiri à Gerſone,* ſtupendumque, ait, *Ieſuitarum, qui ſe humanæ ſcientiæ velut columnas ſtatuerunt, factionem, non ſolùm in eandem arrogantiam, ſed etiam in eandem ignorantiam conſpiraſſe,* quia putarunt, *Gerſonem hoc loco veram Eccleſiaſticæ Hierarchiæ naturam, veros eius fines, latitudinem, proprietatem deſcribere.* Id probat rationibus duabus. *Quia nec Diaconos, nec miniſtros illos inferiores annumerat : deinde, apertè excipit ab ordine Hierarchizantium Parochos & Epiſcopos carentes plebe, adeoque quoſuis ſimplices Sacerdotes.* Vult igitur illum *pertexere* tantùm *eorum ordinem, qui Poteſtatem Eccleſiaſticam ordinariam in Eccleſia obtinent, quia diſputat de ſtabilitate & amplitudine Eccleſiaſticæ Poteſtatis, & explicat deinceps ordines & gradus quibus illa poteſtas, per eos, quibus ordinario & ſtabili iure commiſſa eſt, à primo vſque capite ad infima Eccleſiæ membra defluit.*

*Aurelij ſententia de Gerſonis Hierarchia.* Gerſ. l. cit. conſid. 9. Aurel. in vin. p. 418. &c.

*Refellitur.* Tria hic aggredior monſtrare, primum quantùm hoc loco non Gerſonem ſolùm, ſed ſeipſum perturbet Aurelius: deinde quæ vera ſit Gerſonis Hierarchia: denique quam immeritò Ieſuitas contumelijs ſuis dedecoret. Principio igitur hoc quæro, ſi Gerſon *Poteſtatem Eccleſiaſticam ordinariam pertexuit*, cur *Diaconos* omittat? cur *inferiores miniſtros*? Nam illis poteſtatem ſaltem ordinis negare non poteſt Aurelius. Deinde ſi Diaconi ſunt in Hierarchia ſecundùm Tridentinum, non ſunt in Hierarchia ſecundùm Gerſonem, pero an eadem ſit Tridentini & Gerſonis Hierarchia? Tertio ſi Diaconos Concilium ſtatuit in Hierarchia, illis autem *Poteſtatem ordinariam* denegat Cancellarius, quæro ſit-ne Poteſtas Ordinaria ad Hierarchiam neceſſaria? vbi eſt ergo glorioſus ille Principatus & ſubiectio? Tum poſtea, *excipit apertè*, inquit, *ab Hierarchizantibus*: quos? Parochos, & Epiſcopos carentes plebe. Vidiſti vnquam propriè dictos ſine plebe Parochos? cuius illi ordinis, cuius coloris ſunt? quo charactere poteſtatem ſuam tuentur, quemadmodum qui Epiſcopatu ceſſerunt Hierarchæ? *Excipit apertè Parochos.* Quomodo? quibus verbis! Audi, Lector, & ride. Scripſit Gerſon in ordine habentium ordinariam poteſtatem, vt agnoſcit Aurelius, *Sacerdotalis auctoritas in habentibus ſubiectos ſibi. Quod dicitur propter Curatos, vel etiam propter ſolos titulares Epiſcopos carentes plebe.* Aurelius acutè τὸ *carentes plebe*, æquè refert ad *Parochos*, vt ad *Epiſcopos*; & illos, vt & hos

*Gerſonem non intelligit Aurelius.*

*Ridicula Aurelij hallucinatio.*

hos *excipi* dicit ab Hierarchia: cum ſi quid intelligentiæ in ira habuiſſet, *Curatos* nominari animaduertiſſet in reddenda cauſa, cur *Sacerdotalis auctoritas* inter Hierarchizantes reponeretur, arctata videlicet ad *habentes ſubditos*, id eſt *Parochos*. Eadem enim particula *habentium ſubditos* includuntur in Hierarchiam Sacerdotes aliqui, nimirum *Curati*; & excluduntur Epiſcoporum aliqui, nempe *carentes plebe*. Cur ergo dicit Aurelius *excipi*, & quidem *apertè* ab ordine Hierarchizantium *Parochos, & Epiſcopos carentes plebe*? Hoc non eſt apertè falli aut fallere? poſt labem hanc tam *apertam* cætera eius dicta mihi falſi ſuſpecta non erunt? Turpis hic eſt in Aurelio lapſus, in Grammatico intolerandus. Quid in eo qui Ieſuitas omnes omnibus in rebus, & in hoc maximè Gerſonis loco accuſat *ignorantia*? Poſtremum hoc addo. Si Cancellarius *ab ordine Hierarchizantium apertè excipit quoſuis Sacerdotes ſimplices*: dicant Aurelius & Hallier cur Clerum ſecularem vt ſic, reponant in Hierarchia; Religioſos Sacerdotes vt ſic, ab eadem excludant? magiſ-ne hi quam illi *ſimplices* ſunt *Sacerdotes*? minuſ-ne hi quàm illi *poteſtatem* habent *Eccleſiaſticam ordinariam*?

Hæc Aurelio dicta ſunto. Iam Cancellarij mentem eam eſſe, vt de ſola Iuriſdictione tractet eo in quo verſamur libello, patet vel cœcis, qui modò Gerſonem legi audierint. Nam διδασκαλικῶς more ſuo, Poteſtatem Eccleſiaſticam primo definit, deinde diuidit in Poteſtatem Ordinis & Iuriſdictionis: & illam oſtendit in omnibus Sacerdotibus, nonnullis in rebus æqualem eſſe, inæqualem in alijs. Tum verò illa prætermiſſa, Iuriſdictionis poteſtatem aggreditur, & ad decimam vſque tertiam Conſiderationem, quæ eſt poſtrema, deducit. Cui ſubdit in Epilogo, tres concluſiones eandem de Iuriſdictione doctrinam aperta anacephalæoſi colligentes. Nona ergo Conſideratione, quam vnam legit, ſi tamen vel hanc legit Aurelius, in Iuriſdictione verſatur Gerſon, & poſt quædam de ſucceſſorum Petri poteſtate dicta, quæ video à ſcriptoribus controuerſiarum refutari; ſpiritalem Eccleſiæ gladium, cum gladio materiali comparat, eiuſque poteſtatem duabus imaginibus explicat, ſolis lumen vſquequaque fundentis, & Hierarchiæ Angelicæ. Illud eſt quod ait Aurelius, *varijs ſimilitudinibus explanatum*. Varias enim pro duabus apud ὑπερβολικώτατον exaggeratorem poni animaduertet Lector. In comparationis autem σκοπῷ manifeſtè animum ſuum exprimit, cum ab ea eximit ſolos *titulares Epiſcopos carentes plebe*, cumque *populos, & ſimplices Religioſos auctoritatiuè Hierarchizare* negat. Illos autem qui ſic Hierarchizant, enumerat *Papam cum Cardinalibus, Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Curatos*. Quibus alio loco addit, eos *quibus non ex priuilegio ſolo, ſed ex ſtatu & ordinario iure competit animarum cura, quemadmodum ſunt multi Abbates, Decani, Præpoſiti, cum ſimilibus*. Quæ omnia luce meridiana clarius demonſtrant, in ſola Iuriſdictione explicanda laborare Gerſonem: & verò is eius tantùm animus fuit; vt de ſummi Pontificis, & Concilij generalis ſupra illum poteſtate ſententiam ſuam ſtabiliret. Quamobrem nos remittit ad alium ſuum *Tractatulum de auferibilitate Papæ ab Eccleſia*, qui huic ipſi de Poteſtate Eccleſiaſtica pene adnexus eſt. Habes igitur ex his, Lector, Gerſonis inſtitutum: vides fluctuantem perturbatumque ignorantia noſtræ diuiſionis Aurelium, dum Diaconos à Gerſone prætermiſſos miratur, quos imperitè in illa nominaſſet Hierarchia, reducendos ad Ordinem; agnoſcis & Hierarchiam Iuriſdictionis integram cum ſuis tribus

Quod ſit Gerſonis inſtitutum. Tract. de poteſt. Eccleſ. Conſid. 1. Conſid. 2. Conſid. 3. Conſid. 4. ad ſin. Conſid. 9. Conſid. 15. Conſid. 8.

P

gradibus,eorum qui Hierarchizant non Hierarchizati; qui Hierarchizantur & Hierarchizant,& eorum qui nihil aliud quam Hierarchizantur: vt Aurelio nominum aucupi nouum videri non debeat, ſi quam ipſe Poteſtatem, ego Hierarchiam Iuriſdictionis appello.

## *QUÆDAM PETRI AURELII PECCATA IN Gerſonis & Hierarchiæ doctrinam exponuntur.*

### §. Vnicus.

*Malè Loëmelium reprehendit Aurelius*

VENIO ad Ignorantiam Ieſuitarum, id eſt Loëmelij. Reprehenditur is ante omnia, quòd Gerſonis auctoritatem aduocarit ad conficiendum, Regulares vt ſic eſſe de Hierarchia Eccleſiæ. Nonne autem id verum eſt, cum *ſimplices Religioſos* in gradu tertio Gerſon collocet, is autem gradus ſit pars Hierarchiæ? Nonne ſimpliciter & abſolutè pedes ſunt de corpore, ſubditi de Regno, diſcipuli de ſchola? Neque aliud tota hac concluſione poſtulat auctor Spongiæ, quàm vt *Regulares ſimpliciter & abſolutè* in Gerſonis Hierarchia eſſe concedantur, quia ſunt in gradu Hierarchizatorum? quod & admittit Hallier, & poſtquam multum ſe torſit, fateri cogitur Aurelius.

*Malè Gerſonis locum profert.*

Præterea Loëmelio eidem conuicium facit, quod Gerſonis teſtimonium ita retulerit, *Papalis auctoritas cum Cardinalibus imitatur primam* Angelorum Hierarchiam, cum tamen dicat ita ſcripſiſſe Gerſonem, & ita fuiſſe proferendum, *Papalis auctoritas ſuo modo cum Cardinalibus imitatur primam Hierarchiam.* Atqui Spongia ſcrupuloſè ad verba Gerſonis non adhæſit: Aurelius autem in eo ipſo peccat quod reprehendit, qui eundem locum mutilat, ſcribente ſimpliciter Gerſone, *Papalis auctoritas ſuo modo cum Cardinalibus imitatur triplicem primam.* Illa vocabula *ſuo modo*, & *Triplicem* ad Loëmelij inſtitutum non faciebant: ad comparationem autem cum Angelis à Gerſone cogitatam, nonnihil addebant momenti. Cur igitur τὸ *triplicem* expunxit Aurelius, niſi *vt facilius Gerſonis teſtimonio eluderet*, vt ipſe loquitur, ad ignorationem cœleſtis Hierarchiæ tegendam?

*Gerſonis doctrinam ignorat.*

Vt enim meam fatear ignorantiam, de hac Angelorum cum Hierarchia comparatione, proüt à Gerſone proponitur, Hierarchizari cupio ab Aurelio; Primùm igitur poſtulo, primus & ſecundus Hierarchiæ Eccleſiaſticæ ordo, vtrum cum prioribus duobus Hierarchiæ Angelicæ ordinibus congruant? Negat Aurelius *omni ex parte congruere, vt per ſe manifeſtum eſt.* Atqui expectabam ſingulatim mihi diſcrimina explicari: commodum eſt ad illud *per ſe manifeſtum*, tanquam ad Epicuri lintrem confugere, cum ſolidi nihil habes quod efferas. Secundò, volo mihi ediſſeri, quod ex Gerſone dicit Aurelius *Tres infimos Angelorum ordines, alios Angelos non Hierarchizare.* Cum tamen eadem pagina ex S. Dionyſio, demonſtret, & quidem verè, Archangelos à Principatibus, Angelos ab Archangelis, inferiores quoſque Angelos à ſuperioribus Angelis vt Seraphinos inferiores, à ſuperioribus Seraphinis Hierarchizari. Tertiò, non ſatis capio qua ratione *tertia Angelorum pars, ſit eodem ſenſu, & eadem vocis proprietate intra Hierarchiam Angelicam, qua duæ ſuperiores partes*, & tamen alibi *minus perfecta* eſſe dicatur, *quia non in ſolos Angelos, ſed etiam in homines extra Angelicam Hierarchiam ſepoſitos operatur.* Nam præter

*Aurel. cōtradict. 1. p. 439.*

*Contra. 2. p. 437. & 440.*

ter pugnam cum ſocio Hallier, qui *propritatem* illam exterminat, ſcirė velim ab Theologo iſto, purer-ne ex inferiorum dignitate aut vilitate operantibus in eos ſuperioribus aduenirė aut decedere nobilitateni? Eſt ergo ignobilis Seraphinus aut Cherubinus, cum ex plurium. ſententia mittitur ad homines. Eſt ergo vilis Hierarcha ipſe Deus, cum immediatè quoſdā homines perficit & illuſtrat. Homines dico: Imo cum ſe primis ſupremarum mentium ordinibus communicat. Vidit hoc ipſe peccatum, & appoſita contradictione corrigere conatus eſt; cum profitetur illam Hierarchizandi poteſtatem *Angelicam eſſe, & omni humano ordine ſublimiorem, neque minorem Angelis habendam, quia circa homines verſatur.* Quartum igitur dubium meum hoc eſt, ſi *minor* non eſt, quomodo ſit *minùs perfecta.* Hic quoque ex occaſione, repero ſuperius diſputata, atque poſtulo, ſi ſunt ideo infimi Angelorum in Hierarchia, quod homines Hierarchizent, quando poſt Iudicij diem nulli erunt Hierarchizandi homines, ſint-ne ex Hierarchiæ ſuæ gradu caſuri? Hæ ſunt *argutiæ non ridiculæ, quibus ſananda ignorantiæ gratia* ego cum Aurelio, quomodo *diſcipulus cum magiſtro, velitari* hoc loco decreui.

Contrad. 3. ead. p. 440.

Aurel. p. 453.

Manum ponam de Gerſonis tabula, cum aliam de eo Petri Aurelij calumniam diſpulero; non quidem huius omnino quæſtionis, ſed non extra eius tractatus, quem explicui doctrinam: & venia dignus eſt animus, ſi huc alienum propoſitū ingratijs intruſero, amore viri optimi, Chriſtianiſſimique Doctoris. Criminatur enim Aurelius Societatem noſtram *quaſi Pontificiæ auctoritati infeſtum Gerſonem traducere conari*, eumque *deſignare ſolere, velut amplitudini Pontificiæ inimicum.* Quod quàm falsò imprudenterque dicatur, vnius auctoritas Doctoris euincet. Is eſt Andreas Duuallius vir clariſſimus, ſcholæ Pariſien. lumen & genius, in quo virtus cum doctrina certauit, & glorioſi pro Eccleſia labores cœlo nuper aſſeruerunt. Illo enim libro quo Catholicā atque Gallicanā fidem, contra neſcio quos nouatores, pro Pontificis Romani poteſtate propugnat, hæc de Gerſone prudenter admonet. *Scio quidem in re Pontificia Alliacenſem, Gerſonium, & Almaïnum non eſſe tantæ auctoritatis, quia tempore ſchiſmatum floruerunt, & ſcripſerunt.* Et mox, *Gerſon Doctor Chriſtianus nuncupatur, forte à regno Galliæ, cuius erat ciuis, quod inter alia regna, Chriſtianiſſimum nuncupatur: vel potius à tractatibus, quos de fide & examine doctrinarum luculenter edidit. Vt vt ſit, in rebus Pontificijs cum tempore horrendi ſchiſmatis vixerit, tantæ auctoritatis in Eccleſia non habetur.* Hæc Doctor inſignis, non Ieſuita, non Belga vel Anglus, ſed in Gallia natus, educatus in Sorbonico Collegio, Aurelij ſi quid vnquam didicit, & ſimilium quorumcunque præceptor, de Cancellario ſuo ſcribit: & parum laudati Gerſonis inuidia in Ieſuitas refunditur ab Aurelio: adeo nullum malum eſt quod non fecerint Ieſuitæ. Vis meam de Gerſone audire ſententiam? Illum aio magnum eſſe, doctum, pium, ſed hominem. In eius ſcriptis multa reperiri bona, quæ ſint eius; aliqua mala, quæ ſeculi. Redeamus ad Hierarchiam.

*Aurelij de Gerſone ad Ieſuitas calumnia retunditur.*

Aurel. p. 30. Item p. 28.

*Doctoris Duuallij de Gerſonis doctrina in re Pontificia ſenſus.* l. de ſupre. Rom. Pont. poteſt. P. 2. q. 1.

*Gerſon Doctor Chriſtianiſſimus.*

*HIERARCHIA IVRISDICTIONIS APTE CVM Angelica confertur à Guillelmo Pariſienſi.*

## CAPVT III.

Si te cum rudi Gerſonis delineatione incertum, ſi cum Aureliana gloſſa, quæ res parum explicatas obſcuritate inuoluit, vacuum & inanem dimiſero; qualis erit tua, Lector, de Eccleſiaſtica Iuriſdictione ad Hierarchiam cœleſtem comparata, cognitio? Prouocemus igitur ſi placet à Cancellario ad Epiſcopum, & Hierarchiæ huius Eccleſiaſticæ diſpoſitionem ab eo petamus, qui ſe regni ſpiritualis & Cleri ſimilitudinem exhibere profitetur.

*Hierarchia Iuriſdictionum reuocatur ad Hierarchias Angelicas à Guil. Pariſ. 2. P. de vn. p. 2. c. 121.*

*Suprema Hierarchiæ ordines.*

*Maucler. alibi cit.*

Hierarcha ſupremus eſt Regis inſtar, Summus Pontifex, cui tres Clericorum ordines aſſiſtunt, *Quorum primus inſtar Seraphim, debet eſſe amore Creatoris feruentiſſimorum. Secundus inſtar Cherubim, debet eſſe ſapientiſſimorum, & in rebus diuinalibus eruditiſſimorum. Tertius inſtar Thronorum, qui & iura ſpiritalia, & leges Eccleſiaſticas ad perfectum nouerint, & iura reddant petentibus. Et iſta Hierarchia vocatur apud gentem Chriſtianorum, ſacer cœtus Cardinalium.* Quo & reuocanda eſt Maucleri Doctoris obſeruatio, Cardinales triplicis eſſe ſpeciei, Epiſcopos, Preſbyteros, & Diaconos; quibus ſupereminet Pontifex, tanquam in Angelico exercitu Michaël. Vides Aureli vnde Gerſon *triplicem primam* Hierarchiam appellet, quod tu ſciolus quaſi ſuperuacaneum neglexiſti. Licet autem idem Cancellarius Papæ auctoritatem cum Cardinalibus conſtituat in prima Hierarchia: Epiſcopus autem noſter cum Mauclero Pontificem ſupra Hierarchiam ipſam euehere videatur; non male tamen conueniunt, quia Hierarcham eiuſdem cum Hierarchia ſua ordinis & naturæ poſſe eſſe, creatumque Luciferum, qui Angelicis omnibus Hierarchijs, ipſe primus ſupremæ Hierarchiæ Angelus præeſſet, diximus.

*Hierarchia media.*

*Mauclerus cit.*

*Gerſ. cit.*

*Dominationibus verò reſpondent Patriarcha, ſiue Primates; Principatibus Archiepiſcopi ſiue Metropolitani adaptantur, ſicut & cognominatio eorum ſonat. Poteſtatibus Epiſcopi, quoniam ad ipſos maximè pertinet exercitus ſpiritualis regere legiones, ducere ſpirituales acies, ordinare atque inſtruere militiam ſpiritualem: aſtutias, inſidias, vires hoſtium detegere, arma ſpiritualia dare: quod in Sacramento Confirmationis euidenter oſtendit doctrina Chriſtianorum.* Sequitur hoc loco S. Gregorij ordinem, non S. Dionyſij, vt Principatus Virtutum loco reponat, quod non incommodè fieri monſtrat & D. Thomas. Mauclerus autem ordine Dionyſiaco vſus, Archiepiſcopos eoſdem Virtutibus aſſignat. In hanc quoque Hierarchiam Gerſon, vt vidimus, infert Sacerdotalem auctoritatem, in habentibus ſubditos, id eſt Curatis, Abbatibus, Decanis, qui ex officio & ſtatu Hierarchizant: quos & ſimplicibus Religioſis opponit, vt tertium ordinem totum relinquat purè & ſimpliciter patientibus, ſiue Hierarchizatis: quod à S. Bonauentura factum ſuperius oſtendimus.

*Tertia Hierarchia.*

At Guillelmus diſtinctior, Virtutibus Archidiaconos comparat, quia *eorum eſt virtute irrumpere iniquitatem, cum iudices ſint, & ad eos iurgia perti-*

*ncant*

*neant ; Archangelis Archipresbyteros ; Angelis Presbyteros , quia ſi Presbyter Angelus Domini exercituum eſt, quis dubitat conſequens eſſe, quod & Archipresbyter Archangelus Domini exercituum ſit?* Animo tamen meo magis in hac tertia latisfacit Mauclerus, qui ſuo in ordine Principatus reponens, non ſolos ipſis Archidiaconos, ſed Abbates, Decanos, minoreſque Prælatos attribuit ; Archangelis Curatos, Angelis ſimplices Preſbyteros. Sed iſtos ego vt ad Iuriſdictionem reuocem , velim eſſe tam ſeculares, quàm Regulares Preſbyteros, qui ex commiſſione ſuperiorum, & extra ordinem Hierarchizant. Sunt enim illi propriè Prælatorum nuntij, quolibet ad priuata quædam ſingularium Eccleſiarum negotia mittendi, cum cæteri minus commodè ex officio ſuo auelli poſſint, & gregibus ſuis erepti alienos paſcere iubeantur.

*Maucleri diſpoſitio præfertur.*

Habes ex his ſolam ius ſacrum dicentium ſeriem, adeoque integram & ſolam Iuriſdictionis Hierarchiam , à qua Diaconos & inferiores miniſtros ſcis ablegandos. Vides poteſtatis illius iuridicæ participes Religioſos, non quidem omnes, vt neque ſecularem Clerum vniuersè; verùm eos quibus poteſtas illa Hierarcharum arbitrio committitur. Numeras in eis gradus , & in Archangelis officium, in Angelis extraordinariam miſſionem aſpicis, vt Gerſonis ipſius vetus illa ceſſet querela, de *temeritate extollentium Priuilegiatos, ſuper Curatos in prædicationibus & confeſſionibus.* Sed & viciſſim deſinet Franciſcus Hallier Preſbyteros quoſlibet ſeculares in Hierarchia propriè dicta collocare; id eſt, ſecundùm ipſum, Ordinis & Iuriſdictionis poteſtate præditos affirmare, cum Angeli proprie non ſint niſi mittantur. Præterea conſiderare potes in ſupremo Hierarcharum, à quo in omnes alios poteſtas delabitur, poteſtatis illius plenitudinem, de qua omnes accepimus: egregiè dicente eodem Gerſone : *Quod ex inſtitutione Chriſti nullus in Eccleſia debet dare, vel ſuſcipere gradus Hierarchicos , ſi non interueniat verè vel interpretatiuè auctoritas ſupremi Hierarchæ, vel Monarchæ in Eccleſia ſancta Dei ; quatenus in ea vitetur confuſio, & optimo regimine gubernetur, ad exemplar Eccleſiæ triumphantis.* Denique ſuperfluum arbitror monere , nullam à nobis hoc loco gradus tantùm patientis duci rationem, vt in Hierarchia ſtrictè ſumpta immoremur ; delapſuri ſine dubio in vaſtam illam, quæ cum Eccleſia incidit, ſi Laicos & ſimplices Religioſos in ea recenſemus. Adde, quod ſæpe obſeruatum eſt, pene omnes infimæ Hierarchiæ Angelos agere in inferiores ; vt reprehendendum non ſit, quod ſolis agentibus locum hic damus , & aduerſarijs in hac gratificamur Hierarchia, quam vnam hactenus agnouerunt.

*Obſeruanda quadam in ordine propoſito.*

*Gerſonis iuſta querela l. de pot. Eccleſ. conſi. 12.*

*Refellitur Franc. Hallier.*

*Gerſ. ibid. conſi. 20.*

Et illi quidem Doctores, cœlum vniuerſum Hierarchiæ vni iuridicæ aptauerunt, quia huic ſoli laborabant ; nobis verò tres in Eccleſia Hierarchias requirentibus, & Iuriſdictionem ad infimæ cœleſtis effigiem conſtringentibus, neceſſarium eſt Epiſcopos cum Principatibus : Archidiaconos, Decanos, Chorepiſcopos cum Archangelis: Parochos cum Angelis comparare. His eminere volumus Epiſcopum Epiſcoporum, & primarium Hierarcham, vt caput & principem Eccleſiaſticæ Iuriſdictionis. Quibus addes, ſi videbitur , extraordinarias Religioſorum , & ſimplicium Sacerdotum operas , hominibus in cœlo Beatis ſimiles, quos Angelicis ordinibus permixtos, Deus nonnunquam extra ordinem ad Hierarchicum miniſterium admouet.

*Strictior diſpoſitio huic operi neceſſaria.*

## AD SUBTILIOREM HUIUS HIERARCHIÆ *inueſtigationem, humanæ rationis & intelligentiæ ordo & ſeries explicatur.*

### CAPUT IIII.

DE fortunatis Illis ſedibus deſcendere,& nobiſcum habitare oportet,ſi quid plenius ſubtiliuſque in hac Hierarchia perueſtigatum volumus; quæ quoniam in animos potius, quàm corpora dominatum exercet, animum hominis ſimilitudine peruadit,& in ipſa rationis arce imperij ſui viuam imaginem conſtituit.

*Tota vis Hierarchiæ Iuriſdictionis.*

Omnis Hierarchiæ Iuriſdictionis Principatus & poteſtas ad duas humanæ mentis facultates, Intellectum & Voluntatem reducitur; cum aliud nihil habeat proponere, quàm credenda, vel agenda; & ad illa ipſa ſubditos per ſuperiorem obligare. Itaque vt de Intellectu primùm dicamus, is qui vnus in ſe eſt, cogitatione tripartitò diuiditur, ſecundùm ea quæ de re aliqua cognoſci poſſunt. Nam quæritur quid ea res ſit, propter quid ſit,& vtrum ſit. Prima quæſtio eſſentiam continet; quidditatem, vel rationem quidditatiuam ex eo, minùs Latina, ſed admodum ſapiens Philoſophia vocauit. Tertia non tantùm eſſentiæ, ſed eius etiam qualitatum, tanquam ornamentorum exiſtentiam complectitur, & ſuis dotatam accidentibus ſubſtantiam repræſentat. Secunda verò eandem rem ita locupletatam reducit ad eſſentiam, inque ea cauſam ſpeculatur ob quam id ipſi conueniat.

*Tria de re qualibet cognoſcuntur.*

*Circa ea triplex intellectus.*
Ariſt.l.3. de Anima ſparſim.
D Th.
*Ordo cognitionis humanæ.*
Boë. l.de conſ. phil.

His ergo triplex Intellectus aſſignatur: Supremus, qui & *νοῦς*; medius, qui & *διάνοια*, Ratio; infimus, qui pars cogitatiua D. Thomæ, quam & vocare poſſis phantaſticam, quia in phantaſiæ finibus eſt, & proximè ipſam: aut certè Ariſtotelico vocabulo, Rationalem imaginationem. Altus ille & eminens non aliunde, quàm à Deo cognitionem ſuam mutuatur, & in eius lumine videt lumen. Quid enim ſunt rerum eſſentiæ aliud, quam Dei quæpiam participationes? quid earum cognitio, quàm infinitæ illius Ideæ, & exemplaris perfectiſſimi particula? Quo nos inuitat Boëtius, cum *felicem* vocat *qui potuit boni fontem viſere lucidum.* Poſtremus ſenſibus citimus, ſuam in rebus ſingularibus notitiam venatur, dimiſſis huc illuc ſenſibus, tanquam canibus venaticis: & multa ſcrutatur, vt vnum aliquid inde conflat, per rationem; quæ accepta inferius phantaſmata, educit ad ſuperiores cauſas, & principijs grandibus coadunat. Quod S. Dionyſius monere non neglexit.

Dionyſ.li. de diuin. nom.c.7.
*Mens.*
[illegible]

*Animi quidem*, inquit, *vim ratiocinandi habent* (vnde, niſi à Dei ſapientia?) *ac fusè quidem, & in orbem in rerum veritate verſantur. Et Angeli quidem in eo cedunt quod diuiduæ, omniſque generis varietate vtuntur: ſed in hoc pares ſunt quodammodo, quod multa illa in vnum conferunt, & colligunt.* Quid ſit autem illud vnum quo reducuntur omnia, & perfectiſſimus circulus abſoluitur, habes indidem. *Intelligendi quidem mens noſtra vim habet; ſed & præterea vnitatem quandam qua ipſam in ſuperiora extollit, & rebus diuinis coniungit. Inde fit vt ingenio noſtro non percipiamus, ſed penitus extra nos rapti, & Dei omnino facti.* Quamobrem & in Mente ſunt generaliſſima principia, quæ propter præſtantiam Axiomata dici meruerunt.

ruerunt. Neque propriè ratiocinatur illa, ſed ſtatim vno velut impetu, in obiectum ſuum fertur, aut ab eo exerrat. Neque habet quo principia ſua probet, ipſo lumine cæcis ſolis non aſpectabilia. Denique Sapientiam pro natiua virtute teſte S. Auguſtino, ſortita eſt.

*Τῇ ἀπεριβάλλει … τὰς ἀκτῖνας τῷ αἰσθητῷ καὶ τῇ νοήσει. S. Max. in eum locú.*

Dianœa verò Scientiam; ob id Ariſtoteli dicta μόριον ἐπιστημονικόν, quæ ratiocinatione & ſyllogiſmis demonſtratiuis vti conſueuit: minus ſanè defæcata quàm ſuperior, vt pote quæ ſenſuum miniſterio rerum cognitionem ex parte tantùm ſubminiſtrantium indiget, & a phantaſia plurimum pendet, dum ad materiam & ſingularia deſcendit. Sed propius cum phantaſmatibus coniungitur Intellectus ille infimus, quem Cogitatiuam, aut Rationalem Imaginationem appellauimus, magiſque in ſingularium rerum cognitione verſatur. Qui quoniam λογιστικὸς eſt, ſyllogiſmis etiam vtitur, ſed inductiuis, ſeque in experientia potiſſimùm ſtabilit: non certior profectò, quam ſenſus ipſi à quibus haurit quicquid ſapit. Quamobrem vt ſecurè conſiſtat à ratione repurgari, perque eam percolatus ad Mentem debet aſcendere. Hunc cognitionis humanæ ordinem nemo breuius, magiſque Ariſtotelicè poteſt efferre, quam Nicephorus, Syneſij Scholiaſtes. *Mens*, inquit, *communicat cum Rationali anima, mediante Ratione: Rationalis verò anima communicat cum Senſitiua, & ſenſibus organicis, medio ſpiritu Phantaſtico.*

*Ratio.*

*Rationalis imaginatio.*

*Ὁ μὲν νοῦς κοινωνεῖ τῇ λογικῇ ψυχῇ διὰ μέσου τοῦ λόγου. Ἡ δὲ λογικὴ ψυχὴ κοινωνεῖ τῇ αἰσθητικῇ, καὶ τοῖς ὀργανικοῖς αἰσθητηρίοις διὰ μέσου τοῦ φανταστικοῦ πνεύματος.* Nic. schol. in Syn. orat. de Inſom.

Iſtud ipſum in humana ſcientia dilucidius eſt; quæ tota meo iudicio in tres tantùm ſpecies diuiditur, Metaphyſicam, Phyſicam, & Mathematicas diſciplinas. Quarum prima ad nobilem illam Mentem & Intellectum primorum principiorum reducitur: altera ad Rationem; hæc ad imaginationem Rationalem. Sunt enim imaginatione præditi maximè ad Mathematicas idonei; ſolertiam & celeres animi motus vltro citroque commeantes Phyſica; grauitatem maturitatemque Metaphyſica deſiderat. His primarium & quaſi vltimum obiectum dederunt homines, Hominem ipſum, quo nihil præſtantius agnoſcebant: cætera ſenſibus & animo luſtrarunt eò demum perducenda. In quo materiam primùm, quantitatemque, quæque inde conſequuntur accidentia ſenſibus externis deprehenderunt, in phantaſia deſcripſerunt, & Cogitatiuæ tradiderunt. Sequuta eſt formæ indagatio, à qua naturales fluunt proprietates. Quibus vtriſque communis eſt entis per ſe, ſiue ſubſtantiæ ratio: neque ſimpliciter immerſa in materiam, neque in ſola corporis naturalis forma ſubſiſtens, ſed excelſius aliquid & vniuerſalius complexa. Illam igitur Metaphyſica vt ſpeculetur, duûm generum habere debet principia: generalia quæpiam quæ diſciplinas inferiores vitali quodam influxu permeent, foueant, confirment ſumma & Metaphyſica certitudine: & ſibi peculiaria quædam in obiecti ſui conſideratione vſurpanda. Huic deinde ſubiecta Phyſica συλλογίζει, per ea quæ ab inferiore primùm, & poſtea à ſuperiore accipit, vtriuſque nixa principijs. Sed & ipſa proprijs quibuſdam ſola vtitur, alia ſubditæ ſcientiæ dat vtenda, nobiſque medij generis certitudinem conciliat, quam Phyſicam nuncupamus. Mathematica denique radio & puluere ſenſus noſtros paſcit, & quantitatem metitur, & figuram deſcribit, & ſic à materia abſtrahit, vt tota ſit in materia. Eius obiecti partes omnes quid ſunt aliud, quàm corporis naturalis membra, affectiones, operationes, accidentia? Quicquid igitur firmitatis habet, id totum à Phyſica mutuatur: hæc ſuis bonis non contenta, præſidium ſuperioris aduocat;

*Tres humanæ ſcientiæ & earum nexus & ordo.*

*Metaphyſica ſcientia.*

*Phyſica ſcientia.*

*Mathematica diſciplina.*

quæ & ipſa in primam veritatem reſoluitur; ſicque admirabilis ille conuoluitur circulus à D.Thoma traditus, dum aduonet, *ſecundum viam inuentionis, deuenire nos per res temporales in cognitionem æternorum. In via verò iudicij per æterna iam cognita, de temporalibus iudicare, & ſecundum rationes æternorum temporalia diſponere.*

D.Th. 1 p. q 79. a. 9

*Humana ratiocinationis forma.*

Deinum, vt & hoc addamus maioris elucidationis gratia, in omni ratiocinatione ignotum aliquid rite deducimus ex duobus ante cognitis; præmiſſas vocant, & concluſionem; verbo vno, ſyllogiſmum. Maior propoſitionum generale principium conriner, quod vel actu vel virtute Metaphyſicum eſt, proinde à ſupremo Intellectu proponendum. Altera principium adfert minus vniuerſale, particularis alicuius ſcientiæ, quod in Metaphyſicum vniuerſaliſſimum aliquando reſolui debet. Tum verò vterque intellectus, Mens & Ratio, colligunt in concluſione, & in vnum reducunt id quod repertum eſt, hoc illi ineſſe affirmantes. Atque ita perueſtigata veritas voluntati proponitur, ſi forte vult illam profiteri. Hic enim fides pendet à voluntate, non tantùm vt ipſa Intelligentiam applicet ad veri indagationem, ſed etiam vt agnitam, liberè vel admittat, vel impugnet. Voluntas autem ipſa Intellectum mouere poteſt, non quidem ad actus ſcientiæ, & euidenris cognitionis, ſed ad actus fidei, ſeu diuinæ ſeu humanæ. Quid enim eſt credere, niſi cum aſſenſione cogitare? adeo vt iudicium intellectus, quod per ſe & directè pendet à voluntate, ſit iudicium fidei.

*Quomodo fides pendeat à voluntate.*

---

## *AD EXPOSITAM SIMILITVDINEM HIErarchicus Iuriſdictionis ordo in rebus fidei definiendis reuocatur.*

## CAPVT V.

PROCEDENDVM modò eſt ab his humanæ rationis vmbraculis, in ſolem Eccleſiaſtici Concilij, & quod in microcoſmo ſpectauimus, in ſanctiſſimo mundi maioris rhearro explicandum: ſed breuius quàm res tanta dici poſſit, vt diſtinctius aliquid in membris ſingulis indagemus. Definiuntur articuli fidei in Concilio, & quidem non ex noua reuelarione vlla publica, ſed per ratiocinationem. Siquidem *Primi illi Hierarchiæ noſtræ duces ac Principes, cum & ipſi a diuina bonitate plenè cumulatéque ſanctum hoc munus accepiſſent*, vt loquitur S.Dionyſius, in Concilio tamen Hieroſolymitano voluerunt, vt *magna conquiſitio fieret*, dicturi poſtea *viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis*. Ad eam neceſſarium eſt principio proponi à Pontifice Romano, tanquam à Mente & Intellectu ſupremo, principium Catholicæ fidei generaliſſimum, verbum Dei ſcriptum & traditum, in quod propoſitiones omnes credendæ reſoluuntur. Nam ex illis reuelatis elici debent ſyllogiſmo credenda cum ipſis connexa: ea ſcilicet, quorum falſitas, in eorum falſitatem redundaret. Quemadmodum ea concluſio dicenda eſt ex principijs expreſſa, quæ falſa eſſe non poteſt, quin aliqua ex parte principium ipſum falſum appareat. Hinc factum vt in media Conſeſſus aula, digniſſimo loco ſacroſancta conſtituantur Euangelia: tanquam Chriſtus ipſe præſideat controuerſiæ iudex, & fidei magiſter. Pontifici adiunguntur S.R.E. Cardinales

Dionyſ. c. 1. Eccleſ.

Act. c 15. *Summus Pontifex Menti ſimilis.*

*In medio conſeſſu Cōciliorum Euangelia.*

Cardinales pars eius corporis, vſui futuri ad alia minus quidem vniuerſalia principia, ſed quæ tamen inferioribus anteſtent, & in ea virtutem refundant, qualia in Metaphyſica eſſe indicauimus, cum Entis ſui proprietates ſpeculatur.

*Epiſcopi ſimiles Diaconæ.*

Sequuntur Epiſcopi locum Dianœæ tenentes, qui propinquiore cum inferioribus affinitate coniuncti, diuiſam ab ijs, diſtinctamque rerum notitiam aſſumunt, cumque principijs ſupernè hauſtis aptè colligant; decreturi tandem cum Pontifice, quæ ſit credenda fide diuina concluſio. Qui nihilominus & ipſi Senatum habere debent ſuum, ad peculiaria ſua principia, & eruendas ex ipſis concluſiones, quod in Phyſica ſcientia ſpectauimus. Quis autem alius eſſe poteſt Epiſcopi Senatus, quàm Capitulum? Cogitatiuam denique, ſeu Rationalem imaginationem referunt Doctores, & ſi vis, experti quilibet, qui ambigua ſecernentes, æquiuoca diſtinguentes, Theologicos, Philoſophicoſque terminos explicantes, quaſi ſingularium cognitionem, & phantaſmatum vſum Epiſcopis tradunt, ad vniuerſaliũ principiorum regulam dirigendum. Hi profectò nihil definiunt ipſi, neque eorum ſcientia ſolitariè ſpectata certitudinem Catholicam parere poteſt: donec ab Epiſcopis examinata probè, veritatem Verbo Dei ſcripto aut tradito conformem continere iudicetur. Quibus demum ſupremæ Mentis iudicium accedit, & rem ita eſſe, & cum vniuerſalibus principijs aptiſſimè hærere, ſua auctoritate confirmat. Nemo enim Catholicus dubitat quin ad Concilia omnia, etiam Generalia, vis & auctoritas Romani Pontificis implicitè ſaltem accedere debeat. Eo facto poſtea tum ipſe Pontifex, tum quilibet alius Epiſcopus, definitũ articulum per Concionatores, Doctores, miniſtros ſuos populo proponit: iſque ſine dubio ritè expoſito credere, atque aſſentiri tenetur; eaque eſt Concionatoris populum docentis in eius animos quaſi Iuriſdictio, ab Hierarchis profecta.

*Doctores rationali imaginationi reſpondent.*

*Examen propoſitionum & concluſio.*

*Articuli noui credendi expoſitio.*

*Solus Papa nihil definit.*

Sunt autem hic plurima quæ obſerues. I. Quod ad caput attinet, Solum Papam nihil definire, ſed adhibito ſemper aut Cardinalium aut Epiſcoporum conſilio: quod & exprimere ſolet, De conſenſu Cardinalium, &c. atque hoc eſt eum de Cathedra loqui, vt inferius explicabitur. Alia vt Doctor priuatus aſſerit, cui promiſſam aut datam à Chriſto, vt ſic, non eſſe infallibilitatem multis cum communi ſententia probat Duualius. Quod iam olim videre eſt in S. Cypriani & Stephani Papæ controuerſia. Querebatur enim S. Cyprianus quod hic aliquid ſine Concilio & examine ſtatuiſſet, *quæ aliquando*, inquit, *à fratribus & Collegis noſtris vtiliter & ſalubriter ſuggeruntur, ſi ſint vera, & legitima, ipſa potius noſtra ducamus.* Addit Apoſtoli dictum, *Prophetæ duo aut tres loquantur, & cæteri examinent.* Stephanus autem non reſpondet id ſe poſſe ſolum, ſed *nihil innouetur, niſi quod traditum eſt.*

*Duual. de Rom. Pont. poteſt. 2. P. q. 1. Cypr. epiſt. 71. ad Quintum. Steph. inter epiſt. Cypr. 74. ad Pomp.*

*Epiſcoporũ doctrina propria, quæ?*

II. Quod ad Epiſcopos ſpectat, ſeu potius Hierarchas, (alios enim aliquos ipſis hac in prærogatiua coniungi dicturi ſumus inferiùs) eos ſolos cum Pontifice ius ſuffragij, & definiendi auctoritatem habere. Ac licet Epiſcopos ingenij doctrinæque Principes ſemper habeat Eccleſia: & hæc noſtra ætas veterem Galliæ gloriam inſtauret, quæ viris eloquentiſſimis, & eruditiſſimis Antiſtitibus ſemper abundauit: non eſt tamen neceſſe vt ſubtilitate doctrinæ, & ſeculari literatura præditi ſint; modo *ſcientiam ſanctorum*, & ea quæ diximus vniuerſalia principia deſumant ex ſuperiore ſcientia, illiſque ſolerter applicent ea quæ de Doctoribus ceperint. Nota enim Spiridionis hiſtoria

*Epiſcopi ſecularem literaturam non requirunt.*

Niceph. l. 8 Eccleſ. hiſt. c. 15. Concil. Nicæ. l. 2. Greg. l. 9. Regiſt. ep. 69 indi. 4. Agath. ep. ad Conſt. habetur act. 4. 6. Syno. Syn. Rom. ep. ad Con. habetur ibid.

Philoſophum in magno Nicæno Concilio non arte dialectica, ſed diuino ſermone vincentis; vt qui dicatur fuiſſe *ſimpliciſſimæ naturæ vir, & nihil aliud ſciens, niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum.* S. Gregorius Magnus fatetur ſe *nec Græcum noſſe, nec aliquod opus aliquando Græcè conſcripſiſſe.* Agatho Papa ſeculi imperitiam excuſat, & Legatos, quos ad ſextam Synodum mittit, confitetur non habere *ad plenum ſcripturarum ſcientiam*, ſed tantùm *quæ regulariter à ſanctis atque Apoſtolicis prædeceſſoribus, & venerabilibus quinque Concilijs definita ſunt, cum ſimplicitate cordis, & ſine ambiguitate à Patribus tradita fidei conſeruare.* Quod ipſum Romana Synodus cum eodem Agathone, de iiſdem Legatis, ita profitetur ſcripta ad Conſtantinum Imperatorem Epiſtola, qui ad ſe mitti poſtulauerat *Epiſcopos vita atque ſcientia omnium ſcripturarum præditos. Perfecta*, inquit, *ſcientia ſi ad veræ pietatis ſcientiam redigatur, ſolius eſt veritatis cognitio: ſi ad eloquentiam ſecularem, non æſtimamus quemquam temporibus noſtris reperiri poſſe, qui de ſummitate ſcientiæ glorietur.* Et mox. *Hæc eſt perfecta noſtra ſcientia, vt terminos Catholicæ atque Apoſtolicæ fidei, quos vſque Apoſtolica ſedes nobiſcum & tenet, & tradit, tota mentis cuſtodia tentamus.* Vides Epiſcopos ex vniuerſali principio pendentes, & Dianœam ad Intellectum ſupremum reuocatam.

*Refellitur, Duarenus* l. 1. de ſacr. Eccl. min. c. 11. — Ibid. c. 7.

Quæ omnia Duarenum redarguunt, & quos indicat iuris Pontificij Doctores, qui Laïcis etiam probis & peritis, in Concilio Vniuerſali de fide decernendi ius attribuunt, ob Epiſcoporum quorundam imperitiam, quæ eos ſolos iudices ſedere non permittit. Satis equidem mirari non poſſum à Iuriſconſulto in opinionis ſuæ confirmationem, hoc ipſum quod verſamus Concilium Apoſtolorum adduci, in quo ſolos Apoſtolos & Seniores legit; hos autem illis temporibus cum Epiſcopis confuſos eſſe aſſeruit.

*Doctorum in Concilijs officium.* Gerſ. l. de poteſt. Eccl. conſ. 12.

III. Doctorum quis ſit in Concilio locus, quod munus: ad quos etiam expertos reuocat Gerſon, vbi neminem à generali Concilio vult excludi, qui vel docere velit, aut doceri. *Conſultatiuam* tamen illis *vocem* ſolùm attribuit, *vt dum ſit quæſtio de Philoſophicis & moralibus diſciplinis, vt ſunt præcepta Decalogi, poſſunt ſeculares eruditi in Philoſophia, de Legibus & moribus dare conſilium, & aliquando ſalubrius, quàm nonnulli Prælatorum, vel Curatorum, vel etiam Theologorum.*

*Presbyteri non ſedent aut definiunt in Concilijs generalibus.* Syn. Rom. 2 ſub Sylueſtro. Con. Cart. 4. can. 34.

Sed quod idem *vocem definitiuam* attribuit, non tantùm *Epiſcopis & ſuperioribus Prælatis*, ſed etiam *ſine ambiguitate minoribus Prælatis, qui ſunt Curati & Hierarchæ*, mihi non probat. Preſbyteros enim in Concilijs non ſediſſe, habetur in Romana Synodo 2. ſub Sylueſtro, *Presbyteri autem Romani omnes, & Diaconi, Cleruſque, vel gradus frequentes, ad terga Epiſcoporum ſteterunt. Nemo enim ſedit in eodem loco, niſi tantùm Epiſcopi & Syluester.* Scio videri aliter nonnullis Canonem Carthaginenſis quarti explicantibus, *vt Epiſcopus quolibet loco ſedens, ſtare Presbyterum non patiatur.* Hoc certè conſtat, non ſediſſe vt Iudices, neque in iis quicquam decernere ſolitos. Neque vſpiam legere eſt aut ſimplices Sacerdotes, aut Curatos, quales tunc fuiſſe volunt omnes Preſbyteros, Concilijs Generalibus ſubſcripſiſſe, niſi Antiſtitum ſuorum legatione fungentes. Omitto quod alibi monui, nomen Hierarcharum, niſi Epiſcopis & cauſæ primariæ, non bene aſſignari.

*Grauis error Aurelij circa fidem.* in vind. p. 17

IIII. Accipiet & hic ſportulam Aurelius, occaſione materiæ de fide quæ tractatur in Concilijs, & methodi qua fidei propoſitiones definiuntur. Duo enim docet, quæ mihi declarari velim, quomodo *fidei Catholicæ non aduerſentur.* Primo enim ait, Catholicos ſcire *fidem non diſcurſiuam, ſed intuitiuam eſſe:*

quippe

*quippe luminis gloria ſpecimen & imaginem.* Additque Philoſophorum eſſe & hæreticorum ratiocinari, & conſecutiones deducere. Atqui ſcio ego Catholicos e Theologis non paucos *fidem* facere *diſcurſiuam*: qui autem *intuitiuam* appellet, vidi neminem. Cuius enim intuitiua eſt? Diuinæ eſſentiæ? Nudæ veritatis? Si quid intuetur, an poteſt obſcura eſſe? atqui *videmus nunc per ſpeculum in ænigmate.* Cur autem in cœlo fides non manet, niſi quia eſt *rerum non apparentium argumentum*? Repudias in Theologia & fide conſecutiones. Qua fronte, ſi Catholicus es: nonne controuerſiarum tractatores totis ſemper viribus adniſi ſunt, vt nouatores noſtros è ruinoſo ſcripturæ ſolius propugnaculo exturbarent, demonſtrare non quicquid creditur illa explicitè contineri; ſed ex ea per *conſequentias* educi? Facis ergo cum hæreticis eas aſpernando, & *Catholicos Cenſores* tueri te ſimulas, non ſine iniuria, eos negando *reſpicere quid ex doctrinis quas probant, vel reprobant, humana ratio argumentando inferre queat.*

*Refellitur* — 1. Cor. 13. — Hebr. c. 11. — *Fauet hæreticis Aurelius.*

Ad fucum autem, more tuo, Lectori faciundum, S. Auguſtinum citas in margine, lib. 22. de ciuit. c. 29. Quid verò ibi dicit pro te, imo quid non contra te? vt affirmare ſit vtilius, ne lectum quidem à te locum vnum quo te tueris. De beatifica viſione diſſerit; fidem non nominat, niſi vt ei, eiuſque claritati & perfectioni opponat. *Iſto*, inquit, *modo pro ſuo modo ſciunt eam* (pacem Dei) *ſancti Angeli, homines autem nunc longè infra; quantumlibet prouectu mentis excellant. Conſiderandum eſt enim quantus vir dicebat, ex parte ſcimus, & ex parte prophetamus: donec veniat quod perfectum eſt.* Et, *videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Præmium itaque fidei noſtræ iſta viſio ſeruatur. Quapropter cum ex me quæritur, quid acturi ſint ſancti in illo corpore ſpiritali? non dico quod iam video, ſed dico quod credo. In hac vita hominum mirabilium prophetia ita comparanda eſt illi vitæ, quaſi paruuli ad iuuenem,* &c. Ex his S. Auguſtini verbis probat Aurelius, quid? Fidem eſſe *intuitiuam, ſpecimen & imaginem luminis gloriæ?* Aut *conſecutiones à Philoſophis & Hæreticis* vſurpari? Nam citatio huic dicto reſpondet. Hoc eſt doctrinam ſuam confirmare? hoc alienam euertere? Cæcum eſſe non oportet eum qui ſic aduerſarium oppugnet; improbum qui Lectoribus illudat; præfidentem & audacem qui Patribus abutatur? Aureli Theologe hoc S. Auguſtini dicto, hac *fidei intuitiuæ* voce, hoc *conſecutionum* contemptu Grammaticum inſtruxiſti? Sed age, maiorem tibi oſcitantiam, & lapſum, vt interpretor grauiorem oſtendo.

*Auguſtinum peruertit.* — Auguſt. lib. 22. de ciu. c. 29.

Dicit enim doctrinæ non ſuæ immemor, ad libri calcem *Concluſionem è propoſitionibus elicitam, quarum vna fidei eſt, altera euidenter nota graues Theologi hæreticam cenſent. Hæreſi verò proximam vniuerſi confitentur: & qui eam pertinaciter aſſerat, ſine dubio hæreticum haberi conſueuit.* Vigilans profectò ſomniabat cum hæc ſcripſit propoſito ſuo, & veritati penitus contraria; quæ ego ipſe vix oculis credo meis, ab eo qui ſe Theologum dici velit, qui doctrinæ gloriam ambiat, qui fortem & acutum inuadat aduerſarium, qui Catholicam Facultatem patrocinio ſuo tueatur, ſcribi, aut dictari potuiſſe. *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras.*

*Error alius grauiſſimus eiuſdem Aurelij.* in vind. p. 715. — Iſ. c. 5.

*IDEM ORDO HIERARCHICVS PRO DECERnenda morum doctrina in humani Appetitus imagine conſideratur.*

## CAPVT VI.

TANTA inter ſe ad humanarum actionum exercitium affinitate iunguntur Intellectus & Voluntas, vt hanc ab illo ſeparare, conſeruata libertatis integritate, petquam difficile videatur. Quia tamen ſcholæ priuilegio ad ſubtilem harumce potentiarum diſtinctionem vti cœpimus: audactet ab Intellectu procedimus ad Voluntatem, & Reginam opetationum noſtrarum facultatem ornatu comitatuque ſuo inſtruimus.

*Triplex Voluntas ex D. Th. 1.2.q 12. 13.& ſeq.*

Certum eſt igitut in homine Intellectui reſpondere Appetitum, quem adeo non minùs quàm ſuperiorem, tres in pattes cogitatione diuidimus. Voluntatem ſupetiotem, Voluntatem mediam ſeu Infetiorem, & Vſum appetitui ſenſitiuo proximum: Primam ptæcisè Voluntatem; alteram liberum Arbitrium D. Thomas nuncupat; tertiam Vſum actiuum. Ptima vim ſuam accipir à prima bonitate; tertia in rebus hiſce particularibus occupatur; ſecunda iſtas ad ſuptemam bonitatem teducit. In prima naturalis quædam αὐθεντία eſt, ordinis omni libertate ptæſtantiotis; illi quadantenus ſimilis qua ſe Deus naturalitet diligit, quæque libertatis in tebus inferiotibus cauſa eſt, & principium. In ſecunda, mera & formalis libertas: in poſtrema quædam patticipatio libertatis. Suprema eſt atchirectonica, & ad eam Intentio pertinet: Media Electionem habet & conſilium: Infima Vſum. & imperium. Vnde fit vt prima præcipiat, alteta otdinet, hæc impetet.

*Supreme Voluntatis Principatus.*

Itaque ſuptema illa cæterarum Ptinceps, & μόνον ἡγεμονικὸν ſeu ἀρχιτέκτων Atiſtoteli, ſummam habet in homine toto, tanquam in Regno auctoritatem & principatum, adeoque dominium & Iuriſdictionem pleniſſimam. Eius eſt finem vltimum, Beatitudinem intendere, quem proprium habet: eius, Rationem admouere ad deliberarionem, ſeu inquiſitionem mediorum, deque eorum electione iudicium. Mouet partes ſubditas, à ſolo Deo mota, & omnia infra ſe deſpiciens, eò magna eſt, quia ſolo Deo minor. Nam ſupra ſe nihil videt præter diuinam legem, ſiue illa ſit æterna, ſiue poſitiua, ſeu denique naturalis, quæ eſt participatio quædam legis æternæ mentibus noſtris impreſſa.

*Media Voluntatis Libertas.*

Infetiori autem Voluntati Libertas competit, ſeque ipſam mouendi facultas, & in ſubiectas potentias imperium: ſed à ſuperiote pendens. In eius ditione eſt de medijs ad finem conducentibus conſilium, & electio: ad finem, inquam, non quem ipſa ſibi præſtituat, ſed quem à priori Voluntate propoſitum, tanquam Cynoſutam ſuam aſpiciat, & eò totis vitibus adnitatur: idcirco pendere ab illa dicitur. Hæc quando ſuperioti ſe coniungit, & de pluribus medijs vnum aut alterum eligit, quod optimum factu iudicatur: tum denique conſenſu dato Voluntas leges inſtituit, quod eſt primum Iuriſdictionis officium. Deinde ex legibus latis, confirmatis, & ratis, de ſingularibus

gularibus iudicat, ſeu dictat quid tali loco & tempore ſit agendum. Quod ab Ariſtotele dictum reperio ἐπιτάττειν, ordinare. Eſt enim ordinatio de peculiari actione, lex de communi obiecto. At quoniam præter vltimum illum felicitatis finem, plures alij eſſe poſſunt illi ſubordinati, magis minuſ-ve vniuerſales; ſuos habet ſuprema Voluntas proprios, ſuos inferior quos intendat, non iam actu, & vt vocant, formaliter à ſuperiore mota, ſed tantùm quatenus ſecundarias illas intentiones elicit, intentionis primariæ, (quam ſi vis generaliſſimam appellabimus) virtute, & illas in hanc, tanquam fluuios minores in Oceanum refundit. Quis enim me vt benè aliquid & rite velim, adigat ad exprimendam actu beatitatis vltimæ cogitationem, ad quam ea voluntas ſua ſponte referatur? Ac non potius fateatur, vbi ſemel ſuperiore illa intentione deliberationeque adhibita virtutem & habitum acquiſiero, poſſe omiſſis prioribus actibus, in medium electum ferri, velut finem aliquem ſecundarium, & à primigenio deciſum? quod & in diſciplinis vſu-venire ſolet, in quibus percepta ſemel principiorum notitia, nobis etiam minimè cogitantibus, in particulares concluſiones influit. *Hæc non ſemper mouetur à prima.*

Denique Vſus actu applicat vel animæ potentias, vel membra corporis ad opus aliquod, vel in medium proximè, vel in finem immediatè tendens: non enim vltimi finis poteſt eſſe, ſed ſola fruitio, & quidem iam poſſeſſi: atqui de eius comparatione diſſerimus. Aſſignatum eſt à nobis Vſui imperium: quia proximè cum actu coniungitur, *ad cuius exercitium ratio per imperium mouet in virtute voluntatis*, vt docet D. Thomas. In hoc autem Vſu actiuo deficit libertas, quæ neque ad appetitum ſenſitiuum, longè minus ad potentiam executricem deſcendit. Hæc enim nulla prorſum rationis particula adſpergitur; ſed ſolo obſequij & executionis contenta famulatu, imperandi gloriam, & libertatis arbitrium ſuperioribus concedit. Senſitiuus autem appetitus, participationem quidem rationis aliquam ſortitus eſſe dicitur: verùm ſi propriè loqui volumus, in eo libertas nulla eſt. Nam licet quorundam habituum, qualitatum, & virtutum moralium capax eſſe concedatur, ijs tamen vti non poteſt ſine actuali voluntatis & rationis concurſu; qui hic ipſe Vſus actiuus eſt. Vnde fit vt non cenſeatur mouere ipſe ſe, ſed tantùm eſſe inſtrumentum, ex eorum genere quæ non agunt, niſi cum à cauſa principali actu & formaliter mouentur. Præterea ſequitur vt auctoritatem & principatum non obtineat. Nam auctor eum propriè ſignificat qui eſt primus & præcipuus in ſuo genere motor, ita vt ad agendum neceſſe non ſit eum tunc pati, licet fortaſſe antea pati & recipere aliquid debuerit. *Vſus actiui applicatio.* *D. Th. ibid. q 17. a. 3.* *Senſitiuus appetitus non eſt liber.*

Iam verò vt breuiter ordinem volendi colligamus, rectus ille eſt à ſummo ad imum deuolutus, cum ordo intelligendi contrarius, retrorſum ab inferioribus ad ſuperiora verſùs aſcendat. Generale, vt ſic dicam, voluntatis principium eſt Deus; Beatitudo, finis vltimus: eum ſuprema voluntas intendit: & concilium indicit, quo de medijs vtilibus deliberetur. Hic media voluntas ratiocinationem admouet, & conferre inter ſe plures iubet. Vnde Iudicium de rebus agendis elicitur; fitque medij vnius electio: quam excipit finalis ſententia, id eſt, conſenſus in actum à ratione Superiore voluntatem includente, præſtitus. Illi demum ſuccedit Vſus actiuus, quo voluntas facultates inferiores tanquam ſubditos determinat; & mouet ad exequendum. *Ordo appetendi breuiter colligitur.*

*Qui ad Hierarchiā aptè reducitur.* Quæ omnia ſi ad Hierarchiam Eccleſiaſticam reducimus, apparet ſtatim
Hierarcha primarius Romanus Pontifex, Supremæ volunrari ſimillimus, ad
quem Hierarchici finis intenrio pertinet, qui eſt Dei ſimilitudo & amor, &
aliquatenus mandarorum obſeruario. Is eſt cui Deus immediatè a ſe pen-
Ezech. c.3. denti, peculiariter dicit, *Fili hominis ſpeculatorem dedi te domui Iſraël; & audies
de ore meo verbum, & annunciabis eis ex me.* Si quid igitur agendum recens inci-
dit, Concilium aduocar, Purpuratos Pàrres, aut Epiſcopos. Hic media vo-
luntas operati incipit adhibita Ratione, & conſiderato fine de medijs deli-
D.Th. cit. q.14.a.3. berar. *Eſſe autem conſiderandum* monet B.Thomas, *quod in particularibus contin-
gentibus, ad hoc quod aliquid certum cognoſcatur; plures conditiones ſeu circumſtantias
conſiderare oportet, quas ab vno non facile eſt conſiderari, ſed à pluribus certius perci-
piuntur.* Inde capiendi conſilij neceſſiras, præſertim in rebus agendis, quæ
minimis locorum, temporum, perſonarum momentis; maximas viciſſitudi-
nes patiuntur. Auditis igitur omnibus in commune, medium eligitur, & con-
ſenſu firmatur. Lex ſcribirur de hoc agendo, vitando-ve: atque ea ſtatim eiuſ-
dem voluntatis imperio in Vſum reducitur, dimiſſis hinc inde promulgato-
ribus, vel ordinarijs, vel extra ordinem delectis: quibus vna poteſtas eſt, edi-
cendi quod decretum eſt, imperandi execurionem, rebelles coërcitione re-
primendi. Quæ quidem Miniſtrorum Iuriſdictio qualis ea tandem ſit, &
quanto opere ab Hierarchis pendens, ſtolidus eſt qui non perſpicit.

*Alia ſimilitudo communitatis humanæ perſtringitur.* Duabus his figuris vtriuſque in animis noſtris porentiæ, tertia poſſet addi
figura, & humanæ cōmunitatis ſimilitudo ex Ariſtotelicis depromi Politicis:
in qua Papam poneremus Ciuitatis Principem: Archiepiſcopum vt vici aut
ſodalitatis principem; Epiſcopum vt Parrem familias; Sacerdotes cum S. Epi-
phanio in Matris familias titulum tranſcriberemus. Sed & hæc aperta colla-
tio eſt, quam inferius fortaſſe ſpargere neceſſe fuerit, & orationi prolixita-
rem nimiam conciliarura, & Philoſophos negligenti Aurelio, tories Ariſto-
telem obtrudere, ignorantiæ non neceſſaria exprobratio videtur.

---

*DE SINGVLIS HVIVS HIERARCHIÆ PARtibus. Ac primùm Supremo Hierarcha, Pontifice Romano.*

## CAPVT VII.

Maldo. in c.16. Matt. MALDONATVS noſter Primarum Petri aduerſus Nouatores aſ-
ſerturus, ne vana quadam aſſentarione gratiam Pontificis eme-
reri videatur, ira venuſtè & apertè præfatur, *Ego à Romano Pon-
tifice nihil vnquam habui, nihil me habiturum ſpero, nihil habere volo.*
*Petri Aurelij calumnia occurritur.* Quod cum dixit is, quem virtus & doctrina omnibus Ponrificum beneficijs
dignum reddiderant: non ſuo tanrùm, ſed vel maximè poſterorum nomine
Hall. l. de de Sacr. ordin. in epi. dedic. profeſſus cenſeri deber, Ieſuitarum calamum minimè eſſe quæſtuoſum.
Quod æquè de ſuo, vt arbitror, Franciſcus Hallier aſſerere nolir, poſt Epi-
ſtolam libro de ſacris ordinationibus præfixam. Simul etiam tanrò ante

vanam

vanam & fatuam Petri Aurelij calumniam exſibilauit, qua dicuntur Ieſuitæ *reuera credendi Romani Pontificis cultores infidi, & quantùm per ſua commoda liceat, eius imperijs obſequentes.* Imo quod ſacrilegio proximum eſt, *ſuis commodis, ſuis ſtudijs nullam rem, nec ipſum Romanum Pontificem præponere conſueuiſſe.* Cui ego Venetorum Patrum ſub Paulo V. factum opponerem, niſi ſe ipſe iugularet, quando Clementem VIII. nobis *non admodum fauiſſe* confitetur. Quo tamen Petri nauem regente, nihil de noſtra in ſedem Romanam obſeruantia, & caritate remiſſum verè poteſt affirmare. Quamobrem ſi nihil à Pontifice Romano habere neque volumus; neque poſſumus, cum in poſterum toto paſſim opere, nonnulla de eius dignitate atque auctoritate dicemus, cauſæ nihil erit Aurelio, cur adijciat illum grandis alicuius mercedis ſpe vel pretio *blandis elogijs, & Ieſuitica adulatione palpatum.* | Aurel. in vindic. p. 700. Pag 742. Pag 520. Pag. 640.

In Romano Pontifice plures mente atque animo diſtingui poſſunt Iuriſdictiones. Primò enim eſt vrbis Romæ Epiſcopus peculiaris & priuatus, quemadmodum vrbs ipſa, vna ciuitas eſt. Quo nomine nullam habet in cæteros Epiſcopos, & populum illis ſubditum Iuriſdictionem & poteſtatem. Illis tamen eminet dignitate, vt qui & vrbis omnium nobiliſſimæ, Antiquæ Romæ, & Cathedræ ab ipſis Apoſtolis Principibus conſtitutæ rector eſt. Præterea hic ipſe Romanus Epiſcopatus, radix eſt, & fundamentum omnis eius dignitatis & poteſtatis. Neque enim eſſet Patriarcha, aut caput, niſi Romanus eſſet Epiſcopus: ſi quidem in ſua ſede; & Eccleſia Romana Petrus moriens conceſſum ſibi capitis priuilegium reliquit. Non eſt autem Eccleſiæ caput quà Romanus Epiſcopus formaliter, ſed quà Petri ſucceſſor. Vnde Romani Epiſcopi nomine audito, ſtatim Petri ſucceſſor intelligitur, & implicitè Patriarcha, & Caput Eccleſiæ. Eam fortaſſe ob rem, ita ſcribebat Melchiadi Conſtantinus Imperator, *Conſtantinus Aug. Melchiadi Epiſcopo Romano, Hierarchæ.* | 5 Iuriſdictionū ſpecies Rom. Pontif. complectitur. 1. Epiſcopus Romæ. Epiſt. Conſtantini ad Melchiad. habetur tom. 1. Concil.

Secundò Metropolita, ſiue Archiepiſcopus eſt, Romanæ Prouinciæ reſpectu, in qua plures ſunt Epiſcopi, quos conuocare, & Concilium cogere, & cauſarum appellationes excipere ſolet, vt quilibet aliùs Metropolitanus. Sic Epiſtolas inſcribunt vetuſti aliqui Pontifices. *Sixtus Romanæ Eccleſiæ Archiepiſcopus. Pius Apoſtolicæ ſedis Archiepiſcopus.* In Chalcedonenſi Concilio acclamatur ab Epiſcopis, *Hæc fides Leonis Archiepiſcopi.* | 2. Archiepiſcopus Romanæ Prouinciæ. Vide tom. 1. Concil.

Tertiò Primas eſt reſpectu Italiæ totius, in qua ſub ſe plures Metropolitanos videt, vt Mediolanenſem, Aquileïenſem, Rauennatem. Sic monet Hincmarus, *Sancta Romana Eccleſia, cui ſolicitudo omnium Eccleſiarum in B. Petro Principe Apoſtolorum commiſſa eſt, plures Metropolitanos in ſua ſpeciali Diœceſi habet: ſed & Antiochena ſedes nonnullos Metropolitanos in ſua Diœceſi habet.* D. ipſe Leo ſe alicubi *Primatem Epiſcoporum* nominat. Et Adrianus *veteris Romæ Primas, & Principum Apoſtolorum ſucceſſor*, dicitur in ſeptima Synodo à Taraſio Conſtantinopolitano. | 3 Primas Italiæ. Hincm. epl 6. c. 4. D. Leo ſer. de Aſſum. ſua. Sept. Syn. act. 2.

Quartò Patriarcha eſt totius Occidentis; vt etiamnum appellant Græci, & quidem Patriarchatum primus, honoris & dignitatis ordine, vt ipſi facile concedunt ſchiſmatici. Quibus de Iuriſdictionibus notanda quædam occurrunt, & ad Eccleſiaſticæ hiſtoriæ intelligentiam, & ad ſchiſmaticorum ſoluendos nodos non inutilia. | 4. Patriarcha Occidentis.

Has enim poteſtates res ipſa declarat, certis quibuſdam limitibus arctatas | Illa pot. ſta.

*tes ſunt iure Eccleſiaſtico determinata.*

eſſe, & quidem non diuino, ſed Eccleſiaſtico iure ita definitas arbitror. Nam quod Epiſcopatus Romanæ ciuitati peculiaris, has vel illas ſuburbicarias Parœcias contineat; quod Eccleſiæ Romanæ Patriarchatus ſe potius in Occidentem, quàm in Orientem extendat, cum maximè primis temporibus magnam Græciæ partem teneret, hoc immediatè non eſt à Chriſti inſtituto, ſed vel à D. Petri determinatione, vel ſucceſſorum eius, vel Conciliorum, licet eius rei narratio non extet expreſſa. Non enim Eccleſia in Concilijs congregata, minùs potuit Patriarchæ Romano Diœceſes ſuas definire, quam deſcripſit Concilium Nicænum Alexandrino, Chalcedonenſe Conſtantinopolitano, Quinta Synodus Hieroſolymitano. Vnde ſequitur, vt ſi quis Epiſcopus contra Patriarchalem, aut Metropolitanam Epiſcopi Romani poteſtatem aliquid nonnunquam egit vel cenſuit; exempli gratia, ſi ordinari, aut confirmari ab eo recuſauit, non continuò fuerit hæreticus, aut ſchiſmaticus. Quemadmodum cum quis lite contendit pro bonis quæ Rex poſſideat, eaque ad ſe pertinere, non ad Regem profitetur, non ſtatim rebellis iudicatur. Videndum enim diligenter, quam adhibeat Pontifex in peculiaribus caſibus decernendis poteſtatem. Cuius obſeruationis incuria Nouatores, Epiſcopum Romanum modò ſubditum Imperatoribus, modo cæteris æqualem Epiſcopis, modo ſimpliciter Romæ vrbis Epiſcopum, proüt priuata hiſtoriæ Eccleſiaſticæ negotia loqui videntur, nobis repræſentant. Quis autem non videt Regem Galliæ, quà Comes eſt Andegauenſium, nihil in Armotica poteſtatis habere; quà Dux Normaniæ nihil in comitatu Pictauienſi poſſe: cum tamen illas Regiones alia conſideratione cum ſumma poteſtate obtineat?

## *ROMANI PONTIFICIS AMPLISSIMA Iuriſdictio, quæ eſt Capitis.*

### §. Vnicus.

*5. Eſt caput Eccleſiæ.*

QVINTA igitur Iuriſdictio ampliſſima, *non ab homine, neque per hominem*, ſed à Chriſto ipſo in perſona Petri, eius ſucceſſori Pontifici Romano data eſt, vt ſit caput Eccleſiæ totius, & primarium poſt Chriſtum fundamentum. Inde factus ſub Deo, & cum Deo mens Eccleſiæ, myſtici corporis Chriſti anima, Regni ſpiritalis Princeps vnicus, principium ordinis *à quo procedunt cætera, non ſine ad illud comparatione*, vt loquitur D. Thomas. Inde dictus *Epiſcopus Epiſcoporum*: quem titulum iam olim vſurpauit Victor, indignante Tertulliano, & Stephanus ſubiraſcente S. Cypriano. Aut quod idem ſonat *Sacerdos Sacerdotum*: *Pater Patrum* a Græcis Abbatibus, *Princeps Epiſcoporum* à Concilio Epiri. Inde *Vniuerſalis*, ſiue *Oecumenicus*; cum quo incidit *Epiſcopus Catholicæ Eccleſiæ*. Sic antiqui Pontifices. *Marcellus Epiſcopus ſanctæ, & Apoſtolicæ, & Catholicæ vrbis Romæ. Pontianus ſanctæ & vniuerſalis Eccleſiæ Epiſcopus. Victor Romanæ & vniuerſalis Eccleſiæ Archiepiſcopus.* Vt videas eam nomenclationem non eſſe à Chalcedonenſi Synodo profectam. Quam cum ab ea *pro B. Petri Apoſtolorum Principis honore, Romano Pontifici oblatam* eſſe dicat S. Gregorius magnus, intelligendum puto, vt ſolenniter & vſitatè ita ſe inſcriberet, cum ſeculis ante pluribus aliqui tantùm, & rariùs eam vſurpaſſent.

*D. Th. 2. 2. q. 82. a. 6.*
*Tertu. l. de Pudic. c. 1.*
*Cypr. in Concil. Carthag.*
*Conc. Lat. ſub Mart. 1. Conſ. 2.*
*Con. Epiri in Epiſt. Synd. Tom. 1. Concil.*
*Greg. l. 4. ep. 32. Indict. 13.*

Quibus

Quibus quidem nominibus ampliſſima, & in omnem fuſa Eccleſiam poteſtas ſignificatur: & Epiſcopis quidem *ſingulis ſingulos greges aſſignatos*, vt loquitur S. Bernardus, *Ipſi vniuerſos creditos, vni vnum; Alios in partem ſolicitudinis, ipſum in plenitudinem poteſtatis vocatum*. Atque illud quod apud D. Thomam, S. Cyrillus Alexandrinus magnificè dicit, *Sicut Chriſtus accepit à Patre ſceptrum Eccleſiæ gentium, dux ex Iſrael egrediens, ſuper omnem principatum & poteſtatem, ſuper omne quodcunque eſt, vt ei cuncta curuentur: ſic & Petro, & eius ſucceſſoribus pleniſſimè commiſit, & nulli alij quam Petro, Chriſtus quod ſuum eſt plenum, ſed ipſi ſoli dedit*. Habet ergo ex eo munere Chriſti Vicarius, Petri ſucceſſor, vt præcipuè, id eſt primò commune totius Eccleſiæ bonum procuret. Eius proinde eſt finem conſtituere, & intendere, inferiores applicare ad exquirenda media, & inuentis ſuâ, vt modò dicebamus, approbatione auctoritatem tribuere. Sic reliquas cauſas efficientes mouet, & virtutem agendi donat, ipſe primum efficiens principium, cauſa vniuerſalis, adeoque abſolutè Princeps & Monarcha, & Hierarcha. Nam cum ordinis eſſentia petatur à principio, nec in multitudine poſſit ordo conſtitui, niſi eius Princeps & principium eligatur: Chriſtus Eccleſiam ordinando, Principem ponere debuit. At verò qui independenter à multitudine, vt loquuntur, Princeps eſt, is eſt abſolutè Princeps, & dominus, & ſummâ præditus auctoritate. Notat autem præclarè Ariſtoteles, non poſſe in familia non eſſe principatum Monarchicum: quia ordo familiæ eſt à natura, & Pater eſt pater independenter à filijs. Itaque quia *exordium ab vnitate proficiſcitur, Primatus Petro datur, vt vna Chriſti Eccleſia, & Cathedra vna monſtretur*, inquit S. Cyprianus. Siue, vt aliter exprimit S. Hieronymus, *propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite conſtituto, ſchiſmatis tollatur occaſio*. Hinc enim factum eſt *vt in vna Cathedra vnitas ab omnibus ſeruaretur, ne ſinguli Apoſtoli ſingulas quiſque ſibi defenderent*; id eſt, facerent ſibi proprias, & à ſede Petri independentes; *vt iam ſchiſmaticus ac peccator eſſet, qui contra ſingularem Cathedram, alteram collocaret*.

*Quæ ſit ei Capiti poteſtas.*
Bern. l. 2. de conſid. c. 8.
Cyri. Alex. apud D. Thom. in catena aurea.
Ariſtot. 1. Polit. c. 3.
Cypria. li. de vnit. Eccleſ.
Hier. l. 1. aduer. Iouinian.
Optat Mileuit. l. 2. contra Parmen.
*Actum aliis qui ſuprema iuriſdictione*.
1 *Decidere fidei quæſtiones.*
Iren. l. 3. contra hæreſ. c. 3.

Eius porro poteſtatis ſacræ plenitudinem ab ineunte ſemper Eccleſia Prima Sedes exercuit, ijs in negotijs, quorum ſumma & illuſtria capita hic libare non fuerit inutile.

I. Eſto, Suprema in decidendis fidei quæſtionibus auctoritas. *Ad hanc enim Eccleſiam propter potentiorem principalitatem, neceſſe eſt omnem conuenire Eccleſiam*. Quo pertinet Concilia indicere, illis præſidere, confirmare, irritare, qua de re plura fortaſſe inferius.

II. Patriarchas alios & Epiſcopos ad negotium quodlibet delegare, ſuaſque illis vices mandare, quas Damaſus Paulino Antiocheno, Cœleſtinus Cyrillo Alexandrino, Leo magnus Iuliano Coënſi, & Anaſtaſio Theſſalonicenſi, Hotmiſdas Epiphanio Conſtantinopolitano, alij alijs commiſerunt.

III. Aliorum Patriarcharum geſta retractare; eorum ſubditos, imo Patriarchas ipſos appellantes audire. Ita Felix III. Acacio Epiſcopo amoto à ſede, vetuit eius ſucceſſori communicare Archimãdritas, donec ita fuiſſet ab Apoſtolica ſede imperatum. Flauitas autem electus tunc in illius Eccleſiæ Epiſcopum, *non conſenſit*, inquit Liberatus Diaconus, *ſine Romano Pontifice inthronizari, ſed tranſmiſit Synodicam Papæ Romano Felici*. Sic à Iuuenale Hieroſolymitano dictum in Epheſino Concilio, contra Ioannem Antiochenum

2. *Alios Patriarchas delegare.*
Damaſ. ep. 1. ad Paul.
Cœl ſt. ep. ad Cler. & Pop. CP.
Leo ep. 67 ad Matt. Aug. & 84. ad Anaſt.
Horm. ad Epiph. quæ lecta eſt act. 5. Syn. CP. ſub Menna.
3 *Appellationes excipere.*
Liberat. diac. in Breu. c. 18.

Tom. 4. acto. Con. Epheſ. c. 4. Nicæn. 1. Conc. can. 2. vt refertur à Iul. I. Conc. Sar. can. 4.

*Apoſtolica ordinatione & antiqua traditione in conſuetudinem abijſſe, vt Antiochena ſedes, perpetuò à Romana dirigeretur, indicaretur.* De appellationibus quorumlibet Epiſcoporum, extant vetuſtiſſimi Canones duo, Nicænus apud Iulium I. & Sardicenſis: de quibus aliquando inter Zoſimum & Africanos, ipſumque S. Auguſtinum mota quæſtio eſt. Illis ego deſcribendis ſuperſedeo.

*4. De Patriarchis iudicare.*

Synod. CP. ſub Menna. act. I.

IIII. Aliarum ſedium Pattiarchas, & Patriarchatuum Epiſcopos eligere, teſtituere, abſoluere, reprehendete, excommunicare, deponere. Sic Agapetus cum eſſet Conſtantinopoli Anthiinum eius vrbis Epiſcopum gradu mouet, eique Mennam ſubrogat. Qua de re cum lecta eſſet eiuſdem Agapeti Epiſtola in Synodo ſub Menna, reſponſum eſt, *Non mirandum ſi ſuas & nunc magna ſedes Apoſtolica ſequitur ſacras ſanctiones, ſanctiſſimarum Eccleſiarum inuiolatas conſeruando.* Hanc ergo electionem Mennæ, ab Agapeto Conſtantinopoli factam, agnoſcit Synodus eſſe ſecundùm *ſanctiones Eccleſiarum.* Eximium eſt Cœleſtini factum, cum Cyrillo imperat vt Neſtorium excommunicet, niſi intra decem dies hæreſin eiuret: eáque de re Ioannem Antiochenum, Neſtorij ſtudioſiſſimum admonet: cui eidem ſcribit Cyrillus, *Synodi Romanæ decreto modis omnibus parendum eſſe, & ſe, quæ Occidentales iudicauerunt, ſequi omnino decreuiſſe.* Ita vnius ſententiæ vinculis Romanus Pontifex Alexandrinum conſtringit vt agat, Conſtantinopolitanum vt patiatur, Antiochenum ne quid pro amico mouete audeat. Vigilius etiam Papa, Conſtantinopoli poſitus, inuiſus Iuſtiniano, relictus ab omnibus, & tantùm non in vinculis, verbum Dei non eſſe alligatum oſtendit, cum Mennam ſupra dictum *à communione ſuſpendit, cum omnibus Metropolitanis Epiſcopis ad eius Diœceſin pertinentibus: & Orientales, vel diuerſarum Prouinciarum maiorum minorumque ciuitatum Epiſcopos* ex Theodori Cæſarienſis factione, quem eodem decreto, communione Catholica, & propria ſede, Auguſtorum licet gratia florentem, priuabat: iique omnes non niſi poſtulata tandem venia, & oblatis ſupplicibus libellis, ſunt in communionem recepti. Hoc eſt imperantibus imperare, & in æmula Occidentalis dignitatis Eccleſia, de ſuperbiſſimorum Patriarcharum typho, & ambitione trophæum erigere. Poſt hæc & innumera id genus, quis dubitet vtrum S. Ignatius Conſtantinop. Epiſcopus Apoſtolicæ ſedis opem aduerſus intruſi Photij tyrannidem implorans, Nicolaum I. *Patriarcharum Patriarcham, & Papam Oecumenicum* iure ac meritò compellarit?

*Habentur epiſtolæ illæ apud Cyri. Alex. &* tom. I. Concil. Epheſ.

*Vigilius in decreto dam at. Theodori Cæſar. habetur* tom. 2. Concil.

Ignat. ep. ad Nicol. I. habetur tom. 3. Concil.

---

## *DE SACRO S. R. E. CARDINAlium Collegio.*

## CAPVT VIII.

Vaſq. in 3. p. tom. 3. diſp. 242. Azor Inſt. Mor. tom. 2. p. 2. li. 4. Creſoll. in Myſta. L. I. c. 16. 17.

MEI tantùm inſtituti eſt Hierarchicam Iuriſdictionem perſtringere: non communes de Eminétiſſimus Cardinalibus locos compilare, poſt longos tractatus aut docentium Theologorum, vt Vaſquis, Azorij, Creſollij; aut diſputantium controuerſiſtarum, vt VValdenſis, Bellarmini, Coëffetæi; aut denique ius ſacrum explicantium vt Hoſtienſis, Ioannis Andreæ, Felini, Duareni, cæterorumque: quos pene

intactos

intactos illibatoſque Lectori reſeruo, vna Pontificis Eugenij doctrina & auctoritate contentus.

Wal. doct. fid. l. 2. a. 3. c. 54. Bell. de cler. l. 1. c. 16. tom. 2. Coëf. cond. Anton. de Dom. diſc. c. 5. l. 4.

Eminentiſſimos igitur Illuſtriſſimoſque S. R. E. Cardinales *Partem ſui corporis* Summi Pontifices appellant, *& B. Syluester in Synodo generali congregatis præſidens, hos coadiutores ſuos, Cardinales nuncupauit; quorum officio nomen ipſum conſonat optimè. Nam ſicut ſuper cardinem voluitur oſtium domus; ita ſuper hos ſedes Apoſtolica, totius Eccleſiæ oſtium, quieſcit & ſuſtentatur.* Et aliæ quidem dignitates, vt Epiſcopalis & Archiepiſcopalis, *priuatæ vnius patriæ præſunt vtilitati; iſta publicæ totius populi Chriſtiani: illæ vnam duntaxat regunt Eccleſiam, iſta cum ſede Apoſtolica, vniuerſas. Quod ſi huius dignitatis nomen quod modò in vſu eſt, ab initio primitiuæ Eccleſiæ non ita expreſſum fuit: officium tamen ipſum à B. Petro, eiuſque ſucceſſoribus inſtitutum euidenter inuenies. Nam & ab exordio Eccleſiæ, ſicut & hodie, Summis Pontificibus in regenda gubernandaque Eccleſia vniuerſali aſſiſtebant. Nec ſine myſterio triplex eorum ordo inſtitutus eſt. Nam cum Summus Pontifex vices Dei gerat in terris, decuit vt ad inſtar illius cæleſtis Hierarchiæ, in hac noſtra Eccleſia tres conſtituerentur ordines aſſiſtentium Papæ, qui Purgantium, Illuminantium, & Perficientium fungerentur officio, veluti ſunt Diaconi, & Presbyteri, & Epiſcopi Cardinales. Decuit etiam, cum Summus Pontifex Chriſti repræſentet perſonam, vt quemadmodum Chriſto conuerſanti in terris aſſiſtebant Apoſtoli, ita etiam Cardinalium cœtus Apoſtolicum repræſentans coram Papa aſſiſteret; reliqui verò Epiſcopi, vbique diffuſi, Apoſtolos repræſentant ad prædicandum per orbem miſſos. Ipſos denique Cardinales pro honoris & dignitatis eminentia, ſine vlla dubitatione poſt caput Eccleſiæ, quod eſt Papa, vt contigua ſui corporis membra, præ cæteris Eccleſiæ membris ac partibus honorari.*

*Eugenij IV ſententia de Cardinalium dignitate.* Coſt. Non mediocri. an. 1439. habetur in Bull. 10. & *Etymon Cardinalium. Officium. Ad inſtar cæleſtis Hierarchiæ.*

Sic Pontifex: qui tria mihi ſpectanda exhibet in ſacra hac purpuratorum coronâ; eorum inſtitutionem, officium, honorem ſeu gradum. Inſtitutio è cœlo ſit, an ex hominibus; à Chriſto, an ab Eccleſia, minimùm noſtra intereſt: vnum modò conſtet quod vulgò placere video, illos Apoſtolis ſuccedere in Petri iuuandi, & collata opera Eccleſiam adminiſtrandi officio, de quo mox erit agendum. Et Ieroſolymis quidem *Apoſtolos & ſeniores* conuocauit, quibuſcum de propoſita legalium quæſtione deliberaret. Neque dubium eſt quin Antiochiæ diſſimulationem illam, de qua Paulus, non ſuſceperit, niſi ex præcipuorum Iudæorum conſilio, quales plurimi tum erant in ea ciuitate, etiam Prophetæ, qui & ipſi conſenſerunt. Romæ autem cum ſederet, Romanum Clerum, ſane tunc inopem & exiguum habuit in conſilio. Quo & vſus eſt Paulus qui *Clementem & cæteros adiutores* ſuos commendat. Quem ſe *ab initio vſque in finem comitem in omnibus habuiſſe* teſtatur Petrus. Inde factum vt eius ſucceſſorum Clerici, *Cardinales* dicantur; *cardini vtique illi quo cætera mouentur, vicinius adhærentes.* Quibus aſſignantur tituli ab Euariſto, antiquiſſimo Clementis poſt Anacletum ſucceſſore, primùm inſtituti atque diſpoſiti: aucti deinde ad vigintiquinque ab Marcello, & quaſi Diœceſes facti. Plura de inſtitutione ſuperfluè dicantur à me, cum Iuriſdictio quærenda ſit, quæ à titulo incipit decernente Leone X. *Tituli ſui loca ſi præſentes fuerint in curia, perſonaliter; ſi verò abſentes, per vicarium idoneum ſemel ſaltem ſingulis annis viſitent, Clericos & populos Eccleſiarum ſuo titulo ſubiectarum cum diligentia inquirant; vigilentque circa cultum diuinum, & bona dictarum Eccleſiarum, moreſque in primis & vitam Clericorum, & Parochianorum ſolerter explorent; eoſque omnes & ſingulos*

*Inſtitutio.* *Succedunt Apoſtolis.* Act. c. 15. Gala. c. 2. Phil. c. 4. Clem. ep. 1. ad Iacob. Leo 9. ep. ad Michael. c. 32. *Liber vitæ Pont. in vita Euariſti. Ibid. in Marcello. Iuriſdictio in Titulum.* Leo X. *Bulla Inter ſollicitudines.* an. 1515.

*ad rectè honeſtéque viuendum paterno moneant affectu.* Sed hæc priuata rantùm cura eſt, venio ad officium.

*Munus in Pontificis electione.* Duplex officij genus ſacrâ purpurâ tegitur in Hierarchicis hiſce Regibus, nempe Epiſcoparus, Sacerdotium, Diaconatus, quæ cum alijs habent communia, prætetquam quòd ſplendoris, dignitaris, poteſtatis plutimum à dibapho illo podere accipiunt. Et ipſe præciſè Cardinalatus, de quo modò ſolùm agimus: qui & præterea bipatrirum munus exequitur. Eſt enim eius & Pontificem Romanum eligere, & electo conſecraroque aſſiſtere, tanquam fidelem adminiſtrum & *honorabilem vultu, & conſiliarium admirabilem.* Totus olim Clerus, & aliqua eriam ratione Populus, Ponrificem dixit: illa modò res grandis ad Cardinales ſolos deuolura eſt, ſeu Pontificum ipſorum voluntare, vt nonnullis placer; ſeu Eccleſiæ ipſius atbirrio, vices quaſi ſuas ſacro illi cœtui delegantis, ad conſtituendum ſibi capur & Hierarcham: quod non diſplicet Coëffetæo, contra Spalarenſem ſchiſmaticum diſputanti. Magna profectò poreſtas, Orbi Chriſtiano rectorem dare; & homini vni quodam-

Ierem. c. 1. modo dicere. *Ecce conſtitui te hodie ſuper gentes, & ſuper regna, vt* ſpiritali in animos ipſos poreſtare *euellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ædifices, & plantes.* Neque tantùm ab illis, ſed & de illis aſſumitur Ponrifex, decernente, vel potius conſuerudinem confirmante Stephano IV. in Concil. Romano.

C Oportebat. diſt. 79. *Oportebat vt hæc ſacroſancta domina noſtra Romana Eccleſia (iuxta quod à B. Petro, & eius ſucceſſoribus inſtitutum eſt) rite ordinaretur, & in Apoſtolatus culmen vnus de Cardinalibus Presbyteris, aut Diaconis conſecraretur.*

*In gubernatione Eccleſiæ cum Papa. Vide Creſſollum cit.* Alrera officij pars eſt, iudicate Orbem in æquitare, & cum Vicario Chriſti Eccleſiam toram humetis ſuſtinete. Nemo enim vnus ſibi, quis aliis, quis omnibus planè ſapit? Inde *Aſſeſſores, Coadiutores, Conſiliarij Papæ* dicti. Inde Collegium eorum *Senatus Presbyterorum Eccleſiæ, Capitulum vniuerſalis Eccleſiæ, Summi Pontificis in dirigenda Chriſtiana Republ. collaterales.* Denique vt

1. Reg. 2. omnia ſemel complectar, *Domini ſunt Cardines terræ, & poſuit ſuper eos orbem.* Neque enim Ponrifex Epiſcoporum Concilium ad manum habete poteſt, quos in conſilium adhibeat, quos de infinitis negorijs in horas & momenta incurrentibus cõſulat: quibuſcum principia illa, de quibus dicebamus, generaliſſimo ſubordinata, in priuatum Eccleſiæ Romanæ, tãquam Metaphyſicæ alicuius ſciẽtiæ, ac per hoc, publicum aliarum, vt diſciplinarum, ſic Eccleſiarum bonum deriuanda educat; quibuſcum Architectonicè finem intendat; & alios illi vltimo proximos, aut media omnibus in commune, ſibique primùm ac Eccleſiæ ſuæ vtilia eligat, decetnatque. Ad hæc enim Epiſcopi ali-

*Cardinales collum Eccleſiæ.* quando ad hibentur, Cardinales aſſiduè. Vis igirut iſtud Collegium ſuo appellate nomine? Voca collum Eccleſiæ capiti proximè adhærens, per quod in cætera membra ſalutaris humor defluit.

*Perfectio, ex Henrico Kalteiſen orat. habita in Con. Baſil.* Perplacet hic mihi Baſileenſis orator Kalteiſen, dum ex ſtatu Apoſtolico, cui modo ſuo ſuccedere diximus Cardinales, rria deducit. 1. Vt Epiſcopos pro grege ſibi commiſſo, ita Chriſtianæ militiæ Principes *ex caritate ſe obligare, vt cum capite ſuo Chriſti Vicario, generaliter fidem & Chriſtianitatem, vſque ad ſanguinis effuſionem defendant, in cuius ſignum capellum rubeum portare dicuntur.* Deinde Cardinales in ſtatu perfectionis altioris eſſe, quàm ſit generaliter ſtatus Paſtoralis; quia particulares paſtores pro peculiari Eccleſia, Cardinales pro vniuerſali exponere ſe morti tenentur. Denique *ad ſedem Apoſtolicam, ſcilicet*

*Papam*

*Papam & Cardinales, præ cæteris ſedibus particularibus pertinere declarationem veritatum neceſſariarum, aut vtilium ad ſalutem, ſiue quantùm ad fidem, ſiue quantùm ad vtile regimen Eccleſiæ militantis; quia in hoc ſuccedunt Petro, & cæteris Apoſtolis.*

Quis igitut illis in Eccleſia gradus, quis in Hietarchia locus conuenit? Qui collo in corpore. Etiam-ne ſupta Epiſcopos non Catdinales Preſbyteri, ſupra Preſbyreros Diaconi? verè *Ordo Epiſcopalis Presbyterio maior eſt, ſed in eiuſmodi Prælationibus, officium ac dignitas ſiue Iuriſdictio præponderat ordini.* Quamobrem præcisè & apertè Leo X. in Concil. Latetan. pronunciat S. R. E. *Cardinales cæteros omnes in ipſa Eccleſia poſt ſummum Pontificem honore ac dignitate præcedere.* Et verò ſuperior illa Eugenij conſtitutio decretotia eſt, non meta priuilegiorum conceſſio, ſed Iudicis cognita cauſa intetlocutio; duabus nixa rationibus; tum quòd *vniuerſas cum ſede Apoſtolica regant Eccleſias:* tum quòd *Romana Eccleſia Cardinalium cœtum ad cœleſtis Hierarchiæ ſimilitudinem conditum, & tanquam ſui corporis partem, his priuilegijs & honoribus illuſtauerit* ab antiquo, à qua & honotem ſuum duxetunt aliæ.

*Locus in Hierarchia.*
Eug. 4. cit.
Leo 10. in Conc. Lat. Bulla Reform. Curiæ.

In duobus quoque actibus ſummam illam dignitatis eminentiam ſpectati aſſetit. Prior eſt, *quòd cum à nemine niſi à ſolo Papa iudicentur Cardinales, ipſi & Patriarchas & Epiſcopos, & reliquos Eccleſiæ gradus, cum ſummo Pontifice iudicant.* Poſterior, quòd ſemper nullo vnquá conttadicente, in cunctis actibus *quibuſcunque Prælatis præhonorati ſint, etiam in antiquis generalibus Concilijs, præſertim in duobus Lugdunenſibus,* quorum primo Innocētius IV. ſecundo Gtegorius X. præſentes præerant. Quod & alias obſeruatum eſt, *abſentibus etiam Summis Pontificibus:* & in Florentino, ipſo Eugenio præſidente: & poſt eius rempora, in Tridentino. Quibus ego actibus, nihil video momenti vllius quod opponatur, maximè ſi duo perpendimus; in veteribus Concilijs Pontificis Romani Legatos, cuiuſcunque ordinis forent, primos ſemper ſubſcripſiſſe; & primis temporibus non eam fuiſſe Cardinalibus dignitatem auctoritatemque, quæ modò eſt, cum olim Cardinalitia inter ſuos, hoc eſt præcipua dignitas ad Epiſcopatum gradus eſſet; nunc Epiſcopatus ad Cardinalatum. Vnde intelligis & Romanos ſæpe Preſbyteros, aut Diaconos Epiſcopis, & non ratò iſtos illis fuiſſe præpoſitos ob cauſas omnino diuerſas.

*Summa dignitas.*
Vide Coëff. aduerſ. Spal. diſcuſſ. c. 5. l. 4.

Hactenus compatati cum alijs Cardinales; modò ſoli ſpectentur, & apertè nobis enuncient Aduerſarij, quem illis locum in Hietatchia teperetint. Sunt eorum aliqui Cardinales Epiſcopi, Preſbyteri, Diaconi. Vnde? à Titulis. Non enim Titulus ordini, ſed ordo adnexus eſt titulo. Et Epiſcopos videmus ordine, qui purpuræ gradu ſunt tantùm Preſbyteti: ſcimus qui omni careant ordine; neque defuerunt qui poſita blatta negotijs exigentibus ad nuptias conuolarent. Hos facta purpura Pontificis Conſiliarios facit; illis dat Iutiſdictionem; etiam in ipſos, vt monuit Pontifex, *Patriarchas & Epiſcopos.* Ordinem autem neutiquam donat. Dic igitur, Auteli, Cardinales, quà tales, & qui ſolùm tales, quid habent iutis in Hietatchiam? Siles, neque quod ſentis audes eloqui. Sed eadem apud te debet eorum eſſe ratio, quæ Epiſcoporum; vt qui Iutiſdictionem in auguſtiſſimo illo Senatu tenent ſine otdine, dicantut à te Cardinalium *embryones*; ſi qui vnquam dibaphum exuerunt, cadauera Cardinalium: quique illos ordinis ſacri expertes, Iuriſdictione inſtruat Chriſti Vicatius, *Summas muneris tanti poteſtates ſeparare ac dilacerare conetur: ſimiliter faciat ac ſi Sacerdotij Chriſti, diuinaque ipſius naturæ proprie-*

*De Cardinalibus nihil diſtinctè definiunt aduerſarij.*
Aurel. vin. p. 185.

Hallier in vin. p. 381. 382.

*tates dirumpat.* Sed vt exiſtimo reſpondere non cunctabitur Theologus Quæ eſt tua Franciſce Hallier Hierarchia Eccleſiaſtica? In ea *directè, & per ſe ſunt Summus Pontifex, Patriarchæ, Primates, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Curati.* Vbi Cardinales? *Ponuntur in Hierarchia coniunctim cum Summo Pontifice, cuius auctoritatem ac Iuriſdictionem participant.* Quam participationem probat Cardinalium elogijs ſumptis à Creſollio; vbi Petrum Bellenſem male nominat, quem Creſollius emendatè, Cellenſem. At nondum animo meo ſatis eſt factum. Nam licet Pontificis Iuriſdictionem participent, non habent tamen eandem quam ille. Participant & Epiſcopi atque Archiepiſcopi, quos à Pontifice ſeparat; & ne quò ſubterfugiat, ſunt etiam iſti Pontificis Conſiliarij, & pars corporis eius: quibus, cum diſtinctam Hierarchicam ſedem aſſignet, quidni & Cardinalibus? Denique Purpurati Senatores, in quibus Iuriſdictio ſeiuncta eſt ab Ordine, ſi ſe ad ſuam *dioptram* examinat, dici ab eo debent *imperfectè tantùm, & inchoatè, atque ex parte, impropriè eſſe in Hierarchia propriè dicta.* Quæ ſi tantùm à nobis eſſent cogitata, iamdudum ſe ſe clamando expectoraſſet Aurelius.

---

*EPISCOPORUM DIGNITAS ATQUE IURISdictio, ad Apoſtolorum ſimilitudinem aptiſſimè refertur.*

## CAPVT IX.

Epiſcoporũ præcipua dignitas Apoſtolis ſuccedere.

AGGREDIOR antiquiſſimum Apoſtolicæ ſucceſſionis ordinem, orbis Chriſtiani Senatum, olim vnicum, modò alterum; auguſtiſſimi capitis membra nobiliſſima; magiſterium hominibus à Deo datum, gentis ſanctæ, generis electi paternitatem: cuius encomijs plena ſunt ſacrorum Chriſtanorumque librorum monumenta omnia; & ſi plura millies addantur, quota pars futura eſt eorum quæ dici poſſunt, quæ debent concipi? Vnus tantam dignitatis auctoritatiſque amplitudinem, æquare hominum lingua videtur ritulus, cum inſtituti à Chriſto, eruditi à Patribus, informari à Concilijs, corde credimus, ore confitemur Epiſcopos eſſe Apoſtolorum ſucceſſores.

Apoſtolici gradus conſideratio.

In ijs proinde tanquam in exemplaribus ſpectandi ſunt; ſed ante diuerſi gradus illorum conſiderandi. Tria ſunt in Petro, Ratio capitis, Apoſtolatus, Epiſcopatus; omnia ſibi inuicem accidentaria: duo in reliquis, Apoſtolatus & Epiſcopatus: vnum in eo ordine quem tractamus, Epiſcopatus. Petrus quà caput, maior eſt Apoſtolis; quà Apoſtolus, par; quà Epiſcopus, inferior. Vt caput, quid non poteſt, etiam in Apoſtolos: vt Apoſtolus, quid non poteſt quod illi in omnes fideles? vt Epiſcopus, priuato gregi ius dicit. A capite eſt Patriarchalium in Eccleſia ſedium inſtitutio; ab Apoſtolatu Epiſcoporum ordinatio; ab Epiſcopatu Preſbyterorum conſecratio. Apoſtolatus prærogatiuæ ſunt, Legum-latio toti Eccleſiæ obſeruandarum, canonicorum librorum ſcriptio, fidelium quorumcunque quocunque miſſio, Iuriſdictionis nullis arctatæ limitibus vſus & exercitium. Verùm ita fideles gignendo, Eccleſias erigendo, Epiſcopos inſtituendo, non ſibi vni quiliber Apoſtolus, ſed & capiti ſubditos peperit. Nam qui aliter feciſſet, nonne aliud quàm Chriſtus

funda-

fundamentum poſuiſſent? Si Ioannes in Aſia, Andreas in Achaia Epiſcopos, non Petro, ſed ſibi tantum ſubdidiſſent, nonne Eccleſiam capite minuiſſent, dum plura capita monſtroſo corpori indidiſſent? Petrus tres ſuas dotes habet à Chriſto immediatè, & à nullo pendentes: alij duas à Chriſto immediatè, ſed vltimam pendentem à Petro, qui *præferri Apoſtolis omnibus meruit, & claues regni cælorum, communicandas cæteris, ſolus accepit.* Prima & tertia prærogatiua, irem multis ex partibus ſecunda, propter primam, in Petro ſunt ordinariæ; in alijs extraordinarius Apoſtolatus, velut iniuncta legatio: ideo morte legatorum expirauit, & ad poſteros ſolus Epiſcopatus, vt ordinarius tranſiuit, Petri ſucceſſoribus tria omnia conſeruantibus.

Optat. Mileuit. li. 7. contra Parmen.

His ita perpenſis venio ad Apoſtolorum exemplum in Epiſcopis exprimendum. Ac primò illud occurrit, electos & inſtitutos fuiſſe à Chriſto Apoſtolos, priuſquam Sacerdotio initiarentur, inque ipſa inſtitutione nullam ipſis actu imperatam miſſionem, nullos determinatè greges aſſignatos: imo parum idoneos, & in remotiore adhuc potentia ad tantum munus, ad quod eligebantur, pro dignitate, Deique voluntate implendum. Statum primitiuum Apoſtolorum appellant, qui eo maximè Cardinales volunt adumbratos. S. Iacobum conſecraſſe dicuntur Apoſtoli Epiſcopum Hieroſolymorum: quod cum explicat Gloſſa, inter cætera hoc admonet. *Ordinauerunt, id eſt, inthroniſauerunt eum ad adminiſtrationem certi loci: prius enim erat Epiſcopus ſine titulo.* Mathias quoque poſt Aſcenſionem duodenarium numerum diuina ſorte expleuit, cum nondum Sacerdotium accepiſſet. Qua in imagine video Electos illos, & confirmatos, quos ante conſecrationem Aurelius contumelioſiſſimè facit *embryones*: In quibus maiorem etiam reperio Iuriſdictionem, quàm tunc temporis Apoſtoli à Chriſto acceperint. Nam Clericos rebelles Electo, vult ante ipſam conſecrationem Pontifex ab eo corrigi: *Reſpondemus igitur quod ex quo electionis tuæ confirmationem accepiſti, de talibus & conſimilibus (præter ea quæ maioris inquiſitionis diſcuſſionem exigunt, & miniſterium conſecrationis deſiderant) quod iuſtum eſt, & Eccleſiaſticæ conuenit vtilitati, ſtatuendi habeas liberam facultatem.* Quod & maximè, *ſi electi fuerint in concordia, vt diſpenſatiuè propter neceſſitates Eccleſiarum & vtilitates, in ſpiritualibus & temporalibus adminiſtrent.*

*Prius electi Apoſtoli, quam conſecrati Sacerdotes.*

Henric. Kalte. cit. Diſt. 66. c. Poſto. Gloſſa in eum locũ.

*Electi Epiſcopi ante conſecrationem.*

C. Tranſ*miſſam.* D. Electi & Electi. poteſtate. Ibid. c. Nihil eſt.

Deinde Apoſtolos video ſimul conſecratos, ſimul Spiritu Sancto, & æquè ligandi ſoluendique poteſtate donatos, ſimul in orbem ad diſſeminandum Euangelium miſſos. Nam *cuncti claues regni cælorum accipiunt, & ex æquo ſuper eos Eccleſiæ fortitudo ſolidatur.* Id vt ad Epiſcopos reducamus, huc aduocanda eſt doctrina ex Bellarmino expreſſa, triplicem eſſe tum in Pontifice Romano, tum in alijs Epiſcopis poteſtatem; vnam ordinis, alteram Iuriſdictionis interioris; tertiam Iuriſdictionis exterioris; quarum priores referuntur ad ſacramenta conficienda & miniſtranda: altera ad populum Chriſtianum regendum in foro exteriori. Et quidem certum eſt apud omnes primam æquè immediatè habere à Deo Epiſcopos, ac ipſum Summum Pontificem. Secundam etiam æqualem eſſe in omnibus, illud mihi perſuadet, quod Epiſcopi cuiuſlibet poteſtas in ſuum gregem, ea eſt quæ Pontificis ſupremi in Eccleſiam; exceptis ijs quæ in iure excipienda exprimuntur. Nam C. *Nuper* dicitur, *quia conditor Canonis abſolutionem ſibi ſpecialiter non retinuit, eo ipſo conceſſiſſe* (quod interpretor, *reliquiſſe*) *facultatem alijs relaxandi.* Quo ex canone deducit

*Eiuſdem dignitatis omnes quoad ordinem.*

Hier. l. 1. adu. Iouin.

Bellar. l. 1. de Pontif. Rom.

V Coëff. cõtra Anton. de dominis diſcuſſ. c. 5. l. 2.

*Epiſcopi in ſua Eccleſia poteſtas.*

C. Nuper. de ſenten. excom.

Soar. in 3 P diſp.15 ſect.1.n.13

à fortiori Suares, in foro conſcientiæ quicquid poteſt Pontifex in vniuerſa Eccleſia, poſſe Epiſcopum in ſua Diœceſi: niſi in his quæ ſpecialiter prohibita, aut reſeruata ſunt Pontifici. Additque eius dicti rationem, *quia cum Epiſcopali munere intrinſecè coniuncta eſt Iuriſdictio, in foro Pœnitentiæ circa oues ſuas. Hæc autem Iuriſdictio de ſe vniuerſalis eſt, niſi limitetur.* Ius idem fatetur Thomas Sanchez in opere de Matrimonio, quod nunquam legit Aurelius. Excipit etiam Franciſcus à Victoria, ea quæ de ſe pertinent ad vniuerſalem Eccleſiam, qualis eſt determinatio fidei. Hanc ego Epiſcoporum conſidero poteſtatem hoc loco, ne quid de Primatibus, Archiepiſcopis, Patriarchis peculiariter cogar dicere, labore ſatis inutili, certè ad inſtitutum meum parum neceſſario.

Sanche. de Matrim. l. 2. diſp. 61. Franc. à Vict. Relect.7. de Matrim.

*Apoſtolorum iuriſdictio pendebat à Petro.*

Tertiam porro Iuriſdictionem, quæ eſt fori exterioris, à Chriſto immediatè, ſed à Petro pendentem acceperunt Apoſtoli, quod Bellarminus & alij nouatorum mallei fusè demonſtrant. Fuit autem eiuſcemodi poteſtas illa, vt ea fideles ſubditos ſinguli, at non ſe inuicem regerent. Andreas enim in Iacobum, & Thomas in Simonem nihil iuris huiuſce habebant: ſolus Petrus omnibus potuit imperare. Quod eum ſi feciſſe non legimus, illud tum perfecti viri modeſtiæ, tum Apoſtolorum ſanctitati, qui primitias ſpiritus acceperant, aſſignandum eſt. Sed quod ipſis neceſſarium non erat, fuit deinde ſucceſſoribus, qui in eorum Cathedram, non etiam in virtutem pedem poſuerunt. In hac verò Iuriſdictione diſcedit aliquantum imago ab archetypo: ſi quidem vera eſt communis Pariſienſium Theologorum ſententia, accipere poteſtatem Epiſcopos à Deo non immediatè, ſed tantùm mediatè, & per Petri ſucceſſorem. Vnde factum vt ea in omnibus æqualis non ſit, & Epiſcopi aliqui in alios, vt Patriarchæ in Archiepiſcopos, Archiepiſcopi in Epiſcopos poteſtatem aliquam exerceant. Quod vltimum monſtrare ridiculum eſt, cum Eccleſiaſtici regiminis ordo vel pueris appareat. In primo tota eſt difficultas, ſi tamen eſt vlla: cum in doctore aliquo legam, nominatum errorem, aſſerentium poteſtatem Epiſcoporum & Parochorum eſſe proximè à Deo. Eum certè magnâ doctrinæ animique contentione conatur efficere Spalatenſis ſchiſmaticus: cui fortiter non minore doctrina, meliore zelo, iuſtiore cauſa inſtructus Coëffetæus ſe opponit, oſtenditque Patrum antiquorum neminem pro iis eſſe, qui Epiſcoporum Iuriſdictionem à Deo immediatè proficiſci aſſerant, & ſi qui Præſulum cum ſede Petri, aut ipſorum inter ſe æqualitatem indicare videantur, non de hac in qua verſamur; ſed de ſuperiore ordinis, & fori interioris Iuriſdictione eſſe intelligendos. Eandem propugnat ſententiam Mauclerus, vno pene S. Gregorij loco ad eius confirmationem contentus, quem & è Canonico iure eruit. *Romana Eccleſia vices ſuas ita alijs impertiuit Eccleſijs, vt in partem ſint vocatæ ſolicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis.* Duuallius autem id ipſum pluribus conficit rationibus; quarum prima eſt Monarchiæ ratio, quæ omnis à pluribus ad vnum reduci debet, quam S. Cyprianus vrget toto libro de vnitate Eccleſiæ. Altera, Primatus dignitas. *Nam primum in vnoquoque genere eſt cauſa & menſura cæterorum; at nemo citra hæreſin vnquam negabit ſupremum Monarcham primum eſſe in Eccleſia: igitur in eo reſidebit poteſtatis Eccleſiaſticæ plenitudo, vt ad alios pro vniuſcuiuſque modulo deriuetur.* Tertia, Iuriſdictionum inæqualitas, quæ non eſſet in Epiſcopis *ſi à Chriſto immediatè ſua Iuriſdictione gauderent; quemadmodum poteſtas ordinis,*

Heru. in opuſc. de Poteſt. Papæ.

Coëff. cit.

Maucl. li. de Monar. 2.p.1.5.c.1. 2 q 6 c. Decreto. Duuall. li. de ſupr. Pontif. poteſt. 1. p. q. 2.

*æqualis*

*aqualis eſt ex vi Sacramenti in Sacerdotibus omnibus, quia illis à Chriſto confertur.* Quarta, eiuſdem Iuriſdictionis mutatio, quam poteſt Pontifex in inferioribus augere, minuere, auferre: id verò *nunquam præſtaret, ſi poteſtas inferiorum ſolum à Chriſto, & iure diuino, non autem ab illo penderet.* Quinta, Patrum auctoritas id diſertè affirmantium, vt cum dixit S. Leo Papa, *ſi quid Chriſtus commune* (S. Leo ſer. 3. de aſſu. ſua.) *cum eo* (Petro) *voluit alijs eſſe Principibus,* (Apoſtolis) *nunquam niſi per ipſum dedit, quicquid alijs non negauit.* Quibus argumentis corollarij vice addi poteſt, quod alibi obſeruat, Gallicanos omnes Epiſcopos eâ formula in ſuis ſcribendis litteris vti ſolere, vt Dei & ſanctæ ſedis Apoſtolicæ gratia ſe Epiſcopos fateantur: (*Gallicanorum Epiſcoporum in litteris formula.*) neque credibile eſſe inſcriptionem hanc nouiſſimis hiſce ſeculis incœpiſſe. Cum enim Galli acerrimi ſemper fuerint ſuæ libertatis vindices, nunquam hoc iugum ſibi imponi paſſi eſſent, niſi vnà cum naſcente Eccleſia (Duual cit. p. 3. q. 6.) apud eos fuiſſet inroductum, vt nempe ſummus Pontifex, in eorum inſtitutione, vel per ſe, vel per alium, vel mediatè, vel immediatè auctoritatem iuſque ſemper habuiſſet, etiam cum vigerent electiones. Andreas Sauſſayus in (And. Sauſ. in Marty. Gallic. ad 6. Iunii. ad 13. Nou. ad 8. Sept. ad 15. Aug. ad 1. April.) illo ſanctitatis theſauro, de quo profert noua & vetera, notat multis ante ſeculis, S. Claudium Veſuntionenſem Epiſcopum ab Honorio Pontifice fuiſſe confirmatum, S. Briccium pulſum à ciuibus ſuæ ſedi Turonenſi iuſſu Pontificis reſtitutum, S. Corbinianum à Gregorio II. inuitum ordinatum, poſteaque in Friſingenſi ſede diutius retentum, Arnulphum & Hugonem iuſſu Grego. VII. cõſecratos. Sic Doctores Pariſienſes docti & generoſi Eccleſiaſticæ Monarchię, & regalis Sacerdotij propugnatores: quibus omnis Epiſcopus, vel capitis membrum eſt, vel Catholicus non eſt: omnis Cathedra, vel capitalis Cathedræ pars eſt; vel in Eccleſia non eſt; qui ſemper fuit Gallicanæ ſenſus Eccleſiæ. Certarunt enim in Romanam Eccleſiam officijs Reges & Epiſcopi: illi vt temporariam eius poteſtatem augerent locupletando, hi vt ſpiritalem ſtabilirent, piè religioſéque obediendo.

---

## *LEGITIMA CONCILIORUM GENERALIUM auctoritas generatim deſcribitur.*

## CAPVT X.

DIVIDERE caput hoc faſtidij mater prolixitas adigit, ſed in Capite morari iubet caritas. Quartò igitur Apoſtolos video Petri in (*Apoſtoli, Petri in Eccleſia erigenda & gubernanda adiutores.*) erigenda, conſtituenda, gubernanda Eccleſia perpetuos adiutores, cum quod pro ſe quiſque laborarent, in commune conferrent: cum Petro primum concionanti aſſiſterent, cum conuerſi, *ad Petrum, &* (Act. c. 2.) *ad reliquos Apoſtolos* accederent: cum Ioannes Apoſtolus primum cum Petro (c. 3.) miraculum ederet ſanato claudo, cum communi conſilio Diaconos eligerẽt, (c. 6.) ipſos Petrum & Ioannem ad Samaritanos legarent: cum diffugientibus cæteris fidelibus Apoſtoli omnes, non minus quàm Petrus perſtarent conſtantes (c. 8.) Hieroſolymis: cum omnes ſint Eccleſiæ, vt nouæ Hieruſalem, portæ & fundamenta: (Apo. c. 21.) cum vnus ſit cõmunis magiſter, vnus doctor, vnus pater, omnes autem (Matt. c. 23.) fratres: quo nomine & à Petri ſucceſſore compellantur Epiſcopi, vel Cõminiſtri, vel Coëpiſcopi. Super quos vt *ſuper fundamenta Apoſtolorum & Prophetarũ* (Eph. c. 2.) *ſuperædificãtur* fideles in Eccleſia. Omnia enim Epiſcopatus munia Hierarchica, quò tandem referuntur, niſi ad augendam conſeruandamque Eccleſiam?

quid facit ad conſummationem ſanctorum, & ad ædificationem corporis Chriſti Romanus Pontifex, vel in ſua priuata, vel in vniuerſali Eccleſia, quod non faciat, & in propria Epiſcopus, & quando vocatur ad Concilium, in Vniuerſali? Fert leges, mores corrigit, ordinat Sacerdotes, conſecrat Virgines, erigit baſilicas, quid plura? Eccleſiam ædificat priuatam ſolus, in Concilio Vniuerſalem. *Epiſcopi iure diuino pertinent ad Concilium Generale.* Eſt enim mihi admodum probabile Pontificem ſibi Concilium generale ad arbitrium eligere non poſſe: ſed fuiſſe à Chriſto ipſo inſtitutum Epiſcopatum in Apoſtolis, vt de iure diuino Epiſcopi omnes, etiam electi & confirmati tantùm, etiam ij qui plebe carent, ſedem habeant & auctoritatem non modo deliberandi, ſed etiam iudicandi. Statim enim ac Epiſcopus aliquis electus & confirmatus eſt, incipit habere munus Apoſtolicum tam in priuatam, quàm in Vniuerſalem Eccleſiam; quod inter cætera, imo primum eſt, eſſe Principem & Iudicem in rebus Eccleſiaſticis ſiue credendis, ſiue agendis; canente de illis Eccleſia *Conſtitues eos Principes ſuper omnem terram.* Quod ſi
Pſ. 44.
cum Patribus familias conferri poſſunt, nonne ij tam publicæ rei, quàm priuatæ curatores ſunt? nonne ius habent ex rei natura ad ciuitatis concilium conueniendi, & de propoſito negotio cum cæteris decernendi?

*Epiſcoporum poteſtas præceptiua.* *Executiuã tantùm vult eſſe Stapletonus Controu. 2. l. 6. c. 7.*

Quamobrem mihi non ſapit, quod ſpecioſius quàm ſolidius dixit Stapletonus *Petri poteſtatem præceptiuam eſſe, ſeu regiminis: Apoſtolorum tantum executiuam, ſeu gubernationis.* Id eſt, vt ipſe explicat, *Apoſtolos parem habuiſſe cum Petro poteſtatem faciendi omnia, & exequendi quæ ad ædificandam Eccleſiam pertinebant. Petro autem ſic eam datam fuiſſe poteſtatem, vt in ipſa gubernatione Eccleſiaſtica præſcriberet ea quæ agenda & executioni mandanda eſſent.* In quo ipſe rationem capitis, & plenitudinem poteſtatis collocat. Ego verò Apoſtolorum & Epiſcoporum poteſtatem præceptiuam eſſe diſputo, non ſolùm executiuam. Nam leges ferunt pro vtilitate communi, decernunt, iudicant cum capite, vt media voluntas cum ſuperiore, Ratio cum Mente. Neque in Theologia auditum iri arbitror qui dicat, Apoſtolos Petro datos eſſe vt adminiſtros, non vt conſiliarios; vt exequentes, non vt fratres; vt ipſi tantùm ſuperſtructos, non vt cum eo fundamenta fidelium. *Non ſunt Papæ Vicarij.* Id enim eſſet tantùm Pontificis in omnibus Vicarios facere Epiſcopos, quod tolerari non poteſt: quicquid contra aliqui ſentire videantur, eoque ius Canonicum & Tridentini aliquos locos detorquere. Sunt enim Principes, & duces, & iudices ordinarij, ſumma poteſtate præditi, quam ſuperiori capite declarauimus.

*Concilij Generalis forma in Apoſtolico.* Quintò quod ad generale Concilium pertinet, eius formam delinearunt Apoſtoli in primo Hieroſolymitano: in quo hæc obſeruo capita partim eſſentialia, partim minus neceſſaria. 1. Qui conuenerint, *Apoſtoli & Seniores.*
Act. c. 15.
2. Quis primus locutus in eo, *Petrus:* 3. Quam diligenter examinata fuerit quæſtio, *Magna conquiſitione.* 4. Quomodo ea promulgata fuerit, per epiſtolam & delegatos, *Iudam & Silam.*

*Conuocatio Romani Pontificis eſt.* De conuocatione quæ conuentum præcedit, certum eſt ab antiquis ſemper obſeruatum vt cum Imperatoris acceſſerat auctoritas, non per alium Pontificem, quã per Romanum ſolum fieret. Sic enim Iulius I. ad Orientales Epiſcopos in Athanaſij appellantis cauſa. *Ipſi verò primæ ſedis Eccleſiæ, conuocandarum generalium Synodorum iura, & iudicia Epiſcoporum, ſingulari priuilegio Euangelicis & Apoſtolicis, atque canonicis conceſſa ſunt inſtitutis: quia ſemper maiores cauſæ ad ſedem Apoſtolicam, multis auctoritatibus referri præcepta ſunt. Porro dudum à ſanctis*
*Iul. 1. ep. 1. ad Orien*

*Apoſtolis, ſucceſſoribuſque eorum, in præfatis antiquis decretum fuerat ſtatutis, quæ hactenus ſancta & uniuerſalis Apoſtolica tenet Eccleſia, non oportere præter ſententiam Romani Pontificis Concilia celebrari.*

Tum autem cum iſta ſcriberentur, appellabat S. Athanaſius ab Antiocheno Arianorum Conciliabulo, cui Conſtantius ipſe præſens aderat: de quo ſic apertè ſcribit Socrates. *Quin etiam Iulius Romanus Epiſcopus neutiquam aderat, neque quẽquam qui eius locum ſuppleret, eò miſit: idque cum canon Eccleſiaſticus iubeat, non oportere abſque ſententia Epiſcopi Rom. decreta Eccleſijs ſancire.* Quamobrem vbi antiquitatis memoria Conciliorum Generalium præſidem, aut per ſe, aut per legatos, Romanum Pontificem non ſatis exprimit; id tamen reipſa extitiſſe credendum eſt: vt apertiſſimè in ſexta Synodo admonemur Proſphonerico Patrum ſermone. Tumultuante, inquiunt, Ario, *continuò Conſtantinus ſemper Auguſtus, & Syluester laudabilis magnam atque inſignem in Nicaa Synodum congregabant:* Macedonio ſpiritus deneganti deïtatem *maximus Imperator Theodoſius, & Damaſus fidei adamas protinus obſtiterunt. Iterum Neſtorius, & iterum Cæleſtinus & Cyrillus, vna cum ſceptrorum domino diuiſorem deijciebant. Deinde Eutychetis inſania delirante alteram fabulam, Leonis tabula, tanquam Leonis rugitus viriliter vociferãs ex Roma interim Archimandritam beſtiam perterruit: quam tabulam Martianus ſacratiſſimus Imperator, & Anatolius Conſtantinopolitanus Antiſtes, cum omni Chalcedonenſi collectione amplexi ſunt. Sicut & Vigilius poſt hæc Iuſtiniano piiſſimo conſonuit, & quintum Concilium conſtitutum eſt.* Pergunt Imperatori Conſtantino Pogonato, & Agathoni Papæ, laudis & gloriæ de proſtrata Monothelitarum hæreſi trophæum erigere. In qua vtriuſque poteſtatis ſacræ ciuiliſque concordia, ſatis animaduertimus abſque Imperatorum voluntate, non potuiſſe certum in locum Epiſcopos conuenire; aut etiam res in ipſo Concilio pacatè tranquilleque geri. Quæ cauſa eſt cur Imperatorum & Principum iuſſu conuocata Concilia frequenter legamus; & Imperatorios in illis præſidere Præfectos, qui tamen ſumma cum religione à ſacris ſemper abſtinuerunt, & integras definiendorum dogmatum, & ſtatuendorum canonum partes ſacratiſſimis Hierarchis reſeruarunt: quos inter vt eminebat Romanus Pontifex, ita eius ipſius fuit & examinandas quæſtiones proponere, & doctrinæ ſuffragijque ſui prærogatiua definire. Notandum eſt hoc in propoſito Martiani Auguſti ad S. Leonem reſcriptum, pro Concilij Chalcedonenſis celebratione. *Tuam*, inquit, *ſanctitatem principatum in Epiſcopatu diuinæ fidei poſſidentem, ſacris literis in principio iuſtum credimus alloquendam, inuitãtes atque rogantes, quatenus omni impio errore ſublato, per celebrandam Synodum, te auctore, maxima pax circa omnes Epiſcopos Eccleſiæ Catholicæ fiat.* Non faceret *auctorem* Synodi Martianus, niſi eius *principatum diuinæ fidei* agnoſceret: neque ſic eum inuitaret & rogaret, niſi eius conſenſu & auctoritate ad plenum, perfectumque Concilium indigeret.

Socra. l. 2. Eccle. hiſt. c. 5.

Sext. Synod. act. 18. in ſerm. Proſphon.

Imperatores iuncti Pontificibus in conuocatione Conciliorum.

Martian. epiſt. ad S. Leon. in Præam: ad Concil. Chalced. ep. 33.

*Auctore Papa Synodus celebranda.*

Conuocato igitur, & indicto Concilio, conueniunt Epiſcopi, de quibus iam ante ſatis multa. *Seniores* in Apoſtolica Synodo cuiuſmodi ſint, videndũ. Non certe alij Epiſcopi, qui tam multi Hieroſolymis cur eſſent morati? Preſbyteri igitur. Non ſimplices, qui primis temporibus ſine animarum cura, vt putant, nulli erãt. Curati ergo? neque ſimpliciter iſtud. Nam ſediſſe, iudicaſſe, ſubſcripſiſſe in Concilijs Generalibus Preſbyteros vllos ſuo nomine, non legimus: & adhuc extant acta. Et in Chalcedonenſi Synodo acclamatum eſt. *Synodus Epiſcoporum eſt, non Clericorum: Superfluos foras mitte.* Aliquid igitur in iſtis

*Vocantur Epiſcopi & Seniores.*

quærendum eſt dignitatis, præter alios Clericos, & Sacerdotes. Demonſtraturi autem ſumus hoc opere, optimam primitiuorum fidelium partem, votis Religioſis adſtrictam, perfectioni ſtuduiſſe. Horum primores fuerunt ſine dubio *Seniores* illi, ad quorum exemplum quamplurima è ſequentibus Concilijs Abbates cum Epiſcopis ſedentes iudicanteſque viderunt.

*Pontifex proponit agenda in Concilijs.* Conuocato ſedenteque Concilio, primus loquitur Pontifex per ſe, aut per legatos, eaque proponit de quibus tantùm in iudicio tractandum eſt. Inde Commonitorium legatis datum, ne præſcripti ſibi muneris limites tranſilirent: & in Chalcedonenſi, decreta pro Conſtantinopolitanæ ſedis honore, irritata à Romanis Pontificibus, quia id negotium legatis non fuerat iniunctum. Qua de re dictum à Gelaſio I. *Cognoſcant illud ſecundum ſcripturas ſanctas, traditionemque maiorum, ſecundum Canones regulaſque Eccleſiæ* (vides vniuerſaliſſima principia ab Eccleſiæ intellectu propoſita) *pro fide communi, & veritate Catholica, & Apoſtolica, pro qua hanc* (Chalcedonenſem Synodum) *fieri ſedes Apoſtolica delegauit, factamque firmauit, à tota Eccleſia indubitanter admitti. Alia autem quæ per incompetentem præſumptionem illic prolata ſunt, vel potius ventilata, quæ ſedes Apoſtolica gerenda nullatenus delegauit, mox à Vicarijs ſedis Apoſtolicæ contradicta manifeſtum eſt.* Vocat *incompetentem præſumptionem*, quod ſine Romanæ ſedis auctoritate decretum eſt. In Synodo quoque ſexta legatis præſcribit Agatho, quomodo ſe gerant. *Licentiam proinde eis, ſine auctoritatem dedimus ſimpliciter ſatisfaciendi, in quantùm eis dumtaxat iniunctum eſt, vt nihil profectò præſumant augere, minuere, vel mutare: ſed traditionem huius Apoſtolicæ ſedis, vt a prædeceſſoribus Apoſtolicis Pontificibus inſtituta, ſimpliciter enarrare.* Memorabile illud eſt, quod cum Legati Roma miſſi, tempeſtate iactati, ſerius ad Epheſinam Synodum, poſt Neſtorij condemnationem aduenißent, replicari geſta voluerint, & cauſa iterum reuocata, cognitaque ſententia, in eundem demum & ipſi anathema dixerint. Quod in alterius Patriarchæ gratiam factum non legimus; cum maximè Cœleſtini vices & perſonam S. Cyrillus eo tum loco ſuſtineret, & Ioannes Antiochenus Patriarcha cum Orientalibus ſuis, tardius & ipſe conueniſſet.

Gelas. I. Opuſc. de Anathematis vinculo.

Sexta Syn. act. 4.

*Examen rerum definiendarum.* De conquiſitione, quæ & magna & erudita eſſe debet, quid opus eſt pluribus agere, cum & ab Epiſcopis, & eorum imperio à Doctoribus; & in ſcripturâ, canonibus, Patribus, ſecularibuſque doctrinis fieri debere, res ipſa declaret, dicente Chriſto, *Scrutamini ſcripturas*: & Phariſæjs ipſis in Concilio contra Chriſtum dicentibus, *ſcrutare ſcripturas, & vide quia à Galilæa Propheta non ſurgit*. Inde in Concilijs allata Patrum teſtimonia, in Epheſino, Chalcedonenſi ſexto, ſeptimo, nuper in Florentino: & quæ doctrinæ ratio, quæ ſpecies ſcientiæ, quæ iuris diuini humanique regula, quæ antiquitatis hiſtoria prætermiſſa eſt in Tridentino, quod ſacræ ſcientiæ theſaurum & perfectiſſimæ Eccleſiæ canonem potes appellare?

Ioan. c. 5.

Ioan. c. 7.

*Sententiæ dicuntur.* Deliberationem ſeu examen, ſequitur ſententia, liberè à quocunque cuius definiendi competat, proferenda. Ita ſingulorum ſenſus oſtenditur, & tandem maiori meliorique parte conſideratâ, omnium conſenſus exprimitur, cui Iudicium ſuccedit. Numerum primi & magni Concilij Nicæni myſticum fuiſſe notat S. Ambroſius. *Vt in numero eorum per ſignum ſuæ Paſſionis & nominis, Dominus Ieſus ſuo probaret adeſſe Concilio: Crux in trecentis, Ieſu nomen in octodecim eſt Sacerdotibus.* Quando nimirum omnia piè, tranquillè, & canonicè

Amb. l. 1. de Patre, & fil. c. 8.

nonice peraguntur, quis dubitat quin eorum in medio ſit Chriſtus, & ſingulis dicenda dictet ipſe prima veritas, & vnica ſidei regula?

*Decreta populis euulgantur.*

Scribitur deinde Synodica, vel Synodalis epiſtola, quæ omnes commonefaciat quid in Synodo decretum ſtatutumque ſit. Tandem poſtremò delegantur qui decreta promulgent, diuini verbi præcones, qui *Verbo plurimo conſolentur fratres & confirment*, de quibus iam ante nonnihil diximus. Paulus quoque *perambulabat Syriam, præcipiens cuſtodire præcepta Apoſtolorum & ſeniorum*, vt diſcamus tum ipſos per ſe Epiſcopos, tum per alios à ſe miſſos, decretorum Synodalium executioni debere incumbere.

*Quomodo obligentur ad aſſenſum decretorum fidei.*

Erit autem hoc loco qui quærat, ſic propoſito fidei articulo, ſic latæ promulgatæque legi, quem præſtare cogatur aſſenſum fidelis quilibet? Imo vt plura vno complectamur articulo, quam habeat in animos noſtros iuriſdictionem aut Concilium Generale, aut priuatum Romani Pontificis diploma, rem antea dubiam ac incertam auctoritate ſua in alterutram partem definientis? Huic vt ſatisfiat quæſtioni, certa ſi placet ab incertis ſecernamus, & inuolucra verborum, aperta explicatione prodamus. Infallibilitatem, Theologico vocabulo notam, Eccleſiæ promiſit Spiritus veritatis. Eſt autem illa duplex: Actiua, qua quis in veritate proponenda fallere non poteſt, & falſum pro vero obtrudere: Paſſiua, qua quis falli non poteſt, & falſum ab alio traditum pro vero accipere. Et in Eccleſia quidem tota, ſiue congregatam in Concilio Generali, ſiue orbe toto ſparſam conſideres, vtramque infallibilitatem, virtutem ſcilicet primæ veritatis participatricem ineſſe, nemo Catholicus ignorat. Quamobrem priuato cuilibet impoſita neceſſitas eſt admittendi, quicquid eo modo vel proponit, vel propoſitum communi conſenſione amplectitur. Si quid autem aut numquam vulgò admiſſum, aut vſu contrario deſitum eſt, eo non teneri, docet illud ipſum quod tractamus Generale Apoſtolorum Concilium, in quo præcipitur quidem abſtinentia *à ſanguine & ſuffocato*; ſed ea temporum lapſu, & contraria populorum omnium vſurpatione abrogata eſt.

*Infallibilitas duplex.*

Duuall. l. de poteſt. Rom. Pon. 2. P. q. 3.

*Quomodo Pontifex obliget ad credendum.*

Ad Pontificem verò quod pertinet, Tribunal à Cathedra diſtinguendum videtur. Et in Tribunal quidem, in quo agitantur iuris & facti quæſtiones, irrepere nonnunquam poſſe lapſus & errores, vox communis agnoſcit, quæ *Clauem errantem* admonet corrigendam. Fatetur & Pontifex, cum ſcribit ad Galliæ Regem, *Si incompetenter aliquid egimus, & in ſubditis iuſtæ legis tramitem non conſeruauimus, veſtro ac veſtrorum miſſorum cuncta volumus emendari indicio.* Tribunal ergo Romanum, nullum à Deo infallibilitatis priuilegium accepit. Verùm in Cathedra Pontificem ſpecto iterum duplici modo: vt priuatum hominem & Doctorem: cui vt ſic neutra diuinitus promiſſa eſt infallibilitas: poteſt enim ipſe & falli credendo, & fallere proponendo: vt cum Stephanus Iunior (hoc enim exemplum ad manum eſt) infantes vino baptizari poſſe, aqua deficiente, reſpondit. Cui ſanè, ſimilibuſque reſponſis, ex eo deeſt auctoritas, quod communi omnium Catholicorum conſenſu non admittuntur: qui paſſiuæ in Eccleſia infallibilitatis effectus eſt, aut character. At ſi publicam Oecumenici Pontificis conſiderationem aſſumo, illi aio ab ſupremo Eccleſiæ moderatore & ſponſo debitam vtramque infallibilitatem, neque quicquam *Ex Cathedra* docenti, aut imponi falſum poſſe, aut excidere. Atque addo, loqui eum *ex Cathedra*, cum tres adhibet conditiones, quarum vel vna ſi deſue-

2. q. 7. nos ſi incompetenter.

Steph. 2. in reſpon. c. 11. habetur tom. 2. Concil. Gall.

*Quid ſit Pontificem loqui ex Cathedra.*

D. Th. 2. 2. q. 1. a. 8. ad 2.

rit, ex edito vniuerſalis Doctoris ſolio, ad priuatæ perſonæ conditionem deuoluitur. Primam ex parte materiæ deſumo, quam volo eſſe propoſitionem veram, verè reuelatam, & quidem Prophetis, Apoſtolis, & Canonicorum librorum ſcriptoribus; vt monet D. Thomas. Quibus adiungo Concilia, Patres, Traditiones, Eccleſiæ aduerſus hæreſes militantis arma. Secundam in inquiſitione requiro, vt neque ſolus iudicet, neque temerè pronunciet, memor quàm multa vnum fugiant, quàm facilè vnum error occupet. Adhibeat igitur oportet maturam ac diligentem diſcuſſionem, ſine qua Chriſtus ex lege ordinaria neque Pontifici, neque Concilio infallibilitatem promiſit. Quapropter in Concilio quodam Romano, dum patres rem de qua agebatur totam in Zachariæ Pontificis arbitrio conſtituerent, ſapienter reſpondit vir modeſtiſſimus, *Non vt nobis ſolùm viſum fuerit, ſed pariter cum ſanctitate veſtra eſt pertractandum.* Tertia in ipſa propoſitione verſatur, vt toti Eccleſiæ, vt abſolutè & præciſè proponat, eum pronunciando hæreticum, aut ei Anathema imprecando qui aliter ſenſerit: aut affirmãdo ſtatuere ſe & definire de conſilio fratrum ſuorum. Hæc verba tanquam adamantina quædam vincula intelligentiam noſtram conſtringunt, & alligant ad *Eccleſiam Dei viui, quæ eſt columna & firmamentum veritatis.* Quæ autem de Pontifice diximus, ad Concilium generale pro rata portione referri poſſunt.

Conc. I. Rom. ſub Zachar. act. 1.

1. Tim. 3.

Non patitur me Apoſtolicum iſtud, quod exequor, Concilium exquirere, vtrum vbi *multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna*, Concilium ſupra Papam, an Papa ſupra Concilium fuerit? Prætetita ſchiſmata, & luctuoſiſſimæ orbi Chriſtiano clades, nos iſta diſputare docuerunt: quæ tu potius à Doctore Duuallio, quàm ab Gerſone petas velim. Equidem cum conſidero corpus ſine capite, & caput viciſſim ſine corpore truncum eſſe inutilem; dianœam ſine intellectu, intellectum ſine dianœâ, quaſi cæcum eſſe Cyclopem; liberum arbitrium ſine voluntate, & hanc ſine illo, vagum quoddam & incertum animal videri; Phyſicam ſine Metaphyſicâ non ſubſiſtere plena certitudine; hanc abſque illa myſteria loqui quæ nemo intelligat; vim ſyllogiſmi non minus à ſecundâ, quàm à primâ propoſitione pendere: iſta inquam dum cogito, duo hæc vt diuiſa, & à ſe minimè inuicem pendentia, non arbitror ſalua Eccleſiæ pace & vnitate poſſe conferri: quin potius æterno nexu auguſtum caput cum nobiliſſimis membris debere coniungi. Nam qui præfractè negant, Capitis præter Concilium, habendam eſſe rationem, edicant amabo, quæ res Concilijs nonnullis, vt Epheſino ſecundo, vt Trullano, vt Ariminenſi, Piſano, & ex parte Conſtantienſi, pondus auctoritatis abſtulerit?

*Comparatio Papæ cum Concilio.*

Duuall. l. de poteſt. Pontif. p. 4. q. 7. & ſeq.

Cæterum quod alias decreuerat Conſtantienſe Concilium, vt quoque decennio Synodus Generalis conuocaretur, ad reformationem Eccleſiæ, tam in capite, quàm in membris, poſteritas malo ſuo experta, omiſit exequi; memor Ariminenſis, Epheſinæ vtriuſque, quintæ, octauæ Synodorum antiquarum nondum ſatis quieta à Conſtantienſis, Baſileenſis, Piſani Conciliorum turbis & tumultibus. Iam olim S. Leoni ſcribebat Flauianus: *Renouebitur Concilium quod fieri diuulgatur: quatenus nequaquam ſancta turbentur Eccleſia.* Certè ſapientiſſimi quique tales conuentus ſemper timuerunt: iamque experimur optimum eſſe illis non indigere; proximum quàm rariſſimè.

*Conciliorũ Generaliũ periculoſa conuocatio.*

Flauia. ep. ad Leonẽ Papam.

CON-

## *CONCILIORUM PROVINCIALIUM ORDO ſummatim perſtringitur.*

## CAPVT XI.

VIDEM homines diuini, *facti forma gregis ex animo*, ſucceſſorum-que Antiſtitum, non ſolùm Concilijs Generalibus modum & ordinem exemplo ſuo; ſed etiam Prouincialibus & priuatis præſcripſerunt; quod erit, ſi placet, ſextum inter Apoſtolos, & Apoſtolicos Præſules ſimilitudinis caput. Nam ſtatim ab Aſcenſione Chriſti, collegas Apoſtolos de ſubrogando in Iudæ proditoris locum ſucceſſore, rogauit Petrus coryphæus, propoſito Dauidis ea de re vaticinio: idque præmiſſa oratione, & accurato perſonæ delectu, non ſine peculiari S. Spiritus afflatu perfectum eſt. Scimus autem è præcipuis cauſis Conciliorum Prouincialium, vnam olim fuiſſe Antiſtitum electionem, conſecrationemque, aut ex aduerſo, exauctorationem. Præterea Paulus Miletum conuocaſſe ſcribitur omnes Epheſinæ Prouinciæ *maiores natu*, ſiue Preſbyteros; vbi VValdenſis formam Concilij Prouincialis ineſſe arbitratur. Equidem hic non diſputo, fuerint-ne illi certò Epiſcopi, an tantùm Preſbyteri, ſiue Parochi? malo ego doctrinæ partem illam in locis communibus Franciſci Halliet relinquere, vt confuſa primi temporibus Epiſcoporum & Preſbyterorum fuiſſe nomina, rem videlicet nemini Eccleſiaſticarum rerum doctrina leuiter imbuto dubiam, aut obſcuram, comprobet. Vnius modò Tridentini auctoritate contentus, illos accipio pro Epiſcopis; & ex ijs Mileſium iſtud Concilium fuiſſe conflatum exiſtimare volo, vt in Prouincialibus immorer.

*Conciliorū Prouincialium forma ab Apoſtolis. Act. c. 1. — Act. c. 20. Wald. l. 2. doctr. fid. a. 2. c. 27. — Halliet in vin. p. 439. — Concil. Trid. ſeſſ. 23. c. 4.*

In illis autem primas partes tenere Petrum, *per quem & Apoſtolatus, & Epiſcopatus in Chriſto cepit exordium*, poſt quem à ſucceſſore Romano Pontifice omnia Concilia mediatè ſaltem & implicitè conuocantur, ratio ipſa, & veterum dicta declarant: quandoquidem ab eo tota vis atque auctoritas, tanquam à mente, & ſuprema voluntate dimanat. Vnde ſcripſit olim Angilramno Adrianus Pontifex, nullum Epiſcopum audiri poſſe *niſi canonicè vocatum, & in legitima Synodo, ſuo tempore Apoſtolica auctoritate conuocata, cui iuſſione Domini, & meritis B. Petri Apoſtoli, ſingularis congregandorum Conciliorum auctoritas, & ſanctorum Canonum ac venerandorum Patrum decretis multipliciter priuata, tradita eſt poteſtas.* Quæ vt accedat Eccleſiarum neceſſitati, nonnunquam vices ſuas certis perſonis delegant Pontifices, vt Hilarus Papa Leontio; *Cui*, inquit, *ſolicitudinem in congregandis fratribus delegauimus*. Aliàs Epiſcopi ipſi Metropolitani, congregandi Concilij facultatem à Papa poſtulant, vt Bonifacius Archiepiſcopus Moguntinus à Zacharia, cui ſcribit rogatu Carlomanni, ſe cogitare Synodum Eccleſiaſticæ diſciplinæ reparatricem; ad quod opus *conſilium & præceptum ſanctæ veſtræ auctoritatis, id eſt, Apoſtolicæ ſedis habere & ſapere debeo.* Sed ne quotannis Romam mittere cogantur Epiſcopi, Synodi impetrandæ cauſa, decernunt vniuersè Pontifices & Concilia, vt ſtatis diebus annis ſingulis celebrentur. Nicæno quidem Canone ſancitum eſt, *Annis ſingulis per vnamquamque Prouinciam bis in anno Concilia celebrari: vt communiter ſimul*

*Habentur auctoritate Rom. Pontificis. — Innoc. I. ep. ad Victricium Rothom. — Capitul. Adria. c. 31. — Forte ſibi mota. — Hila. Papæ ep. 4 ad Epiſcopi Galliæ. — Boniſac. Mogunt. ep. ad Zachar. c. 8. — Annuā Synodi Prouinciales. Con. Nic. can. 5.*

*omnibus Epiſcopis congregatis Prouinciæ, diſcutiantur huiuſmodi quæſtiones.* Quam conſtitutionem religioſè ſeruarunt Gallicani Antiſtites, priuatimque ipſi

Turon. 2. can. 1.

ſtatuerunt *vt bis ad Synodum annis ſingulis Metropolitanus & Comprouinciales ſui, in locum quem deliberatio Metropolitani elegerit, Deo propitiante, conueniant.* Quod

Concil. Vern. c. 4.

vt ſtatum ac ſolenne eſſet, dicta deinde dies, & Vernenſi Concilio ſub Pipino Caroli Magni magno patre, imperatum vt *bis in anno Synodus fiat: prima Synodus menſe primo, quod eſt, Martijs Kalendis, vbicunque Dominus Rex iuſſerit, in eius præſentia: ſecunda Synodus Kalendis Octobris, aut ad Sueſſiones, aut alibi, vti in Martijs Kalendis inter ipſos Epiſcopos conuenit.* Sed quoniam ea Conciliorum frequentia non parum importuna, & minimè neceſſaria viſa eſt, ſcripſit ad Præſules Galliæ Papa Hilarus, vt tantùm *per annos ſingulos ex Prouincijs quibus potuerit congregari, habeatur Epiſcopale Concilium*: Idque poſtea Sueſſionenſi decretum Synodo ſub Zacharia Pontifice. Denique illud etiam tempus Tridentinum hoc ſeculò ad triennium prorogauit.

Forte conuenerit. Hilar. ep. 8 & Greg. l. 7 ep. 111. Indict. 2. Sueſſi. c. 2. Trident. ſeſſ. 24. c. 2.

Quinam conuocati ad Concilia Prouincialia.

Sic ergo conuocatis Epiſcopis, adiunctos lego Preſbyteros, & Diaconos: imo & Laïcos, ſi non omnes, eos certè quorum vſus requiritur. Nam & ad omnes, in Cænaculum coactos, orationem Petrus habuit, *erat autem turba hominum ſimul ferè centum viginti*, & ordo celebrandi Concilij ex Toletano 4. ab Iſiodoro Mercatore collectus, ita diſponit. *Poſt ingreſſum omnium Epiſcoporum, atque conſeſſum, vocentur deinde Presbyteres, quos cauſa probauerit introire. Poſt hos ingrediantur Diacones probabiles, quos ordo popoſcerit intereſſe*: hos ego Archidiaconos fuiſſe arbitror, quibus Eccleſiaſtica quædam negotia commiſſa ſunt. *Et corona facta de ſedibus Epiſcoporum, Presbyteres à tergo eorum reſideant; Diacones in conſpectu Epiſcoporum ſtent.* Nimirum qui præſentibus Preſbyteris, niſi eorum iuſſu ſedere non poſſunt, quantò minus coram Epiſcopis? *Deinde ingrediantur & Laïci, qui electione Concilij intereſſe meruerint.* Et id quidem in Hiſpanijs, ſed non idem mos vbique. Nam in Moguntino Concilio legò, Conſiliantes in tres turmas diuiſos: in primâ *Epiſcopos*, in alterâ *Abbates & Probatos Monachos*, in tertia *Comites & Iudices in mundanis legibus decertantes.* Qui omnes poſtea in Concilio ſedentes, quicquid legendo collegerant, in commune contulerunt. At Synodus Romana ſub S. Syluestro, quã Prouincialem iure dixeris, licet Græci multi adfuerint Epiſcopi; ij, opinor, qui tùm ex illa gente in Italia varias ob cauſas verſabantur, præter Preſbyteros & Diaconos, minorum etiam Gentium Clericos vt Lectores, Exorciſtas, Acolythos admiſit, ea lege, vt nemo præter Epiſcopos ſederet, ne ipſi quidem Preſbyteri, qui ad terga Epiſcoporum ſtabant omnes. Laïcos autem excluſit, præter vnum Calphurnium vrbis præfectum. In hac perſonarum diuerſitate quid certi poteſt definiri? Si tamen ad ideam ſuperius à nobis prolatam reſpectandum eſt, ſic arbitror, ſolos per ſe loquendo Epiſcopos ſediſſe vt Iudices, & propoſitarum cauſarum arbitros: non enim minus Prouincialis iſta, quàm illa Generalis *Synodus Epiſcoporum eſt.* His adiungo Abbates, & ipſos ſuo modo Hierarchas, quaſi Epiſcoporum (vt Aurelius loquitur) *Collaterales.* Quorum in Eccleſia, præſertim Occidentali, ſemper magna fuit dignitas, atq; proximus poſt magnos Antiſtites auctoritatis gradus. Quare in Antiſiodorenſi Synodo, quæ Diœceſana fuit, ſubſcripti leguntur Abbates ante Prebyteros; illos igitur ſequuntur iſti, ſeu ſederint in Concilio, ſeu ſteterint. Atque non omnes promiſcuè Preſbyteros in Prouinciali Synodo,

Act. c. 1. Iſid. Merc. præfat. in collect. can. habetur tom. 1. Concil. in proleg.

Presbyteri in illis ſedent.

Concil. Laod. can. 20. Concil. Magun. in præfat. Concil. Rom. 2. ſub Sylue. c. 1.

Concil. Antiſi. ſub Pelag. 2.

ſed

ſed probatæ tantum virtutis & doctrinæ admiſſos reor, iiſque dandi conſilij, non ſuffragij ferendi ius fuiſſe. Idem de Diaconorum ſelectis pronuncio. Ad inferiores ordines quod pertinet, non facile alteri Concilio interfuiſſe leges, quàm Romano illi, in quo Syluestri Pontificis inſtitutum erat, Eccleſiæ tum renaſcentis gradus & ordines aptè decenterque diſtribuere: quod ipſis præſentibus commodiùs, quam per abſentiam fieri poterat. Laïcis in Concilio ſedes tanquam iudicibus, nunquam fuit; ſed vt peritis diſceptatoribus, vt ſapientibus conſiliarijs, vt rei politicæ moderatoribus: qui ſi quando ſubſcripti reperiantur, vt Arauſicano 2. Illuſtres viri permulti, hoc eorum pietati permiſerunt Epiſcopi, vt eam ſe doctrinam obuijs vlnis amplecti monſtrarent, non vt eam calculo ſuo ſtabilitent. Quid enim Synodo Sueſſionenſi contulerint, cui primus ſubſcriptus eſt Pipinus Maior domus, Hierarchæ ipſi docent, ſuum illorumque munus diſtinguendo. *Si quis contra hoc decretum, quod xxiij Epiſcopi, cum alijs Sacerdotibus, vel ſeruis Dei, vna cum conſenſu Principis Pipini, vel optimatum Francorum conſilio conſtituerunt, tranſgredi, vel legem irrumpere voluerit, vel deſpexerit, iudicandus ſit ab ipſo Principe, vel Epiſcopis, vel Comitibus.*

*Laïci non ſedent vt iudices.*

Concil. Sueſſionican. 10.

Iam verò ſedentibus Iudicibus quæ cauſæ offeruntur? Prima & maxima naſcentium hæreſeon profligatio, Eccleſiaſticorum canonum conſeruatio, reſtitutioque. Nam hæc Concilia de Gentilium tyrannide triumpharunt; redempta reparataque inter eatastarum horrores, & diritatem tormentorum Eccleſiaſtica diſciplina Sinueſſano, Eliberitano, Neocæſarienſi, Laodiceno conuentibus. Petri etiam Martyris fortiſſimi canonibus ſumma ſeueritate, non ſine collegarum Concilio & aſſenſu Alexandriæ conſcriptis. Hæc eadem Arium Alexandriæ ſub Alexandro verè magno, Neſtorium ſub Cyrillo, Eutychetem Conſtantinopoli ſub Flauiano, Pelagium in Africa, Donatiſtas Arelate, Monothelitas Romæ ſub Agathone, & Mediolani ſub Manſueto; Felicem Vrgelitanum Ratiſbonæ, Elipandum Toletanum & Hiſpanicos errores Franeofurti, ſub Carolo Magno Imperatore, Photium non ſemel Romæ ſub Nicolao & Adriano, Lutherum apud Senonas in Gallia ſub Cardinale Pratenſi prædamnarunt. Sunt enim Generalium prodromi, Eccleſiæ vigiles, exercitus Catholici velites & rorarij, ſexaginta fortes qui lectum Salomonis ambiunt.

*Materia Prouincialium Synodorum.*

*Naſcentes hæreſes diſſipare.*

Præterea vacantibus ſedibus Epiſcopos electione dare, electos conſecrare; Synodi Prouincialis opus fuit, vt ante monuimus, quod ſexcentis exemplis clarum fieri poteſt. Eorum quoque cauſas, vt & Preſbyterorum audire, & ſi quo crimine tenentur conſtricti, eos ad Canonum ſeueritatem caſtigare, Metropolitano iniungitur, cum Prouinciali Concilio. Vetitum enim ab Adriano, ne *vllus Metropolitanus Epiſcopus, abſque cæterorum omnium Comprouincialium Epiſcoporum inſtantia, aliquorum cauſas audiat eorum: quia irrita erunt, imo etiam cauſam in Synodo pro facto dabit.* Qui autem eo in Tribunali legitimè condemnatus fuerit, eius cauſam retractari ab alia Synodo, vetat canon Antiochenus, *ſi quis Epiſcopus de certis criminibus accuſatus, condemnetur ab omnibus Epiſcopis eiuſdem Prouinciæ, cunctique conſonanter eandem contra eum formam decreti protulerint, hunc apud alios nullo modo iudicari, ſed firmam concordantium Epiſcoporum manere ſententiam.*

*Epiſcopos eligere, & conſecrare.*

*Eorum cauſas audire.*

Capitul. Adrian. c. 14.

Conc. Antioch. can. 15. habetur 6. q. 4. ſi quis Epiſ.

Denique ordinare prouinciam, & emergentibus negotijs manum admo-

*Negotia*

*Prouinciarum curare.* — Capitul. Adr. c. 45.

uere ſalutatem, Concilij Prouincialis fuit officium : nam ſoli Metropolitano eorundem terminandorum nullum ius fuit ordinarium. Sic enim expreſsè Adrianus Angilramno. *Si quis Metropolitanus Epiſcopus, niſi quod ad ſuam pertinet ſolummodo propriam Parochiam, ſine conſilio & voluntate omnium Comprouincialium Epiſcoporum, extra aliquid agere tentauerit, gradus ſui periculo ſubiaceat, & quod egerit, irritum habeatur & vacuum.* Quæ ſint autem illa negotia, non definit Pontifex, ſed omnia quæ maioris auctoritatis remedio non indigent, illa Iuriſdictione comprehendi admonet, *ſaluo Romanæ Eccleſiæ in omnibus Primatu, illa quæ ſunt per vnamquamque Prouinciam, ipſius Prouinciæ Synodus decernat, ſicut in Nicæno conſtat decretum eſſe Concilio.* In capitulari autem Aquiſgranenſi citantur ab Regum peritiſſimo Carolo, non Nicæni, ſed Chalcedonenſis & Antiocheni Conciliorum Canones. Quibus prouiſum eſt prouinciarum ſecuritati, dum ipſæ de ſe malis ſuis ſine medici remotioris opera, nonnunquam parum amici, aut Regionum, conſuetudinis, naturæque negligentis, remedium accipiunt : Apoſtolicæ ſedis tranquillitati, dum in illa ſua ſpecula non perpetuò vigil excubare, & ad omnes leuioris momenti tumultus excitari compellitur: Epiſcopatus ipſius dignitati, qui fuſiſſimam natura ſua Iuriſdictionem, improuida humilitate truncare non debet.

Ibid. c. 9. Capitul. Aquiſg. c. 13. ex Chal. can. 19. & Antioch. can. 20.

## *CONCILIORUM PROVINCIALIUM QUÆ, & vnde ſit auctoritas.*

### §. Vnicus.

*Qua auctoritate Canones in Concilijs Prouincialibus edantur.* — Concil. Arauſic. 1. in præfat.

HORVM porro canonum ſanctitas, doctrinæ veriras, iudiciorum æquitas quo nititur fundamento, quo ex fonte profluit, à quo capite arceſſitur? A diuinis litetis, & antiquis Eccleſiæ, maximéque Vniuerſalium Synodorum canonibus, cum ſit illud principium, quò niſi reducantur, vacillant. Hunc vſum demonſtrat Arauſicani 1. materia ſubiecta, profitentibus Patribus agere ſe *ſecundum admonitionem, & auctoritatem ſedis Apoſtolicæ, & ab omnibus obſeruanda proferre pauca capitula, ab Apoſtolica ſede transmiſſa, quæ ab antiquis patribus, de ſanctarum ſcripturarum voluminibus in hac præcipuè cauſa collecta ſunt.*

Concil. Tolet. 1. Bracar. 1. Duaren. l. 1. de Sacr. Eccleſ. min. c. 11.

Neque minùs aperta eſt Pontificum Hiſpanorum aduersùs Priſcillianiſtas congregatorum Toleti primò, tum Bracaræ profeſſio, ſequi ſe Leonis Papæ præceptum, poſt Tarraconenſes, Carthaginenſes, Luſitanos, & Bæticos antiſtites. Addit Gratianus, apud Duarenum IC. auctoritate etiam Romani Pontificis, præſente ipſius legato, Concilia Prouincialia celebrari. Quod equidem ſic interpretor, vt ſi præſentem habeat Prouincia Pontificis legatum, abſque eo ne coueniat: ſi verò nullus eſt ad manum, tunc requiri neceſſe non videri; quando eius Concilij decreta vniuerſalem auctoritatem non ſunt habitura.

Epi. Epiſ. Gall. inter Leonis ep.

Huc refero Gallicanorum Epiſcoporum factum, qui S. Leonis Epiſtolam ad Flauianum magno ambitu exoratam & impetratam, in Synodo lectam, maximo conſenſu exceperunt, magnis laudibus ornarunt, & pro tanto munere Synodica Epiſtola gratias egerunt. Sed hæc à Romanis Pontificibus ſcripta cum defuerint vt plurimùm, tamen ſemper ad eorum doctrinam & canonum regulam reſpectatum eſt. Monent enim ſapienter Patres Concilij Arelatenſis, *vt nihil contra magnam Synodum Metropolitani ſibi æſtiment iudicandum;*

Concil. Arelat. 2. can. 56.

non

non priuata ſolum auctoritate, ſed etiam adhibito Prouincialium ſuorum Epiſcoporum conſilio. Quare patres Concilij Bracatenſis, *Illud nobis ſpecialius eſt agendum, vt ſi quid fortaſſe extra Apoſtolicam diſciplinam, per ignorantiam, aut negligentiam, reprehenſibile inuenitur in nobis, recurrentes ad teſtimonia ſacrarum ſcripturarum, vel antiquorum canonum inſtituta, adhibito communi conſenſu, omnia quæ diſplicuerint rationabili iudicio corrigamus.* Ita Turonenſes Antiſtites, *In poſterum vniuerſorum vtilitati proſpicientes, vt ſecundum Euangelica præcepta, & Apoſtolicam doctrinam, Patrum ſtatuta ſeruantes, Eccleſia Domini pura & immaculata permaneat.* Quo in genere memorabilis eſt Concilii Moguntinenſis ordo in quo legimus *conſediſſe Epiſcopos legentes, atque tractantes ſanctum Euangelium, nec non Epiſtolas, & Actus Apoſtolorum; Canones quoque ac diuerſa ſanctorum Patrum opuſcula, Paſtoralemque librum Gregorij, cum cæteris ſacris dogmatibus.* Hæc eſt, *magna conquiſitio*, quam in Generali Concilio ſuperiori capite vidimus, vſitata maxime in Gallia, Caroli Magni, eiuſque filij Ludouici Pij temporibus, vt in eodem Moguntino, Francofordienſi, Pariſienſi 6. Capitulari Aquiſgranenſi, & id genus alijs videre eſt.

Concil. Bracar. 2. n. 3. habetur tom. 2. Concil.
Concil. Turon. 3. tom. 2. Concil. Gall.
Concil. Mogunt. ſub Carolo Magno in Præfat.

Atque hæc Regum noſtrorum iucundiſſima recordatio, vetat à nobis prætermitti peculiarem alium Conciliorum quaſi Prouincialium vſum, aureis illis temporibus frequentem, quibus feliciora & Galliæ glorioſiora nunquam ſol illuxit. Nam Reges Franci non fortitudine, quam religione nobiliores, Pipinus, Carolus Magnus, Ludouicus Pius ipſa regni negotia Sacerdotum arbitrio ſubijciebant, & vix vllam prius ſuſcipiebant expeditionem, leges ferebant, aut teſtamentum condebant, quàm ea omnia Concilij auctoritate probarentur. His Concilijs præeſſe ſolitum arbitror Palatinum Archicapellanum, quando is Epiſcopalis prærogatiua characteris fulgebat: idque eò conuenientius & probabilius credi poteſt, quòd in alijs etiam quæ mores publicos, & diſciplinam Eccleſiaſticam ſpectant, primas eius ipſius Archicapellani partes fuiſſe nonnunquam videmus; quoniam is auctoritate præcellebat apud Reges, & præcipuus Canonum cuſtos, & Eccleſiaſtici ordinis conſeruator cenſebatur. Eam ob rem Stephanus Papa II. Capitulare illud ſuum ſæpe à nobis productum, Angilramno, non alteri Galliæ Epiſcopo miſit, quia is ſacri Palatij Archicapellanus tum erat. Hilduinus quoque eadem præditus dignitate *ſacris negotijs à Deo prælatus* dicitur in Epiſtola Eccleſiæ Senonicæ, qua ipſi gratias agit Senonenſis Eccleſia, *quod alteram ipſis electionem impetrare ac concedere ſtuduerit.* Fulradum etiam S. Dionyſij Abbatem in illo officio conſtitutum, tanti facit Adrianus Papa; vt Archipreſbyterum Franciæ appellet. Bonifacius autem Archiepiſcopus Moguntinus, tanquam *Conſacerdoti* ſcribat, rogetque vt ſibi ſucceſſorem Lullum curet deſignari, *ſi Deus voluerit, & ſit clementiæ veſtræ placeat.* Quæ omnia demonſtrant quantus fuerit ille Palatinæ ſimul atque Eccleſiaſticæ dignitatis apex, de quo nobis erit etiam aliquid ſequente libro dicendum. Hunc igitur magiſtratum aio probabiliter certis præfuiſſe Concilijs, iuſſu Regis, volentibus Epiſcopis, Regiæ Capellæ iure. Nam Heldeboldus ſeu Hildebaldus, ſeu Haldabaldus (hæc enim nomina eidem conuenire perſonæ cenſet Binius) Archiepiſcopus Colonienſis, idemque Regis Archicapellanus, Concilio Moguntino ſub Carolo Magno præſedit, & primus ſubſcripſit, etiam præſente Ricolpho Moguntinæ ſedis Antiſtite, quod nunquam fieri permiſiſſet religioſiſſimus Imperator,

*Synodi Regiæ in Gallia.*
*Archicapellanus ſacri Palatij.*
Ep. Eccleſ. Senon. habetur to. 2. Concil. Gall.
Bonifac. Mogunt. epiſt. ad. Tilpinũ. Remenſ.
Idem ep. 5. ad Fulr.
*Præfuit Synodis Regiis.*
Concil. ad Theodvillam. & Mogunt. ſub Carolo Magno & Leon. 3.
Binius in illa.

niſi hoc Archicapellano ſuo auctoritatis priuilegium putauiſſet eſſe donandum. Non poteſt ferre Fileſacus hoc loco, in eius Concilij præfatione, vocari Hildebaldum *ſacri Palatij Archiepiſcopum*: reponique iubet, *Archicapellanum*: fruſtra, vt apparet, & ſine vllo codicum ſubſidio. Nam eum & *Archiepiſcopum* ſimul, & *Archicapellanum* fuiſſe conſtat, & in Concilio Francofordienſi *Epiſcopus Hildeboldus* dicitur, eo canone cui datus eſt titulus, *De licentia Hildeboldi Archicapellani*. Quidni ergo promiſcuè modò *Archiepiſcopus*, modò *Archicapellanus ſacri Palatij* potuit appellari? Sed hæc obiter: auctoritatem Conciliorum Prouincialium repeto.

Fileſ. l. de ſacra Epiſ. auctor. c. 9. §. 15.

Confirmantur ſaltem implicitè à Rom. Pont.

Ab ea non debet abeſſe Capitis approbatio, & Romani Pontificis confirmatio, ſaltem implicita: quis enim eo repugnante fidem hiſce Concilijs præbeat, quam Generalibus vulgò credunt denegatam? Sic ratio cum mente iungitur, & ad centrum vnde profluunt lineæ reuertuntur. *Si aliter præſumptum a quibuſlibet fuerit*, inquit Adrianus, *in vanum deducatur quod egerint, nec inter Eccleſiaſtica vllo modo reputabitur, nec vllas habebit vires quidquid ei obuiauerit. Quoniam eadem ſedes, teſtante veritatis voce, primatum obtinuit, nec prima diceretur, ſi aliam ſuper ſe haberet.* Quamobrem vt ius illud perenne ſit, decernit inferius, *vt Prouincialis Synodus retractetur per Vicarios Romani Pontificis, ſi ipſe decreuerit.* Sic in cauſa Pelagij & Cœleſtij Africana duo Carthaginenſe & Mileuitanum ab Innocentio confirmata ſunt; quo facto breuiter ſapienterque dixit S. Auguſtinus, *Cauſa finita eſt, vtinam etiam finiatur & error.* Finita & in Gallijs Arauſicano 2. per Bonifacium II. confirmato; ſcribente Pontifice, *Quapropter affectu congruo ſalutantes, ſupraſcriptam confeſſionem veſtram, conſentaneam Catholicis Patrum regulis approbamus.* Neque dubium quin poſt hæc finiri debuerit error, cum hæc verba manuſcripti codices antiqui, poſt eam confeſſionem deſcriptam referant, vt exprimit P. Iac. Sirmondus, *In hoc loco continetur Synodus Arauſica, quam per auctoritatem S. Papa Bonifacius confirmauit: & ideo quicumque aliter de gratia & libero arbitrio crediderit, quàm vel iſta auctoritas continet, vel in illa Synodo conſtitutum eſt, contrarium ſe ſedi Apoſtolicæ, & vniuerſæ per totum mundum Eccleſiæ eſſe cognoſcat.* Sic in cauſa Eutychetis Flauianus ad Leonem Magnum acta Synodi ſuæ mittens, *Cauſa*, inquit, *eget ſolummodo ſolatio veſtro, atque defenſione, qua debeatis ad tranquillitatem & pacem cuncta perducere.*

Capitul. Adria. c. 3.

Ibid. c. 41.

Explicitè aliqua confirmato.

Augu. l. 1. contra Parmen.

Concil. Arauſic. 2. tom. 1. Concil. Gall.

Flauia. ep. ad Leon.

Huic autem ſic reſpondet Pontifex, vt Concilium arguat non ſatis cautè & attentè hæreticum repreſſiſſe, miratus *tam abſurdam, tamque peruerſam eius profeſſionem nulla iudicantium increpatione reprehenſam, & ſermonem nimis inſipientem, nimiſque blaſphemum, ita omiſſum, quaſi nihil quod offenderet, eſſet auditum.* Iubetque vt ſi ſe commoda obtulerit occaſio, *ne ideo vel rectè, vel tolerabiliter æſtimes dictum, quia nulla veſtra eſt ſententia confutatum*, hoc etiam caput inter cætera collocetur, cum is palinodiam recantabit. Quod & ſequente epiſtola ad Iulianum Coënſem Epiſcopum repetit, ſententiamque *in Epiſcopali iudicio* ab Eutychete prolatam, pluribus confutat. Pelagius II. Synodum Conſtantinopoli à Ioanne coactam ceſſare iuſſit, cum ſcriberet, *neceſſe eſt ea caſſare, quæ contra ordinem & omnem auctoritatem facta eſſe noſcuntur.* Gregorius Magnus ad Exarchum Africæ Gennadium, ſcribit ſe *non poſſe tolerare frequentes querelas, plura in Concilio Numidiæ contra Patrum tramitem, atque canonum ſtatuta committi.* Quod non eueniret *ſi vnde conſecrationem honoris accepiſtis*, inquit S. Leo ad Siculos, *inde legem totius obſeruantiæ ſumeretis, & B. Petri Apoſtoli ſedes, quæ vobis*

D. Leo ep. ad Flauia. c. 6.

Idem ep. 11. ad Iuli.

Pelag. 2. ep. 8.

Greg. li. 3. ep. 7. ind. 12.

*Sacer-*

*Sacerdotalis mater eſt dignitatis, eſſet Eccleſiaſtica magiſtra rationis.*

Hæc dum perſequor prolixiùs fortaſſe quam neceſſe ſit, abſtinere non poſſum, quin totam hanc Hierarchiæ ſeriem oſtendam, & caput claudam elegantiſſima Iulij I. Pontificis admonitione. *Connexio totius corporis*, inquit, *vnam ſanitatem, vnam pulchritudinem facit. Et hæc quidem connexio totius corporis vnanimitatem requirit, ſed præcipuè exigit concordiam Sacerdotum: quibus etſi dignitas communis non eſt, tamen ordo generalis eſt: quoniam & inter beatiſſimos Apoſtolos in ſimilitudine honoris, fuit quædam diſcretio poteſtatis: & cum omnium par eſſet electio; vni tamen datum eſt vt cæteris præemineret. De qua forma, Epiſcoporum quædam eſt orta diſtinctio, & magna ordinatione prouiſum, ne omnes ſibi omnia vindicarent; ſed eſſent in ſingulis Prouincijs ſinguli, quorum inter fratres haberetur prima ſententia: & rurſum quidam in maioribus vrbibus conſtituti, ſollicitudinem eius ſuſciperent ampliorem; per quos ad vnam B. Petri ſedem vniuerſalis Eccleſiæ cura conflueret, & nihil à capite ſuo diſſideret.*

*Hierarchiæ ſeries in Concilijs est.* *Iulio I. epiſt. 1. ad Orient.*

---

## *PRIVATA DIOECESEON STATVTA QVOmodo ab Hierarchis decernantur.*

### CAPVT XII.

PRIVATIS etiam ſingularum Parochiarum conuentibus, ſi non formam vndecunque perfectam, certè initium dedit Iacobus Hieroſolymitanæ Eccleſiæ glorioſus fundator, pro Apoſtoli Pauli zelo, in gratiam recentium ex Iudæis Chriſtianorum temperando, vt non dubitem ſeptimum ſimilitudinis caput, in hac priuati ſeu Diœceſani Conuentus imagine collocare. Nam cum generali antea Concilio definitum fuiſſet, præceptis cæremonialibus Iudæorum, è Chriſti aſſeclis aſtringi neminem, idque palam omnibus quas luſtrabat Prouincijs, Apoſtolica libertate Paulus annunciaret, ea res auitæ legis plus nimiò æmulos Hieroſolymorum fideles malè habebat, reducique Apoſtolo turbas plebs incauta conciuiſſet, niſi prouido conſilio Iacobus Antiſtes, conuocata Seniorum ſuorum multitudine, decretum ſuperius ſic accommodaſſet tempori, vt Chriſtianis ex circumciſione vocatis, negaret aliquorum legalium vſu penitus interdictum. Cui congregationi, eiuſque ſtatuto, vt monſtraret plurimùm ſe deferre magiſter humilitatis exercendæ Paulus, ſimulque commotos nonnihil ciuium animos mitigaret, voto Nazarenæ conſecrationis publicè ſuſcepto, ſe probantibus omnibus exſoluit. Quâ in narratione tria mihi occurrunt obſeruanda, diſputationi meæ momentum non leue factura. 1. Sine Seniorum Concilio nihil ſtatuiſſe Patriarcham Iacobum, eundemque Apoſtolum, & quod his eminet, Fratrem Domini. Alterum, Concilij generalis decretum inflexiſſe tantummodo, & ad priuatam temporum, & Eccleſiæ ſuæ neceſſitatem accommodaſſe; non autem abrogaſſe penitus, & Apoſtolorum ſenſui, & ſuæ ipſius ſententiæ repugnantem. Tertium, huic decreto Paulum obtemperaſſe, illum qui Antiochiæ in faciem Petro reſtiterat, qui ſcriptis Epiſtolis, omnibuſque concionibus abrogationem legalium perſuaſerat.

*Concilia Diœceſana adumbrata in Apoſtolica. Act. c. 21.* *Notanda quædam in Diœceſano Iacobi Concilio.*

Epiſcopus igitur cui à Sapiente dictum eſt, *ne innitaris prudentiæ tuæ*: qui vni ſibi certum & conſtantem Sancti Spiritus afflatum non promiſſum, ſed duobus aut tribus congregatis, legit in Euangelio; qui de Concilio prouiſum

*Epiſcopus ſine fratrum Clericorum conſilio nihil decernit.* *Prou. c. 3.*

S

Matt.c.18 Act.c.25. Cyp.ep.6 *Sic impera tum a Romanis Pontificibus.*

ſibi ſentit ab Eccleſia, Clerum videlicet ſeu Capitulũ, quicquid in commune vel Eccleſiæ ſuæ Metropolitanæ, vel priuatarum aliquarum, vel totius Diœceſeos commodum obijcitur, illud cum fratribus ſuis communicat, auditiſque eorum ſententijs, vt in foro ſeculari *cum Concilio loquutus*, ſeu de Concilij ſententia; quod maiori & ſaniori parti viſum eſt, decernit. Adhibet etiam aliquando, ſi res exigit, Laïcos optimates, & illum honorabilem populum, cui nonnullam adminiſtrationis publicæ partem hac ratione aſſignat Ariſtoteles, vt decretum omnibus profùturum, ventiletur ab omnibus, & ei ſe legi Clerus ſubijciat & populus, quam in principibus ſuaſiſſe cenſetur. Hác fuiſſe grauiſſimi Antiſtitis Cypriani conſuetudinem, docet ipſe ea Epiſtola, qua Pauperum & Confeſſorum curam Clericis ſuis commendat. *Solus reſcribere nihil potui, quando à primordio Epiſcopatus mei, ſtatuerim nihil ſine conſilio veſtro, & ſine conſenſu plebis meæ, priuata ſententia gerere.* Neque aliter geſſiſſe ſe S. Auguſtinum declarant non infrequentes conciones, quibus ſuæ ſuorumque vitæ rationem populo reddit. Idem de SS. Baſilio, Chryſoſtomo, Ambroſio, Hilario, cæteriſque aurei ſeculi Hierarchis, ſine dubitatione aſſeuerare poſſumus, cum vniuerſi Cleri, cum Epiſcopo ſuo tunc eſſet *cor vnum, & anima vna.*

Duarẽ.l.1. de ſacris Eccl. min. c.11. Extra. de his quæ fiunt a Prælat. c. Quanto. Panorm. in eum locum. Concil. Turon.2. can.7. Capitul. Adrian. c.14. Concil. Cartha 4. c.32. citatur ex Valentino. c. Irrita. de his quæ fiunt à Prælatis. 12.q.2.c. Placuit. *Maiori parti cedendũ* c. Ex part. de his quæ fiunt à maiori.

Sed poſtquam nobilis illa concordia, temporum noſtræque mortalitatis iniuria defluxit, huiuſque *honeſtiſſimi inſtituti*, & loquitur Duarenus I.C. *vix vmbram hodie retinemus*; idque vel Epiſcoporum ipſorum, vel Capitulorum voluntate euenit: ſuas partes eſſe duxerunt Romani Pontifices, illud mutuæ caritatis vinculum arctiori iuris nodo aſtringere, Epiſcopiſque imperare, ne quicquam ſine Capitulo decernerent, Capitulo iniungere, vt quæ maior pars eſſet, ea obtineret. Nam Alexandri III. aperta eſt hac in re auctoritas. *Fraternitati tuæ mandamus, quatenus in conceſſionibus, & confirmationibus, & alijs Eccleſiæ tuæ negotijs, fratres tuos requiras, & cum eorum conſilio, vel ſanioris partis eadem peragas, & pertractes, & quæ ſtatuenda ſunt ſtatuas, & errata corrigas, & quæ euellenda ſunt diſſipes & euellas.* Quem in locum Panormitanus notare nos iubet *ſtatutum Epiſcopi ſine conſenſu Capituli non valere, nec ſine eo ſubditos ab Epiſcopo corrigi poſſe: valet tamen*, inquit, *conſuetudo in contrarium.* Quod iam ante Concilio Turonenſi decretum fuerat. Vt *Epiſcopus nec Abbatem, nec Archipresbyterum ſine omnium ſuorum Compresbyterorum & Abbatum conſilio, de loco ſuo præſumat eijcere.* Inter Adriani capitula hoc legitur. *Ne aliquis Epiſcoporum, ſuorum Sacerdotum cauſas audiat, abſque præſentia Clericorum ſuorum: quia irrita erit ſententia Epiſcopi, niſi præſentia Clericorum confirmetur.* De donationibus, atque eiuſmodi negotijs, præcisè dictum in Carthaginenſi, *irritam eſſe donationem, vel venditionem, vel commutationem rei Eccleſiaſticæ, abſque conniuentia & ſubſcriptione Clericorum*: quod ex alio item Carthaginenſi Gratianus ita refert, *nec Epiſcopũ liceat vendere prædia Eccleſiæ inconſulto Concilio, vel cuncto Presbyterio, ſine vlla neceſſitate.*

*Requiritur conſilium, aut conſenſus Capituli.* Panorm. in c. Quanto. de his quæ fiunt à Prælatis.

Dixi Clericis iniunctum vt maiori parti cederent. Quod Innocentius III. Archiepiſcopo Rothomagenſi reſcripſit. *Ex parte tua nobis fuit, frater Archiepiſcope, intimatum, quòd,* &c. *Statuimus vt ſi quis veſtrum tuis, frater Archiepiſcope, & maioris & ſanioris partis Capituli ſtatutis ſuper hoc duxerit reſiſtendum, obtineat ſententia plurimorum.* Hoc adeò certum eſt, vt non iam inter Canonici iuris interpretes quæratur, ſit-ne Senatus Capituli ab Epiſcopo conſulendus; ſed quænam Capituli deſideretur ſententia, an aſſenſus & conſenſus, an ſolum conſilium? Panormitanus pro conſilio pugnat, & voci, conſenſus, aſſentiri nequit.

Nota

*Nota benè*, inquit, *quod in ſtatutis condendis per Epiſcopum, neceſſariò non requiritur tantùm conſenſus, ſed ſufficit conſilium.* Et iterum Gloſſæ videtur ſubiratior, quòd voce *conſenſus* abutitur. *Gloſſa loquitur nimis generaliter*, inquit, *dum dicit, quod in omnibus negotijs Eccleſiæ, neceſſarius eſt conſenſus Capituli, vbi ſolùm requiritur conſilium Capituli, & non conſenſus.* At Felinus plauſibili diſtinctione rē omnem explicat, in rebus leuioris momenti ſufficere conſilium, in arduis requiri conſenſum. Idque probat duobus Innocentij dictis: quorum prius eſt, *quòd Epiſcopus poteſt facere ſtatuta, niſi eſſent ſtatuta ardua, & concernentia totum Clerum.* Poſterius, *quòd Epiſcopus nō poteſt imponere pœnas graues Clericis, niſi cum conſilio Capituli.*

*Idem in c. cum vos. de his quæ fiũt à Prælatis.* Felinus de Iudicijs c. 13. Clerici. Innoc. in c. Magnæ de Voto. Innoc. in c. 1. de Exceſſibus Prælatorũ.

Sunt & alij eius Concilij vſus in iure ſparſi, qui declarant cur ſit cautum obſeruatumque, vt niſi vbi Capitulum fuerit, Epiſcopalis Cathedra non ſtatuatur. Quod neſcio an capiat Petrus Aurelius tota illa ſua diſputatione, de Epiſcopis non inſtituendis, niſi vbi neceſſarij ſunt. Imo an ſe ipſum capiat, dum Laodicenum Canonem 57. (typographico lapſu 56.) citat, & ſatis inutiliter obtrudit: & Canonem 6. Sardicenſem ſic interpretatur, vt ne legerit quidem: dum luce meridiana clariorem eius ſenſum, quem tenebat aduerſarius, libidine contradicendi detorquet & obſcurat, ea ipſa pagina; qua Loëmelio Canonum ignorantiam, Canoniſtarum videlicet peritiſſimus, obiectat.

*Reprehenditur Aurelius*, in vindic. p. 244.

Hinc autem videas, quo loco Clerum Eccleſiæ matricis habere debeat Epiſcopus, vt laboris participem, adminiſtrationis ſocium, ſupparem dignitate. *Canonicos dici fratres Epiſcopi, ſicut Cardinales fratres Papæ*, notat laudatus ſupra Panormitanus, *& Epiſcopus eis ſcribens non debet appellare eos filios, ſed fratres, vel ſocios: ipſi tamen ſcribentes Epiſcopo, debent eum honorare, & appellare Patrem.* Quę dicuntur in eum reſcripti Pontificij locum, quo Alexander III. quantùm poteſt intimè Clericos adiungit Epiſcopo. *Nouit tua diſcretionis prudentia, qualiter tu, & fratres tui vnum corpus ſitis, ita quod tu caput, & illi membra eſſe probantur. Vnde non decet te omiſſis membris, aliorum conſilio in Eccleſiæ tuæ negotijs vti: cum id non ſit dubium & honeſtati tuæ, & ſanctorum Patrum inſtitutionibus contraire.* Hos in hiſtoria Apoſtolica, vt eò identidem reuoluamur, *adiutores & comites* video appellatos: habuit enim Paulus Apoſtolus comites peregrinationis ſuæ ordinatos ab Eccleſijs, vt Lucam, Titum, *Qui*, inquit, *eſt ſocius meus, & in vos adiutor.* Timotheum, Eraſtum, Ariſtarchum, Clementem, *cum cæteris adiutoribus meis.* De quo ipſo Clemente dicebat olim Petrus, *qui mihi ab initio vſque in finem comes in omnibus fuit, & per hoc veritatem totius meæ prædicationis agnouit; quem præ cæteris expertus ſum Deum colentem.* Preſbyterorum quoque Achaïæ, diſcipulorum & comitum Andreæ, illuſtris eſt in hiſtoria Eccleſiaſtica mentio. Vt dubium non videatur, quin ſimilis comitatus cæteris Apoſtolis ſit adiunctus; ſeu cum Apoſtolici muneris gratia, varias in partes excurrerent; ſeu cum in Metropoli aliqua moram facerent. Neque dubito quin illi de Senioribus fuerint, ab Apoſtolis ad Concilium primum generale admiſſis, de quo antea diſputauimus. Atque comitum iſtorum duplicem arbitror fuiſſe vſum: tum vt eorum opera & labore ſubleuarentur, illis huc atque illuc miſſis, proüt neceſſitas exigeret: tum vt eorum cõſilio in dubijs periculoſiſq; negotijs iuuarētur.

*Honor mutuus Epiſcopi erga Capitulum, & contra.* Panorm. in c. Noui, de his quæ fiunt à Prælat.

*Comites & adiutores Apoſtolorum.* 1. Cor. 8. Act. c. 19. Phil. c. 4. Clemens epiſt. 1. ad Iacob.

De Laïcis autem quid dicemus hoc loco? Illi-ne etiam Epiſcopalis Concilij partem conflare poſſunt, aut ad illud conuocari? Poſſe admitti nemo dubitat, cum in Apoſtolica congregatione, qua Diaconi ſunt inſtituti (fuit autem illa quaſi Diœceſana Synodus) multitudinem legamus: cur autem illos ab hoc cõ-

*Laïci quomodo poſſint admitti.* Act. c. 6.

uentu excluſos dicamus, quos in Prouincialibus, Generalibuſque Concilijs vt peritos, vt teſtes, vt quietis Eccleſiaſticæ conſeruatores antea ſpectauimus? Quod eò magis concedendū eſt, quòd eorum cauſa non infrequenter agitur, & intereſt nullum inuito, atque abſenti onus imponi. Quibus certè in rebus, ſubditorum conſenſus exquiritur: vt quemadmodū ſupra vidimus publicam reclamantis Eccleſiæ vocem, Pontificū & Conciliorum decretis tobur detraxiſſe, quæ paſſiuæ infallibilitatis pars eſt, & ſpecies: ſic priuatis iſtis imperijs auctoritatis nullum ſit momentum, quandiu legitimas ob cauſas communi populorum voluntate refutantur. Hoc manifeſtè cum ratione Canones edocent. Nam vbi feſtiuitates tota Eccleſia indictæ nominantur, ſubijcit Pontifex, illas etiam *quas ſinguli Epiſcopi in ſuis ciuitatibus cum populo collaudauerint: quæ non generaliter indicenda ſunt: quia,* vt ait Gloſſa, *particularia decreta Epiſcopi poſſunt condere, & Leges, & Canones conſtituere, & conſuetudines inducere ſeruandas in Parochiis ſuis in ſubditos, conſenſu eorundem, ſine præſentia Papæ, vel eius delegati.* Agnoſcis hic magis eſſe neceſſariam populi, quam Pontificis præſentiam, & Romæ auctoritatem non deſiderari, populi aſſenſum prærequiri. Hoc expreſſius oculis ſubijcit Panormitanus; *Licet*, inquit, *in ſpectantibus ad Iuriſdictionem Epiſcopi, poſſit ipſe cum Capitulo facere ſtatuta, vt putà circa punitiones maleficiorum: tamen in alijs in quibus vertitur intereſſe aliorum, non poteſt Epiſcopus ſtatuere ſine conſenſu illorum, vel ſaltem debent eſſe præſentes. Credo tamen quòd vbi populus non habet legitimam cauſam contradicendi, non obeſt contradictio.* Legum quoque profanarum vis eadem eſt, & natura, quæ vel contraria conſuetudine per populum in populum inducta, vel earum negligentia, ſeu quod aiunt, per non vſum, conſentiente populorum arbitrio, abrogantur. Denique, ſi exemplum conſulimus, liberè, & quidem *rogatus à fratribus* ei ſe ſtatuto Paulus ſubiecit. Scio equidem ſubditum non fuiſſe, atque adeo auctoritate, quam coactiuam vocant, ad illud adigi non potuiſſe: verùm hoc tantùm in eo conſideto, non priùs robur habuiſſe decretum, quàm ei ſe Paulus ſubmitteret.

*Populi conſenſus quãdo requiſitus.*

C. Pronũciandū, de conſecra.

Panormit. In c. Cum queſtus, de cenſis.

Quod ſi ea vis in ſe ipſa ſpectatur, & canonum qui in priuata hac Synodo, quam Diœceſanam vocamus, auctoritas expenditur, ea mihi humanæ intelligentiæ parti videtur ſimillima, quam imaginarionem Rationalem ſupra appellabamus, illi voluntatis parti, quam vſum Actiuum; illi ſcientiæ, quam Mathematicam dicebamus. Siquidem in ſingularibus maximè occupatur, ab illis decretorum ſuorum occaſionem & materiam accipit; illa rectè regit, & ordinat, & quid quoque tempore & loco aptè conuenienterque fiat, imperat. Vnde Diaconorum, ſeu Archidiaconorum ſtudio & diligentia maximè promouetur: ſunt enim *Diaconi tanquam oculi Epiſcopi, oberrantes & circumluſtrantes cum verecundia actus totius Eccleſiæ, & perſcrutantes diligentius, ſi quem videant vicinum fieri præcipitio, & proximum eſſe peccato, vt referant hæc ad Epiſcopum.* Et quoniam minora maioribus faſces debent ſubmittere, & à magnis Synodis minores iſtæ virtutem habent, ſi quam habent, earum eſt non tam noua ſtatuta condere, quàm in ſuperioribus Concilijs, putà Prouincialibus, aut Generalibus lata, ad Diœceſeos vſum, & neceſſitatem adaptare: quod in Hieroſolymitano ante obſeruauimus: hæc enim ad initium ſuum reduci, & ad certa atque vniuerſalia principia reuerti debent. Vtilitas autem eò maior, quò diſciplinam Eccleſiaſticam in ſingularibus expreſſius componunt, pericula & illecebras peccandi efficacius amoliuntur, labantes aut lapſos propius confirmãt, & eri-

*Quæ vis decretorũ, & vnde.*

S. Clem. ep. 1. ad Iacob.

& erigunt: proſunt denique omnibus dum ſingulis proſpiciunt. Quare iam olim ſtatutum in Diœceſano Antiſiodorenſi Concilio, *vt medio Maio omnes Presbyteri ad Synodum in ciuitatem veniant, & Kal. Nouembris omnes Abbates ad Conciliū conueniant.* In Aurelianenſi ſine temporis nota, idem Abbatibus imperatur, *vt ſemel in anno, in loco vbi Epiſcopus elegerit, accepta vocatione conueniant.* Quod tum fuit maximè neceſſariū, cum *pro humilitate religionis in Epiſcoporum poteſtate conſiſtebant, & ſi quid extra regulā feciſſent, ab Epiſcopis corrigebantur.* Nunc autem mutata eſt illa Monaſtici regiminis forma, & ad Prouinciales ac Viſitatores Regulares ea pars Epiſcopalis ſolicitudinis, volentibus ipſis Hierarchis traducta, vt ſequēte libro exponetur. Omiſſis igitur Abbatibus, vtinam Diœceſanus iſte conuentus fieret eo modo & ordine, quem ſapientiſſimè S. Caroli Borromæi zelus & virtus decreuit, duobus poſt Tridentinum abſolutum Mediolanenſibus Concilijs!

Concil. Antiſiod. can. 7.
Concil. Aurelia. ſi. can. 19. habetur 18 q. 2.
Abbates pro humilitate.
Concil. Mediol. 4. & 5. ſub S. Car. Borr.

---

*MINORUM PRÆLATORUM POTESTAS ET vis executiua declaratur.*

## CAPVT XIII.

CONSTITVTAS ab Apoſtolis particulares Eccleſias, quod eſt ſeptimum ſimilitudinis quæ modò exquiritur, caput, ſi taceret ſcriptura, ratio clamaret. Scribit enim ad Titum Paulus, *Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea quæ deſunt corrigas, & conſtituas per ciuitates Presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi.* Vnde deduco Apoſtolorum ſucceſſoribus curam illam poteſtatemque competere, vt vel per ſe, vel per alios *corrigant quæ deſunt* in priuatis Eccleſijs, *Presbyteros*, ſiue Rectores *conſtituant*; & omnia ritè ordinatéque *diſponant*, illiſque Preſbyteris imperent; quod executioni mandatum volent.

*Apoſtoli Presbyteros in Eccleſiis conſtituerunt.*
Tit. c. 1.

De his autem Pauli *Presbyteris*, ante omnia quærendum videtur, qui tandem ſint, & ſacrorum ſcriptorum excutienda Grammatica, quam ſibi Aurelius non omni ex parte cognitam fatebitur. Putat enim *nullum eſſe dubium quin de Epiſcopis agat Apoſtolus, vt ex contextu apparet.* At doctor Hallier de Parochis accipere mauult, ratione cui nihil poteſt Aurelius opponere, quod de illis Sacerdotibus præcipiat Paulus, qui à ſolo Tito poſſunt ordinari, cuiuſmodi Epiſcopos eſſe nemo dixerit, qui vel à limine Apoſtolorum Canones ſalutarit. Eodem refert quod Timotheo præcipitur, *qui benè præſunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo & doctrina.* Huic ego potiùs opinioni me addico, & de his vocabulis ita, non Grammaticè cenſeo. Sacerdotium vox quædam generica eſt, eos omnes complexa qui ſacra faciunt; nam eò propriè pertinet, vt vel demonſtrat S. Dionyſij loquendi modus, qui quoniam, vt dicturi ſumus, Hierarchiam ſuam omnem ad ſacrificium & aram refert, nunquam medium ordinem Peſbyterorum, ſed ſemper Sacerdotum nomine deſignat. Tres autem ſpecies, tanquam gradus ſub ſe videt, Sacerdotes ſummos & primarios, nimirum Epiſcopos, qui ſic in Patribus antonomaſticè ſæpe compellati: Sacerdotes ſecundi ordinis, qui & Presbyteri ſunt, propriè dicti: Sacerdotes denique, quos ad aliorum diſ-

*Per Presbyteros Paulus Parochos intelligit.*
Petr. Aur. in vindic. p. 245.
Hallier in vindic. p. 440. 441.
Canones Apoſt. c. 1.
1. Tim. 5.
*Sacerdotes diuerſa conditionis.*

crimen, ſimplices vocamus. Et quidem ſi de nomine lis eſt, confuſos ordines ſæpe videbis, vt omnes Sacerdotes, omnes Preſbyteri frequenter appellentur. At ſi rem ipſam diuidis, vt certum eſt in Eccleſiâ ſemper diſcretum fuiſſe ab Epiſcopo Preſbyterum, cum *Epiſcopum in Presbyteri gradum deducere, ſacrilegium* eſſe iudicet Synodus Chalcedonenſis; ſic aio Preſbyterum à Sacerdote ſimplici diſcernendum eſſe; & illum dici ſtrictè & propriè Preſbyterum, qui in ordinatione præfecturam aliquam accipiat, Parochiæ, Ptochodochij, aut Monaſterij: illum autem, Sacerdotem ſimplicem, qui nulli curæ, nulli populo addictus conſecretur.

Concil. Chalced. can. 29.

*Quo ſenſu ſimplices dicantur Sacerdotes.*

Sic ego ſimplicem intelligi volo Sacerdotem, cui nulla præter Sacerdotium dignitas, nulla præter ordinem poteſtas, cuius actio ordinaria in precibus & Sacrificio poſita ſit. Eodem ſenſu ſimplicem appellamus Religioſum, cui nulla in cæteros ſeu fratres, ſeu externos commiſſa ſit præfectura. Eo vocabulo in hac tota controuerſia, ſine cuiuſquam iniuria vtimur, illud apud Petrum Aurelium, & Franciſcum Hallier, vt cæteros omittam, crebrò legimus. Vt non ſatis æqua videri debeat Nicolai le Maiſtre, hominis alioqui modeſtiam profeſſi, exaggeratio in quoſdam è *Monaſtica tribu, qui pro re vili & abiecta Sacerdotium ducunt. Nam hoc peruerſo ſeculo dolendum maximè*, inquit, *quod in imum ordinem, ac vltima veluti ſubſellia Sacerdotes, tanquam viliſſima capita deturbantur, & in contemptum ſolent appellari Sacerdotes ſimplices: quaſi ſimplex ſit, & non quouis faſtigio maior ea dignitas, quæ comitem & Collegam habet Chriſtum*, &c. Qui Sacerdotes adeo contemnat, vt ſimplices pro viliſſimis & abiectiſſimis hominibus accipiat, ille mihi non Monachi, ſed Chriſtiani nomine indignus habeatur, tanquam Ethnicus & publicanus. Sed huic voci contumelioſam per ſe ineſſe ſignificationem equidem nunquam putaui, & qui illam affingant, credi poſſunt occaſiones quærere, vt diſcedant ab amico. Sed diuiſionem noſtram repetamus.

Nicolus le Maiſtre Inſtaurat. Epiſcop. Princip. l. 1. c. 14.

*Presbyteri propriè qui dignitatem & curam habent.*

Priorem dicti partem ex canonibus primùm ſtabilio, quibus vetatur Preſbyter aut Diaconus abſolutè ordinari; *niſi ſpecialiter Eccleſiæ ciuitatis, aut poſſeſſionis, aut Martyrij, aut Monaſterij, qui ordinatus eſt, pronuncietur.* Et in Canone Apoſtolico, (quem malè Hallier 15. citat, cum ſit 37.) *Si quis ordinatus Epiſcopus non ſuſcipiat miniſterium, & curam ſibi commiſſam, ſit ſegregatus, donec eam ſuſceperit: ſimiliter & Presbyter & Diaconus.* Affert idem Canonem Sardicenſem 6. vt probet *vnicum Presbyterum ſufficere, in pagis vel oppidis.* Qui ſenſus à mente Concilij alienus eſt; ſed hic verus, non eſſe ibi Epiſcopalem Cathedram inſtituendam, vbi ſufficit vnius Preſbyteri cura, *ne vileſcat nomen Epiſcopi & auctoritas.* Quicquid ſit, mihi certum eſt Patres illis temporibus eo animo fuiſſe, vt Preſbyteros propriè tantùm eos agnoſcerent, qui cum cura & dignitate conſecratentur. Idem deinde poſſum efficere ex Iſiodoro, dicente Preſbyteros *non pro ætate, ſed propter honorem & dignitatem nominari. Ideo autem Presbyteros Sacerdotes vocari, quia ſacrum dant, ſicut & Epiſcopi: qui licet ſint Sacerdotes, tamen Pontificatus apicem non habent.* Huc poteſt accedere Magni Etymologici auctoriras, vbi legitur πρέσβυς, ὁ πολίτης ἐντιμότατος. Item πρέσβεις, βασιλεῖς, ἄρχοντες ἐντιμότατοι. Ex quo apparet illi nomini poteſtatem ineſſe & auctoritatem, quam in Arelatenſi Synodo eximiam video, quæ decernit, vt *Presbyter Diaconum, vel Subdiaconum de ordine deponere neſcio ſuo Epiſcopo non præſumat.* Ante igitur præſumebat, auctoritate propria confiſus.

Canon 37. Apoſtol. male citatur ab Hallier in vin. p. 441. & can. 6. Concil. Sard. malè ab eodem explicatur.

Iſid. Orig. l. 7. c. 12.

Concil. Arelat. 5. can. 4.

Sed

Sed nihil magis illud declarat, quàm quod poſteriore loco propoſui, de Sacerdote ſimplice. Nam ſi oſtendero contra Franciſci Halliet aſſertionem, in vetere etiam Eccleſia, quoſdam ſine animarum cura, & titulo fuiſſe ordinatos Sacerdotes, nonne ſimul euicero, & non omnes ſecundi generis Sacerdotes, fuiſſe ſtrictè Preſbyteros, quod mea diuiſio poſtulat, & qui ſtrictè Preſbyteri dicantur, Parochos extitiſſe, quod aſſertione ſuperiori poſueram? Primùm igitur, quod ex Lucio Papa ante protuli, de duobus Preſbyteris Epiſcopum aſſiduè comitantibus, poteſt-ne commodè intelligi de ijs qui Parochiæ & plebi vni affixi ſint? Deinde cum dicitur in Concilio Carthaginenſi, vt *Presbyteri qui per Diœceſes Eccleſias regunt, à ſuis Epiſcopis Chriſma petant.* Si nulli alij forent Preſbyteri ſine Eccleſiarum regimine, foret-ne opus iſta additio & diſtinctio? Præterea ſi Sacerdotes omnes Preſbyteri fuerunt, id eſt Parochi, cur S. Dionyſius in totâ ſuâ Hierarchiâ nunquam Preſbyterum, nunquam Parochiam nominauit? Adde quòd in Laodiceno conſtituitur *non oportere in villulis, vel agris Epiſcopos conſtitui, ſed viſitatores*, ſeu ſint iſti, quod equidem arbitror, Chorepiſcopi: ſeu qui alij, certè περιοδευταὶ vocantur, interprete Zonara, *quod nuſquam propriam ſedem Cathedramque habentes huc illuc fidelibus in officio continendis concurſent.* Quid autem dicet Franciſcus de Hieronimo & Pauliniano eius fratre, & Vincentio, qui ſic ſunt ordinati, vt neque Antiochenæ, neque alteri addicerentur Eccleſiæ? Non erant illi legitimi Sacerdotes? aliquid ſuâ cauſâ fieri voluerunt contra Canones, contra receptam conſuetudinem, contra exempla vetuſtatis omnia? An verò in Eccleſia aliqua ordinari, eſt eius curam ſuſcipere? At ordinantur Diaconi, & quidem numero plures. Poteſt igitur aliquis eadem ratione Preſbyter Eccleſiæ Carthaginenſis, aut Alexandrinæ conſecrari, qui plus poteſtatis non obtineat, quàm ſimplex Sacerdos. Concludendum igitur eſt non fuiſſe veteribus ignotos ſimplices Sacerdotes, licet fateamur libentiſſimè pauciores numero extitiſſe, quàm Preſbyteros, de quibus iſta nobis ſuſcepta eſt diſputatio.

*Aliqui ſimplices Sacerdotes in vetere Eccleſia.*

Concil. Carthag. 4. can. 36.

Concil. Laod. can. 57.

περιοδευταί Zonar. in Concil. Laodic.

Hier. ep. 61.

Illi enim ſunt *Collegæ Epiſcoporum* appellati in citato Carthaginenſi Concilio: illi qui Epiſcopo aſſiſtunt in Eccleſia, cumque illo ſedent, *vt & ipſi pariter inducantur populum cum prouidentia inſpicere*, inquit Zonaras, *eiuſque mores componere, tanquam dati Collaboratores, & Coadiutores Epiſcopo*: illi nautæ eius nauis, cuius Proreta eſt Epiſcopus, qui *ſingula diligenter aptare debent ad inſtructionem nauis, & inſtruere quæ in ſuo tempore requirenda ſunt.* Hos, vt Apoſtoli locus à nobis explicatus, vt allati Canones, vt omiſſi, clarè & apertè loquuntur, conſtituit Epiſcopus. Neque enim minùs ab Epiſcopo immediatè iuriſdictionem modò accipiunt, quàm olim ab Apoſtolis; neque propriè quicquam mouent in officio ſuo, niſi moti. Non enim eſt illorum leges ferre, decreta condere: ſed condita promulgâre, imperare executionem, reluctantes coërcere: vt verè aures ſint & oculi, vt manus & pedes Epiſcopi. Nam vt ad imaginem familiæ recurramus, *Sanctum Sacerdotum* eleganter à S. Epiphanio dicitur *inferiorum ordinum vertex, mater ac genitrix*; & Sacerdotum apud S. Dionyſium munus eſt, admouere Catechumenum ad baptiſterium, quod eſt *mater adoptionis*. Locum igitur Matris familias in amplâ Chriſti domo implent Sacerdotes, Preſbyteri maximè. Monet autem Ariſtoteles familiæ matrem habere vim conſultandi, ſed *impropriam*, & mulieres omnes eſſe *mediam liberorum hominum partem*. Quapropter non incongruè dixero, ſummum Pon-

*Presbyterorum ſtrictè dictorum iuriſdictio quæ & vnde.*

Zonar. in can. 59.

Apoſtol. Clemens ep. 1. ad Iacob.

Epiphan. hæreſ. 75.

Dionyſ. c. 2. Eccleſ.

Ariſt. 1. de rep. c. vlt.

tificem habere per ſe primò iuriſdictionem, Epiſcopum per ſe non primò, minores Prælatos nec per ſe, nec primò; ſed ab Epiſcopo traditam & commiſſam, licet ordinariam: quia lege & ſtatuto datur non perſonæ, ſed officio. Hanc principalis & commiſſæ adminiſtrationis diſtinctionem docet D. Thomas, *Epiſcopi principaliter habent curam ouium ſuæ Diœceſis: Presbyteri autem Curati, & Archidiaconi habent aliquas ſubminiſtrationes ſub Epiſcopis.* (*Adminiſtrationes* deſcripſit Aurelius; quo conſilio? cogitandum relinquitur) *& ita ſi habent ad Epiſcopum, ſicut Balivi vel præpoſiti ad Regem.* Et infrà cuiuſdam alterius comparationis occaſione, *Presbytero Curato, vel Archidiacono non competit principalem curam ſubditorum habere, ſicut Epiſcopo: ſed quædam particularia circa curam animarum eorum officio committuntur:* Atque illud rectè notat Duuallius ex Gerſone, *Parochum immediatiùs attingere ſubditos, quam Pontificem Epiſcopos;* cui poſſumus addere, quàm Epiſcopum Parochos, vt quò lógius à capite deſcenditur, eò propius ad materiam & ſingularia accedatur. Ex his manifeſtum arbitror, quomodo præceptum Apoſtoli Epiſcopus impleat, Presbyteros conſtituendo, per quos quæ deſunt corrigat. *Quos autem præeſſe neceſſe eſt corrigendis, irreprehenſibiles eſſe conuenit: & longa debet vitam ſuam probatione monſtrare, cui gubernacula committuntur Eccleſiæ.* Atque eò potiſſimum totis viribus tendere, vt Hierarchicis gradibus & officijs diligentiſſimè conſeruatis, ad caritatem, & optabilem omnibus vnitatem, qui eſt finis Hierarchiæ, ſubditos omnes verbo exemploque perducant.

D. Th. 2. 2. q. 184. a. 6. ad 2. *Aurelius unfideliter locum citat* in vind. p. 372.

Ibid. q. a. 8.

Duuall. li. de poteſt. Pontif. 1. P. q. 8.

Horm. ep. 3. c. 1. habetur diſt. 61. c. in Sacerdotibus.

---

## *DE ANTIQVORVM CHOREPISCOPORVM honore & iuriſdictione breuis diſſertatio.*

## CAPVT XIIII.

Ne hoc quidem loco ab Apoſtolorum antitypo diſcedam, in veterum explicatione Chorepiſcoporum, ſi eos ad Septuaginta duorum diſcipulorum formam redigere velim, quam Neocæſarienſis Canon illis aſſignat. Sed de diſcipulis, alio commodiùs loco; nunc ſolos tango Chorepiſcopos, rem deſitam, & ab antiquo antiquatam. Tria de illis quæro, dignitatem, ſeu ordinem; officium, ſeu poteſtatem; ſucceſſionem, ſeu, an modò ſint in Eccleſiâ eorum aliqui ſucceſſores?

*An fuerint Epiſcopi.*

De ordine inter auctores non conſtat. Negant nonnulli fuiſſe verè proprieque Epiſcops; plures potioreſque affirmant. Quos inter recentium Iuriſconſultorum non poſtremus Iacobus Duarenus de ijs ſic diſſerit. *Antiquitus cum Epiſcopi otio, vt veriſimile eſt, ſuo conſulere vellent,* (otium intellige ſacrum cum dignitate, & ſtudio contemplationis, quæ pars eſt Epiſcopalis curæ præcipua) *Vicarios quoſdam Epiſcopos* (*vicanos* fortaſſe voluit ſcribere) *ordinare ſolitos fuiſſe, qui vulgò Chorepiſcopi dicebantur: quaſi* χωρικοὶ *ruſtici Epiſcopi, quia non in ciuitate, ſed per vicos & pagos nomen Epiſcopi quadantenus gerebant. Nam Lectores, Exorciſtas, cæteroſque inferioris ordinis Clericos ordinare ipſis licebat, non Presbyteros aut Diaconos.* Non ſatis vt videtur apertè ſe prodit Iuriſconſultus hic, verè-ne & perfectè putet Epiſcopos extitiſſe; in negantem tamen partem propendet, licet aliud principio orationis oſtentet. Nam cum Epiſ-

Duaren. l. 1. de ſacris Eccl. min. c. 9.

coporum

coporum poteſtas imminui diuidique non poſſit, qui Epiſcopos *quadantenus* eſſe, qui maiores ordines conferre non poſſe aſſerit, is profectò Epiſcopalis characteris amplitudinem in iјs non agnoſcit. Hoc monitum volui, quia ſic plurimos & loqui video & ſentire; vt non plures duabus hac in controuerſia, opiniones numerandæ eſſe videantur.

*Aliqui ex illis Epiſcopi fuerunt.*

Ego me inter eas quaſi arbitrum quid interponam? Permittent me tamen magni viri animum explicare. Neque omnes puto Chorepiſcopos Epiſcopali dignitate & ordine fuiſſe præditos, neque nullos: ſed hoc dico, ſi rem, ſi nomen, ſi officium præcisè ſpectas, Epiſcopos non fuiſſe: ſed aliquos aliunde ordinatos Epiſcopos ad Chorepiſcopatûs officium deſcendiſſe. Quod poſtremum mihi probat vel vnus Nicænus Canon, recognitus etiam ab Patribus Africanis in Concilio Carthaginenſi. *De his qui ſe Catharos nominant, ſi aliquando venerint ad Eccleſiam Catholicam, placuit ſancto, & magno Concilio, vt impoſitionem manus accipientes, ſic in clero permaneant. Is autem qui nominatur apud eos Epiſcopus, honorem Presbyterij poßidebit, niſi forte placuerit Epiſcopo, nominis cum honore cenſeri: ſi verò hoc ei minimè placuerit, prouidebit ei aut Chorepiſcopatûs, aut Presbyterij locum, vt in clero prorsùs eſſe videatur: ne in vnâ ciuitate duo Epiſcopi probentur exiſtere.* Quem canonem Antiochena Synodus paulò dilucidius explicat. *Qui in vicis vel poſſeßionibus Chorepiſcopi nominantur, quamuis manûs impoſitionem Epiſcoporum perceperint, & vt Epiſcopi conſecrati ſint, tamen ſancta Synodo placuit, vt modum proprium recognoſcant.* Hunc Canonem cum Ancyranò commiſcens Harmenopulus, vetitum ait Chorepiſcopo *abſque permiſſu Epiſcopi Presbyterum vel Diaconum ordinare.* Quo monſtratur euidenter Epiſcopali præditum charactere, in vſu poteſtatis Epiſcopo fuiſſe ſubiectum. Et ante vtrumque Concilium, Laodiceæ ſtatutum fuerat. *Quod non oportet in vicis & pagis Epiſcopos conſtitui, ſed Periodeutas; eos autem qui prius conſtituti fuerunt, nihil agere ſine mente Epiſcopi, qui eſt in ciuitate.* Iſtud igitur decretum præceſſerant Epiſcopales aliquæ eorum conſecrationes.

Concil. Nicæ. can. 8. Carth. 6. *Paulum aliter refertur* io Harmen. ſect. 3. tit. 5.
Concil. Antioch. can. 10.
Concil. Ancyran. can. 13. apud Harmen. ſect. 1. tit. 9.
Concil. Laod. can. 57.

*Alij Epiſcopi non fuerunt.*

Fuiſſe autem Epiſcopalis ordinis & characteris expertes eorum quamplurimos, ex iјſdem canonibus diſcere mihi videor; cum in Antiocheno producto, decernatur *vt fiat Chorepiſcopus ab Epiſcopo ciuitatis cui ſubiicitur.* Certum eſt autem verum Epiſcopum à pluribus, non ab vno ordinari. Deinde locus vbi conſecratur, Epiſcopum iuxta canones non recipit. Non enim ordinatur in ciuitate, *ne duo Epiſcopi probentur exiſtere.* Neque *in agris & pagis*, aut in caſtellis & oppidis oportet Epiſcopos conſtitui, in quibus tamen, vt patet vel ex nomine, Chorepiſcopus tantùm locatur. Has rationes fuſius vrget Damaſus, in epiſtola quæ ſpuria creditur; quamque Duârenus antea citatus *verboſam*, non ſine iudicio & ratione appellat: eas tamen inde petes, ſi òtium eſt, non quia dixerit Damaſus, ſed quia probæ ſunt rationes. Eſt autem germana, taliſque ab omnibus, ipſiſque Gallicanis Antiſtitibus agnoſcitur Leonis magni epiſtola, qua ſacrorũ Canonum ignaros coarguens Epiſcopos, docet eoſdem eſſe Chorepiſcopos cum Preſbyteris, qui miniſteria quidem aliqua communia cum Epiſcopis habent, ſed non illa ſublimia, & eximiè Hierarchica. *Hæc enim omnia illicita ſunt Chorepiſcopis, qui ad exemplum & formam ſeptuaginta diſcipulorum eſſe noſcuntur, vel Presbyteris, qui eandem geſtant formam, quoniam quanquam conſecrationem habeant, Pontificatus tamen apicem non habent.*

Concil. Antio. cit.
*Epiſtola Damaſi de Chorepiſcopis, ſpuria.* Duar. cit.
S. Leo ep. 88.

Tranſeo ad poteſtatem, quæ tota quanta eſt agris continetur, ciuitatem

*Quæ fuerit*

*eorum poteſtas.* non attingit; eſt enim *Villanus Epiſcopus*, vt ibidem dicitur, id eſt, Ruſticanus.
Qui Epiſcopi erant ordinati, conſecrare & Preſbyteros, & inferiores ordines
Concil. poterant, cum Epiſcopi conſenſu. Sic Antiochenum canonem explico. *Con-*
Antioch. *ſtituant autem Lectores, Hypodiaconos, & Exorciſtas: & eorum promotionem ſufficere*
can. 10. *exiſtiment:* (ſuâ videlicet auctoritate factam, nullâ Epiſcopi veniâ, quod &
cuilibet Chorepiſcopo conceſſum eſt horum Conciliorum canonibus) *nec*
*Presbyterum nec Diaconum ordinare audeant, abſque vrbis Epiſcopo, cui ſubijcitur*
*ipſe, & Regio.* Habent igitur iſti ordinem quo conſecrare poſſint, ſi conſen-
ſerit Epiſcopus. Deinde viſitandi ius præcipuum habuerunt, vt ex Laodiceno
Concil. Laodi. cit. patet, cui Periodeutæ dicuntur: & apertiùs ex Nicænis canonibus Arabicis,
Concil. vbi in Chorepiſcopi electione proclamatur, *Nos eligimus talem in Chorepiſco-*
Nicæn. can. 54. & *pum, qui habeat totam poteſtatem in nos.* Electus poſteà, & ab Epiſcopo ordina-
55. Arabico. tus, eligit *viros idoneos quos Eccleſijs & Monaſterijs præficiat*; proficiſcitur dein-
de ad *viſitandas Eccleſias & Monaſteria, vt videat an deficiant fratres & ſorores,*
*inſtituit miniſtros, diſtribuit pueros per Eccleſias & Monaſteria, vt diſcant, & fiant*
*inſtrumenta apta ad ædificandum miniſterio ſuo Eccleſias ac Monaſteria, ac loca alià*
Ibid. can. 60. *quæ eorum operâ indigebunt.* Additur alio præterea Canone. *Non licet vt vllus è*
*Clero miniſtret in Eccleſiâ* (putà Ruſticanâ) *ſine licentia Chorepiſcopi: quandoquidem*
*ipſe eſt Caput illorum. Nec Epiſcopus, nec vllus alius Sacerdotem ordinare debet* (intel-
lige ordinatum ſeu conſecratum certæ Eccleſiæ affigere) *neque Religioſum fa-*
*cere, niſi præſente Chorepiſcopo.* Vt is illi potiſſimùm ordinationi conſentiat, in
cuius commodum & vtilitatem ceſſura eſt. Breuiter definiunt Patres Regen-
Concil. Regenſ. ſis Concilij, pro Armētario temerè ordinato, quem ab Epiſcopatu depoſitum,
can. 5. ornant Chorepiſcopatu. *In Eccleſia in qua ordinatus fuerit, conſecrandi Virginem,*
*ſicut confirmandi Neophytum ius habebit, & per omnia ſemper ſe inferiorem Epiſcopo,*
Concil. *ſuperiorem Presbytero agat.* Deinde ſolus eo priuilegio per Antiochenos Patres
Antioch. inſignitus eſt, vt Formatas, ſeu pacificas litteras in aliam Diœceſin migranti-
can. 8. bus dare poſſit: quanquam id ei in literis S. Leonis inconceſſum legamus. Per-
mittitur autem tantùm Preſbyteris, vt priuatas Epiſtolas ad Epiſcopos vici-
nos concedant: quo in Canone vna è Verſionibus *Vicarios Epiſcopi* appellat,
Concil. *qui à Græcis Chorepiſcopi vocantur.* Decernitur etiam in Nicæno citato, vt Cho-
Nicæn. repiſcopus, & Archidiaconus, ſedente in Eccleſiâ Epiſcopo, ante Sacerdotes,
can 56. Arab. Diaconos, & quoſuis Clericos ſedeant: *quia ſunt tanquam duæ manus, & duæ*
*Alæ, quibus Epiſcopus volat.* Ambulante autem Epiſcopo dexteram Archidia-
conus, (tanquam nobilior, *nutritus in ciuitate*) ſiniſtram Chorepiſcopus te-
gant: *& Epiſcopus ſit inter eos, tanquam Pater in medio Filiorum.* Et quoniam in
Ibid. can. 54 Arab. agris habitauit, vltima eius cura fuit efficere, *vt in omni caſtello & paruâ villâ*
*eſſet aliquis qui colligeret prouentus Epiſcopo. Si quidem ad eum pertinet, vt faciat elee-*
Damaſ. epiſt. 5. *moſynas pauperibus & peregrinis, & reercet Sacerdotes egentes.* Quare Damaſus vult
Concil. eos in primitiuâ Eccleſiâ neceſſarios fuiſſe, *Propter ſtudium quod erga pauperes*
Neoc. can. 13 citatur à Zacharia Papa ep. 9. c. 4. *exigebant.* Et Neocæſarienſis Canon eos honore dignandos tradit, propter ſtu-
dium in pauperes: quaſi mens ea ſit Concilij, vel maximam Chorepiſcopo-
rum prouinciam eſſe in pauperes, vel ob eam maximè, aliquo dignitatis gra-
du in Eccleſia dignos videri.

*Qui ſint illorum ſucceſſores.* Hoc officij genus abrogat illa Damaſi Epiſtola, tanquam *ſuperbum & ſu-*
S. Leo ep. 88. *perfluum.* Sed inde eius fides vacillat, quod longè poſtea Leonis magni tempo-
ribus, ſuperſtites extitiſſe, & Pontificalia quædam munera ſibi arrogaſſe

leguntur

leguntur Chorepiſcopi. Ex quo & illius Epiſtolæ vanitatem argues, quæ Ioanni III. adſcripta, prohibitum ait, & *funditus extirpatum, tam à S. Damaſo, quàm à S. Leone, atque ab vniuerſis Synodali auctoritate Epiſcopis, reprehenſibilem & inolitum vſum Chorepiſcoporum.* Deſijſſe tamen labentibus ſeculis ordinem illum, &, vt ſunt res humanæ, ſponte ſuâ dilapſum videmus: neque apparet in quæ officia Eccleſiaſtica defluxerit. Partem illius muneris decerpſiſſe videntur Suffraganei, qui modò vocantur, Vicarij Epiſcoporum, Decani Rurales, Parochi Ruſticani: & omnium maximè Archidiaconi, qui etiamnum oculi ſunt Epiſcoporum, & cum poteſtate ſibi ſubditos Parœcos viſitant & coërcent. Pro Parœcis tamen, pugnat Hallier: & euincat ſanè cupio: quid enim noſtra intereſt, modò conſtet Hierarchia? Sed duo mihi diſplicent, primùm quòd ſibi non conſtat; alterum quod nihil probat. Inconſtantia eſt in eo quod nonnunquam indefinitè pronuntiat, vultque intelligi à nobis Chorepiſcoporum nomine Parochos omnes accipi debere; nonnunquam ad Decanos Rurales ſe conſtringit. Deinde Chorepiſcopos, agrorum Preſbyteros interpretatur, & Preſbyteros omnes facit illis ſuccedere; omnes ergo Parœci, etiam vrbani, ſunt agrorum Preſbyteri. Præterea ſi Chorepiſcopi ſunt Periodeutæ ſeu Viſitatores, quomodo id maximè Decanis ruralibus applicat, qui viſitandi ius nullum habent? Infirmis autem vtitur rationibus; quia iſtam è duabus vrget potiſſimùm, quod Chorepiſcopi dicantur Septuaginta duobus Diſcipulis ſuccedere: quod idem cum de Parœcis dicatur, concludit Parœcos, eſſe Chorepiſcopos. Id concederem ſi ſoli ſuccederent, & quidem in totam eorum poteſtatem; quorum vtrumque argumentis alijs debet extorquere, ſi meum ſperat aſſenſum. Ratio altera ducitur ex auctoritate illius Pſeudodamaſi Epiſtolæ, quæ & leuiſſima per ſe eſt, & id dicit quod ipſi minimè fauet, cum Chorepiſcoporum ordinem cupit exterminatum. Hinc enim vrbanior aliquis aduerſus Doctorem facilè concludat, velle ipſum Parœcos, id eſt Chorepiſcopos, *ſuperbum & ſuperfluum* hominum genus, penitùs extinctos: quæ profectò Franciſci mens non eſt; vt homini minimè malo ſuccenſere Parœci non debeant, ſi malè bonam cauſam agit. Sed nimirum ſeipſo ſapientior & doctior, in poſteriori opere, inter multa de Chorepiſcopis, nuſquam eos cum Parœcis, ſed cum Epiſcoporum Vicarijs & Archidiaconis comparat: vt hanc ſciamus eius eſſe opinionem, & pro veritate vincant δίυτεαι φορτίδος σοφώτερα.

— *Ioan. 3. epiſt. quæ habetur tom. 2. Concil.* — *Non Parœci, contra Franc. Hallier in vind. p. 573 & ſeq.* — *Tacitè retractat opinionem in opere de ſacr. ordin.*

---

## *REFERVNTVR ERRORES NONNVLLI, QVIbus Hierarchica Iuriſdictionis ordo à nobis propoſitus, perturbatur.*

### CAPVT XV.

REPERTOS aureo naſcentis Eccleſiæ ſeculo Apoſtolici ordinis obtrectatores, & diuinæ caritatis quâ ſe fideles omnes complectebantur, per ambitionem & typhum inſolentem perturbatores, illuſtri exemplo docet Apoſtolorum mitiſſimus, cum excuſat quòd Eccleſiæ non ſcripſerit, quoniam *is qui amat primatum gerere in eis Diotrephes, non recipit nos. Propter hoc ſi venero, commonebo opera eius quæ facit, verbis malignis*

— *Apoſtolicis temporibus Hierarchiæ ordo impugnatus.* — *Ioan. ep. 3.*

*garriens in nos*. Eodem laborauit morbo Simon Magorum Coryphæus, qui cum ſe parem Apoſtolis, edendis pro fide miraculis, non poſſet efficere, ad ſummam impietatem digreſſus, *magicis præſtigijs* non iam Samaritanos, ſed orbem vniuerſum *dementans*, *ſe magnam Dei Virtutem*, & Sanctum Deum, adeoque Apoſtolis longè ſuperiorem dici & credi voluit. Itaque veniet in hanc octauo loco cum Apoſtolis ſimilitudinem auguſtiſſimus Epiſcoporum ordo, plures vt eius dignitatem ſchiſmatici atque hæretici obterere voluerint, aut eum calumnijs proſcindendo, aut eius gradum cæcâ atque impotenti ambitione affectando.

Act. c. 8.

*Patriarchæ aliqui aduersùs Papam inſolentes.*

Concil. Chalced. act. 3.

Nam vt ab ipſo capite ducam exordium, Dioſcorus Alexandrinus ad cætera ſua flagitia id addidit, vt etiam Leonem Pontificem Romanum anathemati in Synodo prædatoriâ Epheſina ſubijceret: quod cum orbis Chriſtianus tolerare non poſſet, Chalcedone damnatus & ſede deiectus eſt, ſcribente Concilio. *Et forte ſuper tantis ac talibus iniquitatibus veniam adipiſci potuiſſet, &c. Sed quoniam ſuper alias ſuas nequitias, & aduerſus ipſam Apoſtolicam ſedem latrauit, & excommunicationis literas aduersùs ſanctiſſimum & Beatiſſimum Papam Leonem facere conatus eſt.* Notanda vox, non fecit, ſed *facere conatus eſt*, vt ſi cœlum inuadere, & Deum de ſolio exturbare gigantæa ſtoliditate moliretur. Idem poſtea non ſecundiore exitu tentauit Photius, vir omnibus ſceleribus coopertus, cum *ex Epiſcopis ſibi ſubiectis, alijſque nonnullis fœdis & ſordidis homuncionibus, ſuppoſititijs item Patriarcharũ Orientalium Legatis, Pſeudo-Synodum inſtituit, & exauctorationem ut putabat, atque anathema nullam veram ob rationem in Nicolaum Papam pronunciauit.* Eminentiſſimis quoque Cardinalibus conuicium facit ſchiſmaticorum huius ſæculi anteſignanus Antonius de Dominis, cuius hæc eſt apud Coëffetæum quetela. *Cur omiſſis veris Cardinalibus, hoc eſt, vero & propriò Romano Clero, nouum quendam Ordinem Cardinalium externorum, Papæ in ſuam Eccleſiam inuexerunt? nonne ipſius proprij Canonici, (reuera de iure Cardinales) Eccleſia Lateranenſis, ſunt maximè proprij ipſius Conſiliarij?* Gallis & Germanis inuidet hic homo Pontificis odio, & delibatum orbis Chriſtiani florem in vniuerſalis Eccleſiæ Capitulum adlegi moleſtè fert: quaſi non ſit æquiſſimum, ſenatum omnibus imperaturum, conflari ex omnibus. Omitto VVicleffi & Huſſij deliria, à Nouatoribus noſtris ſtrenuè ardenterque renouata, quibus non aliqua pars Hierarchici ſtatus, ſed ipſa tota Hierarchia imbecillo conatu, & puerili impetu tentatur.

*Nicetas in vita S. Ignatij C. P.*

*Contra Cardinales S. R. E. Anton. de Dominis.*

Coëff. l. de Mon. Ecc. diſcuſſ. c. 5. l. 4.

*Epiſcopis ſe exæquant Chorepiſcopi apud* Damaſ. & Leon. ep. 88.

Iam ipſos Epiſcopos aggreſſi non pauci, nihil aliud quàm dedecus & infirmitatis ſuæ contemptionem retulerunt. Eorum primos facio Chorepiſcopos ipſos, qui nollem ab Hallier Parœci vocarentur. Ij enim Epiſcopis pares incedere, Epiſcopalia obire munia, erigere altaria, chriſma conficere, quæ denique ſolis Pontificibus debentur, ſibi vſurpare volebant, niſi ſalubri aut Damaſi, aut Leonis admonitione repreſſi fuiſſent. Vide fuerint-ne Chorepiſcopi, aut Parœci, Preſbyteri illi, contra quos Martyr Cyprianus ſcribebat, *quod enim non periculum metuere debemus de offenſa Domini, quando aliqui de Preſbyteris nec Euangelij, nec loci ſui memores, neque nunc ſibi præpoſitum Epiſcopum cogitantes, quod nunquam omninò ſub anteceſſoribus factum eſt, cum contumelia & contemptu Præpoſiti, totum ſibi vendicant.* Aërius etiam apud S. Epiphanium omnes penitùs Sacerdotes Epiſcopis æquare ſtuduit. *Quanam*, inquit, *in re Epiſcopus Presbytero antecellit? Nullum inter vtrunque diſcrimen eſt; eſt enim amborum vnus ordo,*

*Presbyteri Africani apud* Cyp. ep. 10.

Aëriani apud Epiphan. hæreſ. 75.

*ordo, par & idem honor ac dignitas. Manus imponit Epiſcopus; imponit & Presbyter. Baptizat Epiſcopus; idem facit & Presbyter. Diuinum omnem cultum adminiſtrat Epiſcopus; non minùs id facit & Presbyter. Epiſcopus in throno ſedet; ſedet & Presbyter.*

*Ioannes CP. Patriarcha.*

Non abſimili vulnere noſtram Hierarchiam & nobiliſſimâ ipſius capita cruentabat olim Ioannes ille Ieiunator Patriarcha CP. cum Oecumenici ſeu Vniuerſalis ſibi titulum aſſumebat. Hoc enim volebat homo arrogans, vnum ſe Oriente toto Pontificem & eſſe & exiſtimari debere: cæteros tanquam à ſe delegatos non propria, ſed ſua ipſius poteſtate atque auctoritate inſtructos eſſe: & quaſi alios omnes Epiſcopos exaugurare, *temerarium nomen*, vt appellat S. Gregorius, ſoli ſibi vindicabat. Et quanquam iure capitis vniuerſæ Dei Eccleſiæ præſideant Romani Pontifices, tamen *nullus eorum vnquam hoc ſingularitatis vocabulum aſſumpſit, nec vti conſenſit: ne dum priuatum aliquid datur vni, honore debito Sacerdotes priuarentur vniuerſi.* Non enim ſolos ſe faciunt, qui alios pro fratribus & adiutoribus habent.

*Greg. l. 4. ep. 38. ind. 13. Ibid. ep. 32.*

*Kelliſonus apud Loëm. admonit. ad lect. l. Danielò à Ieſu præfixa.*

Poſſum hic addere propoſitiones, quas ex Anglo Doctore Kelliſono, colligere ſe ſcribit Loëmelius. *Sacerdotes ſeculares eſſe iure diuino gubernatores Eccleſia.* Atqui ne Parochos quidem ipſos conſtat diuino iure curam ouium ſuarum poſſidere. Cur autem Eccleſia omnibus ſe illis ſine diſcrimine gubernandam non tradit? Aut cur non ipſi Sacerdotes ſimplices diuino iure ſecuri in Prælatorum officium cathedraſque inuolant? Quid verò primis ſeculis agebat Eccleſia, cum Sacerdotes ſeculares proüt modò ſtrictè appellantur, nulli prorſus erant? *Omnes Paſtores, & ſpecialiter eos qui mittuntur in miſſionibus ad conuertendas animas, Apoſtolis ſuccedere.* Nihil igitur habent ſupra Presbyteros Epiſcopi præcipuum, ſi, quod verè diximus, Apoſtolicæ ſucceſſionis titulus totam iſtorum dignitatem implet & exhaurit. Quos autem vult eſſe *Paſtores* illos *qui mittuntur in miſſionibus*? Non certè Epiſcopos, qui mittunt ipſi: non Parochos, qui Eccleſiæ ſuæ, vt aſtra cœlo, ſunt affixi. Sacerdotes igitur ſimplices ſiue ſeculares, ſiue regulares (nam & hos mitti ad infideles oculis noſtris credimus) qui ordinaria nulla poteſtate præditi ſunt; quibus temporaria iuriſdictio committitur; qui in momenta ſingula pendent à mittente, vt à fonte riuuli, vt à ſole radij, Paſtores in Eccleſia eſſe dicuntur nouo vocabulo, & Angelis ipſis inconceſſo, quos ita miſſos, & quidem ex nomine, proprioque officio miſſos, Paſtorum appellatione non dignatur Petrus Aurelius, Anglicanarum partium quas Kelliſonus tuetur, aduocatus. *Seminariſtas Anglos habere altiſſimam vocationem quæ eſt in Eccleſia Dei.* Etiam-ne ſupra Hierarchas, & ipſorum principem? *Non eſt ſeruus maior domino ſuo, neque Apoſtolus maior eſt eo qui miſit illum. Sine vlla autem contradictione, quod minus eſt, à meliore benedicitur.* Quæ verò nota vocationem Anglorum ſupra Gallorum aut Germanorum qui mittuntur vocationem, tanto effert interuallo? Quis operas extraordinarias ordinarijs, quis miſſionarios Parochis vnquam in Eccleſia præpoſuit?

*1. Propoſitio refellitur.*

*Secunda propoſitio.*

*Tertia propoſitio.*

*Ioan. c. 13. Hebr. c. 7.*

Has ergo, ſimileſque propoſitiones in hoc controuerſiâ Theologorum Pariſienſium cenſuram omnibus modis promeritam, non dubito fuiſſe incurſuras, ſi quis examinandas obtuliſſet. Præſertim cum vniuerſus eorum ordo Richerij libellum, quo Eccleſiaſticam poteſtatem non Hierar-

*Richerius apud Duuall. li. de Pontif. poteſt. ſtatim initio.*

chicè explicuerat, *cenſurâ notaſſet, niſi auctoris artibus retardatus & impeditus fuiſſet*, vt narrat Duuallius: qui tamen refert Prouincialium Conciliorum decreta duo à Pontifice Paulo V. confirmata, quibus ea doctrina proſcripta eſt. Quam licet explicando mollire conetur Hallier; ne tamen labes illa ad clariſſimam facultatum adhæreſceret, pijs ſociorum admonitionibus & exemplis reuocatus Richerius, generoſa humilitate palinodiam & viuus ſcripto, & moriens facto cecinit. Scimus enim legatam ab eo Mendicantium ordinibus pecuniam, ſic venerandis illis Patribus oblatam, vt ea diceretur teſtator, non precum ſuffragia redimere voluiſſe, ſed illud indicare, pertæſum prioris ſententiæ, mori ſe communionis Eccleſiæ Catholicæ Romanæ participem.

*Richerium Hallier explicat in vindic. p. 22.*

*Qui & ſententiam retractauit.*

*Diaconi Presbyteris ſe præponunt ex Concil. Niceno & Trullano.*

Eò quoque ambitionis furor & veſania proceſſit, vt reperti ſint Diaconi, qui ſe Presbyteris æquales haberi vellent, imo ſuperiores; vt qui Sacramenta ipſis porrigerent, ante ipſos ſederent, quam *tyrannicam audaciam* appellant Patres Trullani. Imo etiam, quod horribilius eſt, ante Epiſcopos oblata contingerent, & Sacramenta ſumerent: eaque vecordia ſæpe repetitis Conciliorum tum Generalium tum Prouincialium canonibus fuerit coërcenda, quos in Gratiano ſpectabis. Notat tamen ad Canonem Trullanum Harmenopulus, Chartulario S. Sophiæ Conſtantin. conceſſum, tum ex longa conſuetudine, tum Michaëlis Imperatoris ſcripto, vt in externis Synodis ante Pontifices ipſos ſedeat, quæ mera Hierarchici ordinis perturbatio eſt. Interrogatur quoque Balſamon ab Marco Alexandrino, de Lectore, qui quòd temporalium Monaſterij bonorum adminiſtrationem haberet concreditam, Sacerdotes & Clericos vellet præcedere; & poſt Monaſterij præfectum, inter ſacra nominari. Cui reſpondet doctus Antiſtes, ſuperbiam illam dominicis aduerſari præceptis, niſi forte cum apud exteros Abbatis vicem gerit, velud locum obtinens eius qui mandauit ei munus.

Diſt. 93. multis capitib. Harmen. in Epit. ſect. 1. tit. 4. Balſam. li. 1. reſponſ. ad Interr. 61. apud Harmenop.

## *DIFFICILIS AD HOC PROPOSITUM S. Hieronymi locus commodè explicatur.*

## CAPUT XVI.

*Wicleffus Epiſcopos voluit abrogare apud* Waldenſ. l. 2. doctr. fid. a. 3. c. 60.

SOLEM de mundo, id eſt Epiſcopos ab Eccleſiâ tollere ſeputauit VVicleffus, cum apud VValdenſem diceret, *vnum audacter aſſero, quod in primitiuâ Eccleſiâ, ut tempore Pauli, ſuffecerunt duo ordines Clericorum, ſcilicet Sacerdos atque Diaconus, quod Hieronymi profundi Theologi auctoritate*, in iure canonico publicatâ, probare ſe iactat hominum ſpurciſſimus, & ſacrum illud nomen appellare indigniſſimus. Vt igitur Doctoris tanti patrocinium aduerſus hæreticum ſuſcipiamus, qui nullis va-

quam pepercit hæreticis, eius loci verba promenda ſunt, qui crucem fixit omnibus, & viciſſim ipſe vexatur ab omnibus. *Idem eſt*, inquit, *Presbyter qui Epiſcopus, & antequam diaboli inſtinctu ſtudia fierent in Religione, communi Presbyterorum conſilio Eccleſiæ gubernabantur.* Et infra, *ſicut Presbyteri ſciunt ſe Eccleſiæ conſuetudine ei qui ſibi præpoſitus fuerit, eſſe ſubiectos: ita Epiſcopi nouerint ſe magis conſuetudine, quàm diſpenſationis dominicæ veritate Presbyteris eſſe maiores.* Omitto interiecta plurima, vt & præcedentia, quæ inferius erunt à nobis adducenda. Idem alia orationis forma tradere videtur Doctor eruditiſſimus Epiſtolà ad Euagrium, vecordiam alicuius reprehendens, qui *Diaconos Presbyteris, id eſt, Epiſcopis anteferebat*: indignanſque quòd aliquando *Romæ vidiſſet Diaconum inter Presbyteros ſedere, & in domeſticis conuiuijs benedictiones coram Presbyteris dare.* Illo enim loco Presbyterorum dignitatem mirum in modum effert, cum in primis aſſerit & probat, apud Apoſtolum eoſdem eſſe *Presbyteros & Epiſcopos, & aliud ætatis, aliud dignitatis eſſe nomen.* Deinde in remedium ſchiſmatis è Presbyterorum Collegio electum vnum cæteris præpoſitum fuiſſe. Præterea, excepta ordinatione fieri eadem à Presbyteris & Epiſcopis. Quam ſententiam pene ex verbo expreſſam alicubi leges in Chryſoſtomo: eſſe autem vbique terrarum æquales inter ſe Epiſcopos, cum omnes Apoſtolorum ſucceſſores ſint. Denique Diaconos ob paucitatem, vt alia quæ rariora ſunt, honorabiles æſtimari, Presbyteros multitudine fieri contemptibiles.

Hieron. in ep. ad Tit. c. 1.

*Alius locus Hieronymi ex* ep. 85. ad Euagr.

Chryſoſt. hom. 11. in epiſt. 1. ad Timoth.

Ad hæc omnia quæ ſatis implexa & perturbata ſunt, diuerſi diuerſa reſpondent. Michaël Medina dicere non veretur in Aërianorum opinionem diſceſſiſſe Hieronymum. Malè & iniurioſè in Eccleſiæ Doctorem; vendicatque illum Bellarminus. Nam cui perſuadebit vigente tum adhuc Aërio, & ſectam ſuam, quàm Epiphanius *furioſæ & immanis* titulo infamat, ſtudioſè propagante: eandemque ſectam eodem Epiphanio, per ſcripta Eccleſiæ toti notiſſima, ipſi Hieronymo familiaria confutante, Doctorem hunc noſtrum nihilo ſecius ea ſcribere voluiſſe, quæ eidem fauerent plurimùm, iiſdem cum illo Apoſtoli locis vſum, eadem argumenta inculcaſſe? Illum Hieronymum hæreticorum maſtygem & hoſtem ſempiternum, cuius verba & apices omnes æmuli excuterent: cui de tranſlatâ præter vulgarem lectionem Hebræâ voce litem mouit Auguſtinus. Hæc impunè dixiſſe hominem audiente Hieroſolymitano Antiſtite, quem vt Origenis ſectatorem inſectabatur, legente orbe vniuerſo, conniuentibus Epiſcopis, dormiente Rufino?

*Diuerſa doctorum explicationes.*

Medina lib. 1 de ſacr. hom. ori. & contin. c. 5.

*Confutatur Medina Hieronymum arguens hæreſeôs.*

Modeſtius excuſanti Bellarmino; videtur vir ſanctus & doctus nihil conſtanter ac certò hâc de re pronunciaſſe, cum loci pugnantes in eo non pauci reperiantur. Vaſques autem præterea productis alijs ex eodem locis, agnoſcit hanc fuiſſe Hieronymi ſententiam, Epiſcopos Presbyteris non ex Chriſti, ſed ex Eccleſiæ inſtitutione præpoſitos. Nimius ſim ſi omnes velim perſequi. Poſtremus Franciſcus Hallier, poſt multa de Hieronymo dicta & implicata; ſubdit tandem ſubtiliter, at non æquè ſolidè, diuina diſpoſitione per ſe intentâ æquales omnes fuiſſe inuicem, & alterum alteri inſeruiſſe. At ſecundariò, & ex ſuppoſitione peccati intentâ diſpoſitione, fuiſſe inuentum ab Apoſtolis, vt vnus cæteris præponere-

Bellar. lib. 1. de Clericis c. 15.

Vaſq. in 3. P. diſ. 240. c. 1. tom. 3.

Hallier in vin. p. 197.

*Nouam & periculoſam explicandi Hieronymi viam excogitat.*

tur. Et hoc velle Hieronymum. Quod ne per ſomnium quidem vnquam cogitauit; & Ariſtocratiam ſapit: quaſi primaria Dei voluntas & intentio non fuerit, Eccleſiæ etiam particulari, Monarcham & Hierarcham vnum præficere, qui cæteros cum poteſtate regeret, idque potiùs ab Apoſtolis, quam à Chriſto immediatè fuerit excogitatum. Quod Franciſci commentum ex omnibus penè libri huius paginis confutari nullo negotio poteſt.

## *MENS D. HIERONYMI EXpreſſius indagatur.*

§. Vnicus.

*Hieronymus non confundit Epiſcopos cum Preſbyteris.*

ITTAQVE ad S. Hieronymi mentem habeo plurima quæ purè & ſimpliciter reſpondeam. 1. Nunquam adeò ſtolidum fuiſſe, vt Preſbyteros cum Epiſcopis omni ex parte confunderet, Preſbyter ipſe, & Preſbyterorum in Monaſterio ſocius; cum his ipſis locis ab Epiſcopo, ſeu Apoſtolo conſtitutos ſcribat Preſbyteros, Epiſcopos ab vno conſecratos dicere non poſſit: cum plures Preſbyteros in Eccleſia vna agnoſcat, Epiſcopos non agnoſcat: cum è pluribus Preſbyteris electum vnum dicat Epiſcopum, quod fieri non poteſt, ſi Preſbyter idem eſt, qui Epiſcopus.

*Non facit æquales Presbyteros Epiſcopis.*

II. Meram æqualitatem inter Epiſcopos & Preſbyteros nunquam docuiſſe, cum ſcribat Preſbyterum in Epiſcopo contineri: atqui nemo in ſeipſo, aut æquali, aut inferiore continetur; ſed ſuperior inferiorem, lege Hierarchica ex S. Dionyſio ſæpe ante producta, continet: Cum Aaronem & eius filios, Leuitaſque cum Epiſcopis, Preſbyteris, & Diaconis comparet: latum autem inter veteres illos fuiſſe diſcrimen, & nos ſuperiore libro indicauimus, & ratio ipſa docet, & ſcriptura loquitur: cum fieri ab Epiſcopis aliqua fateatur, quæ Presbyteris tractare non liceat, vt ſunt Ordinationes, & Spiritus Sanctus per manuum impoſitionem datus, vt alibi monet: ex hac autem ipſa ordinatione præcipuum diſcrimen petit S. Epiphanius, quòd Epiſcoporum ordo, Patres & Magiſtros conſecratione; Presbyteri tantùm filios lauacro regenerationis producant.

Hier. dial. aduerſ. Luciferianos. Epiph. hæreſ. 75.

*Agit Hieron de ordinis poteſtate.* Waldenſ. loco cit.

III. De Ordinis poteſtate quæſtionem hic à ſancto Doctore inſtitutam, quod antea Thomæ VValdenſi viſum, in qua probabilis ſententia eſt Epiſcopalem characterem à Sacerdotali, ſpecie diuerſum non eſſe. Probatur id ex ſtatu quæſtionis Epiſtolæ ad Euagrium, qua Diaconos negat anteferendos Presbyteris, quia *ad Presbyterorum preces*, inquit, *corpus Chriſti ſanguiſque conficitur:* quod eſt officium Ordinis, *& qui prouehitur de minori ad maius prouehitur:* at verò non ex Presbytero Diaconus, ſed ex Diacono Presbyter quis ordinatur, qui gradus eſt Ordinis. Deinde Epiſcopos inter ſe comparat, in eadem Ordinis poteſtate, qua ſunt omnes in plurimis æquales, non autem Iuriſdictione: cum Romanum Epiſcopum Eugubino, Conſtantinopolitanum Rhegienſi parem Iuriſdictione nemo ſanus dixerit. Preſbyterorum ergo cum

Epiſcopis,

Epiſcopis, & eorundem cum Diaconis collatio, in Ordine eſt, non Iuriſdi-ctione.

IIII. Quod ſi Iuriſdictionis fit mentio, addo ego perſpicuè Preſbyterum Epiſcopo ſubijci ab Hieronymo: nam & illum *exercitus Imperatori* comparat, qui certè in Tribunos & Centuriones militeſque omnes ſummum ius habet: expreſſè autem ſcribit, *habere Epiſcopos poteſtatem conſtituendi Presbyteros per vrbes ſingulas.* Et aduerſus Luciferianos luculentè dicit. *Eccleſiæ ſalus in ſummi Sacerdotis dignitate pendet: cui ſi non exors quædam, & ab hominibus eminens detur poteſtas, tot in Eccleſijs efficientur ſchiſmata, quot Sacerdotes. Inde venit vt ſine Chriſmate & Epiſcopi iuſſione, neque Presbyter, neque Diaconus ius habeant baptizandi.* Audis ſummum Sacerdotem Epiſcopum, ſuprà inferiores Preſbyteros: exortem & eminentem eius Poteſtatem, qua ſine nihil publicè geſtum à Preſbyteris.

*In Iuriſdictione Preſbyterum Epiſcopo ſubiectio.*

V. Fatendum ingenuè ab Hieronymo ſcriptum, illam ipſam Iuriſdictionis in Epiſcopo Poteſtatem, non diuini iuris eſſe, ſed Eccleſiaſtici: quod vt ſummum probare poſſunt durißima eius verba, *in toto orbe decretum eſt, & vnus de Presbyteris electus ſuperponeretur cæteris. Alexandriæ Presbyteri ſemper vnum ex ſe electum, in excelſiori gradu collocatum, Epiſcopum nominabant.* Preſbyteros Epiſcopis ſubiectos, Epiſcopos Preſbyteris maiores eſſe *magis in Eccleſiæ conſuetudine, quam diſpoſitionis dominicæ veritate.* Scribebat iſta ſubiratior Hieronymus, & Ioanni Hieroſolymitano, à quo ſæuum in modum vexabatur, infenſior, ſalua fide Catholicâ; nondum decreto publicè talis poteſtatis principio, à Deo illud eſſet, an ab hominibus? Imo non vetuſtiſſimus Theologorum Scotus, reprehenſione dignum non iudicat eum, qui dicat in primitiua Eccleſia, nullam inter Sacerdotes & Epiſcopos fuiſſe differentiam. Quanquam & illa verborum aſperitas benigna interpretatione molliri poteſt; vt *conſuetudinem potius* vocet *Eccleſiæ*, quàm *Chriſti diſpoſitionem*; quià Chriſtus ipſe per ſe id præcepiſſe non legitur, qui Preſbyteros nullos creauit, præter Apoſtolos: ſed hi diuino inſtinctu, qui externo nemini pateret; Epiſcopis adiutores dederunt Preſbyteros illis ſubditos: vt quemadmodum ordinante Chriſto vniuerſalis, ſic ipſis decernentibus particularis quælibet Eccleſia ad vnum caput reuocaretur. Illa igitur hoc ſenſu Hieronymi *conſuetudo*, Apoſtolica traditio erit, cui tantùm deferre ſolet, vt *multa quæ per traditionem in Eccleſijs obſeruantur, auctoritatem ſibi ſcriptæ legis vſurpauiſſe* apertè teſtetur.

*Illam poteſtatem putat Eccleſiaſtici iuris eſſe.*

*Scot. in 4. diſt. 7 q. 1.*

*Hier. Dial. aduerſ. Luciferian.*

VI. Denique confidenter aſſerere auſim, hos ipſos de Iuriſdictione Epiſcopali locos, hæreticorum, & fortaſſe Aërianorum dolo & manu fuiſſe corruptos. Equidem non nego eiuſmodi aliquid iracundius prolatum ab Hieronymo: ſed plura quàm docere vellet à malâ manu reor appoſita; quæ benignum reperit aditum ad inſinuandum in tanti Patris ſcripta nonnihil, quod in hæreſeos patrocinium arripi poſſet à perfidis, ab indoctis credi: quod poſtea ſine delectu in Decreta ſua Gratianus immiſerit; VVicleffus in erroris ſui confirmationem aſſumpſerit. Scio equidem non æquè adulterata Hieronymi opera, quantùm Hermæ Paſtoris, S. Athanaſij, Cyrilli, & aliorum; ſed hæc mihi doctrina ſemper ſuſpecta fuit, nec immeritò. Nam vtrubi ſcripta paulò diligentius examinentur, nemo naris ali-

*Probabile eſt corruptos fuiſſe locos Hieronymi.*

quantùm emunctioris non olfaciet ſpurium aliquid, & inuita Minerua intruſum. Nam leges ab Apoſtolo præſcribuntur, quales tandem Presbyteros à Tito velit ordinari. Anſam inde arripit Hieronymus Epiſcopos reprehendendi, qui gradum Eccleſiaſticum non merito deferunt, ſed fauore & gratiâ. Id qui agant, ait contra Chriſtum facere, & Apoſtoli legem contemnere, qui *qualis Presbyter debeat ordinari; in conſequentibus differens, hoc ait, Si quis eſt ſine crimine*, &c. Poſtulabat ſeries Commentarij, vt dotes requiſitas enucleatè monſtraret; verùm ſubdit alia omnia. *Idem eſt ergo Presbyter, qui & Epiſcopus; & antequam Diaboli inſtinctu ſtudia in Religione fierent*, &c. Hæc conſecutio vnde fluit? quid tandem præceſſit ex quo propoſitio iſta commoda connexione colligeretur? Quid verò ad Apoſtoli mentem pertinet diſputare, ſit-ne humano iure prælatus Epiſcopus Presbytero?

*In epiſt. ad Tit.*

In Epiſtola autem ad Euagrium, neſcio quis reprehenditur, quòd Diaconos Presbyteris anteferret. Id confutat argumento parum neceſſario, quòd Preſbyteri ſint iidem cum Epiſcopis: in quo magnam Epiſtolæ partem conſumit, & eoſdem locos iterat, quos in Paulino commentario legimus. Huic facile reſpondeat hæreticus, ſi non differunt ab Epiſcopis Preſbyteri, neque Epiſcopos maiores eſſe Diaconis: cuius conſecutionis [illegible] ne tangit quidem. Imo ſtatim ad alia tranſit, demonſtratque omnes Epiſcopos pares eſſe, neque potentia diuitiarum ſublimiorem Epiſcopum fieri. Hæc quid ad propoſitam quæſtionem? Obijcit ſibi, ad vnius Diaconi teſtimonium Romæ ſufficere, vt quis Preſbyter ordinetur. Reſpondet id Romæ tantùm fieri, pauciores eſſe Diaconos quàm Preſbyteros, ab hac paucitate natam Diaconorum arrogantiam. Confer iſta cum ſuperioribus, & exquire quando Romæ vnius Diaconi teſtimonium, hominem aliquem in Petri Cathedra collocarit? Quando in vlla Eccleſia plures fuerint Epiſcopi, quàm Diaconi? cum Euariſtus Apoſtolico exemplo *in vnaquaque ciuitate ſeptem debere eſſe Diaconos* reſpondeat, *qui cuſtodiant Epiſcopum prædicantem*, totidemque ipſe conſtituerit, *propter ſtylum veritatis*. Quod ita ſunt interpretati Patres Nicæni, vt ſeptem illos *Eccleſiæ ſumptu viuere* voluerint; quibus tamen addi poſſent alij *quos Eccleſia ferre poſſit, qui gratis miniſtrent*. Ac poſtea Concilium in Trullo diſtinxerit Diaconos qui Sacramentis, & alios qui menſis inſeruiunt; illosque, ſeptem tantùm, *vt in Actis expoſitum eſt*, hos, plures pro neceſſitate, eſſe permittat. De quibus Diaconis ſe vult hoc loco Hieronymus intelligi, cum illos menſarum & viduarum miniſtros appellat, admonetque vt ſciant quare conſtituti ſint, & legant Acta Apoſtolorum. *Non eſt dignum vt relinquentes Verbum Dei miniſtremus menſis*. Quid quod affectata eſt, & extranea Epiſcopi ad Preſbyterum adiectio, *vt Diaconos Presbyteris, id eſt Epiſcopis anteferret?* Quid quòd non ſemel affirmat, in Epiſtola ad Titum & Timotheum, informari *futurum Eccleſiæ Principem*, qui non eſt ſimplex Preſbyter, ſed Epiſcopus, & *de Presbyteris omnino reticeri* à Paulo: fruſtra igitur in eius Epiſtolæ commentatio de Preſbyteris diſputat. Hæc magni Doctoris apologiæ danda fuerunt, ne quis Eraſmus, aut illo deterior VVicleffus, tanta auctoritate aduersùs veritatem Catholicam abutatur. Tranſeo ad alium recentioris notæ Theologum.

*In epiſt. ad Euagr.*

Euar. ep. 1.

Lib. Pont. in Euar.

Concil. Nicæn. can 62. Arab.

Concil. in Trullo can. 16.

QVÆ

*QUÆDAM PETRI AVRELII PROPOSITIONES Hierarchicæ Iuriſdictionis ordini contrariæ referuntur. Ac primùm de electione Epiſcopi & Sacerdotum.*

## CAPVT XVII.

PROPRIVM meretur caput Aurelij Theologia, à productis antea opinationibus non tam re, quàm verbis diſcrepans. Et verò tam ſæpe, tam multa in hanc materiam congerit, vt negligenter non ſit prætermittendum, quod tam attentè vult à nobis expendi. *Petri Aurelij ſententia de electione Epiſcopi in vind.* p.28.29.

Ab Epiſcopo incipió, & eius electione. Affirmat Petrus Aurelius, *Loquendo de proprio ipſo nomine electionis, populum eſſe poſſe aliquo modo participem electionis Epiſcopi, atque hanc ipſam fuiſſe perpetuam conſuetudinem, & diſciplinam Eccleſiæ veteris, quæ ſine infanda hæreſi, hæreſeos damnari non poteſt.* Id conficit ex D. primùm *Cypriano, Epiſtola* 68. Cui addit vno calami ductu alios *Patres & Canones paſſim.* Deinde ex antiquo more Imperatorum, *qui tametſi Laïci, Pontifices deligebant, qui nihilominus veri erant & ſancti etiam Pontifices,* vt in D. Gregorio apparet. Denique *ex recenti more Eccleſiæ multis locis, vbi Pontifices ius electionis transtulerunt in Principes, qui ſoli Epiſcopos eligunt, loco Cleri & Populi.* Equidem ſi de admiſſa in electionis conſilium plebe; ſi de poſtulatis & nominatis aliquibus à populo; ſi de teſtimonio virtutis & fidei eius qui eligitur, delato à turba laïca; ſi de conſenſu multitudinis ad electi conſecrationem peragendam poſtulato, quæ omnia ſunt electionis apparatus, aut appendix, loqui viderem Aurelium: atque ſi idem vnius tantùm aut alterius Eccleſiæ factum, vnius aut alterius ſcriptoris dictum, vnius aut alterius Concilij decretum, vbi plebs cum Clero Antiſtitis electioni dicatur intereſſe, proferret, ſubſcriberem profectò eius opinioni, & id factum nonnunquam, aliqua in vrbe, nonnullis Eccleſiæ temporibus profiterer. Verùm cum *Electionis proprium nomen, perpetuam Eccleſiæ veteris conſuetudinem, Patres & Canones paſſim* loquatur, in alia omnia pedibus ire cogor, aſſeroque non fuiſſe *perpetuam veteris Eccleſiæ* conſuetudinem, vt populus *propriè dictæ electionis* Epiſcopi *particeps eſſet*; idque ipſum oſtendere & *Cyprianum epiſtola* 68. *& alios Patres, & Canones paſſim.* Poſſum-ne magis aduerſa fronte Aurelium prouocare? Poſſum-ne directa magis acie eius citationem *Cypriani, Patrum, Canonum paſſim,* laceſſere? Attende Lector, & de hac lite iudica. *Quid ſit electio.*

Electio ſtrictè ſumpta ſecundum Ioannem Andream, eſt alicuius perſonæ idoneæ ad dignitatem, vel fraternitatem, vel ſocietatem ſeruata forma canonicè facta vocatio. Sic definita differt à nominatione, poſtulatione, præſentatione, vt explicat Rebuffus Iuriſcóſultus. Fit autem canonicè cum quicquid Eccleſiæ canones fieri in ea præcipiunt, religioſè obſeruatur. Quid autem poſtulent Canones, & quem populo locum in electione concedant, ex veteris Eccleſiæ conſuetudine, ad quam appellat Aurelius, videamus. Eam repeto à ſecundo Apoſtolorum Concilio, Hieroſolymis habito pro Diaconorum electione, in quod *multitudinem diſcipulorum* adſciuerunt Apoſtoli, & Lexic. Iuris ex Ioan. Andrea. V. Electio. Rebuff tr. de. Nominationib. q. 6. *Veterum conſuetudo in ſacrorum hominum electione.* Act.c.6.

*placuit ſermo coram omni multitudine, & elegerunt Stephanum*, &c. Id Aurelio faueret, niſi Binius rectè factum explicaret, *vt ex gratia & conceßione duntaxat, non ex iure, credentium multitudo ex 70. Diſcipulis, ſeptem viros boni teſtimonij eligeret, ſeu potius poſtularet.* S. Cyprianus illud ait *idcirco tam diligenter & cautè, conuocata plebe tota geſtum, ne quis ad altaris miniſterium, vel ad Sacerdotalem ordinem indignus obreperet.* Doctor Hallier ex eo facto, *ordinationes præſente plebe, eiuſque teſtimonio ac iudicio (licet non auctoritate) fieri debere concludit*, cum Cypriano, & Chryſoſtomo. Vides igitur eam potius eſſe poſtulationem, quàm electionem, & teſtimonium à multitudine redditum, non collatam poteſtatem. Concilium Sardicenſe aduerſus Epiſcopos commigrantes ita ſtatuit, *Si quis adeo inſanus & audax reperiatur, vt excuſet quod populi literas acceperit, clarum eſt potuiſſe paucos aliquos mercede & pretio corruptos in Eccleſia ſeditionem mouere, vt eundem vtique poſtulent habere Epiſcopum*: cui tamen poſtulationi Concilium vetat aſſentiri. Veteris Eccleſiæ eſt Concilium Laodicenum: in eo Canonem lego, *quod non ſit permittendum turbis electiones eorum facere, qui ſunt ad Sacerdotium promouendi*: longè certè minus Epiſcoporum. Nec minoris auctoritatis eſt Concilium Antiochenum ſub Iulio, cuius Canon ſolum populi aſſenſum requirit. *Si quis ordinatus*, inquit, *non ierit in Parœciam ad quam ordinatus eſt, non ſua quidem culpa, ſed propter populi recuſationem, vel aliquam aliam cauſam*, &c. Concilium Martini Papæ apud Martinum Bracarenſem ita decernit: *non licet populo electionem facere eorum qui ad Sacerdotium promouentur, ſed in iuditio Epiſcoporum ſit.* Secundi Concilij Nicæni Canon ita ſtatuit, *omnem electionem quæ fit à magiſtratibus, Epiſcopi, vel Presbyteri, vel Diaconi irritam manere: oportet enim qui promouendus eſt ad Epiſcopatum ab Epiſcopis eligi.* Synodum octauá in cauſa Ignatij accenſeat-ne veteri ſuæ Eccleſiæ Aurelius, equidem neſcio; in ea certè decretum video *neminem Laicorum Principum vel potentum ſemet inſerere electioni, vel promotioni Patriarchæ, vel Metropolitæ, aut cuiuſlibet Epiſcopi, præſertim cum nullam in talibus poteſtatem quenquam poteſtatiuorum, vel cæterorum Laicorum habere conueniat; ſed potius ſilere ac attendere ſibi.* Satis-ne expreſsè Concilium Laïcos ablegat? Non vetat tamen inuitatos accedere. *Si verò quis Laicorum ad concertandum & cooperandum ab Eccleſia inuitatur, licet huiuſmodi cum reuerentiâ, ſi forte voluerit, obtemperare ſe adſciſcentibus.* Plebis tamen conſenſum, id eſt voluntariam electo ſubiectionem, Canones aliqui poſtulant. Vt qui refertur ab Harmenopulo ex pluribus locis: *ſi à populo non fuerit acceptus, Clerus quidem ſegregator, quod plebem non inſtruxerit, ipſe verò maneat Epiſcopus.* Peccauit Clerus qui hominem ignotum in populi ceruicibus impoſuit: ſed rata eſt electio, quia notitia populo data, eiuſque conſenſus & acceptatio veræ electionis eſſentiam non attingit. Denique Theodorus Balſamo, non minus quàm Petrus Aurelius Eccleſiaſtici iuris gnatus, ſuper illa populari electione rogatus, reſpondet, olim aliquando electiones per multitudinem & Principes factas, ſed id vetitum Laodicena & Nicæna ſecunda Synodis. Cur id dicit factum πάλαι ποτὲ, ſi opinione Aurelij *perpetua fuit ea conſuetudo & diſciplina?* Poſteriorū Conciliorum Canones fruſtrà protulero, cum & illi ſufficiant, & ad veterem Eccleſiam non attineant, & in alia cauſa verſentur; videlicet inueſtituræ à laïcis Principibus non accipiendæ. Cui tamen conſuetudini, tam ſæpe tam diu ab Eccleſia reprobatæ, plus fauet Aurelij de plebe ſuffragante, & Imperatoribus verè & ſtrictè deligentibus ſententia, quàm hæc à nobis expoſita.

Binius in 2. Synod. Apoſt.

Cypr. epiſt. 65.

Hallier li. de ſacr. ordinat. p. 79.

*Plebis poſtulatio & teſtimonium ad electionem.*

Concil. Sard. can. 1. al. 2. vide & 6.

Concil. Laod. can. 13.

Concil. Antioch can. 18.

Martin. Bracar. c. 1. decretor.

*Principes laïci & populi non faciunt electionem.*

Concil. Nicæn. 2. can 3.

Synodus octaua CP. c. 22.

*Plebis conſenſus ex petitus.*

Harm. in epit. can. ſect. 1. tit. 1.

Theod. Balſam. ad Interr. 59. apud Leũclau.

*Fauet inueſtituris Aurelius.*

SAN-

## SANCTORUM PATRUM EA DE RE *ſenſus exquiritur.*

§. I.

VENIO ad Patres, quos paſſim citare ſe gloriatur Aurelius. S. Hieronymus electionem Alexandrini Epiſcopi à Preſbyteris fieri ſolere dicit, nulla laïcæ multitudinis habita mentione. Leo Magnus eleganter ſua ſingulis in electione aſſignat officia: *Expectarentur certè vota ciuium, teſtimonia populorum; quæreretur honoratorum arbitrium, electio Clericorum; quæ in Sacerdotum ſolent ordinationibus, ab his qui norunt Patrum regulas, cuſtodiri, vt Apoſtolicæ auctoritatis norma in omnibus ſeruaretur, qua præcipitur vt Sacerdos Eccleſiæ præfuturus, non ſolùm atteſtatione fidelium, ſed etiam qui foris ſunt teſtimonio muniatur.* Quo ſenſu exponi abſque dubio debet Hincmari Rhemenſis in eodem propoſito doctrina. *Quæ electio non tantùm à ciuitatis Clericis erit agenda, verùm & de omnibus Monaſterijs ipſius Parœciæ, & de ruſticanarum Parœciarum Presbyteris occurrant Vicarij, commorantium ſecum concordia vota ferentes. Sed & laici nobiles ac ciues adeſſe debebunt, quoniam ab omnibus debet eligi, cui debet ab omnibus obèdiri.* Plebis & laïcorum ſuffragium hoc loco pro teſtimonio tantùm accipi debere, non pro ſtricta & propriè dicta electione, vel illud declarat, quod hæc nominatio votum tantùm eſt, & conſpirans ad vnius nomen deſiderium, non autem decretoria ſententia.

*Patrum eadem eſt contra Aurelium ſententia.* Hiero. epiſt. 85. ad Euagr. S. Leo epiſt. 89. Hincmar. ep. ad Hedenulphũ Laudun. Vide & ſeq. ad clerum & plebem Cameracẽ.

S. Cyprianus eo loco, quem perquàm incautè pro ſe allegat Aurelius, eaſdem plebi partes, ferendi tantùm teſtimonij aſſignat, non ſuffragij. *Quod & ipſum videmus de diuina auctoritate deſcendere, vt Sacerdos plebe præſente ſub omnium oculis deligatur, & dignus atque idoneus publico iudicio ac teſtimonio comprobetur. Sicut in Numeris Dominus Moyſi præcipit, id eſt, inſtituit, & oſtendit ordinationes Sacerdotales, non niſi ſub populi aſſiſtentis conſcientia fieri oportere, vt plebe præſente, vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur* (hæc verba omittenda ſibi cenſuit Aurelius) *& ſit ordinatio iuſta & legitima, quæ omnium ſuffragio & iudicio fuerit examinata.* Et tandem concludit. *Propter quod diligenter de traditione diuina, & Apoſtolica obſeruatione obſeruandum eſt, & tenendum, &c. Vt Epiſcopus plebe præſente deligatur, quæ ſingulorum vitam pleniſſimè nouit, & vniuſcuiuſque actum de eius conuerſatione perſpexit.* Hæc omnia fuerunt deſcribenda, vt de S. Cypriani ſententia plenè perfecteque conſtet; continent enim illa ſuperiorum verborum explicationem luculentam, *quando ipſa plebs maximè habeat poteſtatem vel eligendi dignos Sacerdotes, vel indignos recuſandi:* teſtimonio nimirum, non propriè dicta electione. Ita locum hunc Pamelius Commentator enarrat.

Cyprian. epiſt. 68. *allegatus ab Aurelio ipſum iugulat.* *Textum infidelitèr citat Aurelius.* Pamel. in eum locũ.

Confirmat hanc nobiliſſimi Doctoris interpretationem, & alius eiuſdem locus ſimiliter explicatus. Vbi de Cornelio in Romanam Cathedram euecto ſic ipſe, *factus eſt autem Cornelius Epiſcopus de Dei & Chriſti eius iudicio, de Clericorum pene omnium teſtimonio, de plebis quæ tunc adfuit ſuffragio, & de Sacerdotum antiquorum, & bonorum virorum collegio.* Quem in locum Cardinalis Baronius: *Quod ad plebis in electione officium ſpectat,* inquit, *ſic aderat, vt de ordinandi anteacta vita teſtimonium ferret, non autem quod ferendi ſuffragij ius haberet; idenim*

*Confirmatur ex alio* Cyprian. loco. epi. 52. Baron ad an 254. tom. 2.

*Cyrianus alibi docet.* Tum ſubdit aliquam partem Epiſtolæ antea productæ, additque, *Hac ipſe pluribus, ſuffragium ad Clerum, iudicium verò, quod idem eſt ac teſtimonium, ad plebem referens, licet hoc ipſum alibi appellet quoque ſuffragium.* Sic nobiliſſimus antiquitatis Eccleſiaſticæ indagator, longè quàm Aurelius commodius, qui non animaduertit illa ipſa quam elegit explicatione, Catholicam veritatem à Nouatoribus Luthero, Caluino, Kemnitio, Illyrico, impugnari, vt refert Bellarminus: Quid quòd etiamnum ordinandorum vita plebis cenſuræ ſubijcitur; Epiſcopo rogante publicè, cauſas edici ſi quæ fuerint, ob quas illis ordinibus interdici ius faſque ſit. Tum autem omnium nomine reſpondet Archidiaconus: illos videri dignos quantùm humana fragilitas patitur: qui merus modò verborum ſonus eſt, & vmbra veteris integritatis; ſpectatores tamen præſentes, non facit ordinationis participes, & electionis propriè loquendo auctores.

*Patet hæretica Aurelij ſententia.*

Bellar. l. 1. de Clericis c. 7. quem vide otioſus.

Plura leges in hanc ſententiam apud Franciſcum Hallier, qui ſerie temporum ſatis accuratâ demonſtrat, non vnam omnibus ſeculis, omnibus locis populi ad Electiones adhibendi ſeruatam fuiſſe rationem: maximè tamen communem & vſitatam illam extitiſſe, qua ad ſolum probitatis & virtutis teſtimonium adſciſcebatur. Quod hic conficere volui, vt incredibilem Petri Aurelij præfidentiam in nominâdis *Cypriano, alijs Patribus & Canonibus paſſim* miraretur Lector, ea in opinione, quæ *Cypriano, alijs Patribus, & Canonibus paſſim*, vel ipſo Doctore Hallier monſtrante, repugnat. Qui tamen dura nimis catachreſi vſus mihi videtur, cum explicans ſuprà citatam à nobis Balſamonis reſponſionem, ait *ante Synodum Laodicenam, ex ſententia Patriarchæ, hoc in vſu fuiſſe, vt à populo tam Epiſcopi, quàm Presbyteri & Diaconi ordinarentur.* Nam propriè loquendo ordinare ſolius eſt Epiſcopi; & χειροτονίας vocabulum vſurpauit Balſamon, quod rectè per electionem redditum eſt, cum præſertim eundem antea Balſamonem citauerit, χειροτονίαν ab extenſis populi manibus ad electionem nominati Præſulis, deriuantem; agnoſcatque, quod verum eſt, id verbi aliquando ψῆφον electionem, ſeu ſuffragium ſignificare. Denique in Vatablo legimus, impoſitionē manuum Preſbyterij, apud Paulum, eſſe *electionem à Presbyteris, id eſt, ſenioribus Chriſtianis; ſeu à Senatu Chriſtiano, qui erat Epheſi. Timotheus enim electus erat in Epiſcopum, cuius electionis ſignum externum fuerit illa manuum impoſitio.* Hæc explicatio vt hæreſim ſapit, (innuit enim Senatum laïcum & ciuilem, conſtituere & ordinare Epiſcopos; alioſque Eccleſiæ miniſtros,) in Vatabli Catholici hominis ſcripta à mala & hæretica manu infarta & intruſa videtur, vt bene conijcit Cornelius à Lapide. Reuertor ad Aurelium.

*Confutatur Aurelius authoritate* Hallier, li. de ſacr. ordi. p. 79. & ſeq.

*Qui tamen reprehenditur* p. 84.

χειροτονία quid.

Hall. cit. p. 17 18.

1. Tim. 4. Vatabl. in eum locū.

*Excuſatur ab errore.* Cornel. à lapide in eum Pauli locum.

Alterum argumentum quo conficere conatur, *perpetuam veteris Eccleſiæ conſuetudinem & diſciplinam quæ ſine hæreſi hæreſeos damnari non poteſt, eam fuiſſe, vt populus propriè dictæ electionis particeps eſſet*, ab Imperatorum facto ducitur, *qui tametſi laici, Pontifices nonnunquam ſanctos, ſemper veros deligebant.* Hiſtorica res hæc eſt, in qua hiſtoricorum Eccleſiaſticorum Eminentiſſimi non inconſultè petemus arbitrium. Is Theodoricum Italiæ Regem eius moris auctorem nobis exhibet, poſt interfectum Ioannem Pontificem, cum hoc elogio: *Quod nullus vnquam Ethnicorum Principum auſus fuerat, iſte meditatus impleuit, nimirum vt captiuam duceret ipſam Romanam Eccleſiam, Apoſtolicæ ſedis Epiſcopi electionem atque nominationem ipſe ſibi procaciter arrogans.* Hæc eſt Petri Aurelij

*Secunda Petri Aurelij ratio affertur.*

*Baronij de facto illo narratio ad an. 526. tom. 7.*

*Eccleſiæ*

*Eccleſiæ veteris perpetua conſuetudo atque diſciplina.* Et ne ſanctitas deſit electo, prouidet Tyrannus: *Vt autem ſuæ ipſius voluntati nulla eſſet occaſio refragandi, quem in Clero Romano probatiſſimum nouit Felicem, Romanum Pontificem nominauit.*

*Mos ab Ariano principe inuectus.*

Hoc exemplum non omni ex parte imitati poſteri nonnihil mitigarunt. *Accepiſſe tamen poſtea tanta præſumptio noſcitur moderationem illam, vt ex priſtino vſu Clerus deligeret Romanum Pontificem, quem tamen Rex ſuo confirmaret aſſenſu.* Hunc aſſenſum *propriè dictam electionem* vocat Aurelius: *Quam quidem ab Arianis Italiæ Regibus vindicatam ſibi tyrannicè auctoritatem* (*Morem antiquum* appellat Aurelius) *iis de medio ſublatis, Orientalis orbis Imperatores ſibi pariter arrogarunt, quod valdè S. Gregorius ingemiſcit.* At contra dicit Aurelius *D. Gregorium de ſua promotione ad Pontificatum humillimè ſcribere*, quaſi antiquum illum morem, ius & poteſtatem in Imperatore agnoſcentem. Hactenus hiſtorici narratio, ſequitur iudicium: *Vidiſti, Lector, quinam auctor fuerit redigendi ſub ſeruitute Romanam Eccleſiam, vt electioni, vel nominationi Romani Pontificis immiſcerent ſe Reges? Non niſi ſæuus Barbarus, dirus tyrannus, & impius Arianus,* (ait Aurelius hoc *ſine infanda hæreſi hæreſeos damnari non poſſe.*) *quem Deus abſque dilatione diſſimulatione-ve, qua frequentius cum peccatoribus vti ſolet, repentina immiſſa cælitus vindicta proſtrauit, & poſt acceleratum dirum exitium ad inferos perpetuo relegauit.* Iſtud profectò non dicet Aurelius fuiſſe *perpetuam conſuetudinem & diſciplinam Eccleſiæ veteris. Talem,* addit hiſtoricus, *qui æmulantur Principem, expectent pari cum eo ſententia iudicari.*

*Qui à poſteris nonnihil mitigatus eſt.*

*Graue Cardinalis de ea re iudicium.*

Et quoniam opinio illa apud pleroſque peritos iuris inualuit, vt credant Carolo Magno conceſſiſſe Adrianum, *ius eligendi Pontificem, & ordinandi Apoſtolicam ſedem: inſuper Archiepiſcopos & Epiſcopos per ſingulas Prouincias ab eo inueſtituram accipere definiuiſſe, & vt niſi à Rege laudetur, & inueſtiatur Epiſcopus, à nemine conſecretur*, multis diſputat idem hiſtoricus, hanc eſſe Sigeberti fabulam, in gratiam Imperatorum inueſtituras ſibi arrogantium excogitatam, quam Gratianus *nimis credulus improuidè nimis* ab eo exſcripſit, indique cæteri poſtea hauſerunt. Eò te remitti, Lector, patieris, vt iſtam non minus, quàm priorem controuerſiam, non ex meo ſenſu, quem nullum profero; ſed à Cardinale, de hiſtoria Eccleſiaſtica optimè merito, accipias. Quod igitur gemens & captiua Baronij iudicio, ſub Arianis Regibus, ſub violentis Principibus paſſa eſt Romana Eccleſia, id vocat Aurelius *morem antiquum*, eoque *perpetuam conſuetudinem & diſciplinam Eccleſiæ veteris* ſtabilire ſe putat. Planè vt ſi *diſciplinam & conſuetudinem perpetuam Eccleſiæ* Romanæ dixero, muliercularum impotentiam, quæ meretricij amoris pretio Petri ſedem aliquando vendiderunt, & amaſios ſuos orbi Chriſtiano *veros*, ſi non *ſanctos* (id enim non requiritur neceſſariò) Pontifices impoſuerunt.

*Baronij illud dictum de iure conceſſo Carolo Magno ad an. 774. tom. 9.*

Addit Aurelius argumentum tertium ex *Principibus modernis, in quos Pontifices ius electionum tranſtulerunt, qui ſoli Epiſcopos eligunt, loco Cleri & populi.* Sed quia ius iſtud nouum eſt, ab Eccleſia conceſſum, non violenta poteſtate vſurpatum, mutata, vt profitetur argumentum, vetere electionum forma & methodo, coërcito ambitu, compreſſis ſeditionibus, quæ populares nominationes perturbare ſolent; neque *diſciplinam Eccleſiæ veteris* attingit, neque populum cum Clero, *participem electionis* facit, adeoque noſtra conſideratione non indiget.

*Tertia Aurelij probatio.*

## *DE EPISCOPI IVRISDICTIONE EX eodem Petro Aurelio.*

§. II.

*Aurelius Epiſcopalē auctoritatē malè explicat.*

TANQVAM in communi orbis Chriſtiani Concilio, Epiſcopalium iurium vindex & aſſertor electus Aurelius, Epiſcoporum dignitatem, poteſtatem, maieſtatem, plena voce, verbis grandibus ſæpe repetitis inclamat, reipſa parum explicat, imo quod deterius eſt, multum implicat: dum aurea mediocritate contempta; vbi virtus & veritas ſedem fixerunt, ipſe effreni licentia per extremos limites vagatur & errat. Modò enim Epiſcopos omnes Pontifici Romano coæquat in Iuriſdictione: modò eoſdem ad Parochorum poteſtatem deprimit: modò poteſtatem Sacerdotibus omnibus communem, concedit ſolam Epiſcopis, nuſquam conſtans, niſi ingenio ſuo.

*Aurelius Epiſcopos facit independentes à Pontifice Romano.*
In vindic. p. 481.

Nam alicubi de Parochorum officio diſſerens, quod humanæ inſtitutionis eſſe cenſetur pleriſque, ait in ipſo Epiſcopo incluſum eſſe à Chriſto, *vt in fonte ac plenitudine Eccleſiaſticæ & Hierarchicæ poteſtatis. Inſtitutum à Deo Epiſcopatum, vt ſummam & plenitudinem Eccleſiaſticæ poteſtatis in ſuo quemque tractu, quam Epiſcopus in miniſtros pro Eccleſiæ commodo diffunderet. De poteſtate Iuriſdictionis agimus, nam poteſtatem Ordinis miniſtri omnes à Deo proximè habent.* Hæc verba Papam iure diuino Patrem Patrum, & Epiſcopum Epiſcoporum eſſe negant; eadem in ſingulis Diœceſibus Epiſcopos, vt ſummos Pontifices, cum plenitudine poteſtatis, ſine vlla aliunde dependentia conſtituunt. Verè quidem Epiſcopalis Iuriſdictio *ſumma eſt, & plenitudo Eccleſiaſticæ poteſtatis*; ſed in genere ſumpta, quatenus ab Romano, & particularibus Epiſcopis abſtrahit: Rurſum ad priuatarum Diœceſeon Epiſcopos contracta, *plenitudo eſt poteſtatis in ſuo tractu*, ſed pro modo ſuo, & à Romana Iuriſdictione pendens, atque participata, ex ſententia Pariſienſium, vt ante monſtrauimus, Doctorum.

*Epiſcopos æquat Parochis in Iuriſdictione.*
Ibid. in vindic.

*Miniſtrorum poteſtas ſic ab Epiſcopo fluens, diuinæ eſt non humanæ inſtitutionis; quia eadem eſt riui quæ fontis natura, eadem vis cauſæ principalis & inſtrumenti, eadem Miniſtrorum Regiorum & Regis poteſtas.* Demittit hac oratio & deprimit Epiſcopalem Iuriſdictionem ad Parochialem; nam ſi locum habent hæ comparationes, Epiſcopalis poteſtas eò tãtùm differt, quòd maiore in tractu verſetur; quod ipſa ſit plenitudo & totum quoddam; Parochialis autem pars eius homogenea; quod Epiſcopus amplitudine tantùm, non etiam nobilitate ſit Parocho ſuperior. Cumque ex modò dictis, Epiſcopus quilibet Aureliano ſenſu, ſit in tractu ſuo ſummus Pontifex, ſolaque Iuriſdictionis amplitudine ab eo differat, neque alia ſit Parochi ab Epiſcopo, quàm eiuſdem amplitudinis diſtantia, ſequitur Parochum quemlibet in Parœcia ſua ſummum eſſe Pontificem, & ſola Iuriſdictionis amplitudine ab eo differre.

*Parochum quemlibet facit in Parœcia ſua ſummum Pontificem.*
*De cauſa principali & inſtrumentali malè philoſophatur.*

Neque verò concesserim Aurelio *eandem eſſe vim cauſæ principalis, & inſtrumenti, eandem Regis & Miniſtrorum poteſtatem*, cum ſuperiorem nobilioremque ſpeciem in altera debeamus agnoſcere. Neque ſi vna eſt alterius participatio, eiuſdem generis ea eſt quæ participatur. Niſi forte Religioſi ad Hierarchica munia adſciti; Parochi eadem ex officio exercentis; Epiſcopi plenitudinem conſecuti; & Chriſti qui ſuprema vnctus eſt poteſtate, tanquam

oleo,

oleo, præ participibus ſuis: omnium iſtorum Iuriſdictionem, vnam ſimul & eandem, ſola amplitudine differentem, velit Aurelius affirmare. Neſcio quid amplius docet Hallier, *Diaconos propriam auctoritatem habere, non alienam mutuari, ideoque eſſe veluti cauſas principales actionum miniſterialium.* Hoc non eſt auſus affirmare Aurelius, qui vim principalem in Epiſcopo tantùm agnoſcit, licet eandem deriuet in Miniſtros. Prouehor vlterius. *Hallier Diaconos malè appellat cauſas principales in vindic. p. 435.*

Si eadem eſt cauſæ principalis & inſtrumenti virtus, certè Dei, & creaturarum quæ ſunt eius inſtrumenta, vis eadem eſt: Ergo cum fateretur Arianus, Verbum Diuinum Dei virtutem eſſe, & eum per quem facit Deus quicquid facit: nihilominus creaturam agnoſcit, neque cauſæ principalis & inſtrumentariæ argumento ab errore poteſt dimoueri. Pari modo, ſi cauſa principalis & inſtrumentalis eſt vnius & eiuſdem naturæ, vt ſupra dicebat Aurelius, equidem non video cur Dei & creaturæ vna & eadem non poſſit eſſe natura, quod olim Manichæis viſum, qui Deo bono & rebus bonis, Deo ſeu Principio malo & rebus malis eandem aſſignabant naturam. Hæc omnia non peruidit Aurelius, ſed de vtraque illa cauſa quaſi per nebulam, nonnihil accepit. Audiuit enim in ſparſis philoſophorum, virtutem cauſæ inſtrumentalis, eſſe quoque virtutem cauſæ principalis, & in huius virtute illam agere: quia quancumque virtutem inſtrumentalem habet inſtrumentum, eam totam à principe cauſa ſuſcipit: tum exiſtimauit uir acutus & ſolers, doceri eandem eſſe virtutem cauſæ vtriuſque, tum principalis, tum inſtrumentalis, quod à priori propoſitione procul abeſſe vel Logicorum filij norunt. *Grauia abſurda ſequuntur ex Aurelij doctrinâ.*

*Omnis*, inquit, *omnium Miniſtrorum poteſtas in quoſcunque deuenerit, ſiue in Parochos, ſiue in Archidiaconos, alioſue Miniſtros Epiſcopales, eadem eſt eiuſdem naturæ ac inſtitutionis, ac poteſtas ipſa Epiſcopalis, nec ab ea differt, niſi fluxu & emanatione & plenitudine, prorſus vt riuus à fonte, vt pars potentialis à toto.* Quo ſuperiùs modo riuum & fontem res homogeneas, cum cauſa principali & inſtrumento, rebus toto genere diſtantibus coniunxit; eodem hunc ipſum riuum & fontem, parti potentiali & toti adnectit; ignarus partem potentialem cum re cuius pars eſt potentialis, eſſe diuerſæ ſpeciei. Quare ſi Miniſtrorum poteſtas, eſt pars potentialis Epiſcopalis Iuriſdictionis, alterius, adeoque inferioris ſpeciei eſſe illam oportet, proindeque non *eandem eiuſdemque naturæ*, ſed ignobilioris, non ſolo *fluxu vt riuum à fonte differre*, ſed *vt inſtrumentum à cauſa principali.* Quæro & aliud, num Patres antiqui Arium confutantes, fontis & riui in Patre & Filio comparationem adhibuerint? Si ergo rectâ eſt in Epiſcopo & miniſtro, qui ſanè non eiuſdem, ſed ſimilis naturæ eſt, non æqualis, ſed inferior: nihil habent ex ea ſimilitudine Patres, quo Filium Patri conſubſtantialem & æqualem eſſe confirment: Imo inferiorem Patre Arianus, tantùm ὁμοιούσιον Semiarianus ex fonte & riuo explicatis per Aurelium, eſſe conficient. *Malè vtitur comparatione partis potentialis & totius. in vindic. p. 482.* *Aurelij Theologia ſanctè ſtrictè ...*

V

## *DE IVRISDICTIONIS EPISCOPALIS INSTItutione Aurelij eiuſdem doctrina expenditur.*

### §. III.

*De inſtitutione Iuriſdictionis Epiſcopalis reprehenditur Aurelius* in vindic. p. 191. Ioan. c. 20.

NON minus turbat in Epiſcopalis Iuriſdictionis inſtitutione, vbi Suarem arguens exiſtimantem Epiſcopum *nomen eſſe Ordinis potius, quàm Iuriſdictionis*, è diuerſo cenſet ipſe *expreßius includere Iuriſdictionem ac regimen*, probatque ex eo quòd *Chriſtus Epiſcopatum inſtituens, expreßius* Iuriſdictionem denotauit, dicens; *ſicut miſit me Pater & ego mitto vos: quorum remiſeritis peccata remittuntur eis*, &c. Primùm omnium, nego hoc Ioannis loco, inſtitutum Epiſcopatum, ſed expletum Sacerdotalem ordinem. Sic enim Maldonatus: *Rectè ex hoc loco colligitur, non ſolùm Doctoris, ſed etiam Sacerdotis officium Apoſtolis tradidiſſe; Vicarios enim conſtituit ſuos.* Et expreſſius longè Cornelius Ianſenius *Sacerdotalem iam in eis abſoluit ordinem, & poteſtatem in duobus conſiſtentem, nempe in Euchariſtiæ conſecratione, quæ eis commiſſa eſt in vltima Cœna, & in peccatorum remiſſione, quam eis modò contradit.* Et paulò poſt. *Quod dicitur Matthæi 18. Quæcunque ligaueritis, &c. maximè pertinet ad forum Eccleſiaſticum exterius: hic verò locus magis pertinet ad forum interius, quod eſt forum conſcientiæ, quia non de vinculo excommunicationis aut iniiciendo, aut ſoluendo hic agitur, ſed de peccati reatu tollendo aut retinendo: vnde cum illo loco fundetur Eccleſiaſtica excommunicatio; hic fundatur maximè confeſſio Sacramentalis Sacerdoti facienda.* Hæc profectò nulli Sacerdoti in conſecratione non dicuntur, quæ ſi *Epiſcopatum inſtituerunt*, quemlibet Sacerdotem faciunt Epiſcopum. At negare non poterit catholicus Aurelius, ſiquidem Concilio Tridentino aſſentitur, per ea poteſtatem Iuriſdictionis Sacerdotibus omnibus dari, eſſeque partem eſſentialem eorum ordinationis; quid igitur ſubiungit incautus?

Mald. in eum locū. Ianſen. Concord. Euang. c. 147. *Inſtitutio fori Eccleſiaſtici interioris & exterioris.* Concil. Trid. ſeſſ. 14. c. 6.

*Hæc eſt eminentia dignitatis Epiſcopalis ſuprà Sacerdotalem; quod Sacerdotalis Iuriſdictionem nec includat, nec exigat, vtpote imperfectior & Epiſcopali ſubiecta, cuius nutu regi & ad operationes Eccleſiæ admoueri debet.* Dic Aureli ſi vacat, vidiſti ordinatum perfectè Sacerdotem, cui formula illa verborum defuerit? Eorum virtute ſi accepit Iuriſdictionem, certè Sacerdos *per ſe Iuriſdictionem & includit & exigit:* ſi non accepit, cur proferuntur? cur accepit potius Epiſcopus quàm Sacerdos, vi eorumdem verborum, eodem modo, eadem auctoritate prolatorum? Sed accepit profectò. Quam? in actu primo, an ſecundo? habitualem an actualem? hæc enim à te non diſtinguntur. Qualem accepit? quare differentem ab Epiſcopali, eorum inquam vi & virtute verborum? Quid? Ergone quod Sacerdotalis Iuriſdictio ſit Epiſcopali ſubiecta, ideo per ſe non exigitur à Sacerdote? Parochi poteſtas Epiſcopali ſubiecta eſt, & tamen per ſe, opinor, exigitur à Parocho. Epiſcopalis Iuriſdictio eſt Summi Pontificis Iuriſdictioni ſubiecta, & tamen includitur & exigitur ab Epiſcopo. Iudicis dignitas eſt ſubiecta Regiæ, minus-ne ideo Iuriſdictionem per ſe includit iudex & exigit?

*Sacerdos in conſecratione accepit Iuriſdictionem.*

*Epiſcopalis dignitas nō requirit actualem Iuriſdictionē.*

*At Epiſcopalis dignitas, vt ſumma & in ſuo genere perfecta, Iuriſdictionem neceſſariò complectatur, nec ſine ea conſiſtat.* Si de actuali Iuriſdictione ſententiam tuam vis intelligi, ede quid cenſeas de Epiſcopis in partibus infidelium

fidelium ? de iis qui actu plebem non habent, characterem habent? Nam illos agnoſcit vetus Eccleſia, vt olim videbamus; idque Apoſtolico exemplo. Quod enim dicuntur Apoſtoli conſecraſſe Iacobum Hieroſolymorum Epiſcopum, Gloſſa inter cæteras explicationes hanc adfert. *Ordinauerunt, id eſt, inthroniſauerunt eum ad adminiſtrationem certi loci: prius enim erat Epiſcopus ſine titulo.* *Retinent*, inquit, *Iuriſdictionem aliquam in Concilijs tum Prouincialibus, tum Generalibus, in quibus ius ſuffragij vt veri Eccleſiæ iudices habent.* Vera loqueris, ſed ea Iuriſdictio actualis non eſt, ſiue in actum non prodit, quod antea requirebas in Sacerdote: ſed contraria paulo ante multis verbis pronunciaſti. *Poteſtas*, inquiens, *ordinis remanet in Epiſcopo ſemel conſecrato, per accidens, ob indelebilitatē characteris: non remanet tamen ex more loquendi Eccleſiæ, quæ talem poteſtatem non magis agnoſcit, quàm ſi reuera nulla eſſet*, &c. Cui bono igitur illi *in Concilijs tum Prouincialibus tum Generalibus*? Vnde *ius ſuffragij* capiunt, & toti Eccleſiæ, ſaltem cum alijs Epiſcopis imperant? Quæ res illos *veros Eccleſiæ iudices* facit? Certè non Ordo, igitur Iuriſdictio, quam proinde agnoſcit Eccleſia; non modò vt præteritam, ſed etiam vt præſentem. Quia *ſumma eſt*, inquis, *& perfecta*. Quid? illam nonne vt Sacerdos ab Epiſcopo, ſic Epiſcopus per Romanum Pontificem accipit? Eſt-ne Parochi poteſtas *ſumma & perfecta*? ea tamen. *Iuriſdictionem neceſſariò complectitur, nec ſine ea conſiſtit*; Age verò ſumma illa Epiſcopalis dignitas, in quo poſita eſt? Rei veritatem non inueſtigo, tuam quæro ſententiam.

*Epiſcopi ſine plebe.* — Dist. 68. c. porro. Gloſſa. ibi. — Aurel. p. 193. — Idem p. 188.

*Poteſtas*, inquis, *Deum producendi, eoque producto fideles paſcendi, pars eſt nobiliſſima Paſtoratus Epiſcopalis, æmula generationis æternæ, qua Pater diuiniſſimo ſuo ore Verbum idem profert, quod ore ſuo ſacratiſſimo Sacerdotes. Quid de altera poteſtate dicam germana huius & ſocia, qua humani generis peccata ſoluuntur*, &c. Magnifica ſanè verba, & bono oratore digna; ſed quæ maieſtatem ſupremam Epiſcopalis Paſtoratus in ijs officijs ponunt, quæ cum toto Sacerdotum ordine habet communia: vt hac etiam amplificatione Sacerdotes Epiſcopis reddat æquales. Oratorem dixi, Theologum non potui dicere, cum illi vocabulorum ſtrepitus, huic proprietas placeat. Non aliter autem quàm impropriè dici poſſunt Sacerdotes *Deum producere, procreare in Ara*. Neque inferiori iure Sacramenta Eccleſiæ, quæ ſunt gratiæ inſtrumenta qua Spiritus Sanctus conceditur, quæcumque Angelica (cum hac enim Epiſcoporum dignitas confertur) nobiliorem habere dicenda ſunt poteſtatem.

*Sacerdotes iterum omnes æquat Epiſcopis.*

Aliam alio loco Epiſcoporum ſupra Sacerdotes prærogatiuam tradit inconſtans Aurelius, nihilo meliorem, quod ſit *ampliſſimus quidam fons omnis Sacerdotalis functionis, in quaque Eccleſia ſingulari conſtitutus, à quo omnem aliam in eadem Eccleſia poteſtatem, & operationem Hierarchicam, neceſſariò ſcaturire oporteat.* Hunc ego fontem agnoſco, & vt veteres magnorum fluminum capita, veneror ac colo, atque ad illum vbicunque opus eſt, digitum intendo. Sed in eo ſolo fonte non admitto *excellentiam ordinis Epiſcopalis*, ſuprà *Miniſtros inferiores* contineri, cum præterea ſint Hierarchicæ quædam operationes Epiſcopali characteri innatæ, *cuilibet Miniſtrorum inferiorum* incommunicabiles, vt confectio chriſmatis, Eccleſiæ regimen, articulorum fidei in Concilijs Generalibus definitio, & ſimiles, quæ memoriam Aurelij præterfugerant.

*Epiſcopalis dignitatis excellentiā malè collocat.* p. 232.

Iam verò Epiſcopalem Iuriſdictionem ambagibus illis tuis obſcuratam, *Epiſcopal.*

*tem dignitatem inſtabilem facit Aurelius* in vind. p. 629.

inconſtantia tua fluxam facis & caducam: *Clariſſimum enim eſt Epiſcopum peccatorem*, (non explicat publico ſcandalo, an interiore mentis nequitia, aut domeſtico & ignoto peccato,) *reſurgere non poſſe per media ſtatui propria, cum hoc ipſo quod peccator eſt*, (publicus an occultus, nihil refert penes Aurelium) *ſtatum amittat ex primæuo iure, nec amplius in eo ſit.* Dura vox, cui VVicleffus non inuitus adhinniat: quæ Petrum Aurelium in eo genere hominum collocat, vt eadem inferius pagina ab ipſo dicitur, *qui nihil magis habent quam arrogantiam Theologicam, nihil minus poßident quàm ſcientiam Theologicam.* Scripſit enim VVicleffus inter cetera eiuſdem farinæ, cum Ioanne Huſſio laternario ſuo. *Nullus eſt Dominus ciuilis, nullus eſt Prælatus, nullus eſt Epiſcopus, dum eſt in peccato mortali.* Scribit Aurelius, olim Clericus omnis (multoque magis Epiſcopus) mortali peccato & pœnitentiæ reatu è Cleri totius ordine labebatur. Dixit Huſſius, *Papa vel Prælatus malus & præſcitus, eſt æquiuocè Paſtor, & verè fur, & latro.* Dicit Aurelius, *hoc ipſo quod Epiſcopus peccator eſt, ſtatum amittit ex primæuo iure, nec amplius in eo eſt.* Germanæ ſunt illæ propoſitiones, quæ execratione indigent non confutatione. Quòd enim *ius primæuum*, id eſt veteris Eccleſiæ ſancita obtendit, ſplendida verba ſunt, cum nuſquam in tota vetere & noua Eccleſia propoſitionem illam ſuam reperturus ſit Aurelius; vt quæ errorem in fide manifeſtum continet, dicente Chriſto, *ſuper Cathedram Moyſi Scribas & Phariſæos ſediſſe*, viros improbos & peccatores, legitima nihilominus Iuriſdictione præditos.

*Aurelij doctrina hæreſibus Wicleffi non abſimilis.*

Concil. Conſt. ſeſſ. vlt. in Bulla Mart. 5.

Mat. c. 23.

Quæ ſequuntur propoſitiones ex aduerſo ſibi oppoſitæ Catholicam veritatem oppugnant. Pronunciauit VVicleffus; *ſi Epiſcopus vel Sacerdos exiſtat in peccato mortali* non ordinat, non conſecrat, non conficit, non baptizat. Pronunciat è contrario Petrus Aurelius, *Actiones Epiſcoporum proprias, eſſe opera vera pœnitentiæ, & per eas ſanari peccata.* Hæc propoſitio contradictoriè oppoſita eſt illi primæ, quam *clariſſimam eſſe* antea profeſſus eſt. Cuius equidem dicti ſi veritatem inquiſiero, quis tandem non imperitus illi ſe adiunget, vt fateatur auguſti chriſmatis confectionem, altarium conſecrationem, virginum benedictionem, quæ *actiones* tam ſunt *Epiſcoporum propriæ*, vt alteri cuilibet ſint inconceſſæ, *eſſe opera vera Pœnitentiæ*, in quibus neque peccatum video, quod pœnitendo retractetur, neque ſuſceptum de corpore peccante ſupplicium, quo ſatisfiat. Quamobrem opera illa neque formaliter Pœnitentiæ ſunt, neque ab ea efficiuntur, aut imperantur, neque vim omnem potentiſſimi characteris, in ijs potius explicat impenditque Hierarcha quæ Pœnitentiam, quàm quæ Religionem caritatemque promouent.

*Manifeſta Petri Aurely contradictio* pag. 631.

*Refellitur Aureliana propoſitio.*

## *PAROCHI IVRISDICTIONEM EPISCOPI poteſtati æquiparat Petrus Aurelius.*

§. IIII.

*Hierarchiæ perturbator Aurelius.*

SATIS non eſt Petro Aurelio Sacerdotum Iuriſdictionem, vnius & eiuſdem naturæ cum Epiſcopali poteſtate facere, & vtramque ſola amplitudine diſtinguere, niſi etiam Parochos in nomen & poteſtatem Epiſcoporum toto eloquentiæ ſuæ conatu euehat, Hierarchiam turbaturus, dum ſe Hierar-

charum

charum parronum videri affectat. A perſona incipit. *Sicut Epiſcopus refert Chriſtum in totius Diœceſeos ambitu, ita Epiſcopū refert Parochus in Parœcia, vbi ad Epiſcopo conſtituitur, quaſi minor quidam Epiſcopus.* Conſentit & Fr. Hallier, *Quinā illi Chorepiſcopi, quos συλλειτουργοὺς vocat Concilium Neocaſarienſe, ſiue Conſacerdotes & Comminiſtros, niſi Parœci? qui Chorepiſcopi dicuntur, quaſi in agru Epiſcopi conſtituti, id eſt Presbyteri? Quippe cum hoc tempore, quo nondum Aerianorum hæreſis emerſerat, Epiſcopi & Presbyteri nomina promiſcuè vſurpari ſolerent.* Huic enim Doctori Preſbyter in Concilijs & Patribus idem eſt qui Parœcus, idem Parœcus qui Chorepiſcopus, Chorepiſcopus agrorum Epiſcopus, Conſacerdos & Comminiſter vrbani Epiſcopi: vt eodem nomine Parœcos compellare debeat vrbanus, ſiue maior Epiſcopus, quo Summus Pontifex Epiſcopos, nimirum *Conſacerdotes & Comminiſtros.* Hæc de nomine; poteſtatem videamus in loci mentione.

*Parochos ad dignitatem Epiſcopalem euehit.*
*in vindic. p. 233.*
*Item Hall. in vindic. p. 575.*

*Ipſa Parochialis Eccleſia Eccleſiæ Matricis, & Principalis pulcherrima imago eſt,* ait Aurelius, *quia quacunque Hierarchica operationes in Eccleſia Matrice fiunt ab Epiſcopo, in communem gregem fidelium, eadem à Parocho in portionem gregis ſibi traditam, exercentur, vt Baptiſmus, Euchariſtia, Catecheſes, ſeu prædicatio Verbi, Eulogiarum communicatio.* Permittes me, Lector, hoc loco neceſſitati obſequentem, à S. Epiphanio Aërij hæreſim repetere, *Quanam inquit in re Epiſcopus Presbytero antecellit?* (Preſbyterum memineris ſemper ab Hallier Parœcum intelligi) *nullum inter vtrunque diſcrimen eſt:* (niſi forte in nomine, cum Preſbyter ſit minor Epiſcopus, in agris Epiſcopus,) *Eſt enim amborum vnus ordo,* (*poteſtatem Ordinis miniſtri omnes à Deo proximè habent* vt ante dicebat Aurelius) *par & idem honor ac dignitas* (*eadem, eiuſdemque naturæ poteſtas, vt riui à fonte,* inquiebat Aurelius) *manus imponit Epiſcopus, imponit & Presbyter: Baptiſat Epiſcopus: idem facit & Presbyter; diuinum omnem cultum adminiſtrat Epiſcopus, non minus id facit & Presbyter: Epiſcopus in Throno ſedet, ſedet & Presbyter.* Eædem operationes Hierarchicæ fiunt, inquit Aurelius, ab Epiſcopo in Eccleſia Matrice, & à Parocho in Parœcia, *vt Baptiſmus, Euchariſtia, Catecheſes, Eulogiæ.* Prouoco ad Grammaticos, & linguarum vernacularum interpretes, ſi quis Aurelium cum Aërio eadem ſentire ac ſcribere contumaciter negauerit. Et vide fraudem hæreticæ ſimilem. Quid facit Epiſcopus quod non faciat Preſbyter? quæcunque operationes Hierarchicæ fiunt ab Epiſcopo, fiunt & à Parœco: vt Baptiſmus, Euchariſtia, & ſimilia, quæ verè vtrique ſunt Communia; quaſi ea tantùm poſſit & faciat Epiſcopus. Quantò pleniùs & veriùs Concilium Tridentinum? Declarat *Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, Presbyteris Superiores eſſe, Sacramentum Confirmationis conferre, Miniſtros Eccleſiæ ordinare: atque alia pleraque peragere ipſos poſſe, quarum functionum poteſtatem reliqui inferioris ordinis nullam habent.* Cui videtur inferius conſentire, ſibi nuſquam conſentiens Aurelius, dum concludit *Maneat igitur nullam Epiſcopalem poteſtatem, neque Iuriſdictionis, neque Ordinis à ſolis Presbyteris ſuppleri poſſe, ſaluo Eccleſiæ ſtatu.* Hæc concluſio, vt patet, contradictoriè oppoſita eſt illi ſuperiori; quæcunque operationes Hierarchicæ fiunt ab Epiſcopo, fiunt & à Parocho; oppoſita eſt contradictoriè & veritati Catholicæ, cum hæc eius contradictoria vera ſit, aliqua poteſtas Epiſcopalis ſuppleri poteſt ſaluo Eccleſiæ ſtatu, à ſolis Preſbyteris. Adeo cæcus eſt error qui rectam & mediam viam

*Parochialē Eccleſiam cum Metropolitana comparat Aurelius.*
*Aërij hæreſis Aureliana propoſitioni aſſimilis.*
*Epiph. hær. 75.*
*Aurelij fraudulenta ſubtilitas, metrore tegendo.*
*Concil. Trid. ſeſſ. 23. c. 4.*
*Alia Aurelij contradictio & falſa opinio.*
*p. 238.*

negligit? Poteſt igitur aliquid Parochus eorum quæ facit Epiſcopus, omnia non poteſt, vt Synodos conuocare, fidei decreta definire, pœnitentes publicè reconciliare, caſus aliquos reſeruare, cenſuras Eccleſiaſticas infligere, & alia eiuſmodi, quæ ſuperiorem & Apoſtolicam poteſtatem flagitant.

*Aurelius obiectioni malè occurrit in vin. p. 232.*

Reſpondet ad hæc Aurelius, imparem Epiſcopo eſſe Parochum, etſi eadem hic agat, quæ ille, in eo quòd *Concilia & Patres docent, nihil à Presbyteris aut Diaconis, ſine nutu Epiſcopi agendum eſſe; omnes prorſus Eccleſiæ functiones ad Epiſcopos ſummo iure pertinere*, & quicquid Hierarchicum hic exercet, ſub Epiſcopo exercere. Specioſè & verè dictum, ſed mera rima: poteſt enim qui imperat aliquem collegam ſibi ſic adſciſcere, vt eum totius ſuæ poteſtatis participem faciat, ea tamen lege, vt illam intra fines certæ regionis coërceat, neque ſine ſuo nutu quicquá agat. Rem ex hiſtoria declaro. Valerius Diocletianus Imperij Romani molem vnus ſuſtinere impotens; Maximianum primò Herculium, deinde Galerium, & Conſtantium Cæſares adſciuit, tum

*Aurelius Victor. c. 39.*

*quaſi partito Imperio cuncta quæ trans Alpes Galliæ ſunt, Conſtantio conceſſa, Africa Italiaque Herculio, Illyrici ora vſque ad Ponti fretum Galerio, cætera Valerius retentauit.* Hi omnes in ſuprema, ſed à Valerio participata poteſtate, illum *vt Parentem, ſeu Dei Magni ſuſpiciebant modo, eiuſque nutu omnia gerebant*, inquit Aurelius Victor. Erant, inquam, illi collegæ Diocletiani, ſumma poteſtate præditi, ſed ab eo deriuata, ipſius nutui ſubiecta, & certis limitibus arctata. Nihil ergo prohibet quin & eodem modo Parochi ſint Epiſcoporum collegæ, & ipſi poteſtate Epiſcopi, licet eius poteſtatis Epiſcopus ſit fons & plenitudo.

*Epiſcopi in parua vrbe non conſtituendi, contra Aurelium in vin. p. 245.*

Addo leuius per ſe aliquid, ſed quod iterata repetitione mentem meam retinet, & identidem cogit ſubſiſtere: neque quicquam lege Talionis ineo ſpernendum, qui tanquam venaticus canis vel tenuiſſima errorum veſtigia indagat. *Canones*, inquit, *ne quidem vllam vrbem maiuſculam proprio Epiſcopo carere debere decreuerunt. Conſtat enim Epiſcopos olim ſingulos, ſingulis ciuitatibus præfuiſſe.* Alia ſentit collega Franciſcus Hallier, ex Gratiano; alia loquitur Canon Sardicenſis. *Non licere autem penitus Epiſcopum conſtituere in aliquo Pago, vel parua Vrbe, cui vel vnus Presbyter ſufficit. Non neceſſe eſt enim illic Epiſcopum conſtitui, ne Epiſcopi nomen & auctoritas vileſcat. Sed Prouinciæ Epiſcopi debent in ijs Vrbibus Epiſcopos conſtituere, vbi etiam prius Epiſcopi fuerunt. Si autem inueniatur Vrbs aliqua tam populoſa, vt ipſa Epiſcopatu digna iudicetur, accipiat.* Et ſe Gregorius Nazianzenus à Baſilio queritur Sazymis, vrbi non magnæ, præfectum eſſe Epiſcopum.

*Cui repugnat Hallier in vin. p. 443.*
*Concil. Sardic. can. 6*
*Gre. Naz. in Carm. de vita ſua. & alibi.*

*Malè opinionem ſuã ex Apoſtolo confirmat Aurelius.*
*Hallier repugnante in vindic. p. 440.*

*Hoc idem videtur voluiſſe Paulus ad Titum ſcribens, vt conſtituas per ciuitates Presbyteros. Nam quin agat de Epiſcopis, nullum dubium eſt.* Atqui Fr. Hallier probabiliùs per Presbyteros illos, Parochos intelligit: quos cum alibi Epiſcopos in agris, ſeu Chorepiſcopos appellet, vt diximus, Aurelius *minores* Epiſcopos, etiam in vrbibus, & vtriuſque mens eadem ſit in amplificanda, quantum verbis & oratione poſſunt, vltra debitum, Parochorum auctoritate, non conſiderantes ſuam orationem eſſe Epiſcopalis prærogatiuæ imminutionem, non veram Parœcorum dignitatis exaggerationem; ex hoc Pauli loco ab vtroque explicato, tanquam vna opinione, verbis diuerſis prolata, vnum animi gratia colligo argumentum, S. Auguſtini exemplo, qui ratiocinationem vnam in li-

*Aug. l. 2. de ciuit. c. 15.*

in libris de Ciuitate Dei è tribus Græcorum, Romanorum, Chriſtianorum propoſitionibus contexuit. Proponit Petrus Aurelius, Preſbyteri per ciuitates à Tito conſtituti, ſunt Epiſcopi. Aſſumit Franciſcus Hallier, Parochi ſunt Preſbyteri per ciuitates à Tito conſtituti. Ego verò ex vtriuſque mente colligo, ergo Parochi ſunt Epiſcopi.

Addit alibi cauſam Aurelius, *vt in ſingulis Eccleſijs ſingularum vrbium ambitu comprehenſis, perfecta religionis, & cultus diuini ſocietas, ſuis membris & capite completa, cui præſideret Epiſcopus, collocaretur.* Vel igitur imperfecta & incompleta modò eſt religio in ijs vrbibus, etiam populoſis quæ carent Epiſcopo; vel aliquis vrbanorum Parochorum, putà primariæ Parœciæ, caput eius eſt, & Epiſcopus. *In locis vbi propria ſeorſum ciuium corpora iam condita fuerant, ſingula etiam Eccleſiarum particularium corpora condiderunt Apoſtoli.* Caue ne ſingularitas iſta vnitatem tollat, & toties capitis & corporis inducta mentio, membra diuellat à capite. Ex quo Nouatores conatu gigantæo Romanam ſedem oppugnarunt, libertinis quamplurimis Papa, Epiſcopus vrbis Romæ eſt, prætereà vix quicquam. Nonne palam aliqui profitentur poſſe Parochum in ſua Eccleſia, quod poteſt Epiſcopus in tota Diœceſi? Quidni enim, ſi vnius eiuſdemque naturæ vtraque poteſtas eſt, ſi amplitudine ſola differunt, quod nobis perſuadere vult Aurelius? Vidi ego qui præfidenter publiceque aſſererent, ſe ſuum Epiſcopum, ſi ad ipſorum adiret Parœciam, ex vrbanitatis legibus honoraturos: ſi quid autem inuitis ipſis vellet decernere, nec paſſuros, nec imperio ceſſuros. Ita Romæ Papam, Epiſcopum in matrice Eccleſia, Parochum in Parœcia regnare volunt aliqui, qui maximè videri affectant Hierarchiæ vindices, neque aliud ſupereſt, quàm vt de Deo ipſo dicant, *nubes latibulum eius, nec noſtra conſiderat, & circa cardines cœli deambulat.*

*Aurelij perniculoſa doctrina.* p. 273.

Ibid. p. 274.

Iob. c. 22.

---

*DE EPISCOPI IN QVALIBET ECCLESIA particulari neceſsitate.*

## CAPVT XVIII.

HOc titulo contenti ſimus, vt architecti veſtigio, & ædificij prima delineatione. Hactenus enim licuit quæſtioni noſtræ inoffenſo pede per apertam Theologiæ planitiem currere. Metas hic figit Romana Eminentiſſimorum Cardinalium Congregatio, decreto illo quo controuerſiam inter Illuſtriſſimum Chalcedonenſem, & Regulares Anglicanos ortam attingi prohibent ab Inſulanis ſcriptoribus, cum Eccleſiæ ſcandalo. Cuius quidem litis vnum è præcipuis capitibus iſtud eſt, Poſſit-ne particularis quæpiam Eccleſia, ſine particulari Epiſcopo vera & integra eſſe? Eam-ne ſufficiat à Pontifice Romano totius Eccleſiæ capite pendere, vt corpus omnibus ſuis membris conſtans eſſe cenſeatur? Hic igitur cum illis obtempero & ſileo, qui qualemcunque hanc opellam *in ædificationem, non in deſtructionem aſſumo.*

*Anglicanis ſcriptoribus huius quæſtionis tractatus interdictum eſt.*

Conuenire tamen Aurelium, ne Lectorem circumueniat, nulla prohibet auctoritas, præſertim cum huic qui ſe Theologum doctorem à ſuis dici patiatur, manifeſtæ contradictionum labes ſint demonſtrandæ. Ante omnia

*Aurelius Eccleſiæ regimen facit morale non phyſicum in vindic. p. 125.*

probari non poteſt in eo, quòd Eccleſiæ regimen moràle aliquid facit, non phyſicum. Vbi enim de eo loquitur; *in moralibus*, inquit, *eſſentiale ac neceſſarium eadem ſunt: Morales res; moralibus ſpatijs menſurantur, ſicut Phyſicæ phyſicis.*

*Aurelij in quæſtione propoſita; contradictio 1. p. 122. 123. 124 & 274.*

Prætetea aduersùs Anglicanos ſcriptores diſputans, aſſerentes *in Eccleſia particulari poteſtatem regiminis ab eo ſuppleri poſſe, qui non ſit Epiſcopus*: cum opponat eâ ſententiâ *Epiſcopale munus, ſublata eius vera neceſſitate, per Sacerdotalis regiminis ſupplementum, ad nihilum redigi*; In eaque re conſtabilienda, & exterminando Sacerdotalis regiminis ſupplemento inſiſtere debeat, fateturè contrario non ſemel *regimen Eccleſiæ Presbytero, neceſſitate cogente, ad breue tempus committi poſſe: quia non ſolum iuriſdictio & regimen Epiſcoporum particularium, ſed etiam Pontificis maximi à Presbyteris ſuppleri interdum poteſt; ſæpeque ſuppletum fuit.*

*Præuaricatione tranſiit in partes aduerſariorum. In eum eius argumenta ſua retorquentur. p. 218.*

Hoc ſi concedit Aurelius, quid tantopere in aduerſarios declamat, quibus cum facit? Si furantur Angli Eccleſiæ poteſtatem Epiſcopalem, nonne Aurelio dici poteſt, *ſi videbas furem currebas cum eo?* Nonne hæc ipſa verba quæ ſtringit in aduerſarium, optimo iure in eum torquentur, *ſimiliter negandum tibi eſt, Epiſcopos ad Eccleſiæ regimen neceſſarios eſſe, cum id ipſum regimen à ſolis Presbyteris ſuppleri poſſe velis. Hæreſis indubia eſt, cum regimen Eccleſiæ à Chriſto Domino inſtitutum, deiectis de ſede Epiſcopis, Sacerdotibuſque ad clauum admotis, euertat.* Præuaricatoris hæc eſt actio, non patrocinium aduocati. Nam quòd *breue tempus* definit, quo poteſtas ea ſuppleri poſſit, effugium eſt, non cauſa; latebra, non veritas.

*Non poteſt à Presbyteris ſuppleri regimen Eccleſiæ.*

Si enim omnia regendæ Eccleſiæ neceſſaria, vel ad vnum diem ſuppleri poſſunt à Preſbytero, ad annum; ad luſtrum, ad ſeculum poſſunt. Siquidem homo ille, quocunque eum nomine appellare ius faſque eſt, ordine Preſbyter, poteſtate & Iuriſdictione Pontifex erit: horam vel diem nihil intereſt; & pugno ne horam quidem poſſe eſſe. *Suppletum* ait *breui tempore.* Quo? Reſpicit ſine dubio ad intercapedinem Fabiani, & Cornelij: vacauit enim ſedes annum, & amplius. Hoc tu *breue tempus* appellas? annum perpetuis turbinibus agitatum, tyrannicis tempeſtatibus horridum, quo, ſi vnquam aliàs, gubernatore Petri nauis indigebat, cui viginti pacificos annos non anteferas, quo grauiſſimæ de lapſis controuerſiæ ſuprema auctoritate decidendæ incurrerunt, vt tam crebra naufragia, & vim procellarum, & gubernatoris neceſſitatem oſtenderent, annum illum anfractu ſolis annum, calamitatibus ſeculum, *breue tempus* contemptim vocat Aurelius. At neque breui illo tempore, ſuppletum Eccleſiæ regimen fuiſſe, cognoſcet inferius.

*2. Aurelij contradictio in vin. p. 221. Concil. Trid. ſeſſ. 23. c. 4. Eccleſiæ regimen nunquam ſuppletum fuit à Presbyteris.*

Sed ecce ſibi redditus contradicit. *Dubitandum non eſt, quin idem regimen Epiſcopis, & muneri Epiſcopali eſſentiale, & penitùs inſeparabile dici debeat.* Fuit etiam addendum, incommunicabile, cum manifeſtè Tridentinum Concilium, inter ea quæ ſic Epiſcopis ſunt propria, vt ad Preſbyteros non poſſint transferri, nominet *Regimen Eccleſiæ*: quod verè neque ſuppleri poteſt à Preſbyteris, neque vnquam fuit omni ex parte ſuppletum. Nunquam enim Clerus, ne Romanus quidem, coëgit & confirmauit Concilia generalia, nunquam nouos vrbibus dedit Epiſcopos, ordinauit Preſbyteros, Patriarchas ſuis ſedibus dimouit. Quæ, & ſimilia Eccleſiæ vniuerſalis regimen explent, & pro modo ſuo ad particulares Eccleſias, & ſingulos Epiſcopos referri poſſunt.

*Pars tamen aliqua ſuppleri poteſt.*

Quod ſi quædam priuatæ operationes Hierarchicæ, Preſbyteris aliquando committuntur, non idcirco tamen dici poteſt ac debet Eccleſiæ regimen

gimen à Preſbyteris ſuppleri; ſed aliquam, eamque minoris momenti par-
tem, ex ijs quæ facilè communicari poſſunt. Quod quia factum à Cleto
Romano aliquando legit Aurelius, confidenter pronuntiat, regimen Ponti-
ficis maximi à Preſbyteris ſuppleri poſſe, & ſæpe ſuppletum fuiſſe. Poſt quæ [3. *Aurelij contradictio in vind. p. 236.*]
tam *ſæpe*, tam ſolenniter pronunciata, ſtupere cogor, cum inferiùs in eodem
Aurelio lego, quaſi concluſionem demonſtrationis, quaſi epinicium pugnæ,
*Maneat igitur nullam Epiſcopalem poteſtatem neque Iuriſdictionis, neque ordinis, à ſo-
lis Presbyteris ſuppleri poſſe, ſaluo Eccleſiæ ſtatu.* Ita neque cum hiſtoriæ veritate,
neque cum fide Catholica per Concilium declarata, neque ſecum conſentit
Aurelius, ſed cum ſolo aduerſario, cui *hæreſim indubiam* obiicit.

Alibi quoque cum veritate, & ſecum ipſe pugnat in conſimili materia: [4 *Aurelij contradictio*. Idem p. 185]
*Hoc planè dicitur, Epiſcopatum Eccleſiæ eſſentialem; hoc eſt, poteſtatem auctoritatem-
que Pontificalem, quæ nunquam neque moritur, neque vacat: quemadmodum iſta pro-
poſitio intelligi ſolet, regnum ſine Rege eſſe non poteſt.* De dignitatibus ad quas ele- [*Falsò dicit Epiſcopo mortuo, Epiſcopatum non vacare.*]
ctione peruenitur eodem agit modo, quo de ijs quæ ſucceſſione obtinentur.
Certè Rex in Gallia nunquam moritur, etiam perſona Regia demortua, quia
quo momento iſta eſſe in viuis deſinit, eodem alteri ſanguine proximæ ius
regni acquiſitum eſt. Quod de Imperatore, de Poloniæ Rege, de Summo
Pontifice, de Epiſcopis & Parochis dici non poteſt. Id docet in re ſimili Sue-
tonius, vbi de Caio Cæſare *Conſulibus oblitis de natali ſuo edicere, abrogauit ma-* [Sueton. in Calig. c. 26.]
*giſtratum, fuitque per triduum ſine ſumma poteſtate Reſpublica.* Quod ſi Latinus
ſcriptor, Conſulatum quaſi mortuum eſſe, & vacaſſe cenſuit; quandiu nulli
in decedentium locum ſuffecti eſſent, cur de Epiſcopatu pronunciat Aure-
lius, eum nunquam mori & vacare? Sed pergit.

*Patres & Concilia dicunt Petrum ſemper in throno ſedere, & de Eccleſiæ contro-* [*Patres & Concilia malè citat Aurelius* p. 19.]
*uerſijs pronunciare.* Nuſquam illas voces à Patribus & Concilijs prolatas inue-
niet Aurelius, de Eccleſia Romana Paſtore viduata, ſed tantùm de legitimis
Petri ſucceſſoribus, in ſede Apoſtolica reapſe inſidentibus, & Eccleſiam re-
gentibus, auctoritate à Chriſto per canonicam electionem, & Petri ſucceſ-
ſionem accepta. Neque vnquam S. Cyprianus Clerum Romanum vt Petri [*Quomodo Cyprianus Clerum Romanum conſuluerit.*]
ſucceſſorem, & Eccleſiæ vniuerſalis rectorem, ſed vt amicum & conſilia-
rium in re dubia & ancipiti conſuluit: eiuſque lecta Epiſtola, *Standum*, inquit,
*putaui cum veſtra ſententia, ne actus noſter qui adunatus eſſe & conſentire circa omnia* [Cypri. ep. 15.]
*debet, in aliquo diſcreparet. Sententiam* dicit, non decretum: *cum illa ſtandum pu-
tat* libertate iudicij, non ſubditi neceſſitate: *Ne diſcreparent actus*, eandem
Dei gloriam promouentium amicorum, non ordinum inuicem ſubiecto-
rum. Et Clerus ipſe Cypriani conſulentis mentem ſic explicuit: *qui pro tua* [Clerus Rom. inter epiſt. Cypriani ep. 31.]
*verecundia, & ingenita induſtria, conſiliorum tuorum nos non tam iudices voluiſti,
quàm participes inueniri: vt in tuis rebus geſtis laudem tecum, dum illas probamus, in-
ueniremus, & tuorum conſiliorum bonorum cohæredes, quia & affirmatores eſſe poßi-
mus.* Qui & negat quicquam ſe in propoſita quæſtione ex auctoritate ſtatuere [*Non eſt iudex Cypriani, ſed conſiliorum approbator. Nihil decernit vacante ſede.*]
poſſe. *Quanquam nobis differenda huius rei neceßitas maior incumbat, quibus poſt ex-
ceſſum nobilißimæ memoriæ viri Fabiani, nondum eſt Epiſcopus, propter rerum &
temporum difficultates conſtitutus, qui omnia iſta moderetur, & eorum qui lapſi ſunt,
poßit cum auctoritate & conſilio habere rationem.* Dicat nunc Petrus Aurelius quo-
modo ſede vacante ſedeat Petrus, & de controuerſijs iudicet? Quale regimen
Eccleſiæ ſolis Preſbyteris commiſſum ſit, quale ſuppletum?

*Alius error Aureli. p.20. Et Fr. Hallier in vin. p 35.*

Pergit errare Aurelius. *Status & dignitas Epiſcopalis ſemper actu manet in vera Eccleſia, etiam Epiſcopo mortuo.* Quod accepiſſe videtur à Franciſco Hallier, cui in plurimis conſonat, velut ὁμοῦ & ὁμοίως. *Sublato Epiſcopo ſtatus Epiſcopalis ſemper manet, ac forma Monarchici regiminis.* Accidentia ſunt iſta, requirunt ſubſtantiam cui inhæreant: abſtracta ſunt, in concretis ſubſiſtant oportet. Itaque ſi vacante cathedra *ſtatus & dignitas Epiſcopalis manet*, in quo ſubiecto manet? Epiſcopo mortuo; ante factam alterius electionem, quæ tandem perſona eſt cui ineſſe dicatur *ſtatus & dignitas Epiſcopalis*? Non vna, inquiet, ſed plures. Caue Anarchiam. Qui plures illi? Clerus. Non poteſt, ex ſupra dictis, & ſtatum facit Ariſtocraticum, qui hoc affirmat. Populus igitur. Atque hic minùs, niſi Democratiam inuehis in Eccleſiam: niſi cum hæreticis & nonnullis minus benè ſentientibus; quanquam Catholicis, affirmare audes, datas à Chriſto claues, non ipſi Petri perſonæ, ſed toti Eccleſiæ. Sequitur contradictio. *Sancti Patres Eccleſiam Epiſcopo mortuo viduam, paſtore deſtitutam, ſponſo orbatam dicunt.* Si coniugium ſemper actu manet, coniuge mortuo, cur ſe fœminæ viduas & relictas lamentantur? Status Epiſcopalis manet actu, inquit, poſt Epiſcopum; & tamen vidua eſt Eccleſia. Ad hanc argutiam ingenij mei acies hebeſcit; cotem expecto, quæ me exacuat.

*§. Aurelij contradictio p. 23.*

Profertur ergo aliquantò poſt, ſed quæ vehementiùs obtundit. Eccleſia illa vidua, orbata, deſtituta *fontem quodammodo perpetuum ſemper in ſe retinet, vnde ſponſi ſui abſentiam ſupplere, & nouos inuicem Epiſcopos ſublegere poſſit.* Non quæro ex Grammatico, nulla-ne re differant iſta, quæ pro ſynonymis habet, *ſponſi abſentiam ſupplere*, & *nouos Epiſcopos ſublegere*, cum etiam viui & ſpirantis abſentia ſuppleri poſſit ac debeat, quantùm per leges licet. Sed à Theologo mihi velim explicari, num viduæ mulieri ſecundarum nuptiarum poteſtas libera ſit? Num ea ratione *ſponſi ſui abſentiam ſupplere*, & nouum coniugem ſublegere poſſit? ideo-ne coniugium *ſemper actu manet* in ea, quæ *ſi mortuus fuerit vir eius, ſoluta eſt à lege viri?* Eandem puta Eccleſiæ viduatæ rationem; cui non potes actualem Epiſcopi dignitatem & Iuriſdictionem aſſerere, eo tantùm nomine, quod Epiſcopi noui ſublegendi ius habet & facultatem.

*Pag 24.*

*Rom. c. 7.*

Sed hac de controuerſia quam inuitus libaui, ſit hactenus diſputatum. Iudica modò, Lector, quas in labes lapſuſque Aurelius incurrerit? obtentu & Romani Pontificis & omnium Epiſcoporum vindicandorum, quàm multa in auguſtiſſimum Iuriſdictionis ordinem imprudens, ignarus, odio fraterno, eoque gratuito perturbatus effutierit? Plura non dico, ne quis de miſeri hominis ſupina incuria, & arrogante ignorantia triumphare me putet.

# DE HIERARCHIA ET HIERARCHIS.

## Liber quintus.

## DE REGVLARIBVS IN HIERARCHIA IVRISDICTIONIS.

### PRÆFATIO.

*QVA STATVS QVÆSTIONIS IN EA REligioſorum ordinum quæ modo viget forma poni debere monſtratur.*

REGNVM ſuum *de hoc mundo non eſſe* Chriſtus profitetur, quod tamen in hoc mundo eſt. Quapropter non debet tam anguſtum cenſeri, vt duos non capiat; cum quò plures admittit, eò glorioſiùs feliciuſque propagetur: potiſſimùm ex quo agnus qui occiſus eſt *nos fecit Deo noſtro regnum, & regnabimus ſuper terram.* Nos inquam, non minùs quàm Chriſti reliquos diſcipulos qui ex ſtatûs humilitate *venimus miniſtrare, non miniſtrari.* Quamobrem cum ordinarijs magiſtratibus locum ſuum, & ordinem in hoc Hierarchicæ Iuriſdictionis vero & proprio principatu, ad Canonum & ſacrorum Doctorum nutum atque arbitrium ſine cuiuſquam, vt ſpero, iniuria & offenſione aſſeruerim: quis me vetet Religionem profeſſum, pro Religione pauca loqui, & communi Religioſorum nomine à vobis, maiores minoreſque Prælati ſuppliciter petere, quod extraneis non ne-

3. Reg. 2. getur : *Dimittite nos obſecro ad vnam partem Sacerdotalem, vt comedamus buccellam panis.* Vobis non perit, quod cum alijs commune habetis : creſcunt cœleſtes diuitiæ cum diuiduntur in plures. Deus qui ſibi ſufficit, dat ſe totum ſingulis, & de illo dando tota nobis diſputatio eſt, qui mille ſe vijs in animos noſtros inſinuat. Veſtro igitur nutu beneuolentiaque ſecurus, declarare aggredior ſine partium ſtudio, ex Eccleſiaſticis legibus & probatis auctoribus, quem locum in Hierarchia Iuriſdictionis Religioſi obtineant.

*Quæ ſit huius libri ſubiecta materia.* Iuriſdictionis autem anceps nomen eſſe ſcimus : hinc actiuo ſignificatu dominans, inde paſſiuo ſubiectum ; neque quemquam in ordine Hierarchico videmus, ſi vnum excipis ſupremum Hierarcham Epiſcopum Epiſcoporum, qui eodem iure alterius ſupra ſe Iuriſdictionem non patiatur, quo in alios infra ſe Iuriſdictionem exercet. Duas igitur tractatus hic frontes accipiet, & Iani inſtar ἅμα πρόσσω καὶ ὀπίσσω aſpiciet, vt legitimam Hierarchatum, quibus ex rei natura ſubditus eſt Iuriſdictionem, in omnibus à quibus nullo priuilegio exemptus eſt, Regularis agnoſcat : & commiſſam ſibi ab Hierarcha principe, conſentientibus orbis Chriſtiani Hierarchis Iuriſdictionem in alios, tanquam paternam hæreditatem tueatur. Multa ſanè eaque præclara tibi, Lector, liber iſte promittit; ius Hierarcharum in Religioſos, quaſdam ab illo iure exemptiones, quæ priuilegia appellamus ; ius datum Religioſis ab Eccleſia ; Religioſorum ipſorum qui eo iure vtuntur conſiderationem, quantùm pro argumento fieri poterit, accuratam.

*Aduerſariorum callidum conſilium in encomijs veterum Religioſorum.* A qua quoniam exordiendum mihi eſt, amabo te, Lector, mecum euentila verſutum nonnullorum ex aduerſarijs conſilium, qui rapi ſe dicunt admirantes veterum Monachorum æuo obſitorum virtutes & inſtituta; longos Antonijs, Macarijs, Pachomijs dicunt Panegyricos : veſtes ipſas non manicatas, cucullos, cingula, vt ſacras antiquitatis reliquias deſcribunt : quo tandem animo? vt noſtram omnem agendi rationem ad ipſorum leges reuocari iubeant; vt cum illi prodigijs ſuis comitati ad Hierarchiam non aſpiraſſe legentur, huius ſeculi Regularibus conuicium credantur facere, qui virtutes non amplectantur quas illi, dignitatem ambiant quam non illi : & *antiquus Epiſcoporum principatus*, reductis ad omnimodam ſubiectionem, vetuſtis Monachis parem, Regularibus omnibus, *inſtauretur*. Licet enim à Regibus ad ſacras infulas eligantur, à Pontifice Romano admittantur; apud profana tribunalia litigent, fiſco pecunias vbi opus pendant, ab illorum ſententia ad laïcos Iudices prouocetur, Eccleſiarum ſuarum Canonicos in poteſtate non habeant: vnum hoc tamen illis ad perfectum abſolutumque principatum deeſſe dicunt aduerſarij, præſentibus Religioſis pleno iure, quemadmodum antiquis olim monachis, imperare.

*Abſurdum eſt ant quæ ſola mirari.* Verùm qui ſic de iſtiuſmodi rerum mutatione philoſophantur, cui porro litem intendunt? an Europæ, quæ Palæſtinos atque Ægyptios Anachoretas admirari maluit ſemper, quàm in omnibus imitari? an Eccleſiæ Romanæ, quæ Religioſos ordines diſpari à veteribus Orientis Monachis forma condidit? Rebus fortaſſe humanis quæ paulatim & longo vſu accreſcunt, & à tenuibus rudimentis ad perfectam ſui abſolutionem per gradus & ſpatia temporum deducuntur? Quid agas? hic ſe habent humana omnia : vixerunt moribus ſuis antiqui, nos noſtris : Vtri meliùs? in pleriſque ſuperfluum eſt quærere, cum præterita reuocari non poſſint. Quid? Iniquè de ſeculo ſuo non iudicant,

iudicant, qui noſtratium Religioſorum mores ex antiquorum factis expendunt, vt quod illi faciendum ſibi, omittendum-ve cenſuerint, hoc nos confeſtim pro voluntate amplexemur, aut fugiamus. Planè vt ſi quis æui maturum hominem ad puetitiam redire compellat, quoniam in illo ætatulæ flore vinnulum & elegantulum nonnihil habebat, quod matri arrideret. Aut ſi Romanos ſub Auguſto Cæſare Diogenes aliquis ad ea tempora tetraxiſſet, quibus naſcens curia, *Pellitos habuit, ruſtica corda, Patres*, cum totum pene impetim ſuum ficu Ruminali opacabant, & hoſticum ſolum è portis videbant. Aut denique ſi ſatiram ſtringamus in hæc ſecula, indignati quod glande & frigida, ferino more, mortales modò viuere recuſent. His ego ſum auctor vt Romanum Pontificem ad D. Petri & antiquorum ſucceſſorum tenuitatem traducant: vt Epiſcopatuum bona in Clericos, in pauperes, in ſarta tecta, tum tandem in ipſam Epiſcopi ſuſtentationem diuidant: vt neminem ad Preſbyteratus ordinem admitti patiantur, niſi qui Eccleſiæ alicui mancipatus & affixus fuerit: vt veterum canonum rigorem in eos Epiſcopos & Clericos renouent, qui à minore Eccleſia in maiorem, amplioris vtilitatis cauſa migrarint: qui plura beneficia in vnum caput congeſſerint: qui ſe negotijs ſecularibus implicuerint. Id modo, inquis, vt ſunt tempora optari debet, perfici non poteſt. Næ tu durus es, & importunus, qui quod Eccleſiaſticos principes fateris facere non poſſe, hoc à Monachis non fieri indignaris: qui ad exempla naſcentis Monachiſmi perpetuò prouocas, & Abbatem Pianorem, Abbatem Abraham, ſanctam Syncleticam nobis ſemper obtrudis, Martinos, Nicolaos, Ambroſios, Athanaſios, Gregorios, cum ſuis virtutibus atque exemplis, iuiſſe pridem reſpondes *illuc, vnde negant redire quemquam.*

*Præteritorum ſeculorum mores renocari non poſſunt.*

Hæc vbi accuratè perpenderit Nicolus le Maiſtre, manifeſtè deprehendet quàm ſubleſtum & leuidenſe ſit argumentum illud, quo conficit magnos Antiſtites, etiam Monaſticarum Regularum auctores, Monachos nunquam extitiſſe. *Indicet aliquis mihi*, inquit, *quis Baſilium è ſolitudine euocarit? quæ auctoritas illum Monaſterij latebris eduxerit? quis præfectus Auguſtini vota nuncupantis fidem acceperit, quis deinde Religione ſoluerit?* Hoc enim tantùm ſic rogando conſequetur, vt agnoſcamus externam agendi formam, & quaſdam regulares, quas dicimus, obſeruantias, ſanctè poſtea inſtitutas, quarum aliquæ omnibus ex æquo ordinibus communes ſunt, aliæ ſingulis peculiares, primis Monachis non fuiſſe impoſitas. Meminerit interim huiuſmodi interrogationibus ad antiquitatem ſine periculo reſpectari non poſſe: cum libertinus, aut nouator neſcio quis, eodem iure, rogare queat, *indicari* ſibi, quis Apoſtolorum eam Miſſæ formam, quam modò tenemus, tradiderit? quæ veterum *auctoritas* beneficiorum Eccleſiaſticorum collationem Pontifici Romano conceſſerit? *Quis Præfectus* Eccleſiæ, non modò fideles laïcos, ſed ipſos etiam Epiſcopos, Clericoſque Apoſtolici interdicti *religione ſoluerit*, vt apud externos iudices litigent? Franciſcus autem Halliet vt rem grandem, eodem argumento comprobat, Chriſtum *nunquam fuiſſe regularem, nunquam ſe obedientiæ Regularis voto adſtrinxiſſe.* Pluribus deinde & magnis rationibus docet, *nullum fuiſſe Abbatem cui in ijs, quæ ad ſpiritalis vitæ directionem pertineant, ſe ſubieciſſet.* Quis non ad ſublimé hanc Theologiam penitus obſtupeſcat, & ſolertiſſimo eius inuentori grande σοφῶς admirabundus inclamet? quis ſeculo

*In hoc paralogiſmo confunditur.*

Nicol. le Maiſtre l. 1. Inſtaur. princip. Epiſc. c. 12.

*Periculoſum ad vetera prouocare.*

*Ridicula quæſtio ab* Fr. Halliet propoſita in vind. p. 628.

iſti tam erudito non gratuletur, quo primùm hæc elucidata veritas eſt, Chriſtum *Abbatem non habuiſſe cui ſe ſubiecerit, à quo in vita ſpiritali regeretur?* Id certè Hugoni Victorino nunquam venit in mentem, cum animæ Religioſæ clauſtrum tanquã omni ex parte clauſurus, ſummum Abbatem Deum facit, Chriſtum autẽ velut Priorem, *miſſum à clauſtro Summi Abbatis, collegiſſe Conuentum, conſtituiſſe numerum, duodecim ſcilicet Apoſtolos; & Diſcipulos complures quaſi Conuerſos, propoſuiſſe communem vitam ſub ſanctis Apoſtolis conſtitutam.* Eſt enim Hugo intentus allegoriæ, dum literam fugientem Hallier perſequitur.

*Christus Prior clauſtri animæ.* Hugo Victor. l. 4. de clauſtro animæ c. 42. 43.

Eſt & alia eorundem iniquitas, qui ſi quid in Religioſos & Monachos ſiniſtrè dictum factumque legunt in Patribus, id continuò tanquam purpureum pannum operi ſuo attexunt, Regulares omnes vibrante vna D. Hieronymi, aut Auguſtini ſententia feriunt, inſultant temporum, inſtitutorumque diuerſitati, Nouatorum profectò more, abſit verbo iniuria; qui euulſa è ſcriptura doctorumque libris fruſtra alieno ſæpè ſenſu Catholicis obtrudunt. Tota ſanè oratio, & ea quidem circumſtantijs ſuis conueſtita, expendenda eſt, vt quo tempore, qua occaſione, cui perſonæ, quo animo ea ſcripta ſit, ſententia, intelligatur: nemo enim aliter de ſcriptoris vllius mente rectum tulerit iudicium.

*Aliquos Patrum locos aduerſarij iniquè obijciunt.*

Quamobrem ſic habeamus verum huius quæſtionis cardinem in eo non verſari, ſint-ne Religioſi noſtrates ad veterum Monachorum imaginem refingendi; neque in eo, ſit-ne laudabilior, an minùs perfecta Religioſorum quæ modò viget ratio & diſciplina, quàm horrida illa & ſylueſtris Ægyptiorum Monachorum Anachoreſis. Sed in hoc præciſè, vtrum Religioſi, proüt modo viuunt, qui nunc temporis probata ab Eccleſiæ Præſidibus inſtituta ſanctè & purè colunt, ab Eccleſiaſticis miniſterijs, & aliorum ſalute per ea procuranda ſint arcendi? Quod ſi poſſunt admitti, ea miſſio à quo pendere debeat, à priuato ſingularum Diœceſeon in quibus habitant, Epiſcopo; an ab Hierarcha ſupremo Pontifice Romano, cui ſint immediatè ſuppoſiti? Denique ſi rectum eſt, & æquum eam à Summo Chriſtianorum præſule committi, qualis tandem ab eo poteſtas data ſit, & quomodo in opus, ſine cuiuſquam iniuria reducenda? Tria ſuſcipio, & in ſolenni Hierarchiæ numero habitare delector. Atque vt liquidò appareat quid ſit id de quo diſputatur, præcipuas Religioſorũ ordinum ſpecies explicare auſpicor, qui de tota Religioſi ſtatûs natura, deque ſingulis eius partibus alijs libris multa dicturus ſum. Expanditur modò hæc tabula, non ad laudem ſtatus, non ad vitæ conditionem, non ad officiorum commendationem; ſed vt de toto genere, deque ipſis ſpeciebus, certius ab æquis arbitris ferarut iudicium, qui-nam illorum in hanc aut illam Hierarchiæ ſpeciem ſint admittendi, aut ab ea eliminandi?

*Verus quæſtionis ſtatus.*

RELI-

## RELIGIOSI ORDINES IN SVAS SPECIES *diſtribuii, & temporum varietate diſcreti, ducto à Clericis principio.*

### CAPVT I.

RELIGIONEM vulgarem Chriſtianis omnibus ex æquo communem, ſolummodo agnoſcit & probat VVicleffus hæreſiarcha, in Concilio Conſtantienſi iam olim eiectus ab Eccleſia; & in eius caſtris militant hoc ſeculo, qui votorum vim & ſanctitatem naſo ſuſpendunt, vt nuper damnatus Claudij Sequenoti liber, cui extremo huius operis libro, Deo auſpice ſatisfaciemus: & publicè profitentur veram eſſe demum Religionem, Deo ſine illa Votorum neceſſitate, mente libera, caſtè atque integrè famulari. Verùm illi communi, ſtrictiorem aliam ſuperadditam ſemper ab omni æuo complexa eſt & adamauit Eccleſia, quam quia votis nuncupatis totam ſe Deo mancipat & deuouet, Religionem perfectam, ſeu perfectorum appellat: qui perpetuus eſt in VValdenſi titulus; ad quem ſcriptorem recentes hoſce VVicleuiſtas remittendos cenſeo, dum animum meum atque orationem in hac Religionis preſſioris & arctioris ſpecie defigo: & aio, ab ipſo Chriſtianitatis exordio Religioſos perfectos duûm generum extitiſſe, Clericos & Monachos: poſterioribus deinde ſeculis tertium genus adiunctum, ex vtriſque mixtum, in quo neque ſolitudinem clericalibus officijs, neque clericatum ſolitudini Eccleſia voluit officere.

*Religionem perfectorum non agnoſcunt hæretici.*

*Sequenotus votorum Religioſorum impugnator. In totum ad S. Auguſtodu. s. Virgin.*

Clericorum ordo coæuus Apoſtolis, Regularium primogenitus, imò ordinum ordo, fons, origo, exemplar cæterorum. Agnoſcant Monachi Marcum Petri diſcipulum arctioris ſuæ vitæ principem, Clerici regulæ ſuæ Petrum ipſum auctorem laudabunt. Et quidem inſtituti Monaſtici Marcus ita fundator extitit, vt tamen Monaſticè nunquam vixerit: at Petrus, at Apoſtoli vitam Clericalem obſeruationibus quibuſdam à communi diſtinctam, non dico alijs tradiderunt, ſed ipſi ſibi ſuiſque æmulatoribus indixerunt. Sic enim narrant aliqui, Apoſtolos in monte Sionis poſt Chriſti Aſcenſionem de certo vitæ genere deliberantes, communia inter ſe omnia, ac tria vota certam Deo ſtatuiſſe. Quod licet ab alijs non adeo expreſsè tradatur; receptiſſima tamen Theologorum omnium eſt opinio, & paupertatis voto adſtrictos fuiſſe Apoſtolos, & formam in commune viuendi primos inſtituiſſe. Ab ea regula Canonici dicti ſunt, ab ijs, qui Canonicorum Regularium ordinem ab naſcente ſub Apoſtolis Eccleſia arceſſunt. Ita Robertus Epiſcopus Arboricenſis Pariſienſis Doctor, *Canonicos dicimus qui ex communi placito, & voto, orationi; ac mutuæ bonorum diſtributioni obnoxij erant. Erat autem hoc veluti quoddam elementum, atque exemplar futuræ communionis in ordine Canonicorum, qui triplici voto adſtricti ſe Regulares appellant. Quem D. Auguſtinus longo poſt tempore inſtituens, ab Apoſtolico fonte ſe hauſiſſe profitetur. Hic ergo ordo ſtatim ab orbe redempto primùm illuxiſſe viſus eſt tempore Apoſtolorum.* Sed de S. Auguſtino, & Clericis Regularibus mox inferius: nunc Apoſtolica tantum lineamenta ducimus. Roſetus item Pariſienſis Theologus, eundem teſtatur ordinem ſub ſanctis Apoſtolis fuiſſe inſtitutum: deinde à Marco Euangeliſta apud Alexandriam auctum, à Iacobo autem Hieroſolymitano Patriarcha; & Clemente Romano

*Ordinis Clericorum origo & laudes.*

Raph: El. Volaterr. l. 21 Anthropol.

*Cum Eccleſia naſcente incœpit.*

Robert. Arboric. opuſc. de tuendo cælibatu. tom. 2. tit. de Monaſt. ord. primordiis.

Roſet. l. de Relig. Eccleſ. tit. 4. c. 3.

Pontifice, inſigniqne martyre generali decreto condecoratum, à magno denique Auguſtino doctore inſtauratum; diuiniſque regulis illuſtratum. Raphaël Volaterranus, à quo Apoſtolica ſuperiùs vota produximus, addit *ritum illum à ſucceſſoribus Apoſtolorum, Clericiſque omnibus diu diligentiſſimè ſeruatum, at non ea qua deinde forma*: cum turbulentis illis temporibus in vnum coïre domicilium, & neceſſaria in commune fideles habere non poſſent. Quo tamen tempore ab Eccleſia, curante Epiſcopo, diligenter alebantur, in dies ſingulos ſportula donati, vnde ſportulantes fratres dicti, vt fuſiùs ex S. Cypriano probat Nicolaus le Maiſtre: qui & verè aſſerere pergit, laudatam communitatem à Clericis in Eccleſia incœpiſſe, non autem à Monachis. *Quam*, inquit, *legem an votum, an caritas, an verò natura & ratio ipſa Clericatus fecerit, ſubtiliùs diſputent qui volent.* Non eſt profectò acuta ſubtilitate opus, vbi tot auctores claſſici votum agnoſcunt. *Mihi certè* ait, *ſacra Clericorum inſtitutio proprium in rebus Eccleſiæ nihil eſſe patitur.* Vult nimirum eam rerum omnium inter Clericos communionem, licet voto non aſſumatur, in ipſa Clericalis ſtatûs natura inſitam eſſe: atq; inde factum vt ſequutis temporibus Clericorum *plebs libera licet, & ſoluta iſtis legibus, inflammante tamen ſtudio pietatis Apoſtolorum communitatem ambiuerit æmulari.* Recta ratio & proba, ſi liberè ſuſceptam communitatem, ad Apoſtolicæ quidem exemplar, ſed non ad perfectionem accedere fateamur, eo ipſo quod hæc, qua de agit auctor, libera eſt, Apoſtolica autem voto obligata, vt alibi monſtrabimus.

Volaterr. cit.

Nicol. le Maiſtre l. 1. Inſtaur. princip. Epiſc. c. 6.

*Communitas incœpit à Clericis.*

Idem l. 3. c. 5.

*Vi & Regularitas.*

Neque verò ſolùm communitas incœpit à Clericis, ſed & quæ appellatur Regularitas: non illa exacta, quæ modo clauſtralibus ſeptis coërcetur, ſed arctior quædam ſanctè pièque viuendi obligatio, regulis ſeu moribus inuecta, quibus non tam fundator vllus hominum, quàm Spiritûs vnctio fecit initium. Ioannes Trullus ex iure canonico multis probat, naſcentis Eccleſiæ Clericos, regulariter & in commune vixiſſe. Canones Eccleſiæ veteris, etiam primilli qui dicuntur Apoſtolorum, multa quædam præter Laïcos Clericis imponunt obſeruanda. Hinc reor eueniſſe vt Clerici à Græcis in canone eſſe dicantur; vnde appellati & Canonici, quaſi dicas, Regulares, qui certis regulis & legibus ſunt obſtricti. Ab his igitur Canonicis, ſeu Regularibus, & antiquiſſimo vocabulo, Clericis, regularis diſciplina manauit in Monachos. Sic enim expreſsè docet Ioannes à Nigra Valle: *ex Canonico*, inquit, *ordine omnium primo, cæteræ omnes Religiones, veluti ex limpido fonte profluxere: ex eo namque Monaſticus ordo traxit originem.* Quod quemadmodum à D. Marco ſit excogitatum, quædam è Clericalibus inſtitutis ad monaſticam ſolitudinem transferente, difficile non eſt conijcere. D. Antoninus regulam S. Auguſtini commendans, *quam hodie*, inquit, *plurimi Religioſi profitentur, vt Prædicatores, Eremitæ, Seruitæ, Canonici Regulares omnes, licet diuerſarum Religionum*: Itaque qua figura Tertullianus Philoſophos *hæreticorum Patriarchas*: eadem nos quoque in ſanctiore propoſito, Clericos Monachorum Patriarchas poſſumus nuncupare.

Ioã. Truſ. de ord. canon. Regul. l. 1. c. 1.

Ioan. à Nigra Valle in Epilog. chronicar. l. 13. c. 18.

Antonin. 2 P. hiſt. tit. 9. c. 8. §. 3.

Hæc cum nota ſibi eſſe Fr. Hallier oſtendat, & multis in eam rem deſcriptis veterum auctoritatibus colligat randem, concludatque *regularem obſeruantiam quæ in vſu erat apud Clericos, clericatui adnexam fuiſſe, ac veluti debitam.* Ac deinde ſtatum ſuæ quæſtionis exponens, eam ad Monachos reſtringat, & quærere inſtituat *quando-nam illis ad Sacerdotium aditus conceſſus ſit?* Cur illum tractatum *De aſcitis in Clerum Regularibus* inſcribit? an Regularium audito nomine,

*Fr. Hallier reprehenditur in vind. l. 4. c. 1. §. 2.*

ne, ſoli Monachi intelliguntur? an Regulares in Clerum adſciti ſunt, ſi ex eodem gratiæ vtero & Clerus, & regularitas prodiit? Et quoniam ipſi etiam Monachi Clero adſcribuntur, vt alibi probabimus, & maxima ex parte fatetur Dictor hic, cur adſcitos in Clerum Monachos ait, qui ſemper in Clero fuerunt? cur Cleri vocabulo Sacerdotium vnum complecti ſe demonſtrat? Num potius ſcribere debuit, *De Monachis ad Sacerdotium & Eccleſiaſtica munia adſcitis*? Sed nimirum vna fidelia dealbanda erat tota Religioſorum natio, & hoc intelligere voluit incurioſum, & minùs attentum Lectorem, nulli Regularium ordini conceſſam ab antiquo Clericalium officiorum adminiſtrationem; ſed poſt multa ab Apoſtolicis ſecula, Hierarcharum beneficio, paucis quibuſdam, magnis ex cauſis, ſingulari prærogatiua fuiſſe commiſſam. Quòd an verum ſit, ſaltem in Clericis Regularibus, res ipſa loquitur.

---

## *MEDIÆ ÆTATIS CLERICI ſub S. Auguſtino.*

## CAPVT II.

Iam iucundæ venuſtæque naſcentis & Eccleſiæ & Regularitatis faciei, rugas & maculas induxit iniquitas temporum, ſeu tyrannicorum, ſeu Arianorum; quibus reformandis & interpolandis potentem ſane peritamque manum Deus adhibuit, principem videlicet ingenij, doctrinæ, virtutiſque S. Auguſtinum; cui vel hoc homine quid non debet Eccleſia, quod reparandæ & reſtaurandæ Religioſorum ordinum diſciplinæ initium dedit & exemplum? Id autem ſic factum enarro. *S. Auguſtinus primus Religioſorum reformator.*

Diligentiſſimus Eccleſiaſticorum rituum obſeruator S. Auguſtinus, vt ex eius ſcriptis apparet, Monachorum ſanctitatem Mediolani expertus, & Romæ, Eccleſiæ Vercellenſis inſtituta neſcire non potuit, ab S. Ambroſio tantopere laudata; in qua vir ſanctiſſimus Clericos ſuos Monaſticam ſanctimoniam cum officijs Clericalibus miſcere docuerat: quæ duo in Epiſcopo eius loci deligendo neceſſaria eſſe affirmat idem S. Ambroſius. *Quod ſi*, inquit, *in alijs Eccleſijs tanta ſuppetit ordinandi Sacerdotis conſideratio, quanta cura expetitur in Vercellenſi Eccleſia, vbi duo pariter exigi videntur ab Epiſcopo, Monaſterij continentia, & diſciplina Eccleſiæ? hac enim primus in Occidentis partibus diuerſa inter ſe Euſebius ſanctæ memoriæ coniunxit, vt in ciuitate poſitus inſtituta Monachorum teneret, & Eccleſiam regeret ſobietate ieiunij.* Suſpicari poſſit hic aliquis, cum in Oriente morem iam antea viguiſſe: quem ab exilio in Eccleſiam ſuam S. Euſebius attulerit. Illius certè inſtituti exempla petit Nicolaus le Maiſtre à D. Baſilio, & ab Eccleſia Rhinocolurenſi, cuius Clericis ſcribit Sozomenus, *communes ædes fuiſſe, communem menſam, communia omnia.* Hæc cum iſti Theologo de hac Eccleſia concedam, de S. Baſilio dubitare me permittet: cum is qui Monachos inſtituit legibus, qui cum ijs vixit in ſolitudine, qui Clericos nuſquam ſcribit à ſe ſic informatos, vbi excuſat quod Monachorum vtatur conſuetudine, de Monachis ſtrictè ſumptis poſſit & debeat intelligi.

*Vercellenſis Eccleſia ſub Euſebio ſanctitas.* Ambroſ. ep. 25. Nicol. le Maiſtre l. 1. Inſtaur. Epiſ. prim. c 5. Sozom. li. 6. hiſt. c 31.

*Auguſtinum ad hoc exemplum ſuam inſtituit.* Poſſidius in vita S. Auguſtin. c. 5. *Monaſteriũ Clericorum extruit.* Lipom. in vita S. Auguſt. Sigebertus ep. ad Macedonium. Augu ſer. 49. de diuerſis.

Hoc igitur exemplari S. Auguſtinus inſtructus, redux in Africam, poſtquam *adhuc Laicus*, vt a Poſſidio vocatur, id eſt nullis dum initiatus ordinibus, aliquandiu in paternis agris ſimilem Monaſticæ vitam peregit, *factus Presbyter, Monaſterium intra Eccleſiam mox inſtituit, & cum Dei ſeruis viuere cœpit, ſecundùm modum & regulam ſub ſanctis Apoſtolis conſtitutam.* Hæc hiſtorici verba quærendum relinquunt, qui fuerint illi Dei ſerui; quibus inſtitutum eſt Monaſterium, & quæ ſit illa Regula ſub Apoſtolis conſtituta? Clericos nominat, eum locum enarrans Lipomanus: *Sancti ſerui Dei, Clerici S. Auguſtini, creſcebant in Monaſterio, continentia & paupertate profunda.* Sigebertus hoc etiam ex profeſſo tractans: *Factus Presbyter Monaſterium Clericorum inſtituit in domo Epiſcopi.* Et ipſe inſtar omnium S. Auguſtinus, de ſe ad populum loquens: *volui habere in iſta domo Epiſcopi, mecum Monaſterium Clericorum.* Regulam vero Apoſtolicam præclarè oculis Hipponenſium ſuorum ſubijcit, hæc præfatus. *Quomodo autem viuere velimus, quomodo Deo propitio iam viuamus, quamuis de ſcriptura ſancta multi noueritis, tamen ad commemorandos vos; ipſa de libro Actuum Apoſtolorum vobis lectio recitabitur: vt videatis vbi deſcripta ſit forma quam deſideramus implere.* Lecto deinde ſacræ eius hiſtoriæ c. 4. à Lazaro Diacono primùm, mox ab ipſo Epiſcopo Auguſtino, in quo vita omnium communis, & beata ſingulorum paupertas deſcribitur, pergit excuſare quod Clericorum ſuorum aliqui, nonnihil proprium poſſidere viderentur. Quæ omnia breuiſſimè concluſerat ſuperiore ſermone. *Ecce quomodo viuimus, nulli licet in ſocietate noſtra habere aliquid proprium. Sed fortè aliqui habent, nulli licet: ſi qui habent, faciunt quod non licet.*

Idem ſer. 48.

*Vitam communem voto ſtabilit.*

Eam bonorum communionem, & priuatam paupertatem ſanciuit voto, ne labaret in ſuis. Erat ea quidem per ſe annexa ſtatui, vt diximus, non minùs quàm continentia, atque præſtita Epiſcopo obedientia; ſed licentia temporum, perfectionis incuria, Epiſcopis conniuentibus inducta fuerat in Clerum, propria rerum temporalium poſſeſſio. Hanc à ſuis voto abegit ſanctus pater Auguſtinus. *Qui ſocietatem communis vitæ iam ſuſceptam deſerit, à voto ſuo cadit, & à profeſſione ſancta cadit: obſeruet iudicem, ſcilicet Deum, non me; ego ſcio quantùm mali ſit profiteri ſanctum aliquid, nec implere. Vouete, inquit, & reddite Domino Deo veſtro.* Quo ex loco ſimilibuſque apparet, quàm falsò pronunciet Ioannes Lomedè I.C. Pariſienſis, Canonicos Regulares D. Auguſtini non eſſe voto paupertatis adſtrictos. Niſi fortaſſe paupertatem illam Mendicantium Ordinum intelligit, quæ nullos habeat in commune reditus annuos.

Auguſt. ſerm. 49

Ioan. Lomedè l. de exemptio. Eccl. c. 4. n. 24.

*Duo ſuis imperat, ſanctitatem abſolutam, & relatiuam.*

Sic animo ad vota illa comparatis, & in domum vnam, vitæque communionem coëuntibus, regula ſcripta eſt, quæ duo promoueret neceſſaria, propriam cuiuſque ſanctitatem, & Clericatum. Sic enim apertè, *Clericus duas res profeſſus eſt, & ſanctitatem, & Clericatum: interius ſanctitatem; nam Clericatum propter populum ſuum Deus impoſuit ceruicibus ipſius, cui magis onus eſt, quam honor.* Interiorem ſanctitatem adiuuat ſubſidijs à Monaſtico inſtituto petitis, quæ in Romanis & Mediolanenſibus Monaſterijs animaduerterat. Caritatem fraternam in primis commendat. *Primùm propter quod in vnum eſtis congregati, vt vnanimes habitetis in domo, & ſit vobis anima vna, & cor vnum in Deo*: vnde nonnulli Monachorum appellationem deriuát. Orationis ſtudium imperat. *Orationibus inſtate horis & temporibus conſtitutis.* Ieiunium moderatum commendat. *Carnem veſtram domate ieiunijs, & abſtinentia eſcæ & potûs, quantùm valetudo permittit.*

*Caritas fraterna* Reg. Aug. c. 1.

*Oratio.* Reg c. 3.

*Mortificatio.*

*mittit.* Vigilias crebras, humi-cubationes, diututna ieiunia non iniungit; ne fractum ijs laboribus cotpuſculum Clericalibus munijs ſufficete non poſſit. Humilitatem ſuadet. *Qui aliquid videbantur eſſe in ſeculo, non habeant faſtidio fratres ſuos. Magis autem ſtudeant, non de parentum diuitum dignitate, ſed de pauperum fratrum ſocietate gloriari.* Littetis & munuſculis recipiendis penitus abſtinere iubet. *Quicumque in tantum progreſſus fuerit malum, vt occultè litteras ab aliquo, vel quodlibet munus accipiat, ſi hoc vltro confitetur, parcatur illi, & oretur pro illo. Si autem deprehenditur & conuincitur, ſecundum arbitrium Presbyteri vel Præpoſiti grauius emendetur.* Opus manuum non excludit, ſed in commune vult conferri. *Nullus ſibi aliquid operetur, ſed omnia opera veſtra in vnum fiant.* Quæ ſit autem exigendi manuum laboris cauſa, proſequitur Hugo Victorinus. *Et ſi,* inquiens, *à lectione ceſſatur, debet manuum operatio ſubſequi: quia otioſitas inimica eſt animæ. Per manuum operationem & corporis macerationem, & vitijs alimenta negabitis, & veſtris neceſſitatibus ſubuenietis, & habebitis vnde neceſſitatem patientibus aliquid porrigatis.* In veſtibus vult ſeruati modeſtiam. *Non ſit notabilis habitus veſter, nec affectetis veſtibus placere, ſed moribus.* In inceſſu grauiratem, *In inceſſu, ſtatu, & in omnibus motibus veſtris nihil fiat quod cuiuſquam offendat aſpectum, ſed quod veſtram deceat ſanctitatem.* In aſpectu verecundiam. *Oculi veſtri etſi iaciantur in aliquam fœminarum, in nulla figantur.* In publicum ſolitarios prodite prohibet. *Nec eant ad balnea, ſiue quocumque ire neceſſe fuerit, minùs quàm duo vel tres:* idque vt addit Hugo Victorinus, *& propter ſolatium, & propter bonæ famæ teſtimonium.* Et alia id genus quæ à Monachis obſeruari nemo non videt.

Humilitas c. 2. — Litteras & munera ne recipiant. c. 7. — Opus manû in commune. c. 8. — Hugo Victor. in c. 9. reg. Auguſt. vide & capit. Theodul. Aurelian. tom. 2. Concil. Gall. — Modeſtia in veſtibus. c. 6. — Inceſſu. — Aſpectu. — In publico ſoli ne incedant. c. 9. — Hugo Victor. in eum locũ.

Ad officia Clericalia quæ pertinent, ſtudioſè non exptimit, quia iam aliunde ſatis nota erant, quia homines Cleticatus, vt teſtatur, appetentiſſimi, neceſſariam ſibi inſtructionem ſub tanto Iudice deeſſe non patiebantur. Eò tamen referre poſſumus & debemus frequentem quam præcipit lectionem. *Codices certa hora petantur; extra horam qui petierit non accipiat.* Quem locum ſic enarrat Hugo. *Quia autem dicit vt codices ſingulis diebus petantur, frequentia legendi commendatur. Frequenter debet legere ſeruus Dei: lectio ad orationem nos inſtruit, & ad operationem, & nos informat ad contemplatiuam vitam & actiuam. Per vſum namque lectionis diſcetis qualiter & vos viuatis, & alios doceatis.*

Clericalia officia non exprimit. — Frequens lectio. c. 9. — Hugo Victor. in eum locũ.

## *QVINAM PRÆLATI MONASTERIO S. Auguſtini ſint præfecti.*

### §. I.

AD regularum illarum fouendam obſeruationem, & Clericos ritè atque ordine gubernandos, præſules ipſis duos impoſuit, Preſbytetum, & Præpoſitum. *Præpoſito tanquam Patri obediatur: multò magis Presbytero, qui omnium veſtrum curam gerit.* Preſbytet idem qui Senior, & omnino idem qui Abbas in Otiente: abſtinuit autem ea voce, quia Eccleſiæ Latinæ vſu nondum erat recepta. Opinionem meam expreſsè confirmat Hugonis auctoritas, Preſbyterum hunc interpretantis Abbatem. *Quòd ſi in congregatione, vbi eſt ordo Canonicus, non eſt Abbas, ſed Epiſcopus, ipſe Epiſcopus Presbyteri nomine deſignatur.* In Concilio Aquiſgranenſi ſub Ludouico Pio, *Abbates Canonici,* ab *Abbatibus Monachorum,* diſtinguntur. Accedit & Turrecremata D. Benedicti regulam

Duo magiſtratus Preſbyter & Præpoſitus. Reg. c. 11. — Hugo in eum locũ. — Presbyter idem qui Abbas. — Concil. Aquiſgra. 2. c. 3. can. 2. 2.

Torre. in c.1. reg S. Benedicti.
Epiphan. epiſt. 60. inter ep. Hieronymi.
Hieron. ep 22.
Menar. in Concord. Regul. c. 27.

explanans. *Notandum eſt quod in hoc loco Abbatis nomine accipiendus eſt quicumque Senior*, Preſbyterum Græci Monachi vocant, *cuius iudicio cæteri in congregatione gubernantur*. Certè S. Epiphanius ad Ioan. Hieroſolymita. ſcribens *Gregorium Presbyterum* vocat, & *Abbatem Monachorum*. Et S. Hieronymus *Decanos* appellat *Præpoſitos, qui per menſes ſingulos patri omnium cum magno tremore reddunt rationem*. Non dubium quin pater ille Abbas ſit, Decani, ſeu Præpoſiti ſuperior. Denique Hugo Menardus pluribus idem probat, diſtinctas fuiſſe in Monaſterijs Abbatis & Præpoſiti, & apud Sanctimoniales Abbatiſſæ & Præpoſitæ dignitates, & hunc illi ſubditum extitiſſe:

*Officium Presbyteri, & Præpoſiti.*
Reg. S. Aug. c. 11.
c. 7.
c. 1.
Hugo in eum locũ.

Ad eum enim maiores cauſæ relatæ: Præpoſito autem commiſſa regularis diſciplinæ cura. *Vt ergo cuncta iſta ſeruentur, & ſi quid minùs ſeruatum fuerit, non negligenter prætereatur, ſed vt emendandum corrigendumque curetur, ad Præpoſitum præcipuè pertinebit; vt ad Presbyterum, cuius eſt apud vos maior auctoritas, referat quod modum vel vires eius excedit*. Idem ordo imperatus ante fuerat, vt qui regulari correctioni obnoxius eſſe noluerit, *prius Præpoſito demonſtretur: conuictus verò ſecundum arbitrium Præpoſiti, vel etiam Presbyteri, ad cuius diſpenſationem pertinet arbitrium, debeat emendatoriam ſubire vindictam*. Victus quoque, & veſtitus diſtribuendi cura in Præpoſitum cecidit, *& diſtribuatur vnicuique veſtrum à Præpoſito veſtro victus, & veſtimentum*. Quod explicat Hugo, *Præpoſitorum officium eſt ſubditis corporalia miniſtrare: ſubditorum miniſterium eſt, ſpiritualibus ſtudijs inſiſtere*, Et inferius iubet regula, *Indumenta veſtra ſecundùm arbitrium Præpoſiti lauentur ſiue à vobis, ſiue a fullonibus: lauacrum corporis etiam ſi nolit, iubente Præpoſito faciat, quod faciendum eſt pro ſalute*. Præpoſitus ergo ſub Preſbytero ſiue Abbate, quod & in alijs videbimus, gubernat, & vterque vim auctoritatemque accipit ab Epiſcopo minorum prælatorum Prælato.

*Hallier malè confundit Preſbyterum cum Curato* in vit. p. 550.
Item Nic. le Maiſtre l. 1 de Inſt. Epiſc. princip. c. 14
Idem l. 3. c. 9.

Sed huic explicationi ſubſcribere recuſant nonnulli Theologiæ, quàm regularis diſciplinæ peritiores, dum Auguſtinianæ regulæ corticem intacta medulla auidiùs quàm cautiùs decerpunt. Franciſcus Hallier S. Auguſtinum ait *in regula Presbyterorum Curatorum ſupra Abbates auctoritatem extollere*. Vult enim Monachos Curatis ſecularibus & Epiſcoporum Vicarijs fuiſſe ſubiectos. Nicolaus le Maiſtre eodem ſenſu eodemque animo, quanto Monachi Clericos honore proſequi debeant hoc demonſtrat argumento, *quod in Monaſterio duo erant magiſtratus, Præpoſitus & Presbyter; Præpoſitus ſeu Abbas rem domeſticam & profanam tractabat, Presbyter verò ſacram & Eccleſiaſticam. Presbyter licet è numero fratrum non eſſet, in grauioribus cauſis tanquam diuinum adibatur oraculum*. Quæ omnia citato noſtro S. Auguſtini loco comprobat, vt inde conficiat *In vetere Monachatu ſupra Præpoſitorum ſeu Abbatum culmen, Presbyteros à Monachis fuiſſe adoratos, eiſque non reuerentiam tantummodo, ſed obſequium & obſeruantiam demiſſa exhibitam ceruice*. Et alibi, *Monachos per ſe & ex inſtituto dedere ſe in priuatam veluti ferulam Abbatis ac Præpoſiti, eique immediatè ſubijci, remotè vero, & mediatè Epiſcopis: Clericos vero immediatè & proximè poteſtati Epiſcoporum eſſe ſubiectos*. Hic multa peccantur incuriâ. 1. Quod Auguſtiniana regula profertur, ad commonſtrandam Monaſteriorum politiam, quæ S. Auguſtinum præceſſerunt. 2. Quod veteres Orientis Monachos, ex Clericis Occidentalibus mediæ ætatis æſtimat, quæ omnia ſunt diligenter ſecernenda: Nam toto capite antiquiſſimos in Ægypto & Syria Monachos exſequitur, quos non ſatis aptè ex regula ſancti Auguſtini componit. 3. quod Præpoſitum

vterque eumdẽ facit cum Abbate, cum Abbas idem ſit qui Preſbyter. 4. Quòd illum Preſbyterum è numero Regularium, aliquando ſaltem, non fuiſſe indicat: quàm probabiliter, iudicabit Lector ex ipſa regula, & ijs verbis *honore coram vobis, Prælatus ſit vobis; quia Christi vicem in Monaſterio tenet*, ait Hugo. Et ex ipſo D. Auguſtini, de ijs Clericis qui ſecum in Monaſterio verſari noluerunt, iudicio, quod inferius proferemus. 5. Quòd inde conficiat Clericos à Monachis fuiſſe adoratos; cum ij quibus hoc præcipitur, quique Preſbytero obtemperabant, Clerici fuerint & ipſi, quos Preſbyteros Sacerdotes, & compares ſuos S. Auguſtinus appellat. Potiori nos iure probare inde poſſumus, quanto in honore ſeu Clerici Regulares, ſeu Monachi ſuperiores ſuos habere iubeantur. 6. Quòd Clericos immediatè Epiſcopis, Monachos tantùm mediatè ſubiectos eſſe aſſerit, cum Auguſtinus Clericos immediatè Preſbytero & Præpoſito, ac per eos Epiſcopo ſubdiderit. Poſt hos lapſus ironiæ & ſcommata non erant in Monachos iacienda, neque illis verbis concludenda pagina. *Sed dicamus bonum Patrem* (D. Auguſtinum) *dormitaſſe; vereor enim, ne periculoſius ſit liberos accuſare, quam Patrem.*

Regul. Aug. c. 11. Hugo in eum locũ.

Franciſcus autem Hallier rem alibi ſubtilius diuidit. *Ex ijs*, videlicet Monachis quos S. Auguſtinus inſtituit, *alios, puta Clericos, Eccleſijs fuiſſe adſcriptos, alios, puta Laicos, in Monaſterijs verſatos: ex quibus poſtea ad clericatum, qui idonei magis videbantur, aſſumebantur: qui in Monaſterijs erant, tam Abbati, quàm Presbytero (qui non eſt alius à Curato) parebant, vt ipſius regula indicat. Qui verò Clero adſcripti erant, eoſdem quos cæteri Clerici præpoſitos habebant Epiſcopos & Parochos.* Ab hoc Doctore quærere poteſt Nicolaus le Maiſtre, qui contrariam opinionem multis rationibus ſtabilire conatur, vnde tandem habeat ab S. Auguſtino inſtitutos fuiſſe purè Monachos? Nam ſocio ſuo prius ſatisfacere debet, quàm nobis negotium faceſſere. Sed quoniam hanc ego Monaſteriorum diſtinctionem inferius agnoſcam, prætermiſſo hoc ſcrupulo, ſi rogauero cur in eius Monaſterijs Laïcos fuiſſe dicat, cum ipſe inſtitutor Monaſterium Clericorum appellet, cum in eo numeret Ianuarium, Leporium, Barnabam, *Presbyteros cohabitatores ſuos*: Diaconos & Subdiaconos non paucos? Si hoc inquam rogauero, quid reſpondebit S. Auguſtino conſentaneum? Si prætereа in Preſbytero hæſero, quem Curatum vult fuiſſe; ſiquidem omnis Preſbyter, ſi ipſi credimus, illo tempore Curatus fuit: at in Monaſterio S. Auguſtini tres Preſbyteros audio nominatos, plures autem non expreſſos, illi-ne omnes Curati? quis vni Parœciæ tam multos Parœcos eo tempore legit attributos? Ipſe S. Auguſtinus quando ab Epiſcopo Valerio creatus eſt Preſbyter, cui addictus eſt Parœciæ rector & dominus? S. Gregorius Nazianzenus cum eſt à parente Gregorio Preſbyter ordinis ſecundi conſecratus, in cuius Parœciæ titulum tranſcriptus eſt? In Bethlemitico Monaſterio, Vincentius, S. Hieronymus, alij quinque qui ſuo iure poterant baptizare, omnes illius cœnobij Curati fuerunt? Hunc nodum quo reſcindet gladio? Si amplius explicari mihi poſtulauero, illi ab D. Auguſtino inſtituti, *Clero adſcripti*, vbi tandem habitauerint? *Cæteri Clerici*, nimirum alij quàm qui in Monaſterijs, quales fuerint? *Parochi*, Clericorum *Præpoſiti* ab magno doctore vbi nuncupentur? quantùm temporis *Laicos* illos *in Monaſterijs verſari* oportuerit, antequam *ad Clericatum aſſumerentur?* Quoſnam ſic aſſumptos in dicare poſſit ex S. Auguſtino? quibus *Eccleſijs adſcripti* tum fuerint, cum eſſent S. Auguſtini in Monaſterio

*Alio ex capite refellitur* Hallier in vin. p. 474.

*Monaſterium Clericorum.* Aug. ſerm. 50. de diuerſis.

*Non omnis Presbyter Curatus eſt.*

Epiph. ep. 60. apud Hieron. Hieron. ep. 61.

*cohabitores?* Quomodo ex iſtis ſe vepretis Hallier extricabit? Nimis vrgeo: regredior ad S. Auguſtinum, & vnam è propoſitis quæſtionibus euoluo.

*Iudicium Auguſtini de Clericis extra Monaſterium ſuum poſitis.*

*Aug ſerm. 49. refertur 12. q. 2. Certè ego.*

Quærebam dum in Monaſterio morarentur optimi Clericorum, quibus communis vita cordi erat, vbi diuerſarentur *cæteri Clerici* qui peculio ſuo carere nolebant? Rogabam & quales tandem eſſent illi? Satisfacit S. Auguſtinus. Decreuerat primùm illos exauctorare, ſed mutato poſtea conſilio reliquit in ordine. *Certè ego ſum qui ſtatueram, ſicut noſtis, nullum ordinare Clericum, niſi qui mecum vellet manere. Ecce in conſpectu Dei, & veſtro, muto conſilium. Qui volunt habere aliquid proprium, quibus non ſufficit Deus & Eccleſia ſua, maneant vbi volunt, & vbi poſſunt: non eis aufero Clericatum. Noui enim quòd ſi aliquem hoc facientem degradare voluero, non ei deerunt patroni, non ei deerunt ſuffragatores, & hic, & apud Epiſcopos. Profeſſus eſt ſanctitatem, profeſſus eſt communiter viuendi ſocietatem, ſi ab hoc propoſito ceciderit, & extra manens Clericus fuerit, dimidius & ipſe cecidit: quid ad me? non eum iudico: ſi foris ſeruat ſanctitatem, dimidius cecidit, ſi verò intus habuerit ſimulationem, totus cecidit. Si paratus eſt paſci à Deo per Eccleſiam ipſius, non habere debet aliquid proprium, ſed aut erogare pauperibus, aut in commune mittere: maneat mecum. Qui hoc non vult, habeat libertatem, & videat vtrum habere poſſit felicitatis æternitatem.*

*Qui habet proprium dimidius Clericus eſt.*

Habes Lector, ex S. Auguſtini iam ſenis profeſſione, duplicis generis Clericos; alios veros, integros, perfectos, in Monaſterio ſub Presbyteri & Præpoſiti imperio, paupertate diuites, vita continentes, concordia vnanimes, quales eſſe voluit Auguſtinus, qualem quoad per officium licuit, ſe fecit Auguſtinus. Alios extra Monaſterij ſepta, vna parte truncatos, dum ſui iuris eſſe volunt, dimidios tantum Clericos, de ſuo viuentes, Epiſcopo immediatè ſubiectos, penè ad inſtar cæterorum laïcorum, & eoſdem in periculo ſalutis amittendæ.

### SIMILE INSTITUTUM AB ALIIS *Epiſcopis obſeruatum.*

### §. II.

*Aliqua alibi mutata in inſtituto S. Auguſtini.*

ETSI non dubito quin eamdem viuendi formam lubentiſſimis animis amplexi ſint Epiſcoporum plerique, quibus fama aut ſcriptis notus erat S. Auguſtinus: affirmare tamen non auſim illos in eius ſe regulam ſic induiſſe, vt ab illius inſtitutis vel latum vnguem diſcedere nefas putarét. Nam cum locorum diuerſitas, temporum vices, ingeniorum varietas, nouitatis ipſius dulcitudo: tum maximè ius innouandi, poteſtas imperandi, auctoritatis conſeruandæ ratio Antiſtites etiam ſanctiſſimos ad augenda, temperanda-vè ſtatuta plauſibiliter impellebant. Expreſſum igitur alicubi ex toto Auguſtinum non facilè reperias: ex parte adumbratum, erunt qui oculis noſtris ſubijciant. Fulgentius enim, & ipſe fulgentiſſimum Africæ ſidus, paſtoralibus curis ſolatium in Monaſterio à ſe ædificato quæſiuit, in quo educatos Clericos ſuſpicari licet, & Monaſticis obſeruantijs imbutos, *ſic Beato Fulgentio diſponente, ne ſuſcepta regendorum ſarcina Clericorum, conſolationem perderet Monachorum.* In Gallijs quæ fuerit victûs ratio, ex ipſis domicilijs Clericorum ſeu Canonicorum non imperitè colligitur, qui circùm Metropolitanas baſilicas

*S. Fulgen. in eius vita c. 19.*

*Eccleſia Gallicana.*

vno

vno communi pomerio contenti, clauſtro vincti, domibus iuncti, antiquam Religioſæ vitæ ſpeciem, ſatis apertè declarant. Quod decreto Moguntino ſub Carolo Magno imperatur, vt *Canonici Clerici canonicè viuant, & nihil ſine licentia Epiſcopi ſui, vel magiſtri eorum compoſitè agere præſumant in vnoquoque Epiſcopatu: & vt ſimul manducent & dormiant, & in ſuo clauſtro maneant, & ſingulis diebus manè primò ad lectionem veniant, & audiant quid eis imperetur. Ad menſam verò ſimiliter lectionem audiant, & obedientiam ſecundum canones ſuis magiſtris exhibeant.* Atque illud non minùs apertum, quod Nicolaus Pontifex omnibus Galliæ Epiſcopis olim ſcribebat in cauſa Lamberti cuiuſdam Galli Clerici, quem inuitum ſui ad Monaſticam profeſſionem adigere volebant, *liceat illum inter Religioſos & Eccleſiaſticos viros, in canonica degere vita. Non enim putamus (quod abſit) Canonicos Religioſos, à ſanctorum Monachorum vita & conſortio ſeiunctos.*

Concil. Magunt. can. 9.

C. Præſens Clericus 20. q. 4.

Poſſum eodem modo ire per Italiam, Hiſpaniam, Germaniam, & vbique Clericos inuenire in vitæ ſocietatem inuicem, & cum Epiſcopo coëuntes. Vna ſatis erit Anglia, vnde tempeſtas orta eſt, quæ hos omnes libros extundit. S. Auguſtino Anglorum Apoſtolo, de viuendi ratione interroganti, reſpondet magnus Gregorius, & ipſe Anglorum eminenter Apoſtolus. *Quia fraternitas tua Monaſterij regulis erudita, ſeorſum fieri non debet à Clericis ſuis, in Eccleſia Anglorum hanc debet conuerſationem inſtituere, quæ initio naſcentis Eccleſiæ fuit Patribus noſtris, in quibus nullus eorum ex his quæ poſſidebant aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant eis omnia communia.* Vult Epiſcopum Pontifex in commune cum Clericis viuere, quia Monaſticam vitam profitebatur, aliàs ſeiunctum eſſe ab illis Romana volebat Eccleſia. Sic enim præcedenti proximè oratione. *Mos ſedis Apoſtolicæ eſt ordinatis Epiſcopis præcepta tradere, vt in omni ſtipendio quod accedit, quatuor fieri debeant portiones, vna videlicet Epiſcopo & familiæ propter hoſpitalitatem, & ſuſceptionem, alia Clero, &c.* Quod antea vſurpauerat magnus Auguſtinus, quia ex laïco, non Monacho, Presbyter fuerat ordinatus. *Cœpi propoſiti boni fratres colligere compares meos, nihil habentes ſicut nihil habebam, & imitantes me. Perueni ad Epiſcopatum, vidi neceſſe habere Epiſcopum exhibere humanitatem aſſiduam quibuſuis venientibus, ſiue tranſeuntibus. Quod ſi non fecissem Epiſcopus inhumanus dicerer.*

*Eccleſia Anglicana.*

Beda l. 1. hiſt. Angl. c. 27.

Aug. ſerm. 49 de diuerſis.

Non tamen omnes Clerici Anglicani ſimul cum Epiſcopo habitare iuſſi. Nam minorum gentium aliqui extra Monaſterium degere permittuntur à Pontifice. *Si qui verò ſunt Clerici extra ſacros ordines conſtituti, qui ſe continere non poſſunt, ſortiri vxores debent, & ſtipendia ſua exterius accipere. De eorum quoque ſtipendio cogitandum atque prouidendum eſt, & ſub Eccleſiaſtica regula ſunt tenendi, vt bonis moribus viuant, & canendis pſalmis inuigilent.*

*Minores aliqui Clerici extra Monaſterium.*

Beda loco cit.

Iam verò vt in ſeminibus plantæ, ſic in S. Auguſtino eiuſque ſocijs Anglicanæ Eccleſiæ ſanctitas viguit, iſque quoniam & Monachus fuit & Clericus, vtrinque Religioſus; hæc duo Regularium genera tum ipſe, tum eius ſucceſſores tota inſula Epiſcopi, mirifico ſtudio propagarunt. Nihil enim frequentius in Eccleſiaſtica Anglorum hiſtoria occurrit, quàm erecta & adminiſtrata ab Epiſcopis Monaſteria; quàm Abbates, & Monachi è Cœnobijs ad ſacras Epiſcopatus infulas educti; quàm Epiſcopi Regulari quadam obſeruantia cum Clericis viuentes. Et licet Monachi vocentur vt plurimùm, Monachiſmum tamen purum putum non obſeruabant: ſed in diuini verbi

*Tota Angliæ Monaſticum inſtitutum, cum Clericatu coniunctum.*

prædicatione,& cæteris Clericalibus officijs operam ponebant;& ſic(quod in S.Auguſtini maioris inſtituto vidimus) mixto Regularis obſeruantiæ generi vacabant, in Monaſterio Monachi, in Eccleſia Clerici. De multis pauciſſima ſeligo, quæ rem meam iuuare videantur.

*Inuſitata Abbatis in Epiſcopos Iuriſdictio.* Beda hiſt. Angl. l. 3. c. 4. *Hinc refellitur Hallier* in vindic. p. 494.

S. Columbanus Preſbyter & Abbas Hybernus, Britannos Septentrionales Pictos *verbo & exemplo ad Chriſti fidem conuertit: vnde & præfatam inſulam ab eis in poteſtatem Monaſterij faciendi accepit. Habere autem ſolet ipſa inſula Rectorem ſemper Abbatem Presbyterum, cuius iuri & omnis Prouincia, & ipſi etiam Epiſcopi, ordine inuſitato debeant eſſe ſubiecti, iuxta exemplum primi Doctoris illius, qui non Epiſcopus, ſed Presbyter extitit, & Monachus.* Hoc ego exemplum in præiudicium non traho, quia *inuſitatum* eſt; ſed Doctorem Hallier cupio recognoſcere quæ ſcripſit alicubi, *Religioſorum in infidelibus conuertendis, & animabus iuuandis operam, ius Sacerdotij illis non acquiſiuiſſe.* Plus enim in Hierarchia, quàm Sacerdotium acquiſiuit S. Columbani ſucceſſoribus: & ſi ius idem in omnibus infidelibus quos primi conuerterunt, in omnibus populis, vbi animas iuuerunt, Religioſis permiſiſſet Eccleſia, de aliorum quàm Religioſorum Hierarchica poteſtate modò inuicem certaremus.

*Ab illo Monaſterio propagati Epiſcopi.* Beda cit. c. 5.

*Ab hac ergo inſula, ab hoc collegio Monachorum, ad Prouinciam Anglorum inſtituendam in Chriſto, miſſus eſt Aidanus, accepto gradu Epiſcopatus: quo tempore eidem Monaſterio Segenius Abbas & Presbyter præfuit: vnde inter viuendi documenta ſaluberrimum abſtinentiæ vel continentiæ exemplum Clericis reliquit; cuius doctrinam id maximè commendabat omnibus, quod non aliter quàm viuebat cum ſuis, ipſe docebat.* Habes hic Lector, Abbatem eumdem cum Preſbytero: S. Columbani alumnos alienæ ſaluti adlaborantes: Aidanum Monaſtica inſtituta cum Clericis obſeruantem.

*De S. Cudberto narratio.* Beda l. 4. c. 27.

Multo poſt tempore Cudbertus in Maïſroſienſi Monaſterio vitam Religioſam amplexus eſt, cui præerat Abbas Eata, Boïſil autem Præpoſitus: quo defuncto idem Cudbertus *eidem Monaſterio factus Præpoſitus, plures & auctoritate magiſtri, & exemplo ſuæ actionis regularem inſtituebat ad vitam.* Procedente deinde tempore ab eodem Abbate Eata ad inſulam Lindisfarnenſium, ad celebre illud S. Columbani Monaſterium tranſlatus eſt, *vt ibi quoque fratribus cuſtodiam diſciplinæ regularis, & auctoritate Præpoſiti intimaret, & propria actione præmonſtraret. Nam & ipſum locum tunc idem Reuerendiſſimus Pater Abbatis iure regebat*; licet eodem tempore inſulanæ illius Eccleſiæ gereret Epiſcopatum. Vides hic, Lector, & Abbatem eumdem cum Epiſcopo, & Præpoſitum ab Abbate diuerſum, atque illi ſubiectum, & verum Præpoſiti officium.

*Abbas qui & Epiſcopus, habet ſub ſe Præpoſitum ſeu Priorem.* Greg. l. 6. epiſt. 10. indict. 15.

Quod & in S. Gregorio notare me memini, qui Agnello Epiſcopo Ariminenſi auctor eſt, ne *omnino in regendis fratribus elaboret, ſed Præpoſitum* habeat, à quo ſubleuetur, quem & inferius *Priorem* appellat. Pergo in hiſtoria. *Si quidem à temporibus antiquis ibidem & Epiſcopus cum Clero, & Abbas ſolebat manere cum Monachis, qui tamen & ipſi ad curam Epiſcopi familiariter pertinerent. Quia nimirum Aidan, qui primus eius loci Epiſcopus fuit, cum Monachis illuc & ipſe Monachus adueniens, Monachicam in eo conuerſationem inſtituit; quomodo, & prius beatus Pater Auguſtinus in Cantia fuiſſe noſcitur.*

*Commoda interpretatio Iuriſdictionis Abbatis ſupra dicto conceſſa.*

Diſtinguntur hic apertè à Monachis Clerici, ſed vtrique concordi virtutis fœdere coniuncti, vtrique Epiſcopo obedientes, vtrique in commune viuentes. Et ſi quid diuinare licet, non abſurdè fortaſſe dixerit aliquis ingen-

tem

rem illam in Hierarchia poteſtatem, S. Columbani Monaſterio benignius quàm prudenrius conceſſam, graue fuiſſe ordinis Eccleſiaſtici vulnus: quod cum perſentiſcerer vir ſapientiſſimus Aidanus, primus Inſulæ Epiſcopus, decernere fortaſſe poruit, vt aut ſemper, aut vt plurimùm, qui inſulanæ Eccleſiæ præeſſet Antiſtes, idem illud Monaſterium Abbaris iure adminiſtrarer, adiuuante, & Monachis ſemper imminente Præpoſito, viro ſingularis virtutis & doctrinæ: ne dedignarentur Epiſcopi Abbatem agnoſcere ſuperiorem, qui & ipſe eſſet Epiſcopus.

---

## CANONICI REGULARES A SECULaribus diſtincti.

## CAPVT III.

INFIRMITATIS humanæ conditionem ſecutus ille tam præclaris legibus moribuſque formatus Clericatus, vitium aliquando fecit, & pulcherrimam Eccleſiæ veteris faciem inductis viriorum ſecibus obſcurauit. Sic enim narranr, Hippone à VVandalis vaſtata; Gelaſium S. Auguſtini regulam profeſſum, Romam veniſſe, & Summum Pontificatum virtute adeptum, inſtituti ſui ſocijs domicilium in Eccleſia Lateranenſi conſtituiſſe. Ad cuius exemplum tanro ſtudio ſuſeprus eſt ordo prçſtantiſſimus, vt cæteris in Eccleſijs, vix alij reperirentur Canonici. Eam ergo legem tenuiſſe ad Bonifacij VIII. tempora, cum eos Pontifex è nobiliſſima illa ſede immiſſis Secularibus Canonicis exrurbauit. Nimirum ordo non veſte quàm vita candidior, ſordes ſuas contraxerar: quas in Gallia tandem Norbertus eluit è nobili Francorum proſapia Canonicus, & primigeniæ purirari reddidit ſub annum reparatæ ſalutis 1120. erecto familiæ Præmonſtratenſis ordine: à quo tempore illuſtrior eſſe incœpit Canonicorum Regularium nomenclatio, & clarior eorum à Secularibus diſtinctio. Hæc enim duo, diſtinctionem inquam, & appellationem, ab S. Auguſtini facto, & ſeculo potiùs vſurpata, quàm à S. Norberti inſtituto, prærer ea quæ de S. Auguſtino ſupra retulimus, perſuader auctor vitæ S. Norberti qui Secularium, & Regularium Canonicorum meminit, ante Præmonſtratum à ſancto viro cultum. Nam & ipſe primis remporibus *erat Canonicus ſecularis*. Sed aliquando *conferebat ſe in Regularium Canonicorum Monaſterium, quod dicitur Roda*. Sic autem conſilij ſui diuini iecit fundamenra. Ineunte ſtatim conuerſione cum ſacris ordinibus eſſet initiatus, *contulit ſe ad Sigebergenſe Monaſterium, magnæ & præclara fama, vt ibi inter Religioſos & deuotos in omni ſanctitate Monachos, & accepti Sacerdotij addiſceret vſum, & certa religioſè viuendi caperet documenta*. Vr igitur Monachi Vercellenſes S. Auguſtino, ſic Norberto Sigebergenſes, Clericalis officij præclarè implendi rarionem exemplo monſtrarunt: & contra Doctoris Hallier ſæpè repetitum axioma, boni Monachi bonos Clericos in S. Norberti, & poſterorum perſona fecerunt. Cumque poſtea cogente Calixto Pontifice, Laudunenſium Canonicorum curam ſuſcepiſſet, eiſque oſtenderet *formam Euangelica inſtitutionis, quomodo imitatores Chriſti, contemptores mundi eſſe deberent* (quæ potiſſimùm in Monaſterio ante didicerat) *quomodo præceptis &*

*Canonicorum Lateranenſium origo.*

*S. Norbertus Canonicos Regulares à ſecularibus non diſtinxit primus.*

In vita S. Norberti.

*S. Norbertus clericale officium didicit à Monachis.*

*Regulis ſanctorum Patrum obedienies* ( canonibus videlicet & Conciliorum decretis. *Illi ſtatim ad verbum & aſpectum eius perterriti, dixerunt, nolumus hunc regnare ſuper nos, quia talem magiſtrum noſtra non nouit, nec prædeceſſorum noſtrorum conſuetudo.* Seu fuerint perpetuò ſeculares, ſeu Regulares Auguſtini ritus ab antiquo dedidicerint. At verò cum electo ad commorandum Præmonſtrato, varia varij vitæ genera ſuaderent, oblatam ſibi S. Auguſtini regulam auidè amplexus eſt, *Apoſtolica enim vita quam in prædicatione ſuſceperat, iam optabat viuere, quam quidem ab eodem beato viro poſt Apoſtolos audierat conſtitutam & renouatam fuiſſe.*

*Ordinis Præmonſtratenſis initia.*

Habuit hic ordo peculiarem in Eccleſia nuncupationem, qui Præmonſtratenſis, àb originis loco dicitur. At Canonici Regulares, communi ſetuato nomine, non etiam ſanctitatem retinuerunt; vt ex D. Bernardo facile diſcimus, qui migrantem ad Ciſtertienſes Canonicum Regularem *ob tenorem arctioris vitæ* ſine hæſitatione ſuſcepit: Poſtea tamen ipſi communem olim in commune viuendi normam renouarunt *ſub annum* 1400. *per Frigionariam congregationem, aliàs appellatam Lateranenſem in Italia. Nouiſſimè verò in Gallia à congregatione, quam appellant Caſtrinantonis, ſuæ puritati ordo idem reſtitutus eſt, circiter annum* 1500. ait Volaterranus. Ad quæ tempora pertinet edictum illud Concilij Colonienſis, *Reſpondeat Canonicorum vita titulo, reſpondeat nomini: ſint reipſa, vt ſunt nomine Canonici, id eſt regulares; neque enim clam eſt primam eorum originem Monaſticæ diſciplinæ fuiſſe. Imitentur Apoſtolos, & naſcentis Eccleſiæ miniſtros, quorum erat cor vnum, & anima vna.* Et mox. *Porro Eccleſiæ iſtæ collegiatæ quandam vetuſtatem ſpirant, & Eccleſiæ primitiuæ inſtitutum præ ſe ferunt: quod vel forma ædificiorum oſtendit, quæ Canonicos prope templum, in vnum pene habitaculum collocauit, vt procul à promiſcua multitudine ſeparati, diuinis pariter laudibus iugiter inſiſterent.*

*In Gallia renouati Canonici Regulares.*
Bern. ep. 3.
Volaterra. anthropol. l. 21.
Concil. Colon. an. 1536. p. 3. c. 4.

Noſtris tandem temporibus, in Galliæ ſinu, quæ ſemper rerum optimarum parés extitit, iterum tam eximij Ordinis reparatæ ruinæ, Syluanecti primùm, auſpicijs Eminétiſſimi ſanctiſſimiq; Cardinalis Rupifucaldij, tum eius Eccleſiæ præſulis: deinde Pariſijs in Monaſterio S. Genouefæ, facem ad heroïca & diuina opera præferente eodem ſacratiſſimo Hierarcha, nunquam ſatis nominato Rupifucaldio, eiuſdem Monaſterij Abbate commendatario; cuius aſſidui labores & exempla virtutum, poſteris omnibus ad æmulationem potiùs, quàm ad imitationem expoſita, non Hierarchiæ diſceptationem, ſed Hierarchis dignitatem, ſplendorem Clero, diſciplinam Regularibus, Eccleſiæ Gallicanæ ſanctitatem, vniuerſali venerationem pepererunt. Vidimus in diuerſis Regni Chriſtianiſſimi vrbibus, ac præſertim apud Andegauenſes in Sanctorum omnium Monaſterio, quod nunquam ſine admiratione frequentauimus, Angelicam ſub candidis veſtibus vitam, deuotione ardentem, puritate cœleſtem, modeſtia humilem, caritate concordem. Cui ſanctiſſimæ Congregationi cum S. Genouefa Pariſienſis, è ſuo colle capitis principiſque iure præſideat, quid aliud optare à Deo, quid ſperare poſſumus, quàm vt *ſuſcipiant montes pacem populo, & colles iuſtitiam* Regi Ludouico Regum Iuſtiſſimo?

*Recens iterum inſtauratus in Gallia.*
*Franc. Rupifucaldius S. R. E. Cardin.*
*Monaſterium Sanctorum omnium Andegau.*

Per has temporum vices, mutatis ſubinde moribus, deuentum eſt ad eam diſtinctionem triplicis Clericorum generis, quod ait Præpoſitus *paulatim, & ſucceſſiuè in Eccleſiam introductum; Primum eorum qui Clerici ſeculares dicuntur, proprium habentes, & ſeparatim viuentes.* Huius generis panegyricum inſtituens

*Tria Clericorum genera.*
Præpoſitus in appara. in c. 8. diſt. 43.

Nicolaus

Nicolaus le Maiſtre, pronunciat Monaſticæ paupertatis laudem in eo eluceſcere, *ſed in latiori ac diffuſiori imagine: quia nobu*, inquir, *Ecclesia clauſtrum eſt, Rector generalu ſummus Pontifex, moderator Epiſcopus, cella Epiſcopium aut Parochium: fundus Eccleſiæ theſaurus: vinculum communis amicitiæ, non tam menſa quam caritas. Quòd ſi latior vultus, veſtis ornatior, gleba pinguior, nobu quàm veſtrum nonnullu cernitur, & priſcorum caritati inuidete, a quibus hac in nos defluxerunt, & noſtrorum ſimplicitati qui fingere auſteram & moroſam frontem neſciunt*, &c. Hæc-ne vita ſit ab Apoſtolis in Clero inſtitura, modò non attinet dicere; vnum aſſeuerare poſſum, Apoſtolicum hunc ſpiritum non eſſe, Religioſorum deriſorem, & ſimulationis inſimulatorem, vetante Apoſtolo non manducantem ſperni à manducante. Neque vllum Apoſtolorum imitatorem legere me memini, poſſeſſionum copia, veſtium ornatu, cure benè curata gloriantem. Quam enim orationis illius partem vſurpare non potuerunt Clerici illi, quos dimidios cecidiſſe, & in ſalutis æternæ periculum incurrere proclamat S. Auguſtinus?

*Clerici ſeculares, plurimùm laudati a Nicolao le Maiſtre lib. 1. Inſtaur. Epiſc. princ. c. 6.*

*Rom. c. 14.*

Alterum genus eſt eorum *qui proprium habent, nec profitentur, ſed collegiatim viuunt, & dicuntur Clerici collegiati.* Hac in claſſe cenſetur celebris Congregatio PatrumOratorij, noſtris temporibus Romæ primùm à S. Philippo Nerio inſtituta, quæ Chriſtiani caput imperij vitæ ſanctitate, & doctis rerum ſacrarum collationibus mirum in modum exornat. E qua cum alij fructus in Eccleſiam vniuerſam, tum maximè militantis Eccleſiæ Signa prodierunt, Thomæ Boſij opus eruditum; & Annalium Eccleſiaſticorum Cæſaris Baronij Cardinalium Eminentiſſimi immortalis memoria apud Deum nota, & apud homines. Erecta deinde in Gallijs alia ab Eminentiſſimo Cardinale Berulæo ſingularis pietatis viro; & toto regno longè lateque propagata, diuino ad Clerum refingendum inuento. Sic enim ab auctoribus omni fide dignis accepi, qui & primæuas leges à primis Patribus ſumptas de ſcripto oſtendebant, familiam à ſe conditam ita diſponi voluiſſe virum ſapientiſſimum; vt cœleſtis inſtar Hierarchiæ, tribus conſtaret ordinibus; quorum ſupremus ætate & virtute prouectos haberet, tanquam reliquorum præſides & gubernatores: medius eorum eſſet qui iunioribus inſtituendis vacarent. Tertius iuniorum ipſorum, qui decurſis apud Academias & Collegia ſtudiorum ſpatijs, in illo virtutis & Eccleſiaſticæ doctrinæ conuictu, ad omnem diuini miniſterij vſum, & dignam auguſtis altaribus vitam perfectè informarentur. Qua ſcientia probè muniti, aut in ſecundum Sociorum ordinem vocante Deo, cooptarentur, alios & ipſi inſtituturi; aut in Cathedralium Eccleſiarum collegia regreſſi, in vrbanas ruſticaſque Parœcias miſſi, acceptum ex illis pigmentarijs virtutis odorem quaquauerſum ſpargerent. Hæc eſt Arca Noë ad reparandas grandis eluuionis ruinas fabricata, de qua præcepit Dominus *cænacula, & triſtega facies in ea.* Hoc telonium in quo clericalis perfectionis *turrim ædificare volens, prius ſedens computat ſumptus qui neceſſarij ſunt, ſi habeat ad perficiendum.* Similem formam in priuata Eccleſia, iuxta inſtitutum Beatiſſimi Patris Franciſci de Sales Epiſcopi Geneuenſis, ſumma cum omnium approbatione obſeruat Nicolaus Frogerius Theologus, idémque Parochus Pariſienſis, quem honoris & amoris cauſa nomino; vir bonorum omnium dignus præconio, quem optimo iure Parochorum exemplar abſolutum appellare poſſumus. Ex eius contubernio quàm multos ſcimus prodijſſe ſpiritalis

*Oratorij Romani congregatio.*

*Thomas Boſius.*

*Cæſar Baronius Cardinalis.*

*Oratorij congregatio in Gallia.*

*Eius primæuum inſtitutum.*

*Gen. c. 6.*

*Luc. c. 14.*

*Frogerius Parochus Pariſienſis.*

militiæ duces, quos ante vix tirones acceperat ? Hi omnes, & qui non abſimilis in reliqua Eccleſia inſtituri, votorum nexibus liberi, Religioſæ paupertati non addicti, ſola caritate inuicem, & cum Chriſto vincti, in communi recto & menſa, experiuntur *quàm bonum, & quàm iucundum ſit habitare fratres in vnum.* Hæc ſine dubio vita propioribus veſtigijs Apoſtolicam rerir, quàm producta ſuperiùs, & integros ex dimidijs Clericos facit; ac niſi votorum Religio, & ſanctiſſimum vinculum deſideraretur, vndecunque Apoſtolica cenſeretur.

*Clerici Regulares.* Piaſeck. loc. cit. vide Panorm. in c. Deum qui. de vita & honeſt. Cleric. Ioan. Trul. l. 1. c. 7. Ioan. de Nigra valle, apud Trullum l. 1. c. 6.

Tertium genus eſt eorum, qui *primitiuum & Apoſtolicum viuendi modum retinent in communi viuentes, & tria profitentes vota Religionis eſſentialia, qui propriè dicuntur Clerici Regulares, in communi viuentes:* de quibus tota eſt noſtra diſſertatio ſuperior. Ab hoc inſtituto Ioannes de Nigra Valle Bibliothecarius, tanquam è fertiliſſimo campo, prodijſſe ſcribit Romanos Pontifices quatuor & quinquaginta, qui annos pluſquam quingentos Eccleſiæ vniuerſæ clauum tenuerunt; Cardinales bis mille quingentos ſexaginta ſeptem: ſanctorum numero adſcriptos Confeſſores mille quingentos, aut etiam, vt numerare mauult Ioannes Trullus, ſepties mille quingentos. Poſſidium S. Auguſtini diſcipulum, S. Proſperum Regienſem, S. Patricium Hibernum, Iuonem Carnotenſem, Gelaſium primum, Paſchalem ſecundum, Alexandrum rertium, Innocentium item tertium, Albinum Andegauenſem, Hugonem & Richardum à S. Victore, magnum Dominicum, Ioannem Ruſbochium Martinum Aſpizcluetam Nauarrum, Iacobum de Virriaco, & innumerabiles alios, tum ſanctitate tum doctrina conſpicuos homines, Eccleſiæ peperit ordinum ordo, & Religionum princeps Apoſtolicus Clericatus. Nam è ſola D. Auguſtini regula pullulaſſe ferunt quatuor & triginta Religioſos Ordines, ſub tanti Imperatoris vexillo militantes: quibus recentia ſecula plures, tanquam auxiliares copias, adiunxerunt.

---

## MONASTICI INSTITUTI CONSIDERATIO
### *ab Anachoretis Orientalibus inchoata.*

### CAPVT IIII.

*Nomen Monachorum ab antiquo contemptum.* Hiero. ep. 16. ad Principiã.

SACRA Monachorum adyta inſpecturo mihi, primùm omnium tanquam in propylæo epigraphe, ſic ipſum nomen occurrit, iam olim ab ignaris rerum æſtimatoribus magnopere ſpretum, & calcatum. Queritur enim ſua ætate S. Hieronymus, matronarum Romanarum nullam auſam eſſe publicè *propter rei nouitatem, ignominioſum, vt tunc putabatur, & vile in populis, nomen accipere.* Quam ignominiæ notã homines Religioſis infenſi ſtrenuè pergunt inurere, & Monachi nomen in facetijs & conuiuijs, ad ludibrium, & penè infamiam traducunt: quemadmodum alicubi inter hæreticos, Preſbyteri appellatio, contumeliæ apex & ſumma eſt. Ita res ſanctiſſimas, quas vi aperta non poteſt, arte iocandi dæmon euertit. Doctor Hallier contemptum illum nouæ vocis fabricatione declarat, dum ait, *Monaculi vnius aut alterius furiatam mentem.* Aurelius Ieſuitas criminatur, *Monachorum appellatione contempta, aliquid excellentiæ propriæ in Religioſorũ nomine*

Hallier in vindic. in Admon. p. 63. Aurelius in vind. p. 405. 406.

vt

*ve ciuiliori & plauſibiliori ambiiſſe.* Iſtud Religioſorũ nomen, ea in ſignificatione quæ modò paſſim vſurpatur, quàm ſit vetus, & ex antiquo apud Gallos receptum, & Aurelium & alios obtrectatores, docebit Hugo Menardus ex Saluiano, & nonnullis auctoribus; ſi legere dignantur aſcetica. Quaſi verò ſit inciuilis Monachorum appellatio: quaſi ſpeciei nomen ſit, quàm generis inciuilius: quaſi ſi quid indebitum mihi non arrogo, illud contemnam. Equidem Petri, & Aurelij nomen amo & veneror, & quantiuis pretij eſſe duco, arripere tamen non debeo, quia, quæ Dei gratia eſt, non ſum Petrus Aurelius.

Hugo Menard. in Concor. Regul. c. 5.

Longe alia ſanctorum mens eſt, qui Monachorum ſine aliquo honoris atque æſtimationis elogio nunquam meminerunt. S. Dionyſium ſpecta, ordinem *Sanctorum Monachorum*, *perfectiſſimam Monachorum philoſophiam*, *ſacra nomina Therapeutarum & Monachorum* omni pene pagina repetentem. Audi cæteros, *Monachorum nomen celebre* S. Athanaſius; *vitæ genus excellens* S. Baſilius; *Nazaræos noſtrates*, eorumque Monaſteria *pietatis gymnaſia* Nazianzenus; *Angelorum cœtus in corporibus mortalibus fulgentes* S. Chryſoſtomus; *Cœleſtem in terris familiam* S. Hieronymus appellant. Iubet Synodus Chalcedonenſis, *vt qui verè & ſyncerè Monaſticam vitam aggrediuntur, digni conuenienti honore habeantur.* In Conſtantinopolitana ſub Photio, Monaſteriorum ædificatio, *res veneranda, & honorabilis, & à beatis, & ſanctis Patribus iam olim pulchrè excogitata dicitur.* Quid plura congeram? Nemo Monachorum nomen habet ludibrio, niſi qui deſpicit inſtitutum: inſtitutum autem nemo pius, nemo Catholicus vnquam contempſit. Inſultarunt olim Catholicis Donatiſtæ de iſto nomine: quibus S. Auguſtinus: *Meritò inſultant nomini vnitatis, qui ſe ab vnitate præciderunt: meritò illis diſplicet nomen Monachorum, quia illi nolunt habitare in vnum cum fratribus.* Afrorum & Carthaginenſium odium *in Monachos, id eſt, ſanctos Dei*, Saluiani reprehenſionem olim meruit, *Quia irridebant ſcilicet, quia maledicebant, quia inſectabantur.* Quod indignatus ſcriptor adiicit. *Eos non ſine cauſa oderunt, in quibus omnia ſibi æmula & inimica cernebant, illi enim viuebant iugiter in nequitia, iſti in innocentia*, &c. Sed hactenus de nomine; rem ipſam aggrediamur.

*A ſanctis Patribus ſemper laudatum.* Dionyſ. c. 6. Eccleſ. Athanaſ. præfat. in vitâ S. Antonii. Baſil. de Inſtit. Monac. ſer. 2. Greg. Nazianz. or. 20. in laudem Baſilii. Chryſoſt. hom. 8. in Matth. Hiero. ep. 41. ad Rufin. Concil. Chalced. can. 4. Concil. CP. ſub Photio. can. 1. *Soli hæretici Monachos contemnunt.* Auguſt. in Pſal. 132.

Monachos, ſolitudinis nomen, bifariam diuiſit Eccleſia, in Eremitas & Cœnobitas. Eremitarum ordinem bipartitum eſſe admonet Petrus Damiani, *Quorum videlicet alij cellulas incolunt: alij paſſim per eremi deſerta gradientes, certas ſedes habere contemnunt. Sed qui per eremum ſpatiando diſcurrunt, Anachoretæ; qui verò cellulis contenti ſunt, Eremitæ dicuntur, quibus nimirum nomen commune, factum eſt ſpeciale.* Hanc ſequutus diſtinctionem Anachoretas iterum duas in ſpecies partior: alios enim tulit potiùs quàm expreſsè probauit Eccleſia, homines ſeculi faſtidio, & Dei amore incitatos, contento ſtatim curſu in ſolitudinem ſe abdentes, vt S. Paulum, vt primis annis S. Antonium, & aulicos ab Auguſtino memoratos. Quorum vitam & conſilium niſi priuato inſtinctu Spiritus Sancti gratia gubernaſſet, in S. Benedicti reprehenſionem inciderent, dum negat illud vitæ genus *conuerſionis feruore nouitio* eſſe aſſumendum. De his ſcilicet Iuonem Carnotenſem intellige, à Franciſco Hallier non vno loco citatum, ſed nullo vnquam ſatis explicatum, cum Gaufredo ſcribit. *Verum Monachum nulla facit exterior adiectio, niſi mundi con-*

*Eremitæ quibus ſunt viæ diſſimiles.* *Eremitæ triplicis generis.* Petr. Dam. opuſ. 15. c. 3. Bened. Reg. c. 1. Iuo Carn. ep. 41.

*temptus, & plenâ Dei dilectio. Quod in principibus huius ordinis, Paulo videlicet, & Antonio, & multis aliis Ægyptiis Monachis facilè apparet, qui nullam a præcedente Abbate, vel Monacho ſuſcipientes benedictionem, perfectam ab eo qui habitare facit Monachos in domo ſui laboris, conſecuti ſunt retributionē.* Hac igitur auctoritate vtitur Franciſcus Hallier, vt benedictionem Abbatis Monacho neceſſariam non eſſe, ſecluſis Eccleſiæ regulis, probet: quod in quæſtione non eſt. Ego verò ad eam certiùs annoto, eiuſcemodi Anachoretarum vitam à nullo probato ſcriptore ſtatum appellari: non debere illos cum Anachoretis cæteris, longè minùs cum Monachis noſtratibus conferri; quando nos de Monaſtico ſtatu loquimur. Quapropter ſatis probabile videri, ab ſolitarijs illis nulla concepta vota, ut neque à noſtris etiamnum concipiuntur. Non enim habuerunt in quorum manibus paupertatem vouerent, & continentiam, vt neque cuius imperio ſe ſubijcerent: Monaſticæ tamen perfectionis vt reapſe ſectatores erant, ita propoſitum animo deſignaſſe crediderim.

*De illis Anachoretis iudicium Fran. Hallier. in vin. p. 408.*

*Anachoretæ digreſſi à Monaſterio.*
Caſſian. collat. 10. c. 6.

Alij Anachoretæ poſt diutinam in Monaſterio exercitationem, maioris ſtudio perfectionis, à ſenioribus ſeceſſum in Eremum interiorem impetrabant; de quibus fuſa eſt apud Caſſianum tractatio, quos *de perfectorum* (Cœnobitarum) *numero, & vt ita dixerim, fecundiſſima radice flores fructuſque prolatos*, appellat. Atque idem ex magni Antonij ſententia, *poſt cænobiale propoſitum, faſtigia ſublimioris perfectionis attingere, atque ad arcem Anachoreſeos peruenire*, dicit. Seuerus Sulpitius ex Monachis Cœnobitis *ſi qui maiorem virtutem mente conceperint, vt acturi ſolitariam vitam ſe ad eremum conferant, non niſi permittente Abbate diſcedere* ſolitos ſcribit. Affert & Sophronius Hieroſolymitanus temporariam quandam Anachoreſin in Mariæ Ægyptiacæ hiſtoria, eorum Monachorum in Palæſtina, qui ineunte quadrageſima ſalutantes inuicem, & leue quoddam corpuſculo reficiendo ſolatium deferentes, vſque ad magni ieiunij finem in horrēda ſolitudine errabant. *Iordanem enim mox tranſmeantes, longè ab inuicem ſe ſequeſtrabant, & nullus ſe iungebat ad ſocium, ciuitatem æſtimantes ſolitudinem: viuebat autem ſibi & Deo pſallens frequenter, & conſtituto guſtans tempore cibum.*

Seuer. Sul. dial. 1. de virtut. Monach. c. 4.
Sophron. in vita Mariæ Ægypt.

*Anachoretæ iuncti Cœnobio.*
Philo l. de ſuppl.

Tertia Eremiticæ vitæ ſpecies, eſt eorum qui mitiorem vitam, & minùs à Cœnobitica remotam amplexi, vno loco, cellis tamen, ſeu Lauris diſtincto, ſub Abbatis vnius diſciplina viuebant, & dominicis diebus ad ſynaxes vndique conueniebant in templum. Talis fuit ſub Marco nutritore per Alexandrinam præfecturam eremus ad Stagnum Mariam: vbi ſingulis σεμνεῖον ſuum fuit, ad orationis lectioniſque ſacræ officium explendum, ex quo egredi, ne proſpicere quidem totos ſex dies licuit: *ſeptimo verò*, inquit Philo, *conueniunt in communem cætum, & iuxta ætatis ordinem conſidunt.* Neque dubito quin Monachi à Dionyſio laudati ob vitam ſingularem, & indiuiduam, ad eum modum habitarent per hebdomadam, & die dominica in Templum cum vniuerſo populo conuenirent. Quæ inſtituta perennarunt vſque ad Antonium, qui vitæ magiſtrum accepit è Cœnobio cum receſſit. Huic inſtituto nobile inuentum addidit Geraſimus Anachoretarum dux & princeps, qui cum in Iordanis ſolitudine *maximam Lauram, quæ non pauciores quàm ſeptuaginta Anachoretas habebat, conſtruxiſſet, & præterea Cœnobium in medio eius collocaſſet, curabat vt qui introducebantur Monachi, manerent in Cœnobio, & vitam Monachicam exercerent. Qui autem crebris & longis ſe laboribus exercuerant, & ad perfectionis men-*

In vita Euthymii apud Surium 20. Ianu.

*ſuras*

*ſuras iam peruenerant, eos in ijs quæ vocantur cellis collocans, ſub hac iubebat viuere regula, vt quinque dies hebdomadæ vnuſquiſque in ſua cellula ſileret, nihil guſtans quod eſſet eſculentum niſi panem, & aquam, & dactylos: ſabbato autem & Dominica venientes ad Eccleſiam cum participarint ſanctificata, cocto vterentur in Cœnobio, & ſumerent parum vini.* Sed de hoc Monachorum ſeceſſu inferiùs etiam nonnihil erit repetendum.

Ex hoc hominum inſtituto, ijſque præſertim qui perpetuum ſibi ab hominibus exilium indixerunt, vnicum vidit Eccleſia Theleſphorum ſibi datum in Romana cathedra Pontificem; qui ex Eremitico rigore decreuiſſe legitur *vt ſeptem hebdomadas plenas ante ſanctum Paſcha, omnes Clerici, in ſortem domini vocati, à carne ieiunent: quia ſicut diſcreta eſſe debet vita Clericorum à laicorum conuerſatione, ita & in ieiunio debet fieri diſcretio.* Sic probabiliter intelligitur conſtitutum ab eo, vt ſeptem hebdomadas ante Paſcha ieiunium celebraretur, ſcilicet à Clericis; cum laïci tanto tempore non abſtineant. Paucos etiam alios è ſacris illis luſtris & ſpeluncis ad Pontificias infulas, & Eccleſiaſtica munia vocatos narrant hiſtoriæ, vel quòd ignoti deliteſcerent in tenebris, vel quòd ſacrorum rituum ignorantia laborarent, vel quòd omni ope, ipſius etiam non raro corporis deformatione, illa dignitatum faſtigia deuitarent.

*Paucì Anachoretæ ad munia Clericatus adſciti.*
Lib. Pont. in Theleſphoro.
Epi. Teleſ. refertur diſt. 4 ſtatuimus.
*Binius in vita Teleſphori.*

---

## *MONACHORVM COENOBIIS CONIVNCTORVM inſtitutio, per Orientem.*

### CAPVT V.

MONACHOS plurium conuictu in Cœnobijs & Monaſterijs viuentes, vt origine priores Anachoretis eſſe docet Caſſianus, qui eorum ortum à labente Apoſtolorum diſciplina, & excluſo coniugum hominumque conſortio, arceſſit; ita eoſdem perfectione ſuperiores ſolitarijs, ſaltem illis quos in priori genere deſcripſimus S. Baſilius arbitratus, ſcribit, *qui eiuſmodi ſunt, ſine controuerſia primi parentis noxam contegentes, antiquum bonum in priſtinum reuocant. Hi liberatoris noſtri, eiuſdemque vitæ, dum inter nos verſaretur inſtitutorum veri perfectique imitatores exiſtunt. Hi vitæ diligenter communitate retenta, Angelorum viuendi ritum æmulantur.* Et alia planè aurea ex animo in illiuſmodi vitam admiratione defixo profert Doctor grauiſſimus. Eos autem S. Epiphanius duplicis facit generis, alios in vrbibus, alios procul ab illarum frequentia, Monaſteria habitaſſe in ſolitudine commemorat. Syluicolas primùm ſuaſit eſſe Monachos amor perfectioris vitæ ad Apoſtolicas regulas dirigendæ, tum tyrannicis temporibus crebra vitæ pericula: vrbibus deinde ſanctitatem Monaſticam intulit orbi Chriſtiano reſtituta pax. Solitudines Monaſterijs tanquam ſacris vrbibus ædificarunt Tabenneſiotæ, Sinaïtæ, vtriuſque Thebaïdis, alijque id genus Monachi ſanctiſſimi, de quibus diuinè S. Chryſoſtomus. *Si quis nunc ad Ægypti veniat ſolitudines, paradiſo quouis omnem illam eremum videbit digniorem, & innumerabiles Angelorum cœtus in corporibus fulgere mortali-*

*Cœnobitarum ortus & perfectio.*
Caſſian. collat. 18. c. 5.
Baſil. 11. conſtit. Monaſt. c. 19.
*Perfecti imitatores Chriſti.*
*Monachi duplicis generis.*
Epiph. in Compen. fidei.
Chryſoſt. hom. 8. in Matth.

*bus*. Vrbana verò Monaſteria, aut vrbibus adeo propinqua vt poſſis vrbana nominare, Conſtantinopoli, Bethlemi, Oxyrinchi, quæ vrbs tota è Monaſterijs conſlara fuit; & in Occidente Vercellis, Mediolani, Turonibus, legimus in hiſtoricis & patribus.

*Sarabaïtæ Ægypty Monachi.* Caſſian. collat. 18. c. 7. Bened. Reg. c. 1. Iſid. l. 2. de offic. Eccl. c. 15. Magiſter in Reg.

Sarabaïtas hoc loco nominati vult, at non omnino probati Caſſianus, & poſt eum S. Benedictus, & ex vtroque Iſidorus Hiſpalenſis; quod Monachorum *genus deterrimum* omnes nominant, iſte *neglectum* adijcit, & in Anania olim & Sapphira *Petri ſeueritate ſucceſſum*. Cellulis continentur bini aut terni, ſui iuris omnes, nullius inſtituri Magiſterio, *quicquid putauerint vel elegerint hoc ducunt ſanctum: & quod noluerint, hoc putant non licere. Et dum in proprio arbitrio quærunt habere cellas & reſcellas*, inquit Magiſter in regula, *ignorant quia perdunt ſuas animellas*. Sarabaïtæ dicti Ægyptio vocabulo, quaſi *ſibi viuentes*, & ſuo arbitrio, *Renuita* Latino-barbaro, quia *refutant*, ſiue renuunt *Abbatem habere*, ait Gloſſa.

*Gyrouagi pſeudomonachi.* Iſid. cit. Magiſter cit. Contra eos Auguſtin. ſcripſit l. de opere Monach. c. 28.

Iſtis teligio eſt addere pſeudomonachorum monſtra, Gyrouagos nominatos, ſiue Circelliones, *qui ſub habitu Monachorum vſquequaque vagantur, venalem circumferentes hypocriſin, circumeuntes prouincias, nuſquam miſſi, nuſquam fixi, nuſquam ſtantes, nuſquam ſedentes.* Ita citatus Iſidorus; qui & eorum artes atque præſtigias pluribus denarrat; vt & laudatus antea Magiſter genuina ſanè hypotypoſi, intemperantem eorum peregrinationem oculis noſtris ſubijcit. Neque mihi dubium eſt, quin eius farinæ Monachi, occaſionem præbuerint S. Auguſtino, de opere Monachorum ſcribendi in Africa: qui de ijs apud ſanctos & veros Monachos grauiter conqueritur. *O ſerui Dei, milites Chriſti, ita-ne diſsimulatis callidiſsimi hoſtis inſidias, qui bonam famam veſtram omni modo cupiens obſcurare, putoribus ſuis tam multos hypocritas ſub habitu Monachorum vſquequaque diſperſit, circumeuntes prouincias, nuſquam miſſos, nuſquam fixos, nuſquam ſtantes, nuſquam ſedentes. Cum interea vbicunque in factis ſuis malis deprehenſi fuerint, ſub generali nomine Monachorum, veſtrum propoſitum blaſphematur, tam bonum, tam ſanctum.* Neque minùs viuis coloribus illos depingit S. Baſilius & omni ope iubet euitari. Non confero vel incluſos noſtros Anachoretas cum Sarabaïtis, vel vagantes cum Gyrouagis, quod aliqui non ſcrupuloſè præſtant. Sed tria in Auguſtini oratione cupio animaduerti. 1. Quales ij tandem ſint, quibus vult Monachorum optimus pater, librum ſuum de opere Monachorum prodeſſe, quibus illum, qua-ve de cauſa ſcripſerit, vt deſinant Antiregulares ab omnibus vniuerſè Religioſis opus manuum extorquere. 2. Quàm inuidioſè & contemptim Nicolaus le Maiſtre pſeudomonachos iſtos & hypocritas veris Monachis connumeret, profeſſus in epigraphe capitis, dicere de diuerſis Monaſticarum *ſectarum generibus, vt Tabenneſiotis, Remoboth, Gyrouagis*. Quaſi ſimili in propoſito conſtituas agere de Catholicorum hominum ſectis, vt Romanis, Caluiniſtis, Anabaptiſtis. Qui tamen ſua in nomenclatione fallitur, dum Sarabaïtas cum Gyrouagis confundit. 3. Quàm iniuſtè frequenter doctor Halliet, malos Monachorum quorundam mores in omnium inuidiam vocet, totumque Regularium populum in ius quaſi obtorto collo rapiat, ſi quis vnus è tanto numero exorbitauit. Sed hæc hactenus: & nos omiſſis illis impoſtorum portentis, de duobus primis S. Epiphanij generibus, ac potiſſimùm de priore dicamus; quoniam poſterius cultum & politum, ad Monaſticam inſtitutionem inferius explicandam accedit.

Baſil. l. conſtit. Mon. c. 9. *Notantur quædam ex S. Auguſtino.* Nicol. le Maiſtre li. 1. de Inſtaur. Epiſ. princ. c. 9.

Conue-

Conueniebant in beatas haſce ſolitudines, homines ætate maturi, à militia crudi, ab officinis inculti, ab agris & ſyluis pene ſemiferi, vt plurimum diuinarum æquè, ac ſecularium literarum admodum imperiti. Doctor Hallier, Laicos appellat, bono ſenſu non malè. Doſitheum illum vide ab aula vocatum, cui de Religionis noſtræ myſterijs, de cultu animæ, de virtutum ſtudio nihil vnquam aliud traditum fuerat, quàm vnum, *velle ſaluari*. Specta ſubtiles illos, qui verba Chriſti ex Euangelio, *qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus*, *ſimpliciter intelligentes, fecerunt ſibi cruces ligneas, eaſque iugiter humeris circumferentes, non ædificationem, ſed riſum cunctis videntibus inferebant*. Quid dicam de Anthropomorphitarum hæreſi, totas Ægypti ſolitudines fœdè peruagata, & contraria Theophili Alexandrini Patriarchæ ſcripta *ſumma cum amaritudine, pro ſimplicitatis errore ſuſcipiente.*

*Antiqui Monachi horridi & imperiti.*

Doroth. in vita Doſithei.

Caſſian. collat. 8. c. 3.

Idem coll. 10. c. 2.

Eorum inſtituta quæ fuerint, nemo pleniùs Caſſiano tradit; eum ego quid totum deſcribam? In ſummam colligo. Exercuerunt animum, & corpus, non aliter quàm Anachoretæ: illũ lectione, & rerum diuinarum commentatione, virtutumque operibus: hoc vigilijs, ieiunijs, labore aſſiduo, infinita incommodorum tolerantia. Et iſta quidem exteriora in illis ad miraculum elucent, ſed maximè labor improbus, cui alligata eſſe illiuſmodi oportuit ingenia ne otio torpeſcerent, ne vagi diſcurrerent, ne faſtidio cellæ vitam ſecularem requirerent.

*Quænam illorum inſtituta.*

Inter illos ſi quis prouecta ætate, pluſculum doctrina tinctus, virtute & diuturna pietatis exercitatione confirmatus eminebat, eum ſibi præficiebant Abbatem. Id nominis maximè inter Anachoretas, venerationis fuit, in Cœnobio poteſtatis. Quare illius fuit leges præſcribere, exercitationibus moderari, conſulere Monaſterio, forma non omnibus communi, ſed quæ cuique priuatim arriſiſſet. Subditi ergo vt vetuſtiſſimi mortalium, penè ſponte ſua innocentiam ſanctitatemque colebát. Nam ſi religioſa vota excipis, ſine quibus nullum vnquam Cœnobium, nulla eremus in ſtatu fuit, quæque in ipſo Monaſticæ vitæ propoſito, ſaltem implicitè continebantur, adeoque erant omnibus vniuerſè Monachis communia, cæteras vitæ ſeuerioris rationes, aut ſuopte ingenio aſſumebant ipſi, aut traditas ab Abbatibus obſeruabant. Abbatum autem poteſtas in auctoritate potiùs, quàm imperio; in exemplo, quàm vi coërcitiua erat poſita: vt tandiu ſolùm ijs inſtitutis adſtringerentur ſubditi, quamdiu aut vellet, aut viueret Archimandrita: aut is ipſe Monachus in alio Cœnobio alterius Abbatis ductum ſequi non eligeret. Quod ex eo libro qui vitæ Patrum inſcribitur, eorumque pleraque geſta refert, confirmare ſuperfluum eſt.

*Magiſtratus apud eos ſupremus, Abbas.*

Sub Abbate ſeu patre, indicat S. Hieronymus Centutiones & Decanos fuiſſe, *diuiſi ſunt per decurias atque centurias, ita vt nouem hominibus decimus præſit; & rurſus decẽ Præpoſitos ſub ſe centeſimus habeat*. Sic & Auguſtinus de Italicis, *opus autem tradunt ſimul ijs quos Decanos vocant: eo quod ſint denis præpoſiti, vt neminem illorum cura corporis ſui tangat, neque in cibo, neque in veſtimento*. Fuit ergo magiſtratus hic, ille ipſe qui a S. Auguſtino ex Monaſterio Monachorum, in Monaſterium Clericorum, eodem Præpoſiti nomine tranſlatus eſt, longè ſanè alius ab Abbate, ſeu patre, cui & ſubditus eſt, & rationem ſuorum reddit, vt ante diximus.

*Sub eo Centuriones & Decani.*

Hiero. ep. 22. ad Euſtoch. c. 15.

*Hi vero Patres non ſolum ſanctiſſimi moribus, ſed etiam diuina doctrina excellen-*

*Abbatis*

*munus & cura.*

*tiſſimi*, & totum vniuerſè Monaſterium vigilantia prouidentiaque ſua regebant, & conuenientes in vnum locum Monachos ſanctiſſimis præceptis imbuebant. *Conueniunt tempore diei extremo de ſuis quiſque habitaculis ad audiendum illum Patrem, & conueniunt ad ſingulos Patres terna, vt minimum, hominum millia.* S. Hieronymus conſonat, *poſt horam nonam in commune concurritur, & completis orationibus cunctiſque reſidentibus, medius quem Patrem vocant, incipit diſputare.* Quam præclarè viuendi formam conſeruari modò videmus apud ſanctiſſimum Carthuſienſium ordinem, veram Monaſticæ antiquitatis imaginem, & ſingularem ignotæ vulgo ſanctitatis reparatorem.

## NON FUISSE VETERES MONACHOS Parocho ſeculari ſubditos, demonſtratur.

§. Vnicus.

*De Monachorum ad Eccleſiam conuentu ſententia Nicol. le Maiſtre proferitur* l. 2. de Inſtaur. Epiſ. prin. c. 14.

CONCIONEM hanc Monachorum qui negare non poſſunt aduerſarij, priuatam certè appellabunt, vt publicæ alteri locum faciant, in quâ Monachos ſecularibus Parochis contendunt fuiſſe ſubiectos. Sic enim diſputat Nicolaus le Maiſtre, in Monaſterijs Eccleſias non fuiſſe extructas, ſed tantùm oratoria quæ vocabant: ad Eccleſiam autem cum reliquo populo Laïcorum & profanorum hominum, conuenire ſolitos Monachos Dominicis ac Sabbato, *vbi in commune Parochum audiebant diuini verbi myſteria exponentem: nec ab eius diſciplina & caſtigatione abhorrebant, ſiquando corrigi aut emendari meruiſſent.* Id probat primùm ex Euagrio qui Oxyrinchi duodecim Eccleſias fuiſſe ait; *in quibus publicus agitur populi conuentus, exceptis Monaſterijs, in quibus per ſingula loca orationum domus ſunt, quæ certis temporibus ad orationem frequentantur.* Deinde ex Palladio de Monachis Nitriæ narrante, conueniſſe illos in Eccleſiam ſingulis Sabbato ac Dominico diebus. Idem debet eſſe ſenſus Franciſci Hallier, qui Monachorum Preſbyterum, vt ante vidimus, alium à Curato non agnoſcit; cum tamen in Monaſterijs quæ modò tractamus, Patres ſeu Abbates audiamus concionantes, qui non neceſſariò Preſbyteri fuerunt.

*Primis temporibus conuenerunt ad Eccleſiã publicam Monachi.*

Hac in controuerſia id dico, primis temporibus omnes vulgò Monachos cum populo ad publicum templum conuolaſſe, vt luce clarius in S. Dionyſio videre eſt. Secutis quoque ſeculis, qui pagis & oppidis vicini erant, eos idem aliquando factitaſſe: quod longè potiori iure de Monaſterijs vrbanis poteſt intelligi, vt probant vrbis Oryrinchi Eccleſiæ, apud Rufinum l. 2. de vitis Patrum, c. 5. non autem Euagrium, vt citatur à Theologo. Id verò liberaliter

*Non tamen omnes.*

concedo, ea in vrbe Monachos Eccleſias publicas frequentaſſe: nam ſi negauero illos ab oratorijs & Monaſterijs ſuis diſceſſiſſe, quemadmodum noſtri modò Religioſi medijs in vrbibus ſua templa celebrant, quis falſi ex Rufino

*Vt apparet in controuerſia S. Hieronymi* Seuer. Sul. dial. 2. c. 4

arguet? Eius autẽ contrarium in vita & actionibus S. Hieronymi expreſſum lego: quem narrat Seuerus Sulpitius Bethlemi commorantem *eius loci Eccleſiam tenuiſſe. Nam Parochia* (inquit auctor) *eſt Epiſcopi qui Hieroſolymam tenet.* Vide Lector; Eccleſiam tenet Hieronymus, Parœciam Epiſcopus; non igitur omnis Eccleſia Parœciam habet igitur, & quidem in vrbe, Monaſterium Eccleſiam ſuam, ab vrbis Parœcia diſtinctam: Non tenet Eccleſiam Monaſterij ab Epiſcopo Hieronymus, qui cum ipſi non conuenit, *Parochia Epiſcopi eſt;*

*eſt*; idem de Monaſterij Eccleſia non dicit Sulpitius: alium ab Epiſcopo Parochum non haber Parochia, ergò aliunde ſacra myſteria percipere debent Hieronymo immediatè ſubiecti, quando is ab Epiſcopi communione ſe ſubducit. Quæ omnia ſancti Patres, Hieronymus ipſe & Epiphanius, quibus *Apud Hieron. ep. 60. & 61.* cum Ioanne Hieroſolymitano de Pauliniani ordinatione controuerſia eſt, apertè declarant. *In Monaſterio* (inquit Epiphanius) *fratrum, & fratrum peregrinorum qui prouinciæ tuæ nihil deberent*, hoc eſt, qui tibi ſubditi non eſſent: & infra. *Cum vidiſſem quia multitudo ſanctorum fratrum in Monaſterio conſiſteret, & ſancti Presbyteri Hieronymus & Vincentius, propter verecundiam & humilitatem nollent debita nomini ſuo exercere ſacrificia*: vnde moleſtum illud oriebatur, vt in Monaſterio Miſſæ non celebrarentur, Paulinianum id oneris refugientem, *Querela Monachorum quod in Monaſterio Miſſa non celebraretur.* comprehendi iuſſi, & inuitum licet ac reluctantem ordinari Diaconum, atque Preſbyterum in Monaſterio, & non in Parochia, quæ tibi ſubiecta ſit. *Poſt hæc ſcripſimus ad ſanctos Presbyteros Monaſterij, & cæteros fratres, & increpauimus eos, quare non ſcripſiſſent ſuper eo, cum ante annum, multos eorum queri audiſſem, cur non haberent qui ſibi Domini ſacramenta conficerent, & illum omnes ſuo poſcerent teſtimonio, & grandem vtilitatem in commune Monaſterij teſtarentur.* Et hoc de Monaſterij Preſbytero S. Epiphanius. De Preſbyteris autem Parœciæ Bethlemiticæ S. Hieronymus. *Ante paucos menſes, circa dies Pentecoſtes, quadraginta diuerſæ ætatis & ſexus Presbyteris tuis obtulimus baptizandos. Præcepiſti Bethleem Presbyteris tuis, ne Competentibus noſtris in Paſcha baptiſmum traderent. Mandas Clericis tuis, vt ſi quis Paulinianum ab Epiphanio Epiſcopo conſecratum, Presbyterum dixerit, Eccleſiam prohibeatur intrare. Eccleſiam ſcindere dicimur, qui extra cellulas noſtras, locum Eccleſiæ non habemus.* *Presbyteri Parœciæ diuerſi à Presbyteris Monaſterij.* Hoc eſt, qui extra Monaſterium noſtrum in publica & Parœciali Eccleſia, quæ tua eſt, nullum deſignatum habemus locum, tanquam extranei, in quo conſiſtamus. E quibus ipſo meridie clariùs paret, *Hinc refelluntur Hallier & le Maiſtre veteres Monachos Parochis ſubijcientes.* & Eccleſiæ Monaſterij ab vrbana Parochia diſtinctio: & Preſbyrerorum Parœcialis monaſticæque Eccleſiæ ſeparatio: & incruenti ſacrificij in Monaſterij Eccleſia vſitata celebratio: & ipſius Monaſterij immunitas ab Epiſcopi Hieroſolymirani, multo magis ab inferiorum Preſbyterorum iuriſdictione: vt vnus hic locus totum Nicolai le Maiſtre, & Franciſci Hallier Monachos Curatis ſubijcientium figmentum euentilare poſſe videatur, licet nulla alia argumenta ſuppeterent.

Qui verò interiores habebant ſolitudines, ijs Epiſcoporum voluntate datos neceſſariò Preſbyteros, & conſtructa in loco opportuno, non procul à cellis, templa, in quæ ſtatis diebus conuenirent, clarius eſt quàm vt probetur: *Monachi in ſolitudine ſuas habebant Eccleſias.* quod Theologus ipſe agnoſcere cogitur, cum ait, *vt plurimum in Monachorum oratorijs myſteria non fuiſſe celebrata, niſi cum Monaſteria longius à Parœcia Eccleſia abeſſent, & illis in Monaſterio Presbyterum Epiſcopi fauor indulſiſſet.* *Vt fatetur le Maiſtre.* Illiuſmodi fuit illa Nitriæ, ſeu Celliæ Eccleſia, quam malè Theologus Eccleſiam Parœciæ, id eſt oppidi, vult à nobis credi: nam Cellia locus erat in deſerto interiori, eremus vaſta, & cellulæ omnes longo inter ſe ſpatio diremptæ. *Refelluntur de Eccleſia Nitriæ.* *Die tantum Sabbati & Dominica*, inquit Rufinus, *in vnum ad Eccleſiam coëunt, & ibi ſemetipſos inuicem tanquam cœlo reduces vident.* *Rufin. l. 2. de vitis P. c. 22.* Neque alia eſt Palladij narratio, aut Sozomeni, qui ab illo videtur ſumpſiſſe. *Pallad. in lauſ. c. 22. Sozo. l. 6. c. 31.* Ad Eccleſiam igitur omnibus, & ſolis Monachis communem conueniebant, non vt audirent Parochum adhortantem; ſed Patrem, cumque eo ſynaxim celebrarent. *συνιόντες δὲ πάντες εἰς ταὐτὸ ἅμα.* Quod autem de fla-

*[illegible] &c. Pallad. in lauſ. c. 7. Caſtigati Monachi ab Abbate non à Parocho. Parocho ſeculari non fuerunt ſubditi.*

gellis è palma pendentibus, ad Monachorum correptionem, in monte Nitriæ additur, id ſolùm probat, caſtigata fuiſſe eo loco Monachorum delicta, ſed id à Parocho ſeculari Sacerdote factum, qualem vult Theologus accipi, neque narrat hiſtoricus, neque probare poſſunt aduerſarij. Nam cum Preſbyterum Monaſterijs addictum volunt eſſe Parochum, demonſtrent oportet, quod nos imus inficias, ex quo Cœnobia illa vigere cœperunt, in Sacerdotis ſecularis, & oppidani Parochi curam traditos fuiſſe Monachos. Abſurdum quippe eſt quoties in Rufino, aut Palladio, & alijs aſceticæ hiſtoriæ ſcriptoribus, Eccleſiæ nomen occurrit, cogi nos Parœcialem cogitare; quæ promiſcuè Chriſtianis omnibus communis eſt; qualem hodie ſub Parochi ſecularis cura videmus, in qua ſola fas fuerit Monachis ſynaxes celebrare.

*Probatur* ex Concil. Chalc. act. 15. c. 6. Ibid. c. 8.

Certè in Concilio Calcedonenſi quiuis ordinatus, dicitur addictus ſpecialiter Eccleſiæ aut Ciuitatis, aut Pagi, aut Martyrij, aut Monaſterij. Habuerunt igitur & Martyria, & Monaſteria ſuos Preſbyteros & Diaconos, non minùs quàm Ciuitates & Pagi. Præterea *qui Clerici*, ait Concilium, *præficiuntur Ptochodochijs, & qui ordinantur in Monaſterijs, aut baſilicis Martyrum, ſint ſubiecti Epiſcopis.* Quo ex decreto euidenter deduco, fuiſſe tunc quatuor Eccleſiarum genera, quæ omnia Epiſcopis ſubderentur, ſed inuicem non penderent, videlicet Parochias ſeu vrbanas, ſeu ruſticas, Ptochodochia, Martyria, Monaſteria.

*In Monaſterijs Preſbyteri & Diaconi creati ex Monachis.* Hieron. ep. 62.

Quemadmodum autem Abbas in quo verſamur, è Monachorum grege ad cæterorum curam ſemper electus eſt: ita Preſbyteros & Diaconos ex illo ſanctorum choro ſæpius aſſumptos fuiſſe, multa ſatis probabiliter perſuadent, & in primis illa ipſa quam ſupra explicauimus Pauliniani ordinatio, quæ expreſſè dicitur ab S. Hieronymo, *quiſcere in Monaſterij cellula, & Clericatum non honorem interpretari, ſed onus.* Quod & apertius probat alius magiſtratus, etiam Abbatibus ſuperior, Chorepiſcopus, quem vni Monaſterio, & Eccleſiæ affixum fuiſſe credere non debemus. Is autem eligi ſolebat *ex bonis Religioſis qui habitabant in deſerto*, vt habet Canon Arabicus Nicænus; cuius erat eligere idoneos, quos Eccleſijs & Monaſterijs præficeret, ea lege ne qui Eccleſias regere iubebantur, Monaſterijs; qui Monaſteria, Eccleſijs præfici poſſent. Illi Canon alter ius Monaſterij viſitandi fuiſſe aſſerit, & Miniſtrorum in eo ad arbitrium inſtituendorum.

*Chorepiſcopus è Monachis lectus.* Concil. Nicæn. can 54. Arab. Ibid. can. 55.

*Idem conficitur auctoritate S. Gregorij.* Greg. l. 10. ep. 53 indict. 5. Idem l. 5. ep. 41. indict 14. Idem l. 6 ep. 40. ind. 15. *Vetat Clericos niſi orandi cauſa ad Monaſteria accedere.*

Addo alterius & regionis & ſeculi Doctorem Gregorium magnum, qui iubet ab Epiſcopo Leontino, Monachum quemdam in Monaſterio, & congregatione ſua ordinari, quem Ioannes eius loci Abbas offerebat, *nihil aliud ei priuilegij concedendo, niſi vt in congregatione ſua quoties opportunum fuerit ſacra miſſarum debeat tantummodo celebrare myſteria.* Victori quoque Epiſcopo imperat, vt Vrbico Abbate Panormitano poſtulante *ordinari in ſuo Monaſterio Preſbyterum, qui ſacra miſſarum ſolennia celebrare debeat: ipſum ad hoc miniſterium de eadem congregatione eligat, qui nec de Monaſterio ſuo egredi, nec extraneum ſibi ad peragendum ſacrum opus cogatur adducere.* Hoc videtur adiicere, quoniam Monachorum quieti vtilitatique ſemper inuigilans, vetare cogitur alibi Clericorum dominio prægrauari Monaſteria, vt *nullam deinceps in eis, vel hi qui in ſacro ſunt ordine conſtituti, ob aliud habeant, niſi orandi tantummodo cauſa, accedendi licentiam: aut ſi fortè ad peragenda ſacra miſſarum fuerint inuitati myſteria.* Quæ decreta omnia, & Preſbyteros illos fuiſſe Monachos, & in ipſo Monaſterio ſacris

ſacris operatos, & id officium Clericos ſeculares non niſi precario exercuiſſe demonſtrant.

Cæterum his omnibus ſuptem a cum poteſtate eminebat Hierarcha, iſque Monachos nullo exemptos priuilegio, nullis Romanorum Pontificum diplomatis liberos, habebat in omnibus obſequentes. Sic enim fieri & natura rei, vt videbimus, & Chriſtianæ Religionis ordo, & aſſumpta per Monachiſmum humilitatis ratio exigebant. Nemo enim illorum non potuit cum Nathanaële Anachoreta ſanctiſſimo dicere; *Ego Dominos meos & Epiſcopos colo, & omnem Clerum honoro, ſumque ego peccator omnium hominum peripſema.* Nemo non eoſdem, quos Pachomius ille magnus habuit oculos, *qui Chriſtum ipſum ſe in Sacerdotibus eius, in Eccleſiæ throno teſtabatur cernere.* Hinc perpetua illa aduersùs Epiſcopos, & Clerum omnem Monachorum obſeruantia, fusè ab eodem Nicolao le Maiſtre laudata: qui cum infenſos Clericis, & rebelles Epiſcopis Monachos producturus, ſolos è Monachis hæreticos, aut ſchiſmaticos nominat, nonne vult a nobis intelligi, cæteros omnes Monaſtica ſanctitate verè præditos, Epiſcopali clericalique dignitati ſemper aſſurrexiſſe, & nullum vnquam Hierarchæ ſui imperium detrectaſſe? Hoc ego inſtitutum omni laude dignum, non minùs quàm ipſe, deprædico; non tamen poſſum adduci vt credam aliquos, vt non obſcurè indicat, huius tempeſtatis Monachos, tantopere à maiorum probatiſſimis moribus deflexiſſe, *vt Cæi Enceladique furorem imitari contendant, credantque celſiorem ſe Sacerdote ac Presbytero locum occupare; quem ne ſalute quidem dignantur, aut affatu, eius ordini & gradui tam faſtuosè inſultant, vt eius contactu diceres ſanctimoniæ Monaſticæ nitorem, tanquam peſte quadam infici & contaminari.* Vellem equidem vir pacis, & caritatis fraternæ, vt præ ſe fert, ſtudioſus, hanc Petro Aurelio relinqueret orationem, & alio conſilio veterum Monachorum virtutes in cœlum tolleret, quàm vt noſtrates Religioſos ad gigantæam ſtoliditatem deprimeret.

*Epiſcopo in omnib' ſubiecti erant veteres Monachi.*
*Nathanaëlis Anachoretæ profeſſio.*
Palla. c. 8.
In vita Pacho. c. 27.
Nicol. le Maiſtre de Inſtaur. Epiſc. princ. l. 1. c. 13. & 14.
*Modernos Monachos indignè calumniatur.*

Agnoſcis Lector, rudia hæc fuiſſe Monaſtici ſtatûs lineamenta, quæ licet primigenij feruoris impetu, & candidiſſimæ ſimplicitatis prærogatiua, in ea prorumperent abſtinentiæ, vigiliarum, cæterarumque obſeruantiarum miracula, quæ Chriſtianis modò omnibus admirari licet, imitari autem in hac corporum imbecillitate, nemini; ad eam tamen ſtatús perfectionem deducta non erant; quæ deinde ſummorum ingeniorum induſtria, & ſanctiſſimorum virorum longo vſu ex probatis per Concilia, & Pontifices regulis acceſſit. Nam quia nihil inter homines vnquam ſimul natum atque perfectum extitit, atque ipſæ vrbes & imperia per temporum vices incrementum firmitatemque ſuam ceperunt; ipſa etiam Eccleſia non eam prioribus ſeculis ordinum ſuorum dignitatem, non rituum externorum maieſtatem, non eandem poteſtatis amplitudinem habuit, quam modò in hac Europæ Catholicæ amplitudine videmus: dubium non eſt quin Religioſus ſtatus ſuis quoque augmentis creuerit, & per ætatum ſpatia ſtabilem abſolutamque ſuis partibus perfectionem ſit adeptus. Id verò fieri non potuit, quin plurima ex priorum inſtitutis in melius mutarentur, nonnulla penitus antiquarentur. Quòd ſi dum aliquâ mala corriguntur, optima quædam ſtabiliuntur; nonnulla fortaſſe bona effluxerunt: dandum id humanæ infirmitati, quæ inuiolatum ſanctitatis tenorem ſeruare perpetuo animi rigore non profitetur. Certè minus habent in Eccleſia auctoritatis Monaſtica decreta,

*Antiquus Monachiſmus ſuæ perfectionis prima delineatio.*
*Ad inducendam perfectionem, mutanda fuerunt plurima.*

Z

quàm venerandæ caniciei canones; à delibàtò Hierarchàrum flore petlati: & eos tamen maxima ex parte, ſeu morum licentia, ſeu temporum neceſſitas, ſeu multorum experientia coëgit innouati. Quoniam vt ſolidè admonet, diſtinquitque Petrus Venerabilis, *aliud eſt quod à Domino æterna lege immobiliter tenendum præcipitur, alterum quod ab hominibus vtilitatis cuiuſlibet cauſa ad tempus, non in perpetuum imperatur.* Sic ille, apud quem, & eius æqualem S. Bernardum, libto peculiari de Præcepto & diſpenſatione, plura leges in eandem ſententiam.

Petrus Venera. præf. in ſtatut. congreg. Clun. Bern. l. de præc. & diſpenſ.

---

*TABENNESIOTARUM SEU TABENNENſium Monachorum inſtituta priuatim enucleata.*

## CAPVT VI.

*Inſula Tabenna commendatio.*

RELIGIO mihi eſt ex iſto Dei paradiſo inſalutata Tabenna egtedi, eximia Religionis palæſtra, quam Monaſticarum diſciplinarum Rhodum iure poſſis appellate, aut ſi mauis Ægyptiam Sinam, quæ *legem accepit in diſpoſitione Angelorum*, non illam duram & ſeuetam, cuius liteta occidit, ſed benigniorem, & Chriſti oleo mitigatam. *Matricem, ac veluti metropolim Monaſtici imperij*, vocat Nicolaus le Maiſtre, elegantet ſanè, modò inferius explicando, niſi quòd *imperij* vox in regno Chriſtianæ demiſſionis mihi probari non poteſt. Atque idem Theologus in Tabenneſiotarum veſtes, & extetnum apparatum contemplationis ſuæ oculos defigit, quod ſolent viri ſeculares, interiorum in Religioſis familijs virtutum parum ſeduli, aut perſpicaces ſpectatores, cum tamen *omnis gloria filia regis ab intus* ſit: propterea nobis Religioſis, tanquam myſteriorum illorum epoptis, intima petuadere, & ſacram politiam ſpeculari permittit. Ea verò perfectiot cæteris quia Angelica, à legibus noſtratium Monachorum minùs cætetis temota, propoſitum meum fuſiùs explicata promouete incipiet.

Nicol. le Maiſtre Inſtaur. Epiſ. prin. l. 1. c. 9.

*Monaſteria 24. in inſula.*

In vita Pacho. c. 22.

Sozo. l. 3. hiſt. Eccleſ. c. 13.

*Eorũ Præpoſiti.*

Gennad. de ſcript. Eccleſ. c. 7

Orſieſis de inſtit. Monaſt.

*Eorum cura & officium.*

Inſula Tabenna velut grande quoddam Monaſterium fuit, è viginti quatuor diſtinctis domibus conflatum, ad littetarum Græcarum non tantùm numetum, ſed & aliquam ſignificationem: cum mites & ſimplices litera *I*, difficiles & vafros liteta ξ vel z ſignaret Pachomius. Eatum ſingulis impoſiti etant duces, qui Præpoſiti, & Archimandritæ in Pachomij vita dicuntut: ipſe S. Pachomius epiſtola ad eos ſcripta, cuius mentionem facit Gennadius, præpoſitutæ ſuæ collegas vocat: quorum vnus fuit Theodorus ille S. Pachomij comes & ſedulus æmulator. Hi quanti, quamque ſapientes eſſe debuetint, quæque ipſis cura commiſſa, docet Orſieſis admonitio. *Vos quoque Præpoſiti domorum ſingularum, parati eſtote ad reſpondendum omnibus, qui à vobis exigunt rationem, ſuper ea fide quæ in vobis eſt: monete eos qui inordinati ſunt, conſolamini puſillanimes.* Collationes quotidianas habuetunt, de quibus mox dicetur: victum veſtitumque ſuis prouiderunt, ſcribente Orſieſi: *quæ nobis occaſio relicta eſt vt habeamus quicquam proprium, à funiculo vſque ad corrigiam calceamenti, cum habeamus Præpoſitos qui pro nobis cum timore, & tremore ſolliciti ſunt tam in cibo, quàm in veſtitu & corpuſculi languore?* Coërcitionis quoque ius illis fuit in ſubditos. *Si Præpoſitus domûs aliquem corripuerit ex fratribus qui ſubiecti ſunt, erudiens*

*diens cum in timore Dei, & cupiens ab errore corrigere, & alius voluerit pro eo loqui, & eum defendere.* Hunc Præpoſitum Gazæus eumdem facit cum Priore clauſtrali, cum regulam Pachomij commentatur. Habuit idem ſub ſe miniſtros & officiales inferiores, quibus peculiaris rerum Monaſterij tradita cura. *Si enim leutonaria noſtra*, inquit idem, *quando lauamus, & ſicca non fuerint vſque ad veſperam, non habemus poteſtatem apud nos tenere, damnuſque Præpoſito cui crediti ſumus, vel et cui creditum eſt cellarium, vt deferat ad eum locum vbi veſtimenta pariter omnium reſeruantur*, &c. Ius illis ferendi virgam, magiſtratus ſui inſigne; ſiquidem Orſieſis idem in Monachi Tabennenſis ſupellectili numerat, *& virgam, cui miniſterium aliquod & diſpenſatio credita eſt Monaſterij.* Atque illos eſſe arbitror quos Monaſteriorum ſecundos ita compellat; *vos quoque qui ſecundi eſtis domorum ſingularum, humilitatem ſectamini, & modeſtiam; & ſingula præcepta maiorum, vitæ communis normam putate.* Denique breuiter omnes nominat S. Hieronymus: *habent per ſingula Monaſteria Patres, & diſpenſatores, & hebdomadarios, ac miniſtros, & ſingularum domorum Præpoſitos.*

Gazæus in Reg. Pach. — *Inferiora ſub illo officia.* — Orſieſ. cit. — *Monaſteriorum ſecundi.* — Hugo Menard. in Concord. Regul. c. 27 §. 15. — Hieron. Præfat. in Reg. Pac.

Hos omnes communiter regebat vnus Abbatis nomine & dignitate, putà S. Pachomius inſtitutor, ſucceſſor Petronius, atque is ipſe tertius Orſieſis: qui *princeps Monaſterij* non ſemel dictus, tum in Orſieſi, tum in regula, *ſine cuius voluntate & ſententia nullus increpandi fratrem habuit poteſtatem.* Illi etiam priuatarum domuum magiſtratus rationem reddebant quoties expoſceret. Sic enim vita S. Pachomij docet, diſpoſitas fuiſſe Monachorum turmas, *vt cum inter rogaret archimandritam de aliquo in multitudine tanta, facili reſponſione cognoſceret.* Et Theodotus Monaſterij quod priuato nomine Tabennenſe vocabatur, curam geſſiſſe dicitur. Singula quoque Cœnobia viſitaſſe legimus Pachomium, & in ijs quædam pro poteſtate correxiſſe. Denique idem Abbas cum ſuis omnibus erat in Epiſcopi iure, ac ditione, cum S. Athanaſius *Eccleſias ſuperioris Thebaidæ ſolenniter circumiens, ad loca Tabennenſium nauigio peruenerit*, magnoque gaudio & hymnodia ab Pachomio Monachiſque omnibus ſit exceptus. Quò reſpexiſſe mihi videtur S. Hieronymus, cum Theophilo Alexandrino ſcripſit. *Ad aduentum, vt reor, tuum non pauet turba Monachorum, ſed gaudet, cum certatim tibi procedunt obuiam, & de eremi latibulis exeuntes, ſua te cupiunt humilitate ſuperare. Quid eos compellit exire? nonne amor tui? quis per eremum ſeparatos in vnum cogit, nonne tua dilectio? amari enim parens debet: amari parens & Epiſcopus, non timeri.* Quæ cum Monachos omnes, maximeque Tabennenſes tangant, libenter recolo, vt quo Monachi loco apud Epiſcopos, quo Epiſcopi apud Monachos eſſe debeant, omnes æquè meminerimus. Et hæc de prælatis dicta ſufficiunt; in quibus vidiſti lector, Abbatem à Præpoſito diſtinctum, & eo maiorem, licet Abbas ille Preſbyter non ſit; vt neque Præpoſitus. Venio ad ſubditos.

*His omnibus ſuperior Abbas.* — Reg. Pacho. a. 116. — In vita Pachom. c. 22. — Ibid. c. 47. — Ibid. c. 43. — *Abbas cum ſuis Epiſcopo ſubditus.* — Ibid. c. 27. — Hieron. ep. 62.

In ijs notandum illud maximè, quòd non æui tantùm maturos; ſed & pueros in aſceteria ſua S. Pachomius admitteret. Nam Theodorus, quem Sanctificatum Græci appellant, annorum 14. puer in Pachomij ſinum à materno confugit. De pueris quoque præcipit regula, *ſi fuerint dediti luſibus & otio, & correpti non potuerint emendari, debet Præpoſitus vſque ad dies triginta; ipſe eos monere, & corripere.* Eadem regula ante vetuerat vllum de fratribus, *libenter videre, & ludere, & habere amicitias ætatis infirmæ.*

*Admiſſi in hæc Monaſteria etiam pueri.* — In vita Pachom. c. 39 — Reg. Pacho. a. 95. — Ibid. a. 96.

*Virorum exercitia quæ fuerint.* Orſieſis de inſtit. Monaſt. *Votorum obſeruatio perfecta.* Hallier in vindic. p. 396. Caſſian. li. 4. Inſtit. Monaſt. c. 1. Ibid. c. 9. & 10. Orſieſ. cit. Caſſian. ibid. c. 13. & ſeq. Reg. Pacho. a. 82. Ibid. a. 29. *Corporalis exercitatio moderata.* Caſſian. ibid. c. 14.

Præcipua virorum cura fuit animum virtutibus, mentem rerum cœleſtium contemplatione, ingenium diuinarum ſcripturarum meditatione paſcere. Sic hortatur Orſieſis: *habeamus curam legendarum & diſcendarum ſcripturarum, & in earum ſemper meditatione verſemur.* Aperta fuit & accurara votorum trium obſeruatio, quæ cum in omnibus Monachis veteribus vſitata fuiſſe, confirmarit aliquando decreto ſuo ſchola Pariſienſis, id profectò potiſſimùm de noſtris Tabennenſibus aſſeruit. Er priuatim Franciſcus Hallier, antiquitus aſſerit *rationem Religionis & Religioſi ſtatus, ſaltem quoad eſſentialia, eandem fuiſſe quæ iam eſt.* Quis aurem præret Aurelium & ſimiles, trium votorum nuncupatione Religionis eſſentiam non complectitur? Et quidem ineunte narratione de horum inſtitutis, miratur Caſſianus obedientiam: *tantâ que fuit obedientiâ hic tam prolixus Monachorum numerus, omni auo Seniori ſuo ſubditus, quantâ non poteſt apud nos vnus vni vel obedire pro modico tempore, vel præeſſe*: quam poſtea eodem libro fuſius deſcribit. De paupertate quæ in commune omnia, priuatim nihil habet, poſt Orſieſim & Caſſianum ſuperfluum eſt dicere. Caſtitatis curam demonſtrat vel puellarum diſciplina; vel fœminarum externarum ſuſceprio, & ad colloquium ſumma cum cautela admiſſio: quas *vaſa infirmiora* ſcitè vocat Angelica regula. Corporis exerciratio apud illos moderata, pro temporum ingenio, paxamatia duo in dies ſingulos. Labor pro virium menſura: ſic enim præcipit Angelus, *ſingulis iuxta vires ſuas edere concedas & bibere; & pro modo veſcentium laborare compellas: validioribus quidem & comedentibus, validiora opera; leuiora autem infirmioribus, & abſtinentioribus imponas.*

In vita Pachom. c. 22. *Clericatum appetere vetiti.* Ibid. c. 24. Gennad. de ſcript. Eccleſ. c. 8.

Cumquè eam vitæ perfectionem profiterentur, clericatum tamen affectate, aut omnino vllum inter eos Clericum verſati prohibebat. Cur ita? vt aditum ambitioni, contentionibus, & diſſidijs occluderet. His enim vitijs obnoxios nouerat ſuos vir ſapientiſſimus, niſi frenum inieciſſet. Nam poſt Abbatis obitum, aliqui *diſceſſione facta, à cœtu ſemetipſos abſciderunt vnitatis*, quos Theodorus epiſtola ſcripta monet redire in concordiam & vnitatem. Ex eo nihilominus Monaſterio, rum alios, tum magnum Nonnum Pelagiæ ſoterem legimus ad Epiſcoparum aſſumptos.

*Conuentus, ſeu collecta duplex. Maior ad ſynaxim celebrandam. Vocati ex viculis Presbyteri.* In vita Pachom. c. 24. *Presbyteris non fuerunt ſubditi.* Nicol. le Maiſtre Inſt. Epiſc. princ. l. 1. c. 14.

Sic quidem priuatim viuebanr Tabenneſiotæ: conuentum autem & congreſſum mutuum habebant duplici in differentia. Collectam vocabant maiorem, minoremque. Maior, omnium fuit in Eccleſiam coïtio, diebus Sabbati ac Dominicis ad ſynaxim celebrandam: de qua vita Pachomij, *cum ſolennitas ex more depoſceret vt myſteriorum cœleſtium participes fierent, ex proximis viculis Presbyteros conuocabant qui eis feſtiuitatem lætitiæ ſpiritalis implerent.* Hoc loco libenter quæſiero ex ijs, qui Monachos ſemper ad Parœciam oppidi commeaſſe cum cæteris Laïcis, vtriſque æquè Preſbyterum, id eſt, ſecularem Parochum imperaſſe perrinaciter affirmant; qui negant Monachos, ipſoſque Tabennenſes Eccleſiam habuiſſe aliam ab oppidi Eccleſia: quæro inquam cur in Monaſterium vocentur Preſbyteri, ſi ad Preſbyreros adire debuir Monaſterium? Vbi ſacrificarint illi Preſbyteri, ſi nulla fuit in Monaſterio Eccleſia? Quod ius in Monachos habuerint Preſbyteri viculorum, ſi non vocati accedere non præſumebant, vocati renuere non audebant? Denique & ipſe Micolaus le Maiſtre, in Pachomiano Monaſterio cogitur agnoſcere oratorium fuiſſe, & in eo aram, quo deductus eſt à Pachomio Macarius, à ſancto

ſanctus,

ſanctus. *Et cum eum deduxiſſet in domum Oratorij vbi eſt ara, & cum eſſet amplexus:* id eſt, vt ego interpretor, in illud oratorium quod præter & ſupra reliqua oratoria, aram habebat: vt non tantùm in ea proſeucha oraretur, ſed etiam incruentum ſacrificium offeretur. Hæc autem, ſi quid ſapio, eſt Eccleſia ſaltem Monaſtica.

Pallad. in lauſ. c. 20. in vita Macar.

Minor collecta, priuatus fuit ſingularum domuum, & quotidianus conuentus, non ad ſynaxim, ſed ad diſputationem, ſiue collationem ſacram Præpoſiti. Sic enim regula: *mane per ſingulas domos finitis orationibus, non ſtatim ad cellas ſuas reuertentur, ſed conferent inter ſe, quæ Præpoſitos audierint diſputantes. Diſputatio autem à Præpoſitis domorum, per ſingulas hebdomadas tertiò fiet.* Eam in rem priuata oratoria, ſine ara, cuilibet domui fuiſſe conceſſa, res ipſa loquitur; neque aliud aduerſarij arguméta conficiunt. Atque ex ea conſuetudine ductum æſtimare poſſumus eius oratorij vſum Monachis mediæ ætatis conſuetum, de quo in Capitulari Caroli Magni legimus, *vt vbi corpora ſanctorum requieſcunt, aliud oratorium habeatur, vbi fratres ſecretè poſſint orare.* Vel, vt reperitur in Concilio Francofordienſi, *vt habeat oratorium intra clauſtrum, vbi peculiare officium & diuturnum fiat*; quod & modò etiam videmus obſeruari.

*Minor collecta ad ſacras collationes.*
Reg. Pachom. 7.
*Priuata oratoria.*
Capit. Caroli Magni de Monach. c. 7.
Concil. Francof. can. 15.

Denique de Tabennenſibus illud non omiſerim, exiſtimare Sozomenum, illorum inſtituta non vnius inſulæ finibus circumſcripta fuiſſe, ſed alias etiã Ægypti ſolitudines penetraſſe, in quibus plura Monaſteria fuerint Abbati Tabennenſi ſubdita, & ad eius normam viuentia. *Conuentus eorum qui inſulam Tabennam incolebant,* inquit hiſtoricus, *quibuſcum vixit Pachomius, circiter mille, & trecentos numero habebat* (mille & quadringentos numerat Palladius;) videlicet qui 24. inſulæ domibus continebantur. *Cæteri autem in Thebaïde, & Ægypto habitabant: vna eſt viuendi ratio, ac diſciplina omnibus, & omnia omnium communia. Conuentum autem qui eſt in Tabenna inſula matris loco ducunt; & qui illi præſunt Patres, & Principes arbitrantur.* Hoc quod neque Caſſiani, neque Palladij docere poteſt narratio, ſatis probabiliter ſuadet & Chinoboſciorum Monaſterium, quod in vita S. Pachomij nominatur, eo forraſſe loco extructum, quòd apud Chinoboſciam vrbem catechumenus fieri incœpiſſet: & anonymum aliud in quo priuata collecta diſputantem Præpoſitum audiuit Theodorus antequam ſeculo renunciaſſet. Dignum certè animaduerſione eſt, quòd alibi toto illo ſeculo, non facilè reperias tam arctum diuinæ amicitiæ, inter hæc omnia Monaſteria vinculum fuiſſe; vt nemo vni affixus eſſet, verùm pro ſuperiorum arbitrio ab vno in aliud commigrarent. Teſtis Petronius S. Pachomij ſucceſſor, qui in Chinoboſciorum Monaſterio ægrotus iacebat, cum eſt in Abbatem electus, & ad Pachomianum Cœnobium deductus. Teſtis regula: *Si quis transfertur de domo in alteram domum, excepto ea quæ vſui quotidiano ad habitum neceſſaria ſunt, ſecum transferre nihil poterit.*

*Alia eius inſtituti extra inſulam Monaſteria Tabennenſi tanquam generali ſubdita.*
Sozom. l. 3. hiſt. c. 13.
In vita Pachom. c. 40.
Ibid. c. 5.
Ibid. c. 30.
*Ex vno in aliud Monaſterium miſsi commeantes.*
In vita Pachom. c. 55.
Reg. Pacho. n. 46.

Plura non minùs eximia nobis offerunt Tabenneſiotæ, Monachorum Ægyptiorum nominatiſſimi, ſed paucis hiſce contentus; Lectorem prouoco ad Angelicum illum ſpeculum, vt in eo non tam Conſtantini, quàm noſtrum ſeculum; non tam Monaſtica rudimenta, quàm operis perfectionem in noſtratibus Religioſis intuearur, ſentiatque quod res eſt, & exercitationem in qua verſantur, tanquam hæreditatem à maioribus fuiſſe traditam, & eam à nepotibus omni virtutum præſtantiumque obſeruantiarum genere locupletatam.

*Noſtrates Religioſi Tabennenſiotas in pleriſque imitantur.*

## MONACHORVM IN ECCLESIA OCCIdentali conſideratio.

## CAPVT VII.

*Formoſior fuit in Occidente Monachatus.* Th. Wald. doct. fid. tom.1. l. 4. a.1.c.10.

SIc alumnos deſerti olim educauit Oriens, & Ægyptus, *& hoc propter ferocitatem gentis ſemibarbaræ, & cauſas alias congruentes*, inquit Thomas VValdenſis : *In Europa autem formoſius per ciuitates, & oppida, aut loca his vicina*; floruiſſe ab antiquo Monaſticum ſtatum multa docent, quæ cum ex auctoribus proferentur, ad vrbana Orientis Monaſteria aliqua ſimilitudine referri poterunt, quorum inſtituta nobis minùs nota ſunt.

*Pauci per Occidentem Anachoretæ.* In vita Sulpit. Pii. Petr. Venerab. epi. l.2. ep.vlt. quæ eſt de morte matris. In vita S. Norberti.

Atque in primis Anachoretas vidit Occidens, ſed raros. Nam Teutzonem S. Ioannis Gualberti, Captaſium ſancti Honorati, Marinum S. Romualdi, narrat hiſtoria: Menardum Augenſem ſolitarium commemorat Martyrologium. *Ebregiſilum ſolitarium virum, qui vita & ſermone cæteris excellentius ad viri Dei* (Sulpitij Pij,) *imitationem totum ſe compoſuerat*, legatum ad regem miſit idem Sulpitius. S. Iuſtum, & S. Eucherium, qualem virum! ab eremi latebris ad ſacra gubernacula, Eccleſia Lugdunenſis extraxit. Longo poſt tempore Petrus Cluniacenſis Abbas, plures Eremitas repertos eſſe admonet, in referendo ſuæ matris erga Religioſos affectu. *Suſcipiebantur*, inquit, *Monachi, trahebantur Eremitæ, & omnes habitu, vel fama religionis ornati, paſſim ad hoſpitandum, etiam cum reſiſterent, cogebantur.* Cui æqualis S. Norbertus ad *Lidulphum Eremitam, miræ ſanctitatis, & abſtinentiæ virum, Clericorum vitam agentem*, dicitur receſſiſſe. Sed hi ex illis Eremitis fuerunt, quos inferius in S. Benedicti regula examinabimus.

*Cœnobiorũ in Occidente antiquitas.* Paulin. ad Victr. apud Sur. 7 Au. *Veterum Monaſteriorum forma & inſtitutio.*

Cœnobiorum inſtitutio fuit antiquiſſima in Italia, in Gallijs, ſcribente S. Paulino Nolano ad S. Victricium Rothomagenſem Antiſtitem; *quotidiano ſapienter pſallentium per frequentes Eccleſias, & Monaſteria ſecreta concentu, caſtiſſimis ouium tuarum & cordibus delectantur, & vocibus.* Ea verò non minùs in Europa, quàm in Oriente, à primis Abbatibus, putà S. Honorato, & ſimilibus pendebat, qui vel adiuuantibus, vel ſinentibus Epiſcopis, loca ingenio, & conſilio ſuo idonea deligebant, in quibus extructo Monaſterio, & conuenientibus ſocijs leges darent, *prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis*: quibus viri ſanctiſſimi magis auctoritate inſtitutorum, quàm poteſtate Superiorum imperabant, ſucceſſoribuſque ſuis imperium in vnam tantummodo domum & familiam tranſmittebant: cùm licet eodem aliquando legum vinculo nexæ plures eſſent, ſingulis tamen Abbatibus ſingulæ ſubderentur. Id ita conſtitutum in Italia vidiſſe ſe refert S. Auguſtinus. *Vidi ego ſanctorum domicilium Mediolani, non paucorum hominum; quibus vnus Presbyter præerat, vir optimus & deuotiſſimus. Romæ etiam plura cognoui, in quibus ſinguli grauitate atque prudentia & diuina ſcientia præpollentes, cæteris ſecum habitantibus præſunt Chriſtiana caritate, ſanctitate, libertate viuentibus. Nec hoc tamen in viris tantùm, ſed in fœminis etiam, quibus item multis viduis & virginibus ſimul habitantibus, & lana ac tela victum quæritantibus, præſunt ſingulæ grauiſſimæ ac probatiſſimæ.*

*Quale ſuperiorum in eos imperiũ.* Augu. l. de morib. Eccleſ. c. 40.

Ijs ducibus ac rectoribus votorum Religionem apertiorem ſanctioremque, quàm in Oriente fuiſſe, legimus in S. Leone Papa, ad Epiſcopum Narbonenſem ita ſcribente. *Propoſitum Monachi proprio arbitrio, aut voluntate ſuſceptum, non poteſt deſeri abſque peccato. Quod enim quis vouit Deo, debet reddere.* Et aurea in S. Auguſtino. *Nemo poſitus in Monaſterio frater dicat, Recedo de Monaſterio. neque enim ſoli qui ſunt in Monaſterio, peruenturi ſunt ad regnum cælorum. Reſpondetur ei: ſed illi non vouerunt, tu vouiſti, tu retro reſpexiſti.* Citat in hoc propoſito Petrus Damiani S. Leonem quem adduximus, cui addit & Gelaſium Papam; imo & plurima Occidentalis Eccleſiæ Concilia, poſt Chalcedonenſe: vt ſciamus votiuam illam conſecrationem cum S. Benedicto non incœpiſſe, & omnibus Monaſticæ inſtitutionis temporibus conuenire Cardinalis eiuſdem ſanctiſſimi declamationem, aduerſus *tam profundi criminis barathrum perditorum hominum, qui poſt Sathanam conuerſi, Monachicum habitum ſacrilega temeritate desererent, & execrabili apoſtaſia ad ſecularem militiam de nouo repedarent.* Quæ tam grauis obiurgatio Monachos non percelleret, ſi deſerendi propoſiti libera eis fuiſſet voluntas.

*Votis adſtricti Monaſteria.* S. Leo epiſt. 92. ad Ruſtic. c. 12. Auguſt. in Pſ. 75. Petr. Damian. opuſc. 16. c. 3. 4. Ibid. c. 2.

Notandum verò eſt ad hoſce vitæ ſpiritalis duces, eorum ſanctitatis amore excita confluxiſſe iam olim duo hominum genera, quæ Nutritis & Conuerſis, de quibus infra dicetur, aut locum dederunt, aut exemplum. Alios in ſeculo diuites, nobiles, delicatos, liberalibus diſciplinis imbutos; alios imperitos literarum, inurbanos, ab agris & officinis impolitos; vtriſque impoſitum laborem, ſed illis vt melioris laboris condimentum, iſtis vt negotium; illis ad animum ſubigendum, iſtis ad victum emerendum; iſtis vt ſemper aliquid agerent, illis ne vnquam nihil. Audi S. Auguſtinum prudentiſſimè definientem. *Quamobrem etiam illi qui relicta, vel diſtributa, ſiue ampla, ſiue qualicumque opulenta facultate, inter pauperes Chriſti, pia & ſalubri humilitate numerari voluerunt, ſi corpore ita valent, & ab Eccleſiaſticis occupationibus vacant; ſi & ipſi manibus operentur, vt pigris ex vita humiliore, & ob hoc exercitatiore, venientibus auferant excuſationem, multò miſericordiùs agunt, quàm cum omnia ſua indigentibus diuiſerunt.* Virtutis igitur exemplo, non victus neceſſitate; ſuperiorum arbitrio, non ſeueritate diſciplinæ laborant. Sequitur enim, *quod quidem ſi nolunt, quis audeat cogere?* videlicet ad parandum victum, non ad humilitatis exercitium; *quibus tamen inuenienda ſunt opera in Monaſterio, etiam ſi à corporali functione liberiora: ſed vigilanti adminiſtratione curanda, vt nec ipſi panem ſuum, qui iam communis factus eſt, gratis manducent*: ne ſint infirmioribus ſcandalo, laborent ſanè, ſed ſpiritu potiùs, quàm corpore. Cæteri autem ex opificio conuerſi, quid tandem? *Illi autem qui etiam præter iſtam ſanctam ſocietatem* (qui antequam in Monaſterio cum ſanctis fratribus habitarent adhuc ſeculares) *vitam labore corporis tranſigebant, ex quorum numero plures ad Monaſteria veniunt, quia & in ipſo humano genere plures ſunt* (vt nondum ſatis cognita Monaſtici ſtatus præſtantia atque vtilitate, *non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles* Chriſti iugo ceruices ſubdebant) *ſi nolunt operari, non manducent. Neque enim propterea in militia Chriſtiana ad pietatem diuites humiliantur, vt pauperes ad ſuperbiam extollantur: nullo modo enim decet vt in ea vita vbi fiunt ſenatores laborioſi, ibi fiant opifices otioſi: & quo veniunt relictis delicijs ſuis qui fuerant prædiorum Domini, ibi fiant ruſtici delicati.*

*Duo hominum genera in Monaſterio.* *Alij exercitijs ſpiritalibus addicti.* Augu. l. de opere Monach. c. 25. *Alij manualibus laboribus occupati.*

Omnibus igitur in commune, ſed maximè illi nobiliſſimæ Monachorum

*Leges. Mo-*

*naſtica prioribus moderatoris in ſtituta à fundatoribus.*

Seuer. Sul. in vita D. Martini c. 7.

patri, leges impoſitæ ſunt, quæ ſeueritatem Orientalium multis partibus mitigarent: plus animorum, quàm corporum exercitationi datum: rerum ſcripturárumque diuinarum commentatio caput inſtituti, labor manuum, appendix extitit. Sic enim Seuerus de S. Martini Monaſterio. *Ars ibi, exceptis ſcriptoribus, nulla habebatur, cui tamen operi minor ætas deputabatur, maiores orationi vacabant.* Sic diſtinctior S. Auguſtinus de pleriſque Cœnobijs. *Quantùm attinet ad meum commodum, multò mallem per ſingulos dies certis horis, quantum in benè moratis Monaſterijs conſtitutum eſt, aliquid manibus operari, & horas habere ad legendum & orandum, aut aliquid de diuinis litteris agendum liberas, quàm tumultuoſiſſimas perplexitates cauſarum alienarum pati.* Certè in S. Honorati, ſimiliumque è cœlo hominum vita, non manuum labor, ſed iuge rerum diuinarum ſtudium commendatur: planè vt hodie Patres Carthuſiani laborem externum habent pro quiete.

*Euſcemodi homines multùm probauit Eccleſia. Monaſterium S. Martini. Multi ad Epiſcopatum euecti.*

Seuer. Sal. cit.

S. Odilo tr. de Reu. S. Martini à Burgun.

Syricius epi. ad Hymeriũ Tarra. c. 13.

*Capraria inſula Monachi.*

Auguſt. ep. 81.

*Lirinenſis Inſula.*

Ennod. in vita Antonii Monachi Lirin. apud Sur.

Vide Fran. Barralem in Chron. Lirinenſi.

Hallier in vindic. p. 476. ex Cæſario Arelat. hom. 25.

1. Reg. 15.

Id genus ſtudij, & pretioſiſſimi laboris à præſtantiſſimis Monachorum ſuſcepti, tum probauit Eccleſia, cum eius vitæ principes cœleſtibus honoribus conſecrauit, cum Monaſteria quaquà verſum diffundi permiſit, cum Monachos ad Eccleſiaſtica munera adhibuit. Nam è S. Martini Monaſterio plures ad Epiſcopatum ſunt euecti; *quæ enim eſſet ciuitas aut Eccleſia, quæ non ſibi de Martini Monaſterio cuperet Sacerdotem?* Atque multis poſt ſeculis in Danica irruptione, & Rollonis tyrannide, cum Maioris Monaſterij Monachos penè omnes eadem ſtrages ſuſtuliſſet, ſalutem in latebris cum Abbate Heberno repererunt quatuor & viginti Monachi, *quorum nemo fuit poſtea, quem Martinus Eccleſiæ non præferret regimini, ſublimaret dignitate.* Extat Syricij Pontificis decretum, quo Franciſcus Hallier agnoſcit Monachos ad Clericatum vocatos. *Monachos quoque, quos tamen morum grauitas, ac vitæ, & fidei inſtitutio ſancta commendat, clericorum officijs aggregari & optamus, & volumus.* Eodem inuitat S. Auguſtinus Capratiæ inſulæ Monachos. *Si quam operam veſtram mater Eccleſia deſiderauerit, nec elatione auida ſuſcipiatis, nec blandiente deſidia reſpuatis: ſed miti corde obtemperetis Deo, nec veſtrum otium neceſſitatibus Eccleſiæ præponatis, cui parturienti ſi nulli boni miniſtrare vellent, quomodo naſceremini non inueniretis.* De Lirinenſis Inſulæ inſtitutis, atque alumnis, quid dici poteſt pro meritis? quam *Nutricem ſanctorum* Ennodius Ticinenſis appellat: ego alteram in Europa Tabennam, in qua neſcias magis-ne ſanctitas, an diuinarum literarum doctrina viguerit. In eam fundator S. Honoratus Sacerdotium intulit, in ea factus tot Sacerdotum pater: Hilarios, Cæſarios, Fauſtos, Maximos, Porcarios, Odilones, Vincentios, & reliqua Occidentalis Eccleſiæ ſidera, Gallicana inſula peperit, poſteaquam ipſa coli à Monachis meruit, & Eccleſijs cultores ſubminiſtrauit. Quam eius præſtantiam tacere non potuit Franciſcus Hallier, adducto Cæſarij Arelatenſis teſtimonio, *Si quos accipit filios, reddit patres, & quos nutrit paruulos reddit magnos.* *Rectè ſanè* (inquit, & quidem verè) *nam quandiu in Monaſterio ſunt, paruuli haberi debent & filij; at vbi adeo profecere vt Clerici ordinari meruerint* (de Epiſcopis loquitur Cæſarius) *& magni & patres redduntur.* Hanc ſtatûs humilitatem agnoſcunt Religioſi; ſed & Deum audiunt dicentem, *cum paruulus eſſes in oculis tuis, caput in tribubus Iſraël factus es.*

*Monachi etiam in caſtris &c.*

Non ſolùm autem Monachiſmus ille antiquus paſtores vrbibus dedit, ſed & Principum curijs & caſtris Sacerdotes. Duo memoranda eius rei exempla

profero

profero, alterum à Pontifice, alterum à Rege. Gregorius Magnus in Romano Concilio, quod Generale Baſileenſis Synodus appellauit, decretum facit ibidem citatum, ſed plenius in manuſcripto codice ex bibliotheca inſtructiſſima V.C.D. Bigot Rothomagenſis Regij in Curia ſubſidiorum Conſiliarij & Decani, contentum, cuius præcipuam partem hic refero. *Verecundus mos tempore hoc indiſcretionis inoleuit, in huius ſedis Pontificibus, vt ad ſecreta cubilis ſeruitia laici pueri, & ſeculares obſequantur. De qua re in præſenti decreto conſtituo, vt quidam ex Clericis, vel etiam ex Monachis electi, miniſterio cubiculi Pontificalis obſequantur; vt is qui in loco eſt regiminis, habeat teſtes, taleſque viri, eius in ſecreto conuerſationem videant, qui ex viſione ſedula exemplum prouectus ſumant.* In vita S. Sulpitij Pij legimus, periiſſe Clotarium regem ab Auſtregiſilo Bituricenſi Archepiſcopo, *vt pro ſua, & exercitus ſui ſalute, permitteret virum beatum in ipſius caſtris Abbatis fungi officio.* Is licet neque Monachus fuerit, neque verò Abbas; quia tamen Abbatis vicem ſuppleuit in exercitu, certum & conſtitutum in caſtris munus & officium Abbati fuiſſe demonſtrat.

*curijs Principum.*
Concil. Roma. ſub Gregorio M. anno Mauritii Imper. 15. Citatur in Concil. Baſil. ſeſſ. 23. c. de numero & qualit. Cardinal.
In vita Sulpit. Pij apud Sur. 17. Ianu.

Ex his manifectum eſt, non fuiſſe Occidentalibus Monachis impoſitam perpetuæ ſolitudinis neceſſitatem, habuiſſe etiam inter vrbanos tumultus exercendæ virtutis & pietatis locum; admotas ſemper ad humana negotia ſelectas Monachorum mentes; animo potiùs quàm corpore Monachatum eſſe æſtimatum. *Si enim aliquis corporaliter popularibus turmis prematur, & tamen nullos ſecularium curarum tumultus in corde patiatur, non eſt in vrbe,* inquit Hugo Victorinus. Et ante eum S. Baſilius luculenter. *Qui verè Philoſophus eſt, is cum corpus ſuum curarum ſuarum domicilium, & animi ſedem firmiſſimam habeat, licet caſus illum in forum attulerit, licet in maxima conuentus alicuius celebritate verſetur, licet in monte aliquo, licet in agro, licet in media multitudinis frequentia ſit, ſtabilis tamen in naturali ſuo Monaſterio manet: quippe qui mentem ſuam introrſum ad ſe recollectam habeat, & de rebus ad officium ſuum pertinentibus philoſophetur.*

*Monachi Occidentales ſemper admoti negotijs. Solitudo potiùs animo quàm corpore aſtimanda.*
Hugo Victor. l. 4 de clauſt. animæ c. 36.
Baſil. Conſtit. Monaſt. c. 6.

---

*MEDIÆ ÆTATIS MONACHI SUB SS. BAſilij & Benedicti regula conſiderati. Ac in primis eorum ordinum libata præſtantia.*

## CAPVT VIII.

AB his initijs ad politiſſimam Monachatus formam facilis fuit gradus, ſub D. Benedicto ingenti religionis ſidere, qui eius occaſum per Occidentem ſolatus eſt. Minor in Oriente intercapedo fuit explenda, vt ad benigniorem, & paulò ciuiliorem ſtatus præſtantiſſimi formam deueniretur. Fuit illud magni Baſilij inuentum; qui, vt olim Socrates, philoſophiam de cœlo deuocauit, & in vrbibus ſingulorumque domicilijs collocauit: ſic Monaſticen ab ſolitudine, ad hominum ſocietatem; ab mera contemplatione, ad actuoſam virtutem; & ſibi, alijſque impenſa miniſteria reduxit. *Cum enim ſolitaria vita, & ea quæ ſocietate gaudet, vt plurimùm inter ſe diſſiderent, ac pugnarent, neutraque omninò vel commoda, vel incommoda ſua pura & impermixta haberet; præclarè eas inter ſe reconciliauit, ac permiſcuit;* quo poſtea videbimus modo. In duabus igitur hiſce regulis mediam æta-

*S. Baſilius Monachatum perfecit.*
Greg. Nazian. orat. 20. in laud. Baſil.

[illegible] Pallad. in lauſ. c. 7.

*Caſtigati Monachi ab Abbate non à Parocho.*

*Parocho ſeculari non fuerunt ſubditi.*

gellis è palma pendentibus; ad Monachorum correptionem, in monte Nitriæ additur, id ſolùm probat, caſtigata fuiſſe eo loco Monachorum delicta, ſed id à Parocho ſeculari Sacerdote factum, qualem vult Theologus accipi, neque narrat hiſtoricus, neque probare poſſunt aduerſarij. Nam cum Preſbyterum Monaſterijs addictum volunt eſſe Parochum, demonſtrent oportet, quod nos imus inficias, ex quo Cœnobia illa vigere cœperunt, in Sacerdotis ſecularis, & oppidani Parochi curam traditos fuiſſe Monachos. Abſurdum quippe eſt quoties in Rufino, aut Palladio, & alijs aſceticæ hiſtoriæ ſcriptoribus, Eccleſiæ nomen occurrit, cogi nos Parœcialem cogitare, quæ promiſcuè Chriſtianis omnibus communis eſt; qualem hodie ſub Parochi ſecularis cura videmus, in qua ſola fas fuerit Monachis ſynaxes celebrare.

*Probatur* ex Concil. Chalc. act. 15. c. 6.

Ibid. c. 8.

Certè in Concilio Calcedonenſi quiuis ordinatus, dicitur addictus ſpecialiter Eccleſiæ aut Ciuitatis, aut Pagi, aut Martyrij, aut Monaſterij. Habuerunt igitur & Martyria, & Monaſteria ſuos Preſbyteros & Diaconos, non minùs quàm Ciuitates & Pagi. Præterea *qui Clerici*, ait Concilium, *præficiuntur Ptochodochijs, & qui ordinantur in Monaſterijs, aut baſilicis Martyrum, ſint ſubiecti Epiſcopis.* Quo ex decreto euidenter deduco, fuiſſe tunc quatuor Eccleſiarum genera, quæ omnia Epiſcopis ſubderentur, ſed inuicem non penderent, videlicet Parochias ſeu vrbanas, ſeu ruſticas, Ptochodochia, Martyria, Monaſteria.

*In Monaſterijs Preſbyteri & Diaconi creati ex Monachis.* Hieron. ep. 62.

*Chorepiſcopus è Monachis lectus.* Concil. Nicæn. can 54. Arab. Ibid. can. 55.

Quemadmodum autem Abbas in quo verſamur, è Monachorum grege ad cæterorum curam ſemper electus eſt: ita Preſbyteros & Diaconos ex illo ſanctorum choro ſæpius aſſumptos fuiſſe, multa ſatis probabiliter perſuadent, & in primis illa ipſa quam ſupra explicauimus Pauliniani ordinatio, quæ expreſsè dicitur ab S. Hieronymo, *quiſſcere in Monaſterij cellula, & Clericatum non honorem interpretari, ſed onus.* Quod & apertius probat alius magiſtratus, etiam Abbatibus ſuperior, Chorepiſcopus, quem vni Monaſterio, & Eccleſiæ affixum fuiſſe credere non debemus. Is autem eligi ſolebat *ex bonis Religioſis qui habitabant in deſerto*, vt habet Canon Arabicus Nicænus; cuius erat eligere idoneos, quos Eccleſijs & Monaſterijs præficeret, ea lege ne qui Eccleſias regere iubebantur, Monaſterijs; qui Monaſteria, Eccleſijs præfici poſſent. Illi Canon alter ius Monaſterij viſitandi fuiſſe aſſerit, & Miniſtrorum in eo ad arbitrium inſtituendorum.

*Idem conficitur auctoritate S. Gregorij.* Greg. l. 10. ep. 53 indict. 5. Idem l. 5. ep. 41. indict 14. Idem l. 6 ep. 40. ind. 15.

*Vetat Clericos niſi orandi cauſa ad Monaſteria accedere.*

Addo alterius & regionis & ſeculi Doctorem Gregorium magnum, qui iubet ab Epiſcopo Leontino, Monachum quemdam in Monaſterio, & congregatione ſua ordinari, quem Ioannes eius loci Abbas offerebat, *nihil aliud ei priuilegij concedendo, niſi vt in congregatione ſua quoties opportunum fuerit ſacra miſſarum debeat tantummodo celebrare myſteria.* Victori quoque Epiſcopo imperat, vt Vrbico Abbate Panormitano poſtulante *ordinari in ſuo Monaſterio Presbyterum, qui ſacra miſſarum ſolennia celebrare debeat: ipſum ad hoc miniſterium de eadem congregatione eligat, qui nec de Monaſterio ſuo egredi, nec extraneum ſibi ad peragendum ſacrum opus cogatur adducere.* Hoc videtur adiicere, quoniam Monachorum quieti vtilitatique ſemper inuigilans, vetare cogitur alibi Clericorum dominio prægrauati Monaſteria, vt *nullam deinceps in eis, vel hi qui in ſacro ſunt ordine conſtituti, ob aliud habeant, niſi orandi tantummodo cauſa, accedendi licentiam: aut ſi fortè ad peragenda ſacra miſſarum fuerint inuitati myſteria.* Quæ decreta omnia, & Preſbyteros illos fuiſſe Monachos, & in ipſo Monaſterio

ſacris

ſacris operatos, & id officium Clericos ſeculares non niſi precariò exercuiſſe demonſtrant.

*Epiſcopo in omnib' ſubditi erant veteres Monachi.*

Cæterum his omnibus ſupremâ cum poteſtate eminebat Hierarcha, iſque Monachos nullo exemptos priuilegio, nullis Romanorum Pontificum diplomatis liberos, habebat in omnibus obſequentes. Sic enim fieri & natura rei, vt videbimus, & Chriſtianæ Religionis ordo, & aſſumpta per Monachiſmum humilitatis ratio exigebant. Nemo enim illorum non potuit cum Nathanaële Anachoreta ſanctiſſimo dicere; *Ego Dominos meos & Epiſcopos colo, & omnem Clerum honoro, ſumque ego peccator omnium hominum peripſema.* Nemo non eoſdem, quos Pachomius ille magnus habuit oculos, *qui Chriſtum ipſum ſe in Sacerdotibus eius, in Eccleſiæ throno teſtabatur cernere.* Hinc perpetua illa aduersùs Epiſcopos, & Clerum omnem Monachorum obſeruantia, fusè ab eodem Nicolao le Maiſtre laudata: qui cum infenſos Clericis, & rebelles Epiſcopis Monachos producturus, ſolos è Monachis hæreticos, aut ſchiſmaticos nominat, nonne vult a nobis intelligi, cæteros omnes Monaſtica ſanctitate verè præditos, Epiſcopali clericalique dignitati ſemper aſſurrexiſſe, & nullum vnquam Hierarchæ ſui imperium detrectaſſe? Hoc ego inſtitutum omni laude dignum, non minùs quàm ipſe, deprædico; non tamen poſſum adduci vt credam aliquos, vt non obſcurè indicat, huius tempeſtatis Monachos, tantopere à maiorum probatiſſimis moribus deflexiſſe, *vt Cai Enceladique furorem imitari contendant, credantque celſiorem ſe Sacerdote ac Presbytero locum occupare; quem ne ſalute quidem dignantur, aut affatu, cuius ordini & gradui tam faſtuosè inſultant, vt eius contactu diceres ſanctimoniæ Monaſticæ nitorem, tanquam peſte quadam infici & contaminari.* Vellem equidem vir pacis, & caritatis fraternæ, vt præ ſe fert, ſtudioſus, hanc Petro Aurelio relinqueret orationem, & alio conſilio veterum Monachorum virtutes in cœlum tolleret, quàm vt noſtrates Religioſos ad gigantæam ſtoliditatem deprimeret.

*Nathanaël lii Anachoretæ profeſſio.*
*Palla. c. 8.*
*In vita Pacho. c. 27.*
*Nicol. le Maiſtre de Inſtaur. Epiſc. princ. l. 1. c. 13. & 14.*
*Modernos Monachos indignè calumniatur.*

*Antiquus Monachiſmus fuit perfectionis prima delineatio.*

Agnoſcis Lector, rudia hæc fuiſſe Monaſtici ſtatûs lineamenta, quæ licet primigenij feruoris impetu, & candidiſſimæ ſimplicitatis prærogatiua, in ea prorumperent abſtinentiæ, vigiliarum, cæterarumque obſeruantiarum miracula, quæ Chriſtianis modò omnibus admirari licet, imitari autem in hac corporum imbecillitate, nemini; ad eam tamen ſtatús perfectionem deducta non erant; quæ deinde ſummorum ingeniorum induſtria, & ſanctiſſimorum virorum longo vſu ex probatis per Concilia, & Pontifices regulis acceſſit. Nam quia nihil inter homines vnquam ſimul natum atque perfectum extitit, atque ipſæ vrbes & imperia per temporum vices incrementum firmitatemque ſuam ceperunt; ipſa etiam Eccleſia non eam prioribus ſeculis ordinum ſuorum dignitatem, non rituum externorum maieſtatem, non eandem poteſtatis amplitudinem habuit, quam modò in hac Europæ Catholicæ amplitudine videmus: dubium non eſt quin Religioſus ſtatus ſuis quoque augmentis creuerit, & per ætatum ſpatia ſtabilem abſolutamque ſuis partibus perfectionem ſit adeptus. Id verò fieri non potuit, quin plurima ex priorum inſtitutis in melius mutarentur, nonnulla penitus antiquarentur. Quòd ſi dum aliquá mala corriguntur, optima quædam ſtabiliuntur; nonnulla fortaſſe bona effluxerunt: dandum id humanæ infirmitati, quæ inuiolatum ſanctitatis tenorem ſeruare perpetuo animi rigore non profitetur. Certè minus habent in Eccleſia auctoritatis Monaſtica decreta,

*Ad inducendam perfectionem, mutanda fuerunt plurima.*

*diens eum in timore Dei, & cupiens ab errore corrigere, & alius voluerit pro eo loqui, & eum defendere.* Hunc Præpoſitum Gazæus eumdem facit cum Priore clauſtrali, cum regulam Pachomij commentatur. Habuit idem ſub ſe miniſtros & officiales inferiores, quibus peculiaris rerum Monaſterij tradita cura. *Si enim leutonaria noſtra*, inquit idem, *quando lauamus, & ſicca non fuerint vſque ad veſperam, non habemus poteſtatem apud nos tenere, damuſque Præpoſito cui crediti ſunt, vel ei cui creditum eſt cellarium, vt deferat ad eum locum vbi veſtimenta pariter omnium reſeruantur*, &c. Ius illis ferendi virgam, magiſtratus ſui inſigne; ſiquidem Orſieſis idem in Monachi Tabennenſis ſupellectili numerat, *& virgam, cui miniſterium aliquod & diſpenſatio credita eſt Monaſterij.* Atque illos eſſe arbitror quos Monaſteriorum ſecundos ita compellat; *vos quoque qui ſecundi eſtis domorum ſingularum, humilitatem ſectamini, & modeſtiam; & ſingula præcepta maiorum, vitæ communis normam putate.* Denique breuiter omnes nominat S. Hieronymus: *habent per ſingula Monaſteria Patres, & diſpenſatores, & hebdomadarios, ac miniſtros, & ſingularum domorum Præpoſitos.*

Gazæus in Reg. Pach. — *Inferiora ſub illis officia.* — Orſieſ. cit. — *Monaſteriorum ſecundi.* — Hugo Menard. in Concord. Regul. c. 27 §. 15. — Hieron. Præfat. in Reg. Pac.

Hos omnes communiter regebat vnus Abbatis nomine & dignitate, putà S. Pachomius inſtitutor, ſucceſſor Petronius, atque is ipſe tertius Orſieſis: qui *princeps Monaſterij* non ſemel dictus, tum in Orſieſi, tum in regula, *ſine cuius voluntate & ſententia nullus increpandi fratrem habuit poteſtatem.* Illi etiam priuatarum domuum magiſtratus rationem reddebant quoties expoſceret. Sic enim vita S. Pachomij docet, diſpoſitas fuiſſe Monachorum turmas, *vt cum inter rogaret archimandritam de aliquo in multitudine tanta, facili reſponſione cognoſceret.* Et Theodorus Monaſterij quod priuato nomine Tabennenſe vocabatur, curam geſſiſſe dicitur. Singula quoque Cœnobia viſitaſſe legimus Pachomium, & in ijs quædam pro poteſtate correxiſſe. Denique idem Abbas cum ſuis omnibus erat in Epiſcopi iure, ac ditione, cum S. Athanaſius *Eccleſias ſuperioris Thebaidæ ſolenniter circumiens, ad loca Tabennenſium nauigio peruenerit*, magnoque gaudio & hymnodia ab Pachomio Monachiſque omnibus ſit exceptus. Quò reſpexiſſe mihi videtur S. Hieronymus, cum Theophilo Alexandrino ſcripſit. *Ad aduentum, vt reor, tuum non pauet turba Monachorum, ſed gaudet, cum certatim tibi procedunt obuiam, & de eremi latibulis exeuntes, ſua te cupiunt humilitate ſuperare. Quid eos compellit exire? nonne amor tui? quis per eremum ſeparatos in vnum cogit, nonne tua dilectio? amari enim parens debet: amari parens & Epiſcopus, non timeri.* Quæ cum Monachos omnes, maximeque Tabennenſes tangant, libenter recolo, vt quo Monachi loco apud Epiſcopos, quo Epiſcopi apud Monachos eſſe debeant, omnes æquè meminerimus. Et hæc de prælatis dicta ſufficiunt; in quibus vidiſti lector, Abbatem à Præpoſito diſtinctum, & eo maiorem, licet Abbas ille Preſbyter non ſit; vt neque Præpoſitus. Venio ad ſubditos.

*His omnibus ſuperior Abbas.* — Reg. Pacho. a. 116. — In vita Pachom. c. 22. — Ibid. c. 47. — Ibid. c. 43. — *Abbas cũ ſuis Epiſcopo ſubditus.* — Ibid. c. 27. — Hieron. ep. 62.

In ijs notandum illud maximè, quòd non æui tantùm maturos; ſed & pueros in aſceteria ſua S. Pachomius admitteret. Nam Theodorus, quem Sanctificatum Græci appellant, annorum 14. puer in Pachomij ſinum à materno confugit. De pueris quoque præcipit regula, *ſi fuerint dediti luſibus & otio, & correpti non potuerint emendari, debet Præpoſitus vſque ad dies triginta; ipſe eos monere, & corripere.* Eadem regula ante vetuerat vllum de fratribus, *libenter videre, & ludere, & habere amicitias ætatis infirmæ.*

*Admiſſi in hæc Monaſteria etiam pueri.* — In vita Pachomij c. 29. — Reg. Pacho. a. 95. — Ibid. a. 96.

*Virorum exercitia quæ fuerint.* Orſieſis de inſtit. Monaſt. *Votorum obſeruatio perfecta.* Hallier in vindic. p. 396.

Præcipua virorum cura fuit animum virtutibus, mentem rerum cœleſtium contemplatione, ingenium diuinarum ſcripturarum meditatione paſcere. Sic hortatur Orſieſis: *habeamus curam legendarum & diſcendarum ſcripturarum, & in earum ſemper meditatione verſemur.* Aperta fuit & accurata votorum trium obſeruatio, quæ cum in omnibus Monachis veteribus vſitata fuiſſe, confirmarit aliquando decreto ſuo ſchola Pariſienſis, id profectò potiſſimùm de noſtris Tabennenſibus aſſeruit. Et priuatim Franciſcus Hallier, antiquitus aſſerit *rationem Religionis & Religioſi ſtatus, ſaltem quoad eſſentialia, eandem fuiſſe quæ iam eſt.* Quis autem præter Aurelium & ſimiles, trium votorum nuncupatione Religionis eſſentiam non complectitur? Et quidem ineunte narratione de horum inſtitutis, miratur Caſſianus obedientiam: *tantâque fuit obedientiâ hic tam prolixus Monachorum numerus, omni æuo Seniori ſuo ſubditus, quantâ non poteſt apud nos vnus vni vel obedire pro modico tempore, vel præeſſe*: quam poſtea eodem libro fuſius deſcribit. De paupertate quæ in commune omnia, priuatim nihil habet, poſt Orſieſim & Caſſianum ſuperfluum eſt dicere. Caſtitatis curam demonſtrat vel puellarum diſciplina; vel fœminarum externarum ſuſceptio, & ad colloquium ſumma cum cautela admiſſio: quas *vaſa infirmiora* ſcitè vocat Angelica regula. Corporis exercitatio apud illos moderata, pro temporum ingenio, paxamatia duo in dies ſingulos. Labor pro virium menſura: ſic enim præcipit Angelus, *ſingulis iuxta vires ſuas edere concedas & bibere, & pro modo veſcentium laborare compellas: validioribus quidem & comedentibus, validiora opera; leuiora autem infirmioribus, & abſtinentioribus imponas.*

Caſſian. li. 4. Inſtit. Monaſt. c. 1. Ibid. c. 9. & 10. Orſief. cit. Caſſian. ibid. c. 13. & ſeq. Reg. Pacho. a. 81. Ibid. a. 29. *Corporalis exercitatio moderata.* Caſſian. ibid. c. 14.

In vita Pachom. c. 22. *Clericatum appetere vetuit.* Ibid. c. 24. Gennad. de ſcript. Eccleſ. c. 8.

Cumquè eam vitæ perfectionem profiterentur, clericatum tamen affectare, aut omnino vllum inter eos Clericum verſari prohibebat. Cur ita? vt aditum ambitioni, contentionibus, & diſſidijs occluderet. His enim vitijs obnoxios nouerat ſuos vir ſapientiſſimus, niſi frenum iniecisset. Nam poſt Abbatis obitum, aliqui *diſceſſione facta, à cætu ſemetipſos absciderunt vnitatis*, quos Theodorus epiſtola ſcripta monet redire in concordiam & vnitatem. Ex eo nihilominus Monaſterio, tum alios, tum magnum Nonnum Pelagiæ ſororem legimus ad Epiſcopatum aſſumptos.

*Conuentus, ſeu collecta duplex. Maior ad ſynaxim celebrandam. Vocati ex viculis Presbyteri.* in vita Pachom. c. 24. *Presbyteris non fuerunt ſubditi.* Nicol. le Maiſtre Inſt. Epiſc. princ. l. 1. c. 14.

Sic quidem priuatim viuebant Tabenneſiotæ: conuentum autem & congreſſum mutuum habebant duplici in differentia. Collectam vocabant maiorem, minoremque. Maior, omnium fuit in Eccleſiam coïtio, diebus Sabbati ac Dominicis ad ſynaxim celebrandam: de qua vita Pachomij, *cum ſolennitas ex more depoſceret vt myſteriorum cæleſtium participes fierent, ex proximis viculis Presbyteros conuocabant qui eis feſtiuitatem lætitia ſpiritalis implerent.* Hoc loco libenter quæſiero ex ijs, qui Monachos ſemper ad Parœciam oppidi commeaſſe cum cæteris Laïcis, vtriſque æquè Preſbyterum, id eſt, ſecularem Parochum imperaſſe pertinaciter affirmant; qui negant Monachos, ipſoſque Tabennenſes Eccleſiam habuiſſe aliam ab oppidi Eccleſia: quæro inquam cur in Monaſterium vocentur Preſbyteri, ſi ad Preſbyteros adire debuit Monaſterium? Vbi ſacrificarint illi Preſbyteri, ſi nulla fuit in Monaſterio Eccleſia? Quod ius in Monachos habuerint Preſbyteri viculorum, ſi non vocati accedere non præſumebant, vocati renuere non audebant? Denique & ipſe Nicolaus le Maiſtre, in Pachomiano Monaſterio cogitur agnoſcere oratorium fuiſſe, & in eo aram, quo deductus eſt à Pachomio Macarius, à ſancto

ſanctus,

ſanctus. *Et cum eum deduxiſſet in domum Oratorij vbi eſt ara, & eum eſſet amplexus:* id eſt, vt ego interpretor, in illud oratorium quod præter & ſupra reliqua oratoria, aram habebat: vt non tantùm in ea proſeucha oraretur, ſed etiam incruentum ſacrificium offeretur. Hæc autem, ſi quid ſapio, eſt Eccleſia ſaltem Monaſtica.

[Pallad. in lauſ. c. 20. in vita Macar.]

Minor collecta, priuatus fuit ſingularum domuum, & quotidianus conuentus, non ad ſynaxim, ſed ad diſputationem, ſiue collationem factam Præpoſiti. Sic enim regula: *mane per ſingulas domos finitis orationibus, non ſtatim ad cellas ſuas reuertentur, ſed conferent inter ſe, quæ Præpoſitos audierint diſputantes. Diſputatio autem à Præpoſitis domorum, per ſingulas hebdomadas tertiò fiet.* Eam in rem priuata oratoria, ſine ara, cuilibet domui fuiſſe conceſſa, res ipſa loquitur; neque aliud aduerſarij argumẽta conficiunt. Atque ex ea conſuetudine ductum æſtimare poſſumus eius oratorij vſum Monachis mediæ ætatis conſuetum, de quo in Capitulari Caroli Magni legimus, *vt vbi corpora ſanctorum requieſcunt, aliud oratorium habeatur, vbi fratres ſecretè poſſint orare.* Vel, vt repetitur in Concilio Francofordienſi, *vt habeat oratorium intra clauſtrum, vbi peculiare officium & diuturnum fiat*; quod & modò etiam videmus obſeruari.

[*Minor collecta ad ſacras collationes.* Reg. Pachom. 7. *Priuata oratoria.* Capit. Caroli Magni de Monach. c. 7. Concil. Francof. can. 15.]

Denique de Tabennenſibus illud non omiſerim, exiſtimare Sozomenum, illorum inſtituta non vnius inſulæ finibus circumſcripta fuiſſe, ſed alias etiã Ægypti ſolitudines penetraſſe, in quibus plura Monaſteria fuerint Abbati Tabennenſi ſubdita, & ad eius normam viuentia. *Conuentus eorum qui inſulam Tabennam incolebant*, inquit hiſtoricus, *quibuſcum vixit Pachomius, circiter mille, & trecentos numero habebat* (mille & quadringentos numerat Palladius;) videlicet qui 24. inſulæ domibus continebantur. *Cæteri autem in Thebaïde, & Ægypto habitabant: vna eſt viuendi ratio, ac diſciplina omnibus, & omnia omnium communia. Conuentum autem qui eſt in Tabenna inſula matris loco ducunt; & qui illi præſunt Patres, & Principes arbitrantur.* Hoc quod neque Caſſiani, neque Palladij docere poteſt narratio, ſatis probabiliter ſuadet & Chinoboſciorum Monaſterium, quod in vita S. Pachomij nominatur, eo fortaſſe loco extructum, quòd apud Chinoboſciam vrbem catechumenus fieri incœpiſſet: & anonymum aliud in quo priuata collecta diſputantem Præpoſitum audiuit Theodorus antequam ſeculo renunciaſſet. Dignum certè animaduerſione eſt, quòd alibi toto illo ſeculo, non facilè reperias tam arctum diuinæ amicitiæ, inter hæc omnia Monaſteria vinculum fuiſſe, vt nemo vni affixus eſſet, verùm pro ſuperiorum arbitrio ab vno in aliud commigrarent. Teſtis Petronius S. Pachomij ſucceſſor, qui in Chinoboſciorum Monaſterio ægrotus iacebat, cum eſt in Abbatem electus, & ad Pachomianum Cœnobium deductus. Teſtis regula: *Si quis transfertur de domo in alteram domum, excepto ea quæ vſui quotidiano ad habitum neceſſaria ſunt, ſecum transferre nihil poterit.*

[*Alia etiam inſtituti extra inſulam Monaſteria Tabennenſi tanquam generali ſubdita.* Sozom. l. 3. hiſt. c. 13. In vita Pachom. c. 40. Ibid. c. 5. Ibid. c. 30. *Ex vno in aliud Monaſterium miſſi commearunt.* In vita Pachom. c. 33. Reg. Pacho. a. 46.]

Plura non minùs eximia nobis offerunt Tabenneſiotæ, Monachorum Ægyptiorum nominatiſſimi; ſed paucis hiſce contentus, Lectorem prouoco ad Angelicum illum ſpeculum, vt in eo non tam Conſtantini, quàm noſtrum ſeculum; non tam Monaſtica rudimenta, quàm operis perfectionem in noſtratibus Religioſis intueatur, ſentiatque quod res eſt, & exercitationem in qua verſantur, tanquam hæreditatem à maioribus fuiſſe traditam, & eam à nepotibus omni virtutum præſtantiumque obſeruantiarum genere locupletatam.

[*Noſtrates Religioſi Tabenneſiotas in pleriſque imitantur.*]

## MONACHORVM IN ECCLESIA OCCIdentali conſideratio.

## CAPVT VII.

*Formoſior fuit in Occidente Monachatus.* Th. Wald. doctr. fid. tom. 1. l. 4. a. 1. c. 10.

SIc alumnos deſerti olim educauit Oriens, & Ægyptus, *& hoc propter ferocitatem gentis ſemibarbaræ, & cauſas alias congruentes*, inquit Thomas VValdenſis: *In Europa autem formoſius per ciuitates, & oppida, aut loca his vicina*; floruiſſe ab antiquo Monaſticum ſtatum multa docent, quæ cum ex auctoribus proferentur, ad vrbana Orientis Monaſteria aliqua ſimilitudine referri poterunt, quorum inſtituta nobis minùs nota ſunt.

*Pauci per Occidentem Anachoretæ.* In vita Sulpit. Pii. Petr. Venerab. epi. l. 2. ep. vlt. quæ eſt de morte matris. In vita S. Norberti.

Atque in primis Anachoretas vidit Occidens, ſed raros. Nam Teutzonem S. Ioannis Gualberti, Capraſium ſancti Honorati, Marinum S. Romualdi, narrat hiſtoria: Menardum Augenſem ſolitarium commemorat Martyrologium. *Ebregiſilum ſolitarium virum, qui vita & ſermone cæteris excellentius ad viri Dei* (Sulpitij Pij,) *imitationem totum ſe compoſuerat*, legatum ad regem miſit idem Sulpitius. S. Iuſtum, & S. Eucherium, qualem virum ! ab eremi latebris ad ſacra gubernacula, Eccleſia Lugdunenſis extraxit. Longo poſt tempore Petrus Cluniacenſis Abbas, plures Eremitas repertos eſſe admonet, in referendo ſuæ matris erga Religioſos affectu. *Suſcipiebantur*, inquit, *Monachi, trahebantur Eremitæ, & omnes habitu, vel fama religionis ornati, paßim ad hoſpitandum, etiam cum reſiſterent, cogebantur.* Cui æqualis S. Norbertus ad *Lidulphum Eremitam, miræ ſanctitatis, & abſtinentiæ virum, Clericorum vitam agentem*, dicitur ſeceſſiſſe. Sed hi ex illis Eremitis fuerunt, quos inferius in S. Benedicti regula examinabimus.

*Cœnobiorũ in Occidente antiquitas.* Paulin. ad Victr. apud Sur. 7 Au. *Veterum Monaſteriorum forma & inſtitutio.* *Quale ſuperiorum in eos imperiũ.* Augu l. de morib. Eccleſ. c. 40.

Cœnobiorum inſtitutio fuit antiquiſſima in Italia, in Gallijs, ſcribente S. Paulino Nolano ad S. Victricium Rothomagenſem Antiſtitem; *quotidiano ſapienter pſallentium per frequentes Eccleſias, & Monaſteria ſecreta concentu, caſtißimis ouium tuarum & cordibus delectantur, & vocibus.* Ea verò non minùs in Europa, quàm in Oriente, à primis Abbatibus, putà S. Honorato, & ſimilibus pendebat, qui vel adiuuantibus, vel ſinentibus Epiſcopis, loca ingenio, & conſilio ſuo idonea deligebant, in quibus extructo Monaſterio, & conuenientibus ſocijs leges darent, *prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis*: quibus viri ſanctiſſimi magis auctoritate inſtitutorum, quàm poteſtate Superiorum imperabant, ſucceſſoribuſque ſuis imperium in vnam tantummodo domum & familiam tranſmittebant: cùm licet eodem aliquando legum vinculo nexæ plures eſſent, ſingulis tamen Abbatibus ſingulæ ſubderentur. Id ita conſtitutum in Italia vidiſſe ſe refert S. Auguſtinus. *Vidi ego ſanctorum domicilium Mediolani, non paucorum hominum; quibus vnus Presbyter præerat, vir optimus & deuotißimus. Romæ etiam plura cognoui, in quibus ſinguli grauitate atque prudentia & diuina ſcientia præpollentes, cæteris ſecum habitantibus præſunt Chriſtiana caritate, ſanctitate, libertate viuentibus. Nec hoc tamen in viris tantùm, ſed in fœminis etiam, quibus item multis viduis & virginibus ſimul habitantibus, & lana ac tela victum quæritantibus, præſunt ſingulæ grauißimæ ac probatißimæ.*

Iis ducibus ac rectoribus votorum Religionem apertiorem ſanctioremque, quàm in Oriente fuiſſe, legimus in S. Leone Papa, ad Epiſcopum Narbonenſem ita ſcribente. *Propoſitum Monachi proprio arbitrio, aut voluntate ſuſceptum, non poteſt deſeri abſque peccato. Quod enim quis vouit Deo, debet reddere.* Et antea in S. Auguſtino. *Nemo poſitus in Monaſterio frater dicat, Recedo de Monaſterio. neque enim ſoli qui ſunt in Monaſterio, peruenturi ſunt ad regnum cælorum. Reſpondetur ei: ſed illi non vouerunt, tu vouiſti, tu retro reſpexiſti.* Citat in hoc propoſito Petrus Damiani S. Leonem quem adduximus, cui addit & Gelaſium Papam; imo & plurima Occidentalis Eccleſiæ Concilia, poſt Chalcedonenſe: vt ſciamus votiuam illam conſecrationem cum S. Benedicto non incœpiſſe, & omnibus Monaſticæ inſtitutionis temporibus conuenire Cardinalis eiuſdem ſanctiſſimi declamationem, aduersùs *tam profundi criminis barathrum perditorum hominum, qui poſt Sathanam conuerſi, Monachicum habitum ſacrilega temeritate desererent, & execrabili apoſtaſia ad ſecularem militiam de nouo repedarent.* Quæ tam grauis obiurgatio Monachos non percelleret, ſi deſerendi propoſiti libera eis fuiſſet voluntas.

*Votis adstricti Monasterio.*
S. Leo epiſt. 92. ad Ruſtic. c. 12.
Auguſt. in Pſ. 75.
Petr. Dami. opuſc. 16. c. 3. 4.
Ibid. c. 1.

Notandum verò eſt ad hoſce vitæ ſpiritalis duces, eorum ſanctitatis amore excita confluxiſſe iam olim duo hominum genera, quæ Nutritis & Conuerſis, de quibus infra dicetur, aut locum dederunt, aut exemplum. Alios in ſeculo diuites, nobiles, delicatos, liberalibus diſciplinis imbutos; alios imperitos literarum, inurbanos, ab agris & officinis impolitos; vtriſque impoſitum laborem, ſed illis vt melioris laboris condimentum, iſtis vt negotium; illis ad animum ſubigendum, iſtis ad victum emerendum; iſtis vt ſemper aliquid agerent, illis ne vnquam nihil. Audi S. Auguſtinum prudentiſſimè definientem. *Quamobrem etiam illi qui relicta, vel diſtributa, ſiue ampla, ſiue qualicumque opulenta facultate, inter pauperes Chriſti, pia & ſalubri humilitate numerari voluerunt, ſi corpore ita valent, & ab Eccleſiaſticis occupationibus vacant; ſi & ipſi manibus operentur, vt pigris ex vita humiliore, & ob hoc exercitatiore, venientibus auferant excuſationem, multò miſericordiùs agunt, quàm cum omnia ſua indigentibus diuiſerunt.* Virtutis igitur exemplo, non victus neceſſitate; ſuperiorum arbitrio, non ſeueritate diſciplinæ laborant. Sequitur enim, *quod quidem ſi nolunt, quis audeat cogere?* videlicet ad parandum victum, non ad humilitatis exercitium: *quibus tamen inuenienda ſunt opera in Monaſterio, etiam ſi à corporali functione liberiora: ſed vigilanti adminiſtratione curanda, vt nec ipſi panem ſuum, qui iam communis factus eſt, gratis manducent*: ne ſint infirmioribus ſcandalo, laborent ſanè, ſed ſpiritu potiùs, quàm corpore. Cæteri autem ex opificio conuerſi, quid tandem? *Illi autem qui etiam præter iſtam ſanctam ſocietatem* (qui antequam in Monaſterio cum ſanctis fratribus habitarent adhuc ſeculares) *vitam labore corporis tranſigebant, ex quorum numero plures ad Monaſteria veniunt, quia & in ipſo humano genere plures ſunt* (vt nondum ſatis cognita Monaſtici ſtatus præſtantia atque vtilitate, *non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles* Chriſti iugo ceruices ſubdebant) *ſi nolunt operari, non manducent. Neque enim propterea in militia Chriſtiana ad pietatem diuites humiliantur, vt pauperes ad ſuperbiam extollantur: nullo modo enim decet vt in ea vita vbi fiunt ſenatores laborioſi, ibi fiant opifices otioſi: & quo veniunt relictis delicijs ſuis qui fuerant prædiorum Domini, ibi fiant ruſtici delicati.*

*Duo hominum genera in Monaſterio.*
*Alij exercitijs ſpiritalibus addicti.*
Augu. l. de opere Monach. c. 25.
*Alij manuum laboribus occupati.*

Omnibus igitur in commune, ſed maximè illi nobiliſſimæ Monachorum

*Leges. Mo-*

*naſtica prioribus moderatiores inſtituta à fundatoribus.*

Seuer. Sul. in vita D. Martini c. 7.

parti, leges impoſitæ ſunt, quæ ſeueritatem Orienralium multis partibus mitigarent: plus animorum, quàm corporum exercitationi datum: rerum ſcripturárumque diuinarum commentatio caput inſtituti, labor manuum, appendix extitit. Sic enim Seuerus de S. Martini Monaſterio. *Ars ibi, exceptu ſcriptoribus, nulla habebatur, cui tamen operi minor ætas deputabatur, maiores orationi vacabant.* Sic diſtinctior S. Auguſtinus de pleriſque Cœnobijs. *Quantùm attinet ad meum commodum, multò mallem per ſingulos dies certis horis, quantum in benè moratis Monaſterijs conſtitutum eſt, aliquid manibus operari, & horas habere ad legendum & orandum, aut aliquid de diuinis litteris agendum liberas, quàm tumultuoſiſſimas perplexitates cauſarum alienarum pati.* Certè in S. Honorati, ſimiliumque è cœlo hominum vita, non manuum labor, ſed iuge rerum diuinarum ſtudium commendatur: planè vt hodie Patres Carthuſiani laborem externum habent pro quiete.

*Einſcemodi homines multùm probauit Eccleſia. Monaſteriorum S. Martini Multi ad Epiſcopatum euecti.*

Seuer. Sul. cit.

S. Odilo Ar. de Reu. S. Martini à Burgun.

Syricius epi. ad Hymeriū Tarra. c. 13.

*Caprariæ inſulæ Monachi.*

Auguſt. ep. 81.

*Lirinenſis Inſula.*

Ennod. in vita Antonii Monachi Lirin. apud Sur.

Vide Fran. Barralem in Chron. Lirinenſi.

Hallier in vindic. p. 476. ex Cæſario Arelat. hom 25.

1. Reg. 15.

Id genus ſtudij, & pretioſiſſimi laboris à præſtantiſſimis Monachorum ſuſcepti, tum probauit Eccleſia, cum eius vitæ principes cœleſtibus honoribus conſecrauit, cum Monaſteria quaquà verſum diffundi permiſit, cum Monachos ad Eccleſiaſtica munera adhibuit. Nam è S. Martini Monaſterio plures ad Epiſcopatum ſunt euecti; *quæ enim eſſet ciuitas aut Eccleſia, quæ non ſibi de Martini Monaſterio cuperet Sacerdotem?* Atque multis poſt ſeculis in Danica irruprione, & Rollonis tyrannide, cum Maioris Monaſterij Monachos penè omnes eadem ſtrages ſuſtuliſſet, ſalutem in larebris cum Abbate Heberno repererunt quatuor & viginri Monachi, *quorum nemo fuit poſtea, quem Martinus Eccleſiæ non præferret regimini, ſublimaret dignitate.* Extat Syricij Pontificis decretum, quo Franciſcus Hallier agnoſcit Monachos ad Clericatum vocatos. *Monachos quoque, quos tamen morum grauitas, ac vitæ, & fidei inſtitutio ſancta commendat, clericorum officijs aggregari & optamus, & volumus.* Eodem inuitat S. Auguſtinus Caprariæ inſulæ Monachos. *Si quam operam veſtram mater Eccleſia deſiderauerit, nec elatione auida ſuſcipiatis, nec blandiente deſidia reſpuatis: ſed miti corde obtemperetis Deo, nec veſtrum otium neceſſitatibus Eccleſiæ præponatis, cui parturienti ſi nulli boni miniſtrare vellent, quomodo naſceremini non inueniretis.* De Lirinenſis Inſulæ inſtitutis, atque alumnis, quid dici poteſt pro meritis? quam *Nutricem ſanctorum* Ennodius Ticinenſis appellat: ego alteram in Europa Tabennam, in qua neſcias magis-ne ſanctitas, an diuinarum literarum doctrina viguerit. In eam fundator S. Honoratus Sacerdotium intulit, in ea factus ror Sacerdotum pater: Hilarios, Cæſarios, Fauſtos, Maximos, Porcarios, Odilones, Vincentios, & reliqua Occidentalis Eccleſiæ ſidera, Gallicana inſula peperit, poſteaquam ipſa coli à Monachis meruit, & Eccleſijs cultores ſubminiſtrauit. Quam eius præſtantiam tacere non potuit Franciſcus Hallier, adducto Cæſarij Arelatenſis teſtimonio, *Si quos accipit filios, reddit patres, & quos nutrit paruulos reddit magnos. Rectè ſanè* (inquit, & quidem verè) *nam quandiu in Monaſterio ſunt, paruuli haberi debent & filij; at vbi adeo profecerint vt Clerici ordinari meruerint* (de Epiſcopis loquitur Cæſarius) *& magni & patres redduntur.* Hanc ſtatûs humilitatem agnoſcunt Religioſi; ſed & Deum audiunt dicentem, *cum paruulus eſſes in oculis tuis, caput in tribubus Iſraël factus es.*

*Monachi etiam in caſtris &*

Non ſolùm autem Monachiſmus ille antiquus paſtores vrbibus dedit, ſed & Principum curijs & caſtris Sacerdores. Duo memoranda eius rei exempla

profero

profero, alterum à Pontifice, alterum à Rege. Gregotius Magnus in Romano Concilio, quod Generale Baſileenſis Synodus appellauit, decretum facit ibidem citatum, ſed plenius in manuſcripto codice ex bibliotheca inſtructiſſima V.C.D. Bigot Rothomagenſis Regij in Curia ſubſidiorum Conſilij & Decani, contentum, cuius præcipuam partem hic refero. *Vereeundus mos tempore hoc indiſcretionis inoleuit, in huius ſedis Pontificibus, vt ad ſecreta cubilis ſeruitia laici pueri, & ſeculares obſequantur. De qua re in præſenti decreto conſtituo, vt quidam ex Clericis, vel etiam ex Monachis electi, miniſterio cubiculi Pontificalis obſequantur; vt is qui in loco eſt regiminis, habeat teſtes, taleſque viri, eius in ſecreto conuerſationem videant, qui ex viſione ſedula exemplum prouectus ſumant.* In vita S. Sulpitij Pij legimus, petiiſſe Clotarium regem ab Auſtregiſilo Bituricenſi Archepiſcopo, *vt pro ſua, & exercitus ſui ſalute, permitteret virum beatum in ipſius caſtris Abbatis fungi officio.* Is licet neque Monachus fuerit, neque verò Abbas; quia tamen Abbatis vicem ſuppleuit in exercitu, certum & conſtitutum in caſtris munus & officium Abbati fuiſſe demonſtrat.

*curijs Principum.* Concil. Roma. ſub Gregorio M. anno Mauritij Imper. 13. Citatur in Concil. Baſil. ſeſſ. 23. c. de numero & qualit. Cardinal. In vita Sulpit. Pij apud Sur. 17. Ianu.

Ex his manifeſtum eſt, non fuiſſe Occidentalibus Monachis impoſitam perpetuæ ſolitudinis neceſſitatem, habuiſſe etiam inter vrbanos tumultus exercendæ virtutis & pietatis locum; admotas ſemper ad humana negotia ſelectas Monachorum mentes; animo potiùs quàm corpore Monachatum eſſe æſtimatum. *Si enim aliquis corporaliter popularibus turmis prematur, & tamen nullos ſecularium curarum tumultus in corde patiatur, non eſt in vrbe*, inquit Hugo Victorinus. Et ante eum S. Baſilius luculenter. *Qui verè Philoſophus eſt, is cum corpus ſuum curarum ſuarum domicilium, & animi ſedem firmiſſimam habeat, licet caſus illum in forum attulerit, licet in maxima conuentus alicuius celebritate verſetur, licet in monte aliquo, licet in agro, licet in media multitudinis frequentia ſit, ſtabilis tamen in naturali ſuo Monaſterio manet: quippe qui mentem ſuam introrſum ad ſe recollectam habeat, & de rebus ad officium ſuum pertinentibus philoſophetur.*

*Monachi Occidentales ſemper admoti negotijs. ſolitudo potiùs animo quàm corpore æſtimanda.* Hugo Victor. l. 4 de clauſt. animæ c. 36. Baſil. Conſtit. Monaſt. c. 6.

---

*MEDIÆ ÆTATIS MONACHI SUB SS. BAſilij & Benedicti regula conſiderati. Ac in primis eorum ordinum libata præſtantia.*

## CAPVT VIII.

AB his initijs ad politiſſimam Monachatus formam facilis fuit gradus, ſub D. Benedicto ingenti religionis ſidere, qui eius occaſum per Occidentem ſolatus eſt. Minor in Oriente intercapedo fuit explenda, vt ad benigniorem, & paulò ciuiliorem ſtatus præſtantiſſimi formam deueniretur. Fuit illud magni Baſilij inuentum; qui, vt olim Socrates, philoſophiam de cœlo deuocauit, & in vrbibus ſingulorumque domicilijs collocauit: ſic Monaſticen ab ſolitudine, ad hominum ſocietatem; ab mera contemplatione, ad actuoſam virtutem; & ſibi, alijſque impenſa miniſteria reduxit. *Cum enim ſolitaria vita, & ea quæ ſocietate gaudet, vt plurimùm inter ſe diſſiderent, ac pugnarent, neutraque omninò vel commoda, vel incommoda ſua pura & impermixta haberet; præclarè eas inter ſe reconciliauit, ac permiſcuit*; quo poſtea videbimus modo. In duabus igitur hiſce regulis mediam æta-

*S. Baſilius Monachatum perfecit.* Greg. Nazian. orat. 20. in laud. Baſil.

tem pono: non quod eas velim ſtarim atque viſæ ſunt, vt Mineruam Phidiæ, placuiſſe omnibus, & communi Monachorum aſſenſu Monaſterijs omnibus impoſitas.

*S. Columbani inſtitutum diu viguit.* Concil. Matiſcon. tom. 1. Concil. Gall. Habetur tom. 1. Concil. Gall. pag. 503. *In Gallia, Prouincia Neuſtria Monaſterijs floret.* In vita S. Philiberti apud Sur. 20. Aug. In vita S. Wandreg. apud Sur. 22. Iul. *Sub S. Audoëno Neuſtria Ægypti Monaſteria æquauit.* In eius vita apud Sur. 24. Aug.

Longe enim poſt SS Baſilium & Benedictum exortos, alia adhuc viguiſſe lego priuatorum inſtituta Cœnobiorum. Nam celebris S. Columbani ſanctitas & monaſtica diſciplina, pleraque Monaſteria in Inſulis Britannicis, Bobienſe in Italia, Luxonienſe in Gallia conſtruxit. Cuius etiam regula in Concilio Mariſconenſi ſub Clotario Iuniore aduersùs Agreſtini calumnias defenſa & confirmata eſt, anno Chriſtiano 627. & in priuilegio Monaſterio Corbeienſi conceſſo, de quo aliàs, ea exprimitur conditio, *vt ipſi Monachi ſub regula S. Benedicti, vel S. Columbani conuerſari & viuere debeant*. Et vt de alijs regionibus taceam, in ſola Gallia, Neuſtriam ſpecto prouinciam, & in ea Philiberrum video Gemmerici Monaſterij conditorem, legiſſe *ſtudioſè Baſilij præclaras conſtitutiones, Macarij regulam, Benedicti decreta, Columbani inſtituta ſanctiſſima*: & ex ijs omnibus diuinas leges formaſſe, quas ſuis traderet: VVandregiſilum ex eodem S. Columbano in Bobienſi Monaſterio monaſticam diſciplinam didiciſſe: eodemque tempore Adonem S. Audoëni fratrem, Lodarienſe Monaſterium *ad præſcriptum regulæ almi patris Columbani condidiſſe*: Ipſum Audoënum nondum Rothomagenſem Antiſtitem, Raſbacenſe Monaſterium *ſupradicta regula* conſtruxiſſe. Iam verò præſulem multa Cœnobia, eaque ampla & nobilia in propria Diœceſi a fundamentis condidiſſe, multa reſtauraſſe, & pulchris legibus rexiſſe. Quo ſeculo ſanè aureo, *tantus erat in Rothomagenſi Diœceſi* (ait Auctor vitæ) *numerus Cœnobiorum diuerſi ſexus, quæ ad eius inſtitutionem tanquam diuinæ ſationis meſſes quædam ſubitò enituere, vt & multitudine & religione Ægypti Monaſteria ab Antonio quondam inſtituta æquare viderentur.* Dignus ſanè vir qui modò nobiliſſimo in Monaſterio ſua in vrbe colatur, & è cœlo ſucceſſoribus ſuis diuinam caritatem in Religioſos omnes, maximeque in magni VVandregiſili, hominis ſibi virtutis fœdere olim coniunctiſſimi alumnos, auitam pietatem reparantes, inſpiret.

*In Anglia Monachi Scoti.* *Monachorum Nigrorum appellatio.* *Ingulphus Abbas in hiſtoria Monaſterij Croilandiæ.* *Dici non poteſt quo ſeculo cæteri ordines Monaſtici defierint.* In capitulari interrogationis. tom. 2. Concil. Gall.

In inſula Britannia apud Bedam, Scotos & Hibernos lego Monachos, quos cum Benedictinis vixiſſe certum eſt: qui quoniam albis aut griſeis veſtibus induti incedebant, Benedictinæ familiæ Monachorum Nigrorum appellatio donata eſt: cuius rei monumentum habemus in fundatione Monaſterij Croilandiæ, quo fortaſſe vetuſtius nullum eſt, ad eam nuncupationem demonſtrandam. Sic enim Ethebaldus Rex Merciorum, circa annum ſalutis 700. *Trado & concedo omnipotenti Deo, B. Mariæ, & S. Bartholomæo, de dominijs meis ad fundationem Nigrorum Monachorum ſub norma S. Benedicti Deo famulantium, totam inſulam Croilandiæ.* Quo verò ſeculo totus oriens in inſtituta S. Baſilij, occidens in S. Benedicti leges ad eiuſdem Baſilij exemplum compoſitas conſpirauerit, equidem dicere non habeo. Certè longè ante Caroli Magni tempora factum oportuit, cum vir rerum ſacrarum curioſiſſimus inueſtigator, inter ea quæ ab Epiſcopis rogare proponebat, ſcripſerit, *vtrum aliqui Monachi eſſe poſſint, præter eos qui regulam S. Benedicti obſeruant. Inquirendum etiam ſi in Gallia Monachi fuiſſent, priuſquam traditio regulæ S. Benedicti in has Parochias perueniſſet.* Sed hoc admodum ad rem meam non confert, dum meminerimus inter imperij Orientalis hæreſes & ſchiſmata, etiam ſub Turcicæ tyrannidis iugo perennare Baſilij, ſi non medullam, at corticem; ſi non ſpiritum,

ritum, at litetam, & neminem Oriente toto, Patriarchatu aut vllo Epiſcopatu dignum videri, imo nec penitus admitti, qui è magni Baſilij diſciplina non ptodierit.

In Occidenre aurem de ordine reliquorum parenre, cuius cæteri particulæ ranrùm ſunr, de terribili inferis acie Dei viuentis, ſub Benedicti auriflamma ſeculum dæmonemque rriumphante, ſilere melius puto, quàm parum loqui. In eo liberalibus diſciplinis imburos pueros & adoleſcentes loquuntur regulæ: in eius Monaſterijs conſeruatam ferreis ſeculis literarum notitiam clamant Bibliorhecæ: In eius ſinu repertos Abbares quindecies mille & ſepruaginra quaruor doctrina & virtutibus inſignes, qui rotidem Abbarijs præficerentur; vr inferiores magiſtratus, & priuatos omittam Monachos, tabulæ ipſæ demonſtranr. Ex eius ſepris eductos ad Romanam ſedem, numerar Trithemius Ponrifices decem & octo: ad ſacram purpuram Cardinales centum octoginta quatuor: ad Archiepiſcopales thronos præſules mille quingentos ſexaginta quatuor; Epiſcopos rria millia quingentos duodecim: ſanctorum numero adſcriptos Monachos omnino quinquies mille quingentos quinquaginta nouem, idque ſolùm anre Concilij Conſtantienſis rempora, vr ſumma cum grari animi ſignificatione teſtárur Eccleſiæ. Ipſas etiam, quod mirum eſt, Ægypri ſolitudines penerrauir Benedictus, & Orienri munus Religionis reſtituir, Abbare Bononio *Monaſteria plurima reparante, per quæ cætus Monachorum diſtribuit, Abbates conſtituit, eoſque ſecundùm à D. Benedicto præſcriptam regulam, vitam religioſè traducere iuſſit*: circa annum reparatæ ſalutis milleſimum, barbarie Romanis infeſtâ Ægyptum opprimenre.

*Ordinis Benedictini encomium.*

Trithem. l. 1. de viris illuſtr. c. 4. & 5.

*Benedicti regula viges in Ægypto.*

In vita S. Bononij apud Suri 30. Aug.

Atque vt prodigioſam Coloſſi ſui magnitudinem nunquam meliùs æſtimarunr Rhodij, quàm cum iacenris oculos & frontem decempeda metiebantur, cum è digiris ingentes conflabant ſtaruas: ſic Benedictinæ familiæ amplitudinem, tum ruina ipſa, rum fruticantes ex ingenti trunco ſtolones prodiderunr. In quibus nobiliſſimi duo in ſolo Gallico, ſanctorum ferace enati, Eccleſiam vniuerſam grariſſimo diſciplinæ Monaſticæ vigore, magnorumque virorum perperuo virore opacarunr. Cluuiacenſem dico, & Ciſtertienſem ordines: de quorum alrero, imo de vno Cluniacenſi Cœnobio ſcripſit quondam Petrus Cellenſis, *Nonne hæc eſt vrbs fortitudinis noſtræ, de qua egrediebantur quondam mille per Epiſcopatus, per Abbatias, per Regum, & principum Curias? nonne luminare hoc magnum tenebras obſcuratæ religionis per diuerſas regiones illuminauit, ordinem reformando, honeſtatem docendo, caritatem infundendo, & cætera pietatis officia renouando? vſque ad ſedem Apoſtolicam nonne gradibus humilitatis aſcendit?* De altero ſcripſit Petrus Venerabilis, Abbas & ipſe Cluniacenſis, *Ordo Ciſtertienſis eſt, quem lacteam fortemque columnam, cui innitatur Monaſtici ordinis ædificio ſumma prouidentia præparauit, & velut rutilum ſidus exemplo verboque non ſolum Monachis, ſed & toti Latinæ Eccleſiæ noſtro tempore inſigniter lucens donauit.* Et maiori auctoritate dixir Benedictus XII. in ampliſſima priuilegij bulla. *Fulgens ſicut ſtella matutina in medio nebulæ, ſacer Ciſtertienſis ordo in Eccleſia militanti, ſtrenuè militat operibus, & exemplis. Hic nempè ordo in diuini cultus miniſterio ſedulus, vt ſibi & alijs proficiat ad ſalutem in ſacræ lectione paginæ ſtudioſus, à mari vſque ad mare palmites ſuos meruit dilatare.* De his familijs plura non addo, neque plures huc familias aduoco, quia exemplum quæro, non hiſto-

*Ordines Cluniacenſis & Ciſtertienſis partes Benedictini.*

*Ordo Cluniacenſis.*

Petr. Cellenſis ep. 157.

*Ordo Ciſtertienſis.*

Petr. Vener. lib. 4 ep. 17.

Benedi. 12. Bulla Fulgens ſicut ſtella. ann. 1334.

*Aliæ reſtaurationes ordinis Benedictini.*

riam. Et quoniam non tantùm in ramis, ſed etiam in nobili trunco repurgando innouandoque laborauit Eccleſia, ingens illa inſtituti communio, quæ Abbatias omnes, ſub diuerſis licet, & à ſe inuicem non pendentibus Abbatibus vnâ eademque regulâ continet, viam dedit expeditam ſummis Pontificibus, vt qui è Monachis labentem reſtituere diſciplinam cuperent, eos certo ſocietatis fœdere colligarent, in Italia primùm in congregatione S. Iuſtinæ de Padua: tum in Gallia, Monaſterio Caſæ Benedictinæ in Prouincia Bituricenſi, cum aliquot adiunctis primæuum fundatoris ſpiritum reparante. Denique noſtris temporibus, item in Gallia, idem opus heroïcum aggrediente Cōgregatione Cluniacenſi & S. Mauri, cuius modò caput eſt Monaſterium S. Germani Pratenſis in Vrbe, vnde in cætera regni membra viuidum antiquæ Religionis ſuccum, & vitalem Benedictinæ benedictionis feruorem ſperamus optamuſque deriuari. Interim dum hæc vota ſuccedent, diuina vtriuſque Patriarchæ inſtituta & conſilia videamus.

## SANCTORUM BASILII ET BENEDICTI *leges Monaſticæ inuicem comparatæ expanduntur, ducto à Monaſterijs ipſis, & Prælatu initio.*

### §. I.

*Extructa duplicis generis loca ad recipiendos Monachos.*

LOCUM ipſum exercitationi Monaſticæ comparatum in primis vt explorem, vtrique Patriarchæ aſceterij formam placuiſſe video, Cœnobia & Cellas: & in his ſolitarios, in illis vitæ ſocietate coniunctos collocaſſe. Nam quod in Geraſimo ſuprà videbamus, S. Baſilius feliciter effecit, vt ſolitariam vitam Cœnobiticæ adiungeret, & à plurimorum conſortio eremitas non procul ſummoueret: *pietatis nimirum gymnaſia & Monaſteria erigens, non tamen longo interuallo ab ijs qui in ſodalitio viuunt, remota, nec velut muro quodam interiecto ea diſtinguens, atque à ſe inuicem ſeparans, verùm propè coniungens ac dirimens: vt nec contemplatio communicationis expers eſſet, nec actio contemplatione careret: ſed quemadmodum terra & mare, ita etiam hæ duæ vitæ commoda ſua inter ſe communicantes, ad vnicam Dei gloriam concurrerent.* Ἡσυχασταὶ, ab illa quiete & ſilentio dictos fuiſſe qui cellas incolerent, admonet Nouella Iuſtiniani. Priuari benedictione iubet idem legiſlator Baſilius, ſi quis inuentus fuerit loquens εἰς τὰ κέλλια, ἐκτὸς τῶν ἐνοικούντων, ἢ τῶν ἡσυχαστῶν. *In cellis, præter eos qui ibi commorantur, ſeu quieſcentes.* Dicuntur etiamnum in monte ſancto ad Theſſalonicam in cellis viuere Græci eremitæ, qui frigida contenti, cæteros cibos abſtinentiæ quadrageſimali conuenientes in plures menſes comparāt. Quamobrem Conſtitutiones Monaſticas ita partitur, vt priori earum parte ſolitarios iſtos ſuis virtutibus inſtruat, atque inter cætera *Clerum, aut inter fratres principatum appeti* vetet à Monacho. Deinde posteriorē partem ſic inchoat. *Ac de ijs quidem qui ſingulariter & ſeorſim à cæteris pietatem exercent, deque ſolitariam vitam complexis ſuperius dilucidè quantùm potuimus diſputauimus,* &c. Tum ad eos progreditur qui *in ſocietate cum alijs degunt*: quorum inſtituta reliqua oratione ſpectabimus; de eorum autem Cœnobijs agere ſuperfluum arbitror.

*Greg. Naz. orat. 20. in laudem Baſilij.* ὅπως μήτε τὸ φιλήσυχον ἀκοινώνητον ᾖ, μήτε τὸ πρακτικὸν ἀφιλόσοφον. *Iuſtinian. Nouella 5. & 133. Baſil. in pœnis breuib. a. 33. Conſtit. Monaſt. c. 10. Ibid. c. 19.*

*S. Benedictus non inſtituit Anachoretas.*

Ad S. Benedictum quod attinet, puto equidem ex eo potiùs, quàm ab eo poſteriores eremi incolas cum cellis ſuis eductos. Nam licet ipſe primos con-

uerſionis

uerſionis annos in eremo poſuerit, & Romanum Monachum eremi cultorem in *cella, in Monaſterio ſub Theoduli patri regula* inuenerit: licet ineunte regula, ſecundum Monachorum genus ex ijs Anachoretis conſtituat, qui *Monaſterij probatione diuturna didicerunt contra diabolum multorum ſolatio iam docti pugnare*: illorum tamen eruditionem & diſciplinam tota regula non perſequitur, ſed potius illis omiſſis, Cœnobitarum; vt expreſſè admonet; *his ergo omiſſis, ad Cœnobitarum fortiſſimum genus diſponendum adiuuante domino veniamus.* Ex eo tamen loco Petrus Damiani manifeſtè ſe colligere ait, *quia doctor almificus de Monaſterio fratrem quemlibet ad eremum conſcendere, non modò prohibuit, verùm inſuper monuit, & docuit: inſuper etiam quibuſdam perſuaſionibus incitauit.* Qui & Eremitis ſuis, ipſius S. Benedicti regulam omnem, non minùs quàm collationes Patrum, & S. Romualdi diſciplinam, quam ſæpe citat, competere profitetur. Nimirum & ipſe dictus à Tritemio S. Benedicti Monachus, & inter magni illius Ordinis illuſtres viros relatus.

Greg. l. 2. dialog. in præf. Bene. Reg. c. 1. Petr. Dam. l. 6. ep. 12. Idē Opuſ. 15. c. 18. Teſte l. 2. de viris illu. c. 95.

Hanc eremum quàm dignis laudibus exornant Patres, quantopere admirantur & ſuſpiciunt Baſilius Epiſtola parænetica ad Chilonem, ex Monacho Anachoretam: Epiſtola 1. ad S. Gregorium Theologum, & ſermone de laudibus eremi: Bernardus libro ad Fratres de monte Dei: & Petrus ipſe Damiani cum locis pluribus eximiè, tum eo opuſculo quod *Dominus vobiſcum* inſcripſit: vt omittam totum aliud Opuſculum 15. quo diuinos Eremitarum ſuorum mores graphicè depingit. Neque ſolùm abſolutè ſpectato illi inſtituto panegyricum dicunt viri ſanctiſſimi, verùm etiam collatum cum Cœnobitica vita ſine dubitatione præferunt, S. Baſilio Monaſticæ diſciplinæ rudimenta Cœnobio, perfectionem autem Anachoreticæ vitæ aſſignante, vt antea monuimus. Quam opinionem in adamatæ Anachoreſeos gloriam multis explicat effertque Petrus Damiani; neque refugit è Theologica ſeueritate S. Thomas aſſeuerare, iſtiuſmodi Monachis maiorem eſſe, quàm Cœnobitis perfectionem. Cardinalis igitur Oſtienſis in Apologia ſua, de admiſſo ad Eremum Monacho *Ad perfectionem*, inquit, *ſummam tendenti, & Monaſterium tranſitus dicitur eſſe, non manſio; non habitatio, ſed hoſpitium; non finis intenſionis, ſed quadam quies itineris.* Et poſt aliqua. *Porro autem cum ipſa Cœnobitarum regula perfectionem ſe non habere perhibeat, ſed volentem perfici ad Eremi inſtituta patenter tranſmittat, cur nos ad perfectionis arcem & ipſi conſcendere floccipendemus?* Et iterum. *Fratres itaque in Monaſterio immobiliter permanentes tolerandi ſunt: ad Eremum verò feruido ſpiritu tranſmigrantes plauſibus ac præconijs efferendi.* Quibus paria non ſemel apud nobiliſſimum iſtum auctorem leges: hic autem locus à me selectus eſt, quoniam eo Petrus abutitur Aurelius, ad ſtatus Religioſi contemptum quem affectat. Ignarus primùm *arcem perfectionis*, in vna ſaltem Monachatus ſpecie conſtitui, cuius gloria ſtatum vniuerſum peruadit: deinde hoc ipſo laudari ex æquo Monachatum, ab eo qui ſtatum eſſe acquirendæ perfectionis fateatur, licet in ipſo ſummam reperiri neget. Præterea comparationem à Cardinale inter Cœnobitas & Eremitas, duo meri Monachatus genera inſtitui, non inter Eremitas & Mendicantes, id eſt, eos qui ſibi tantùm & contemplationi, atque alios qui proximo & actioni ſe impendunt; quos cum hoc loco ſubſannare velit Aurelius, dicto B. Damiani iure legitimo vti non poteſt.

*Eremitica vita laudes ex Patribus.* Petr. Dam. Opuſ. 11. l. Dominus vobiſcum c. 19. Baſil. ep. ad Chilon. S. Thom. 2. 2. q. 188. a 4. Petr. Dam. l. 6. ep. 12. *Explicatur locus ille aduerſus Aurelium* in vindic. p. 674.

Turrecr in eum locũ.

Quod ſi tanto dignitatis auctoritatiſque loco apud ſe vult eſſe diſcipul Aurelius, Magiſtrum ipſum ſibi patietur opponi; qui ab eremo ad Cœ bium tranſijt, & omiſſis Anachoreris *fortiſſimum Cænobitarum genus diſpoſ* hac nuncupatione ſatis laudatum, quia ait Ioannes à Turrecremata, *Cænobitica habet plurimùm fortitudinis, ſecuritatis, & conſolationis.*

*Prælati Eremitarum, Priores.* — Petr. Dam. opuſc. 15. c. 16. Ibid. c. 18 Ibid. l. 6. ep. 12. — *Abbas, ſiue Prior Generalis.* — Ioan. Monach. in vita; Petr. Dam. c. 4. &c. Ibid. c. 7. Opuſc. 14. — l. 6. ep. 39. — *Prioratuum origo.* — Hugo Menard. in Concord. Regul. c. 29. § 8. Petr. Dam. Opuſc. 14. cit.

Iam Monaſteria hæc eremitica (vt eorum hiſtoriam ſemel abſoluamus ſingulis Præpoſitis regebantur, quos Priores appellabant: qui omnes vni cu dam Abbati, ſeu Priori, tanquam Generali parebant. Priorum crebra in P tro Damiani mentio, *Diſcretionem*, inquit, *debilium in Prioris arbitrio ponim De Conuerſis quoque quantùm ieiunent, eiuſdem Prioris prouideat diligentia. Quæcunq à Priore mandantur, ita patienter, & humiliter ſunt ſeruanda, ac ſi fuerint diuinit imperata.* S. Benedictus in Regula *Abbatem Monaſterij, non Priorem alloqui Eremi.* Supremum quoque Abbatem, ſiue Priorem, & quidem illum ipſ qui Eremo Fontis Auellani, tanquam Ordinis totius fonti & capiti præſi bat, memorat non vno loco eius ipſius vita, per Ioannem Monachum ill diſcipulum ſcripta; cui eum ſucceſſiſſet in magiſtratu vir ſanctus, multa Italiam conſtruxit Monaſteria, eaque pro poteſtate gubernauit. Neque bito quin pro ingenita ſanctitatis ſeueritate, multa priorum decretis ad derit, cum admirabiles Eremitarum Fontis Auellani mores ad exem poſteritatis deſcripſit. Certè ad vnius curam ſpectaſſe loca omnia ſoli illius inſtituti, conceptis ipſe verbis teſtatur in decreto quodam, in mort cinia perlato. *Noſtis dilectiſſimi, quia loca iſta nobis commiſſa, me viuente vnum ſunt: & res quæcunque neceſſariæ hinc ad vos indifferenter tranſeunt; à etiam huc, prout fraterna exigit vnanimitas, proferuntur.* Quem tamen mor mortuo, propter periculum vitioſæ proprietatis non cupit obſeruari. dem cum hæc conſidero, cauſis illis omnibus ab Hugone Menardo a quæ Benedictini ordinis Prioratibus originem dederunt, hanc præterea adijci exiſtimo, vt cum Monachi non pauci arctioris ſolitudinis, & for vitæ appetentes (*defluente* præſertim *maxima ex parte Monaſtico ordine*, vt n Petrus Damiani) in agris procul ab vrbium frequentia, volentibus Abb bus, in aliqua Monaſterij poſſeſſione religioſam eremum conſtruxerint, que diu ſub Priorum cura Deo famulari ſint, reſederit etiam vis illa ter tum lapſu, & ad eam quam videmus ruinam conciderint Prioratus.

*Vita Eremitica non eſt omnino conformis ordini S. Benedicti.* — *Votum ſtabilitatis.* — Hugo Menard. in Concord. Regul. c. 65 § 1. Turre. in c. 58. Reg. S Bened. n. 127. Petr. Dam. l. 6. ep. 12.

Quanquam ingenuè fateor non videri mihi magno Ordini omni ex te conſentaneam hanc Eremum, illamque præter nobilis legiſlatoris tem aſſumptam: quod cum eius prima diuiſio propoſitumque demon ſe omiſſis Anachoreris, de Cœnobitarum genere dicturum: tum maximè feſſionis formula, quo *ſtabilitatem* voueri vult à monacho: ſtabilitate quàm *in Congregatione* vt alicubi loquitur, ſiue in vita Cœnobitica, *ſtatum Eremiticum excludit: qui quidem Monaſticus eſt, non tamen Cœnobialis*, in Hugo Menardus. Addit quidem hic ipſe doctus & religioſus ſcriptor, M chum Cœnobitam ſaluo voto ad ſolitudinem, & vitam perfectiorem traduci: & Turrecremata votum ſtabilitatis interpretatur vniuersè *de chatu nullo modo deſerendo*, vt videlicet *Monaſterij conuerſatio*, inquit noſte trus Damiani, *non aliud quàm eremi ſit præparatio, & altiori propoſito totus m ad quod ſe prius in Monaſterio conſtitutus exercet.* Hæc ego cum agnoſcam, tamen permitti à Prælatis ordinis, non imperari, illamque μονάζειν, ſi n

S. Baſilius, vult *in ſingulis ordinibus aliquos eſſe, qui illos poßint imitari* Baſil. Reg.
*eſt in Actis, ſolitos eos fuiſſe ſingulis diſtribuere; prout vnicuique opus erat.* fuſ. reſ. 34.
& grauioris delicti conſcientiam iniicit, ſi quid neceſſarium fratri Idem Reg.
neglexerint: *perſpicuum eſt*, inquit, *hoc iudicium ex verbis Domini, eum di-* breuior.
*cedite à me maledicti in ignem æternum.* S. Benedictus Cellerarium ſeu Cel- c. 150.
m Monaſterij iubet eligi *ſapientem, maturis moribus, ſobrium, timentem* Cellerarius
*qui omni congregationi ſit ſicut Pater: curam gerat de omnibus.* Iſque non mi- Bene Reg.
iam Præpoſitus ac Decanus, vetatur *de miniſterio remoueri, niſi cauſa vtili-* c. 31.
*neceßitatis.* Concil. Aquiſgra. cit. c. 56.

## DE PERSONIS IN MONASTERIUM *admißis.*

§. II.

Is ſuperioribus ſubiectæ ſunt perſonæ, quæ duplici in differentia Mo- *Pueri admißi.*
naſterium ineunt, Pueri, & Grandiores. Pueros ab Cœnobio reiiciendos
S. Baſilius, cum dixerit Chriſtus, *Sinite paruulos venire ad me, & Apoſto-* Baſil. Reg.
*laudet, qui ab infantia ſacras literas didiciſſet.* Eam ob rem eos doceri lite- fuſ. reſp. 15.
cipit, *& loco fabularum, hiſtorias ipſis rerum mirabiliter à Deo geſtarum denar-* *Edocti literas.*
*poni quoque præmia memoriæ cum rerum, tum etiam verborum.* Præcipit alibi Ibid. reſp. 53.
modo corrigantur, ſi quid peccauerint. S. Benedictus pueros admitti Bene. Reg.
ttir, ea etiam ætate, in qua parétes ipſorum neceſſe ſit petitionem face- c. 59.
qua præcipitur in ſæpè citato Conuentu Aquiſgranenſi, *vt puerum pater* Conuent.
*ter tempore oblationis offerant altari, & petitionem pro eo coram laïcis teſtibus* Aquiſgra.
*, quam tempore intelligibili ipſe puer confirmet.* In qua ſi quando peccarint, cit. c. 36.
*intelligere poßint quanta pœna ſit excommunicationis*: quare oportet eos tunc Bene. Reg. c. 30.
*nijs nimijs affligi, aut acribus verberibus coërceri vt ſanentur.* Quamobrem Petr. Vene.
r Petr. Venerabilis apud Clunianenſes ſuos ſtatuere *vt nullus regularibus* in ſtatut.
*ginti annos veſtibus induatur. Cuius inſtituti cauſa fuit immatura, nimiſque* Cluniac.
*fantum ſuſceptio, qui antequam aliquid rationabilis intelligentiæ habere poſſent,* c. 36.
*Religionis veſtibus induebantur, & admixti alijs, puerilibus ineptijs omnes per-*
*rant.* Eos literis inſtitutos fuiſſe in Monaſterio, etſi S. Benedicti regula
xprimat, res tamen ipſa docet, & decretum Cóuentus Aquiſgranenſis, *vt* Conuent.
*in Monaſterio non habeatur, niſi eorum qui oblati ſunt.* Idem qui antea Petrus Aquiſgra.
iacenſis *paruorum ſcholarium*, meminit, *vt more conuentus ſedere permittan-* cit. c.
*que in refectorio iuxta morem antiquum comedentes ſtare compellantur.* Pet. Vene. cit. c. 56.

tate autem maturiores diligenter explorari iubet S. Baſilius, antequam *Ætate maturi diligenter explorati.*
rrantur: exemplo Chriſti qui accedentem ad ſe adoleſcentem perconta-
t de vita ſuperiore: & progreſſis quidem in virtute, perfectioni conſen-
præcepta inſpirari; vitioſis autem moribus corruptos, ſi minùs conſtan- Baſil. Reg.
propoſito eſſe videbuntur, excludi: ſi fixum deliberatumque habent fuſ. reſ. 10.
n ſequi, eiuſque cauſa ad infima quæque ſe demittere, tum demum poſt
experimenta in domum induci. S. Benedictus *nouiter venienti ad conuer-* Bene. Reg.
*n facilè dari ingreſſum prohibet, ſed ſicut ait Apoſtolus, probate ſpiritus, ſi ex Deo* c. 58.
Quare præcipitur in Conuentu Aquiſgranenſi, vt nouitius ante ingreſ- Conuent.
*in cella hoſpitum, probationis cauſa, hoſpitibus ſeruiat paucis diebus.* Sacerdotes & Aquiſ. cit. c. 34.

## MONACHORVM IN ECCLESIA OCCIdentali conſideratio.

### CAPVT VII.

*Formoſior fuit in Occidente Monachatus.* Th. Wald. doctr. fid. tom. 1. l. 4. a. 1. c. 10.

SIc, alumnos deſerti olim educauit Oriens, & Ægyptus, *& hoc propter ferocitatem gentis ſemibarbaræ, & cauſas alias congruentes*, inquit Thomas VValdenſis: *In Europa autem formoſius per ciuitates, & oppida, aut loca his vicina*; floruiſſe ab antiquo Monaſticum ſtatum multa docent, quæ cum ex auctoribus proferentur, ad vrbana Orientis Monaſteria aliqua ſimilitudine referri poterunt, quorum inſtituta nobis minùs nota ſunt.

*Pauci per Occidentem Anachoretæ.* In vita Sulpit. Pii.

Atque in primis Anachoretas vidit Occidens, ſed raros. Nam Teutzonem S. Ioannis Gualberti, Captaſium ſancti Honorati, Marinum S. Romualdi, narrat hiſtoria: Menardum Augenſem ſolitarium commemorat Martyrologium. *Ebregiſilum ſolitarium virum, qui vita & ſermone cæteris excellentius ad viri Dei* (Sulpitij Pij,) *imitationem totum ſe compoſuerat*, legatum ad regem miſit idem Sulpitius. S. Iuſtum, & S. Eucherium, qualem virum! ab eremi latebris ad ſacra gubernacula, Eccleſia Lugdunenſis extraxit. Longo poſt tempore Petrus Cluniacenſis Abbas, plures Eremitas repertos eſſe admonet, in referendo ſuæ matris erga Religioſos affectu. *Suſcipiebantur*, inquit, *Monachi, trahebantur Eremitæ, & omnes habitu, vel fama religionis ornati, paſſim ad hoſpitandum, etiam cum reſiſterent, cogebantur.* Cui æqualis S. Norbertus ad *Lidulphum Eremitam, miræ ſanctitatis, & abſtinentiæ virum, Clericorum vitam agentem*, dicitur ſeceſſiſſe. Sed hi ex illis Eremitis fuerunt, quos inferius in S. Benedicti regula examinabimus.

Petr. Venerab. epi. l. 2. ep. vlt. quæ eſt de morte matris. In vita S. Norberti.

*Cœnobiorũ in Occidente antiquitas.* Paulin. ad Victr. apud Sur. 7 Au. *Veterum Monaſteriorum forma & inſtitutio.*

Cœnobiorum inſtitutio fuit antiquiſſima in Italia, in Gallijs, ſcribente S. Paulino Nolano ad S. Victricium Rothomagenſem Antiſtitem; *quotidiano ſapienter pſallentium per frequentes Eccleſias, & Monaſteria ſecreta concentu, caſtiſſimis ouium tuarum & cordibus delectantur, & vocibus.* Ea verò non minùs in Europa, quàm in Oriente, à primis Abbatibus, putà S. Honorato, & ſimilibus pendebat, qui vel adiuuantibus, vel ſinentibus Epiſcopis, loca ingenio, & conſilio ſuo idonea deligebant, in quibus extructo Monaſterio, & conuenientibus ſocijs leges darent, *prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis*: quibus viri ſanctiſſimi magis auctoritate inſtitutorum, quàm poteſtate Superiorum imperabant, ſucceſſoribuſque ſuis imperium in vnam tantummodo domum & familiam tranſmittebant: cùm licet eodem aliquando legum vinculo nexæ plures eſſent, ſingulis tamen Abbatibus ſingulæ ſubderentur. Id ita conſtitutum in Italia vidiſſe ſe refert S. Auguſtinus. *Vidi ego ſanctorum domicilium Mediolani, non paucorum hominum; quibus vnus Presbyter præerat, vir optimus & deuotiſſimus. Romæ etiam plura cognoui, in quibus ſinguli grauitate atque prudentia & diuina ſcientia præpollentes, cæteris ſecum habitantibus præſunt Chriſtiana caritate, ſanctitate, libertate viuentibus. Nec hoc tamen in viris tantùm, ſed in fœminis etiam, quibus item multis viduis & virginibus ſimul habitantibus, & lana ac tela victum quæritantibus, præſunt ſingulæ grauiſſimæ ac probatiſſimæ.*

*Quale ſuperiorum in eos imperiũ.* Augu. l. de morib. Eccleſ. c. 40.

Ijs

Iȷs ducibus ac rectoribus votorum Religionem apertiorem ſanctioremque, quàm in Oriente fuiſſe, legimus in S. Leone Papa, ad Epiſcopum Narbonenſem ita ſcribente. *Propoſitum Monachi proprio arbitrio, aut voluntate ſuſceptum, non poteſt deſeri abſque peccato. Quod enim quis vouit Deo, debet reddere.* Et antea in S. Auguſtino. *Nemo poſitus in Monaſterio frater dicat, Recedo de Monaſterio. neque enim ſoli qui ſunt in Monaſterio, peruenturi ſunt ad regnum cælorum. Reſpondetur ei: ſed illi non vouerunt, tu vouiſti, tu retro reſpexiſti.* Citat in hoc propoſito Petrus Damiani S. Leonem quem adduximus, cui addit & Gelaſium Papam; imo & plurima Occidentalis Eccleſiæ Concilia, poſt Chalcedonenſe: vt ſciamus votiuam illam conſecrationem cum S. Benedicto non incœpiſſe, & omnibus Monaſticæ inſtitutionis temporibus conuenire Cardinalis eiuſdem ſanctiſſimi declamationem, aduersùs *tam profundi triminu barathrum perditorum hominum, qui poſt Sathanam conuerſi, Monachicum habitum ſacrilega temeritate deſererent, & execrabili apoſtaſia ad ſecularem militiam de nouo repedarent.* Quæ tam grauis obiurgatio Monachos non percelleret, ſi deſerendi propoſiti libera eis fuiſſet voluntas.

*Vota adſtricta Monaſteria.* S. Leo epiſt. 92. ad Ruſtic. c. 12. August. in Pſ. 75. Petr. Dami. opuſc. 16. c. 3. 4. Ibid. c. 8.

Notandum verò eſt ad hoſce vitæ ſpiritalis duces, eorum ſanctitatis amore excita confluxiſſe iam olim duo hominum genera, quæ Nutritis & Conuerſis, de quibus infra dicetur, aut locum dederunt, aut exemplum. Alios in ſeculo diuites, nobiles, delicatos, liberalibus diſciplinis imbutos; alios imperitos literarum, inurbanos, ab agris & officinis impolitos; vtriſque impoſitum laborem, ſed illis vt melioris laboris condimentum, iſtis vt negotium; illis ad animum ſubigendum, iſtis ad victum emerendum; iſtis vt ſemper aliquid agerent, illis ne vnquam nihil. Audi S. Auguſtinum prudentiſſimè definientem. *Quamobrem etiam illi qui relicta, vel diſtributa, ſiue ampla, ſiue qualicumque opulenta facultate, inter pauperes Chriſti, pia & ſalubri humilitate numerari voluerunt, ſi corpore ita valent, & ab Eccleſiaſticis occupationibus vacant; ſi & ipſi manibus operentur, vt pigris ex vita humiliore, & ob hoc exercitatiore, venientibus auferant excuſationem, multò miſericordiùs agunt, quàm cum omnia ſua indigentibus diuiſerunt.* Virtutis igitur exemplo, non victus neceſſitate; ſuperiorum arbitrio, non ſeueritate diſciplinæ laborant. Sequitur enim, *quod quidem ſi nolunt, quis audeat cogere?* videlicet ad parandum victum, non ad humilitatis exercitium; *quibus tamen inueniend a ſunt opera in Monaſterio, etiam ſi à corporali functione liberiora: ſed vigilanti adminiſtratione curanda, vt nec ipſi panem ſuum, qui iam communis factus eſt, gratis manducent*: ne ſint infirmioribus ſcandalo, laborent ſanè, ſed ſpiritu potiùs, quàm corpore. Cæteri autem ex opificio conuerſi, quid tandem? *Illi autem qui etiam præter iſtam ſanctam ſocietatem* (qui antequam in Monaſterio cum ſanctis fratribus habitarent adhuc ſeculares) *vitam labore corporis tranſigebant, ex quorum numero plures ad Monaſteria veniunt, quia & in ipſo humano genere plures ſunt* (vt nondum ſatis cognita Monaſtici ſtatus præſtantia atque vtilitate, *non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles* Chriſti iugo ceruices ſubdebant) *ſi nolunt operari, non manducent. Neque enim propterea in militia Chriſtiana ad pietatem diuites humiliantur, vt pauperes ad ſuperbiam extollantur: nullo modo enim decet vt in ea vita vbi fiunt ſenatores laborioſi, ibi fiant opifices otioſi: & quo veniunt relictis delicijs ſuis qui fuerant prædiorum Domini, ibi fiant ruſtici delicati.*

*Duo hominum genera in Monaſterio.* *Alij exercitijs ſpiritalibus addicti.* Augu. l. de opere Monach. c. 25. *Alij manum laboribus occupati.*

Omnibus igitur in commune, ſed maximè illi nobiliſſimæ Monachorum *Leges. Mo*

*naſticæ prioribus moderatioris inſtituta à fundatoribus.*
Seuer. Sul. in vita D. Martini c.7.

parti, leges impoſitæ ſunt, quæ ſeueritatem Orientalium multis partibus mitigarent: plus animorum, quàm corporum exercitationi datum: rerum ſcripturárumque diuinarum commentatio caput inſtituti, labor manuum, appendix extitit. Sic enim Seuerus de S. Martini Monaſterio. *Ars ibi, exceptu ſcriptoribus, nulla habebatur, cui tamen operi minor ætas deputabatur, maiores orationi vacabant.* Sic diſtinctior S. Auguſtinus de pleriſque Cœnobijs. *Quantùm attinet ad meum commodum, multò mallem per ſingulos dies certis horis, quantum in benè moratis Monaſterijs conſtitutum eſt, aliquid manibus operari, & horas habere ad legendum & orandum, aut aliquid de diuinis litteris agendum liberas, quàm tumultuoſiſſimas perplexitates cauſarum alienarum pati.* Certè in S. Honorati, ſimiliumque è cœlo hominum vita, non manuum labor, ſed iuge rerum diuinarum ſtudium commendatur: planè vt hodie Patres Carthuſiani laborem externum habent pro quiete.

*Huiuſmodi homines multùm probauit Eccleſia. Monaſterium S. Martini. Multi ad Epiſcopatum euecti.*
Seuer. Sulpit.
S. Odilo Ar. de Reu. S. Martini à Burgun.
Syricius epi. ad Hymeriũ Tarra. c.13.
*Capraria inſula Monachi.*
Auguſt. ep. 81.
*Lirinenſis Inſula.*
Ennod. in vita Antonii Monachi Lirio. apud Sur.
Vide Fran. Barralem in Chron. Lirinenſi.
Hallier in vindic. p. 476. ex Cæſario Arelat. hom 25.
1. Reg. 15.

Id genus ſtudij, & pretioſiſſimi laboris à præſtantiſſimis Monachorum ſuſcepti, tum probauit Eccleſia, cum eius vitæ principes cœleſtibus honoribus conſecrauit, cum Monaſteria quaquà verſum diffundi permiſit, cum Monachos ad Eccleſiaſtica munera adhibuit. Nam è S. Martini Monaſterio plures ad Epiſcopatum ſunt euecti; *quæ enim eſſet ciuitas aut Eccleſia, quæ non ſibi de Martini Monaſterio cuperet Sacerdotem?* Atque multis poſt ſeculis in Danica irruptione, & Rollonis tyrannide, cum Maioris Monaſterij Monachos penè omnes eadem ſtrages ſuſtuliſſet, ſalutem in latebris cum Abbate Heberno repererunt quatuor & viginti Monachi, *quorum nemo fuit poſtea, quem Martinus Eccleſiæ non præferret regimini, ſublimaret dignitate.* Extat Syricij Pontificis decretum, quo Franciſcus Hallier agnoſcit Monachos ad Clericatum vocatos. *Monachos quoque, quos tamen morum grauitas, ac vitæ, & fidei inſtitutio ſancta commendat, clericorum officijs aggregari & optamus, & volumus.* Eodem inuitat S. Auguſtinus Caprariæ inſulæ Monachos. *Si quam operam veſtram mater Eccleſia deſiderauerit, nec elatione auida ſuſcipiatis, nec blandiente deſidia reſpuatis: ſed miti corde obtemperetis Deo, nec veſtrum otium neceſſitatibus Eccleſiæ præponatis, cui parturienti ſi nulli boni miniſtrare vellent, quomodo naſceremini non inueniretis.* De Lirinenſis Inſulæ inſtitutis, atque alumnis, quid dici poteſt pro meritis? quam *Nutricem ſanctorum* Ennodius Ticinenſis appellat: ego alteram in Europa Tabennam, in qua neſcias magis-ne ſanctitas, an diuinarum literarum doctrina viguerit. In eam fundator S. Honoratus Sacerdotium intulit, in ea factus tot Sacerdotum pater: Hilarios, Cæſarios, Fauſtos, Maximos, Porcarios, Odilones, Vincentios, & reliqua Occidentalis Eccleſiæ ſidera, Gallicana inſula peperit, poſteaquam ipſa coli à Monachis meruit, & Eccleſijs cultores ſubminiſtrauit. Quam eius præſtantiam tacere non potuit Franciſcus Hallier, adducto Cæſarij Arelatenſis teſtimonio, *Si quos accipit filios, reddit patres, & quos nutrit paruulos reddit magnos. Rectè ſanè* (inquit, & quidem verè) *nam quandiu in Monaſterio ſunt, paruuli haberi debent & filij; at vbi adeo profecerint vt Clerici ordinari meruerint* (de Epiſcopis loquitur Cæſarius) *& magni & patres redduntur.* Hanc ſtatûs humilitatem agnoſcunt Religioſi; ſed & Deum audiunt dicentem, *cum paruulus eſſes in oculis tuis, caput in tribubus Iſraël factus es.*

*Monachi etiam in caſtris &c.*

Non ſolùm autem Monachiſmus ille antiquus paſtores vrbibus dedit, ſed & Principum curijs & caſtris Sacerdotes. Duo memoranda eius rei exempla

profero

profero, alterum à Pontifice, alterum à Rege. Gregorius Magnus in Romano Concilio, quod Generale Baſileenſis Synodus appellauit, decretùm facit ibidem citatum, ſed plenius in manuſcripto codice ex bibliotheca inſtructiſſima V.C.D. Bigot Rothomagenſis Regij in Curia ſubſidiorum Conſiliarij & Decani, contentum, cuius præcipuam partem hic refero. *Verecundus mos tempore hoc indiſcretionis inoleuit, in huius ſedis Pontificibus, vt ad ſecreta cubilis ſeruitia laici pueri, & ſeculares obſequantur. De qua re in præſenti decreto conſtituo, vt quidam ex Clericis, vel etiam ex Monachis electi, miniſterio cubiculi Pontificalis obſequantur; vt is qui in loco eſt regiminis, habeat teſtes, taleſque viri, eius in ſecreto conuerſationem videant, qui ex viſione ſedula exemplum prouectus ſumant.* In vita S. Sulpitij Pij legimus, petiiſſe Clotarium regem ab Auſtregiſilo Bituricenſi Archepiſcopo, *vt pro ſua, & exercitus ſui ſalute, permitteret virum beatum in ipſius caſtris Abbatis fungi officio.* Is licet neque Monachus fuerit, neque verò Abbas; quia tamen Abbatis vicem ſuppleuit in exercitu, certum & conſtitutum in caſtris munus & officium Abbati fuiſſe demonſtrat.

*curijs Principum.*
Concil. Roma. ſub Gregorio M. anno Mauritii Imper. 15. Citatur in Concil. Baſil. ſeſſ. 23. c. de numero & qualit. Cardinal.
In vita Sulpit. Pij apud Sur. 17. Ianu.

Ex his manifectum eſt, non fuiſſe Occidentalibus Monachis impoſitam perpetuæ ſolitudinis neceſſitatem, habuiſſe etiam inter vrbanos tumultus exercendæ virtutis & pietatis locum; admotas ſemper ad humana negotia ſelectas Monachorum mentes; animo potiùs quàm corpore Monachatum eſſe æſtimatum. *Si enim aliquis corporaliter popularibus turmis prematur, & tamen nullos ſecularium curarum tumultus in corde patiatur, non eſt in vrbe*, inquit Hugo Victorinus. Et ante eum S. Baſilius luculenter. *Qui verè Philoſophus eſt, is cum corpus ſuum curarum ſuarum domicilium, & animi ſedem firmiſſimam habeat, licet caſus illum in forum attulerit, licet in maxima conuentus alicuius celebritate verſetur, licet in monte aliquo, licet in agro, licet in media multitudinis frequentia ſit, ſtabilis tamen in naturali ſuo Monaſterio manet: quippe qui mentem ſuam introrſum ad ſe recollectam habeat, & de rebus ad officium ſuum pertinentibus philoſophetur.*

*Monachi Occidentales ſemper admoti negotijs.*
*Solitudo potiùs animo quàm corpore æſtimanda.*
Hugo Vict. Aur. l. 4. de clauſt. animæ c. 36.
Baſil. Conſtit. Monaſ. c. 6.

---

*MEDIÆ ÆTATIS MONACHI SVB SS. BAſilij & Benedicti regula conſiderati. Ac in primis eorum ordinum libata præſtantia.*

## CAPVT VIII.

AB his initijs ad politiſſimam Monachatus formam facilis fuit gradus, ſub D. Benedicto ingenti religionis ſidere, qui eius occaſum per Occidentem ſolatus eſt. Minor in Oriente intercapedo fuit explenda; vt ad benigniorem, & paulò ciuiliorem ſtatus præſtantiſſimi formam deueniretur. Fuit illud magni Baſilij inuentum, qui, vt olim Socrates, philoſophiam de cœlo deuocauit, & in vrbibus ſingulorumque domicilijs collocauit: ſic Monaſticen ab ſolitudine, ad hominum ſocietatem; ab mera contemplatione, ad actuoſam virtutem; & ſibi, alijſquè impenſa miniſteria reduxit. *Cum enim ſolitaria vita, & ea quæ ſocietate gaudet, vt plurimùm inter ſe diſſiderent, ac pugnarent, neutraque omninò vel commoda, vel incommoda ſua pura & impermixta haberet; præclarè eas inter ſe reconciliauit, ac permiſcuit;* quo poſtea videbimus modo. In duabus igitur hiſce regulis mediam æta-

*S. Baſilius Monachatum perfecit.*
Greg. Nazian. orat. 20. in laud. Baſil.

tem pono: non quod eas velim ſtatim atque viſæ ſunt, vt Mineruam Phidiæ, placuiſſe omnibus, & communi Monachorum aſſenſu Monaſterijs omnibus impoſitas.

*S. Columbani inſtitutum diu viguit.* — Concil. Matiſcon. tom. 1. — Concil. Gall. — Habetur tom. 1. Concil. Gall. pag. 503. — *In Gallia, Prouincia Neuſtria Monaſterijs floret.* — In vita S. Philiberti apud Sur. 20. Aug. — In vita S. Wandreg. apud Sur. 22. Iul. — *Sub S. Audoëno Neuſtria Ægypti Monaſteria æquauit.* — In eius vita apud Sur. 24. Aug.

Longe enim poſt SS Baſilium & Benedictum exortos, alia adhuc viguiſſe lego priuatorum inſtituta Cœnobiorum. Nam celebris S. Columbani ſanctitas & monaſtica diſciplina, pleraque Monaſteria in Inſulis Britannicis, Bobienſe in Italia, Luxonienſe in Gallia conſtruxit. Cuius etiam regula in Concilio Matiſconenſi ſub Clotario Iuniore aduerſus Agreſtini calumnias defenſa & confirmata eſt, anno Chriſtiano 627. & in priuilegio Monaſterio Corbeienſi conceſſo, de quo alias, ea exprimitur conditio, *vt ipſi Monachi ſub regula S. Benedicti, vel S. Columbani conuerſari & viuere debeant.* Et vt de alijs regionibus taceam, in ſola Gallia, Neuſtriam ſpecto prouinciam, & in ea Philibertum video Gemmerici Monaſterij conditorem, legiſſe *ſtudioſè Baſilij præclaras conſtitutiones, Macarij regulam, Benedicti decreta, Columbani inſtituta ſanctiſſima* : & ex ijs omnibus diuinas leges formaſſe, quas ſuis traderet: VVandregiſilum ex eodem S. Columbano in Bobienſi Monaſterio monaſticam diſciplinam didiciſſe: eodemque tempore Adonem S. Audoëni fratrem, Lodarienſe Monaſterium *ad præſcriptum regulæ almi patris Columbani condidiſſe*: Ipſum Audoënum nondum Rothomagenſem Antiſtitem, Raſbacenſe Monaſterium *ſupradicta regula* conſtruxiſſe. Iam verò præſulem multa Cœnobia, eaque ampla & nobilia in propria Diœceſi a fundamentis condidiſſe, multa reſtauraſſe, & pulchris legibus rexiſſe. Quo ſeculo ſanè aureo, *tantus erat in Rothomagenſi Diœceſi* (ait Auctor vitæ) *numerus Cœnobiorum diuerſi ſexus, quæ ad eius inſtitutionem tanquam diuinæ ſationis meſſes quadam ſubitò emicuere, vt & multitudine & religione Ægypti Monaſteria ab Antonio quondam inſtituta æquare videantur.* Dignus ſanè vir qui modò nobiliſſimo in Monaſterio ſua in vrbe colatur, & è cœlo ſucceſſoribus ſuis diuinam caritatem In Religioſos omnes, maximeque in magni VVandregiſili, hominis ſibi virtutis fœdere olim coniunctiſſimi alumnos, auitam pietatem reparantes, inſpiret.

*In Anglia Monachi Scoti.* — *Monachorum Nigrorum appellatio.* — *Ingulphus Abbas in hiſtoria Monaſterij Croilandiæ.* — *Dici non poteſt quo ſeculo cæteri ordines Monaſtici deſierint.* — In capitulari interrogationis. — tom. 2. Concil. Gall.

In inſula Britannia apud Bedam, Scotos & Hibernos lego Monachos, quos cum Benedictinis vixiſſe certum eſt: qui quoniam albis aut griſeis veſtibus induti incedebant, Benedictinæ familiæ Monachorum Nigrorum appellatio donata eſt: cuius rei monumentum habemus in fundatione Monaſterij Croilandiæ, quo fortaſſe vetuſtius nullum eſt, ad eam nuncupationem demonſtrandam. Sic enim Ethebaldus Rex Merciorum, circa annum ſalutis 70… *Trado & concedo omnipotenti Deo, B. Mariæ, & S. Bartholomæo, de dominijs meis ad fundationem Nigrorum Monachorum ſub norma S. Benedicti Deo famulantium, totam inſulam Croilandiæ.* Quo verò ſeculo totus oriens in inſtituta S. Baſilij, occidens in S. Benedicti leges ad eiuſdem Baſilij exemplum compoſitas conſpirauerit, equidem dicere non habeo. Certè longè ante Caroli Magni tempora factum oportuit, cum vir rerum ſacrarum curioſiſſimus inueſtigator, inter ea quæ ab Epiſcopis rogare proponebat, ſcripſerit, *vtrum alij qui Monachi eſſe poſſint, præter eos qui regulam S. Benedicti obſeruant. Inquirendum etiam ſi in Gallia Monachi fuiſſent, priuſquam traditio regulæ S. Benedicti in has Parochias perueniſſet.* Sed hoc admodum ad rem meam non confert, dum meminerimus inter imperij Orientalis hæreſes & ſchiſmata, etiam ſub Turcicæ tyrannidis iugo perennare Baſilij, ſi non medullam, at corticem; ſi non ſpiritum,

ritum, at literam, & neminem Oriente toto, Patriarchatu aut vllo Epiſcopatu dignum videri, imo nec penitus admitti, qui è magni Baſilij diſciplina non prodierit.

In Occidente autem de ordine reliquorum parente, cuius cæteri particulæ tantùm ſunt, de terribili inferis acie Dei viuentis, ſub Benedicti auriflamma ſeculum dæmonemque triumphante, ſilere melius puto, quàm parum loqui. In eo liberalibus diſciplinis imbutos pueros & adoleſcentes loquuntur regulæ: in eius Monaſterijs conſeruatam ferreis ſeculis literarum notitiam clamant Bibliothecæ: in eius ſinu repertos Abbates quindecies mille & ſeptuaginta quatuor doctrina & virtutibus inſignes, qui totidem Abbatijs præficerentur; vt inferiores magiſtratus, & priuatos omittam Monachos, tabulæ ipſæ demonſtrant. Ex eius ſeptis eductos ad Romanam ſedem, numerat Trithemius Pontifices decem & octo: ad ſacram purpuram Cardinales centum octoginta quatuor: ad Archiepiſcopales thronos præſules mille quingentos ſexaginta quatuor; Epiſcopos tria millia quingentos duodecim: ſanctorum numero adſcriptos Monachos omnino quinquies mille quingentos quinquaginta nouem, idque ſolùm ante Concilij Conſtantienſis tempora, vt ſumma cum grati animi ſignificatione teſtatur Eccleſiæ. Ipſas etiam, quod mirum eſt, Ægypti ſolitudines penetrauit Benedictus, & Orienti munus Religionis reſtituit, Abbate Bononio *Monaſteria plurima reparante, per quæ cætus Monachorum diſtribuit, Abbates conſtituit, eoſque ſecundùm à D. Benedicto præſcriptam regulam, vitam religioſè traducere iuſſit*: circa annum reparatæ ſalutis milleſimum, barbarie Romanis infeſtâ Ægyptum opprimente.

*Ordinis Benedictini encomium.*

Trithem. l. 3. de viris illuſtr. c. 4. & 5.

*Benedicti regula viget in Ægypto.*

In vita S. Bononij apud Sur. 30. Aug.

Atque vt prodigioſam Coloſſi ſui magnitudinem nunquam meliùs æſtimarunt Rhodij, quàm cum iacentis oculos & frontem decempeda metiebantur, cum è digitis ingentes conflabant ſtatuas: ſic Benedictinæ familiæ amplitudinem, tum ruina ipſa, tum fruticantes ex ingenti trunco ſtolones prodiderunt. In quibus nobiliſſimi duo in ſolo Gallico, ſanctorum ferace enati, Eccleſiam vniuerſam gratiſſimo diſciplinæ Monaſticæ vigore, magnorumque virorum perpetuo virore opacarunt. Cluniacenſem dico, & Ciſtertienſem ordines: de quorum altero, imo de vno Cluniacenſi Cœnobio ſcripſit quondam Petrus Cellenſis, *Nonne hæc eſt vrbs fortitudinis noſtræ, de qua egrediebantur quondam mille per Epiſcopatus, per Abbatias, per Regum, & principum Curias? nonne luminare hoc magnum tenebras obſcuratæ religionis per diuerſas regiones illuminauit, ordinem reformando, honeſtatem docendo, caritatem infundendo, & cætera pietatis officia renouando? vſque ad ſedem Apoſtolicam nonne gradibus humilitatis aſcendit?* De altero ſcripſit Petrus Venerabilis, Abbas & ipſe Cluniacenſis, *Ordo Ciſtertienſis eſt, quem lacteam fortemque columnam, cui innitatur Monaſtici ordinis ædificio ſumma prouidentia præparauit, & velut rutilum ſidus exemplo verboque non ſolum Monachis, ſed & toti Latinæ Eccleſiæ noſtro tempore inſigniter lucens donauit.* Et maiori auctoritate dixit Benedictus XII. in ampliſſima priuilegij bulla. *Fulgens ſicut ſtella matutina in medio nebulæ, ſacer Ciſtertienſis ordo in Eccleſia militanti, ſtrenuè militat operibus, & exemplis. Hic nempè ordo in diuini cultus miniſterio ſedulus, vt ſibi & alijs proficiat ad ſalutem in ſacræ lectione paginæ ſtudioſus, à mari vſque ad mare palmites ſuos meruit dilatare.* De his familijs plura non addo, neque plures huc familias adduco, quia exemplum quæro, non hiſto-

*Ordines Cluniacenſis & Ciſtertienſis partes Benedictini.*

*Ordo Cluniacenſis.*

Petr. Cellenſis ep. 157.

*Ordo Ciſtertienſis.*

Petr. Venerab. l. 4 ep. 17.

Benedi. 12. Bulla Fulgens ſicut ſtella. anno 1334.

*Aliæ reſtaurationes ordinis Benedictini.*

riam. Et quoniam non tantùm in ramis, ſed etiam in nobili trunco reputagando innouandoque laborauit Eccleſia, ingens illa inſtituti communio, quæ Abbatias omnes, ſub diuerſis licet, & à ſe inuicem non pendentibus Abbatibus vnâ eademque regulâ continet, viam dedit expeditam ſummis Pontificibus, vt qui è Monachis labentem reſtituere diſciplinam cuperent, eos certo ſocietatis fœdere colligarent, in Italia primùm in congregatione S. Iuſtinæ de Padua: tum in Gallia, Monaſterio Caſæ Benedictinæ in Prouincia Bituricenſi, cum aliquot adiunctis primæuum fundatoris ſpiritum reparante. Denique noſtris temporibus, item in Gallia, idem opus heroïcum aggrediente Cõgregatione Cluniacenſi & S. Mauri, cuius modò caput eſt Monaſterium S. Germani Pratenſis in Vrbe, vnde in cætera regni membra viuidum antiquæ Religionis ſuccum, & vitalem, Benedictinæ benedictionis feruorem ſperamus optamuſque deriuari. Interim dum hæc vota ſuccedent, diuina vtriuſque Patriarchæ inſtituta & conſilia videamus.

## *SANCTORVM BASILII ET BENEDICTI leges Monaſtica inuicem comparatæ expanduntur, ducto à Monaſterijs ipſis, & Prælatu initio.*

§. I.

*Extructa duplicis generis loca ad recipiendos Monachos.*

LOCVM ipſum exercitationi Monaſticæ comparatum in primis vt explorem, vtrique Patriarchæ aſceterij formam placuiſſe video, Cœnobia & Cellas: & in his ſolitarios, in illis vitæ ſocietate coniunctos collocaſſe. Nam quod in Geraſimo ſupra videbamus, S. Baſilius feliciter effecit, vt ſolitariam vitam Cœnobiticæ adiungeret, & à plurimorum conſortio eremitas non procul ſummoueret: *pietatis nimirum gymnaſia & Monaſteria erigens, non tamen longo interuallo ab ijs qui in ſodalitio viuunt, remota, nec velut muro quodam interiecto ea diſtinguens, atque à ſe inuicem ſeparans, verùm propè coniungens ac dirimens: vt nec contemplatio communicationis expers eſſet, nec actio contemplatione careret: ſed quemadmodum terra & mare, ita etiam hæ duæ vitæ commoda ſua inter ſe communicantes, ad vnicam Dei gloriam concurrerent.* Ἡσυχαστὰς, ab illa quiete & ſilentio dictos fuiſſe qui cellas incolerent, admonet Nouella Iuſtiniani. Priuari benedictione iubet idem legiſlator Baſilius, ſi quis inuentus fuerit loquens εἰς τὰ κελλία, ἐκτὸς τῶν ἐνοικούντων, ἢ τῶν ἡσυχαστῶν. *In cellis, præter eos qui ibi commorantur, ſeu quieſcentes.* Dicuntur etiamnum in monte ſancto ad Theſſalonicam in cellis viuere Græci eremitæ, qui frigida contenti, cæteros cibos abſtinentiæ quadrageſimali conuenientes in plures menſes comparãt. Quamobrem Conſtitutiones Monaſticas ita partitur, vt priori earum parte ſolitarios iſtos ſuis virtutibus inſtruat, atque inter cætera *Clerum, aut inter fratres principatum appeti* vetet à Monacho. Deinde poſteriorẽ partem ſic inchoat. *Ac de ijs quidem qui ſingulariter & ſeorſim à cæteris pietatem exercent, deque ſolitariam vitam complexis ſuperius dilucidè quantùm potuimus diſputauimus*, &c. Tum ad eos progreditur qui *in ſocietate cum alijs degunt*: quorum inſtituta reliqua oratione ſpectabimus: de eorum autem Cœnobijs agere ſuperfluum arbitror.

Greg. Naz. orat. 20. in laudem Baſilij. Ἵνα μήτε τὸ φιλόσοφον ἀκοινώνητον ᾖ, μήτε τὸ πρακτικὸν ἀφιλόσοφον. Iuſtinian. Nouella 5. & 133. Baſil. in pœnis breuib. a. 33. Conſtit. Monaſt. c. 10. Ibid. c. 19.

*S. Benedictus non inſtituit Anachoretas.*

Ad S. Benedictum quod attinet, puto equidem ex eo potiùs, quàm ab eo poſteriores eremi incolas cum cellis ſuis eductos. Nam licet ipſe primos conuerſionis

uerſionis annos in eremo poſuerit, & Romanum Monachum eremi cultorem in *cella, in Monaſterio ſub Theoduli patris regula* inuenerit: [Greg. l. 2. dialog. in præf.] licet ineunte regula, ſecundum Monachorum genus ex ijs Anachoretis conſtituat, qui *Monaſterij probatione diuturna didicerunt contra diabolum multorum ſolatio iam docti pugnare:* [Bene. Reg. c. 1.] illorum tamen eruditionem & diſciplinam tota regula non perſequitur, ſed potius illis omiſſis, Cœnobitarum; vt expreſsè admonet; *his ergo omiſſis, ad Cœnobitarum fortiſſimum genus diſponendum adiuuante domino veniamus.* Ex eo tamen loco Petrus Damiani manifeſtè ſe colligere ait, *quia doctor almificus de Monaſterio fratrem quemlibet ad eremum conſcendere, non modò prohibuit, verùm inſuper monuit, & docuit: inſuper etiam quibuſdam perſuaſionibus incitauit.* [Petr. Dam. l. 6. ep. 12.] Qui & Eremitis ſuis, ipſius S. Benedicti regulam omnem, non minùs quàm collationes Patrum, & S. Romualdi diſciplinam, quam ſæpe citat, competere profitetur. [Idē Opuſ. 5. c. 18.] Nimirum & ipſe dictus à Tritemio S. Benedicti Monachus, & inter magni illius Ordinis illuſtres viros relatus. [Trite l. 2. de viris illu. c. 95.]

Hanc eremum quàm dignis laudibus exornant Patres, quantopere admirantur & ſuſpiciunt Baſilius Epiſtola parænetica ad Chilonem, ex Monacho Anachoretam Epiſtola 1. ad S. Gregorium Theologum, & ſermone de laudibus eremi: [*Eremitica vitæ laudes ex Patribus.*] Bernardus libro ad Fratres de monte Dei: & Petrus ipſe Damiani cum locis pluribus eximiè, tum eo opuſculo quod *Dominus vobiſcum* inſcripſit: [Petr. Dam. Opuſ. 11. l. Dominus vobiſcum c. 19.] vt omittam totum aliud Opuſculum 15. quo diuinos Eremitarum ſuorum mores graphicè depingit. Neque ſolùm abſolutè ſpectato illi inſtituto panegyricum dicunt viri ſanctiſſimi, verùm etiam collatum cum Cœnobitica vita ſine dubitatione præferunt, S. Baſilio Monaſticæ diſciplinæ rudimenta Cœnobio, [Baſil. ep. ad Chilon.] perfectionem autem Anachoreticæ vitæ aſſignante, vt antea monuimus. Quam opinionem in adamatæ Anachoreſeos gloriam multis explicat effertque Petrus Damiani: neque refugit è Theologica ſeueritate S. Thomas aſſeuerare, iſtiuſmodi Monachis maiorem eſſe, quàm Cœnobitis perfectionem. [S. Thom. 2. 2. q. 188. a 4.] Cardinalis igitur Oſtienſis in Apologia ſua, de admiſſo ad Eremum Monacho *Ad perfectionem*, inquit, *ſummam tendenti, & Monaſterium tranſitus dicitur eſſe, non manſio; non habitatio, ſed hoſpitium; non finis intenſionis, ſed quædam quies itineris.* Et poſt aliqua. *Porro autem cum ipſa Cœnobitarum regula perfectionem ſe non habere perhibeat, ſed volentem perfici ad Eremi inſtituta patenter tranſmittat, cur nos ad perfectionis arcem & ipſi conſcendere floccipendemus?* [Petr. Dam. l. 6. ep. 12.] Et iterum. *Fratres itaque in Monaſterio immobiliter permanentes tolerandi ſunt: ad Eremum verò feruido ſpiritu tranſmigrantes plauſibus ac præconijs efferendi.* Quibus paria non ſemel apud nobiliſſimum iſtum auctorem leges: hic autem locus à me ſelectus eſt, quoniam eo Petrus abutitur Aurelius, ad ſtatus Religioſi contemptum quem affectat. [*Explicatur locus ille aduerſus Aurelium* in vindic. p. 674.] Ignarus primùm *arcem perfectionis*, in vna ſaltem Monachatus ſpecie conſtitui, cuius gloria ſtatum vniuerſum peruadit: deinde hoc ipſo laudari ex æquo Monachatum, ab eo qui ſtatum eſſe acquirendæ perfectionis fateatur, licet in ipſo ſummam reperiri neget. Præterea comparationem à Cardinale inter Cœnobitas & Eremitas, duo meri Monachatus genera inſtitui, non inter Eremitas & Mendicantes, id eſt, eos qui ſibi tantùm & contemplationi, atque alios qui proximo & actioni ſe impendunt; quos cum hoc loco ſubſannare velit Aurelius, dicto B. Damiani iure legitimo vti non poteſt.

Quod ſi tanto dignitatis auctoritatiſque loco apud ſe vult eſſe diſcipulum
Aurelius, Magiſtrum ipſum ſibi patietur opponi, qui ab eremo ad Cœno-
bium tranſijt, & omiſſis Anachoretis *fortiſſimum Cœnobitarum genus diſpoſuit*,
Turrecr. in eum locū. hac nuncupatione ſatis laudatum, quia ait Ioannes à Turrecremata, *vita
Cœnobitica habet plurimùm fortitudinis, ſecuritatis, & conſolationis.*

*Prælati Eremitarum, Priores.* Iam Monaſteria hæc eremitica (vt eorum hiſtoriam ſemel abſoluamus) à
ſingulis Præpoſitis regebantur, quos Priores appellabant: qui omnes vni cui-
dam Abbati, ſeu Priori, tanquam Generali parebant. Priorum crebra in Pe-
Petr. Dam. opuſc. 15. c. 26. tro Damiani mentio, *Diſcretionem*, inquit, *debilium in Prioris arbitrio ponimus.
De Conuerſis quoque quantùm ieiunent, eiuſdem Prioris prouideat diligentia. Quæcunque*
Ibid. c. 18 *à Priore mandantur, ita patienter, & humiliter ſunt ſeruanda, ac ſi fuerint diuinitus*
Ibid. l. 6. ep. 12. *imperata.* S. Benedictus in Regula *Abbatem Monaſterij, non Priorem alloquitur*
*Abbas, ſiue Prior Generalis.* *Eremi.* Supremum quoque Abbatem, ſiue Priorem, & quidem illum ipſum
qui Eremo Fontis Auellani, tanquam Ordinis totius fonti & capiti præſide-
Ioan. Monach. in vita, Petr. Dam. c. 4. &c. bat, memorat non vno loco eius ipſius vita, per Ioannem Monachum illius
diſcipulum ſcripta; cui cum ſucceſſiſſet in magiſtratu vir ſanctus, multa per
Italiam conſtruxit Monaſteria, eaque pro poteſtate gubernauit. Neque du-
bito quin pro ingenita ſanctitatis ſeueritate, multa priorum decretis addi-
Ibid. c. 7. derit, cum admirabiles Eremitarum Fontis Auellani mores ad exemplum
Opuſc. 14. poſteritatis deſcripſit. Certè ad vnius curam ſpectaſſe loca omnia ſolitaria
illius inſtituti, conceptis ipſe verbis teſtatur in decreto quodam, in mortis vi-
l. 6. ep. 39. cinia perlato. *Noſtis dilectiſſimi, quia loca iſta nobis commiſſa, me viuente quaſi
vnum ſunt: & res quæcunque neceſſaria hinc ad vos indifferenter tranſeunt; à vobis
etiam huc, prout fraterna exigit vnanimitas, proferuntur.* Quem tamen morem ſe
*Prioratuum origo.* mortuo, propter periculum vitioſæ proprietatis non cupit obſeruari. Equi-
Hugo Menard. in Concord. Regul. c. 29. § 8. dem cum hæc conſidero, cauſis illis omnibus ab Hugone Menardo allatis,
quæ Benedictini ordinis Prioratibus originem dederunt, hanc præterea poſſe
adijci exiſtimo, vt cum Monachi non pauci arctioris ſolitudinis, & fortaſſe
vitæ appetentes (*defluente* præſertim *maxima ex parte Monaſtico ordine*, vt notat
Petr. Dam. Opuſc. 14. cit. Petrus Damiani) in agris procul ab vrbium frequentia, volentibus Abbati-
bus, in aliqua Monaſterij poſſeſſione religioſam eremum conſtruxerint, ibi-
que diu ſub Priorum cura Deo famulati ſint, reſederit etiam vis illa tempo-
rum lapſu, & ad eam quam videmus ruinam conciderint Prioratus.

Quanquam ingenuè fateor non videri mihi magno Ordini omni ex par-
*Vita Eremitica non eſt omnino conformis ordini S. Benedicti.* te conſentaneam hanc Eremum, illamque præter nobilis legiſlatoris men-
tem aſſumptam: quod cum eius prima diuiſio propoſitumque demonſtrat,
ſe omiſſis Anachoretis, de Cœnobitarum genere dicturum: tum maximè pro-
*Votum ſtabilitatis.* feſſionis formula, quo *ſtabilitatem* voueri vult à monacho: ſtabilitatem in-
quam *in Congregatione* vt alicubi loquitur, ſiue in vita Cœnobitica, quæ
Hugo Menard. in Concord. Regul. c. 65 § 1. *ſtatum Eremiticum excludit: qui quidem Monaſticus eſt, non tamen Cœnobialis*, inquit
Hugo Menardus. Addit quidem hic ipſe doctus & religioſus ſcriptor, Mona-
chum Cœnobitam ſaluo voto ad ſolitudinem, & vitam perfectiorem poſſe
Turrec. in c. 58. Reg. S Bened. tr. 187. traduci: & Turrecremata votum ſtabilitatis interpretatur vniuersè *de mona-
chatu nullo modo deſerendo*, vt videlicet *Monaſterij conuerſatio*, inquit noſter Pe-
Petr. Dam. l. 6. ep. 12. trus Damiani, *non aliud quàm eremi ſit præparatio, & altiori propoſito totus mittet,
ad quod ſe prius in Monaſterio conſtitutus exercet.* Hæc ego cum agnoſcam, dico
tamen permitti à Prælatis ordinis, non imperari, illamque μοβιζίαν, ſi non cō-
tra,

tra, certe præter legi
detur diligentius peru
mundi, qui cum elec
regrinationem a tar
batur. Illam enim p
*here conſcientiam*; præ
litati contrariam, i
non foret ſimplex
præſertim ſi ordin
Henricum laudat v
*reuerſus ex itinere, int*
ergo Abbatem ſect
ſe probat Ciſtertio
*etſi corpus abſentauit*
*ibidem præſentem* le
igitur Arnoldus
puta apud Clunia
Quare vitam ſuſp
*rum ſe dignos fructus p*
*viueret*. Quæ quonia
ro, ſi non etiam inuit
nachorum ſimplicita
nat, & omni ope imp

His de mediæ ætat
ſideratis, ad Cœnobi
culer, S. Baſilium au
ſimilitudinem dirig
*cet regendæ totius ſocie*
*bet, aut improbet, &*
*item qui aurium ac ma*
*niat. Quæ in re ſinguli*
*gant*. Ab illis igitur
Monaſterijs vult eſ
poſſint, vt diſcordia
rea reperti tales fuer
*remanſerint vnius con*
*popularis ſtatus familia*
*tas imminuatur*. Eod
ſterij curam & ad
vult eſſe. Præpoſit
ritu afflati, exiſtim
ab eius nutu arbitri
ſterium in Decani
præfici, *vt dum or*
Extat & Concilij C
in vno Monaſterio

cribens S. Baſilius, vult *in ſingulis ordinibus aliquos eſſe, qui illos poſsint imitari de quibus eſt in Actis, ſolitos eos fuiſſe ſingulis diſtribuere, prout vnicuique opus erat.* Quibus & grauioris delicti conſcientiam iniicit, ſi quid neceſſarium fratri donare neglexerint: *perſpicuum eſt*, inquit, *hoc iudicium ex verbis Domini, cum dixit, diſcedite à me maledicti in ignem æternum.* S. Benedictus Cellerarium ſeu Cellerarium Monaſterij iubet eligi *ſapientem, maturis moribus, ſobrium, timentem Deum, qui omni congregationi ſit ſicut Pater: curam gerat de omnibus.* Iſque non minùs quàm Præpoſitus ac Decanus, vetatur *de miniſterio remoueri, niſi cauſa vtilitatis aut neceſsitatis.*

Baſil. Reg. fuſ. reſ. 34. Idem Reg. breuior. c. 150. Cellerarius. Bene Reg. c. 31. Concil. Aquiſgra. cit. c. 56.

## *DE PERSONIS IN MONASTERIUM admiſsis.*

### §. II.

HIs ſuperioribus ſubiectæ ſunt perſonæ, quæ duplici in differentia Monaſterium ineunt, Pueri, & Grandiores. Pueros ab Cœnobio reiiciendos negat S. Baſilius, cum dixerit Chriſtus, *Sinite paruulos venire ad me, & Apoſtolus eum laudet, qui ab infantia ſacras literas didiciſſet.* Eam ob rem eos doceri literas præcipit, *& loco fabularum, hiſtorias ipſis rerum mirabiliter à Deo geſtarum denarrari: proponi quoque præmia memoriæ cum rerum, tum etiam verborum.* Præcipit alibi & quo modo corrigantur, ſi quid peccauerint. S. Benedictus pueros admitti permittit, ea etiam ætate, in qua parẽtes ipſorum neceſſe ſit petitionem facere. De qua præcipitur in ſæpè citato Conuentu Aquiſgranenſi, *vt puerum pater aut mater tempore oblationis offerant altari, & petitionem pro eo coram laïcis teſtibus faciant, quam tempore intelligibili ipſe puer confirmet.* In qua ſi quando peccarint, *minùs intelligere poſsint quanta pœna ſit excommunicationis:* quare oportet eos tunc *aut ieiunijs nimijs affligi, aut acribus verberibus coërceri vt ſanentur.* Quamobrem cogitur Petr. Venerabilis apud Clunianenſes ſuos ſtatuere *vt nullus regularibus ante viginti annos veſtibus induatur. Cuius inſtituti cauſa fuit immatura, nimiſque celer infantum ſuſceptio, qui antequam aliquid rationabilis intelligentiæ habere poſſent, ſacræ Religionis veſtibus induebantur, & admixti alijs, puerilibus ineptijs omnes perturbabant.* Eos literis inſtitutos fuiſſe in Monaſterio, etſi S. Benedicti regula non exprimat, res tamen ipſa docet, & decretum Cõuentus Aquiſgranenſis, *vt ſchola in Monaſterio non habeatur, niſi eorum qui oblati ſunt.* Idem qui antea Petrus Cluniacenſis *paruorum ſcholarium*, meminit, *vt more conuentus ſedere permittantur, neque in refectorio iuxta morem antiquum comedentes ſtare compellantur.*

Pueri admiſsi. Baſil. Reg. fuſ. reſp. 51. Edocti literas. Ibid. reſp. 53. Bene. Reg. c. 59. Conuent. Aquiſgra. cit. c. 36. Bene. Reg. c. 30. Petr. Vene. in ſtatut. Cluniac. c. 36. Conuent. Aquiſgra. cit. c. Pet. Vene. cit. c. 56.

Ætate autem maturiores diligenter explorari iubet S. Baſilius, antequam admittantur: exemplo Chriſti qui accedentem ad ſe adoleſcentem percontatus eſt de vita ſuperiore: & progreſſis quidem in virtute, perfectioni conſentanea præcepta inſpirari; vitioſis autem moribus corruptos, ſi minùs conſtantes in propoſito eſſe videbuntur, excludi: ſi fixum deliberatumque habent Deum ſequi, eiuſque cauſa ad infima quæque ſe demittere, tum demum poſt longa experimenta in domum induci. S. Benedictus *nouiter venienti ad conuerſionem facilẽ dari ingreſſum prohibet, ſed ſicut ait Apoſtolus, probate ſpiritus, ſi ex Deo ſunt.* Quare præcipitur in Conuentu Aquiſgranenſi, vt nouitius ante ingreſſum *in cella hoſpitum, probationis cauſa, hoſpitibus ſeruiat paucis diebus.* Sacerdotes &

Ætate maturi diligenter explorati. Baſil. Reg. fuſ. reſ. 10. Bene. Reg. c. 58. Conuent. Aquiſ. cit. c. 34.

Clericos non niſi explorata eorum humilitate & obedientia recipi iubet. Venientes aliunde Monachos non ſatis modeſtos & temperantes ad ſua remitti.

*Seruos non admitti S. Baſilius.* Reg. fuſ. c.11.

De ſeruis præcipere non negligit S. Baſilius, *ut admoniti & meliores effecti remittantur ad Dominos*, exemplo Apoſtoli, poſtquam is Oneſimum per Euangelium genuiſſet. Certum eſt enim abſque dominorum licentia, nunquam admitti potuiſſe. De illis agere noluit S. Benedictus; ſed nonnihil decernit S. Benedicti panegyriſtes S. Gregorius, ſaltem de ijs qui erant in Eccleſiæ peculio, eo Concilio quod M S. antea citauimus. *Multos ex Eccleſiaſtica familia nouimus ad omnipotentis Dei ſeruitium feſtinare, ut ab humana ſeruitute liberi in diuino ſeruitio valeant in Monaſterijs conuerſari. Quos ſi paſſim dimittimus, omnibus fugiendi Eccleſiaſtici iuris dominium occaſionem præbemus. Sin verò feſtinantes ad omnipotentis Dei ſeruitium incautè retinemus, illi inuenimur negare quædam, qui dedit omnia. Unde neceſſe eſt, ut quiſquis ex iuru Eccleſiaſtici ſeruitute, ad Dei ſeruitium conuerti deſiderat, probetur prius in laïco habitu conſtitutus; & ſi mores illius atque conuerſio bono deſiderio illius teſtimonium ferunt, abſque vlla retractatione, ſeruire in Monaſterio omnipotenti Domino permittatur, & ab humano ſeruitio liber recedat; qui diuini obſequij diſtrictam ſubire appetie ſeruitutem.* Iuber regula Fructuoſi, vt in Monaſterium ſerui non admittantur, *niſi libertatem à proprio domino præ manibus attulerint præſentandam.* Denique Carolus Magnus in capitulari ſuo edicit vt Canonici vel Monachi, *bona ſua conuerſatione multos attrahant ad ſeruitium Dei, & non ſolùm ſeruilis conditionis infantes, ſed etiam ingenuorum filios aggregent, ſibique ſocient; & vt ſchola legentium puerorum fiant, Pſalmos, notas, cantus, compotum, grammaticam per ſingula Monaſteria, vel Epiſcopia diſcant: ſed & libros Catholicos benè emendatos habeant.* Præter hæc Mauritius Imperator cum legem tuliſſet, ne militiæ vel rationibus publicis obligati, ad Eccleſiaſticum ſtatum admitterentur, de ea Epiſcopos commonefaciens, ita decernit idem S. Gregorius. *Quòd ſi etiam tales quoque Monaſterium petunt, ſuſcipiendi nullo modo ſunt, niſi prius rationibus publicis abſoluti fuerint. Si qui verò ex militaribus numeris in Monaſterijs conuerti feſtinant, non ſunt temerè ſuſcipiendi, niſi eorum vita fuerit ſubtiliter inquiſita. Et iuxta normam regularem debent in ſuo habitu per triennium probari, & tunc Monachicum habitum Deo auctore ſuſcipere.* His denique non addo illos antiquitus, qui pœnitentiæ cauſa, criminum publicorum rei, ſuadentibus præſulibus, aut affectati imperij, cogentibus principibus, ſecuritatis politicæ ergo Monaſterijs deputabantur: eiuſmodi enim attonſos & incluſos, vitam Monaſticam non ideo profeſſos eſſe, hoc in opere Petro Aurelio probabimus.

S. Gregorius permittit admitti. in Concil. Rom. an. Mauric. 13. can. 6.

Reg. Fructuoſi c. 4. in Conco. Regul. cit. 6, § 14.

Capitul. Carol. Magni. c. 72.

*Rationibus publicis obligati non admiſſi.* Greg. l. 7. ep. 11. indict. 1.

*Milites diu probati.*

*Ex his refellitur inſignis Petri Aurelij calumnia in ſtatum Religioſum.* In vindic. p. 678. Ibi. p. 666.

Interea hæc omnia tam curioſè perueſtigata, ne otioſa putet Lector, in aduerſarios cogitationem reflectere cupio, & in primis ipſum Petrum Aurelium audire pronunciantem, *Monaſticum ſtatum nullis magis conuenire quàm lapſis, & facinoroſis; quibus ideo à patribus ſæpiſſimè pœna loco imponitur.* Et alibi *regularem ſtatum non innocentiæ, ſed pœnitentiæ ſtatum eſſe, vt ſancti Patres docuerunt.* Quam calumniam dum alibi commodiore loco, aſperiore peniculo abſtergam, eius interim vanitatem æſtimabit lector, ex diligenti admittendorum examine, ex pueritia, & penè infantia in Monaſterio poſita, & alijs quæ facilè deducet è dictis. Deinde Concilij Toletani quarti decretum expendere volo ad veritatis libellam, non ad contrarios Religioſis animos. *Monachum aut paterna deuotio, aut propria profeſſio facit.* Ex quo deducere ſe fingunt aliqui, veteribus Religioſis nulla fuiſſe in vſu vota, cum ſtatus Monaſticus ex aliena deuotione

*Explicatur decretum* Concil. Tolet. 4. c. 48.

deuotione pendeat. Verum id intelligent, paternam deuotionem pro pueris Deo in Monaſterio oblatis; propriam profeſſionem pro grandioribus, qui ſponte, & voluntatis ſuæ domini ſtatum ineunt, eſſe à Concilio nominatam, cum neutra profeſſionem, ſiue votorum nuncupationem excludat. Nam ſi dixero, ex pagano fieri Chriſtianum, aut paterna deuotione, aut propria profeſſione, ideo-ne ſactos Baptiſmi latices ab illo capite remouebo?

## DE NUTRITIS ET CONUERSIS *in Monaſterio.*

### §. III.

POSTREMO fluctuantem Franciſcum Halliet, & de conuerſione dubitantem, inſtruere volo & confirmare. Nam quia legit in Gratiano dictum S. Hieronymi, *Unum genus Chriſtianorum eſt mancipatum diuino officio, vt ſunt Clerici & Deo deuoti, videlicet conuerſi*: verſat ipſe ſe, & vexat in hoc interpretando nomine, & per conuerſos, Clerici, an Monachi intelligantur, addubitat. Eam rem à principio ſuo ediſſeram, & ex Ioannis Fileſaci doctrina dicam, ſi res vniuerſe ſpectetur, conuerſionem nihil aliud eſſe, quàm à vita ſeculari & ſoluta, ad ſtrictiorem Dei cultum traductionem. Species ſub ſe tres complectitur. 1. Eorum eſt qui ſolam caſtitatem, & quidem in ſeculo profitentur: ad quam pertinent plures mulieres, inde deuotæ appellatæ. Ea quondam in coniugatis priùs requiſita, quàm ad ſacros ordines admitterentur. Sic ordinari vetantur, *Diacones coniugati, niſi qui priùs conuerſionis propoſito profeßi fuerint caſtitatem.* De iiſdem Agathenſe Concilium: *Sanè ſi coniugati iuuenes conſenſerint ordinari, etiam vxorum voluntas ita requirenda eſt, vt ſequeſtrato manſionis cubiculo, religione præmiſſa*, (id eſt, vt ego interpretor, voto caſtitatis emiſſo: adeò cum votis coniuncta religio eſt) *poſteaquam pariter conuerſi fuerint, ordinentur.* Quod in iis aliquo etiam modo flagirat S. Baſilius, qui ex coniugio ad Monaſticen aſpirant. Inde Conuerſa vxor Clerici caſtitatem profeſſa, in Arelatenſi. Viduas etiam, & puellas in Monaſterio, in domibus propriis conuerſas nobis offert Aurelianenſe. *Quæ ſi deinceps ſacra relinquentes loca, propoſitum ſanctum ſeculi ambitione tranſcenderint: vel illæ quæ in domibus propriis, tam puellæ quàm viduæ commutatis veſtibus conuertuntur, cum his quibus coniugio copulantur Eccleſiæ communione priuentur.* Tales fuerunt olim fortaſſe ſancti Franciſci Terriariæ, antequam à Leone X. in Religioſum ſtatum formarentur. Eiuſmodi deuotas, ſanctiones noſtræ à confeſſariis regi vetant, dum *particularium perſonarum, præſertim fœminarum curam ſuſcipi, admitti obedientiam, certum veſtimenti genus, hunc aut illum habitum vel colorem præſcribi* prohibent.

Hieron. ad quendam leuit. refert. 12. q. 1. c. duo ſunt.
Halliet in vindic. p. 404.
Ioan. Fileſ. l. 1. ſelect. c. 10.
*Conuerſio quid, & quotuplex.*
*Coniugati conuerſi.*
Concil. Arauſic. 1. can. 22.
Concil. Agath. can. 16.
Baſil. Reg. fuſ. c. 12.
Concil. Arelat. 2. can. 3.
Concil. Aurel. 5. can. 19.
Reg. Sacc. §. 19. & 25.

Altera ſpecies eorum eſt qui ad clericatum conuertuntur, ſiue poſt conuerſionem Clerici ordinantur. Inde vetitum in Cabilonenſi Concilio *ne ſeculares, qui nondum ſunt ad Clericatum conuerſi, res Parochiarum debeant habere commiſſas.* Et in Arelatenſi quarto decernitur, ne *Pontifices Presbyterij vel Diaconatus honorem conferre præſumant laicis, niſi anno integro fuerit ab eis præmiſſa conuerſio.*

*Conuerſi ad Clericatũ.*
Concil. Cabilon. can 5.
Con. Arel. can. 2.

Tertia ſpecies, quæ celeberrima, eorum qui conuertuntur in Monaſterio id eſt, à ſeculari vita tranſeunt ad Monaſticam. Ita S. Gregorius ante lauda-

*Conuerſi in Monaſterio.*

Greg. l. 7. ep. 11. indict. 1.
Bene. Reg. c. 53.

tus, *ne militia vel rationibus publicis obligati ad Eccleſiaſticum habitum veniant, vel in Monaſterijs conuertantur. Si qui verò ex militaribus numeris in Monaſterijs conuerti feſtinant*, &c. S. quoque Benedictus in regula *Conuerſionis* vocabulum frequenter, & ſignanter vſurpat: vt cum ait *nouiter venientem ad conuerſionem* facilè admitti non debere; & in profeſſione iubet promitti *Conuerſionem morum ſuorum.* Apud quem notandum id mihi videtur, vocem illam non vſurpari, cum de Sacerdotum & Clericorum ſuſceptione agit, vt oſtendat propriè illum conuerſum dici, qui immediatè à ſeculo ad Monaſterium tranſeat. Horum mentionem facit Aurelianenſis canon, *Monachus in Monaſterio conuerſus.* Et de ijs præcipit Turonenſis *Si qui in Monaſterio conuerſi ſunt, aut conuerti voluerint, nullatenus exinde habeant licentiam euagandi.*

Ibid. c. 60.
Concil. Aurelia. 1. can. 21.
Concil. Turon. 2. can. 15.

*Nutriti & Conuerſi in Monaſterijs.*

Iam verò teſtatur ſanctus Anſelmus ex duplici hominum genere, Monachorum ordinem (idem puta de Clericatu, ſiquidem alicubi lego, nutritos apud ſanctum Petrum) congregari, Conuerſis & Nutritis. Conuerſorum explicata eſt nuncupatio; Nutritorum aperta; eorum videlicet qui à prima pueritia in Monaſterium immiſſi ſeculum non tam reliquerunt, quàm ignorarunt: pueros, & grandiores ſuperius diximus; illos perpetua vitæ innocentia ſpectabiles; hos è mundanis honoribus, & ſecularibus negotijs vſu prudentiaque maturos, ad rerum gubernacula ſtatim admotos, qui Nutritis nonnunquam adeo imporenter imperarunt, vt conqueratur Petrus Venerabilis, morem fuiſſe ſuo tempore *vt nullus ſcholarium puerorum* (id eſt eorum qui pueri literas in Monaſterio didiciſſent) *aliquo vnquam tempore aut hebdomadarius maioris Miſſæ, aut Prior, aut Cuſtos ordinis, aut circa fieret, aut quodlibet dignitatis Monaſticæ priuilegium obtineret*: contra vero ipſe ſtatuat, *ne parui ſcholares, ſi boni fuerint, procedente tempore, aliquid de aliorum dignitate amitteant.* Quæ res dubiam eſſe non relinquit eam de perfectione perquam imperfectam contentionem inter Nutritos & Conuerſos ab S. Anſelmo deſcriptam, de qua ſic ipſe. *Alij alijs ſe præferunt, dum non ſuam, ſed aliorum infirmitatem attendunt; ſed ſi verè Monachi eſſent, ſic eſſet inter eos, quomodo inter Angelos in Cælis, & homines ſanctos: Angeli enim ſunt quaſi Nutriti, ſancti verò homines quaſi Conuerſi.* Digna ſanè Anſelmo, id eſt Archiepiſcopo, & Abbate, Clericorum & Monachorum patre comparatio: quid poſtea? *Sed nec Angeli ſanctos, nec ſancti Angelos deſpiciunt: ſed ita exiſtunt concordes, ac ſi omnes eſſent Angeli, vel homines. Sic ergo ſint iſti, ac ſi Nutriti ſint omnes, aut Conuerſi.* Iucundus eſt & Hugo Victorinus dum in Chriſti velut ordine & clauſtro Apoſtolos Nutritis, Diſcipulos Conuerſis æquiparat.

*Conuerſi Nutritos opprimunt.*
Petr. Vene. in ſtatut. Cluniac. c. 66.
*Contendunt inuicem de perfectione*
Anſelm. l. Similitud. c. 78.
Hugo de S. Vict. l. 4. de clauſtro animæ. c. 43.

*Fratres Conuerſi in Monaſterijs, & eorum commendatio*

Non fruſtra huius vocis occaſione, addemus in nonnullis Monaſterijs, fratres laïcos appellari Conuerſos, qui quoniam è ſeculo matura iam ætate adueniunt, & nullam vnquam literis operam nauarunt, rei familiaris adminiſtrandæ non imperiti, illi præficiuntur. Quorum aperta forma eſt in Diaconorum inſtirutione, nolentibus Apoſtolis *derelinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis.* Quo etiam ex facto illius miniſterij ſanctitatem cognoſcimus; ad quod ordo ſacer, & quidem inter auguſtiores in Eccleſia conſtitutus eſt. Nam ſi templo, quia domus Dei eſt, nulli deſeruire debent miniſtri, niſi *præſanctificati & præſacrati*, vt fuſiùs docet Guillelmus Pariſienſis, nulla vaſa eſſe vſui, niſi aliqua ſanctificatione præparata: ſi ad eorum cuſtodiam oſtiarij, ad cereos accendendos præferendoſque Acolythi ſanctificari debent: ſi poſ-

Act. c. 6.
Guil. Pari. l. de ſacra.

ſeſſiones

ſeſſiones Eccleſiæ adminiſtrare licet Epiſcopo, & iudicio etiam, ſi opus fuerit, repetere, qui tamen ſecularibus negotijs iubetur abſtinere, quoniam illa ſecularia non ſunt, ſed res Eccleſiæ, & patrimonium pauperum, & pretia peccatorum: nonne ſimili iure aliquos ordinare debuit Eccleſia, qui bona Monaſterijs conceſſa curarent, qui domeſticos Dei pauperes paſcerent, qui in cœleſtium rerum contemplationem intentos labore manuum ſubleuarent? Ordinat autem cum Religiones inſtituit & approbat, in quibus graduum illorum diſtinctio, & miniſteriorum varietas neceſſaria eſt. Ea fuit iam olim Lincolinenſis Epiſcopi apud Thomam VValdenſem expreſſa ſententia, de ijs fratribus in ordinibus Mendicantium, qui oſtiatim colligendis eleemoſynis operam fidelem nauant Conuentui. *Clauſtralis, qui pro neceſſitate fratrum, corpore clauſtrum egreditur, animo & voluntate in clauſtro degens, æterna meditans cum Maria, & tranſitoria miniſtrans cum Martha; talis eſt in Hierarchia humana, quales ſunt Angeli per contemplationem Deo ſemper aſſiſtentes, & ſimul per officia ſibi deputata nobis miniſtrantes in Hierarchia Angelica.* Sic Sanctus Antiſtes, ſacroſanctus Doctor, vt appellatur à VValdenſi, qui & ea verba explicans aduerſus VVicleffi calumnias, ſubdit, *Sic ergo egredientes non deſcribit Lincolnienſis cadauera mortua, ſed ſanctos homines pares Angelis, & in actibus Hierarchicis non difformes.* Cur illa miniſteria vocat actus Hierarchicos? niſi quia ad illud humilitatis & mortificationis Chriſtianæ exercitium, Religioſus Mendicantium ſtatus ab Hierarchis Eccleſiæ conſtitutus & ſacratus eſt, ad quorum corpus pertinent membra illa, talem actum habentia, vt voce Apoſtoli vtar?

Lincolin. Epiſcop. apud Waldenſ. tom. 1. l. 4. a. 2. c. 20.

*Fratres conuerſi qui corrogant eleemoſynam, ſunt in Hierarchia ſimiles Angelis.*

Fateor equidem illud Nutritorum à Conuerſis diſcrimen, & eam Conuerſorum occupationem in Baſilij, & Benedicti regulis, quas modo renemus, non eſſe ſatis apertam, cum ex æquo omnes ad manuum laborem applicentur; cum apud Benedictum *fratres ſic ſibi inuicem ſeruire* iubeantur, *vt nullus excuſetur à coquinæ officio*; cum etiam Prælatis, fratrum obſequium iniungatur. Etheluoldus certè apud Anglos ſub Abbatis Dunſtani præfectura Decanus Monaſterij, legitur *tanta humilitatis & ſubiectionis de ſe præbuiſſe exempla, vt quotidiano manuum opere hortum coleret, & fratribus ad prandium poma ac diuerſi generis legumina præpararet.* Quo iniquior videtur eſſe Nicolai le Maiſtre contemptus in illos fratres rei domeſticæ curatores, quos ab Hierarchia ob veſtes & officia excludit, non ſine ſannis, & dicterijs. *Nam ſi ita eſſet*, inquit, *vel infulcißimis eorum qui regularibus famulantur, quique veſtium breuitate, tanquam diſcrimine quodam à cæteris diſcreti rem domeſticam, ollariam, patellariam tractant, aut ianuis aſſiſtunt, Hierarchicos agere liceret, & in Eccleſiæ Concilijs ferendi ſuffragij iure gloriari.* Quaſi non eadem penè de Diaconis dici poſſint: quaſi tota Hierarchiæ vis in Concilijs Generalibus poſita ſit, & qui ſunt de Hierarchia, omnes in ijs ſuffragij ius obtineant. Denique modeſtiam & amorem in Regulares profeſſum, ſilli & ſcommata dedecent, in eos, quos docti, & ſancti Antiſtites cum Angelis in Hierarchia conferunt. Sed hæc ſatis: à perſonis ad opera tranſeo.

*Hoc diſcrimen abeſt à Baſilij & Benedicti regula.*

Baſil. Reg. fuſ. tal. 38. & 51.

Bene. Reg. c. 48.

Ibid. c. 35 & 53.

In vita Etheluoldi apud Sur. 1. Aug.

Nicol. le Maiſtre deridet fratres Laïcos Religioſos l. de Inſta. Epiſcop. princip. in Analyſi p. 2. c. 6. pag. 119.

## *VOTORVM RELIGIOSORVM ACCVrata conſideratio.*

§. IIII.

[*Obedientia perfecta.*] OMNES illæ perſonæ, ſub illis Antiſtibus diſpoſitæ, votis primùm Religioſis vinctæ ſunt. Obedientiam loquuntur ſuperiorum imperia, ordinationes, pœnæ peccantibus impoſitæ. [*Baſil. Conſtit. Mon c. 18.*] Diuinè S. Baſilius *poteſtatem ſui ipſius, ne ad punctum quidem temporis habere Monachus debet, per quam in priuatis ipſe negotijs ſuis verſetur.* Idque oſtendit inſtrumenri & membri comparatione, quæ ſine attifice & anima moueri non poſſunt: planè vt nihil aliud Religioſum, quàm ſuperioris ſui inſtrumentum; nihil aliud ſuperiorem, quàm Religioſi animam eiſe velit. [*Idem Ser. de abdicat. rerum.*] Eodem ſenſu alibi ſcribit. *Quicquid magiſtro inſciente facis, id furtum ac ſacrilegium eſt, tibique exitium, non autem vtilitatem vllam apportat, eſto tu id bonum iudices.* Explicabit Nicolaus le Maiſtre, in quo *ſacrilegium* poſitum ſit, ſi *Religioſa non fuit obedientia, ſed œconomica, & domeſtica.*

[*Monachus ſuperiori obtemperat vt Abraham Deo.*] Iterum diuinus totus eſt hac in parte Baſilius, vbi Monachum iubet Antiſti obtemperare, vt Abrahamum Deo, *qui cunctis mortalibus fidei obedientiæque veluti columna quædam erectus eſt.* Vt Apoſtolos Chriſto, ad lapidationes, ad contumelias, ad cruces: [*Baſil. Conſtit. Mon. c. 23.*] *ſiquidem Chriſtus Diſcipulos in hoc elegit, qui hoc vitæ inſtitutum æmularentur, vt per eos formam relinqueret eamdem ſecuturæ poſteritati.* Vt martyres fidei, [*Vt Apoſtoli Chriſto.*] *animi firmitate tanta, vt ad mortem vſque Martyrum conſtantiam præ ſe ferat, cum diuinis præceptis retinendis, cum obedientia aduersùs magiſtros ſuos conſeruanda.* [*Vt Martyres fidei.*] S. Benedictus præterquam quod inter *inſtrumenta artis ſpiritualis* reponit *obedientiam præceptis Abbatis, etiamſi ipſe (quod abſit) aliter agat.* [*Ibid. c. 20.*] Statim eamdem vberiùs explicat, & *obedientiam ſine mora* ijs conuenire ait qui [*Bene. Reg. c. 4*] *relinquentes ſtatim quæ ſua ſunt, & voluntatem propriam deſerentes, mox ex occupatis* [*Ibid. c. 5.*] *manibus & quod agebant, imperfectum relinquentes, vicino obedientiæ pede iubentis vocem factis ſequuntur: & veluti vno momento prædicta magiſtri iuſsio, & perfecta diſcipuli opera, in velocitate timoris Dei, ambæ res citius explicantur.*

[*Ibid. c. 58.*] Hoc eſt votum obedientiæ, quod cum *ſtabilitate ſua*, videlicet *in congregatione*, non autem in vna tantùm domo, exprimit Monachus in profeſſione. [*Votum ſtabilitatis.*] Sic explicatum à nobis ſuperiùs eſt votum ſtabilitatis, licet D. Bernardus loci non congregationis, & vitæ cœnobiticæ ſtabilitatem intelligere videatur. [*Bern. ep. 7.*] *Duo præcipua nobis in Monaſterijs conuerſantibus obſeruanda traduntur, ſubiectio Abbati, & ſtabilitas in loco.* Eodem animo Ciſterrienſes Monachi Cluniacenſibus obijciebant, à S. Benedicti canonibus eos deflectere, *quòd iam ſemel ſtabilitatem, & conuerſionem morum, & obedientiam vno in loco profeſſos, rurſus alio in loco eadem vouere compellerent.* [*Pet. Vene. l. 1. ep. 28. ad Bern.*] Quibus ita reſpondet Petrus Venerabilis vt ea in cauſa nullum Regulę vulnus infligi demonſtret, permittente Legiſlatore profeſſum vno in Monaſterio ſtabilitatem, in altero ſtabilitatem eandem firmare; altera illa profeſſione nihil à Monacho nouum priori contrarium ſponderi, ſed *idem quod prius promitti.* Conſtat autem aliud eſſe perpetuò commorari Pariſijs, aliud Rothomagi: peregrinus ergo Monachus qui ſecundò profitetur Rothomagi ſtabilitatem, non vouerat ante præcisè Pariſijs perpetuò habitare. Præterea declarat eodem iure & modo iterum promitti ſtabilita-

tem

tem, quo conuerſionem morum & obedientiam: cum igitur hæc poſteriora vni loco non ſint alligata, ſed ordini; de ſtabilitate nos idem ipſum ſentire quid vetet? Quin ipſe quoque S. Bernardus in controuerſia peregrinantis Arnoldi, quam ſupta tetigimus, cum Adamum ſuum voto ſtabilitatis vrget, ſuo ipſe repercutitur argumento *Quid ergo tu de ſtabilitate tua facis, quam apud Ciſtertium firmaſti, & nunc alibi habitas?* Cui telo occurrit, locum à ſe modò incoli, ad quem ab Abbate ſuo miſſus eſt ſine ſcandalo, *iuxta conſuetudinem & communem inſtitutionem*: quæ alia eſſe non poteſt, quàm vt locorum huc illucque commigratio volentibus ſuperioribus facta voto ſtabilitatis in ordine non officiat. Denique in Orientali regula, illud ipſum à S. Baſilio non obſcurè decernitur, collectis in ſocialem Cœnobij vitam *non licere nullo diſcrimine & inconſultò, à communi reliquorum fratrum corpore auellere ſe.* Cui propoſito ſi vita perfectior obtenditur, eſſe conſilium illud ad ſuperiorum arbitrium deferendum. *Quod vbi fecerit, tum demum adhibitis multorum teſtimonijs diſcedat.* Poſſe etiam aliquando certis de cauſis alium aliò mitti; *quæ diſtractio neutiquam pro ſegregatione habenda eſt, ſed aſsignati potiùs muneris adminiſtratio exiſtimanda.*

[Bernar. epi. 7. cit.] [Stabilitas in regula Baſilij. Regul. fuſ. Interr. 30.]

Sic expoſita obedientia & ſtabilitate, venio ad Caſtitatis votum; quod appellat idem S. Baſilius *virginitatis profeſsionem firmam, & eiuſmodi quæ à proprio conſilio iudicioque proficiſcatur, ratione iam probè adulta.* Quam adeo ſanctam, & voto firmatam in religione vult eſſe, vt eius extet canon aduersùs nuptias ab Religioſis contrahendas, *Regularium ſcortatio pro nuptijs non habetor, ſed omni modo eorum coniunctio dirimitor.* Eius autem ſedulò conſeruandæ cauſa, monet *fugiendas in primis γυναικῶν ὁμιλίας ἢ συντυχίας, neque ad eas vnquam accedendum, niſi cum grauiſsima nos aliqua ad eas neceſsitas impellat, & aliter facere non poſsimus: atque ipſa etiam vbi nos neceſsitas adegerit, ab ipſis non ſecus quàm ab igne cauendum eſſe.* Et in ſororibus, ſeu ſanctimonialibus conueniendis, quam cautelam non exigit? *perſonæ, temporis, vtilitatis, ac loci ſeruato decoro, quibus ſimul omnibus, & omnis quæ ſecus oriri poſſet, praua de nobis ſuſpicionis vmbra pellatur, & documentum certiſsimum morum ſanctitatis, pudicitiæque in ijs vbique appareat, qui idonei fuerint iudicati qui mutuò ſe conuenirent.* Adoleſcentum autem vultus nimiùm lubricos aſpici, prodire vetat in publicum, donec flos ille ætate & abſtinentia emarcuerit. De hac virtute nihil ptiuatim præcipit S. Benedictus; ſed in Monachi profeſſione Caſtitatis votum appellatione cõuerſionis morum inuoluit, modo ſuperius declarato. Petrus autem Damiani cum ſuos arguit, quòd *pleraque capitula ad continentiæ pertinentia diſciplinam, inter eos regulariter conſtituta* negligerent, *ea ſe magis colenda, quàm ſcribenda decreuiſſe* admonet, vt in ordine & regula S. Benedicti, hæc ſubſidia caſtitatis, non ſcriptis legibus, ſed Patrum traditionibus aſſignanda nouerimus.

[Votum Caſtitatis. Baſil. Regul. fuſ. ter. 15.] [Canon 6. Baſil apud Harmon. tit. 2. ſec. 3.] [Idem in Conſtit. Mon. c. 4.] [Idem Reg. fuſ. ter. 33.] [Idem Ser. 1. de Inſti. Monach.] [Petr. Dam. l. 6. ep. 32.]

Iam verò in paupertate commendanda, totus eſt ſanctus Baſilius. *Apotheca communis omnium ſit, neque proprium alicuius quicquam nominetur, non veſtimentum, non calceamentum, non denique aliud quidpiam eorum quæ ad neceſſarium corporis vſum ſpectant. Quare qui dicit ſuum aliquid eſſe, is ſeipſum alienum reddit ab Eccleſia Dei, & caritate Domini: qui quidem & re, & verbo docuit ponendam eſſe animam pro fratribus, nedum res externas. Cibus etiam ipſe non ſit poſitus in ipſius poteſtate, ſed ab eo, cui de communi omnium conſenſu eius ſubminiſtrandi datum negotium ſit, ſubminiſtretur ratione habita temporis, modique.* Qui modum illum viuendi tenent illos miris extollit laudibus. *Hi dum laudabili viuendi ratione ſua, in-*

[Votum paupertatis. Baſil. ſer. 1. de Inſtit. Monach. Idem Reg. breuior. c. 85. Ibid. c. 93.]

*Perfecta paupertatis forma.* Conſtit. Monaſt. c. 19. *Religioſus proprietarius Iudæ ſimilis.* Conſtit. Monaſt. c. 35. & vlt. Bene. Reg. c. 33. *Primus titulus Monaſticæ diſciplinæ* can. Augu. c. 1.

quit, *communitateque, cæleſtis vitæ ac ſtatus egregiè formam effingunt, futura promiſſi regni bona præripiunt. Hi perfectè rerum omnium paupertatem tenent, in quibus nihil proprium cuiuſquam ſit, ſed communia omnium omnia.* Qui autem ex aduerſo propria rei cuiuſpiam vſurpatione paupertati vim intulerit, eum cum Iuda comparat, *qui à furto exorditur, & in proditionem deſinat: qui legibus Spiritus ſancti violatis, ſocietatem primum expilet (ſocietatis enim expilatio eſt, rei cuiuſcumque & vndecumque in priuatum vſum ſeuocatio) deinde defectionem ac ſeparationem cogitat.* Idem eſt ſancti Benedicti ſenſus, eadem Religioſæ paupertatis cura. *Præcipuè hoc vitium radicitus amputetur de Monaſterio, ne quis præſumat aliquid dare, aut accipere ſine iuſſione Abbatis, neque aliquid habere proprium; nullam omnino rem, neque codicem, neque tabulas, neque graphium; ſed nihil omnino; quippe quibus nec corpora ſua, nec voluntates licet habere in ſua poteſtate.* Ex eo profectò ſenſu in Canonibus Auguſtodunenſibus dicitur *primus titulus hic eſſe Monaſticæ diſciplinæ, vt Abbates vel Monachi peculiare non habeant.*

*Nicolas le Maiſtre ſententia de Religioſa paupertate refellitur.* L. 1. Inſtau. Epiſc. princ. c. 6.

Quæ non poſſum exſcribere, quin ad ea Nicolaum le Maiſtre cupiam oculos reflectere, & agnito religioſæ paupertatis flore, quæ de illa ſcripſit retractare. *Poſſe Monachos ſine offenſione paupertatis, priuatum fundum colere, modò non vt proprium, ſed vt communem aſpiciant.* Hoc eſt fructus illius & reditus annuos in priuatos & proprios vſus poſſe conuertere, modò illum non diſtrahant externis, non transferant ad hæredes, & conſanguineos: & quod olim de libertis dicebatur, viuere illos vt liberos, mori vt ſeruos; ſic iſti ſciant viuere ſe vt ſeculares, mori vt Monachos. *Nam in omnibus ferè Galliarum Monaſterijs,* inquit, *ſunt certi reditus huic vel illi officio affecti ac dedicati; quibus ij ſoli fruuntur, qui titulum eius officij gerunt: qui dum res illas ſibi creditas & commendatas tractant, laudem tamen paupertatis non amittunt, neque inſtituti ſui ſanctitatem violant.* Quid ais Theologe? qui *ſoli fruuntur officio*, & illud nonnunquam in beneficium conuertunt, *laudem paupertatis non amittunt*, in qua *ne codicem quidem, aut graphium* licet habere proprium? qui tituli ſui vſufructuarij ſoli ſunt, ij Benedictini *inſtituti ſanctitatem non violant*, in qua *præſumere nemo debet aliquid dare aut accipere ſine iuſſione Abbatis*; non illa generali & conniuente, ſed particulari & expreſſa? Hinc illæ lachrymæ, & adſcito proprietatis vitio ſanctiſſimi ordinis vulnus inconſolabile, in quo tu *laudem paupertatis, & inſtituti ſanctitatem* collocas. Vidiſti eo de abuſu quid ſcripſerit iam olim B. Petrus Damiani, S. Benedicti alumnus, eiuſque diſciplinæ ſtudioſiſſimus? Nummicolas Monachos (ſic enim appellandos probat) Anania & Sapphira deteriores eſſe, Chriſtum exuere, dum amorem pecuniæ induunt, in Chriſti iniuriam pecunias aſſeruare clamat, apud eos à quibus non exaudiebatur. *Si ergo,* inquit, *adhuc marſupio noſtro nummus includitur, ſi ad interni ſpectatoris iniuriam quantumlibet pecuniæ reſeruatur, quid illi in reddenda ratione dicemus? qua nos defenſionis arte purgabimus?* Et inferiùs. *Quapropter ô Monache, vis in tuo loculo recludere Chriſtum? excute prius nummum: neque enim in vno receptaculo congruè ſociantur. Nam ſi vtrumque incluſeris, alterum ſine altero vacuus poſſeſſor inuenies.*

Petr. Dam. opuſc. 12. de contemptu ſeculi. c. 3. Ibid. c. 4.

*Iterum labitur in S. Baſilij regula.* le Maiſtre Ibid. c. 11.

Conſimilis lapſus in S. Baſilij Monaſtice, cuius alumnos ait *in ipſo Monaſterij ingreſſu rerum ſuarum proprietatem & dominium non depoſuiſſe, ſed œconomum, ac tutorem elegiſſe, cui deſignabant, quo pacto vellent reditus ſuos in pauperes diſtribui, & in quos vſus conuerti. Qui ſi in illa adminiſtratione parum ſe fidelem adhibuiſſet, ſolebat in ius vocari coram Eccleſiaſtico iudice.* Quæ omnia *poſſe peti & deduci facilè*

ait

ait *ex interrogatione nona regularum fuſiùs diſputatarum*; & eo argumento probat, quòd *ſi dominium illud continuò abieciſſent, non fuiſſent condendæ leges aliæ à Baſilio, aduerſus eos qui res ſuas ſibi vellent reſumere*, cum tamen vnam, & quidem grauiſſimam legamus in regulis breuioribus. Id verecundè & timidè colligi dicit auctor, cuius ego contrarium illo ipſo capite, conceptis verbis exprimi fidenter aſſero: in ipſo videlicet vitæ Religioſæ ingreſſu, eius Tyrones facultatum ſuarum proprietatem & dominium penitus abdicaſſe, & nudos ad vexillum crucis euolaſſe. Nam cùm illic agatur de eo *qui ſe adiungi velit Deo conſecratis, & in eorum tranſire ſodalitium*; de ipſo Monaſterij ingreſſu agi cenſendum eſt: cum is *qui a ſuis diſcedat, patrimonium omne ſuum diligentiſſimè ſecum auferre, & veluti rem iam Domino conſecratam, ſumma cum Religione diſtribuere in pauperes, vel ipſe per ſe, vel per alios* iubeatur, rerum profectò ſuarum proprietatem ac dominium deponit. Cum idem eo tempore Curatorem eligere moneatur fideliſſimum, non ignarus *quàm graue iudicium illis immineat, qui in rebus Dei nomini iam conſecratis, vindicandis lentè ac negligenter ſe geſſerint*, de rebus nouitij Monachi à propinquis, aut iniuſtis alijs detentoribus vindicandis, non de facultatibus veterani profeſſi adminiſtrandis Canonem Baſilij præſcribere putandum eſt. Confirmatur aliò ex loco, vbi eandem planè mentem eodem in propoſito declarat planiſſimè. *Tu qui cæleſtis viuendi ritus cupiditate flagras, atque Angelicæ es vitæ ſtudioſus negotiator, quique ſanctorum Chriſti diſcipulorum commilito cupis numerari* (Cœnobiticæ vitæ appetentem certè compellat) *in eo animum tuum confirmato, vt cum immortalibus & cæleſtibus rebus mortales terrenaſque commutes*: non mutatur id cuius *proprietas & dominium* retinetur. *Vbi verò rerum te tuarum ſarcina leuare volueris, tum verò conſtans ac rigidus eſto, illudque tibi perſuadeto, quæcumque abs te in egenorum ſinus condita fuerint, ea te in cælum præmiſſa multis partibus ampliora apud Deum inuenturum.* Vides futuri Monachi facultates diſtractas ſemel, atque in alienam ditionem tranſlatas.

*Refellitur ex ipſo textu & mente S. Baſilij.*

Baſil. ſerm. de Abdic. rerum.

Porro Canon ille qui ex regulis breuioribus in probationem affertur, nulla vocula, nulla circumſtantia bona illa tangit, quæ ſunt in ſeculo relicta; ſed ea potiùs quæ quis proprio manuũ labore in Religione compararit. Nam paulò inferiùs eos conſolans Monachos qui dolebant nullas ſe habuiſſe facultates, quibus animam ſuam redimerent: reſpondet eandem fuiſſe Apoſtolorum olim inopiam, ſed *ſi ex iniuria*, inquit, *hoc prætermiſimus, nunc ſtudium adhibeamus. Quod ſi iam neque tempus ſuppetit, neque facultas, conſoletur nos Apoſtolus qui dicit, non quæro veſtra, ſed vos.* Agit ergo legiſlator de nonnullis labore religioſo quæſitis, quæ tum in rem Cœnobij communem, tum in pauperes conferebantur, vnde Monachi illi animam ſuam redimere ſe putabant. Falſum igitur eſt Monachos Baſilianos rerum quas in ſeculo poſſidebant *proprietatem ac dominium* retinuiſſe. Vtrumque iſtud vocabulum ab aduerſario aſſumptum ſemper addidi, quia is quandam in illis ſynonymiam ineſſe putat, & incautus veteres Monachos proprietarios appellat, quo ſcelere nullum boni viri magis exhorruerunt. Quod ſi purè de dominio diſputat, non inuitus poſſum concedere, antiquis illis per Religioſam profeſſionem ſublatam fuiſſe proprietatem, conſeruatum dominium: quod paupertatis genus in inſtituto noſtro, primis votis quæ ſimplicia vocantur, & ſunt, renouauit Eccleſia, licet id obliquè rideat ſcriptor; tanquam *valde ſubtili cogita-*

*Reſpondetur obiectionibus aduerſarij.*

Regul. Breuior. c. 88.

Ibid. c. 89.

*Poſſunt dici retinuiſſe dominium, at non proprietatem.*

*tione effectum*. Nobis enim probare non poteſt, paupertatem dominij expertem, & incapacem, Religioſo ſtatui eſſentialiter coniunctam eſſe; & fortaſſe multùm antiquam. Nonnulla ſunt alia in auctoris diuiſione, qua paupertatem quadrifrontem facit, digna ſolertiori examine, quæ aut Lectoris otio, aut alterius ſcriptoris negotio reſeruanda putaui, dum ad vlteriora feſtino.

*Poſt profeſſionem qui à Monaſterio recedunt, ſunt ſacrileg.*
Baſil. Reg. fuſ. ſcip. 14.

Nam hiſce omnibus votis poſitis & abſoluta eorum perfectione, ſi qui poſteaquam ſe illis obſtrinxerit, & ad nobile aratrum manum admouerit, retro reſpiciat, eum ſacrilegio ſe polluere S. Baſilius non dubitat affirmare. *Horum vnuſquiſque ſi factam iam ab ſe profeſſionem reſciderit, is perinde aſpici debet, vt qui in Deum peccauerit, quem videlicet profeſſionis ſuæ teſtem adhibuerit, cuique ſe voto ſolemni obligarit. Etenim qui ſeipſum ſemel deuouit, hic ſi ad aliud deinde vitæ genus tranſiuerit, ſacrilegij ſe ſcelere obſtrinxit: quippe qui ſeipſum Deo cui ſe conſecrauerat, veluti ſubterfuratus ſit.* Parabaras hoſce & deſertores, ne hoſpitio quidem religioſo dignos putat vir Monaſticæ diſciplinæ ſtudioſiſſimus. At clementior S. Benedictus, eum *qui vitio proprio egreditur, aut proiicitur de Monaſterio*, iterum & tertiò admitti permittit: *iam verò poſtea ſciat omnem ſibi reuerſionis aditum denegari*. Quod inſtitutum valdè probat, & diuino inſtinctu excogitatum aſſerit Guillelmus Pariſienſis, Deum ſic in diuino Rhetoricæ diuinæ libro alloquens. *Et quidem in domibus Religioſis te auctore conſtitutum & ordinatum, vt qui inde abierunt, vel exeunt, recipiantur, vel ſaltem vſque ad tempus, ſalua tamen ordinis diſciplina.*

Bene. Reg. c. 29.
Guil. Pari. l. de Rhet. diuina. c. 22.

*Eiecti de Monaſterio & eorum aliqui*
Bene. Reg. c. 58.
Ibid. c. 62.
c. 65.
c. 71.
c. 28.

Quod autem audis *proiectum de Monaſterio*, ſcias pœnam hanc in contumaces, & exemplo nocentes ab eodem non ſemel conſtitui: vt in eum qui poſt profeſſionem *ſuadente diabolo conſenſerit, vt egrediatur de Monaſterio (quod abſit) tunc exutus rebus Monaſterij proiiciatur*: vt in contumacem, qui *nec ſic emendauerit, clareſcentibus culpis, proiiciatur de Monaſterio*: vt in rebellem Præpoſitum, *ſi in congregatione quietus & obediens non fuerit, etiam de Monaſterio expellatur*: vt in inobedientem, *quod ſi quis contempſerit facere, aut ſi contumax fuerit, de Monaſterio expellatur*. Vt in infrunitum & incorrigibilem, *quod ſi nec iſto modo ſanatus fuerit, iam tunc vtatur Abbas ferro abſciſſionis, vt ait Apoſtolus, auferte malum ex vobis.* Et iterum, *infidelis ſi diſcedit, diſcedat; ne vna ouis morbida omnem gregem contaminet.* Eadem Apoſtoli auctoritate in irroganda eadem pœna vtitur S. Baſilius, aduersùs Monachum rebus vt proprijs abutentem. *Parcamus nos Apoſtolo qui dixit, auferte malum ex vobis ipſis; ne illud eueniat, modicum fermentum totam maſſam corrumpit.* Hunc poſteriorem locum paulò ante alio in caſu citauerat, *qui hoc ſentit, aut reſipiſcat, aut tollatur de medio, ne illud vſu eueniat, modicum fermentum totam maſſam corrumpit.* Quod Religioſæ diſciplinæ caput omittendum non putaui, vt Aurelio, ſimilibuſque Societatis noſtræ obtrectatoribus ſatisfiat, læſæ caritatis, & leuitatis crimen inferentibus, quod de noſtris aliquos, nonnunquam etiam veteranos, dimittamus ex ordine: hanc enim dimiſſionem in principibus ordinibus à multis retro ſeculis approbatam intelligent; Eccleſia corporis ſanitatem vnius membri iactura conſeruante, & vſu confirmante, quod Conſtantinus Imperatorum clementiſſimus dicere ſolebat,

Baſil. Reg. Breuior. c. 86.
Ibid. c. 84.

*graue & immedicabile vulnus*
*Enſe recidendum eſt, ne pars ſyncera trahatur.*

RELI-

## RELIQVA MONACHORVM EXERCITIA ſtudioſius perueſtigata.

### V.

ORATIONIS & pſalmodiæ prima cura & ſumma. Inde Conſtitutiones ſuas vterque legiſlator exorditur: Nouitium in ipſo ſtatim limine *ex diuinis literis ea perdiſcere rectum & neceſſarium*, iudicat S. Baſilius, *quæ ad vſum pertinent*. Qui autem neque laborare velit, neque pſalmos diſcere, eum infœcundæ ficus exemplo præcidendum pronunciat. S. Benedictus eum *qui in oratorio dum pronunciat pſalmum, aut reſponſorium, fallitur, ſtatim per ſatisfactionem coram omnibus humiliari* iuber: *infantes verò pro tali culpa, vapulare*. Veſtitos & cinctos dormire, *vt parati ſint ſemper, & facto ſigno abſque mora ſurgentes, feſtinent inuicem ſe præuenire ad opus Dei*: & vniuersè *nihil operi Dei præponi* grauiter imperat.

*Oratio & Pſalmodia.* Baſil Con. Mon. c. 28. Bene. Reg. c. 8. & ſeq. Baſil. Reg. breuior. c. 95. Ibid. c. 63. Bene. Reg. c. 45. Ibid. c. 22. Ibid. c. 43.

Abſtinentia & corporis afflictatio moderatior, quàm apud veteres; Modum & regulam hanc ponit S. Baſilius: *ſi corpus neque diffluat delicijs, neque maceratione nimia atteratur: illud in vtramque partem teneatur, vt ne quid nimis: ne videlicet animus, ſi carnium obeſitate grauetur, varijs perturbationibus reddatur obnoxius: neque ſi item contra planè morboſus fuerit effectus, Dei mandata exequi non poſſit: quare cibi vſus eiuſmodi eſſe debet, qui ad ſolam neceſſitatem referatur: itemque vinum neque omnino reſpui debet, ſi quando valetudinis cauſa aſſumendum ſit, neque ſtudioſè nimis, ſi neceſſitas non ſit, exquirendum: & reliqua omnia eiuſmodi ſunto, vt neceſſario ad victum vſui, non autem libidinoſis voluptatibus inſeruiant.* Hoc idem S. Cæſarius ſanctimonialibus præſcribit: *Ita temperatum conuiuium menſamque mediocrem habere ſtudeat; vt caro illius nec nimietate abſtinētiæ debilitetur, nec per deliciarum abundantiam ad luxuriam prouocetur.* S. Benedictus ſingulis Monachis in menſa *tam ſextæ quàm nonæ, duo pulmentaria* vult offerri, *vt fortè qui ex vno non potuerit edere, ex altero reficiatur, & ſi fuerint inde poma, aut naſcentia leguminum, addatur & tertium. Quod ſi labor forte fuerit factus maior, in arbitrio & poteſtate Abbatis erit, ſi expediat aliquid augere.* In potu *credimus heminam vini per ſingulos ſufficere per diem* (ea medius ſextarius eſt, & ſex cyathos continet) *quod ſi aut loci neceſſitas aut labor, aut ardor æſtatis amplius popoſcerit, in arbitrio Prioris conſiſtat. Infirmorum autem cura ante omnia, & ſuper omnia adhibenda eſt, vt ſicut reuera Chriſto, ita eis ſeruiatur.* Suis autem, vt pote Eremitis, arctius ieiunium imperat B. Petrus Damiani, quod tu apud illum leges: qui tamen rigorem eius abſtinentiæ mitigare coactus fuit, vt & modum nimię corporum verberationi imponere.

*Abſtinentia moderata.* Baſil. Ser. 1. de Initit. Monach. Cęſar. Ser. 1. ad Sanctimon. Bene. Reg. c. 39. Ibid. c. 40. Ibid. c. 36. Petr. Dam. opuſc. 12. & 13. c. 6. 16. item ep. 34.

Altera cura, diuinæ lectionis eſt & ſtudij. De pueris iam ante dictum ex vtroque Patriarcha. In grandioribus autem variant. Baſilius enim Orientalium ſcilicet inſtitutor, Antiſtitem Monaſterij vult *quæ apud omnes ſcripta ſint ſcientia comprehenſa habere, ac ediſcere, vt cunctos doceat multiplicem voluntatem Dei*. Subditos autem ex Apoſtoli præcepto *non plus ſapere quàm oportet ſapere, quæ officij ſui ſint, ſtudioſè diſcere*, præterea nihil: vt pro magno habeat ſi qui illorum, quatuor Euangelia didicerint. At S. Benedictus Occidentalium morem ſecutus, viros eruditos, & Eccleſiæ Antiſtires diuturno ſtudio comparat. Certas horas lectioni ſacræ attribuit, quadrageſimæ tempore

*Lectio diuina & ſtudium.* *Baſilius in ea parcior.* Reg. breui. c. 235. Ibid. 238. *Benedictus liberalior.* Reg. c. 48.

vult omnibus aſſignari *ſingulos codices ex bibliotheca, quos per ordinem ex integro legant:* deputati Seniores *qui circumeant Monaſterium, horis quibus vacant fratres lectioni, & videant ne fortè inueniatur frater acidioſus, qui vacat otio, aut fabulis, & non eſt intentus lectioni.*

Circa quã ſu. Hug. Menard. in Conc. reg c.55 §.1.

Circas ab eo appellant officio, *circumitores Monaſterij*, qui cellas omnes perluſtrent, & Monachos in officio contineant. Qui ſtudiorum amor adeo altas in Monachorum animis egit radices, vt cum apud Cluniacenſes ſuos conqueritur Petrus Venerabilis laborandi morem, & diſciplinam concidiſſe, ſemper tamen excipiat ſaltem *paucos legentes, & raros ſcribentes.*

Petr. Vene. in ſtatut. Cluniac. c.39.

Inde factum vt ferreis ſeculis, penes Monachos politiores literæ nonnihil vitalis ſpiritus retinerent, & in omnibus fieret, quod de vno ſcribit Beda, *imbuebantur præceptoribus Scotis paruuli Anglorum, vnà cum maioribus, ſtudijs & obſeruatione diſciplinæ regularis. Nam Monachi erant maximè qui ad prædicandum venerant.*

Beda hiſt. Angl. l.3. c.2.

Eam in rem Abbatibus impoſitam neceſſitatem præceptorum in Monaſterijs alendorum probat Choppinus I. C.

Choppin. de Iurib. Relig. l.1. tit.2. n.8.

Qua ex diſciplina ſcribit Trithemius proceſſiſſe S. Bonifacium doctorem & Apoſtolum Germanorum, qui *puer adhuc quinque annorum in Anglia Monaſterio traditus eſt:* & Bedam ipſum, *annorum ſeptem à parentibus Cœnobio traditum:* Rabanum denique Archiepiſcopum Moguntinum, qui *puer in Monaſterio Fuldenſi ad conuerſionem venit.*

Trithem. l.1. de viris Illuſtr. c.6. quem locum lege.

Huic denique Monaſtico ſtudio debet Scriptura diuina Gloſſam ordinariam Strabi; Ius Canonicum, compilationem Gratiani, Abbatum Antiqui & Siculi explicationem; Theologia, Lanfranci (Guitmundi, Algeri controuerſias; Hiſtoria, Paulum Diaconum; Chronologia Sigebertum) Senatorem Caſſiodorum ex Senatore Monachum non computo. Rupertos, Bernardos, Petros Cluniacenſes, Anſelmos Eccleſia, quorum ſinguli ordines ducunt, & ipſi ſunt inſtar ordinum. De quorum vno nobili ſurculo ſcripſit Antoninus, *Ciſtercienſes fuerunt magna columna Eccleſiæ, & ſub ſancto Bernardo, & poſtea per annos centum ſcientia decorati, & ſanctitate.*

Antonin. part. 2. tit 15. c.23. §.1.

Non adeo tamen aliena S. Baſilius eſſe voluit à Cœnobijs bonarum artium ſtudia, quin ea non pueris tantùm Monaſterio addictis, ſed etiam ſecularibus aperta eſſe permiſerit.

*Pueri ſeculares in Monaſterijs eruditi.*

Interrogatus enim *Num-quid conueniat vt inter fratres ſit magiſter puerorum ſecularium?* Reſpondet, nihil prohibere ſe, dum ea mente tradantur à parentibus, ſuſcipiantur à magiſtris, *vt in diſciplina & correptione Domini educentur; dicente Chriſto, ſinite paruulos venire ad me.*

Baſil. Reg. breuior. c.292.

In ordine autem S. Benedicti res aperta eſt ex hiſtoria: conſtat enim non alibi, quàm apud Caſſinenſes Monachos prima tum liberalium artium, tum vitæ ſanctioris elementa percepiſſe clarum illum Eccleſiæ ſolem, & firmiſſimam ſtatus Religioſi columnam & deſtinam S. Thomam Aquinatem.

*In Anglia id vſitatũ.* Beda hiſt. Angl. l.4. c.2.

In Anglia Adrianus Abbas, & Theodorus ex Monacho Anglorum Archiepiſcopus, *quia literis ſimul diuinis & ſecularibus abundanter erant inſtructi, congregata diſcipulorum caterua, ſcientiæ ſalutaris quotidie flumina, in rigandis eorum cordibus emanabant: ita vt etiam metricæ artis, & arithmeticæ Eccleſiæ diſciplinam inter ſacrorum apicum volumina ſuis auditoribus contraderent. Indicio eſt quod vſque hodie ſuperſunt*, inquit Beda, *de diſcipulis eorum, qui Latinam Græcamque linguam, æquè vt propriam in qua nati ſunt, norunt.*

Ibid. c.18.

Item apud Anglos eoſdem Ioannes Abbas & Archicantor Romanus, *non ſolum Monaſterij fratres docebat, verùm de omnibus penè eiuſdem Prouinciæ Monaſterijs ad audiendum eum, qui cantandi erant periti, confluebant: ſed & ipſum per loca in quibus doceret, multi inuitare curabant.*

*curabant*. Petrus Abaëlardus in Gallia, Monachum profeſſus in Monaſtetio ſancti Dionyſij, flagitantibus diſcipulis, permittente Abbate ſcholas aperire cœpit: dein inde egreſſus *ad cellam quamdam receſſit ſcholis vacaturus : ad quas quidem tanta ſcholarium multitudo confluxit, vt nec locus hoſpitijs, nec terra ſufficeret alimentis.* Addit & docendi methodum; diuinis literis humanas miſcuiſſe: *De his*, inquit, *quaſi hamum quendam fabricaui, quò illos philoſophico ſapore ineſcatos ad veræ philoſophiæ lectionem attraherem: ſicut & ſummum Chriſtianorum Philoſophorum Origenem conſueuiſſe hiſtoria meminit Eccleſiaſtica.* Adiungit & alienæ virus inuidiæ, *qui in omnibus quæ poterant mihi derogantes, duo præcipuè abſenti mihi ſemper obijciebant : quod ſcilicet propoſito Monachi valdè ſit contrarium ſecularium librorum ſtudio detineri*, &c. Refert idem Abaëlardus præceptotem ſuum Guillelmum Campellenſem ad Clericorum Regulatium ordinum conuerſum, *in ipſo quoque Monaſterio ad quod ſe cauſa religionis contulerat, ſtatim more ſolito publicas exercuiſſe ſcholas.* Scio & id alicubi in Gallia etiamnum fieri à S. Benedicti alumnis; & à patribus Cluniacenſibus laudabiliter Lutetiæ Patiſiorum exerceri. Sed iſtud publicum doctrinæ emporium, nec in omnibus S. Benedicti Monaſterijs, nèc in vno ſemper apertum fuit; quodque de Anglicanis Monachis attulimus, nemo vni Benedictinæ familiæ aſſignauetit, cum S. Columbani inſtituta illis in inſulis regnaſſe meminetimus; ſed hoc cettè conſequimur ex Beda, vt eam fuiſſe Monachorum media ætate exetcitationem probemus. Cui & addimus, manifeſtum eſſe quàm malè, contraque hiſtoriæ Eccleſiaſticæ veritatem, ſctiptum ſit à Nicolao le Maiſtre *non eſſe prudentiæ & æquitatis, res tantopere diſſitas coniungere, quantùm ſunt Monachatus, & diſciplina, ſeu ſchola popularis.* Fileſacus vbi de ſcholis puetorum diſſetit, arbittatur quidem ad Monaſteriorum ſcholas non quoſlibet promiſcuè admiſſos, locos tamen citat è capitulari Caroli Magni, Concilio Moguntino, & Theodulpho Autelianenſi, qui facilè in contrariam ſententiam poſſunt accipi. Sed addere poterat decretum Conuentus Aquiſgranenſis ſub Ludouico Pio, *vt ſchola in Monaſterio non habeatur, niſi eorum qui oblati ſunt.* Ex quo tamen infero probabiliter, conttatium illis temporibus vſum fuiſſe, qui illo interdicto tollatur.

Pet. Abaëlard. ep. 1. c. 8.
Incredibilis diſcipulorum frequentia.
Religioſa docendi methodus.
Ibid. c. 2.
Refellitur Nicol. le Maiſtre de Inſtaur. Epiſc. princip. l. 4. c. 5.
Fileſac. lib. de ſacra Epiſc. auctor. c. 15. §. 2.
Conuent. Aquiſgra. c. 45.
Vide Hug. Menard. in Conc. reg. c. 46. §. 3.

*DE LABORE MANUUM RELIGIOſis imperato.*

§. VI.

TERTIA ſequitur Monachatus pars, vt ſic loquar, eſſentialis, labor manuum, S. Baſilio in Oriente magis, quàm S. Benedicto in Occidente commendata. Nam hic laborem imponit tantùm ad otij fugam, *otioſitas inimica eſt animæ, & ideò certis temporibus occupari debent fratres in labore manuum, certis iterum horis in lectione diuina.* Qua eadem adductus ratione Petrus Venerabilis, externorum operum exercitia apud ſuos renouanda eſſe conſtituit, non ſine elogio. *Statutum eſt vt antiquum & ſanctum opus manuum, vel in clauſtris ipſis, aut vbi honeſtè remoto conſpectu ſecularium fieri poterit, ex parte ſaltem aliqua reſtauretur:* idque dectetum tangit *eos maximè qui Conuerſi dicũtur.* Nam alibi

Labor manuum in Occidente moderatus.
Bene. Reg. c. 48.
Petr. Vene. in ſtatut. Cluniac. c. 39.

Idem l. 2. ep. 28. ad Bernard.

aduerſus æmulos diſputans, à fundatorē aſſerit labotem impetatum otij fugiendi cauſa; quod quia bonis alijs operibus fieti poteſt, non præiudicare regulæ, imo eam perfectè ſeruari, *ſi orando, legendo, pſallendo, iniuncta religiosè implendo, vel alia qualibet huiuſmodi bona agendo, animus occupatur.* Quod & S. Mauri facto comprobat, qui ſic Monachos in Gallia inſtituebat, *vt quia eis ſine proprio labore cuncta neceſſaria ſuppeditabant, niſſo manuum opere, ſpiritalibus exercitijs*

Labor Monachorum circa libros. Trith. l. 1. de viris Illuſt. c. 6.

*exercitati, otioſi non eſſent.* Temperate videtur nonnihil Ioannes Trithemius, dum laboris Monaſtici partem optimam in libris collocat. Nam cum viri eruditi & graues ſcribendis illis gloriosè vacarent, *Cæteri fratres*, inquit, *iuxta quod regula vetat, otio non vacabant; ſed poſt orationes, operi manuum deuotè inſiſtebant. Libros ſcribebant qui ad hoc erant idonei, & à doctoribus edita, ex ſchedis ad mundum redigebant: alij ſcriptos codices artificiosè conglutinabant, corrigebant alij, rubro minio cæteri exornabant. Nullius manus huic ſancto deerat officio: gaudebant ſi omnes participes haberi ſtudiorum, quæ in expoſitionibus ſcripturarum gerebantur.* Sic ergo Martha colebatur, vt omnia Mariæ famularentur, & cum ſuæ vacaſſent ſanctitati, alienam mutis illis concionibus procurarent. Plura leges in Hugone Menardo, vbi de labore manuum quotidiano: qui & eum non clericis

Concil. Carthag. 4. can 51.

minùs quàm Monachis impetatum olim fuiſſe probat ex Concilio Carthaginenſi, & alijs Patribus.

In Oriente magis commendatus variis ob cauſas. Baſil. ſerm. de Inſtit. Monach. 2. Theſſ. 3. Ephe. c. 4. Baſil. Reg fuſ. c. 42.

Sanctus autem Baſilius poſt orationis ſtudium, nunquam non prolixè laborem manuum commendat: & primò quidem ad victum ſibi parandum. *Ratio quærendi victus ea maximè conueniens iudicanda eſt, quæ ab Apoſtolo præſcribitur, nimirum vt manibus laborantes honeſtè ſuum quiſque panem manducet.* Sed quoniam hoc Apoſtoli præceptum ordinis & laboris deſertores, *inordinatè ambulantes, curiosè agentes*, tangit: alteram alio loco laboris cauſam affert ab eodem Apoſtolo, ei qui ad perfectionem contendit, non neglectam, *Vt habeat vnde tribuat neceſſitatem patienti. Quamobrem in ſuſcipiendis laboribus illud ſpectare vnuſquiſque debet, vt per ipſum qui in egeſtate ſunt ſubleuentur: non autē vt commodis ipſe prouideat ſuis.*

Monachorū caritas. Caſſian. l. 10. c. 20. Idem collat. 18. c. 7.

Quod magnificè factum ab Ægyptijs Monachis narrat Caſſianus, erga Libyæ loca, quæ ſterilitate & fame laborabant: *nec non etiam per ciuitates his qui ſqualore carceris contabeſcunt, immanem conferentes dirigunt alimoniæ, victuſque ſubſtantiam.* Et alibi. *Illi ob hoc certatim ſtatutum tranſcendere canonem diurnis operibus elaborant, vt quicquid Monaſterij ſanctis vſibus redundarit, vel carceribus, vel Xenodochio, vel Noſocomio, vel indigentibus pro Abbatis diſpenſetur arbitrio.* Vbi ſic collectam pecuniam Diaconiam appellat, exhibitum videlicet in ea colligenda miniſterium.

Tria in labore obſeruanda. Baſil. Reg. fuſ c. 78. Bene Reg. c 66.

Cæterum in illo labore tria vult Baſilius obſeruari. Primum vt artes quibus inſudare debet Monachus, quietæ ſint, & tranquillæ, *quarum ſcilicet neque materia magno labore quæratur, neque magna ſolicitudine diuendantur, quæ neque virorum, neque mulierum indecoros congreſſus concilient, & noxios.* Similem ob cauſam vult S. Benedictus artes diuerſas intra Monaſterium exerceri, *vt non ſit neceſſitas Monachis vagandi foras: quia omnino non expedit animabus eorum.* 2. Vt mo-

Baſil. Con. Mona. c. 5

deratus ſit labor, & viribus non impar, *ne corpus dum grauiùs quàm par eſt premit, opprimat. Siquidem præcipiunt diuina oracula vt laboremus, & corpus actuoſum, motionique expoſitum habeamus; vt autem ipſum immodicis macerationibus extabefactum reddamus ac diſſolutum, hoc verò nullo modo.* Tertium, vt ne ipſum quidem labo-

ris

ris tempus ab oratione vacuum tranſeat. Ita videlicet *vt vel in eo ipſo dum manibus opus tractamus, & lingua nonnunquam munere hoc fungi poßimus: ſin id minus, corde certè in pſalmis, & hymnis, & canticis ſpiritualibus Deum collaudemus, gratias agentes Deo, qui ad opera facienda manuum vires nobis ſuppeditauerit; itemque ad percipiendam artium ſingularum cognitionem ingenium largitus ſit; materiamque donauerit ex qua inſtrumenta conficerentur*, &c. Quod & ptioribus Monachis ſuadebat S. Auguſtinus. *Cantica vero diuina cantare etiam manibus operantes facilè poſſumus, & ipſum laborem tanquam diuino celeumate conſolari. An ignoramus opifices quibus vanitatibus, & plerumque etiam turpitudinibus Theatricarum fabularum donent corda, & linguas ſuas, cum manus ab opere non recedant? Quid ergo impedit ſeruum Dei manibus operantem in lege Domini meditari & pſallere?* Ad eum locum alludit Iſidorus in regula, quod & ſcripſit Pachomius, *Operantes nihil loquantur ſeculare, ſed aut meditabũtur ea quæ ſancta ſunt, aut certè ſilebunt.* Hoc ptæcepto omnes inertiæ velum eripiunt Monachis, orationis obtentu laborem defugientibns. Auguſt. l. de opere Monach. c. 17. Iſidor. in Reg. c. 7. Pachom. Reg. a. 35.

Addit S. Baſilius, opera ſic confecta diſttahi, ac diuendi poſſe à Monachis, quos vult deligete *ciuitates & loca hominum religioſorum, eoque ſtatis nundinarum temporibus plures vnà ſimul fratres concurrere, & ſuas vnumquemque ſecum merces afferre.* Quod ſuis præcipiendum non putat S. Benedictus; ſed hoc conuenientius, *ſi quid ex operibus artificum venundandum eſt, videant ipſi per quorum manus tranſigenda ſunt, ne aliquam fraudem præſumant inferre.* Vterque verò Monachis ſuis tationabiles ob cauſas publicum & peregrinationes permittit, ne Monaſterio, tanquam Prometheus Caucaſo, petpetuò affixi teneantur. *Peregrinandi poteſtatem ei permittito qui in peregrinatione ſine animæ ſuæ detrimento, & cum vtilitate eorum quibuſcum congrediatur, poßit verſari*, ait S. Baſilius. Qui & alibi negat profectiones illas ſpiritualis molliciei ergo eſſe fugiendas, *ſi verò proditiones in publicum, aut ſuſcepta propter neceſſarios, & communes fratrum vſus itinera, impedimento ſibi eſſe ad pietatis cultum Monachus dicat, ac propterea foras exire recuſet, nondum ille abſolutæ obedientiæ cognitionem eſt aſſecutus; neque-dum animaduertit ad huiuſce officij perfectionem iſtiuſmodi mollicijs nequaquam ſolere perueniri.* Hac cautione non vtitur S, Benedictus, quia vſitatior in Occidente Monachorum fuit illa, vt ſic loquar, publicatio. Quam & frequentem præſupponit eſſe dum ſcribit: *Dirigendi fratres in via, omnium fratrum vel Abbatis orationi ſe commendent, & ſemper ad orationem vltimam operis Dei, commemoratio omnium abſentium fiat.* In Conuentu autem Aquiſgranenſi ſtatuitur, vt Abbates Monachos ſecum in itinere, niſi ad Generalem Synodum non ducant. Verùm quum hæc repagula diuturnitate tempotis laxata eſſent, decreuit Petrus Cluniacenſis, ad ſumptus minuendos, & faſtum tollendum, *vt nullus Priorum, nullus aliorum iter faciens, ducat ſecum pluſquam tres equitaturas: vel ſi Prior ordinis fuerit, quatuor, aut plus quinque; & hoc tam propter honeſtatem, aut teſtimonium ſocietatis, quàm propter officia Eccleſiaſtica ſtudioſius decantanda.* *Opera à Monachis facta quomodo diſtrahantur.* Baſil. Reg. fuſ. c. 39. Bene. Reg. c. 57. *Monachi à publico non arcendi.* Baſil. Reg. fuſ. c. 44. Baſil. Con. Monaſt. c. 27. Bene. Reg. c. 67. Conuent. Aquiſg. c. 59. Petr. Vene. in ſtatut. Cluniac. c. 40.

Ex his inſtitutis facilè, Lector, intelligis, cum vtrumque tanquam in milliario aureo, in proptia perfectione acquitenda, & ſolitudine conueniat; inde duas in partes diſcedete, & Baſilium quidem in Oriente de officijs Eccleſiaticis minùs ſollicitum eſſe, Bencdictum autem in Occidente altatibus & Eccleſijs Sacerdotes Pontificeſque præpatate. Nam cum S. Baſilius virtute doctrinaque flotere velit Antiſtitem ſuum, plutes eiuſdem meriti vno in Cœnobio eſſe non patitur, aitque, neque facilè teperiti poſſe duos treſ-ve, neque *Comparatio vtriuſque regulæ.* Baſil. Reg. fuſ. c. 35.

ſe id vnquam factum vidiſſe, vt tot in vno pago inuenirentur. Quin etiam Ægyptiorum Monachorum decretum renouat, ne Clericatum ambitioſè appetant: *ſi quidem diabolica iſta peſtis eſt*, inquit, *& libidinis dominandi labes, quæ res inſigne eſt primæ illius Diaboli prauitatis indicium*. Quod quamquam ſolitarijs potiùs quàm Canonicis, hoc eſt Cœnobitis præſcribat, hos tamen ea via deducit, quæ alium inueniat terminum oportet, quàm Clericatum.

HemCon. Monaſt. c. 10.

*In Occidente Monachi præparati ad Clericatum.*

Bene. Reg. c. 62.

At S. Benedicti diſciplina Occidenti commodior, licet longam humilitatis ſcalam fabricetur, qua ab κενοδοξίας appetitu Monachum retrahat, ijs tamen medijs inſtruit, quæ neceſſariò finem illum aſſequantur. Quare non dubitat quin ſacris ordinibus digni ſint plerique, cum ſcribit; *Si quis Abbas ſibi Presbyterum aut Diaconum ordinari petierit, de ſuis eligat qui dignus ſit Sacerdotio fungi*: tantaque fuit in Monaſterijs doctorum æquè ac piorum virorum copia atque præſtantia, quos ad Sacerdotium etiam primis temporibus aſſumebant Epiſcopi, vt neceſſarium viſum fuerit priuilegijs munire Monaſteria, ne plures inuitis Abbatibus eriperentur: tanta autem Monachorum ipſorum modeſtia, vt vix etiam prælatorum imperio adacti, onus illud Angelicis humeris formidandum ſuſciperent. Vnde manauit illud Viennenſis Concilij decretum, *quod Monachi quilibet ad monitionem Abbatis, ſe faciant ad ordines ſacros, excuſatione ceſſante legitima, promoueri*. Quæ omnia fusè probata reperies in Franc. Hallier opere de ſacris ordinationibus. Sed is ſcire diſſimulat grande, & ad hanc rem penitus accommodatum Abbatiæ S. Dionyſij priuilegium, vt vnum è Monachis ſibi priuatim habeat Epiſcopum, qui prædicationi & animarum ſaluti totus inuigilet: quod propter ſui præſtantiam, priuatim ad huius libri calcem curioſius exponetur.

Clementina 1. de ſtatu Monach.

Hallier li. de ſacr. ordinat. append. de regul §. 1. p. 88.

Hab. tom. 2. Concil. Gall.

*Occidentales Monachi ad ſalutem proximorum admoti.*

Itaque Occidentales Monachi, omnibus quidem ſeculis, ſed ab hac maximè media ætate, ex regula inſtitutoque ſuo aliorum ſalutem propius attigerunt, quàm Orientales, ſeque vi profeſſionis magis idonea reddiderunt inſtrumenta, quæ in Hierarcharum manu erga alios diuinorum operum miracula exercerent. Quare cum in Orientali Eccleſia non admodum multi primis temporibus, & eorum aliqui ſanctitate potiùs, quàm doctrina illuſtres, ex aſceteriorum vmbraculis in ſolem Eccleſiaſticarum dignitatum, & puluerem Apoſtolicæ prædicationis educti fuerint: credi vix poteſt quàm multa ex Monaſterijs noſtris millia Epiſcopales ſedes occuparint, quàm infiniti à Pontificibus ad infideles hæreticoſque Eccleſiæ adiungendos fuerint delegati. Neque minùs hoc loco conſideranda eſt à multis ſeculis Eccleſiæ, præſertim Occidentalis, in Monachos ad aliorum ſalutem admouendos propenſio, quando & eorum ſtudia mirè approbat, & magno ardore doctos è Monaſterijs extrahit, & illis ſe regendam ſumma cum deuotione committit. Simul & hoc apparet, cum ordines deinde aliquos inſtituit, quibus ex officio & vi regulæ competit Eccleſiaſtica quædam obire munia, & alienæ perfectioni vacare, nihil illam feciſſe à primis temporibus alienum, neque ab extremo, vt aiunt, ad aliud extremum ſine medio deueniſſe, cum prioribus Monachis, campum illum, ſupra eorum inſtitutum apertum eſſe voluerit.

DE MIXTO

## *DE MIXTO RELIGIOSORVM GENERE HAC poſtrema ætate: videlicet Mendicantium ordinibus.*

### CAPVT IX.

QVAMQVAM arcta ſit inter Religioſos Clericorum Monachorumque ordines neceſſitudo, atque hi ab illis initium, illi ab his reſtaurationem acceperint, vt vidimus: neque veri Clerici ſine Monaſticis virtutibus, & abſoluta perfectione eſſe poſſint; Monachi autem ſaltem per Occidentem, inſtituto ſuo relatiuam, id eſt, alios curantem perfectionem, ſaltem ſecundariò addiderint: diuturna tamen inter illos concordia, & conſpirans in vnum finem Hierarchiæ conſenſus ratò extitit: vt Monachi frequenter conqueri potuerint cum ſponſa, *filij matris meæ pugnauerunt contrà me.* Eam verò diſſenſionem animorum iam tum Carolo Magno regnante viguiſſe, conijcio ex Concilio Arelatenſi 4. ſub Leone III. quod præcipit *de pacis bono, atque concordia, vt ab omnibus omnino indiſrupta teneatur, inter Epiſcopos & Comites, inter Clericos & Monachos, atque omnem populum Chriſtianum.* Id ipſum ſuſpicari nos cogunt Bonifacij Papæ verba ſcribentis, *Decertantes igitur Monaſticæ profeſſionis Presbyteros, Sacerdotalis potentiæ arcere officio, omnimodo præcipimus vt ab huiuſcemodi nefandis auſibus reprimantur in poſterum.* Quo referri poſſunt eæ Abbatiarum in Epiſcopatus, Clericorum Regularium, vel etiam Monachorum in Canonicos ſeculares admodum crebræ & frequentes, in Gallia præſertim, mutationes, fuſiſſimè relatæ à Choppino non vno loco, nec opere: vt cum aliqui, more quæſtorum, enumerant ea bona temporalia quæ Religioſi poſſident, ad conflandam Epiſcoporum, ſeculariumque Iudicum inuidiam: ea de numero demere meminerint, quæ Clerici ſeculares Religioſis ademerunt. Addit verò idem Iuriſconſultus optandum potius ad firmam Hierarchici ſtatus conſeruationem, vt Chalcedonenſis canon renouetur, *qui iubet, quæ ſemel ex voluntate Epiſcopi dedicata ſunt Monaſteria, perpetuò manere Monaſteria, & res quæ ad ea pertinent, Monaſterio reſeruari, nec poſſe ea vltra fieri ſecularia habitacula. Qui verò hoc fieri permiſerint, Canonum correptionibus ſubiacebunt.*

*Crebra ſimultates inter Clericos & Monachos.*

Concil. Arelat. 4. c. 12.

16. q. 1. c. ſunt nonnulli.

Chopp. de polit. Ecclef. l. 1. tit. 3. a 6. 7. 8. Item de Iurib. Relig. l. 1. tit. 3. a. 6. 7. Vide & Nicol. le Maiſt. l. Inſtaur. Epiſ. princ. l. 3. c. 6.

Concil. Chalced. can. 24.

Verùm quos domicilijs, & animis diſſipatos coniungere vix potuerunt tempora, in vnum eiuſdem inſtituti corpus compegit Eccleſia, & ex meris Clericis, meris Monachis, mixtam ex vtraque viuendi lege Religioſi ſtatus ſpeciem adiuuenit. Nomen illi ex modo vitæ quærendæ, Mendicantes; finis, ſua & aliorum ſalus; media, virtus & doctrina; exercitatio, impenſa ſibi alijſque pietatis officia: labor, Pſalmodia, ſtudium ſacrum, exomologeſes fidelium, & conciones; inuentum Occidentalis Eccleſiæ; confirmatio ab vna ſede Romana; robur ab Epiſcoporum omnium approbatione, & communi populorum vſu. Primus ἐπτλήχειαν iſtam diuino planè animoglorioſè exercuit S. Dominicus; qui Canonicus Regularis ſub Epiſcopo Ciſtertienſi Monacho, cum duodecim Ciſtertienſibus Abbatibus ſtipendia ſacra meruit, factus inde maximi pulcherrimique exercitûs Imperator. Huic nomen ab officio Prædicatores; Regula à Clericis D. Auguſtini: priuata ſtatuta à Monachis,

*Coniuncti tandem in mixtum Religioſorum genus.*

*Summa inſtitutorum Mendicantium.*

*Primus auctor S. Dominicus.*

In vita S. Domin. li. 1. c. 12.

Caſſiani. Quæ omnia paucis vita S. Dominici docet, cum ait, *Illi inuocato Spiritu Sancto, Regulam B. Auguſtini concionatoris egregij, ipſi quoque concionatores, ſiue prædicatores futuri, vnanimiter elegerunt, adiunctis quibuſdam arctioris vitæ conſtitutionibus.* Sumptis videlicet è Caſſiani Collationibus, quas ab ineunte Clericatu regulari *ſtudioſè legendas ſuſcepit, deditque operam vt lecta intelligentiâ comprehenderet, affectu ſentiret, effectu & reipſa fortiter exequeretur. Didicit enim ex eo libro puritatem cordis, contemplationis viam, omniumque virtutum perfectionem, idque vnctione magiſtra.* Sic additus Clericatui Monachatus, & propriæ perfectionis ſuprema cura, proximi ſalutem magnopere promouit. Dedit ea diſciplina Romanæ Sedi Pontifices quatuor, ſi electum vnum numeramus, Purpuratos Patres duos & triginta; Epiſcopos quis recenſeat? Martyrologio ſanctos octo virginitatis flore omnes candidos; beatos ſex & octoginta miraculis illuſtres, Martyres cœlo penè octingentos. Doctores Eccleſiæ Thomas, Albertos Magnos, Antoninos, Vincentios Belloüacenſes: Caietanos, Hugones Ioannes à Turrecremata Cardinales, Ludouicos Granatenſes, Ferrarienſes, & innumeras eiuſmodi ſtellas, quas omnes primæ magnitudinis iure dixeris.

Ibid. c. 4.

*Vide Thomam Malpaum Bruxellis editum.*

Vide Hier. Plat. l. 2. de bono ſtatus Relig. c. 32.

*S. Franciſcus immenſi ordinis fundator.*

Sequutus æqualem, & in placanda Dei ira ſocium S. Franciſcus, magis alter, quàm ſecundus, ſanctiſſimi exercitus Imperator, ante omnia propriæ ſanctitatis ſitientiſſimus, paupertatem inſolitam, animi demiſſionem admirabilem, ſingularem in Deum caritatem, & exercuit ipſe, & ſequacibus ſuis tradidit, ſeculi primùm contemptu, quàm ſecularium conuerſione nobilior. Poſtea tamen S. Antonium Patauinum Theologiam docere paſſus, vitijs, hæreſibus, ignorantiæ per ſuos ſacrum bellum indixit: atque ab eo tempore Bonauenturas Eccleſiæ, Alexandros Halenſes, Ioannes Scotos, Ochamos, Petros Aureolos, Nicolaos Lyranos, iamdiu dedit: nouiſſimè autem Alphonſum à Caſtro, Medinam, Titelmannum, & innumerabiles alios. In quorum turba latere non debet egregius Pontificij iuris interpres, illuſtre Religionis ſuæ ſidus, de Religioſis ordinibus omnibus pulcherrimè meritus, cui proinde omnes meritas gratias & agere decet & habere, Emmanuel Rodericus, quæſtionum regularium auctor: qui è ſacro Seraphicorum patrum ordine quatuor Pontifices ſummos, Cardinales duos & quadraginta enumerat: tam multos Epiſcopos, vt in ſola Hiſpania, in qua ſcribit, probabile eſſe dicat nullam reperiri Eccleſiam *cuius regimen Epiſcopali dignitate non habuerint Fratres Minores.* Tantam verò copiam Religioſorum, etiam Calixti III. tempore extitiſſe narrat, anno 1455. vt triginta ex eis millia ad bellum ſacrum expedita fuerint, totidem ad cultum diuinum peragendum in Prouincijs remanentibus. Ita Minorum ordo Rachelis venuſtati Liæ fœcunditatem adiunxit; myſticum ſinapis granum, quod è minimo ſemine ſurrexit in arborem; *fons paruus qui creuit in fluuium maximum, & in aquas plurimas redundauit.*

Vide Hieron Plat. ibid.

Emmanuel Rodericus qq. Regul. tom. 1 q. 1. a. 3.

*Ordo Carmelitarum Eremiticus.*

Albertus in Reg. primitiua Carmelit.

Baron. ad an. 1181. tom. 12.

Carmelitarum ordo in Eremo prophetica natus, ſeu veteres Prophetarum filios, ſeu Carmeli montis in Nouo Teſtamento ſpectemus incolas, templum & ſacra per ſe primò non attingit: Alberto vno è legiſlatoribus decernente, vt *loca habeant in eremo vel vbi donata fuerint*: & vt *maneant ſinguli in cellulis ſuis, vel iuxta eas die ac nocte, in lege Domini meditantes, & in orationibus vigilantes.* Eadem ſolitudinis cauſa memoratur à Cardinale Baronio ſtabiliendi illius in Carmelo monte ordinis, id agente Aimerico Apoſtolico legato, & Antiocheno

cheno Patriacha, in eorum gratiam qui eremiticam vitam in Oriento ducturi, Barbarorum incurſionibus vexabantur. Atque idem Trithemij credulitatem incuſat alibi, quod S. Cyrillum Alexandrinum, ſcripſerit Carmeli montis Monachum extitiſſe, cum veterum ſcriptorum aſceticæ hiſtoriæ nemo Carmelitanæ illius eremi meminerit. Quicquid hac de re diuerſi ſentiant, negari non poteſt Eliam comite Eliſæo ſacram illam ſpecum habitaſſe, & Carmelitanos Patres dici à Pontificibus Romanis eorum ſucceſſionem hæreditariam tenere, vt pluribus refert Iacobus Salianus, rerum in antiqua Moſis Eccleſia geſtarum diligens & curioſus inueſtigator. Quam ſpecum vt paternam hæreditatem, incolunt adhuc Patres Diſcalceati, antiqui ſpiritus Eliæ, & eremiticæ ſeueritatis reſtauratores. Cui tamen ordini, clericatum ſuperinſecerunt Pontifices Romani, cum Mendicantem eſſe voluerunt, & abſoluta ſanctitate retenta, relatiuæ inuigilare iuſſerunt.

Idem ad an 444. Tom. 6. vide & Gualter. in Chron. ad 12. ſeculũ. Salian. to. 4 annal. ad an. mũdi 3327 n. 27. & 31: 9. n. 45.

Quo ex tempore nobiles religione ſcientiaque ex illo cœleſti ludo prodierunt athletæ: vt S. Albertus Drepanitanus, qui ſcribitur *infideles Iudæos concionum ſuarum radijs mirificè illuſtraſſe; nec rarò ex illis ad Chriſti Religionem quoſdam traduxiſſe*. S. Angelus Martyr ex ipſa Carmeli ſolitudine, ad martyrij palmam miſſus in Siciliam: quæ laurea cum ipſi à S. Franciſco, præſente S. Dominico prædiceretur; ipſe viciſſim Seraphico patri martyrium cordis, & diuina in corpore ſtigmata cælitus vaticinatus eſt, vt pangit venuſto carmine Baptiſta Mantuanus, & ipſe Carmelitanæ familiæ non vltimum decus. Petrus Thomas Epiſcopus primùm Badaiocenſis, deinde Patriarcha Conſtantinopolitanus, & S. Sedis legatus in bello ſacro, quo Petrus Rex Hieroſolymorum & Cypri Alexandriam in Ægypto expugnauit. Daniel Epiſcopus Verdenſis in Germania, Lucretius Tiraboſcius, Michaël Ayguanus, quem hactenus Incogniti nomen in Pſalmos fecit notiorem, Benedictus XII. Pontifex Romanus, quem, vt fert ſepulchralis inſcriptio, *Carmelus protulit, Caſſinus aluit, Vaticanus coronauit*. Et vt cæteros omittam quos Bibliotheca Carmelitana Franciſci de Luna copioſè ſubminiſtrabit, Thomas ille VValdenſis, VVicleffi ſtrenuus expugnator, Concilij Conſtantienſis, & Catholicæ veritatis aduerſus ſpurciſſimos hæreticos Regularium hoſtes doctiſſimus propugnator: cui in hac de Hierarchia & Regularibus controuerſia, eò maior debetur auctoritas, quò propiùs VVicleffi hæreſim inconſideratè ſtringunt in aliquibus neoterici Antiregulares. De omnibus autem vniuersè, in Oriente potiſſimùm fulgentibus, ita ſcribit P. Zanches, apud Ioannem Baptiſtam Gramaye. *Huius incendij ſcintillæ per vniuerſum orbem diſperſæ, nouos amoris diuini ignes excitarunt, receptis vbique etiam inter barbaros fratribus*. Et interiectis paucis. *Cœnobia & eremi aliquot in montibus Tingitanæ coaluerunt, barbaris & idololatris in ſtuporem raptis, & quod in primitiua fiebat Eccleſia, bona proijcientibus ad pedes euangelizantium pacem. Hi per ſolitudines erant, quod Ioannes olim, vox clamantis in deſerto, Parate viam Domini. Eorum plures à Saracenis martyrizati ſunt*. Hæc ille.

*Illuſtres viri ex ordine Carmelitarum.* In vita S. Alberti Carmel. apud Sur. 7. Aug. Bapt Mantuan.

Franc. de Luna in Biblioth. Carmel.

Gramaye l. 9. afric. illuſtr append. ex P. Zanches in l. de diſperſione Monach. Palæſt.

## DE AVGVSTINIANORVM EREMITARVM *Inſtitutore priuata diſputatio.*

§. I.

*Auguſtinianorum ordo Eremiticus.*

AVGVSTINIANORVM ordo vetuſtiſſimus, vel ipſo nomine Eremiticum ſe profeſſus, peculiarem, licet in tranſcurſu, tractationem efflagitat, quia vnde minimè ſperare debuit, impugnatur. Illum ego ſine dubitatione aſſero à S. Auguſtino inchoatum; ſub ea ſemper vixiſſe regula, etiam in eremo, quæ Auguſtiniana vocatur & eſt; poſtremò nonnihil immutatum ab Eccleſia fuiſſe ſuperaddito clericatu. Tria hæc omnia explicatione indigent: priora duo etiam confirmatione.

*Status quæſtionis.*

*Ambroſius Coriolanus in Defenſorio ordinis. Ioan. Gonſalez in Epitome hiſtoricæ inſtitut. Eremit. S. Auguſt. I. B. Gramaye Africæ illuſtratæ l. 5. c. 3. & complures alii. nos ex iſtis qui ſunt ad manū.*

In primo celebris illa verſatur quæſtio, vixerit Auguſtinus, nec-ne Monachus aliquando inter Monachos? Id enim ſi verè conficitur, nulla iam dubitatio ſupereſt, quin ab eo, & ex eo propagatus ſit Monachorum ordo, diſtinctus à Clericis, quos nemo vnquam Monachos ſub Auguſtino fuiſſe dixerit. Scio equidem à multis occupatum iam ante hunc locum, & magna doctrinæ animorumque contentione vtramque in partem diſputatum; vt vel ex vno Ambroſio Coriolano patet, qui Defenſorium ordinis ſui Sixto IV. Pontifici obtulit, & vehementiſſimè totum hanc controuerſiam explicauit. Verùm prætermiſſis illis, quorum ſinguli aduerſarios elegerunt quos profligarent; vni ego me ad illorum exēplum, quem hic mihi ſæpe tractatus obtulit, recenti & Monachorum exemptorum, vt quàm leuiſſimè dicam, non amanti, oppono, ſanctiſſimi ordinis gloriam vindicaturus. Is eſt Nicolaus le Maiſtre, qui tanquam hoſtiles focos & aras, opinionem affirmantem conatur euertere, quæ tamen ipſo iudice *communiſſima, fereque ab omnibus in hanc ætatem recepta extitit;* eam verò appellat ipſe *ſomnium, narrationem gratis confictam, commentum,* & non ea quam profitetur modeſtia confutat. Duæ ſunt autem eius ad eam conuellendam machinæ: priore, teſtimonia veterum vt S. Ambroſij, Innocentij I. Sigeberti, & ſimilium ridet diſſipatque, tanquam vana & adulterina, quibus Auguſtini Monachatus aſſeritur. Altera, nullum in Auguſtini vita reperiri tempus oſtendit, quo vitam Monaſticam colere potuerit. Ego qui hanc quæſtionem excurſum meum puto, non opus, in ſcriptorum illorum veritate ſtabilienda immorari, aut omnium fidem quæ à citatis auctoribus adducuntur præſtare neque volo, neque debeo: ſed illibata eorum auctoritate, ipſum primò Auguſtinum eiuſque ſcripta conuenio, quod eſt ſecundum aduerſarij argumentum: deinde teſtium omni exceptione maiorum dictis, quæ diſſimulat aduerſarius, confirmo S. Auguſtinum cum alijs propoſiti ſui ſocijs Monachum extitiſſe: & hos proinde Monachos, qui Eremitæ dicuntur, iure optimo tantum patrem, tanquam veros legitimoſque filios agnoſcere.

*Auguſtini Monachatum negat Nicol. le Maiſtre l. 3. Inſtaur. Epiſ prin. c. 1. & ſeq. Eius argumenta. Contraria opinio ponitur.*

*Vita Auguſtini in partes diſtributa.*

Ordior à vita. Eam tres in partes diſſecat aduerſarius. Rectè; ſed illas non rectè diſtribuit. Vult enim primam præceſſiſſe baptiſmum, mediam in Preſbyteratu ſuſcepto terminat; tertiam producit ad maturam mortem. Malim ego primæ terminum in conuerſione figere, quæ duos annos & menſes aliquòt Baptiſmum præceſſit, & catechumenum habuit Auguſtinum: ſecundam verò vſque ad Epiſcopatum protelo; ſiquidem non alia conditione vixit

vixit Presbyter, quàm laïcus; (altaris officia ſemper excipio) in Epiſcopatu verò vt aucta cura, & mutatus labor eſt, ita viuendi ratio altera debuit inſtitui: quod ex Monaſteriorum diuerſitate mox apertè deducetur. Quamobrem complectirur ea pars annos Auguſtinianos à trigeſimo primo conuerſionis, ad quadrageſimum primum inrii Pontificatûs, ſuperſtite adhuc Valerio. Et quoniam de tribus illis temporibus, medium ſolum in quo verſamur, Auguſtini Monachatui poſſe attribui concedimus, pars hæc adhuc bifariam diuidenda eſt: in eos annos quibus poſt conuerſionem moratus eſt in Italia: & eos quos exegit in Africa. Scriptores ij quorum abdicaui teſtimonia volunt triennio toto poſt baptiſmum Eremiticam vitam duxiſſe, & plura in Italia Monaſteria fundauiſſe. Ex aduerſo Theologus noſter vt hos illis annos eripiat, ſtatim ab aquis luſtralibus eum putat in Africam nauigaſſe; indeque poſtea rediſſe ad Oſtia Tiberina, vt morientis matris ſpiritum legeret. Mediam ego viam ingredior cum Eminentiſſimo Annalium ſcriptore, & eum reor quarto à conuerſione, altero à Baptiſmo anno, poſt matris depoſitionem, in terram Africam remeaſſe. *Baron. ad an. Chr. 389 to. 4.*

Nam illa prior peregrinatio tam feſtina, tam inutilis, qualis ab aduerſario excogitata eſt, nullo in vita Poſſidij, aut eius Confeſſionibus fundamento nititur; neque vllum arbitror eius teſtem poſſe laudari. Quis autem credat derelictam in Italia matrem à filio iam obſequentiſſimo, & ſuſceptam ſine grandi, & vehementer vrgente negotio tantam peregrinationem, cuius nullus apparet fructus in hiſtoria? Et vide quibus eam fulciat argumentis. *Fuit*, inquit, *Auguſtinus eo tempore in oſtijs Tiberinis fractus & feſſus ex longo itinere, ergo aliunde quàm Roma, aut Centumcellis aduenerat.* Quaſi laſſitudinem aliunde non potuerit contrahere; quàm ab Africano curſu. Et verba ipſa oportuit notata, quæ nobis fauent. *Remoti à turbis poſt longi itineris laborem, inſtaurabamus nos nauigationi.* Putas ex Africa remeaſſe Auguſtinum, vt ſtatim rediret in Africam? Hiemaſſe Romæ credit Baronius: inde potuit cum parente alias in vrbes digredi ad ſalutandos amicos, & tandem *poſt longi itineris laborem* apud Oſtia Tiberina quiete corpus reficere, dum mare aperitur. In illa autem commoratione Romana, tria ſcripſiſſe ſe narrat opuſcula, de moribus Eccleſiæ, & Manichæorum: De animæ quantitate: De libero arbitrio, quorum commentatio paucis diebus non exhauritur. Rem auges altero tuo argumento imprudens. Baptizatus eſt, inquis, Adeodatus cum parente ſuo, anno ætatis decimoquinto. (*ferè quindecim*, ait Auguſtinus) *at anno ætatis decimo ſexto fuit in Africa: Nam librum de Magiſtro Auguſtinus in Africa ſcripſit, in quo interlocutorem inducit Adeodatum, quem tum ait fuiſſe natum annos ſexdecim: ergo anno immediatè ſequenti poſt baptiſmum Auguſtinus fuit in Africa.* Concluſionem hanc amplector, quibuſcumque illa è principijs educatur; & id contendo, anno baptiſmum ſequente fuiſſe in Africa, quia tum ſecundiſſima nauigatione peruenit in Africam. At tu eodem quo baptiſmi gratiam percepit anno, vis in Africam migraſſe, & ibi ſequente adhuc anno commorantem, ſcripſiſſe librum de Magiſtro; addo ego libros de Geneſi contra Manichæos, de Muſica, de vera Religione: quos aio compoſitos in agri paterni ſolitudine antequam Hippone

*Refellitur Auguſtini peregrinatio ab aduerſario excogitata.*

Conf. l. 9. c. 10.

Baron. loco cit.

*De libris Romæ ſcriptis.*

Augu. l. 1. Retract. c. 7. 8. 9.

*De libris ſcriptis in Afric. arefellitur aduerſarius.*

Lib. 1. Retract. c. 10. 11. 13.

Preſbyter habitaret: ut prius natos dicas oportet, quàm ad matrem rediret in Italiam. Dic igitur amabo poſt tot & tanta opera, quibus alis in Africam volare, quibus Romam reuolare potuerit? Non fuit autem in argumento neceſſaria, diligens illa Adeodati pueri annorum diſquiſitio, cum abſentem, & mortuum potuerit pater, lege dialogorũ, collocutorem ſuum fingere, & eius ſenſa, non autem verba & colloquia exprimere, quod feciſſe ſe non obſcurè innuit. Exploſo igitur nouitio peregrinationis illius commento, maneat illud conſtitutum, quarto poſt conuerſionem anno reuertiſſe Auguſtinum in Africam, vnde poſtea digreſſus nuſquam eſt.

Conf. l. 9. c. 6.

*Auguſtini vita in Italia poſt conuerſionem.*

Iam illis annis quam viuendi formam tenuerit inſpiciamus. Statim à cõuerſione ad ſolitudinem ab hominum frequentia remotam aſpirat, reumque ſe facit, *quòd iam pleno corde militia Chriſti, paſſus ſe fuerit vel vna hora ſedere in cathedra mendacij.* Cum ergo *reliquiſſet, vel quæ adeptus fuerat in cupiditatibus huius mundi, vel quæ adipiſci volebat; ſe ad Chriſtianæ vitæ otium contulit, nondum baptizatus,* & *ſoli Deo cum ſuis ſeruire ſtatuit, in illo & ex illo puſillo grege eſſe ſtudens, quem Dominus alloquitur dicens, Vendite quæ poßidetis;* & illud facere cupiens, *Si vis perfectus eſſe, vende omnia quæ habes:* quibus verbis Religionum omnium fundamenta nituntur, quorum extrema Monachum fecerunt Antonium. Tum verò rus verecundi Caſſiciacum incoluit, *vbi ab æſtu ſeculi requieuit in Deo,* tanta cum vitæ aſperitate, & rerum cœleſtium deſiderio, vt Alipius cum eo profectus ad Baptiſmum poſtulandum, *iam indutus eſſet humilitate Sacramentis congrua, & fortißimus domitor corporis, vſque ad Italicum ſolum glaciale nudo pede obterendum inſolito auſu.* Erant hæc futuri Monachatus tyrocinia, quem ego ſtatim à Baptiſmo inchoatum credere non vereor, cum in eo legam, *Qui habitare facis vnanimes in domo* (quod maximè de Monachis intelligendum admonet explicatio Pſalmi 132.) *conſociaſti nobis & Euodium iuuenem ex noſtro municipio, qui cum Agens in rebus militaret, prior nobis ad te conuerſus eſt, & baptizatus, & relicta militia ſeculi accinctus eſt in tua. Simul eramus, ſimul habitabamus placito ſancto. Quærebamus quiſnam locus nos vtilius haberet ſeruientes tibi: pariter remeabamus in Africam. Et cum apud oſtia Tiberina eſſemus, mater defuncta eſt.* Licet hic Monaſterium appareat nullum, ſeculi tamen contemptus, vita ſtrictior, ſociorum eiuſdem conſilij conuictus apertè ſe produnt. Miniſtrabat eis ſanctiſſima Monica, & quaſi naſcentis Monaſterij cellararia, aut Præpoſita rem curabat domeſticam. *Nobis, domine, omnibus, qui ex munere tuo ſinis loqui, ſeruis tuis qui ante dormitionem eius in te iam conſociati viuebamus, percepta gratia baptiſmi tui ita curam geßit, quaſi omnes genuiſſet, ita ſeruiuit quaſi ab omnibus genita fuiſſet.* Quæ tam illuſtrem vitæ ſanctioris conditionem filio gratulata dicebat. *Unum erat propter quod in hac vita aliquantùm morari cupiebam, vt te Chriſtianum Catholicum viderem, priùs quàm morerer. Cumulatius hoc mihi Deus meus præſtitit, vt te etiam contempta fœlicitate terrena, ſeruum eius videam. Quid hic facio?* Quid hic faciet aduerſarius ſi religioſam in Neophyto laico vitam fateri obſtinatius refugit, eo tantùm nomine, quòd Monaſterium & Abbatem, & vota, & id genus aliqua locis iſtis non legit? Ac licet *cucullam nigram, & cingulum ex corio* in baptiſmo donata, cum Baronio nolim admittere, in Meditationibus tamen, quas ei nemo certò & conſtanter eripit, ſcriptum video, *ego tot beneficiorum ingratus, poſt religionis ingreſſum, multa commiſi illicita.* Quæ verba

Confeſſ. l. 9. c. 2. Libr. 1. Retra. c. 1. Poſſid. in vita Aug. c. 2. Confeſſ. l. 8. c. 12. Ibid. l. 9. c. 3. *Vita aſperitas.* Ibid. c. 6.

*Monaſtica vita poſt baptiſmum inchoata.* Ibid. c. 8.

Ibid. c. 9.

Ibid. c. 10.

Medit. c. 39.

verba ad hoc tempus, non ad ſuſceptos ordines referri quid prohibet? Cum nuſquam de inito clericatu ſic loquatur: & ſolum ei collatum Preſbyteratum legamus. Sed age, quæramus expreſſum in Africa, quod tacet Italia.

## MONACHORVM AVGVSTINIANORVM *inſtitutio in Africa.*

§. II.

ITERVM Africana pars ætatis mediæ, duo in membra diuidi ſe patitur: in annos ante, & poſt ſuſceptum Preſbyteratus ordinem. Triennio pars prior clauditur: quod quomodo egerit, tum ipſe, tum hiſtoricus Poſſidius enarrat. *Venientes* in Africam *de Tranſmarinis, nondum quidem Clericos, ſed iam Deo ſeruientes, Innocentius Exaduocatus, vt erat cum tota domo ſua religioſiſſimus, ſuſcepit*, & apud eum habitauerunt. Deinde verò in propriam domum agroſque reuerſus, & *à ſe iam alienatis curis ſecularibus; cum ijs qui eidem adhærebant, Deo viuebat, ieiunijs, orationibus, boniſque operibus in lege Domini meditans die ac nocte*: poſtquam *tenuem paupertatulã ſuam vendidit, & pauperibus erogauit.* Quæ verba Poſſeuinum adegerunt, vt illum ſcriberet venditis omnibus mundo valedixiſſe, paupertatem, caſtitatemque coluiſſe, Monaſterium inſtituiſſe in quo cum ſocijs Euangelicæ perfectioni operam dedit. Certè ad vitam Monaſticam Cœnobiticam nihil hic deſiderari poteſt, præter Monaſterium: hoc in prima illa ſolitudine non reperio, niſi quod ſupra in Baſilio videbamus *naturale Monaſterium*, propoſito potiùs & degentium moribus, quàm loci opportunitate & ædificijs regulare: vt verè hac in re dixerit aduerſarius, *Reuerſum in Africam, non incluſiſſe ſe clauſtri alicuius anguſtijs.* Fateri tamen debuit eius conſtruendi non animum, ſed locum defuiſſe. *Quærebam vbi conſtituerem Monaſterium, & viuerem cum fratribus meis. Veni ad iſtam ciuitatem* (Hipponem) *propter viaendum amicum* (ex ijs quos dicunt Agentes in rebus) *quem putabam me lucrari poſſe Deo, vt nobiſcum eſſet in Monaſterio: vt quod Deo vouerat, redderet*, qui iam erat *bene Chriſtianus, Deumque timens.* In hoc otio verè Monaſtico, quatuor illa ſcripſit opera quę ſuperius commemorabamus, de Geneſi aduerſus Manichæos, de Muſica, de Magiſtro, de vera Religione. Cum autem toto illo tempore nulla pueri Adeodati fiat vſpiam mentio, certumque ſit eum præmatura morte ſublatum; quis cogat credere, fuiſſe adhuc ſuperſtitem eum liber de Magiſtro ſcriberetur, licet in eum relata ſint quæ antea cum patre collocutus fuerat annos natus ſedecim? Facta conſtat hæc omnia illo triennio, quo adhuc erat *laicus* Auguſtinus, *& ab eis Eccleſijs quæ non haberent Epiſcopos, ſuam abſtinebat præſentiam.*

*Auguſtini vita in Africa ante Preſbyteratum.* De ciuit. Dei l. 22. c. 8. Poſſid in vita c. 3. Augu. ſer. 49. de diu. Poſſeu. in appar. ſac. verb. Aug. Tagaſt. Augu. ſer. 49. de diu. Poſſid. in vita c. 3. Retract. l. 1. c. 10. 11. 12. 13. Conf. l. 9. c. 6. Poſſid. in vita c. 4.

Sequitur Preſbyteratus quadriennium, altera pars Africanæ quam decurrimus, ætatis. Hic tandem apertum eſt in agro Hipponenſi Monaſterium. *Et quoniam hic diſponebam eſſe in Monaſterio cum fratribus*, (ne Monaſticam vitam deſerere cogeretur, ob Preſbyteri profeſſionem, Monaſterium ponere voluit in ciuitate, vbi & operam ſuam populo, & otium priuatum Monachis daret) *cognito inſtituto* (in quo diu perſeuerauerat) *& voluntate mea* (non dimittendi Monachatus ob clericatum) *beatæ memoriæ ſenex Valerius dedit mihi hortum illum, in quo nunc eſt Monaſterium.* (Monachorum) *Cœpi boni propoſiti fratres colligere compares meos* (non in Preſbyteri ordine, ſed in vitæ profeſſio-

*Auguſtini vita in Preſbyteratu.* Augu. ſer. 49. de diu.

ne) *nihil habentes, ſicut nihil habebam, & imitantes me.* Ioannes Gonſalez cum recolit in eo Monaſterio fuiſſe Presbyterum Auguſtinum, interpretatur *Parochum*, & ei *tanquam Paſtori Catholici gregis* factam ab Epiſcopo Valerio poteſtatem habendi conciones. Sed id officij genus, ne pilum quidem habet veriſimilitudinis, cum nuſquam ſic cum appellet quem citat Poſſidius, neque vllus alius quod ſciam: cum Hipponenſis Eccleſia in Parochias diſtincta non fuerit, quemadmodum Alexandrina, in qua veterè Parochus extitit Arius apud S. Epiphanium: cum hortenſe iſtud Monaſterium Monachis conditum fuiſſe & veritas declaret, & non ſemel fateatur ipſe Gonſalez. Neque verò Paſtor ex eo putandus eſt fuiſſe, quòd verbum Dei iubente prædicaret Epiſcopo: id enim ab Origine adhuc laico factum videbimus in Oriente, & hunc non fuiſſe morem Africanarum Eccleſiarum monet Poſſidius: vnde ſequeretur neminem tota Africa, neminem Hippone regio ante Auguſtinum fuiſſe Parochum, ſi hæc eſt opimiana curæ Paſtoralis nota.

*Auguſtinum dicunt Parochum.* Refellitur Gonſalez in Epito. Iuſtit. c. 3. Epiphan. hær. 68. & 69.

Monaſterium verò iſtud intra Eccleſiam inſtitutum fuiſſe à Presbytero ſcribit Poſſidius, hoc eſt, vt ego neceſſitate compulſus interpretor, in bonis Eccleſiæ, in horto quem poſſidebat Eccleſia. Non enim potuit illud aliud Monaſterium intelligere hiſtoricus, quod ad huius diſcrimen Monaſterium Clericorum appellatur, & eſt ab Epiſcopo exædificatum, ipſo ſic narrante. *Perueni ad Epiſcopatum, vidi neceſſe habere Epiſcopum, exhibere humanitatem aſſiduam quibuſcunque venientibus, ſiue tranſeuntibus. Quod ſi non feciſſem Epiſcopus inhumanus dicerer: ſi autem conſuetudo iſta in Monaſterio* (iam antea fundato) *permiſſa eſſet, indecens eſſet,* (Monachorum quiete peregrinantium tumultu frequentiaque turbata) *Et ideo volui habere in iſta domo Epiſcopi mecum Monaſterium Clericorum*: alterum à priori, vt & ego cum Religioſis viuerem Religioſus; & hoſpites humanitate recrearem vt Epiſcopus, hoc in Monaſterio, quod in alio fieri non decebat. Hæc duo Monaſteria ſolerter diſtinguit Baronius; non autem Bellarminus, qui magis ad Poſſidij literam adhæreſcens, vnicum agnoſcit: ſic tamen vt ex eo intelligat, *Monachum quidem fuiſſe S. Auguſtinum, ſed non in ſolitudine cum Eremitis, ſed in ciuitate, & Epiſcopali domo cum Clericis ſuis Monaſticam vitam duxiſſe.* Ad eum intra Monaſterium ſedentem accurrit Firmus quidam, vt Manichæorum hæreſim eiuraret; vtrum autem è duobus fuerit, incertum reliquit hiſtoricus. At ſine dubio è ſecundo eductus fuit Epiſcopus Calamenſis, *vnus ex ijs quos de ſuo Monaſterio & Clero Epiſcopos Eccleſiæ propagauerat.*

Poſſid. in vita c. 5. Augu. ſer. 49. cit. Baron. ad an. Chr. 391. quem vide. Bellar. l. de ſcrip. Eccl. in Auguſt. Poſſid. in vita c. 15. Ibid. c. 12.

Cæterum quòd prius Monaſterium Monachorum appellamus, quòd poſterius iſtud *Clericorum* ipſe vocat Auguſtinus, ſic accipiendum puto, vt è priori ſelectos quoſdam Clericatu inſigniret, & ad iſtud tranſtulerit: ſcribente Poſſidio in Epiſcopatu Auguſtini enarrando. *Sub ſancto & cum ſancto Auguſtino in Monaſterio Deo ſeruientes Eccleſiæ Hipponenſi Clerici ordinari cæperunt.* Qui poſtea etiam in varias Eccleſias diſperſi ſunt, omnibus tantùm beneficium ambientibus. Notabis hic interim manſiſſe ſemper vtriuſque Monaſterij Præpoſitum Auguſtinum, neque alteri prioris Cœnobij curam ab eo fuiſſe commiſſam.

*Clerici ſeparati à Monachis.* Ibid. c. 11.

Ab eo tempore vinea hæc de Ægypto tranſlata, plantatis radicibus impleuit terram; & vtriuſque Monaſterij alias in Eccleſias recepta ſimilitudo eſt. De Clericorum Monaſterio intelligo Poſſidium, dicentem *ex illorum*

*Propagatur Auguſtini ordo duplex.*

*rum ſanctorum propoſito venientes Monaſteria inſtituiſſe, & cæteris Eccleſijs promotos fratres ad ſuſcipiendum Sacerdotium præſtitiſſe.* Ad prius autem pertinere videtur calumnia Petiliani non indecora. *Deinceps perrexit ore maledico in vituperationem Monaſteriorum, & Monachorum; arguens etiam me quod hoc genus vitæ à me fuerit inſtitutum: quod genus vitæ omnino quale ſit, neſcit; vel potius toto orbe notiſſimum neſcire ſe fingit.* Potuit-ne ſanctus Pater obnoxius illi criminationi fuiſſe, ſi cum Monachis Monachus ipſe nunquam vixit? Id certè non videtur Baronio acerrimi iudicij viro, & fabularum oſori. *Quod*, inquit, *S. Auguſtinus primus fuit qui Monaſtica vitæ inſtituta inuexit in Africam, eademque primus ſeruare cœpit, alijſque ſeruanda tradidit, inde accidit*, &c. Poſſid. in vita c. 11. Aug. l. 3. contra Petil. c. 40. Baron. ad an. Chr. 391 cit.

Idem peruidit Petrus noſter Aurelius, cum *in Africa nullum Monachorum, aut Monaſticæ vitæ veſtigium ad tempus vſque S. Auguſtini cerni* aſſerit, vt primum ſciamus ab illo impreſſum: cumque paucis ante verbis inter eos quarti ſeculi Antiſtites, qui Regulares non fuerunt, etſi Gregorium Nazianzenum, & Baſilium confidenter accenſeat; Auguſtinum tamen non audet numerare, *vt*, inquit, *de Auguſtino nihil dicam.* Ita veritatem in iniuſtitia detinet, quia pluſculùm Regularibus fauet. Quæ autem excogitari poteſt ratio, cur ſui in Religioſorum odio Imperatoris ſigna deſerat aduerſarius hoc loco, in Auguſtinianorum Eremitarum cauſa, in eius ordinis gloria, in qua Nicolaum le Maiſtre patronum ſuum fore omni iure ſperare potuerant, licet omnes Aurelij contradicerent? Sed vt redeam ad inſtitutum, quàm admirabilis fuerit Monachorum Africa tota, ex Auguſtini Monaſterio propagatio, narrat Ioannes Baptiſta Gramaye; cuius initijs non leue momentum attulit frequens ipſorum commendatio, quæ ex ore tanti Antiſtitis, voluminibuſque ſcriptis perdiſcebatur. Nam vt alios omittam locos, quicquam-ne aut maiùs ad honorem, aut benignius ad amorem dici poteſt in Monachorum Cœnobitarum nomen & mores, quam nobilis illa Pſalmi 132. enarratio? Quàm autem altè ad animum penetraſſe Monachorum amorem demonſtrauit, primo libro quem baptizatus ſcripſit, *De moribus Eccleſiæ Catholicæ*, in quo vtranque vitam Monaſticam, videlicet Anachoreticam & Cœnobiticam pene non humanis laudibus exaggerat? Et primum hunc cordis fœtum lingua peperit, vt liberatoribus ſuis aliquam reponeret gratiam. Tota enim illa Potitiani narratio de Antonij Monachi vita, de Mediolanenſi Monaſterio, de Gratiani Auguſti aulicis ad Deum ſubitò conuerſis, vltimam in animum diu obluctantem fecit impreſſionem; & ſuſcepto deinde bapriſmo primum illud extulit, quod poſtremum hauſerat, & quorum exemplo fuerat melior effectus, ijs partæ ſanctitatis primitias conſecrauit. Cum autem ea ſit Auguſtini ſapientia, vt intimè perſpectam habuerit Monaſtici ſtatûs eſſentiam: ea ſanctitas vt virtutem cognitam non potuerit non amare; ea caritas vt amatum bonum ſtabilierit propagaritque; inter Aurelianorum procerum contemptus & opprobria, vnum hoc certè Religioſis grande ſolatium ſuperfuerit, Auguſtino placuiſſe. Petr. Aur. in vind. p. 504. Gramaye l. 2. Africæ illuſt. c. 4. *Auguſtini amor in Monachos.* Conf. l. 8. c. 6.

Cæterùm quæ de Auguſtino, ex ipſo Auguſtino dicta confirmauimus, maiorem ab eius regula Religioſis tum ſcripta lucem auctoritatemque accipient: ſed fidem prius meam omni ex parte debeo exſoluere, vt magnorum teſtimonio virorum, eundem Auguſtini Monachatum, & ex eo propagatum *Pontifices quæſtionem hanc terminarunt.*

quem videmus Eremitarum ordinem, apertè conficiam. Huc ego non reuoco doctiſſimos Cardinales Baronium & Bellarminum Monaſticæ illius vitæ aſſertores; non S. Antoninum Archiepiſcopum idem diſertè & fuſius enarrantem: non pleroſque alios ab Ambroſio Coriolano, & Ioanne Gonſalez productos. Solis Romanis Pontificibus arbitris, imo iudicibus, controuerſiam hanc cupio terminari.

*Ioan. 22. ſententia. Bulla quæ incipit Venerandæ ſanctorum Patrum.*
Apud Ambroſ. Coriolan. in Defenſ. ordin.

Guillelmus igitur Cremonenſis vir ſanctitate & ſapientia præſtans, eius ordinis Generalis, cum ſuſceptos pro Eccleſia labores à Ioanne XXII. ſacra oblata purpura compenſari videret, vnum aliquod ordini potiùs ſuo, quàm ſibi priuatim decus & ornamentum conferri ſupplex poſtulauit; videlicet vt ſupremæ Sedi placeret collecto eruditorum hominum cœtu exquirere & definire, verè-ne, an falsò S. Auguſtino patre & inſtitutore gloriarentur. Collegit Pontifex, & excuſſis bibliothecis omnibus, communi decretum eſt ſuffragio, quod pro auctoritate ſua Pontifex definiuit, ita ſe rem habere, & venerandas magni Patris reliquias Ticinenſi ipſorum Monaſterio conceſſit, *quatenus*, inquiens, *ibi tanquam membra ſuo capiti, filij patri, magiſtro diſcipuli, duci milites, cohærentes Deo & ipſi Sancto, auctoritate ſuffulti Apoſtolica præcordialius iubilent; vbi & præceptoris veſtri, patris, ducis, & capitis Auguſtini noueritis reliquias fore ſepultas.* Vt enim addit Pontifex, *lamentabile videbatur proprios filios paterno ſepulchro priuari*: ideoque ſe illud eis tradere *ceu veris hæredibus, & legitimis filijs*. Quæ non eſt mera beneficij & gratiæ collatio, ſed Iudicis cognita cauſa interlocutio. Matrem optimam adiunxit filio Martinus V. non eodem quidem loco, ſed eodem in ordine Eremitico religiosè aſſeruandam, cum S. Monicam de Oſtijs Tiberinis in Vrbem tranſtulit, & apud Auguſtinianos Eremitas poſuit, tanquam illius *veros nepotes, & legitimos hæredes.* Narrat idem Coriolanus Eugenium IV. in ſolenni S. Nicolai Tolentinatis conſecratione, ipſum appellaſſe *Doctoris Eccleſiæ Auguſtini filium*, vnde ſequitur vt *Auguſtinum ipſius patrem, & fundatorem ordinis Eremitarum aſtruxerit.* Quæ verba quoniam ipſius Canonizationis Bulla non continet, ſed id tantùm, *in approbata religione fratrum Eremitarum S. Auguſtini ab eius pueritia educatum*: in hiſtorici fide relinquo, vt & pleraque alia, in Epitomen hiſtoricam à Ioanne Gonſalez contracta.

Ioan. Gonſalez in Epito. Inſtitut. fratr. Erem. S. Auguſt.
Sixtus 4. Bulla Dum attentè.
Apud Coriolanum.

Sixtus item IV. priuilegium Indulgentiarum quarundam Auguſtinianorum Eremitarum Eccleſijs concedens, hæc præfatur. *Beatiſſimus Aurelius Auguſtinus ſubtiliſſimus Euangeliorum, & ſacrarum literarum perſcrutator, fidei orthodoxæ illuminator clariſſimus, religioniſque regularis, & Apoſtolicæ vitæ ac caſtitatis, paupertatis, & obedientiæ amator, & inter cætera ordinis Eremitarum fratrum eiuſdem plantator & priſtinus inſtitutor extitit.* Nemo ſapiens Coriolanum dixerit virum grauiſſimum, & ordinis vniuerſi Generalem ſapientiſſimum, ſcripta ſua Sixto IV. Summo Pontifici offerentem, & publicam apud eum iudicem ordinis ſui cauſam perorantem, adulterinam, aut vllo verbo corruptam Bullam, velut ab eo profectam, ipſi eidem obtruſiſſe. Quare de eius veritate nulla mihi ſuboriri poteſt dubitatio.

AVGV.

## *AUGUSTINIANORUM EREMITARUM aggregatio & regula.*

§. III.

ORDINEM ſanctiſſimum à Barbaris qui Africam omnibus ſeculis immanitate ferina deuaſtarunt, in ſuis pene incunabulis ſuffocatum non fuiſſe, ipſo inſtitutore VVandalicis irruptionibus cedente, quis non miretur? quis felicem non æſtimet regionem quæ vel tenues nobiliſſimi naufragij reliquias colligere potuerit? Imo quis non obſtupeſcat tot procellarum & tempeſtatum victorem triumphatoremque Monachatum, extendiſſe palmites ſuos vſque ad mare, & vſque ad flumen propagines ſuas? Africam modò deſerimus, & Auguſtinum in ſuis ad Europam remeantem ſalutamus. Nam ſolitudines Etruſcas, Piſanum montem, Centumcellas, Eremitis noſtris florentes, alijs relinquo propugnandas. Et obſcura ſunt, vt verum fatear, eius ordinis tempora, vices, incrementa: quid enim aliud ab Eremo expectes quàm tenebras? Neque ego vbicunque Eremitas lego, ibi Auguſtinianos requiro, quod facit Ioannes Gonſalez cauſæ ſuæ plurimùm addictus. S. Maximus Cæſarauguſtanus in Chronico, S. Donatum ſcribit, regulam Eremiticam S. Auguſtini locupletiorem, mitioremque primùm in Hiſpaniam inuexiſſe, & in agro Setabitano Monaſterium Sirmitanorum conſtruxiſſe. Non probat hoc ſcriptum Hugo Menardus, eo potiſſimùm nomine, quòd nullam S. Auguſtinus compoſuit regulam Eremitarum; nec ſi compoſuiſſet, eam mitiorem feciſſet S. Donatus. Eam exceptionem expendemus in regula. Dum hic meminerimus iſtam S. Donati commigrationem à S. Ildefonſo narrari, vt à Garcia Loayſio citatur in Conciliorum collectione. In Gallijs autem cum eius ordinis gloria defloruiſſet, imo vt ferunt tempora, miſerabilem dediſſet ruinam, nouè tandem lucem recepit ſub Guillelmo illo Aquitaniæ Duce, ſua & S. Bernardi hiſtoria nobiliſſimo; à quo perdiu fratres Guillelmitæ vocari dicuntur. Quæ appellatio nonnullorum errori dedit initium, qui antiquiſſimi illius ordinis S. Guillelmum auctorem & fundatorem nominant, cum tantummodo reparatorem dicere debuerint. Nam Ioannes Rouſſerius, qui in ea eſt opinione, non animaduertit ſe pugnantia loqui, cum ſcribit ordinem illum *incœpiſſe anno* 1157. *à Guillelmo Aquitaniæ Duce*, & hanc tamen inferiùs *reformationem* vocat, explicatque. Poſt illum in Italia prodijt Ioannes Bonus Mantuanus, alterum eius eremi poſteriore hac ætate lumen. Ioannes Baptiſta Gramaye in ſua Africana hiſtoria, vbi ordines 70. enumerat à S. Auguſtini regula profuſos, non paucos Eremiticos recenſet, qui S. Guillelmi tempora præceſſerint, alios qui ſecuti ſint; & inter priores, Grandimontenſem ordinem apud Lemouicas in Aquitania, *auſpicijs Stephani ex claro Aruernenſium ſanguine, quem Honorius II. Regulæ S. Auguſtini* ſubiecit. At Ioannes Rouſſerius alia omnia denarrans, *militare illum* ait *ſub regula D. Benedicti, & vehementer auctum, & multiplicatum eſſe.* Verùm ipſi eius ordinis Pattes, ſicut ab ijs accepimus, & ſatis tenuem inſtituti ſui multiplicationem agnoſcunt, & peculiarem ſibi eſſe regulam, neutri Patriarchæ addictam profitentur.

*Regula S. Auguſtini perſeuerat & extenditur.*

*A S. Donato defertur in Hiſpaniam.*

S. Maxim. in Chron. ad an. Chr. 575

Hugo Menard. in Concord. regu. præf.

Gonſalez Epito. Inſtit. c. 9. §. 3.

Rouſſer. de ordine fr. Min q 5. proem.

Ioan. B. Gramaye l. 2. Africæ illuſt. c. 4.

Rouſſer. loco cit.

Quiqui autem ab illo Oceano fluuij promanarint, ſuo tandem fonti re-

*Plures Ere-*

mitarum ordines in vnum coë-git Alexander 4. Bulla Obſeruanobis. A.no. 3. p. tit. 24. c. 1453.

C.iol. in Chronica p. 1.

ſtituti ſunt, inchoante Innocentio IV. & perficiente Alexandro III. circa annum reparatæ ſalutis 1256. narranre S. Antonino Florentino, *Ipſe namque fratres Eremitas diuerſorum ordinum, in vnum redegit; & Eremitarum S. Auguſtini cum perſonis & locis effectualiter incorporauit ac vniuit, diſpenſans cum ijs ſuper diuerſarum profeßionum & obſeruantiarum ligamine.* Ordines vnitos nominar Coriolanus S. Guillelmi, B. Ioannis Boni, ordinem de Fabalibus, de Brictinis, & Fratres de Pœnitentia Ieſu Chriſti. Notatque duplicem eo in ordine factam vnionem: priore, Conuentus omnes, loca, orarοria per orbem ſparſa, coniuncta ſunt ſub vno capire Ordinis totius Eremitarum S. Auguſtini Generali: poſteriore cæteti Ordines, de quibus dictum, in hanc vnam concluſi & permixti deuenerunt. Quod factum Ordini vniverſo vt glorioſum, ita gratum acceprumque fuiſſe ferunt, vr primis temporibus apud eos Feſtum Reünionis celebrari quotannis ſoleret die quinta Iunij. Hoc in ſtatu Mendicans ordo declaratus eſt à Pontificibus, quos vide in Azorio & alijs, licet has controuerſias derideat Nicolaus le Maiſtre, cum *liteculas & dißidia Fratrum* appellat. Nobiliſque eſt Gregorij X. confirmatio in ius canonicum etiam relata, *Caterum Eremitarum S. Auguſtini, & Carmelitarum ordines, quorum inſtitutio dictum Concilium Generale praceßit* (Lateranenſe ſub Innocentio III.) *in ſolido ſtatu volumus permanere.* Siue *in ſolito*, ſiue *in ſuo* legas, de quibus inter ſe digladiantur, eadem eſt Pontificis ſententia. Ex quo tempore ab Eremo euocatus, & per vrbes & oppida propagatus, ſeruato tamen Eremitico nomine, tanquam nobili antiquitaris trophæo, & ſpolio temporum *Epiſcopis, Parochis, & alijs Eccleſia Paſtoribus, tanquam ſubſidiarios ſodales dedit:* vt in Honorij IV. vita ſcriptum legimus.

Feſtum Reunionis.

Grimaye l. 2. Afric. illuſt. c. 4. Azor. tom. 1. Inſtit. Mor. l. 12. c. 23. Nic. le Maiſtre l. 3. c. 5. In 6. de Reli. dom. c. Religionum diuerſitatem. §. cæterum. Item Bonif. 8. Bulla. Tenore cuiuſdam.

Regulam Monachis ſcripſit Auguſtinus.

Porro cum iſtis ſodalitatibus in vnam conflatis, S. Auguſtini & regula, & habitus donatus ſit à Romauis Pontificibus, de vrroque dicendum modò ſupereſt, monſtrandumque ante omnia, datam fuiſſe Monachis à S. Auguſtino regulam. Qua de re neſcio equidem quo iure dubitari poſſit, poſt ea quæ ex ipſius profeſſione publica in Cleticotum tractatu attulimus: quæque narrat Poſſidius *vixiſſe illum cum Dei ſeruis, ſecundum modum & regulam ſub ſanctis Apoſtolis conſtitutam.* Quis enim credat virum cum humana prudentia, tum cœleſti ſapientia refertiſſimum, collectos à ſe *fratres boni propoſiti* ſine ordine, ſine diſciplina, ſine certa viuendi forma tandiu reliquiſſe? aut ſibi tantùm de boni illius propoſiti firmitate & conſtantiâ ſpopondiſſe, vt quod in iſtis nouitius feruor inchoabat idem in poſterorum animis perſeueraret? Quid? regulam Sanctimonialibus ſcripſit Auguſtinus, vt apud omnes in confeſſo eſt, & quidem quod exiſtimo, iam ſenior; non ſcripſit Monachis, non Clericis? Nam commentum illud Eraſmi, ſolas fœminas regula imbutas fuiſſe ab Auguſtino, aſſeuerantis, miror omnibus non diſplicuiſſe, euidenti ratione conuictis, & S. Bernardum Auguſtini regulam cirantem, Hugonem Victorinum eandem interprerantem legentibus. Nimirum certo canone nullo gubernati fuiſſent Religioſi Auguſtinenſes, niſi exortus eſſet Monacharum tumultus, & puellaris aduerſus Præpoſitam ſuam rebellio concitata. In S. Maximo Cæſarauguſtano ſuprà vidimus *Regulam Eremiticam D. Auguſtini, locupletiorem mitioremque* inuectam fuiſſe in Hiſpaniam. Huic narrarioni intercedebat Hugo Menardus, quòd neque regulam Eremiticam ſcripſerit, nec ea mitigati debuerit. Quid enim in mitiſſima ſuauiſſimaque regula, quæ tota caritatem,

Poſſid. in vita c. 5.

Regula Monacharum. Aug. ep. 109.

Bern. li. de præcept. & diſpenſ. c. 3. & 7.

S. Maxim. in Chron.

Hugo Menard. Præf. in Conco. Regul.

[illegible] & animi demiſſionem, gemmas Auguſtinianas ſpirat, fuerit temperandum: Reſpondeo tamen peculiarem Eremitis non fuiſſe datam ab Auguſtino, ſed illam communem omnibus ſub eius vexillo militantibus, *Communis omnibus regula, ad priuatos ordines contracta.* ad priuatas Religioſorum ordinum ſpecies, aduentitijs conſtitutionibus fuiſſe adaptatam, vt in Canonicis Regularibus, in Dominicanis Prædicatoribus, in S. Vrſulæ ſanctimonialibus, atque ijs quas ſub titulo Viſitationis B. Mariæ ſanctiſſimus Hierarcha Franciſcus de Sales inſtituit, in pleriſque alijs experimur. Quod & in Benedictinæ familiæ trunco ſpectamus, ex quo tami nobiles Cluniacenſes, Ciſtertienſes, ſanctiſſima Fulienſium congregatio, alia quæ modò viget Cluniacenſis & S. Mauri congregatio, Eremitæ Fontis Auellani, de quibus diximus, germinarunt, cum priuatis ſingularum ſodalitarum ſtatutis, generalem regulam cuilibet applicantibus. Pari omnino ratione Regulam S. Auguſtini auſteriores Eremitæ, dici poſſunt ſeueriorem peculiaribus conſtitutionibus feciſſe, quas à S. Donato in Hiſpaniam commigrante moderatiores proponi oportuit. Neque eſt quod eius rei externa quæramus exempla; cum hic ipſe ordo Seripandi nobiles conſtitutiones, & Thomæ Argentinatis additiones ualeat oſtentare.

Regulam eandem alia quadam via oppugnat Nicolaus le Maiſtre: exorſum *Reſpondetur obiectionibus Nicol. le Maiſtre.* illam Auguſtinum exemplo tantùm, cum inter laïcos verſaretur; non tamen inſtituiſſe, nec inſtituere potuiſſe, *neque enim leges & regulas ferunt laici*, ſed eam firmaſſe & ſanxiſſe in Epiſcopatu ſua auctoritate ac mandato. Vnde ſinit à nobis tacitè deduci, Monachum ipſum Auguſtinum non fuiſſe, qui approbatam regulam ſecutus non ſit laïcus adhuc, Epiſcopus autem Monachatum obſeruare non potuerit. Id ego licet conceſſero, fateri certè cogetur Monachis & Clericis ſcriptam ab Auguſtino regulam, ac proinde vtriuſque ordinis patrem eſſe & fundatorem. Quemadmodum Mediolanenſi Monaſterio leges S. Ambroſius tradidit, alijs alij, in eorum ipſi ſodalitium non adſcripti, quod neceſſe non fuiſſe oſtendit vir facetus iſte, Beati Franciſci Salenſis exemplo, qui *ſacrarum virginum collegia conſtituit, quæ ab eius nomine appellantur, non eo tamen ſe veſtiū genere induit, quo ipſæ nunc obuelantur*. Quaſi credamus ſanctimonialibus ſuis leges non potuiſſe perferre Auguſtinum, aut Salenſem, niſi inter puellarum choros cum velo, & mitra, & faſcia pectorali viri bene barbati inceſſerint. Verùm alia omnia reſpondeo, & datam ab Auguſtino nondum Epiſcopo regulam, & eam tunc Epiſcopi auctoritate probatam. Prius id ſuadet, quòd Italicorum Monachorum calente adhuc memoria & admiratione, Tagaſtenſi ſolitudini dederit initium: quòd *boni propoſiti fratres* ſtudioſè *collegerit*, quos vitæ incertos, & diſciplinæ liberos imprudenter reliquiſſet: quòd ante Epiſcopatum ſuſceptum regulæ Apoſtolicæ *Poſſid. in vita c.5.* ab Auguſtino renouatæ meminerit Poſſidius. Quis autem negat *leges & regulas ferre Laicos?* Preſbyteri fuerunt Benedictus & Franciſcus vterque ordinum Religioſiſſimorum inſtitutores, qui hoc in exemplum à Petro Aurelió proferuntur? Quid Pachomius? quid Macarius? quid magnus Antonius? quid Stephanus Grandimontenſium auctor & princeps, anno ætatis 80. defunctus, neque vltrà diaconatum prouectus? quid ſexcenti alij ſolo ſpiritali Spiritus Sancti oleo conſecrati, & animo apud Deum Sacerdotes? Poſterius de probata regula, Valerij docet ſanctitas, & in Auguſtinum caritas: ſiquidem non niſi cognito eius propoſito, & Preſbyterum & Epiſcopum conſecrauit. Po-

Poſſi.l.c.4.

tuit-ne ſenex optimus Auguſtini regulam illuſtriori confirmare diplomate, quàm vt ob illud ipſum *propoſitum & doctrinam*, inuitum & lacrymantem ordinaret Preſbyterum; contra vſum & conſuetudinem Africanarum Eccleſiarum, poteſtatem daret coram ſe in Eccleſia Euangelium prædicandi; contra Nicænos canones ſe viuo ac ſuperſtite in Epiſcopalem thronum eueheret:

Ibid c.8. Ibid.c.5.

& hæc omnia faceret *exultans, & Deo gratias agens ſuas exauditas à Domino fuiſſe preces, quas ſe frequentiſſimè fudiſſe narrabat, vt ſibi diuinitus homo concederetur talis?*

*Habitus Monachorũ D. Auguſtini.*

Conſtituta igitur regula, veſtem & habitum inſpiciamus: quem licet vt exteriorem hominem, minoris faciant venerandi Patres, interiore contenti; non tenerè tamen eo tegi voluerunt Pontifices, Eremitas omnes qui D. Auguſtini nomine & regula gloriabantur. De eo ſic pronunciat idem Nicolaus le Maiſtre, qui nos his quæſtionibus & *litteculis* implicat; Auguſtinum *in agrũ*

*Nicolas le Maiſtre cõtradictio.*

*ſolitarium, Eremum & Monaſticam vitam incæpiſſe, atrato & pullato veſtitu aſſumpto, vt libidines vitæ prioris lugeret: tum certè ſcuticam, vt modeſtiorem zonæ ſpeciem amplexum eſſe.* Libens hic poſtulem quo id auctore didicerit, cum ſuperius priuato capite, eos confutarit ſcriptores, illud qui aut ſimilia referant?

Poſſid. in vita c.22.

Ipſius certè iam Epiſcopi ſenſum exprimit Poſſidius. *Veſtis eius & calceamenta, & lectualia ex moderato & competenti habitu erant, nec nitida nimium, nec abiecta plurimùm: quia his plerumque vel iactare ſe inſolenter homines ſolent, vel abijcere.* At facilè reſpondeatur ita factum ab Epiſcopo, qui aliter indueretur in Monaſterio. Neque certi quicquam erui poteſt illo ex dicto eiuſdem Patris,

Augu. Ser. 49 de diu.

*Apprehenſus, Presbyter factus ſum, & per hunc gradum perueni ad Epiſcopatum. Non attuli aliquid, nec veni ad hanc Eccleſiam, niſi cum ijs indumentis quibus illo tempore veſtiebar.* Id fortaſſe voluit aduerſarius nos intelligere, non eſſe ſatis conteſtatæ fidei locos illos, qui ad id efficiendum vulgò producantur: habere ſe tamen in receſſu validiora quædam argumenta, quæ eam veritatem in animo ſtabiliant: referri autem non debeant in ſcripta, quòd ijs Auguſtini Monachatus quem deſtructum cupit, aſſeratur. Quæ verò ſint illa, in aliorum inquiſitione relinquit; ego in libris Religioſorum Patrum, qui hanc controuerſiæ partem propugnant, non tam vt arbitror gloriæ ſuæ velificantes, quàm vt Eccleſiæ iudicium, cæteros Eremitas reducentis ad Auguſtinenſem hunc habitum antiquatis alijs, tueantur. Duo tantùm non omnibus obuia ex

*B. Thadæi ſepulchrum.* Gramaye l. 9 Africæ illuſt. appendice ad c. vlt.

Ioanne Baptiſta Gramaye Belga homine, qui Africanas oras curioſè luſtrauit, afferam. Is enim fuſiſſimè narrat ex Stellartio, iacere ad Tagauſtum vrbem (quæ Tagaſta fuit antiquis) Religioſi hominis cadauer, habitu nigro, talari, corrigia longa & lata, pedibus calceatis, capite capucio tecto, ita tamen vt aliquid circuli capillicij appareat: manibus intra manicas complicatis, & pectori applicitis: haberi pro Sancto & thaumaturgo ab incolis, vocari à Mauris Auguſtinum, qui ſi Mauri non eſſent, Auguſtinianum appellarent; illum autem eſſe B. Thadæum Canarinum; quem alij Matthæum, alij Bartholomæum vocant: qui olim ex inſulis Canarijs ad Mauros Barbaros,

*Effigies Auguſtini habitu Monachico:* Gramaye l.2. Africæ illuſt. c.4.

& inde ad fortunatiores inſulas magno mari à terra diremptas tranſijt, vt crebra inter homines non homines teſtantur miracula. Refert idem, aſſeruari etiamnum in Bibliotheca Eſcurialis Hiſpanici codicem Arabicum, inter munera quæ Muleus Zeidan Rex Marocci, Imperatori Turcarum dono mittebat, cum ea claſſis per Ludouicum Facardum intercepta eſt. Quo in libro

*duobus*

*duobus locis depicta effigies eſt Epiſcopi in throno ſedentis , adſtantibus ei Monachis cucullanigra, & corrigia præcinctis.* Haberi eodem loco Mauricè tranſlatos, & Latinos MS. eiuſdem S. Auguſtini codices ex regno Feſſano delatos. Alibi tamen narrat vidiſſe ſe, in ruderibus prioris illius Monaſterij, quod in horto quaſi conſitum fuit, tabulam veterem morientis Auguſtini , in qua *decumbit miſtratus, brachijs candida veſtitis , & ſuper ſtragulo extenſis , adſtante ad pedes religioſorum turba pellibus inuolutorum , cum ſuperpelliceo ſeu Rocheto , nigro habitu ſubtus prominente : qui & genuflexi, & corona caput inſignente vt apparebat.* Qui pene Canonicorum Regularium ornatus eſt. Sed hæc vtrum vera ſint , oculis explorari poſſunt. Reuertor ad regulam , qui certiſſimus eſt Religioſarum mentium habitus.

*Clericorum Auguſtinianorum veſtis.* Ibid. l. 1. c. 3.

In ea occurrunt non pauca nec leuia quæ annotem. 1. Quod Auguſtino ipſi, id eius Regulæ, id Ordini contigiſſe. Nam quia ex laïco Monacho, adſcitus eſt in clerum ; eius Regula à Monachis ad Clericos tranſlata eſt : eius Ordo ex Eremitico Mendicans factus , id eſt à propria ſanctitate, ad alienam curandam euocatus. 2. S. Auguſtini ſolitudinem , abſque ſocijs Deo ſeruientibus nunquam fuiſſe: Regulam pluribus in commune viuentibus datam: Ordinem Eremiticum non ſic dici & eſſe , vt vel Antonianos Anachoretas, aut Italicos Eremitas Petri Damiani viuendo vnquam retulerit ; ſed quòd plures in obſcuris Monaſterijs procul ab vrbium luce & populorum frequentia deſpecti, & ignoti vixerint in Europa , vbi hoc illis nomen impoſitum. 3. Auguſtinum in Monaſterio adhuc laïcum , non omnino vel ſtudia ſacrarum literarum, vel ſalutem proximi neglexiſſe : quin imo libris ſcriptis multùm promouiſſe: Regulam idem ſequi & docere inſtitutum : in Ordine viros ſapientia & doctrina conſpicuos ſemper extitiſſe , qui licet eremi tenebras non perrumperent , aliqua tamen luce ſe nonnunquam prodebant, vt Ancherius Franeus, qui in Ciuitatenſi Monaſterio vnà cum duobus Eccleſiæ ſolibus SS. Thoma Aquinate , & Bonauentura Theologiæ operam dediſſe dicitur , & ſuo deinde tempore ab Alexandro IV. ad ſacram purpuram aſſumptus : vt Ioannes de Spelunca ante adunationem totius ordinis caput, Alexandro III. Pontifice ; vt Lanfrancus Septulanus qui vnitum ordinem primus ſuprema cum poteſtate gubernauit , qui certè ad id officium iam magnus & clarus aduenit. 4. Auguſtinum mitiſſimis moribus, humanitate ſingulari, ad omnium naturam & voluntatem accommodatè, virtutem & pietatem non extorſiſſe , ſed perſuaſiſſe: Regulam dulcitudine & manſuetudine admirabilem omni hominum generi conuenire Monachis, Clericis, Sanctimonialibus : Ordinem ea in omnibus tempetie viuere, vt neque Clericorum officia Monaſticum otium perturbent, neque Monachorum quies Clericalibus negotijs officiat. 5. Iunxiſſe Auguſtinum in ſeipſo Monachos ſimul & Clericos, atque adeo eam quam hic conſideramus ætatis poſtremæ Religioſorum formam auſpicatum eſſe : Regulam eius coniunctionis firmiſſimum eſſe vinculum , quæ diſciplinæ Monaſticæ virtutes vt fusè vidimus, reparato Clericatui tradit obſeruandas : Ordinem eius conformitatis, in illa quam narrauimus aggregatione, ſymbolum & monumentum oſtentare, dum cæteri Eremitæ imperiti & inculti homines, ad Auguſtinianos eruditiores & clariores adiuncti ſunt. Quid ergo iam requirimus ad reparandam illam animorum conſenſionem in Monacho , Clerico, Epiſco-

*Tria insigniter aptè conferuntur Auguſtini Vita, Regula, Ordo.*

*Ancherius Franeus Theologus Auguſtin.* Gonzal. Epitom. Inſti. c. 10. §. 2. Ibid. c. 10.

po, & ſi vis, Parocho Auguſtino nobiliſſimè dedicatam ; niſi vt omnes communiter, ſcriptam omnibus generalem regulam obſeruemus, *Ante omnia, fratres cariſſimi, diligatur Deus, deinde proximus: quia iſta præcepta ſunt principaliter nobis data.* 6. Tam varias habere vices Auguſtini vitam, vt adeo pugnantia vix putes in vnum & eundem hominem poſſe conuenire, ingenium tamen ſic in omnibus, malis æquè vt bonis eluceſcit, vt vnum facile agnoſcas diuerſis moribus occupatum: Ordinem tam diuerſis agitatum eſſe turbinibus & procellis, vt negare audeant aduerſarij Auguſtinianum eſſe; Auguſtini tamen ſpiritui & regulæ adeo conuenientem vt nulli alteri verè poſſit attribui: Regulam denique tam aptam multis ordinibus, vt plures eſſe aliqui crediderint; tam ſibi vbique ſimilem, vt attentè conſiderantibus vna videri debeat. Nam cum inter Auguſtini opera tres inueniantur regulæ, & doctores magno conſenſu germanam agnoſcant vnicam; conijcio ego veram iſtam tribus hominum generibus traditam Monachis, Clericis, Sanctimonialibus, occaſionem incautis quibuſdam dediſſe, vt crederent tres reipſa ſcriptas ab Antiſtite; & duas iſtas ab aliquo ad Auguſtinianæ exemplar compoſitas, pro Auguſtinianis accepiſſe. Vna igitur cum ſit, tres videntur, quia tribus conuenit.

Reg. Aug. c 1.

7. Religioſam ſtationem poſuiſſe Auguſtinum primam in ſolitudine, procul à Templis & aris: alteram Eccleſiæ propinquiorem, iam in ipſo horto Eccleſiæ, è quo præcipuos flores decerpſit; quos in tertiam transferret, intra ipſam demum Eccleſiam & Epiſcopium, quo ex Monaſterio permulti ad Epiſcopatus educti ſunt: Sequutam demigrantes Regulam: Ordinem imitatum, primùm in deſertis, barbaricæ perſecutionis metu, deinde in clericalibus officijs, Eccleſiæ beneficio; poſtremò in ſublimibus ſanctitatis, eruditionis, & Hierarchicæ poteſtatis ſedibus: quorum illuſtrem catalogum narratione tibi ſubminiſtrat Ambroſius Coriolanus, typis etiam Belgicis Cornelius Curtius, & qui alij ſpartam hanc ſuam exornant. Ex vno certè conuentu Olyſipponenſi noſſe ſe ſcribit Proſper Stellartius ſua ætate tres & decem Epiſcopos, Archiepiſcopos, Confeſſarios, Concionatoreſque Regum Luſitanorum. Vnam ſcimus Rothomagenſem familiam, ſex aut plures Suffraganeos cōtinenti ſerie Archiepiſcoparui & Primatui ſuo ſuppeditaſſe. Cardinales virtute, ſcientia, rebus geſtis Eminentiſſimos quid perſequar, Bonauenturam Patauinum martyrem, Ægidium Columnium Romanum veram Romanæ Eccleſiæ columnam, Alexandrum Oliuam, Ægidium Viterbienſem in Concilio Lateranenſi auidè auditum, Hieronymum Seripandum in Concilio Tridentino legatum Apoſtolicum? Quid magnos Antiſtites vt Thomam de Villanoua, Alexium Meneſium, Auguſtinum Antolinez, & innumerabiles alios? Quid Theologos doctores Ioannem Saguntinum Salmanticenſis vrbis & Academiæ patronum, Gregorium Ariminenſem doctorem *authenticum*, Paulum Venetum *Theologorum Monarcham*; Auguſtinum Triumphum S. Thomæ Aquinatis in Theologia auditorem, in Concilio Lugdunenſi ſucceſſorem: Thomam Argentinenſem, & Virum illum pietate doctrinaque ſpectatum, quem ſuppreſſo nomine Panormitanus *ſolemnem* appellat *magiſtrum in artibus & Theologia*: cuius concionibus permotus doctus hic Archiepiſcopus, Pontificij iuris interpres, eorum ſe partibus adiunxit, qui Deiparam Virginem ab originis labe puram fuiſſe piè atque eruditè cenſent.

*Illuſtres viri ex ordine Eremitarum Auguſtinianorum.*

Coriol. in Chron. ordinis p 2. Cornel. Curtius in Elogijs vir. Illuſtr. Stellartius apud I. B. Gramaye l. 9 Afr. illuſtr. append.

Panormit. in c. Conqueſtus. de Ferijs.

cenſent. Onuphrium Panuinum, *ſpectatæ iuuenem induſtriæ*, minorem quadragenario viuis ereptum lugebit perpetuò literatura politior: Ambroſium Calepinum longa ſenectute venerabilem adamabit philologia: recentem Angelum Roccam in literarijs & criticis laboribus vtiliſſimè ſeneſcentem bibliothecæ venerabuntur. Quid commemorem S. Tolentinatem Nicolaum, S. Guillelmum Cremonenſem Nouarienſium Antiſtitem, S. Auguſtinum Siculum, qui cum ſanctitate doctrinam ſummo Eccleſiæ emolumento iunxerunt?

Quid denique admirabilem illum S. Franciſcum Aſſiſinatem Seraphicum recorder? Si verum eſt quod neque pauci, neque vltimæ notæ hiſtorici referunt, eum auſpicia vitæ ſanctioris in Eremitarum Auguſtinianorum ordine & regula Ioanne Bono duce ac magiſtro poſuiſſe, cum *calceatus, zonaque ſcortea cinctus aliquandiu conſpectus eſt*, cum ciuitate relicta *ſecurus & liber ſecretum ſolitudinis petijt*, ibique *laudes Domino lingua Francorum decantantem cum inhibi* latrones ſyluarum inſeſſores in foſſam niualem male mulcatum coniecerunt, vt narrat S. Bonauentura. Cui ſententiæ momentum aliquod poteſt addere B. Dominici factum: non enim mihi magis nouum videtur & inſolens, S. Franciſcum ab Eremitica Auguſtinianorum nondum vnitorum vita, ad noui ordinis, quem Monaſticum eſſe volebat, & contemptu ſeculi nobilem, venire ſubſtructionem; quàm S. Dominicum ex Canonico Regulari, parentem fieri eius familiæ, quæ clericatum eiuſdem Auguſtini, prædicatione æmularetur: aut eodem æuo S. Antonium Vlyſſiponenſem è Canonicorum Regularium eodem ſtatu, ad ordinem Franciſcanum martyrij deſiderio conuolare. Neque eum qui hac ſimilitudine veri ſe perſuaderi velit, ab incœpto remouebunt Ioannis Rouſſerij argumenta negantia, in eo poſita quod neque S. Bonauentura, neque S. Antoninus rem illam adnorarunt. Eodem enim iure ſi Ioannes Apoſtolus Euangelium quartus non ſcripſiſſet, negari poſſet à Chriſto Domino vel cœcum natum vim videndi, vel mortuum quatriduanum vitam accepiſſe; quia rem tanti momenti cæteri tres Euangeliſtæ prætererunt, licet ab aliquibus, putà Euſebio aliquo, vel Nicephoro fuiſſet literis conſignata. Ex hac igitur opinione *ſciſſæ ſunt* in Auguſtiniano *deſerto aquæ, & torrentes in ſolitudine; ortus eſt viror calami & iunci; gloria Libani data eſt ei, decor Carmeli & Saron*, quando copioſiſſimos ſplendidiſſimoſque ordines Clericalem in Dominico, Monaſticum in Franciſco, vtriuſque diſciplinæ reparatores, concepit vnus omnium magiſter Auguſtinus.

*Multi dicunt S. Franciſcum Eremitam fuiſſe Auguſtinianum.* Ioan. Gonſalez epit. inſtit. c. 8. Polyd. Virgil. l. 7. de inuent. rer. c. 4. Bonau. in legend. S. Franc. c. 2. Rouſſer. in reg. Fr. Min. Præf. Iſ. c. 35.

Et hæc optimi maximi Antiſtitis meritis, non pro meritis, à minimo eorum qui eius doctrina & ingenio profecerunt, cum aliqua grati animi ſignificatione perſoluta ſint, vt exornato ſub initium libri ordine Clericali, & expanſa fuſiùs regula, modò Monaſticum ordinem ab aduerſariorum contemptu, qui & ipſi non poſſunt nihil Auguſtino debere, vindicemus: quo in nomine Mendicantium ordinum nomenclationem venerabundus finio. Interea vnum te Lector monitum peruelim, quæ eodem loco de eius Monaſterio & regula in Canonicis Auguſtinianis ſunt à me dicta, ad hunc tractatum, tanquam accuratiorem eſſe accommodanda: in quo ſi quid diuerſum dicere videor, lubens fateor non eſſe ita me ſubducta ratione ad *literculas iſtas & diſſidia fratrum*, vt me pudeat cum Magiſtro meo & Doctore, *ex eorum numero eſſe conari, qui proficiendo ſcribunt, & ſcribendo proficiunt.*

*Alibi dicta huc reuocantur.* August. ep. 7.

*Ordinum Mendicantium commendatio.*

Mendicantes igitur iſti ſunt velut quatuor capita eius fluuij, qui de Romanæ Eccleſiæ Paradiſo egreditur, ad vniuerſam terram ſcientiæ ſacræ virtutumque aquis irrigandam: hæc præcipua quatuor vexilla, ſub quibus in quadrum caſtrametari excubitores Iſraëlitæ, Arcam teſtamenti diu noctuque conſeruant: hæc propheticorum animalium quadriga, quæ Dei gloriam triumphali curru circumuehunt, euntque, & redeunt in ſimilitudinem fulguris coruſcantis. Quibus deinde quatuor alios ordines adiunxit eadem Eccleſia, tanquam magnifici currus rotas myſticas; vt eodem incitante ſpiritu animalia pariter & rotæ iuxta ea in terra ambulent, proximorum ſalutem actione procurando; & eleuentur à terra, contemplatione cœleſtia prehendendo. Sunt autem illi quatuor, Ordo Seruorum B. Mariæ: Ieſuatorum, ſeu Clericorum Apoſtolicorum, auctore S. Ioanne Columbino, approbatore Vrbano V. Summo Pontifice: Minimorum, inſtitutore S. Franciſco de Paula, viro thaumaturgo; & Religio Clericorum Societatis Ieſu, ſic à Concilio Tridentino nuncupata, inter Mendicantes relata à Pontificibus Romanis, in qua non ſolùm Profeſſos, qui reipſa mendicatò viuunt, ſed & approbatos Scholaſticos, qui in Collegijs annuo reditu fundatis ad profeſſionem vltimam comparantur, Mendicantium numero contineri doctè probat Emmanuël Rodericus.

*Quatuor noui Ordines, antiquis Mendicantibus adiuncti.*

Emmanu. Roderic. qq. Reg. tom. 1. q. 2. a. 9.

---

## *QVID PRÆCIPVE SVPRA ORDINES ANtiquos in Religionibus Mendicantium innouarit Eccleſia.*

## CAPVT X.

*Nihil mutatum eſt in eſſentia ſtatus.*

CERTVM nobis eſt ſtatus Religioſi naturam & eſſentiam in omnibus ordinibus, omnibus ſeculis eandem ſemper fuiſſe in vita perfectiori, obſeruantia ſtrictiori, votis tribus ſubſtantialibus, licet non adeo ſemper expreſſa, & in bono lumine collocata fuerint; quemadmodum in priſcorum ſeculorum hominibus, adeo fuit obrutus diuinis ignis mentis & rationis, vt cum poſteriorum ætatum politis & elegantibus ingenijs comparati, vix homines appareant. Eundem quoque finem ſibi propoſitum ſemper habuerunt, eumque Hierarchicum, deiformitatem, ſeu expreſſam, quantùm mortali naturæ fas eſt, diuinæ ſanctitatis imaginem. Niſi malis duplicem, & in ſingulis generibus diſtractum, coaluiſſe in vnum, & ad compoſitum illum collineare Mendicantes. Nam cum diuina ſanctitas duplex quodammodo concipiatur à nobis, intima, abſoluta, qua Deus in ſe ſibi ſanctus eſt: relatiua & effectiua, qua in creaturas bonitatis ſuæ radios effundit; hanc præcipuè exercuerunt Clerici, illam præcipuo ſtudio coluerunt Monachi; Mendicantes autem diuino vtramque fœdere deuincientes, & aptis ad eam medijs inſtructi, ſe primùm ipſos, deinde Chriſti fideles ad Dei cognitionem amoremque deduxerunt. Illi ſacraro fluuio ſimillimi, qui ad Paneadem è fontibus duobus Dan, & Ior, in vnum denique Iordanem confluit, terram ſanctam lætiſſimo agmine

*Nihil in fine Hierarchico.*

rigaturus

rigaturus. Sed hæc quemadmodum ſe habeant; enucleatius perueſtigandum eſt.

I. Inter ſuperiores Religionum ætates, & hanc poſtremam, primum iſtud diſcrimen eſto, quod vt Hierarchicè docet Suares, citatus à Nicolao le Maiſtre, illis temporibus priuata erat *Religionis approbatio* confirmatioque, *ab eo Epiſcopo in cuius Diœceſi primum Monaſterium incipiebat: quod ſi aliud ſimile in alia Diœceſi erigendum erat, ad eius Epiſcopum approbatio ſpectabat*: donec communi omnium, tacitoque conſenſu vniuerſaliter probata, receptaque cenſeretur. Mendicantes autem ab ipſa Eccleſiarum matrice, vniuerſali ſede confirmati, vna bulla, vna ſententia, vbique probari & admitti merentur. Nouitatis autem huius cauſa fuit duplex, ab eodem Nicolao le Maiſtre diſſimulata. Prior, quòd cum antiquæ Religiones quaſi priuatæ eſſent, & per ſe vnius tantùm Monaſterij erectionem animo intenderent fundatores; vnde poſtea per accidens erat quod in alias prouincias diffunderentur; priuati intererat Epiſcopi, ne quid noui ſe inconſulto cum erroris periculo, vel ſcandali, ſua in Diœceſi exoriretur: at Mendicantes Religiones toti Eccleſiæ inſtituuntur, vt in omnem terram exeat ſonus earum, & omni fidelium generi prima parentum voluntate prodeſſe poſſint. Quamobrem neceſſaria fuit vniuerſalis Hierarchæ, & ſupremi capitis approbario, vt ingens bonum, in omnia membra cum auctoritate deflueret. Poſterior cauſa eſt infinita nouitas Ordinum, qui promiſcuè ſine lege, ſine delectu oriebantur, in quibus etiam nonnulli habitus Religioſi, nominiſque ſanctitatem ſuis impoſturis ſceleribuſque prætendebant. Cui malo vt occurrerent Epiſcopi, ingenti numero in Lateranenſi Concilio congregati, ſub Innocentio III. ſtatuerunt *ne quis de cætero nouam Religionem inueniret, ſed vnam de approbatis aſſumeret.* Sed quoniam importunitas illa vno interdicto reſecari ad viuum non potuit, in Lugdunenſi deinde ſub Gregorio X. repetita ſuperiori conſtitutione, proſcripti ſunt ab Eccleſia *Ordines poſt illud Concilium adinuenti, qui nullam confirmationem ſedis Apoſtolicæ meruerunt*: & de nouo quatuor Capitales Mendicantes confirmati. Quo facto Epiſcopos apparet abdicaſſe ſe prouincia erigendarum confirmandarumque Religionum, eamque totam in manum Epiſcopi Epiſcoporum tranſtuliſſe, admiſſuros procul dubio quicquid quomodocumque ab illo fieret & probaretur. Quod modò retractari, & nouas erigendi Religiones, aut erectas, iterum examinandi poteſtas, quaſi iure repetundarum à priuatis Epiſcopis reuocari non poteſt, cum & ipſi ſuo iure in præceſſoribus ceſſerint, & Eccleſiaſtica ſit regula, quod ab vno ſancitum eſt Concilio, id niſi aut ab eodem, aut à maiore conuelli & antiquari non poſſe. Eſſet igitur neceſſarium duobus iſtis Vniuerſalibus, vnum ſaltem vniuerſale opponere. At potiùs ea Religionum forma à ſequentibus Concilijs aut expreſsè, aut tacitè probata eſt, maximéque à Lateranenſi altero ſub Leone X. & poſtremo vniuerſalium Tridentino.

*1. Diſcrimen in Approbatione.*
Suar. tom. 3. de Relig. l. 2. c. 15. Malè cit. à Nico. le Maiſtre.
*Eius mutationis cauſa.*
Concil. Lateran. ſub Innoc. 3. c. 13.
Concil. Lugd. ſub Grego. 10. c. 23 Refertur in 6. de Relig. Dom. c. Religionũ diuerſitatem.
*Epiſcopi ius ſuum confirmandarũ Religionum tranſtulerunt in Pontificem maximum.*
Concil. Antioch. can. 12. Hincmar. ep. 1. ad Nic. Papã.

II. Alterum diſcrimen eſt in fine & medijs. De fine dictum ſuperius: media eandem habent conſiderationem, ſiquidem ex ijs pendet finis conſecutio. Sunt autẽ alia ſimpliciter, alia tantùm ex accidenti & decoro, ſeu vt vocant; ſecundùm quid neceſſaria: vt in ſtatu Monaſtico puro, ſimpliciter neceſſaria eſt contemplatio, ex accidenti ſtudium ſacrarum litterarum, itẽm verbi Dei prædicandi poteſtas; quia ſine talibus medijs ſtatus illius perfectio abſolutè

*2. Diſcrimẽ in fine & medijs.*
*Media ſimpliciter, & ſecundùm quid neceſſaria.*

compatati poteſt, & ſi quis ad aliorum ſalutem aduocatur, id & fini aduenit, & media tantùm accidentalia toti ſtatui poſtulat. Quod de Clericali Religione dici non poteſt, in qua litterarum diuinatum ſtudia, & munia Clericalia ſubſtantialiter neceſſaria ſunt ad finem conſequendum. In ordinibus ergo Mendicantibus, eadem eſt finis & mediorum differentia, cum antiquis Religionibus fine medijſque ſeparatis, pro ſua cuiuſque natuta vtentibus.

*Media ponenda ab Eccleſia, & ab ordine qui approbatur. Inter Eccleſiam, & Religioſos ordines quidam contractus.*

Sed hic vlterius expendendum eſt, duplex aliud genus mediorum neceſſariorum reperiri: alia enim ab Eccleſia approbante promittuntur, & concedi debent: alia ab ordine approbato poni & conferri. Nam ſic debemus intelligere, inter eiuſmodi Religioſos ordines, & Eccleſiam eos inſtituentem in capite ſuo, muruum quoddam eſſe pactum conuentum, vt ſicut ij ſpondent paraturos ſe, quantùm in ipſis erit, omnia ad finem quem princeps cum mediis præſcribit, neceſſaria; vt virtutem, doctrinam, operariorum copiam: ſic viciſſim promiſſo ſe adſtringat Eccleſia, daturam ſe neceſſaria & eſſentialia ad eum finem media, quæ à ſua poteſtate pendebunt; vt ordines Eccleſiaſticos, vt poteſtatem concionandi, Sacramenta miniſtrandi populo, & ſimilia. Quo tu enim iure à me exigis vt pingam tabulam, eodem ego iure à te flagito penicillum, quem tua ſolius ope poſſum conſequi. Artificum, putà Architectorum, ſodalitas ſe Reip. addicat, ab eaque admittatur ad ædes publicas curandas: huius erit neceſſarijs illam inſtrumentis locupletare, quæ ſine eius arbitrio aſſumi non poſſunt: illius hæc inſtrumenta adhibere, tum vt ſe ad opeta illa præſtet idoneam, tum vt iis applicita ritè, & ex communi vtilitate labotet. Hæc obſeruatio quæ perſpicuam habet veritatem, alio loco diſputationi aduerſus Franciſcum Hallier non inutilem lucem adſetet.

*3. Diſcrimen in forma regiminis.*

III. Differt prætetea forma Mendicantium, ab antiquis otdinibus in reginiine, & quadam Religionis politia: quia cum iſti non penderent ab alijs alij, & Monaſteria ſuo iure ſingula, etſi nonnunquam ſub communi Regula, vtetentur; in illis priuatarum domuum præſules ad prouinciæ caput, capita prouinciarum ſingularum ad totius ordinis ptincipem, omnium otdinum principes ad ſupremum Chriſtianitatis parentem Chriſti Vicarium ſubiectione obediētiaque referuntur. Hic aurem tanquam peritus auriga (quod de Deo res humanas adminiſtrante dicit Theodoretus) habenis totum flectit ordiné, quas adducit remittitque quando & quantùm opus; immediatè principi, per principem ſubditis imperat; vt propheticum impleatur oraculum. *Stellæ dederunt lumen in cuſtodijs ſuis, & lætatæ ſunt: vocatæ ſunt, & dixerunt, adſumus: & luxerunt ei in iucunditate qui fecit illas.* Hinc illa priuilegia & exemptiones, de quibus inferius, Religioſo ordine, non vt olim, cum ptiuato vno Antiſtite, ſed cum tota Eccleſia; non ad vnius Diœceſeos, ſed ad vniuerſæ Eccleſiæ commodum contrahente. Scio equidem in S. Gregorio duodecim Monaſteriorum apud Caſſinum ædificatorum à S. Benedicto fieri mentionem, quæ eiuſdem Patriarchæ auctoritate, ab Prælatis regebantur: & Petrum Damiani ſupra vidimus generalem Eremitarum Priorem, ſiue Abbatem: Pachomianos quoque Tabennenſes vni omnes Abbati obtempetaſſe. Sed hęc vna è multis Orientalibus regula fuit, vni S. Pachomio peculiaris: Italica Eremitarum in S. Benedicti regula, ſatis noua & inuſitata: Caſſinenſis ſub eodem S. Benedicto, ob eius ſanctitatem auctoritatemque eo tantùm loco ſic conſtituta: nam orbe toto ſingula ſuo ſub Abbate vixerunt.

*Baruc. c. 3.*

*Greg. li. 2. dial. c. 3. 4.*

DE

## *DE PAUPERTATE ORDINUM MENDI- cantium, & Labore manuum priuatim dictum.*

§. Vnicus.

IV. DISCRIMEN aliud luſtricum eſt, vitæ modus per incertam Mendicitatem parandæ: res antiquis incognita, qua magnus Franciſcus mundum ex aſſe reliquit: quam magnus Dominicus aſſumpſit, *ne prædicationis officium impediretur.* Imo Chriſti & Apoſtolorum diuitiæ fuerunt illæ, vt fusè probat Thomas VValdenſis aduerſus VVicleffi conuicia, voluntariam Mendicitatem allatrantis. Cuius dignitatem cum aliqui Catholicorum ſtudio contentionis eleuare, & infra viliſſimorum mendicabulorum conditionem meritumque deprimere, ſpreto vniuerſæ Eccleſiæ ſenſu conantur, (quam opinionem bonorum omnium iudicio execratam, nuper inſtaurare conatus eſt Claudius Seguenotus, vt ſuo loco videbimus, in D. Auguſtinum ſcribens, contra D. Auguſtini ſententiam multis libris enunciatam) qui hæc inquam ſcribunt, aut ille, aut alij antiregulares, non aduertunt paria ſe cum ſpurciſſimo hæreſiarcha facere, & iudices decretoria die atque hora conſtituendos à Chriſto, ſuam in perniciem concitare. Illud verò percommodum eſt medium ad aſſequendum finem ab Eccleſia intentum, videlicet liberam amplificandæ Dei gloriæ, dilatandæ fidei, edocendorum fidelium poteſtatem; cum Religioſus nullis temporalium commodorum vinculis vni ſe Conuentui videt adſtrictum: cum vbique apertam ſentit magni patris penum, cum indigentia mutua Religioſos cum ſecularibus coniunctos animaduertit: quemadmodum in humana ſocietate Deus regiones, alias ab alijs quæ ſibi deeſſent, magno conſilio requirere voluit. Concionaturo ſiquidem per ciuitates & loca Religioſo, zelus eſt pro viatico, neceſſitas pro vehiculo: qui ſi populis audet dicere, *ſi nos vobis ſpiritualia ſeminauimus, magnum eſt ſi nos carnalia veſtra metamus?* ab ijs viciſſim audire poteſt, *hoc denunciabamus vobis, quoniam ſi quis non vult operari, nec manducet.* Nam licet non concionetur vt viuat, non viuit tamen niſi concionetur: Adamò ſimilis qui poſitus eſt in Paradiſo, *vt operaretur & cuſtodiret illum.* Ferunt Henrico Regi noſtro tertio, de Mendicantibus annuo reditu ſtabiliendis in Gallia cogitanti, reſpondiſſe principem Borbonium Cardinalem ſapientiſſimum: fieri poſſe ſi decerneret; ſed è re Chriſtiana Catholica non eſſe vt fieret; oppidis enim & pagis defuturos breui magiſtros, à quibus officij ſui admonerentur. Hoc iam olim cogitatum Origeni. *Cohabitare iubetur Leuita & Sacerdos, qui non habent terram, vt percipiat ab Iſraëlita Sacerdos & Leuita terrena, & rurſus Iſraëlites percipiat à Sacerdote cæleſtia, & diuina quæ non habet. Si enim laicus quæ neceſſaria ſunt non præbuerit Sacerdotibus & Leuitis, occupati illi in talibus rebus corporalibus curis, minus legi Dei vacabunt: illis autem non vacantibus, neque operam dantibus legi Dei, tu periclitaberis: obſcurabitur enim lux ſcientiæ, quæ in illis eſt, te non ſubminiſtrante oleum lucernæ: vt ergo lux ſcientiæ in Sacerdotibus fulgeat, & lucerna eorum ſit ſemper accenſa, tu imple officium tuum, & imple mandatum Dei erga officia Sacerdotum.* Denique alijs idem rationibus conficit D. Bonauentura, valere nimirum voluntariam paupertatem & rerum penuriam ad prædicationem Euangelicam. 1. *Quia facit eam magis credibilem:*

*4. Diſcrimen in vita quærendæ modo.* — In vita S. Dominici l. 1 c. 12. — Walde. 2. 4. toto, capitib. 20. — Vide Hieremiatum l. 2. de bono ſtatus Relig. c. 3. & 17. — Seguenot. ad c. 32. S. Auguſt. de ſancta virginit. — *Medium illud commodum eſt ad prædicationem.* — 1. Cor. 9. 2 Theſ. 3. — *Borbonij Cardi. ſapiens conſilium.* — *Præclara Origenis doctrina.* — *Voluntaria paupertas prædicatione*

*nem Euangelij promouet.* exemplo enim Religioſorum, credunt homines rebus terrenis deberi contemptum. 2. *Quia magis reddit efficacem.* Nam in Euangeliſmo plus poſſunt nudi pauperes, perſecuti, crucifixi, quàm armati exercitus. 3. *Quia efficit eam magis acceptabilem*, Euangeliſtis neceſſitate ad aliorum ſocietatem deſcendentibus, alijs autem ſe non deſpici gaudentibus. *Ac per hoc auditores inducit ad fidem, erigit ad ſpem, allicit ad caritatem.*

Bon. Apo. paup.reſp. 3.c.3.

*Laïci plus merentur largiendo eleemoſynas Religioſis, quam alij.*

Atque vt ea Mendicitas inſignis apud Deum meriti eſt, quia neceſſariò cum ſumma animi demiſſione, perpetua crucis mortificatione, abſtinentia patientiaque non infrequenti, rerum terrenarum contemptione, cæteriſque virtutibus cõiungitur; ita laïcos homines eleemoſynam tantis viris, tamque vtilibus Eccleſiæ liberaliter erogantes, longè pretioſioribus meritis locupletari, quàm ſi bonis alijs vacarent operibus, Doctorum, piorumque omnium conſentiens opinio eſt. Quam D. Bonauentura luculento S. Hieronymi teſtimonio comprobat, Demetriadem nobilem & locupletem virginem commendantis, quod cum alij ædificarent Eccleſias, veſtirent parietes marmorum cruſtis: ipſa *Chriſtum veſtiret in pauperibus, ſuſciperet in his qui tecto indigent, maximè in domeſticis fidei, virginum aleret Monaſteria, ſeruorum Dei & pauperum ſpiritu haberet curam, qui diebus & noctibus ſeruiunt Domino, qui in terra poſiti imitantur Angelorum conuerſationem*, &c. Huic Doctori, qui perſonam hominum non reſpicit, duos recentiores adiungo, ſed illos omni exceptione maiores, Antiſtitem meum Guillelmum, hominem ab aſſentatione religioſorum, ne quid amplius dicam, remotiſſimum: & Nauarrum diuini Iuris interpretem tota Eccleſia laudatiſſimum. Prior vbi qua ſolet ſubtilitate, de Indulgentijs diſputat quæ à Prælatis conceduntur, ea conditione vt huic & illi fabricæ, operi pio, Religioſo ordini ſtipes potiùs conferantur, quàm vt longæ peregrinationes ſuſcipiantur: euertere proponit eorum errorem, qui ex eo indulgentias rident, quòd per eas *Benefactoribus alicuius loci, qui numos ſingulos, vel obolos, vel etiam oua tribuunt*, longorum & grauium pœnitentium remiſſio promittatur: ita autem de Religioſis, *Communis autem ratio, ſeu probatio de indulgentijs iſtis, & ijs quæ fiunt Benefactoribus Religioſorum, eſt ipſa communicatio: ſeruiunt enim huiuſmodi peregrinantibus, & alijs propter pias cauſas iter agentibus.* Vides mutuum auxilium à nobis modò expoſitum. Pergit poſt aliqua, *Meritò eis parcitur à pœnitentialibus laboribus, & afflictionibus, qui meliores pro ſe reſponſales conſtituerunt, videlicet ſanctos viros, quibus opera illa ſeruiunt, vel beneficia; & Deo magis acceptos labores, quàm proprij pœnitentiales eſſent per alios reddunt. Non enim dubitandum eſt quin labores ſanctorum clauſtralium, & afflictiones, Deo magis acceptæ ſint, quàm iſti forinſeci; vt pote puriſſima ſacrificia: quare non tam remiſſio eſt, quàm in melius commutatio, indulgentia in huiuſmodi caſibus facta.* Quo quid dici poteſt aut ad Religioſæ ſanctitatis commendationem illuſtrius, aut ad Chriſtianæ liberalitatis incitamentum vehementius; aut ad Eccleſiaſticorum decretorum ſeu de Indulgentijs, ſeu de votiua mendicitate confirmationem validius?

Bon. Apo. paup.reſp. 4.c.3.

Hiero. ep. ad Demet. c.8.

*Notanda doctrina* Guil. Pari. 2. p. l. de faciaui. in ſacr. ordinis c. 11.

Nauarr. Conſil. to. 1. l. 3. conſ. 3. de Regular.

*Probatur aſſertio 4. rationibus.*

Poſterior eadem premit veſtigia, cum docet, cæteris paribus plus mereri locupletem hominem qui Religioſo Mendicantium ordini collegiatam Eccleſiam, quàm qui Clericis ſecularibus impenſa ſua conſtruat. Id autem quatuor conficit rationibus, quas illius verbis affero. *Pro parte Regularium facit primò, quod ſtatus Religionis eſt melius quàm ſtatus ſecularis; quia eſt in via perfectio-*

nis

*nio, vt dicitur à D.Thoma. Secundò, quia ordo Mendicantium non tantùm orationibus, ſed confeſſionibus, prædicationibus, lectionibus, bonis exemplis, magis ædificant & proſunt Eccleſiæ. Tertiò, quia votum & ſtatus paupertatis magis Deo placent, quem ipſe Chriſtus in ſe ſuſcepit, prædicauit, & Apoſtoli eum ſecuti ſunt. Quartò, magis Deo placet qui voto ſe obligat, quàm alij qui ſine voto idem faciunt, cæteris paribus, iuxta D.Thomam. Hæc argumenta efficaciter probant melius eſſe, cæteris paribus, fundare, ædificare, & dotare Eccleſiam collegiatam regularem, præſertim Mendicantium, quàm coll giatam ſecularem.* Multa hic lego Petri Aurelij voto, & Franciſci Hallier ſententiæ contraria, quæ ſtudioſus aliquis Nauarræ doctrinæ vindex facilè confirmauerit.

Fuit quidem primùm animus à pluribus citandis hanc in rem Doctoribus abſtinere, ſed hoc ſeculo cum ipſa per ſe, tum verò multò magis aduerſariorum ope & contemptu *refrigeſcit caritas multorum*; vt ſæpius repetitis cohortationibus eam excitari neceſſe ſit. D. igitur Bonauentura eleemoſynis quæ conferuntur in vulgares mendicos, longè antecellere beneficentiam Religioſis exhibitam docet, ante citati S. Hieronymi verbis apertiſſimis, & Euangelica doctrina: iubente Apoſtolo eleemoſynam fieri *maximè ad domeſticos fidei*: & Chriſto ipſo, amicos fieri de iniquo mammona. *Nunquid iſti pauperes*, inquit, *inter quorum pannos & illuuiem corporis flagrans libido dominatur, poſſunt habere æterna tabernacula, qui nec præſentia poſſident, nec futura? Non enim ſimpliciter pauperes, ſed pauperes ſpiritu appellantur: de quibus ſcriptum eſt: Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem. In vulgi pauperibus ſuſtentandis nequaquam intelligentia, ſed eleemoſyna opus eſt: in ſanctis verò pauperibus, beatitudo eſt intelligentiæ, vt ei tribuatur qui erubeſcit accipere, & cum acceperit dolet metens carnalia, & ſeminans ſpiritualia.* His verbis vrgebat Vigilantium Hieronymus, hoſtem & oppreſſorem pauperum Bonauentura: quæ ad Claudium Seguenotum mittenda cenſeo, ſi quando recolet quæ de vulgari mendicitate, Euangelicæ paupertati præferenda ſcripſit, & pauperes ſpiritu intelligendos eſſe negauit. Regum omnium gloria S. Ludouicus noſter, hanc altè pietatem in animum demiſerat, qui *quamuis nulli indigenti ſua benignitate non ferret opem: illis tamen qui diuino cultui, & ſaluti animorum vacarent, liberalius & crebrius eleemoſynas præſtabat: ſolebatque dicere nonnunquam familiaribus ſuis, de magnis illis eleemoſynis quas conferebat quotannis Pariſijs in Fratres Dominicanos, & Franciſcanos, ô Deus! quàm benè collocatæ ſunt hæ eleemoſynæ in tot tantoſque Fratres, ex toto orbe terrarum Lutetiam aduentantes, vt quod hic ex diuinis ſcripturis hauriunt, in totum mundum effundant, in honorem Dei, & ſalutem animarum!* O ſanctiſſimi Principis chriſtianiſſimum dictum! ô mentem Rege Francorum dignam! Quis poſt hæc S.Bonauenturæ non condonet, quòd ſcripſerit eiuſcemodi pauperibus eleemoſynas deberi *lege iuſtitiæ, tanquam prædicatoribus veritatis? Quam quidem iuſtitiam exigere poſſunt non iure fori, ſicut prælati, in quibus acceptio ſtipendiorum non eſt mendicitas, ſed poteſtas: ſed iure poli eam exigere poſſunt, & debent, per modum humilitatis, vt alij mereantur dando, & ipſi humilientur accipiendo, & ſic ſuſtententur vt euangelizent; non euangelizent vt comedant.*

Ex eo Religioſorum labore planè cœleſti, & grata Chriſtianorum liberalitate factum tandem progreſſu temporis, vt eorum nonnullis ſupra neceſſitatem opes accreuerint, quas extruendis decorandiſque præcipuè templis & altaribus impenderunt, eo conſilio vt carnales homines pellace magnificen-

*Eadem eſt aliorum Doctorum ſententia.*
Bon. Apol. paup. reſp. 4. c. 3.
Hieron. aduerſ. Vigilant.
*Hinc refellitur Seguenotus.*
*S. Ludouici aduerſùs Mendicantes ordines magnificentia.*
In eius vita c. 36.
*Debentur eleemoſynæ lege iuſtitiæ.*
Bonau. cit.
*Religioſorum magnificentia in rebus ſacris, à fidelium pietate.*

*Arguitur à Nicolao le Maiſtre l.1. Inſt. Epiſc. prin. c.4. Refellitur.*

tia ad pietatem incitarent. Quam obliquè ſtringere non prætermittit Nicolaus le Maiſtre, in perſona Iuſti Abbatis, *cum ingentia, & prope æquata cælo Monachorum ædificia cerneret cum paupertate luctari.* Non enim Theologus cogitat ſplendente templo, frigere ſæpe menſam, dum pretia peccatorum, & cœli coëmptionem ſumma fide in vſus à donante deſtinatos conuertuntur: Non meminit iure laudatam S. Auguſtino iudice, veterum Romanorum abſtinentiam, quæ publicè diuites, priuatim inopes faciebat: Non videt illuſtrem Patriarchæ Iacobi allegoriam, ex ſumma inopia ad beatam rerum omnium copiam euadentis, quam Rupertus Tuitienſis Chriſto & eius Eccleſiæ

*Rupert. in Geneſ. l.8. c.40.*

feliciter accommodat, *vbi illa eius miniſtris*, (in quibus ſine dubio Religioſos ordines Monachus ipſe vult numerari) *iamdudum ſeruatur dignitas, quam illis auctoritas Euangelica iuſtè vendicat, dicendo: dignus eſt operarius mercede ſua. Adæquata eſt enim pleriſque in locis domus Chriſti Regum palatijs, habetque corporaliter*

*Eccleſia Regum palatijs æquata.*

*greges multos, ancillas & ſeruos. Et ſic ſubſtantiam Laban aufert vnde diteſcat, & ſuos animet auditores ad hoc, vt miniſtris altaris bona cum hilaritate ingerant: quia videlicet nemo eſt qui paſcat gregem, & de lacte eius non comedat; qui plantet vineam, & de fructu eius comedere non debeat: licet inuideant filij huius ſeculi, quemadmodum & illi filij Laban*, quibuſcum Theologus in cauſa Religioſorum facere erubeſcat: præſertim cum extrema linea nos ad Apoſtolum remittat auctor, apud

*1.Cor.9.*

quem aperta eſt Spiritus Sancti voluntas, vt *qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt edant; & qui altari deſeruiunt, cum altari participent.*

*5. Diſcrimen, in labore manuum.*

V. Leue eſt quintum & vltimum, ac neſcio vtrum diſcrimen vocari mereatur, niſi quòd magno ambitu, & crebis clamoribus ab aduerſarijs poſtulatur. Labor manuum hic eſt, Orientalium præcipuum ſemper negotium, Occidentalibus penè non ſecundarium; præſertim, vt vidimus, in regula S. Benedicti. Laboritium iſtud ne appellat quidem S. Dominicus, quia Clericalem S. Auguſtini regulam induit. S. Franciſcus qui Monaſticam hypotheſim ordini ſuo ſubſtrauit, vt Clericatus ſuperſtrueretur, laborem à fratribus poſtulat in regula,

*Quis labor à S. Franciſco ſit imperatus Reg. c.5. S.Bona. in eum locũ.*

*Fratres illi quibus gratiam dedit Dominus laborandi* (hoc eſt, vires corporis, habitum artis acquiſitum, & habilitatem artem acquirendi, vt interpretatur D. Bonauentura) *laborent fideliter, & deuotè: ita quod excluſo otio animæ inimico, ſanctæ orationis & deuotionis ſpiritum non extinguant, cui debent cætera temporalia deſeruire. De mercede verò laboris, pro ſe & ſuis fratribus, corporis neceſſaria recipiant.* Quem totum locum theologicè S. Bonauentura enarrans, docet vniuersè, omne hominum genus ad aliquod laboris vtilis genus, pro loco & tempore, Dei præcepto obligari. Eſſe autem laborem duplicem, animo videlicet, & corpori exercendo: illum dignitate, pietate, vtilitate huic plurimùm antiſtare. Nam cum ſuſcipiendi laboris tres cauſas proferat ſanctiſſimus legiſlator, vt otium deuitetur, incaleſcat deuotio, corpus neceſſario cibo foueatur: *voluit ſummè fratribus imponi exercitium quod perfectiſſimè excludit otium, quòd ſummè nutrit deuotionis affectum, quod laudabiliori modo corpori neceſſaria ſubminiſtrat.* Illud autem eſſe laborem & ſtudium ſapientiæ, non autem corporalem exercitationem, licet ipſe non confirmaret, ratio certa clamaret. Quia tamen ad opus tam nobile, non omnes aut apti ſunt, aut vocati, debet iſtis labor corporalis imponi: ſed hi & pauciores modò ſunt, & ignobiliores, vt eorum minor ratio habenda eſſe videatur.

*Carmelitis*

S. Albertus Carmelitanæ familiæ laborem & ipſe præcipit, ſed incertum relinquit

relinquit, iſ-ne ſit externus manuum, an ſacræ Lectionis opus. *Faciundum eſt vobis aliquid operis, vt ſemper Diabolus inueniat vos occupatos, ne ex otioſitate veſtra, aliquem intrandi aditum ad animas veſtras valeat inuenire.* Certè S. Albertum Drepanitanum video, in occupationum diurnarum diſtributione, locum ſuum laboritio non negaſſe, *vt eſſet* (inquit auctor vitæ) *ad eiuſmodi pietatis officia, & exercitia aptior atque paratior, à tertijs vſque ad veſpertinas preces quippiam ſuis manibus operabatur.* Eodem ſenſu ſpirituque Societatis noſtræ Conſtitutionibus, labor etiam externus ſuadetur. *Omnes quandiu corpore benè valent, in ſpiritualibus, vel exterioribus rebus habeant in quo occupentur; ne otium malorum omnium origo, quoad eius fieri poſſit, domi noſtra locum habeat:* cum ea tamen moderatione, quæ antea ab Legiſlatore præcepta legi poteſt. Pro ſua quoque pugnans regula Thomas VValdenſis, eam laboris externi neceſſitatem, neque Euangeliſtis, neque miniſtris altaris, neque lectoribus impoſitam eſſe, ſuſiſſimè ſolidiſſiméque probat, aduerſus importuniſſimum hominum VVicleffum, qui tanquam inhumanus Pharaonis præfectus, miſeros Iſraëlitas ad lutum & paleas, id eſt, ad laboritium adigebat; propoſitione illa primùm à Facultate Pariſienſi, deinde à Concilio Conſtantienſi proſcripta cum cæteris. *Fratres tenentur per labores manuum victum acquirere, & non per Mendicitatem.* Quæ vtinam iſto tempore non fuiſſet per Catholicos Doctores ab inferis excitata!

In vita S. Alberti. 7. Aug.

Cõſtit P. 3.c.2. §.6. & 4.

Wald. cit. a. 2. toto capitib. 12.

Conſtant. Concil. ſeſſ. vlt.

## *QVÆDAM PATRVM DICTA ADVERSVS Monachos ab Aduerſarijs allata explicantur.*

## CAPVT XI.

MIRVM non eſt ab aduerſarijs, qui intima Religionum myſteria eminus tantùm, & à limine proſpiciunt, aut earum naturam non ſatis perſpici, aut aliquas Patrum voces prima fronte contrarias, in illarum damnum ignominiamque produci. Arripiunt enim auidè quod ad arbitrium ſuum torquere volunt, & cruda dicta, tanquam indigeſtas epulas, ſine vllo circunſtantium condimento, ſine ſapore prudentiæ nobis ingerunt, nullo negotio diſſecandas. Mens auctoris, anima dictorum eſt: loca, tempora, occaſiones, perſonæ, multa permutant, in quibus ipſe conſtans immotuſque ſubſiſtit. Cum aliqua imperantur à Deo, quæ eadem ab eodem poſtea vetantur, diceſ-ne mutari Deum, an æterno decreto rerum ſe viciſſitudinibus accommodare? Pauca iſtiuſmodi ſeligo in exemplum, quibus abutuntur Monachorum æmuli, non ſine Patrum ipſorum contumelia; qui aliàs in Monaſtici ſtatus panegyricum effuſi, pugnantia loqui ab iſtis probantur: plura proſequi nec volo, nec operæ pretium eſſe arbitror.

*Patrum dicta quædam ab aduerſarijs, ob ignorantiam Religioſa vita proferuntur.*

I. Obiectio ex S. Hieronymo vrbanam Religioſorum commorationem ſolicitat. *Si cupis eſſe quod diceris, Monachus, id eſt ſolus, quid facis in vrbibus, quæ vtique non ſunt ſolorum habitacula, ſed multorum?* Eodem refertur factum S. Chryſoſtomi apud Sozomenum, qui *eos qui in Monaſterijs ſuis conquieſcerent atque ita philoſopharentur, magnificè laudabat, vtque à nemine læderentur, haberentque ne-*

1. *obiectio* ex S. Hier. ep. ad Paulin. 13.

Sozomen. l. 8. hiſt. c. 9.

*ceſſaria ſolicitè procurabat. At ſi quando foras egrederentur, & per vrbem conſpicerentur, tum eos quaſi Philoſophiam ſuam dedecore afficerent, conuicijs proſcindebat, & ad ſua repellebat.* Ex his ſignificat Nicolaus le Maiſtre, quod alibi clarè eloquitur; *Populo immiſceri, turba confundi, in familias inſpicere, non obligari Monachos, nec ſtatus ſui conditione & natura in commercium hominum immitti, ſed reuocari.* Dicere non audet, id facere non debere, non poſſe, ſed *non obligari.* Aio igitur Orientalibus Monachis, qui ſolitudines colebant, vrbium frequentiam non fuiſſe expetendam. Sed ſi quando coëgit neceſſitas, ipſos *ſe populo immiſcuiſſe, turbæ confudiſſe* perquam laudabiliter. Quod ab omnibus factū in cauſa lugubri Antiochenſium D. ipſe Chryſoſtomus ſummis laudibus proſequitur, & Aphraatis Anachoretæ ad Valentem diuina vox, à nemine ſacrorum hiſtoricorum ſine prædicatione omittitur. In Occidente autem repertos frequenter in vrbibus Monachos, ſinè cuiuſquam offenſione, imo ad commodum plurimorum. Mendicantium autem ordines, ad quos hæ pertinent obiectiones ex *ſtatus ſui conditione*, & Eccleſiæ voluntate, obligari ad colendas vrbes, erudiendos populos, *ſuaque natura in commercium hominum immitti, non reuocari.* Quod autem addit, *in familias inſpicere*, inuidioſum eſt, quod neque à bonis Monachis caritas, neque ab vigilantibus Parochis iuſtitia, neque ab externis vllis modeſtia fieri permittat. Non fuit autem eadem cauſa S. Paulini, ad quem id ſcribit S. Hieronymus, quæ Mendicantium: ſiquidem vir conſularis circumſtrepente adhuc magnæ ambitionis choragio pectus implebit ſi turbas, ſi vrbes, ſi publica ſpectacula celebret, *tunica mutata non animo:* vt illi iure dici poſſit, *& Senatorem amiſiſti, & Monachum non feciſti.* Auctor eſt ergo S. Hieronymus, vt verè, & ex toto Monachus ſit, hoc eſt ſolitarius, & quidem ex cauſa antedicta. *De Monacho loquor, & Monacho apud ſeculum nobili, qui idcirco pretium poſſeſſionum ſuarum ad pedes Apoſtolorum poſuit, docens pecuniam eſſe calcandam, vt humiliter, & ſecretò victitans ſemper contemnat quod ſemel contempſit.* Idem alibi ſuadet vitia vrbium fuga, & Eremi ſolitudine deuitari. *Quod de libidine diximus, referamus ad auaritiam & ad omnia vitia, quæ vitantur ſolitudine, & idcirco vrbium frequentias declinamus, ne facere compellamur quæ nos non tam natura cogit facere, quàm voluntas.* S. Chryſoſtomus in Monachos Orientales vrbanæ frequentiæ temere, ſine cauſa tolerabili appetentes iure excandeſcit: quamquam id ſine hominum offenſione facere non poteſt, vt narrat hiſtoricus: cum aliunde illorum neceſſitatibus prouideat, & Eccleſiaſticis muneribus eos non admoueat: ſed Mendicantes Eccleſia & mendicantes eſſe, & Prædicatores iubet, neque alio modo victum parare ſibi permittit.

Nicol. le Maiſtre Inſt. Epiſc. princ. l. 4. c. 5.

*Reſponſio, ad intelligendum de Monachis Orientalibus.*

D. Chryſ. hom. 17. ad pop. Antioch.

Hier. adu. Vigilant. c. 6. in fine.

II. Obiectio eumdem S. Hieronymum aduerſus Monachorum exercitia ſuſcitat. *Monachus non doctoris, ſed plangentis habet officium, qui vel ſe, vel mundum lugeat, & Domini pauidus præſtoletur aduentum.* Hunc in ſenſum copioſus eſt Franciſcus Hallier, & plures eiuſdem ſententiæ locos è patribus aggerat. Vt illum ex S. Bernardo: *Si quidem vel Monachi quod videor, vel peccatoris, quod ſum, non eſt officium docere, ſed lugere.* Et ex S. Chryſoſtomo; *Verè lugendi domus ſunt Monaſteria, vbi cinis, atque cilicium, vbi ſolitudo,* &c. Vnde concludit auctor, non agere Monachos in Hierarchia Eccleſiaſtica, ſed pati: agere inquam actus tranſeuntes; de his enim ſolis controuerſia eſt. Confirmatur ex eodem S. Hieronymo ad Heliodorum, *Alia Monachorum eſt cauſa, alia Clericorum; Clerici paſcunt oues, ego paſcor.* Ad quem ſenſum proximè ſcribit Nicolaus

*2. obiectio ex S. Hieronymo in Vigil. c. 6.*

Hallier in vindic. p. 393. & ſeq.

Hier. ep. 1. ad Heliod.

le Maiſtre *duo eſſe hominum genera, vnum promerendo Numini mancipatum, quod Clericos dicimus: alterum verò obnoxium illorum imperijs, natum non regere, ſed regi.* Reſpondeo, purè Monachum, ſuæ tantùm ſaluti addictum, ex inſtituto ſuo in actiones externas tranſeuntes Hierarchicas, quales cogitant aduerſarij, non prorumpere, & eo ſenſu, tantùm pati. Sed aliam modò eſſe poſitam ab Eccleſia legem, tum Monachorum plurimis, tum Mendicantibus; quos æquè aliorum ſaluti ac ſuæ procurandæ deſtinat. Porro S. Hieronymus Vigilantio Monachos à ſtudio deterrenti, & quærenti *ſi omnes ſe clauſerint, & fuerint in ſolitudine, quis celebrabit Eccleſias? quis ſeculares homines lucrifaciet? quis pereuntes, ad virtutes poterit cohortari?* Satisfacit, quamquam obſcuriùs, nunquam defore Clericos qui hæc agant: aliud incumbere Monachis officium, vt pœnitentiæ pro ſuis aut alienis peccatis ſponte ſuſceptæ rigore, diuinam vindictam ſuſtineant, & iram demitigent. Quæ omnia cum noſtratibus conueniant Religioſis; hoc etiam addunt, vt Clericos in officijs ſuis adiuuent, verboque & exemplo *ſeculares homines lucrifaciant.* Ad confirmationem ex eiuſdem *penè pueri* rhetorica declamatione adductam, dico, retrahi Heliodorum ad ſolitudinem, propoſito inter cætera vitæ Clericalis periculo, & amplitudine, cui ferendæ ſit impar; quod ad hypotheſin noſtram minimè facit. Illa autem amplitudo in eo ſita eſt, quod Clericatus ex ſe & natura ſua Eccleſiaſticis muneribus addictus eſt, non autem purus Monachatus; quod nunquam inficias iuimus: ſed mixtum Mendicantium genus non tangit. Ad dictum autem Nicolai le Maiſtre, miror equidem tam infirmam diuiſionem concipi à Theologo, quæ cum in oppoſita membra diſtrahi debeat, eius oppoſitionis ne veſtigium quidem apparet, imo eadem vni membro conueniunt, quæ alteri. Nam ſecundum hominum genus, promerendo Numini mancipatum eſt, non minùs quàm primum: & rurſus primum natum eſt non regere, ſed regi, non minùs quàm ſecundum. Siquidem Clericus nullus eſt, ſi Hierarcham excipis, qui a ſuperiore non regatur, neque Monachus à Clerico quolibet, ſed vterque ab Epiſcopo regitur.

Nicol. le Maiſtre Inſt. Epiſc. princ. l. 1. c. 6.

*Reſponſio ad dicta de antiquis purè Monachis.*

*S. Hieronymus explicatur.*

*Nicolai le Maiſtre vitioſa diuiſio.*

III. Obiectio Monachos ex S. Auguſtino remouet à Clericatu. Sic autem habet textus. *Vulgares de nobis iocabuntur dicentes, malus Monachus, bonus Clericus eſt. Nimis dolendum ſi ad tam ruinoſam ſuperbiam Monachos ſurrigamus, & tam graui contumelia Clericos dignos putamus, in quorum numero ſumus, cum aliquando etiam bonus Monachus vix bonum Clericum faciat, ſi adſit ei ſufficiens continentia, & tamen deſit inſtructio neceſſaria, aut perſonæ regularis integritas.* Franciſcus Hallier poſtremam citat ſententiam, ſed à Gratiano, vt ſolet, non ab ipſo fonte hauſtam, vnde & lenientem particulam *aliquando* demit: profert autem locum, ad probandam quam poſuit theſin, ad maiorem virtutem Epiſcopos obligari, quàm Monachos, quæ rem noſtram non ſpectat, & ridicula eſt eiuſmodi argumentatio. Secundùm S. Auguſtinum ex Monacho cui deſit inſtructio neceſſaria, vix fieri poteſt bonus Clericus: ergo ad maiorem Epiſcopi, quàm Monachi virtutem obligantur. Petrus Aurelius eandem ſententiam obliquè reſpiciens, probare ſe putat ex ea, *Monachos parum idoneos ad Eccleſiæ munera videri.* Quàm rectè? Aurelius ipſe Auguſtinus demonſtrat. Nam ab Aurelio rogatus de Donato eiuſque fratre, Monaſterij deſertoribus, eoſ-ne ad Clericatum adſciſci conueniret? ſapienter reſpondet. *Non eſſe iſtam viam dandam ſeruis Dei, vt ſe faciliùs putent eligi ad aliquid melius, ſi facti fuerint deteriores,*

3. *Obiectio* ex Augu. ep. 67 ad Aurel. Refertur 16. q. 1. c. legi Epiſtolam.

*Locum hunc importunè & praui citat Hall.* in vindic. p. 600.

*Ridicula argumentatio.*

Petr. Aurel. in vin. p. 504.

*Mens S. Auguſtini aperitur.*

Deinde per maiorum comparationem ita ratiocinatur. Fugiriuls & impro... Monachis Clericalia committenda non eſſe, ad quæ vix boni ipſi ſint idonei, quando inſtructione neceſſaria carent. Quo loco duo cum poſtulet, probitatem, & doctrinam; atque vtrumque in ordinibus Mendicantium abundè reperiatur, euidens eſt in ipſos locum hunc non poſſe torqueri. Hoc enim ſolùm concludi poreſt, vel improbos, vel imperitos Monachos ad Eccleſiæ numera idoneos non eſſe: in quorum claſſem Mendicantes non ſingulos, ſed ordines vniuerſos conijciar oportet, ſi quid efficere volet Aurelius.

4. obiectio ex Augu. de opere Monach. IV. Obiectio ex eodem S. Auguſtino, non vnam libri particulam, non tomi vnius angulum, ſed librum totum in Mendicantium contumeliam, περιεργασικῶς καὶ κατηχησικῶς interpretatur, & vniuerſo opere, de opere Monachorum, mendicitatem tanquam præcepto de operando contrariam profligare conatur. Prorſus vt nonnullis, eorum Conuentus, merà otioſorum deſidiabula; fratres ipſi, fucorum agmina, laboribus apicularum inſidiantia videantur.

Reſpondetur ex mente Auguſtini toto libro. Quibus ſi reſpondero libro illo veteres purè Monachos, laboris impatientes, orij appetentes, orationis obtenru deſidiam ſuam celantes, Euchitas hæreticos vt purat S. Bonauentura, exagitari, & quidem in vnico Carthagienſi Monaſterio, cum laudet *obedientiam ſanctorum quietè operantium, & aliorum Monaſteriorum:*

c. 2. 3. 14. 30. quæ vitia procul abſunt à Mendicantibus, in quos *ſagitta potentis acuta* emittuntur, quid habebunt propoſito ſuo conſentaneum?

c. 21. Si addidero, libro illo excipi à labore nobiles, & delicatos è ſeculo, infirmos in

c. 16. 21. 25. Religione, alijs occupationibus intentos, vt Euangeliſtas, ſeu verbi Diuini præcones, quæ omnia in pleriſque Mendicantibus, in ſingulis aliqua ineſſe videmus, quo iacula ſua vibrabunt hoc ſcopo priuati? Si oſtendero primarium auctoris inſtitutum non eſſe, Monachos ad manuum laborem cogere,

c. 7. ſed Apoſtoli Pauli locum explicare de vero & proprio manuum labore, ipſi Paulo vſitato, non autem de ſpiritali & fictitio opere, qua ex pharetra vera

c. 4. & valida in nouos ordines tela deproment? Si legero eo in libro Apoſtolos aliam viuendi viam inſtituiſſe, fidelium laboribus & liberalitate vſos, abſque

c. 11. laboritio; ipſum etiam Paulum ita ſe poſſe viuere gloriari, quid exprobrabunt Mendicantibus? Si deſcriptas è Concilio Conſtantienſi, & Thoma VValdenſi, hæreſiarchæ VVicleffi ea de re propoſitiones, cum ipſorum propoſitionibus contulero, qua fronte Catholicos intueri, quo ſtylo Mendicantes vellicare audebunt?

5. obiectio ex Teſtamento S. Franciſci. V. Obiectio filios teſtamento parentis illigat, & ad Rechabitarum morem, vult in Ordine Seraphico, ſanctè & inconcuſsè ſeruari, quod vltimis teſtamenti tabulis magnus pater imperauit. Sic autem ſcribit moriens S. Franciſcus. *Et ego manibus meis laboraui, & volo laborare, & omnes fratres volo quod laborent de laboritio, quod pertinet ad honeſtatem. Et qui neſciunt, diſcant; non propter recipiendū pretium laboris, ſed propter bonum exemplum, & ad repellendam otio-*

2. Theſ. 3. μὴ ἐργαζομένους, ἀλλὰ περιεργαζομένους. *ſitatem.* Poteſt id præceptum alio, eoque Apoſtolico confirmari. *Audiuimus inter vos, quoſdam ambulare inquietè, nihil operantes, ſed curiosè agentes. Iis autem qui eiuſmodi ſunt, denunciamus & obſecramus in Domino Ieſu Chriſto, vt cum ſilentio operantes, panem ſuum manducent.*

Reſponſio. Rouſſ. in Reg. Frat. Min. c. 5. q. 2. Reſpondet Rouſſerius ordinis & regulæ ſuæ callentiſſimus, verè ad laborem aliquem Fratres Minores obligari. Eſſe autem illos in triplici differentia: doctos alios & ſcientificos viros, qui proinde ſtudijs & concionibus ſuis intenti, laborem manuum

exequi

exequi non poſſunt. Vt enim rectè S. Bonauentura, *ſtudium ſapientia cum vigilantia prædicationu, manualem laborem plenè recompenſat.* Quæ communis eſt doctorum opinio, ipſius Chriſti exemplo comptobata, qui, vt idem annotat Bonauentura, *nunquam legitur aliquo laboris genere laboraſſe, ſciens id non poſſe communiter fieri, ab his qui circa procurandam ſalutem hominum ſunt ſoliciti, vita & verbo, ſine huius ſolicitudinis detrimento.* Alios verò idiotas eſſe vel ignorantes, vt ſunt laïci, *qui ad labores manuales, ſub pœna peccati mortalis obligantur & adſtringuntur.* Excipit S. Bonauentuta tempota duo. 1. Cum prioribus aſſiſtunt & deſeruiunt: tum enim *cum eis ſuſtentari merentur: iuxta quod myſterialiter deſignatur in Iob, vbi dicitur, quod boues arabant, & aſinæ paſcebantur iuxta eos.* 2. Cum tanta vi deuotionis præditi ſunt, ea vitæ ſeueritate, virtutis exemplo, vt *aquè fructificent ſolo exemplo, quantùm alij verbo & exemplo; excuſant eos merita vitæ, etiamſi deſint verba doctrinæ.* Alios demum velut mediæ ſortis, qui leuiter tincti ſcientia, in Eccleſia ſtatis ſolùm horis canendo deſeruiunt, quod ſupereſt temporis otioſè tranſigunt; hos *nollem*, inquit, *eximere à laboribus honeſtis, & ſtatui noſtro conſentaneis.* Et quoniam in ipſis ordinis præſtantiſſimi cunabulis, plerique omnes in altera duarum claſſium poſtremarum cenſebantur, vniuerſè concedi poteſt, quod Hugo de Dina ſcribit, *Sanctum voluiſſe omnino, quòd fratres corporaliter laborarent.* Vigentibus deinde Theologiæ ſtudijs, nouo ordinis ipſius & Pontificum decteto declaratum, eo mandato non teneri, quos in primo genere collocauimus.

Bonauent. Apol. pau. reſp. 4. c. 3.
*Chriſtus nunquam legitur laboraſſe.*
Bonau. in Reg. Fr. Min c. 5.
*Laïci fratres tenentur laborare.*
*Excipiuntur caſus duo.*
Bon. Apol. paup. cit.
Iob. c. 1.
Hugo de Dina apud Rouſſ. cit.

Ad confirmationem autem ex Apoſtolo, reſpondet S. Bonauentuta, Paulum agere de inquietis & tuıbulentis, eſſe autem *impium, illud quod otioſis & curioſis dicitur, velle ad alios extendere, qui ſublimioribus & vtilioribus ſunt intenti.* Et hæc priuatim de Mendicantium ordinibus.

*Explicatur locus Apoſtoli.*
Bonau. in Reg. cit.

---

## RELIGIOSOS APOSTOLIS ALIQVA EX *parte ſucceßiſſe monſtratur.*

## CAPVT XII.

DICTVM eſt à D. Bernatdo ſubtiliter, diuinam ſibi poteſtatem arrogare voluiſſe Luciſerum, & cœlo excidiſſe: Dei ſapientiam affectaſſe Adamum, & è Patadiſo exactum. At tepertam in Incarnatione virtutem humilitatis, cuius tuta & ſecuta eſſet æmulatio. Ad hoc exemplum diſtinguere poſſumus in Apoſtolis dignitatem poteſtatemque, ad quam Religioſo homini aſpirate nefas ſit: & ſanctitatem perfectionemque, cuius ſine periculo appetentes eſſe poſſimus, hortante ipſo non ſemel Apoſtolo: *imitatores mei eſtote, ſicut ego Chriſti.* Non placet Nicolao le Maiſtre *Monachatus natales ita antiquos agnoſcere*, vt putet *Chriſtum & Apoſtolos verè Monaſticum viuendi ritum exorſos. Certè neſcio quibus adiumentis*, inquit, *& catoptris in antiquitatis remotiores angulos penetrant, qui Monachatum Chriſtianum, etiam his temporibus, quorum obſcurior eſt memoria, peruident, & omnes hos qui nunc à Monachis ſeruantur ritus, inter Eccleſiæ cunabula ac primordia deprehendunt.* Addit Seguenotus, Antitegularium poſtremus, de quo verè dici poteſt, *erunt nouiſſima peiora prioribus*, nihil ſocialis & Cœnobiticæ vitæ Chriſtum in Euangelio conſuluiſſe, aut inſtituiſſe: neque operæ pretiū putat ijs reſpondere, qui

*Apoſtolorum ſanctitatem imitari, nihil prohibet.*
1. Cor 4.
*Religionum originem ab Apoſtolis arceſſere nolunt aduerſary.*
Nicol. le Maiſtre Inſt. Epiſc. princ. l. 1. c. 4.
Seguenot. ad c. 45. Aug de S. Virginit. p. 180.

*Obſeruantia regulares non ſunt ab Apoſtolis.*

*Wald. to. 3. de ſacra. tit. 9 c. 84.*

*Religionum eſſentia viguit in Apoſtolis.*

talem inſtitutionem ad Apoſtolorum vocationem referunt, & ad illam ſocietatis & communitatis formam, quæ tum inter Dei filium, & ipſos erat: id enim leuius eſſe dicit, quàm vt in refellendo occupetur. Hi ſcriptores ſi rituum nomine annuum tyrocinium, ſolennem votorum nuncupationem, Abbatum & Priorum imperia, Collegiorum claustra, & id genus alia intelligunt, hæc profectò ſeculum Apoſtolicum ignorauit. Nam venuſtiùs, quàm ſolidiùs dixit VValdenſis *B. Virginem & Apoſtolos hanc vitam clauſtralem incœpiſſe, ad exemplum humanæ vitæ, vacantes in ſchola virtutum, in cœnaculo perſeuerantes in oratione.* At verò ſi votiuam paupertatem, ſtatum perfectionis Chriſtianæ, & quæ Religionum eſſentiam fabricant, rituum nomine volunt concipi, aio ego noſtram non eſſe, ſed Doctorum antiquorum *catoptram*, quæ penitiores ſanctitatis ſinus peruaſerit, & in Apoſtolica vita illud perfectionis culmen non defuiſſe deprehenderit.

*Aluar. Pel. de planctu Eccl. l. 2. c. 56.*

*Chryſ. ho. 28 in Mat. ex variis.*

*Orſieſis de Inſt. Mon.*

*Socra. l. 4. hiſt. c. 23.*

*Concil. ad Theod. villam, ſub Car. Calu. c. 3.*

*Petr. Venerab. l. 1. ep. 28. ad Bern.*

*Bern. ſerm. de Ingrat.*

*Idem ſer. de Quadr. debito.*

Nam vt optimè inter cætera Aluarus Pelagius, tanta eſt votorum Religio, tam perfecta eorum nuncupatio, vt in Apoſtolis, qui primitias ſpiritûs habuerunt; qui tanquam patres abſolutæ virtutis hæreditatem ad filios tranſmittendam acceperunt; qui cuiuſlibet apud Chriſtianos perfectionis fundamenta, & ſtabilimenta fuerunt, deſiderari omnino non debuerit. Certè S. Chryſoſtomus, qui vnus in contrarium ab Theologo producitur, euidentiſſima oratione Monachatum ad Apoſtolicæ vitæ formam exactum docet. *Et hoc propriè loquitur ad Monachos; hoc propriè loquitur ad Apoſtolos. Monachus enim Apoſtolicam vitam deſiderat imitari. Vis ô Monache, eſſe diſcipulus meus? Imo vis Diſcipulorum meorum eſſe diſcipulus? Fac tu quod fecit Petrus, quod fecit Ioannes & Iacobus.* D. Orſieſis Apoſtolica verba reſpexit, cum dixit; *Patres noſtri ædificauerunt nos ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, & Euangeliorum diſciplinam, quæ angulari continetur lapide Domino Ieſu Chriſto, quem ſequentes, de mortifera altitudine, ad vitalem deſcendimus humilitatem, diuitias paupertate mutantes, & delicias ſimplici cibo.* De veteribus illis etiam ſcripſit Socrates hiſtoricus, *Monachos cum propter diſciplinam Monaſticam, tum propter Apoſtolicam viuendi formam quam colebant, valdè fuiſſe eximios.* Concilium Gallicanum ad Theodonis villam, ſapienter dixit, ſacrum Monaſticum ordinem à Deo inſpiratum, & ab ipſis Apoſtolis fundatum, ſeu à nominatiſſimis ac ſanctiſſimis Patribus excultum. Petrus Venerabilis poſtquam totam ſummam Ordinis ſui breuibus Chriſti verbis contineri dixit, *neque aliud eſſe dicere, omnia quæ habes da pauperibus, & veni, ſequere me, niſi, eſto Monachus*; adijcit, *ad vitam illam primitiuæ Eccleſiæ recurrimus, quam eſſe eam, quæ apud nos ſeruari debet, quis ſanctus ſapiens negare poteſt? quæ namque eſt vita Monachica, niſi, quæ tunc dicebatur Apoſtolica?* Quod poſtquam probauit duobus Actuum Apoſtolorum locis, ſubdit, *Ad hanc ergo conuerſationem, quam ſiue Monachicam, ſiue Apoſtolicam dixerim, nihil refert.* Ad Bernardum hæc ſcribit Abbas Cluniacenſis, qui & ipſe in eam ſententiam exclamat, *Apoſtolicam omnes nos vitam profeſſi ſumus; Apoſtolicæ profeſſioni nomina dedimus vniuerſi.* Et alio iterum loco, rem ipſam ratione comprobat. *Quid eſt (gratias illi cuius gratia hoc totum factum eſt) quod vita veſtra vitam Apoſtolicam repræſentet? Illi reliquerunt omnia, & in ſchola Saluatoris ſub eius præſentia congregati, hauſerunt aquas in gaudio, de fontibus Saluatoris; nunquid non & vos, non in præſentia ſed in abſentia ipſius; non ad verba oris eius, ſed ad vocem nunciorum eius ſimile aliquid feciſtis?* Simile, inquam, facultatibus omnibus voto

abdica-

abdicatis, quod fecerunt Apoſtoli. *Dixerant enim potentes iſti*, ait S. Auguſtinus, *Ecce nos reliquimus omnia & ſecuti ſumus te; hoc votum potentiſſimi vouerant. Sed vnde hoc eis, niſi ab illo de quo continuò dictum eſt, dans votum voventi?* Caſtitatis illibato flore in hortum ſponſi, votorum religione delato, quod & Apoſtoli. *Sunt enim Eunuchi* ait S. Epiphanius, *qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum. Quinam illi eſſe poſſunt niſi egregij illi primum Apoſtoli, tum Monachi ac reliqui virginitatis cultores? cuiuſmodi fuere Ioannes & Iacobus Zebedæi filij; ſecundum quos infinita hominum millia quæ in hoc mundo Monaſticam vitam amplexa ſunt, in Monaſterijs virginumque Cœnobijs eiuſdem certaminis decus adepta ſunt.* Ipſa etiam voluntate ad eius aras obedientiæ voto mactata, quod & Apoſtoli. Sic enim ſupra ſanctum Baſilium producebamus Religioſæ obedientiæ in fora, in cruces, in neces formam & exemplum in Apoſtolis requirentem: *Hanc obedientiam is qui ſecundum Deum Monachus eſt, antiſtiti ſuo præſtet oportet.*

August. li. 17. de ciuit. Dei, c. 4.
Epiphan. hæreſ. 58.
Baſil. Conſt. Monaſt. c. 23.

Addo vetuſtis recentes, D. Thomam, in primis, & ſanctum Vincentium Ferrerium, ſanctitate & zelo diuino percelebrem; qui Apoſtolos vouiſſe aiunt *pertinentia ad ſtatum perfectionis: ex quo elicitur quòd iſta vouerunt, ſcilicet caſtitatem, paupertatem, & obedientiam Chriſto.* Additque idem S. Vincentius, *Chriſtum fuiſſe primum priorem* Religioſi illius ordinis, quem ex Apoſtolis conflauerat: & eo nixus fundamento, quæſtionem ſoluit, *litigioſam, quæ eſt inter Clericos & Religioſos. Dicunt Clerici quòd ipſi fuerunt Antequam Religioſi: quod non eſt: nam non fuerunt Clerici vſque in diem cœnæ, & tamen priùs fuerunt Religioſi, ſcilicet Apoſtoli, qui prædicta vouerunt.* Quæ dicta vt voluerint accipient aduerſarij. Franciſcus Hallier qui nobis multorum inſtar eſſe debet, *probabile agnoſcit Apoſtolos ipſos, & aliquos è Septuaginta Diſcipulis, regulares fuiſſe.* Vberior eſt & ſubtilior Henrici Kalteiſen diſputatio, qui eidem Franciſco Doctori non contemnendæ videtur auctoritatis: quamquam & ipſe non ſibi, ſed iuri Canonico credi iubet. *Quantùm*, inquit, *ad tertium ſtatum Apoſtolorum, ſcilicet perfectioris conuerſationis, eis ſuccedunt Religioſi. Unde dicitur 16. q. 1. ex auctoritate. Quod Monachi Apoſtolorum formam tenent; & hoc quantùm ad propriorum renunciationem, vt exponit Gloſſa.* Quod diſtinctiùs, magiſque Philoſophicè explicans, addit, Chriſti, & Apoſtolorum ſtatum duobus modis repræſentari; primò eſſentialiter, *& ſic omnes qui obligant ſe ad perfectionis opera ſecundùm tria vota eſſentialia, repræſentant Chriſti & Apoſtolorum perfectionis ſtatum.* Secundò inſtrumentaliter, id eſt; quatenus inſtrumentis ſeu medijs acquirendæ perfectionis vtuntur: *& ſic ſecundùm diuerſum modum viuendi in voluntaria paupertate, diuerſimodè Religioſi Chriſti & Apoſtolorum perfectionis ſtatum repræſentant.* Rurſum hanc inſtrumentorum conſiderationem ſubſecat Theologus: requiri ad ſtatum perfectionis aliqua formaliter, vt caritatis perfectionem, quæ Epiſcoporum eſt; alia efficienter, vt trinm votorum obligationem, quæ omnes ex æquo Religioſos & adſtringit, & in ſtatu perfectionis collocat: alia denique inſtrumentaliter, vt exercitationem corporalem, & obſeruationes Monaſticas, in quibus excellunt alijs Monachi & profeſſores regulæ S. Benedicti. *Sed quantùm ad modum viuendi Chriſti, & Apoſtolorum imitationem, Religioſi Mendicantes magis ſequuntur illum viuendi modum, quàm alij.*

D. Th. 2. 2. q. 188. a. 4. ad 3.
Vincent. Ferrer. Ser. de S. Dominico.
Religioſi quomodo priores Clericis.
Hallier in vin. p. 437.
Henric. Kalteiſen orat. in Concil. Baſil.
16. q. 1. c. ex auctoritate.

## *CONTRARIÆ PARTIS ARGUmenta ſoluuntur.*

### §. Vnicus.

*Reſpondetur ab eſtionibus.* Nicol. le Maiſtre Inſt. Epiſ princ. l. 1. c. 6. Chryſ. in ep. ad Hebræos hom. 25.

HIS atque ſimilibus antiquorum Neotericorumque ſcriptorum catoptris, obijci nihil video adeo denſum ab aduerſario, vt aciem ingeniorum obtundere potuerit, ne ad prima ſecula penetrarent. Producitur enim S. Chryſoſtomus, qui S. Pauli tempore nullum Monachi veſtigium fuiſſe aſſeuerat, ergo Monachatus natales non ita antiqui fuerunt. Reſpondeo S. Chryſoſtomum in eos inuehi, qui ſanctitatis præcepta ab Apoſtolo edita ad Monachos remittebant, quaſi ea non potiùs fideles omnes tangerent: nam Chriſtianus, inquit, propriè frater eſt, non Monachus: poteſt enim Catechumenus Monachus eſſe, frater eſſe non poteſt. Imo non erant Pauli tempore Monachi, quos poſſet alloqui: non profectò cum externis illis ritibus & obſeruationibus, quæ S. Chryſoſtomi ſeculo vigebant. Quæ cum maximè ſeculares homines ferirent, ijs ſolis perfectionem Chriſtianam imperari cauſabantur. Monachatus autem initium Apoſtolicis temporibus extitiſſe non potuit inficiari ſacer concionator, ſi Philonis Supplices legit ſub S. Marco Petri Diſcipulo; ſi ſanctorum Monachorum ordinem vidit in S. Dionyſio Pauli ipſius alumno.

*2. obiect.* *Grandis aduerſarij amplificatio aduerſus paupertatem religioſam.*

Obijcit ſecundo. *Obedientia in Chriſto ea eſt, quam omnes Deo patri non voto, ſed officio reddimus: paupertas dominij cuiuſlibet expers, neſcio an poßit in Chriſto, Apoſtolis, & tota Chriſtianorum Eccleſiæ naſcentis ſodalitate à rectis, & nullius affectu inſtituti illaqueatis Doctoribus indicari. Nam virtutem paupertatis in animi potius caduca hæc & mutabilia aſpernantis conſtantia, quàm in ſordibus & ſqualore verſari, complures intelligunt.* Quod cum & amplificatione rhetorica declamauit Theologus, & aliquibus Patrum dictis ſtabiliuit, in hæc demum verba concludit. *Non ergo penſamus virtutem è cultu illo rudi & ſqualido, non ex fune, ſcutica, deformi, & decaluato vertice, gloriam magnæ mentis æſtimamus; ſedet in animo virtus, & anguſtiori repoſitâ ſacrario; non in obuia ædium fronte, ſed interiore demoratur penetrali.* Subditur paulò inferiùs Iuſti Abbatis grauis obiurgatio, in Monachos ſuos *cum ingentia & propè æquata cælo ædificia cerneret cum paupertate luctari*, diceretque *his patet indicijs, quia reſumimus quæ reliquimus, imo ea vſurpamus in habitu Monachi, quæ nunquam habere potuimus in ſeculari.* Hæc omnia de oratorio illo myrothecio libanda fuerunt, vt clarius mens & ſtylus auctoris appareat: quis enim non ſentit ab eo ſugillari Religioſos, quaſi externa tantum ſpecie horrida & inculta paupertatem oſtentent, interius autem opum congerendarum cupidine exæſtuent: Quis non videt ad Monaſteriorum ſubſtructiones digitum intendere, & eorum amplos reditus criminari, quaſi neſciat, Monachos diligere poſſe decorem domus Dei? Audiat verò non inuitus à Religioſis, quod ipſe alio loco in ſua & conſimili cauſa Religioſis reſpondet, *priſcorum caritati inuidete, à quibus hæc in nos defluxerunt.* De

*Idem le Maiſtre l. 1. cit. c. 6.*

obedientia

obedientia quoque verbis immediatè obiectionem præcedentibus expreſsè dicit, *Monachorum inſtitutio uni addicta magiſtro, cui humilius aliquando, quàm Chriſto, & Pontificibus ab eo datis paretur.* Quod eſt impios, ſacrilegos & Deo hominibuſque perduelles Religioſos facere. *Inſignis aduerſarij calumnia aduersùs obedientiam Religioſam.*

Hæc de aduerſarij animo in tota hac quæſtione: in peculiari autem obiectione in qua verſamur, ſenſum potiùs, quàm verba auctoris, & ſtatum quæſtionis veriùs, quàm Latinas phraſes attendi oportere arbitror. Nam licet in ea legam hæc verba, *paupertas dominij cuiuſlibet expers*; de proprietate tamen, non de dominio agit ſcriptor: tum quia duo hæc vocabula *proprietatis & dominij* minimè diſtinguit, vt non vno loco patet: tum quia ſi diſcernenda putat, hoc priori capite de proprietate tractare dicendus eſt, cum ſequenti dominium ſolum exequatur: tum quia hoc capite, quod *de Monachis Noui Teſtamenti* inſcribitur, vniuersè demonſtrare Theologus intendit, tria Religioſorum vota à Chriſto & Apoſtolis initium non duxiſſe: paupertatem ergo proponere debet omnibus Religioſis communem, eamque ab Apoſtolis abiudicare, non illam quæ vnico Franciſcanorum inſtituto peculiaris eſt. Itaque nomine *dominij* in obiectione, ſequutus auctoris intentionem, *proprietatem* ſtrictiùs dictam intelligo, & ad obiectionem dico; verè quemlibet animo, non arca diuitem aut inopem æſtimari. Paupertatem internam, quam ſolam laudat hoc loco aduerſarius, quamque alibi in vitioſa, de qua dictũ paupertatis diuiſione quartam ſpeciem facit, communem eſſe Chriſtianis omnibus, Sathanæ pompis in luſtrali fonte renunciantibus: hanc quaſi ſolum ſubſterni, quaſi fundamentum præſtrui, quaſi columnam præerigi à veris Religioſis: ſine qua Chriſtiani religio hypocriſis fuerit; externa facultatum abdicatio, inſania; votum paupertatis, merum ſacrilegium. Sed huic vulgari perfectioni aio à Religioſis ſuperaddi aliam, externam, integram bonorum omnium abdicationem, voto firmatam; ne libera ſit vnquam poſtliminio regrediendi poteſtas. Quam vitæ conditionem illa vulgari perfectiorem eſſe, Catholicum dogma eſt, dicente Chriſto, *ſi vis perfectus eſſe, vade, vende omnia quæ habes.* Quæ vox ab adoleſcente reiecta, tranſijt ad Antonium, & eo duce Ægyptias ſolitudines cœli ciuibus frequentes reddidit. Hanc autem paupertatem, vt & votiuam obedientiam, cum diſertè negat in Apoſtolis fuiſſe Nicolaus le Maiſtre, negat Apoſtolos vſos eſſe conſilio perfectionis iuueni dato; Negat Apoſtolos eam perfectionis arcem tenuiſſe, illa ſaltem ex parte, in qua veteres Antonij diſcipuli, & omnes Religioſi cum bonorum omnium & Eccleſiæ totius approbatione verſantur, quæ ratio eſt ſuperius à nobis producta ex Aluaro: negat Chriſtum & Apoſtolos inſtituiſſe Religionem perfectorum à vulgari differentem, quæ eſt VVicleffi opinio ab Eccleſia proſcripta. Affirmat è diuersò, falsò gloriatos eſſe Apoſtolos cum profeſſi ſunt ore principis ſui, *Ecce nos reliquimus omnia.* Chriſtum ementitæ illi profeſſioni iudiciariam poteſtatem extremo die immeritò promiſiſſe, *ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſraël*: aut certe poteſtatem illam Chriſtianis omnibus deberi, qui non minùs quàm Apoſtoli, retenta rerum ſuarum proprietate & dominio, in præparatione animi, vt loquitur Theologia, pauperes ſunt.

*Vera mens auctoris exponitur l. 1. cit. c. 4. Dominium & proprietatem non diſtinguit.*

*Reſpondetur argumento.* *Idem l. 1. c. 12.*

*Paupertas interna Chriſtianorum omnium eſt, externa Religioſorum.*

*Periculoſa aduerſarij doctrina.* *Matt. c. 19.*

Ad Patrum ſenſum quod attinet, cum ad *rectos, & nullius affectu inſtituti*

*illaqueatos Doctores* appellat : ſpetat ſe nobis ſanctos Gregorium magnum, Hieronymum, Bernardum, Bedam, Thomam Aquinatem, Bonauenturam, & ſimiles ereptutum, tanquam Monachos, partium ſtudio detortos atque obliquos: quod de talibus viris ſine ſcelete dici non poteſt, licet id de S. Thoma conceptis verbis affirmet Claudius Seguenotus à Schola Pariſienſi notatus. Quibus ego non relictis, adiungo S. Auguſtinum, cuius ipſe Monachatum oppugnat, Græcos Patres, Baſilium, Chryſoſtomum, Nazianzenum, quos vnquam extitiſſe Monachos negat Aurelius : & vniuerſè quotquot productum Matthæi locum in laudem Apoſtolorum explicant ; qui & ab ea paupertate *habuerunt poteſtatem mulierem ſororem circumducendi*, pet quam ipſis neceſſaria ſubminiſtrarentur, vt fusè docet S. Auguſtinus in opere Monachorum ſuperiùs à nobis decurſo.

*Seguenot. in S. Thom. contumelioſus.* in l. de S. Virgin. p. 180.

1. Cor. 9. Augu. l. de opere Monach. c. 7.

Obijcit tertiò non iam aduersùs eam paupertatem quæ aliquid in commune poſſidet, qualis eſt in Benedictina familia, alijſque compluribus; ſed contra illam *ſtrictam afflictiſſima paupertatis legem*, quæ omnem proprietatem, tam in communi, quàm in particulari reijcit, *ſanctum quidem & laudabile admodum paupertatis genus* eſſe, ſed à Chriſto & Apoſtolis non cultum ; probatque. 1. Ex eo *quod Chriſto ius regni à Patre conceſſum eſt, qui à plurimis dicitur Rex temporalis, non itaque pauper.* 2. Quod Chriſtus ipſe loculos habuerit, quibus inſtructi *diſcipuli dicuntur in ciuitatem Samariæ progreſſi, vt emerent panes*; *idem de tributo dici poteſt, quod ſoluit Petrus iuſſu Chriſti.* Quæ fieri non potuerunt niſi dominio numorum ab illis poſſeſſoribus, ad alios tranſlato. 3. Quod Paulus & Apoſtoli primæuis Chriſtianis illud onus non impoſuerunt, ſed tantùm diuitibus *præceperunt, ne ſperarent in incerto diuitiarum.* Ad id autem quod pro abdicatione dominij affertur, Chriſtianos pretia poſſeſſionum ad pedes Apoſtolorum abieciſſe; verè reſpondet, paucorum, & quidem liberam, nulli autem imperatam ab Apoſtolis fuiſſe pietatem illam : & *hac eſſe Monachatus initia omnes paſſim inclamitant.*

*3. obiectio.* Idem l. 1. cit. c. 5.

*Reſponſio.*

Reſpondeo alienam eſſe à noſtro propoſito eiuſmodi difficultatem, ob rationem ſuperius indicatam, quæ in rei nouitate, & vnius inſtituti priuilegio verſatur : cum ego in Chriſti & Apoſtolorum vita requiram vniuerſè Religioſi ſtatus expreſſam imaginem, & iacta fundamenta. In vtramuis igitur ſententiam pedibus iuero, Hierarchiæ meæ non intereſt. Quamquam ſi in aduerſarij caſtra tranſiero, non continuò eius arma ſatis tuta & fidelia eſſe credam, cum bona cauſa malè propugnari queat. In prima enim ratione Chriſtum regem agnoſco, & veneror, ſed eum *cuius principatus ſuper humerum eius* eſt impoſita cruce, quum paulò ante publicè edixiſſet, *Regnum meum non eſt de hoc mundo*: & paupertatem ſuam commendans, vulpibus & auibus egentiorem ſe eſſe monſtraſſet. In ſecunda loculos video, emptos cibos, penſitatum tributum, rerum illarum vſu conceſſo, ſine proprietate & dominio, quemadmodum & Franciſcanis Mendicantibus conceditur, qui certè vero contractu veſtes, cibos, libros, omnia, pecunia vſuali commutant. In tertia relictam farebor primæuis fidelibus ab Apoſtolis liberam poſſidendarum opum facultatem, interiore paupertate contentis, ſed eam in Apoſtolis ipſis, de quibus controuertitur, fuiſſe negabo, poſt votum Chriſto ſuadente conceptum, *& hac Monachatus initia inclamitabo* præfuiſſe, non in omnibus naſcentis

*Chriſti regnum quale.*

*Chriſto vere empti cibi & neceſſaria.*

*Non omnes primi Chriſtiani paupertatem vouerunt, ſed perfectiſſimi.*

tentis Eccleſiæ Chriſtianis, ſed in ijs tantùm, qui *ardore potius & æſtu pietatis, quàm ex præcepto & imperio patrimonia ſua pretio diſtrahebant, quod deinde pedibus Apoſtolorum aduolutum, quaſi ſacrum anathema Chriſto appendebant*, cum ſe votiua paupertate tam rebus ipſis, quàm earum proprietate & dominio priuarent, diſtributis Diaconorum arbitrio neceſſarijs, & collectis hinc inde pecunijs, quarum frequens eſt in Paulo memoria, tanquam fidelium eleemoſynis in poſterum victuri: quæ certa Mendicantium noſtrorum forma eſt, de quibus fusè VValdenſis. Wald. to. 1. l. 4. a. 2. c. 26.

Et ne maior hoc loco deſideretur auctoritas; hanc de Apoſtolorum & perfectiſſimorum Chriſtianorum paupertate votiua poſitionem, de Monachorum in illa virtutis hæreditate ſucceſſione aſſertionem eximia facundia probat S. Auguſtini vt memorabilis, ſic aperta oratio, Dauidicum dictum interpretantis, *Ecce quàm bonum & quàm iucundum habitare Fratres in vnum.* *Inſignis Auguſtini oratio de Apoſtolis, & Monachis.* In Pſal. 132. *Iſta*, inquit, *verba Pſalterij, iſte dulcis ſonus, iſta ſuauis melodia, tam in cantico, quàm in intellectu, etiam Monaſteria peperit. Ad hunc ſonum excitati ſunt Fratres, qui habitare in vnum concupierunt: iſte verſus fuit tuba ipſorum.* Dubium ergo non eſt quin de Monachis agat Auguſtinus. Iam videndum vnde ſint illi. *Et vnde Apoſtoli filij Prophetarum? vnde illi quingenti, qui Dominum poſt Reſurrectionem viderunt? vnde illi centum viginti, qui ſimul erant in vno loco poſt Reſurrectionem Domini, & Aſcenſionem in cælum? Omnes inde erant. Ipſi primò habitauerunt in vnum, qui omnia quæ habebant vendiderunt, rerumque ſuarum pretia ad pedes Apoſtolorum poſuerunt. Primi audierunt, ſed non ſoli audierunt. Venit enim & ad poſteros iſta caritatis exultatio, & votum Deo. Vouetur enim aliquid Deo, & dicitur, Vouete, & reddite Domino Deo veſtro. Ex voce huius Pſalmi appellati ſunt & Monachi, ne quis vobis de iſto nomine inſultet Catholicis.* Nulla poteſt eſſe hac oratione luculentior, nulla dignior Auguſtino; nulla paupertatis Apoſtolicæ, & voti memoria expreſſior.

---

*SEPTVAGINTA DVOBVS DISCIPVLIS VT complures alios, ſic Religioſos dici poſſe ſuccedere demonſtratur.*

## CAPVT XIII.

Aſpirantes ad ſumma, in ſecundis tertijſque conſiſtere glorioſum putant: ſi qui nos igitur de Apoſtolicæ vitæ gradu deieciſſet, cótinuò in Septuaginta duobus Diſcipulis præſidium quæſiſſemus, ne penitus à Chriſti ſocietate extorres eſſe videremur. Sed & hunc locum, neſcio quo fato, non obſcuro certè conſilio, maiori animorum contentione Religioſis eripi video, dicentibus Aduerſarijs, quod olim Ioannes, nondum vnctus Spiritu Sancto, *Magiſter vidimus quemdam in nomine tuo eijcientem Dæmonia, qui non ſequitur nos, & prohibuimus eum.* Marc. c. 9. Ieſus autem ait, *Nolite prohibere eum.* Qua magiſtri voce edocta, alios benè multos in eum comitatum admittit Eccleſia.

In primis Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium Collegium à Sixto V. ad numerum ſeptuaginta contractum, vult Pontifex Septuaginta virorum *Multi dicuntur 72. Diſcipuli*

*ſuccedere & in primis Cardinales.* Sixtus V. Bulla Poſtquam. recens. an. 1586.

per Moſen in veteri lege congregatorum figuram tenete: certum autem eſt, eundem numerum in diſcipulis ad formam Synagogæ quæſitum à Chriſto, vt Septuaginta ſenibus Moſaïcis, & Septuaginta Chriſti Diſcipulis ſuccedere, pro vno atque eodem in doctoribus habeatur. Deinde Chorepiſcopos illos veteres, pronunciat Neocæſarienſis canon *conſtitutos eſſe ad exemplum Septuaginta ſeniorum.* Aliâ verſio extremam vocem oblitetat, & Septuaginta Diſcipulos ſimpliciter intelligere permittit; quamquam, vt dixi, eadem eſt vtrorumque figura. In Concilio Pariſienſi ſub Ludouico Pio definitè dicitur, *Epiſcopos locum Apoſtolorum, Chorepiſcopos autem exemplum & formam tenere Septuaginta Diſcipulorum, & liber Actuum Apoſtolorum & Canonica auctoritas apertè demôſtrat.* Deinde hic ipſe Neocæſarienſis Canon, & alij citantur à patribus; qui omnes eandem cum Diſcipulis ſimilitudinem tradunt. Eccleſia ipſa tertio loco, omnes ad Sacerdotalem ordinem aſpitantes, vrbanos, paganos, doctos, imperitos, egentes, locupletes, ſeculares, regulares, in ſortem Diſcipulorum adlegere ſe ore, & voce Hierarchæ pronunciat, *vos ſiquidem in Septuaginta viris & ſenibus ſignati eſtis: ſub eodem quoque myſterio; & eadem figura in Nouo Teſtamento Dominus Septuaginta duos elegit. Tales itaque eſſe ſtudeatis, vt in adiutorium Moyſi, & duodecim Apoſtolorum eligi valeatis.* Eadem doctrina elici poteſt ex epiſtola Damaſi contra Chorepiſcopos, (cui auctoritatem citando conciliant aduerſarij) *Non amplius quàm duos ordines inter Diſcipulos Domini eſſe cognouimus; id eſt, duodecim Apoſtolorum, & Septuaginta Diſcipulorum: vnde iſte tertius proceſſerit, funditus ignoramus.* Hoc dicit, ſolos eſſe Epiſcopos, & Preſbyteros; medium iſtud genus ſupra Preſbyteros, non ex toto æquale Epiſcopis, nullam in Chriſti ſequacibus habere formam. Idcirco decernit vt arrogantia poſita *inter Sacerdotes locum habeant, & miniſterio Presbyterorum contenti ſint.* Quod & in Caroli Magni capitulari legimus à Leone III. renouatum. *Villani Epiſcopi inter Presbyteros ſtatuantur,* & infra, *quæ omnia ſummis Pontificibus, id eſt, cathedralibus Epiſcopis debentur, & non Chorepiſcopis vel Presbyteris, quorum formam iuxta Canonum decreta, Chorepiſcopi gerunt.*

*Item Chorepiſcopi veteres.* Concil. Neocæſar. can. 13. al. 14. Concil. Pariſienſe. 6. can 27. *Item Sacerdotes omnes.* *Rituale Romanum.* Damaſ. ep. contra Chorepiſ. Capitul. Car. m. l. 7 c. 187. Ibid. c. 318.

*Item Religioſi.* D.Th. 2. 2. q. 188. a. 4. ad 9. Refellitur Petrus Aurelius in vin. p. 530.

Omnibus ergo Presbyteris in Diſcipulorum ſucceſſione locus eſt: à qua neque Regulares excluſos vult Eccleſia, quos tam ſtudioſè ad Preſbyteratum inuitat. Hic igitur quartus Diſcipulorum ordo eſt, diſertè ſcribente B. Thoma, *Formam Septuaginta duorum Diſcipulorum non ſolum tenent Presbyteri Curati; ſed quicunque alij minoris ordinis, qui Epiſcopis in eorum officio ſubſeruiunt. Quibus verbis Regulares verè intelligi* fatetur Petrus Aurelius: tamen addit non docere D. Thomam *Regulares ſuccedere 72. Diſcipulis, ſed tantùm, eorum tenere formam, id eſt eorum aliquam ſimilitudinem gerere, & eum ijs comparari poſſe.* Verùm eodem modo loquitur de minoribus iſtis, ac de Curatis: ſi ergo illi non ſuccedunt quia formam tenent, neque iſti ſuccedere dicentur. Deinde in adhortatione ad ordinandos, dicuntur Epiſcopi *per Apoſtolos figurari*, quibus tamen ſuccedunt, & Chorepiſcopi cenſentur conſtituti ad exemplum, ſeu ad figuram 70. ſeniorum, qui tamen ab Hallier agnoſcuntur ſucceſſiſſe Diſcipulis. Formam igitur tenere, & ſuccedere, pro eodem habebit Grammaticus. Et è præcedentibus vetam D. Thomæ mentem apertiùs ediſcet, Religiones ad docendum & prædicandum natas, *propinquiſſimas eſſe perfectioni Epiſcoporum, quia & in alijs rebus fines primorum coniunguntur principijs ſecundorum.* Qui ſunt autem illi *ſecundi*, niſi diſcipuli, proximo ab Apoſtolis gradu in Eccleſia poſiti?

*Rituale Roman.* Hallier in vindic. p. 574. *Religiones propinquiſſima perfectioni Epiſcoporum.*

Ad

ad quos proinde referri debent Religioſi, vt Apoſtolos tanta vicinitate contingant. Quod ſine dubio innuere voluit Petrus Damiani, cum *profeſſionem Monachalem, ſecundi certum Apoſtolici ordinis* nuncupauit. Illa enim curiæ Romanæ vox, ſi Monachis conuenit, quantò iuſtiùs ijs Religioſis, quos B. Thomas commemorat?

*Monachalem ſecundi certum Apoſtolici ordinem.* Petr. Dam. opuſc. 13. c. 6.

Quintum ordinem è Diaconis fabricat Henricus Kalteiſen Baſileenſis orator, quem fusè explicat Franciſcus Hallier, qua parte ait ſolos Curatos Diſcipulis ſuccedere: at reliqua doctrinæ illius membra ne per vmbram quidem attingit. Conſiderari autem doctor ille Religioſus, vult Diſcipulos Septuaginta, vt priùs Apoſtolos, tripliciter, nimis ſubtili diſſectione: *primò vt miſſos à Chriſto ad prædicandum ante paſſionem: quo in ſtatu ſuccedunt eis Presbyteri Curati. Secundò vt ab Apoſtolis miſſos poſt Chriſti Aſcenſionem:* quo in ſtatu *quoad aliquid, Presbyteri alij;* illud autem, inferiùs ait eſſe, poteſtatem in Chriſti corpus reale per ordinem Sacerdotij. *Tertiò vt Diaconos per quorundam ex eis ordinationem, vt Stephanum Archidiaconum: ſic eis ſuccedunt Clerici conſimilium nominum, & inferiores, Prælati ſeu Clerici.* Equidem hac in ſubtilitate quædam minùs ſolidè dicta exiſtimo. Nam in primis cùr Parochi cum Diſcipulis comparantur, quales ante paſſionem à Chriſto mittebantur? Quia, inquit, præibant *in omnem locum & ciuitatem quo erat ipſe venturus, & non alibi*, quemadmodum *Curati Presbyteri ſic ſunt ad vnam plebem, ſeu Parochiam limitati quòd præſunt illic, & non alibi:* atqui ad vnum locum & ciuitatem, vt eius verbis vtar, limitati non fuerunt Diſcipuli; quin potiùs huc illuc miſſi prout opportunitas exegit. Illa igitur in re Parochis diſſimiles, qui vni loco ſunt affixi. Deinde Parochorum dignitati conſultiùs, & rationi magis conſentaneum fore arbitror, ſi cr damus eos Diſcipulis ſuccedere, quales poſt Aſcenſionem fuerunt, cum eſt ordinata ab Apoſtolis Eccleſia, & conſtituti Apoſtolorum adminiſtri ordinarij, Paulo ſic ordinante, *Reliqui te Cretæ, vt conſtituas per ciuitates Presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi.* Prætetea poſt Chriſti Aſcenſionem dicit Preſbyteros omnes ſucceſſiſſe diſcipulis in ordine, Diaconos in ordinatione, cum tantùm aliqui ex Diſcipulis Preſbyteri, aliqui Diaconi ſint ordinati; nos autem quæramus communem aliquam in Diſcipulis omnibus rationem, in qua cum eis conueniant Preſbyteri, & Diaconi communiter. Adde quod ſatis impropriè dicitur Stephanus Archidiaconus, ad morem noſtratium Archidiaconorum, cum iuriſdictione etiam in Preſbyteros, relatus. Denique haud ſcio, an quis alius ſcripſerit & Diaconos, & quod remotiùs eſt, inferioris gradus Clericos in Diſcipulorum locum venire. Quæ tamen omnia ſi tantopere probat Franciſcus Hallier, vt præ ſe fert, non video cur inter Diſcipulos Religioſis locum inuideat, quem ianitores & Lectores occupant: aut cur ex eo auctore ſolos Curatos Diſcipulis ſuccedere pertinaciter contendat, cum minores illi Clerici Curati non ſint.

*Item aliquo modo Diaconi dicuntur ſuccedere 72. Diſcipulis.* Henric. Kalteiſen orat. in Concil. Baſi. Halli in vindic. p. 569. 570

*Examinata quædam in eius doctrina.*

Tit. c. 1.

## *EADEM ASSERTIO RATIONIBUS, comprobatur.*

§. I.

HABEMUS igitur Doctorum auctoritate, & Religioſos, & Preſbyteros quales debent eſſe ij Religioſi qui ad docendum & prædicandum inſti-

*Religioſi ad gentium conuerſionem mitti ſolent.*

tuuntur, Diſcipulis Septuaginta ſuccedere : idem rationibus nonnullis ſatis probabilibus conficio. Prima ducitur à fine per Chriſtum intento, qui eſt Eccleſiæ perfectio, & ea quidem in duas diuiſa partes ; prior fideles Chriſto iam acquiſitos complectitur, conſeruatio & gubernatio ; altera *oues quæ non ſunt ex hoc ouili* quærit,& adducit ad fidem, augmentum atque amplificatio: illa ab Epiſcopis Parochiſque vni populo & Parœciæ addictis, & Spartam vnam tuentibus fieri ſolet : præter quos expeditas acies habet Eccleſia, quas in varias Gentes huc illuc ſpargat, & quidem vt plurimùm è viris Religioſis, quorum opera Barbaras quaſque regiones Chriſtianæ fidei iugo ſubdidit, quæ pars altera eſt, priore non ignobilior, certè laborioſior. Itaque ex his copijs Bonifacios, Villibrotdos, Suitbertos Germania, Auguſtinos cum ſocijs complutibus Britannia, Patricios Hibernia, Columbanos Picti, Gerardos & Mauros Hungari, Hieronymos Boëmos Lituani, Methôdios Bulgari, Augerios Sueci, Dominici Franciſcique nepotes & imitatores Tartari, Ioannem Cabeldum Franciſcanum, Vincentium Duuallium Dominicanum America, & Peruuium; Franciſcum Xauerium Iaponia, Mathæum Riceium Sina, Gallos Ignatij alumnos Canadenſes ſolitudines, gentes aliæ alios per ſecula ſuos Apoſtolos, ab Apoſtolicis viris in formam Diſcipulorum miſſos, viderunt & exceperunt. Planè inquam ad formam diſcipulorum, ſi verè Beda dixit, vt Apoſtoli duodecim propter duodecim tribus Iſraël ſunt electi, ſic iſtos Septuaginta duos conſtitutos, *quia totidem gentibus Euangelium prædicandum erat; Hi enim propter exteras gentes deſtinabantur imbuendas.* Confirmatur exemplo periti Imperatoris, qui ducibus militibuſque in Legiones diſtributis, è totius exercitus corpore ſtrenuos quoſdam auellit ſibique adiungit, vt qua parte inclinabit agmen, illâ recentes immittat & prælium reſtauret faciatque victoriam. Exemplo item Regis prouidi, qui vrbibus arcibuſque præſidiario milite, & vigilantibus præfectis benè munitis, equitum peditumque leuis armaturæ agmen habet ſub ſignis, quibus hoſtium impetus inſidiaſ-ve propulſet.

*Beda in Luc.c.10.*

*Eccleſia Religiones illas inſtituit ad formam Diſcipulorum, ad miſsiones excurrentium.*

*Duæ miſsiones Apoſtolorum in vnam formam cõflari debẽt.* Matth.10. Luc.10.

Altera ratio ſumitur ex inſtitutione conſilioque Eccleſiæ, quæ cum Epiſcopis Parochiſque in vna ſtatione poſitis, aliud hominum genus haberet neceſſarium qui *ſicut nubes volarent*, & cœleſtis doctrinæ rore fidelium infideliumque rertas perpluerent, illos ad diſcipulorum proüt miſſiones celebrant, formam inſtituit, ad propoſitum ſuum aptè & conuenienter. Quod ex ipſo Euangelij textu facilè peruideri poteſt. Nam duæ formam illam explicant miſſiones, altera Apoſtolorum in Matthæo, altera Diſcipulorum in Luca: vtram ſumas minimùm intereſt: nam & vis eadem miſſionis eſt, à quocumque obeatur, ab Apoſtolo, aut Diſcipulo: & ſuperiora totam inferiorum perfectionem continent, Apoſtoli Diſcipulorum: & inferiora cum ſuperioribus cõiuncta proximè ea imitantur & exprimunt, Diſcipuli Apoſtolos. Quod ergo Chriſtus Apoſtolis præcepit, hoc Diſcipulis cum eos mitteret: quod Diſcipulis, hoc Apoſtolis cum formam miſſionis traderet. Poteſt ergo conflari locus vterque, non *in quintum Euangelium*, vt mimicè Petrus Aurelius : ſed ad perfectam vtriuſque intelligentiam, facili, ſecutâ, vſitatâ methodo requirendam: hoc enim ſenſu dixit S. Auguſtinus, vnum eſſe Euangelium, libros quatuor. Hic autem videmus ipſi oculis, & manibus tangimus, non Parochorum qualis modò eſt, ſed Regularium, & præſertim Mendicantium, qualis ab Eccleſia

ab Eccleſia conſtituta eſt, formam. In primis enim vult D. Thomas à nobis animaduerti, quòd Chriſtus *mittebat eos binos ante faciem ſuam, in omnem ciuitatem & locum quo erat venturus*: quòd *determinatas Diſcipulis Parochias non aſſignauit*. Deinde legimus, *mitto vos ſicut oues in medio luporum*; at Parochi ſicut Paſtores mittuntur in ouium medio. *Gratis accepiſtis, gratis date. Nolite poſſidere aurum, neque argentum*, quod Parochi ſibi dictum non exiſtimant, ſed Mendicantes.

*Præcepta miſſionum applicantur Religioſis.* D. Th. 2. 2. q. 188. a. 4. ad. 5.

*In quamcumque domum intraueritis, dicite, pax huic domui: Manducate quæ apponuntur vobis.* Quæ verba Curatis optimè competere ſcribit Hallier, & Apoſtoli verbis confirmat, *qui benè præſunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur*: quaſi dicat: *tibi ô Timothee vt Epiſcopo, bonorum Eccleſiaſticorum adminiſtratio conceſſa eſt, vt ea Curatis, & reliquis ex æquitate diſpenſes, vberiori præ cæteris præmio donentur*, &c. Pro Parochis diſputat & Aurelius, aliumque Apoſtoli locum adducit, *Chriſtum ordinaſſe ijs qui euangelium annunciant, de Euangelio viuere*, quod *Regularibus, & Ieſuitis ſpeciatim conuenire negat*, ex D. Thoma. In quo equidem eius conſilium diſpicere non poſſum, niſi vt inedia Regulares omnes, & *Ieſuitæ ſpeciatim* conficiantur; qui quoniam ab Eccleſia Mendicantes conſtituti ſunt, niſi manducent quæ à fidelibus cum caritate apponuntur, fame pereát oportet. Cur autem illis eleemoſynæ denegentur? non ſunt operarij? non ſunt digni mercede ſua? non annunciant Euangelium? cur falsè in eam ſententiam adducitur D. Thomas, qui alia penitùs omnia dicit, quàm quæ finguntur ab Aurelio? *Ius exigendi vitæ ſubſidia, Regularibus competere negat D. Thomas*, inquit Aurelius, *ſed ſolum ordinarijs præſulibus*. At ſic ad verbum D. Thomas. *Accipere munera ad diuitias augmentandas, vel accipere victum ab aliquo ſibi non debitum, abſque vtilitate, & neceſſitate, præſtat occaſionem peccati, quod non habet locum in Religioſis.* Vbi eſt Aureliana propoſitio? nonne eodem loco idem S. Doctor Religioſos dicit *cum laborant in agro Dominico, poſſe exinde viuere, ſecundùm illud, 2. Timoth. c. 2. laborantem agricolam oportet primùm de fructibus percipere*? Cur ergo Aurelius contra præceptum Moyſi & Apoſtoli *alligat os boui trituranti*? Quamquam ſi iniuſtæ cupiditatis iuſta poteſt eſſe defenſio, non immeritò id Ieſuitis imprecari mihi videtur. Nam omnium criminum reis, omnium ſcelerum ſpurcitia cõtaminatis, quos monſtra nulla virtute redempta à vitijs, & eſſe vult, & ab hominibus vulgò exiſtimari, ſi vera de illis ſcripſit, quæ poteſt eſſe vel ſatis accelerata nex, vel iniuſta crux? Sed hæc obiter, in viam redeo. Non minùs igitur aptè in Mendicantes quadrat Euangelicum illud dictum; ſed aliter Apoſtolica ſententia explicatum, *habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus*: proprios enim reditus annuos numerare non poſſunt, vt videant ſint-ne *duplici honore* locupletati. *Quicumque non receperit vos, exeuntes foras de domo, excutite puluerem de pedibus veſtris.* Non debent exire Parochi; ſed efficere vt rebelles ſubditi conuertantur; contenti vt ſummum cum Chriſto, qui nationi vni donatus fuerat, dicere, *ô generatio incredula, quamdiu apud vos ero, quãdiu vos patiar? Eritis odio omnibus propter nomen meum.* Videant Antiregulares id-ne Monachis non conueniat. *Cum perſequentur vos in ciuitate iſta, fugite in aliam.* Quomodo fugiet Parochus ſuo gregi intentus? qui quia Paſtor eſt, lupo venienti occurrere, non vt mercenarius fugam arripere debet? Religioſus autem cui caritas, non iuſtitia labores illos imperat, tempeſtati cedet, & mitius cœlum requiret, fouendo cœleſti ſemini

*De vita ſubſidijs Parochis, & Mendicantibus debitis.* Hallier in vin. p. 57. 1. Tim. 5. Aurel. in vin. p. 540. 1. Cor. 9. *Refellitur.* *Imponit D. Thomæ.* D. Th. 2. 2. q. 188. a. 4. ad. 4. Ibid. ad. 2. 2. Tim. 2. 1. Cor. 9. 1. Tim. 6.

magis idoneum: exemplo Pauli & Barnabæ, à Iudæis ad Gentes Euangelij prædicationem transferentibus. Scio ad hanc collationem Diſcipulorum cum Religioſis, reſponderi nonnihil ab Aurelio, quod mox commodiore loco recognoſcetur. Non ſpernet interim Doctor Hallier, oratoris ſui Kalteiſen ſubtilem Cleri Eccleſiaſtici cum cœlo comparationem, in quo *ſtellæ maiores, Prælatos* ſignificant, *minores, ſubditos: quorum quidam comparantur ſtellis fixis, ſicut hi qui ad certam Diœceſim, vel Parochiam ſunt limitati: ſtellæ autem erraticis alij; prædicatores per mundum diſcurrentes.*

*Religioſi cum planetis collati.* Kalt. orat. in Concil. Baſil.

Tertiam rationem ipſum Diſcipulorum nomen objicit; quod licet commune olim Chriſtianis omnibus fuerit, primarios tamen Septuaginta duos à Chriſto ipſo deſignatos antonomaſtica ſignificatione contingit. Aio itaque Apoſtolico & Epiſcopali ſtatui ex rei natura magiſterium conuenire, nec minùs eſſentialiter ſtatui Religioſo, diſcipulatum. Eſt enim apud S Dionyſium ordo Epiſcoporum perfector, & perfectiuus, cui à Sacerdoribus traduntur Monachi perficiendi. Vnde D. Thomas eſſentialem Epiſcopalis ſtatus perfectionem, ſupra Religioſum deducit, quia *ſemper agens præſtantius eſt patiente*; neque natura ſua Monachatus aliorum deductiuus eſt, vt ſæpè dictum. Quamobrem in conſecratione, Monachus *neutrum genu flectit, neque caput diuinis libris ſubijcit.* Quem locum ſublata negatione corrumpit Franciſcus Hallier, & magni Hierophantæ, & ſuæ ipſius opinioni contrarius. Fuit autem illa perpetua Eccleſiæ praxis, vt alibi notauimus, in qua Epiſcopos vidcmus, vt S. Baſilium, vt S. Chryſoſtomum, vt S. Auguſtinum, & ſine dubio S. Marcum Euangeliſtam, vt ipſos Apoſtolos, Monachorum legiſlatores & magiſtros. Cum enim nulla vnquam Religio ſtatum Eccleſiaſticum ſine Epiſcoporum auctoritate conſtituerit, fuit & ex vſu, & ex rei natura neceſſarium, vt ijs legibus ſtatus ille vteretur, quæ aut conditæ, aut probatæ eſſent ab Epiſcopis. Quod & modò adhuc implicitè ſaltem obſeruatur, Epiſcopis communi conſenſu ſuam hac in re auctoritatem in vnius Romani Pontificis arbitrio ponentibus. Neque obſtat miſſionum exercitium, in quibus fidelium Doctores & Magiſtri conſtituuntur Regulares, pronunciante D. Thoma, *quod aliquis auctoritate Prælatorum prædicet, vel alia huiuſmodi faciat, non ſupergreditur Diſcipulatus, vel ſubiectionis gradum, qui competit Religioſis.* Imo potiùs Diſcipulatum illum & ſubiectionem oſtendit, confirmat, & adiuuat: agunt enim *non virtute propria, ſed ex virtute alterius, & per modum inſtrumenti.* In quo perfectè conueniunt cum Parochis, qui & ipſi miſſionem, ſeu auctoritatem communicandæ doctrinæ, ab Apoſtolis, id eſt Epiſcopis accipiunt, ſed ordinariam; Regulares extraordinariam, vtrique diſcipuli Magiſtrorum, & inſtrumenta ſuperiorum cauſarum. Qua ex doctrina, concludit eadem quæſtione Doctor Angelicus, quod ſupra retulimus, Diſcipulorum 72. formam tenere, non ſolùm Curatos, ſed etiam alios qui Epiſcopis ſubſeruiunt.

*Religioſi ſunt eſſentialiter diſcipuli Epiſcoporum.* Dionyſ. c. 5. & 6. Eccleſ. D.Th. 2. 2. q. 184. a. 7. Dion. c. 6. Eccleſ. in Contemp. *Corruptè locum hunc citat Hall. in vindic.* p. 657. *Epiſcopi Religioſorum legiſlatores.* *Nulla Religio ſtatum habet ſine Epiſcopis.* D.Th. 2. 2. q. 188. a. 4. ad. 1.

OBIECTÆ

### *OBIECTÆ AB ADVERSARIIS RAtiones ſoluuntur.*

§. II.

NON caret oppugnatoribus hæc in Religioſis humilitatis profeſſio; quia nimis ambitioſum videtur Chriſtum proximo gradu ſequi, & poſt Apoſtolos penè aſſequi. Sic enim in primis argumentatur Doctor Hallier. Certum eſt Religioſos in Eccleſiaſtica Hierarchia loco cedere Curatis, adeoque hos illis propiùs Apoſtolos contingere; atqui ex Concilijs, Summis Pontificibus, & Patribus Doctoribuſque ſummi nominis, conſtat Presbyteros curam animarum habentes, Septuaginta duobus Diſcipulis ſuccedere, & quidem ſolos, & in ſecundo ordine poſt Apoſtolos, id eſt Epiſcopos; ergo Religioſi non ſuccedunt Diſcipulis. Reſpondeo vtroſque ſuccedere, pro ſuo modo ſingulos; neque in Patribus, Concilijs, Summis Pontificibus haberi *ſolos* ſuccedere Curatos. Id demonſtrant loci ab ipſo Hallier producti, quorum iam aliqui ab Henrico Kalteiſen allati fuerunt: atque hic cum ſæpè ſolus repetat, *ſolos* Curatos eſſe Diſcipulorum ſucceſſores, *de prædicatione ordinaria*, & ordinaria item *auctoritate exequendi poteſtatem clauium* vult intelligi, non autem de alijs officijs, & extraordinarijs muneribus: cum & ipſe Presbyteros alios, & ipſos etiam Diaconos in Diſcipulorum numerum adlegat. Itaque omnis illa Patrum congeries ab Theologo citata, cum ſimpliciter Presbyteros & Sacerdotes Diſcipulis ſuccedere teſtetur, ſolos autem Curatos non nominet, mihi potiùs quàm ipſi fauet, qui auxiliares copias illis ordinarijs tueor adiungendas.

*1. obiectio.* Hallier in vin. p. 565. & 572. *Solutio.* Explicatur Kalteiſen orat. in Concil. Baſil.

Obijcit ſecundò idem Hallier, ſuccedere tantùm eos qui continua & directa ſerie Septuaginta Diſcipulos contingunt, *niſi Romulo, verbi gratia, vel Tarquinio Superbo, Auguſtum Cæſarem ſuccedere dici placeat*. Hinc repulſos à Patribus hæreticos, *quaſi ab Apoſtolis ſucceſſionem minimè habentes*. Quam Doctrinam illuſtrioribus longè verbis tradit Aurelius: & verò Aurelium eſſe oportet, qui ſe ſic explicet. *Eccleſia Catholica nullam veram, niſi perpetuam, perennem, nunquam interciſam ſucceſſionem agnoſcit. Et hoc ipſo iſtam Regularium ad Diſcipulos Ieſuiticam ſucceſſionem, immani hiatu laceram, & claudicantem reſpuit, eodemque loco habet, quo improbas & commentitias hæreticorum ex Apoſtolis, primiſque Apoſtolorum Diſcipulis ſucceſſiones.* Addit & primis ſeculis nullum in Eccleſiaſticis miniſterijs locum fuiſſe Religioſis. *Vbi ergo Regularium ſucceſſio iſta tunc latebat? vbi hærebat? tam multis ſeculis 72. Diſcipuli præcipuis ſuis, maximiſque ſucceſſoribus toto orbe caruerunt? Hæc ſunt hæreticorum figmenta*: Hæc ſcriptoris modeſtia.

*2. obiectio. eiuſdem* Hallier in vin. p. 568. 569. Et Petri Aurelii in vin. p. 531.

Cui reſpondeo, fruſtra iaci rete ante oculos pennatorum, fruſtra Theologos latinitate terreri. Nego enim vllo vnquam Cõcilio, vllo decreto, aut Patrum ſenſu atque conſenſu damnatam eam opinionem, quæ Diſcipulorum ſucceſſionem Religioſis attribuit, aut cum ijs ſucceſſionibus quas fingunt hæretici, fuiſſe comparatam. Declamatoris igitur eſt me vel vno Concilij vnius Canone falſi coarguere, quin potiùs eam à D. Thoma aſſertam fatetur ipſe, & in Baſileenſi Concilio audiram Hallier inficiari non poteſt. Nego deinde ad ſucceſſionem illud requiri, vt *perennis & nunquam interrupta ſit*;

*Reſponſio. Aurelium imponit Cõcilijs & Patribus.* *Succeſſio poteſt interrumpi.*

aliàs enim Apoſtolicæ & Patriarchales ſedes, quæ intruſos, & hæreticos paſſæ ſunt Antiſtites, vt Conſtantinopolitana, Alexandrina, Antiochena, Hieroſolymitana, ſucceſſione excidiſſent, & viri ſanctitate illuſtres, qui corũ poſtea locum occupauerunt, Apoſtolis non ſucceſſiſſent. Romuli & Auguſti Cæſaris ſubleſtum eſt exemplum: cum huius, quàm illius alia longè fuerit poteſtas & imperandi forma: cum in Superbo non *interciſa*, ſed exciſa, non *lacera & claudicans*, ſed interempta, & ſtirpitus eradicata fuerit Romuli ſucceſſio, quæ in Auguſto reuixiſſe dici non poteſt: cum eam Auguſtus neque à Romulo, neque à legitimo Romuli ſucceſſore ſuſceperit. Hæreticorum vrgeret mentiõ, ſi quidem alieni eſſent ab Apoſtolorum, Diſcipulorumque doctrina Religioſi; ſi Eccleſiæ perduelles, Synagogæ Sathanæ gregales, ab Eccleſiæ gremio per excõmunicationem auulſi, è Petri cymba eiecti, in æternum naufragium erroris vento præcipitante corruiſſent Religioſi. Neque item neceſſarium vt qui Diſcipulis ſuccedunt, eos temporum ſerie contingant: ſufficit námque vt ab ijs auctoritatem accipiant, qui ipſi Apoſtolicum locum tenent: qua ratione à Romanis Pontificibus ad Diſcipulorum normam ſunt inſtituti. Sic Bulgaria, Britannia, India, Germania Epiſcopos accepit Apoſtolorum ſucceſſores. Dico tertiò, neque hoc ſucceſſionis ornamentum Regularibus deeſſe: ſi quidem primos Clericorum, Diſcipulorum diſcipulos, Regulares fuiſſe ſupra oſtendimus: in quorum inſtitutum & munia Mendicantes, de quibus potiſſima controuerſia eſt, tranſcriptos eſſe notauimus.

*Neceſſariũ non eſt vt Diſcipulos immediatè contingat.*

*3 obiectio. Petri Aurely. pag. 533.*

*Reſponſio.*

Obijcit tertiò Petrus Aurelius, Chriſti ſolius auctoritate mittebantur Diſcipuli, Regulares autem à Petro & Petri ſucceſſore: iſti ergo ab illis manifeſtè differunt. Reſpondeo viuente Chriſto non ab alio mitti debuiſſe Diſcipulos; quemadmodum eodem tempore Apoſtoli nemini alteri, quàm omnium Domino immediate ſubeſſe debebant: verùm ordinata poſt eius Aſcenſionem Eccleſia, relictum caput cui cæteri ſubeſſent Apoſtoli, à quo mitterentur Diſcipuli, quique labentibus ſeculis eorum vices impleturi erant. Idem telum in Epiſcopos iaculatur incautus Aurelius: non enim modò Epiſcopi, Chriſti ſolius auctoritate, ſed à Chriſto ſub Petri ſucceſſore mittuntur: debent igitur illi æquè ab Apoſtolis differre, vt à Diſcipulis Regulares. Sed quoniam mentio Parochorum hic intruditur ab aduerſario: dicat velim, Parochi a quo modò mittantur? à Chriſto immediatè, ſi eorum poteſtas iuris eſt diuini: audio: parem enim accipiunt miſſionem *minores & maiores Epiſcopi*. Si autem humani iuris eſt (quæ non paucis probatur opinio) vnde miſſionem habent? ab Epiſcopis videlicet à quibus & commiſſionem. Ergo non à Chriſto, ſed *ab homine qui non ſit Deus*. Et tamen in illa etiam ſententia ſuccedunt Diſcipulis 72. ad illam ergo ſucceſſionem ſimili iure venire poſſunt & Religioſi, licet à Petri ſucceſſore mittantur.

*4. obiectio. Euiſdem Petri Aurelij à pag. 532. vſque ad 541. Vide & p. 386. Hallier. in vin. p. 388.*

Obijcit quartò idem Petrus Aurelius, praua & infirma prorſus collatione Regulares cum Septuaginta duobus Diſcipulis comparari. Quod conficere conatur duabus potiſſimùm rationibus, quarum prior eſt mirificus contemptus, & omnis ſarcaſmorum vrbanitas in P. Binetum, & eius librum, quo comparationem illam inſtituit; imo in ſtylum ſacrarum concionum, nihil vt relinquat intactũ. Poſterior rationum ſingularum in hac ſimilitudine productarum confutatio. Libri contemptum præ ſe fert, non ſolus Aurelius, ſed

& Fran-

& Franciſcus Hallier, eique reſponſum vterque negàt, quia *ſtatim vt in lucem prodiit, neglectus potiùs eſt, quàm lectus*, cum ramen à prudentibus omnibus, & partium ſtudio vacuis, non ſemel excuſus, tetatur etiamnum; & reſponſionem aliqui tentarint, vt non obſcurè innuit Aurelius, ſed temerè & fruſtra. Denique duobus iſtis ſcriptoribus, Illuſtriſſimi Bellicenſis auctoritas & eruditio præponderat; qui hunc ipſum librum allegans *Doctum Ieſuitam*, vocat, *qui ſub Franciſci Fontani nomine reſpondit magno Prælato.* Eſt autem tanta Petri Aurelij oſcitanria, vt ne aduerſarium quidem de nomine noſſe velit, adeoque nullum eius librum curet euoluere: ſiquidem Antonium Binetum perpetuò vocat, qui Stephanus verè eſt: & ridiculè in Ægrotanrium Conſolationes digreditur, cum de alio agatur Opuſculo. Parem contemptum meruit R. P. Iacobi Sirmondi Antirrheticus vltimus apud Petrum Aurelium, conuicijs, quibus ſolis poteſt, exhauſtum. Tale faſtidium, & Aurelianæ, atque Hallerianæ frontis nubeculam, huic qualicumque lucubrationi optare debeam, nec-ne, anceps animi pendeo: viderint ipſi quid è re ſua ſit futurum. Porro innocentem in P. Stephano Binero appellarionis mutationem, & nullius damno aſſumprum ab eo Franciſci Fonrani nomen; cum ab hoſte Grammatico omni orationis ſæuitia & crudelitate lacerari lego, abſtinere non poſſum, quin eidem homini quiſquis tandem eſt, & quocunque ſe vèro nomine appellari vult, ſub Petri Aurelij Theologi nomine & larua incredibilem maledicentiam exetcenti, dicta ſua regeram, & hæc fortaſſe lecturo deſcribam. *Quanta peruerſitas & inuerecundia eſt, ementito aduerſariorum velamine* μονομαχίας, *fallacia certamina, proditorio, vel ſi dicere liceat, diabolico more miſcere! Sic enim Diabolus per plurima auorum ſpatia, Deum ipſum ſub falſo diuinitatis ſimulacro aggreſſus, horrendam ab eo humani generis deſectionem, & infanda in hominum animis mendacia blaſphemiaſque operatus eſt, perficiens ſub ipſo illius, quem oppugnabat habitu, id quod ſub proprio nunquam perficere potuiſſet. Cui tamen iſte longè impar eſt exitu, ſi par conſilio fuit. Nam de Pſeudo-Aurelio ſperamus nos perfecturos, ne quem in fraudem, niſi volentem, & conſcium abſtrahat: & ipſæ eius fallaciæ adeo miſeræ, & miſerè conſutæ apparent, cuius mentis oculos paulò propiùs admouenti, vt prodendo artifici, quàm capiendis alijs aptiores videantur.*

Ioan. Petr. Camus Bellic. in Viat. Ioco. l. 2. n. 4.

*Petri Aurelij oſcitantia.*

Aurelii amplificatio p. 185. in ipſum retorquetur.

In eo porro P. Bineti opere, quod rantopere contemnit, operæ non parcit Aurelius, quin reprehendere, & deptehendere ſe iactet *flagitia, labes, profanationes, errores, ſacrilegia*, Orbilij ſpiritu, & grammatica confidentia. Sunt autem in eo poſita, quòd duobus è locis quibus Chriſtus Apoſtolos, & Diſcipulos miſit, compatationem ſuam decerpſerit, qua de rediximus antea. Quòdque in ijs verbum addiderit, *miſit eos prædicare*, cum dixerit Chriſtus *Euntes autem prædicate*: alterum mutarir verbum, *neque baculum*, cum ſcripſerit Euangeliſta, *neque virgam.* Alia quædam ſuppreſſerit, *in omnem ciuitatem & locum, &c.* cum addat ſacer hiſtoricus, *quo erat ipſe venturus.* Quæ verba ſupplet *captioſo, &c. more hæreticis vſitatiſſimo.* Quod pro, *in omnem ciuitatem & locum, refinxerit, in omnem regionem & locum, vt hæreticorum more Euangelium interpolans, & maculans, ſacrilegijs ſuos errores inſpergeret, muniretque.* Quæ verba in exemplari meo non ſunt inrerpolata, vbi expreſsè lego, in tertia ratione ex ſeptem, de quibus inferiùs, *in omnem ciuitatem & locum.* Sed demus ſcriptum à P. Bineto *in omnem regionem*, ne ſegetem hanc contumeliarum Aurelio reſecemus. Hæc omnia ſi ſunt *flagitia & ſacrilegia*;

*Ridicula Petri Aurelij calumnia in librum P. Bineti.*

*Refelluntur euidenter.*

certè Euangeliſtas, Apoſtolos, Chriſtum ipſum, Patres, Concilia, Theologos, *flagitiorum & ſacrilegiorum* ſocios, imo duces habet, quos conſtat non ſemper ita Religioſos eſſe, vt ne vocula quidem, minimè, vt vocant eſſentiali, ab autographo aberrent. Animi gratia, faciamus exemplum in nobili illa Zachariæ Prophetia, triumphantis per humilitatem Meſſiæ. Ita enim legitur in Propheta. *Exulta ſatis filia Sion, iubila filia Hieruſalem: Ecce. Rex tuus veniet tibi iuſtus & ſaluator; ipſe pauper, & aſcendens ſuper Aſinam, & ſuper pullum filium Aſinæ.* Septuaginta Interpretes reddunt, *ſuper ſubiugalem, & pullum Aſinæ.* O flagitium! D. Matthæus ſic refert, eliſis mutatiſque vocibus, *Dicite filiæ Sion: ecce Rex tuus venit tibi manſuetus, ſedens ſuper Aſinam, & pullum filium ſubiugalis.* O labem! ô profanationem! At Ioannes longe aliter, *Noli timere filia Sion: ecce Rex tuus venit ſedens ſuper pullum Aſinæ.* O errorem! ô ſacrilegium! ſunt enim hæ mutationes longè notabiliores, quàm ſi *regionem* pro *ciuitate*, aut *baculum* pro *virga* dixeris. Sed in ea concordi diuerſitate, *nobis oſtenditur,* inquit S. Auguſtinus, *non eſſe mendacium; ſi quiſquam ita diuerſo modo aliquid narrat, vt ab eius voluntate cui conſonandum, & conſentiendum eſt, non recedat. Quod noſſe & moribus vtile eſt & fidei; ne putemus quaſi conſecratis ſonis ita muniri veritatem, tanquam Deus nobis, quemadmodum ipſam rem, ſic verba quæ propter illam dicenda ſunt, commendet: cum potiùs ita res quæ dicenda eſt, ſermonibus per quos diſcenda eſt, præferatur, vt iſtos omnino quærere non deberemus, ſi iam ſine his noſſe poſſemus, ſicut illam nouit Deus, & in ipſo Angeli eius.* Sic Aurelius Auguſtinus in opere de conſenſu Euangeliſtarum, Petri Aurelij *flagitia, labes, profanationes, errores, ſacrilegia* vna ſemel ſententia obliterans.

*Poſſunt verba quædam mutari in citanda ſacra ſcriptura.*

*Exemplis res declaratur, in Prophetia Zachar. c. 9.*

Matt. c. 21.

Ioan. c. 18.

*Notanda S. Auguſtini hac in re doctrina.*

l. 2. de conſenſ. Euangel. c. 66.

De rationibus, quæ apud P. Binetum ſuadent commodam Regularium cum 72. Diſcipulis collationem, cum Petrus Aurelius Spongiæ auctorem redarguit, quòd eas *ſola Bineti fide credi velit eſſe S. Vincentij*: hoc primùm ab eo poſtulo, eaſ-ne verè credat eſſe S. Vincentij, an non? Si poſterius, quidni falſarium monſtrat? quidni exclamat *labes, errores, flagitia,* quibus ſanctis ſcriptoribus ea imponantur, quæ nunquam ipſi dixerint, ſcripſerint-ve? Si prius, cur tam effreni licentia in Cælites ipſos bacchatur, vt quæ ab illis profecta putet & ſciat ea *flagitij ſacrilegijque* condemnet? vt intolerabili ſupercilio reſpuat, & *ridiculorum argumentorum viliſſimam infirmitatem* appellet, quia Ieſuitæ vnius ore prolata ſunt? Sed nimirum vir ab ſacris iſtis alienus antea, qui Theologi perſonam ad tempus aſſumpſit, hoc ſcriptorum genus ſola contradictionis iſtius neceſſitate attigit, & prout poſcebat occaſio, non auctores iam ipſos, ſed citatos ab aduerſario locos auctorum conſuluit: quorum nota, & character vbicunque deficit, tanquam ad nouas terras, *ad populum profundi ſermonis, & ignotæ linguæ* miſſus, indocto ſilentio prætereuehitur. Quod non iſto ſolum loco, ſed & in alio vbi Hieronymus Platus generatim laudatur, *Plati,* inquit, *verba notata oportuit.* Et vbi Salmeron, *Salmeronem ſuum quonam modo profert Ieſuita, ſine vlla certi loci notatione, vnde ipſius fallacias hic etiam deprehendamus? Nam magnum argumentum eſt latere doli quippiam in hoc ſilentio.* Num reprehenſoris fuit Salmeronem ſcrutari, & fallacias deprehendere? Ita qui ſe extra teli Aureliani iactum velit conſtituere, *vaga citatione* contentus, inueſtigandam prædam homini relinquat. Niſi fortaſſe libetiùs exemplo peccari

*Aureliùs auctorum qui citantur, ignarus.*

Pet. Aurel. in vind. p. 535.

Ibi. p. 139.

Ibi. p. 647.

Item 372.

putauit

putauit Aurelius, poſtquam in Franciſco Hallier cui priores in doctrina concedit, & in primo eius opere legit, *Si locum Petri Bleſenſis citaſſet* (Loëmelius) *falſitatu forſan, & impoſtura euidentiùs refutari potuiſſet.* Quod de Gratiani Canonibus, vnico theſauro ſuo, nunquam dicturus fuiſſet idem Hallier, ſi eos aduerſarius produxiſſet: libros alios libaſſe ſe tantùm oſtendit, licet ambitioſè citatos.

*Hallier à ſ. flores eius quos .. legit.* in vindici. p. 650.

Redeo ad S. Vincentium. Is non ita citatur à P. Bineto, vt omnium ſeptem rationum auctor eſſe dicatur: hoc tantùm ait: *Si Diſcipulorum 70 vrgenda ſimilitudo eſt, eam à S. Vincentio de Religioſis ordinis ſui adeo graphicè faciendam, vt in iſtos meliùs, aut ſaltem æquè commodè, quàm in alios quadrare iudicetur.* Deinde rationes ſeptem ſubiungit, non Dominicanis ſolis, ſed & alijs quibus miſſiones impetantur, communes. Secundam ex illis, & tertiam eruit S. Vincentius ex Marco; *Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ. Non dicit quod ſimus in vna ciuitate ſeu villa, ſed in mundum vniuerſum. Nam ſi ſol ſtaret in vna parte firmus, non calefaceret mundum,* &c. Quod & alio loco repetit, adiuncta paupertatis commendatione, quæ quartæ & quintæ rationi respondet: *Ecce ordo Prædicatorum dicitur vas, quia continet plures fratres; dicitur nouum & vetus pluſquam omnes, ſi volumus loqui quantùm ad vota eſſentialia: & quantùm ad officium prædicationis, quod eſt per mundum diſcurrere, non cameras ædificare; non ponere ſe in vno loco.* Vides à P. Bineto fideliter ſcriptum, hæc à S. Vincentio in ordinem Prædicatorum conferri. Quibus addo maius aliquid, non iam cum Diſcipulis, ſed cum Apoſtolis, & quidem Paulo miſſionariorum quodammodo principe, Ordinem eundem comparatum: *de iſto vaſe,* inquit idem S. Vincentius, *poſſumus dicere, quod Chriſtus dixit de Paulo, qui fuit primus in officio prædicationis primus, id eſt principalis, & vltimus, quantùm ad vocationem ad Apoſtolatum. Vas electionis eſt mihi iſte, ſcilicet ordo Prædicatorum, vt portet nomen meum coram Gentibus & Regibus.* Quæ comparationes modò cum Apoſtolis, modò cum Diſcipulis, ab ſanctis hominibus, non typhi alicuius impotentia, & ſuperba ſtoliditate inſtituuntur; ſed vt Religioſos vocationis, officijque ſui admonitos, ad glorioſos labores, & ardua omnia vehementiùs inflamment.

Fran. Fontan. reſp. ad Præl. cat 4 n. 1.

Vincent. Ferrer. ſerm. de commemor. S. Pauli.

Marc. c. vlt.

Idem ſerm. de S. Dominico.

*Ordo Prædicatorum comparatus cum Paulo Apoſtolo.*

Atenim non ſunt eæ ſeptem ſatis firmæ rationes à P. Bineto allatæ, vt probet ſimiles eſſe Diſcipulis Regulares: nam ſi *binos* miſit Chriſtus Diſcipulos, Religioſi ſæpe terni aut quaterni mittuntur, ſi vetuit portare *pecuniam in Zonis,* Regulares *nullam longiuſculam ſuſcipiunt peregrinationem ſine pecunia, ſine ſacculo, aut pera*: Si iubentur *neque virgam neque calceamenta* portare, Religioſi *paſſim & calceati ambulant, & baculos gerunt.* Vnde lector facile iudicabit, quàm leuiter ea Religioſos inter & Diſcipulos ſimilitudo aſtruatur. Hoc cum dicit Aurelius, non ſentit ſe Diuos Thomam & Vincentium impetere, iam à nobis citatos: non SS. Ambroſium & Auguſtinum tidere, longè remotiorem leuioremque allegoriam in his omnibus peruestigantes: non ſacro Epiſcoporum ordini contumeliam facere, qui ſi conditiones iſtæ præciſè, vt expreſſæ ſunt verbis, debent intelligi, nihil minus quam Apoſtolis ſuccedunt: non Parochis, in quos mutato nomine omnia pene Aurelij acumina vibrari poſſunt. Denique ſe rudem, & admodum peregrinum in ſacris iſtis rebus, quas illotis manibus tractat, oſtendit, qui in ijs validas, & omnem eri-

*Lenicula Petri Aurely obiectiones.*

Ambroſ. l. 7. in Luc.

Auguſt. ſerm. 42. de Sanctis.

pugnantes rationem demonſtrationes requirit.

Hæc R. P. Stephani Bineti defenſioni breuiter data ſint; prætermiſſis inſani ingenij excrementis, quibus eius famam impetit, vt furioſi cœlum ſputo. Atque is tuum Aureli, ſocijque tui Hallier contemptum, nulla digniore pœna caſtigare potuit, quàm contemptu: nullo firmiore argumento vir magnus demonſtrare qui ſitis, quàm vbi vos ira ſua indignos eſſe credidit. Silet igitur ille ſapientiſſimè, & ego loquor non inſipienter, vt vterque ſimul Sapientis conſilium impleamus, *Ne reſpondeas ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne efficiaris ei ſimilis. Reſponde ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens eſſe videatur.* Hæc omnia prout à me de viuo adhuc & ſuperſtite ſcripta ſunt, non ſine modeſta laudum debitarum parſimonia, nuper eodem cum ſummo bonorum omnium mœrore nobis erepto, mutanda non cenſui; quantumuis permittente ſcriptura laudari hominem poſt mortem: quia me ad apologiam, non ad panegyricum ducit argumentum, tantaque apud omnes innocentia vixit, tam alta rerum diuinarum peritia, humanarum prudentia, vt ſummis æquè ac infimis, maximeque Illuſtriſſimis Antiſtitibus, ingens ſui deſiderium reliquerit. Viuet enimuerò Binetus, inuitis Aurelijs, pluſque valebunt apud poſteros eximiæ virtutis monumenta ad eius commendationem, quàm maledici vnius hominis canina facundia ad contemptum: & ſi quale hoc cunque opus nulla ſua laude commendabitur, id certè in bonis ſuis numerabit, quòd tanti viri voluntate reparatum, ſignatum nomine, auctoritate vulgatum eſt.

*P. Bineti Apologia & laudatio.*

*Prou. 26.*

---

## RELIGIOSORVM PRÆLATOS ET SUPERIORES *ad Hierarchiam Iuriſdictionis pertinere probatur.*

## CAPVT XIIII.

PERVENIMVS ad illum diſputationis articulum, cuius cauſa ſuſcepta eſt. Non enim fruſtra Religioſos ordines in ſuas claſſes diſtribuimus, neque falsò Eccleſiæ in ijs inſtituendis animum aperuimus: atque hæc ipſa Apoſtolorum Diſcipulorumque ſucceſſio, quam aſſeruimus, non nihil in Eccleſia Regulares agere demonſtrat: quomodo igitur agant, ſua vi, & αὐθεντίᾳ, an alieno impulſu, habitent-ne in Hierarchia Iuriſdictionis, & quo loco, supereſt nobis ſtudioſiùs inquirendum.

A capite Religioſas domos luſtrare aggredior, confidenterque pronuncio, Regularium ſuperiores communiter Hierarchiam agentem Iuriſdictionis tenere, non ex Sacerdotio præcisè, non ex peculiari commiſſione Hierarcharum; ſed per ſe, & ex eo quod regulari præſunt ordini. Illorum autem præcipuos, Hierarchas eſſe in Eccleſia poſt Epiſcopos; ſed nihilominus vt in ciuitate, patres eſſe familiarum, quibus ſimile pro rata portione ius eſt, quod Epiſcopo in Diœceſi. Hanc aſſertionem ab aduerſarijs in dubium reuocari non arbitror, qui non temerè ſimplices Religioſos ſemper nominant, cum de Hierarchia mentio eſt: ſane vt à ſua diſputatione Religioſorum Prælatos eximant. Neque id tantùm D. Thomas aſſerit, ſed etiam recens Sorbonici Collegij

*Superiores Regularium ſunt in Hierarchia directa.*

D.Thom. quodl. 1. q. 8. a. 16.

Collegij lumen Andreas Duuallius præciſè loquitur, *in ſuos ſubditos poteſtatem habere, non tantùm quoad forum interius, ſed etiam exterius.*

Duuall. li. de Poteſt Pontif. 4. p. q. 3.

Idem viſum olim Guillelmo noſtro Pariſienſi, ex quo primam meæ propoſitionis confirmationem peto, à definitione Hierarchiæ ductam. *Hierarchia*, inquit, *eſt cœtus aggregatus, atque diuinitus ordinatus ad obſequia, ſeu officia Creatori placita, vel ab eodem impoſita.* Et licet de Angelica tantùm loquatur, vt ex prioribus libris didicimus; explicat eam tamen ex imagine Eccleſiaſticæ. *Et habet nonnullam ſimilitudinem cognominatio ordinum Eccleſiaſticorum ad hanc diuinalem, & ſublimem ordinationem.* Iſtos autem ordines Eccleſiaſticos deinde nominat. *Exempli gratia, vides euidenter, quòd ordo Monachorum, non eſt niſi cœtus aggregatus, & ſanctè ordinatus ad certa officia & determinata obſequia Creatoris; ſic & ordo Canonicorum Regularium, ſimiliter ordo Templariorum*, &c. Quibus verbis mentem ſuam doctus Antiſtes declarat, & quo Regulares loco habuerit, particularium videlicet Hierarchiarum, vt pote ſacros & diuinitus aggregatos ordines; quibus proinde qui præſunt, Hierarchæ ſunt ſuo modo, & Iuriſdictione præditi.

Guil. Pari. p. 2. de Vniuer. p. 2. c. 141. *Probatur 1. à definitione Hierarchiæ.*

Eadem ex actibus Hierarchicis ſtabilitur, quos quotidie ſuperiores in clauſtro exercent. Nam cum Religio ſit acquirendæ perfectionis ſtatus, inque tres gradus diſtinguatur, Incipientium, Proficientium, Perfectorum, quibus officia Hierarchica reſpondent, Purgatio, Illuminatio, Perfectio: quis alius præter ſuperiores ad perfectionem quam expetunt, ſubditos Religioſos adducit? quibus verò gradibus & modis niſi per actus Hierarchicos? Quid? ſubditos caſtigare non ſpiritalibus tantùm cenſurarum vinculis, ſed etiam externa pœnarum impoſitione ſuperiores non poſſunt, non ſolent, non id quotidie præſtant? Quæ res eo proceſſit aliquando vt in Concilio Francofordienſi ſub Carolo Magno vetari debuerit, *Abbates qualibet culpa à Monachis commiſſa, nequaquam cæcare, aut membrorum debilitatem ingerere, niſi regulari diſciplinæ ſubiaceant.* Imo verò ab eis appellare ſubditi *cum pro aliquo exceſſu fuerint corrigendi*, vetentur in Concilio Lateranenſi ſub Alexandro: *ſed humiliter & deuotè ſuſcipere debent, quod pro ſalute ſua vtiliter eis fuerit iniunctum.* Et Nicænus Canon apud Gratianum vetat, *vt aliquis Monachus pænitentiam vlli tribuat, niſi ſibi inuicem, vt iuſtum eſt.* Quæ non poteſt intelligi de Sacramentali, quia tunc temporis *Pauli, Antonij, Hilariones, Macarij, Sacerdotes non erant, nec Clerici, ſed Laici*, iudice Hallier. De foro igitur externo res eſt, in quo agnoſcit Eccleſia ſuperiorum in inferiores Iuriſdictionem; quam diuorum Baſilij & Auguſtini ſeculo iam exercuiſſe, ſcriptæ ab eis regulæ declarant. Iam de concionibus & doctrina quibus ſuos ad virtutem currentes incitant; de Sacramentorum adminiſtratione, in qua tam ſanctè & libenter occupantur, ſuperfluum eſt admonere. De eo cui legum ſanciendarum ſit poteſtas, dici quid poteſt? Omnino videri Hierarcham. At Abbas in benedictionis ritu vocatur *Patriarcha & Legiſlator*, diciturque ſubire *culmen officij Paſtoralis.* De Archimandritis qui nomen τῶν τῆς ἀρχῆς tantopere in Hierarchia celebratum, omnium antiquorum conſenſu acceperunt, quid cenſent? Profectò Monachis fuiſſe præpoſitos cum imperio & poteſtate. Nonne quinta Conſtantinopolitanæ Synodi ſub Menna actio demonſtrat, Monachos in ſocietates & cœtus conueniſſe, ſuoque nomine legaſſe ſuperiores, qui communem ſupplicationem aduerſus Seuerum & Anthimum offerrent Synodo? Num in ea legimus

*Probatur 2. ex actibus Hierarchicis.* D. Th. 2. 2. q. 183. a. 4. *Purgatio in Religioſis ordinibus.* Concil. Francof. can. 18. Concil. Lateran. 3. ſub Alex. 3. c. 6. Refertur 16. q. 1. c. placuit. Hallier in vind. 473. Baſil. con. Monaſt. c. 23. *Illuminatio in Religione.* *Abbas legiſlator & Patriarcha.* Rituale Romanū. Synodus CP ſub Menna act. 5.

Marianum Archimandritam Monaſterij Dalmatij, & Primatem venerabilium Monaſteriorum Conſtantinopoleos, Ioannem Ambaſiatorem Monaſterij B. Maronis, Primaris omnium venerabilium Monachorum in ſecunda Sytia; plures alios Archimandritas, Priores Monaſteriorum innumeros, ſub diuerſis Epiſcopis, aliquot Primicerios? Quis ergo neget Iuriſdictionem his nominibus ſignificari?

*Probatur 3. ex loco quē habent in Concilijs.*

Tertium argumentum deduco ex actibus Hierarchicis, quos in Concilijs Prouincialibus, Generalibuſque exercent ab antiquo Abbates; & ex quo Religioſi Mendicantes exorti ſunt, eorum Ordinum Generales. Nam ſi eos iudicaſſe, decreuiſſe, ſubſcripſiſſe monſtrauero, licet aliquando ad Sacerdotij dignitatem euecti non eſſent, eo tantùm nomine, quòd Abbates, ſeu Archimandritæ Monaſterijs præeſſent, nonne confecero Hierarchas eſſe, & quidem eximio poſt Epiſcopos gradu? De Prouincialibus, res adeo aperta eſt vt ſolis oculis comprobetur: eaque adeo ſæpe fuit onetoſa, vt neget Gratianus *cogendum eſſe Abbatem ad Synodum ire (ſicut in Concilio Turonico ſtatuitur) niſi aliqua rationabilis cauſa exiſtat.* Subſcribunt autem ante Preſbyteros; vt ex Antiſiodorenſi ſub Chilperico Rege liquet, cui poſt Epiſcopum, ſubſcribunt Abbates ſeptem, & deinde Preſbyteri triginta quatuor.

18. q. 2. can. 31. Concil. Antiſiod. tom 2. Concil. Gall.

*Ad Concilia Generalia vocati Archimādritæ, ſeu Abbates.*

In actis Concil. Epheſ. Concil. Chalced.

Quod ad Generalia pertinet, in Epheſino primùm hanc Eccleſiæ operam nauare cœperunt, Eutychete fortiter aduersùs Neſtorium pugnante, & Dalmatio Archimandrita Synodi Epiſtolas publicè recitante, quibus populus ſubiecit anathema Neſtorio. Extat in Chalcedonenſi Concilio, Theodoſij Iunioris Barſumam Archimandritam ad Epheſinum ſecundum inuitantis oratio. *Iuſtum eſſe duximus tuam ſanctitatem ad Epheſinam pergere ciuitatem, & locum tenentem omnium Religioſiſſimorum Archimandritarum Orientalium, conſidere ſanctæ Synodo, quæ ibidem diſpoſita eſt conuenire; & cum alijs ſanctis Patribus & Epiſcopis quæ ſunt Deo placita, ordinare.* Quid amplius habent in Synodo Epiſcopi, quàm vt ſedeant, & ordinent? Poſt Chalcedonenſe, & pro Chalcedonenſi multa video publicè geſta à Monachis, multùm fauentibus Catholicis Epiſcopis. Iuſtinianus in Conſtitutione aduersùs Origeniſtas ad Mennam CP. *Hanc*, inquit, *Epiſtolam ad tuam beatitudinem dedimus, qua eam hortamur, vt omnium qui in hac regia vrbe nunc degunt ſanctiſſimorum Epiſcoporum conuentum habeat, ac Deo amabiliſſimorum Præfectorum ſanctis, quæ ſunt hic, Monaſterijs.* Ad Concilium ſextum vniuerſale Conſtantinus Pogonatus petit ab Agathone, mitti *de quatuor Monaſterijs Byzantinis, ab vnoquoque Monaſterio Monachos quatuor.* Deinde in conſeſſus ordine, Abbates Epiſcopis ſubijciuntur. In ſeptima Synodo ſcripſit Tharaſius CP. Synodicam ad Ioannem Anachoretam, vbi conueniſſe Nicæam dicit Vicarios Papæ veteris Romæ, & Orientis ſummorum Sacerdotum, Epiſcopos plurimos, *ne dicam interim Religioſos Archimandritas, Præſides, & multitudinem Monachorum.* Deinde cum ſacrarum imaginum cultus omnium Epiſcoporum decreto firmatus eſſet, *Sancta Synodus dixit: æquum eſt vt & venerabiles Monachi pronuncient. Venerabiles Monachi dixerunt. Si ordo ita exigit, pronunciabitur à nobis vt mandatis.* Tandem poſt Epiſcopos, innumerabiles Monachi decreto actionis quartæ ſubſcribunt. Hæc de illis ſola in ea Synodo leguntur. Nam cum Franc. Hallier *Monachos*, citat, *quorum litteræ habentur in ſeptima Synodo*, eruditis ſuis oculis ea vidit quæ nuſquam

Iuſtinian. Conſtit. ad Mennam.

Concil. 6. in Epiſt. Imper. præamb.

Tharaſ. ep. ad Ioan. quæ eſt ante 7. Synodum.

Ibi. Act. 2.

Ibi. Act. 4.

*Male hanc Synodum citat* Hall. in vind. p. 374.

quam ſunt. Sed hæc vetera, & memoriæ paulùm obſcurioris; è recentioribus lux maior oboritur.

In Lugdunenſi 1. inter eos Prælatos, qui abſentiam ſuam legitimis cauſis probarunt, Abbas fuit S. Albani, qui *torpore grauis, & iam ad ſenilem declinans ætatem, rationabiliter ſuam excuſauit abſentiam, & ſic indemnis & quietus remanſit.* Non vſurus excuſatione, niſi ex officio ad vniuerſalem Synodum proficiſci deberet. Concilium poſtea Conſtantienſe Ioannes XXIII. indicit in hæc verba, *Venerabiles fratres noſtros Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & dilectos filios Electos, Abbates, & cæteros Eccleſiarum, & Monaſteriorum Prælatos, requirentes, hortantes, & monentes, ac in virtute præſtiti iuramenti, & ſanctæ obedientiæ, eiſdem mandantes, quatenus perſonaliter*, &c. Agnoſco hic inuitari non tantùm qui *intereſſe debent*, ſed etiam *qui prodeſſe poſſunt quoquo modo*. Sed cum iuramenti facit mentionem Pontifex, nonne digitum intendit ad Abbatis ordinationem, in qua iurat, non minùs quàm Epiſcopus, *ſe venturum ad Synodum?* In indictione Tridentini Paulus III. Iulius III. & Pius IV. in eiuſdem reſumptione, conuocant, & nominant *Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & dilectos filios Abbates, & alios quoſcunque, quibus iure, aut priuilegio, vel ex antiqua conſuetudine in Concilijs Generalibus reſidendi, & ſententias in eis dicendi permiſſa poteſtas eſt.* Cui deinde Concilio ſubſcribunt Abbates, ac Ordinum Generales, quod & antea in Florentino factum legimus. Sufficiunt opinor iſta, vt vel oſcitantia, vel ignorantia Doctoris Hallier reuincatur, qui docet, *Monaſteriorum, & integrorum etiam Ordinum Præfectos, nonniſi peculiari priuilegio Concilijs œcumenicis intereſſe.* Quod probandum fuerat Theologo, non ſimpliciter ponendum, apud eos, quos tam varia ſcriptorum genera, docent pretioſum à vili ſeparare.

Concil. Lugdun. 1. ſtatim initio. Concil. Conſt. in Bulla Conuoc. Concil. ſeſſ. 1. *Abbatis iuramentũ in Rituali Romano.* Concil. Trident. *Cõfutatur Hallier in vind. p. 28.*

---

*SIMPLICIBUS SACERDOTIBUS, TUM RELIgioſis, tum ſecularibus, in hac Hierarchia, non per ſe, ſed tantùm ex commiſſione, locum eſſe declaratur.*

## CAPVT XV.

QVOD ineunte hoc libro profeſſus ſum, id hoc etiam loco iteratum volo, non ambire nos *primas cathedras, & vocari ab hominibus Rabbi:* ſimplicibus Religioſis per ſe, directè, & ex more communi, nullum eſſe in Iuriſdictione ordinaria Eccleſiaſtica locum; ſiue, vt verbis aduerſariorum vtamur, Religioſos, vt Religioſi ſunt, ad hanc Hierarchiam per ſe non pertinere. Quod neque probari ſibi petunt aduerſarij, qui id vnum omnibus ſuis petunt argumentis; neque admitti dolebunt Regulares, quia illud veritati & rationi concedimus. Scio equidem M. Antonio Cuquo, & paucis alijs, videri Prædicatorum & Minorum confeſſarios præſentatos & approbatos, habere à iure ipſo Iuriſdictionem ordinariam. Sed ea opinio, quæ ordinariam Iuriſdictionem concedit, mihi aliquantùm eſt extraordinaria, & à pluribus deſerta; quà verò illam accerſit à iure, inferiùs declarabitur.

*Simplices Religioſi non ſunt in Hierar. Iuriſdictionis.* Anton. Cuquus apud Emm. Rodericũ. qq Regul. q 39 a. 4. tom. 1.

Sed hac confeſſione non contenti aduerſarij, ad comparationem progre-

*Clerus ſe-*

Marianum Archimandritam Monaſterij Dalmatij, & Primatem venerabilium Monaſteriorum Conſtantinopoleos, Ioannem Ambaſiatorem Monaſterij B. Maronis, Primatis omnium venerabilium Monachorum in ſecunda Sytia; plures alios Archimandritas, Priores Monaſteriorum innumeros, ſub diuerſis Epiſcopis, aliquor Primicerios? Quis ergo neget Iuriſdictionem his nominibus ſignificari?

*Probatur 3. ex loco quē habent in Concilijs.*

Tertium argumentum deduco ex actibus Hierarchicis, quos in Concilijs Prouincialibus, Generalibuſque exercent ab antiquo Abbares; & ex quo Religioſi Mendicantes exorti ſunt, eorum Ordinum Generales. Nam ſi eos iudicaſſe, decreuiſſe, ſubſcripſiſſe monſtrauero, licet aliquando ad Sacerdotij dignitatem euecti non eſſent, eo tantùm nomine, quòd Abbates, ſeu Archimandritæ Monaſterijs præeſſent, nonne confecero Hierarchas eſſe, & quidem eximio poſt Epiſcopos gradu? De Prouincialibus, res adeo aperta eſt vt ſolis oculis comprobetur: eaque adeo ſæpe fuit oneroſa, vt neget Gratianus *cogendum eſſe Abbatem ad Synodum ire (ſicut in Concilio Turonico ſtatuitur) niſi aliqua rationabilis cauſa exiſtat.* Subſcribunt autem ante Preſbyteros; vt ex Antiſiodorenſi ſub Chilperico Rege liquet, cui poſt Epiſcopum, ſubſcribunt Abbates ſeptem, & deinde Preſbyteri triginta quatuor.

*18. q. 2. can. 31. Concil. Antiſiod. tom. 1. Concil. Gall.*

*Ad Concilia Generalia vocati Archimandritæ, ſeu Abbates. In actis Concil. Epheſ. Concil. Chalced.*

Quod ad Generalia pertinet, in Epheſino primùm hanc Eccleſiæ operam nauare cœperunt, Eutychete fortiter aduerſùs Neſtorium pugnante, & Dalmatio Archimandrita Synodi Epiſtolas publicè recitante, quibus populus ſubiecit anathema Neſtorio. Extat in Chalcedonenſi Concilio, Theodoſij Iunioris Barſumam Archimandritam ad Epheſinum ſecundum inuitantis oratio. *Iuſtum eſſe duximus tuam ſanctitatem ad Epheſinam pergere ciuitatem, & locum tenentem omnium Religioſiſſimorum Archimandritarum Orientalium, conſidere ſanctæ Synodo, quæ ibidem diſpoſita eſt conuenire; & cum alijs ſanctis Patribus & Epiſcopis quæ ſunt Deo placita, ordinare.* Quid amplius habent in Synodo Epiſcopi, quàm vt ſedeant, & ordinent? Poſt Chalcedonenſe, & pro Chalcedonenſi multa video publicè geſta à Monachis, multùm fauentibus Catholicis Epiſcopis. Iuſtinianus in Conſtitutione aduerſùs Origeniſtas ad Mennam CP. *Hanc*, inquit, *Epiſtolam ad tuam beatitudinem dedimus, qua eam hortamur, vt omnium qui in hac regia vrbe nunc degunt ſanctiſſimorum Epiſcoporum conuentum habeat, ac Deo amabiliſſimorum Præfectorum ſanctis, quæ ſunt hic, Monaſterijs.* Ad Concilium ſextum vniuerſale Conſtantinus Pogonatus petit ab Agathone, mitti *de quatuor Monaſterijs Byzantinis, ab vnoquoque Monaſterio Monachos quatuor.* Deinde in conſeſſus ordine, Abbates Epiſcopis ſubijciuntur. In ſeptima Synodo ſcripſit Tharaſius CP. Synodicam ad Ioannem Anachoretam, vbi conueniſſe Nicæam dicit Vicarios Papæ veteris Romæ, & Orientis ſummorum Sacerdotum, Epiſcopos plurimos, *ne dicam interim Religioſos Archimandritas, Præſides, & multitudinem Monachorum.* Deinde cum ſacrarum imaginum cultus omnium Epiſcoporum decreto firmatus eſſet, *Sancta Synodus dixit: æquum eſt vt & venerabiles Monachi pronuncient. Venerabiles Monachi dixerunt. Si ordo ita exigit, pronunciabitur à nobis vt mandatis.* Tandem poſt Epiſcopos, innumerabiles Monachi decreto actionis quartæ ſubſcribunt. Hæc de illis ſola in ea Synodo leguntur. Nam cum Franc. Hallier *Monachos*, citat, *quorum litteræ habentur in ſeptima Synodo*, eruditis ſuis oculis ea vidit quæ nuſquam

*Iuſtinian. Conſtit. ad Mennam.*

*Concil. 6. in Epiſt. Imper. præamb.*

*Tharaſ. ep. ad Ioan. quæ eſt ante 7. Synodum. Ibi. Act. 2. Ibi. Act. 4. Malè hanc Synodum citat Hall. in vind. p. 374.*

quam ſunt. Sed hæc vetera, & memoriæ paulùm obſcurioris; è recentioribus lux maior oboritur.

In Lugdunenſi 1. inter eos Prælatos, qui abſentiam ſuam legitimis cauſis probarunt, Abbas fuit S. Albani, qui *corpore grauis, & iam ad ſenilem declinans ætatem, rationabiliter ſuam excuſauit abſentiam, & ſic indemnis & quietus remanſit.* Non vſurus excuſatione, niſi ex officio ad vniuerſalem Synodum proficiſci deberet. Concilium poſtea Conſtantienſe Ioannes XXIII. indicit in hæc verba, *Venerabiles fratres noſtros Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & dilectos filios Electos, Abbates, & cæteros Eccleſiarum, & Monaſteriorum Prælatos, requirentes, hortantes, & monentes, ac in virtute præſtiti iuramenti, & ſanctæ obedientiæ, eiſdem mandantes, quatenus perſonaliter,* &c. Agnoſco hic inuitari non tantùm qui *intereſſe debent*, ſed etiam *qui prodeſſe poſſunt quoquo modo.* Sed cum iuramenti facit mentionem Pontifex, nonne digitum intendit ad Abbatis ordinationem, in qua iurat, non minùs quàm Epiſcopus, *ſe venturum ad Synodum?* In indictione Tridentini Paulus III. Iulius III. & Pius IV. in eiuſdem reſumptione, conuocant, & nominant *Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & dilectos filios Abbates, & alios quoſcunque, quibus iure, aut priuilegio, vel ex antiqua conſuetudine in Concilijs Generalibus reſidendi, & ſententias in eis dicendi permiſſa poteſtas eſt.* Cui deinde Concilio ſubſcribunt Abbates, ac Ordinum Generales, quod & antea in Florentino factum legimus. Sufficiunt opinor iſta, vt vel oſcitantia, vel ignorantia Doctoris Hallier reuincatur, qui docet, *Monaſteriorum, & integrorum etiam Ordinum Præfectos, nonniſi peculiari priuilegio Concilijs œcumenicis intereſſe.* Quod probandum fuerat Theologo, non ſimpliciter ponendum, apud eos, quos tam varia ſcriptorum genera, docent pretioſum à vili ſeparare.

Concil. Lugdun. 1. ſtatim initio.
Concil. Conſt. in Bulla Conuoc. Concil. ſeſſ. 1.
*Abbatis iuramentũ in Rituali Romano.*
Concil. Trident.
*Cõfutatur Hallier in* vind. p. 28.

---

*SIMPLICIBUS SACERDOTIBUS, TUM RELIgioſis, tum ſecularibus, in hac Hierarchia, non per ſe, ſed tantùm ex commiſſione, locum eſſe declaratur.*

## CAPVT XV.

QVOD ineunte hoc libro profeſſus ſum, id hoc etiam loco iteratum volo, non ambire nos *primas cathedras, & vocari ab hominibus Rabbi*: ſimplicibus Religioſis per ſe, directè, & ex more communi, nullum eſſe in Iuriſdictione ordinaria Eccleſiaſtica locum; ſiue, vt verbis aduerſariorum vtamur, Religioſos, vt Religioſi ſunt, ad hanc Hierarchiam per ſe non pertinere. Quod neque probari ſibi petunt aduerſarij, qui id vnum omnibus ſuis petunt argumentis; neque admitti dolebunt Regulares, quia illud veritati & rationi concedimus. Scio equidem M. Antonio Cuquo, & paucis alijs, videri Prædicatorum & Minorum confeſſarios præſentatos & approbatos, habere à iure ipſo Iuriſdictionem ordinariam. Sed ea opinio, quà ordinariam Iuriſdictionem concedit, mihi aliquantùm eſt extraordinaria, & à pluribus deſerta; quà verò illam accerſit a iure, inferiùs declarabitur.

*Simplices Religioſi non ſunt in Hierar. Iuriſdictionis.*
Anton. Cuquus apud Emm. Rodericũ. qq. Regul. q. 59. a. 4. tom. 1.

Sed hac confeſſione non contenti aduerſarij, ad comparationem progre-

*Clerus ſe-*

*ſecularis vt ſic, non eſt magis in hac Hierarchia.*

*Contra Hallier* in vin. p. 385. 386.

diuntur, & falſum eſſe pronunciat Franciſcus Hallier, Religioſos vt Religioſos, eodem modo ad Hierarchiam Eccleſiaſticam pertinere, quo Clerum ſecularem. *Nam Clerus*, inquit, *quantumuis ſecularis, ad eam ſpectat vt eſt Hierarchizans, ſeu vt virtutem quandam ſacra diſpenſandi, & regendi populi auctoritatem importat.* Quod ſine ratione, abſque vlla Canonum aut Patrum teſtificatione, cuius cum ſupperit, oppido liberalis eſt hic doctor, tanquam ex tripode enunciatum, mihi tamen amplius probari velim, hac propoſita quæſtione: Clerus vt ſecularis, cur potiùs ſit in Hierarchia Iuriſdictionis Hierarchizante, quàm Religioſi, ſaltem ij vt ſic, qui inſtituti ſui ratione ad ſalutem animarum tendunt? Edicat enim aduerſarius, quid habeant Hierarchicum ſeculares Clerici, non Parochi, quod iſtis deſit Regularibus? Deſtinati ſunt ad ſacra munia? Sunt & iſti; & quidem ab Eccleſia. Aſpirant ad Sacerdotium? quid aliud iſti appetunt? Poſſunt admoueri ad Eccleſiæ gubernacula? quis veſtrûm negat poſſe & Religioſos? Illis interim poteſtas aliqua committitur vbi opus eſt; admittuntur ad exomologeſes fidelium excipiendas; ſanctiſſimæ Euchariſtiæ populo diſtribuendæ facultatem accipiunt; aduocantur ad ſacra roſtra, & conciones: Hoc eſt quod doletis, eadem omnia committi Regularibus. Quid? Vicarij libera vobis eſt electio: temporariam Presbytero, ſola amici veſtri commendatione noto, Iuriſdictionem poteſtis concedere; non poterit idem Epiſcopus, non Summus Pontifex? Et ille fors ruſticus, fors imperitus Sacerdos, quia poteſt hanc ſuſtentandæ vtcunque vitæ rationem veſtro beneficio accipere, directè, vt ſic, pars eſt Hierarchizantis Hierarchiæ: Religioſus autem Sacerdos, Theologiæ Doctor, eximius Concionator, tractandarum animarum exercitatiſſimus artifex, quia in hiſce muneribus à vobis pendere non poteſt, ab omni Hierarchiæ gradu deijcitur, & eliminatur. Cur enim? quia determinatos non habet ſubditos. Ille autem alius, quos habet ante commiſſionem veſtram? Quia non imperat. Et ille veſtter qui Miſſæ ſuæ operam locat auditturis, quàm magnus Imperator eſt? Quia non Hierarchizat actu myſticum Eccleſiæ corpus. Ille videlicet ſecularis ex Ordinis ſui ſtatu, quàm multos cum auctoritate purgat, illuminat, perficit? Itaque vel horum neutri, vel vtrique danda eſt Hierarchia: ſed vtrique, quando committitur officium; neutri, ſi non committitur.

*Duo ad cõmiſsionem requiris.*

Gerſon li. de poteſt. Eccleſ. Conſid. 3.

De hac autem commiſſione ſic diſſerit Gerſon, *Poſſe primum Hierarcham Summum Pontificem, vel alios conſequenter ſuo modo, pro rationabili cauſa vel neceſsitate, dare ſuis inferioribus adiutores ad exercendum Hierarchicos actus: ſicut inuenitur de Pœnitentiarijs, & priuilegiatis. Hoc tamen ſine manifeſta ratione, vel neceſsitate, facere non debere; vel cum eorumdem deiectione, irreuerentia, vilipenſione apud illos, quibus honori debent eſſe, & à quibus debitam ſuſtentationem recipere pro ſuo ſtatu & miniſterio poſſunt.* Duo poſtulat, ne ſine cauſa detur commiſſio, quique accipiunt in Ordinariorum contemptionem ne abutantur. Vtrunque non dico Chriſtianum, ſed humanum eſt. Iſtud in noſtra manu eſt, & à bonis Religioſis ita fit: certus & fidens dico, ita fit. Si qui ſecus, reprehenſioni ſubiacet. Cauſam Illuſtriſſimi Chalcedonenſis, & Anglorum Regularium non tracto, quam neque notam habeo, neque verò habere volo. Præceſſit Reuerendiſſimum Richardum Smitheum in Anglia Illuſtriſſimus Guillelmus Biſchopius & ipſe Chalcedonenſis: vterque ſumma Regularium omnium caritate & obſeruantia exceptus eſt: poteſtatem prior benignè & tranquillè

exercuit

exercuit, poſterior in fluctus & tempeſtates incidit. Cauſam rei, & geſtorum ſeriem narrat Appendix ad Nicolai Smithei eius nepotis diſcuſſionem. Ego vix adduci poſſum vt credam, contra eius dignitatem molitos quicquam Ieſuitas, quem ſcirent P. olim Perſonio in Anglia Prouinciali, in ſinu & oculis fuiſſe.

Aliud quod optat Cancellarius, in maiorum arbitrio eſt, à quibus credere ſine ratione quicquam fieri, quodammodo *peccatum eſt ariolandi.* Cauſas conceſſorum Priuilegiorum ſolent exponere, vt in ijs Bullis habet Aurelius, quas Franciſcus Fontanus in aureo libello profert, vnde ſi animo collibuerit, petet confutandas: ea tamen conditione, vt S. Bonauenturæ libellum verè gemmeum, quo demonſtrat *quare Fratres Minores prædicent*, eadem opera diligenter euoluat, & in eo cauſas ſanè admirabiles peruideat, cur expediat extraordinarios populo Sacerdotes offerri, quibus volens libens animi ſui vlcera detegat. Atque vtinam quæ de ſuo ſeculo ſcribit vir magnus, in eius tantùm libro, non etiam in hominum vita legerentur! Sed ſileo: decet hic plura ſcire, quàm loqui. Nolite amabo, metiri Regnum è Metropoli, Galliam è Lutetia, orbem reliquum è Gallia, in qua vt rerum omnium, ſic piorum ac doctorum Clericorum, Parochorumque beata copia eſt. Per prouincias, in pagis, in deſertis, Deus ſancte! quæ nonnumquam Hierarchia Hierarchizans? Itaque te ad S. Bonauenturam remitto, Lector, in quo præter propoſitum meum, id etiam diſces non magno negotio, fuerit-ne S. Bonauenturæ controuerſia, longè alia quàm noſtra.

*Eius commiſsionis ſumma neceſſitas: quæ petenda ex S. Bonau. l. quare Fratres Minores prædicent, & confeſſiones audiant.*

---

## INGRESSUS IN TRACTATUM PRIUILEGIORUM, *monſtrato naturali Hierarcharum Principatu, & Religioſorum ſubiectione.*

## CAPUT XVI.

COMMISSIONEM ſic à nobis declaratam, & ius ad agendum extra ordinem in Hierarchia, vocant Priuilegia, quique ijs fruuntur Priuilegiatos, ſtricta nimis & ieiuna ſignificatione. Sed quiſquis tandem eius vocis vſus eſſe debeat, ſponte ſe Priuilegiorum tractatus offert, id eſt, *lapis offenſionis, & petra ſcandali*: de quibus ſine vllo contentionis ſtudio, conſeruata ordinum omnium prærogatiua, ex peritis ſcriptoribus agere decerno, Angelos Eccleſiæ, & Hierarcharum præſides precatus, vt me per has ſalebras ita deducant, *ne forte offendam ad lapidem pedem meum.* De priuilegiis vniuersè dicendum, quæ illis cauſæ initium dederint, quàm ſit antiqua eorum conceſſio Religioſis facta, quid illis oppoſitum: atque de peculiaribus Mendicantium, quoad obeundas confeſſiones fidelium, & prædicationes Priuilegijs, poſt auctores innumeros tractabitur.

*Proponitur materia ſequentis diſputationis.*

Et quoniam Priuilegium eſt exemptio à iure communi, ius illud ante omnia produco; per ſe, ex rei natura, & eſſentialiter in ſtatu Epiſcopali ineſſe principatum, cui ſtatus Religioſus ex ſe & eſſentialiter ſubditus eſt. Hoc tam certum eſt, quàm quod certiſſimum; quique aliter ſapit, caput non

*Status Religioſus ſtatui Epiſcopali eſſentialiter ſubditus eſt:*

habet. Nemo enim in Eccleſia, nedum in Hierarchia, eſſe poteſt, niſi per Hierarchicum miniſterium, & ſub Hierarchico imperio: quemadmodum nemo de regno eſt, & in regno domicilium figit, niſi Regi ſubditus. Hic ordo à Chriſto inſtitutus eſt, eum à primis ſeculis ſemper ſeruauit Eccleſia; quod enim Deus coniunxit quis homo ſeparet? Idcirco ab ipſis primordijs vna & quidem ex grauiſſimis Epiſcopatus curis fuit, Religioſos ordines ſtabilire, regere, luſtrare, continere in officio, ad virtutis ſtudium & ἄσκησιν inflammare: quibus ſeculis vix vlla præterquam ab Epiſcopis erigebantur Monaſteria: qua ætate de pleriſque Epiſcopis dicebatur, quod de S. Martino Sulpitius ſcriptum reliquit, *ita plenus auctoritatis & gratiæ, implebat Epiſcopi dignitatem, vt non tamen propoſitum Monachi virtutemque deſereret*: cum vitio dabatur Epiſcopis Arianis, quòd Monachorum ſodalitate & contubernio non vterentur: cum inter illa vitæ genera tanta erat & morum & animorum conſenſio, vt neſcires Epſcopus ne habitaret in Monaſterio, an Monachi in Epiſcopio. Tunc profectò inter diuinos illos homines nulla audiebatur de ſtatu controuerſia, vbi tota erat de ſingulorum perfectione contentio.

*Magna Epiſcoporum cura, Religioſi.*

Seuer. Sulpit. in vita S. Martini c. 7.

Doctus eſt & eloquens in hoc illuſtrando ſole Doctor Hallier, qui bonas & longas 34. paginas in rei certæ, quamque negare nec poſſumus, nec debemus, confirmatione diſperdit. Atque is cum magna pompa Concilia primùm Orientalia, deinde Occidentalia nobis oſtentet, mirot non ponderatum ab eo Chalcedonenſẽ Canonem, qui iubet *Epiſcopum ciuitatis curam quam par eſt, Monaſteriorum gerere*; vetatque *ne præter conſcientiam Epiſcopi Ciuitatis conſtituatur Monaſterium.* Decernit quoque *Monachos per vnamquamque ciuitatem aut regionem ſubiectos eſſe Epiſcopo.* Decernit inquam aduersùs irrumpentes abuſus, eo ſenſu quo Pontifices aliqui ritus Eccleſiaſticos, vt ieiunium quadrageſimale, vt aquam luſtralem & ſimilia, ordinaſſe dicuntur, id eſt iam ante ab Apoſtolis verbo, ab Apoſtolorum ſucceſſoribus vſu inſtituta, ſcripto confirmaſſe, ne temporum & humanitatis vitio præclara inſtituta laberentur. Sed in hac diſſimulatione conſilium Theologi fuit, eum præteruolare Canonem qui Monachos Epiſcopo, non autem Parocho ſubditos eſſe docet: quam eius opinionem iam antea reiecimus. Itaque quæ verè fideliterque illi veritati ſtabiliendæ adducit Hallier, ea omnia ſuſcipio & amplector, neque huc arbitror tranſcribenda.

*Probatur aſſertio ex doct. Hallier in vin. à p 511.*

Concil. Chalced. act. 15. can. 4 refertur leuiter ab Hallier p 532.

*Conſilium aduerſarij quale.*

*Refellitur Hallier in Euſtatio & Euſtatianis.* p 521.

Verè dixi fideliterque, conſulta opera, vt in ſegete paleam latere ſciasin Epiſcoporum veneratione, odium Monachorum, quo incitatus Euſtatij, ſeu Eutacti ſectarios, perpetuò Monachos vocat, & facit; cum eo nomine neque magiſtrum, neque diſcipulos vllus veterum ſolidæ auctoritatis indigetarit. Non Philaſtrius, qui eius hæreſis ne meminit quidem: non D. Auguſtinus, qui Archonticos præterito Eutacti nomine recenſet: non S. Epiphanius, qui Eutactum à ſene Anachoretam ſimulante impietatem didiciſſe, & in patria ſeminaſſe narrat, præterea nihil quod huc pertineat. Non Concilium Gangrenſe aduerſus eum coactum, in quo Euſtatius nominatur, recenſentur errores, vitæ conditio tacetur. Et tamen neſcio qua fronte citantur à Doctore eius Concilij Canones 6. & 7. quaſi damnetur in ijs, quòd *conuentus cum ſuis Monachis celebraret*: cum nuſquam Monachorum vox ne per vmbram quidem ſignificetur. Non Socrates & ipſe à Doctore citatus, qui Euſtachium vocat Epiſcopum Sebaſtiæ in Armenia, damnatum à patre proprio in Concilio

Philaſtr. l. de hæreſib.

Aug. l. de hæreſibus c. 10.

Epiphan. hær. 40.

*Corruptè citat Concil. Gangrenſe can.* 6. & 7.

Eundem can. 6 cum eadem calumnia repetit. p. 532.

ciliſo Cæſarienſi, *Quod ſe habitu Sacerdotij dignitati parum decoro, congruenteque veſtiuerat.*

*Socrat. l. 2. hiſt. c. 33.*

*Sozomeni auctoritas expenditur l. 3 hiſt. c. 11. citatur ab Hallier p. 527.*

Supereſt poſtremò notatus Sozomenus, qui & Epiſcopum Sebaſtenum facit, & ſolus Monachum fuiſſe narrat. Sed in hoc Hiſtorico multa peccat Hallier. 1. Quòd falsò cap. 12. & 15. lib. 2. citat, quibus duobus, cum Monachorum laudes repererit, de Euſtathio, und' κδ'. 2. Quod capite quidem 13. de Euſtathio agitur, ſed cum eius excuſatione, & non vulgari laudatione; quæ ſi vera eſt, cur eum Doctor vituperat? Sin falſa, cur ſcriptori credit nullius fide ſecuro? Sed hoc nimirum diſſimulandum erat, quia Monachatus contumeliæ non inſeruiebat. 3. Sozomeni ſubleſtam in pleriſque fidem non debuit neſcire Franciſcu Hallier, vt qui eodem 13. capite Martinum Tarraconenſem vocet Epiſcopum, narretque, Hilariũ ipſi pro Religione exulanti, ſocium ſe præbuiſſe, & 15. Ephremum ab Baſilio priùs notum & laudatum, quàm Cæſareenſem Epiſcopatum ſuſcepiſſet. Cum igitur in alijs labatur Sozomenus, cur illi vni creditur Euſtathium Monachum, Euſtathianos Monachos extitiſſe? cur eius ſiletur Epiſcopatus? cur diſſimulatur Apologia? cur vnius Monachi factum in omnium transfertur iniuriam?

*Aliqui Sozomeni lapſus.*

*Plures Doctoris Hallier Paralogiſmi. pag. 539. 540.*

*Calumnia in ſtatum Religioſum. Ibid. pag. 520.*

*Malè confirmata ex Canone Nicæno Arab. 14.*

*Ibid. pag. 530.*

Eadem iniquitate iudicij, quorumdam Abbatum contumaciam, in omnium Regularium contumeliam vertit: aliquibus exemptionibus Monachorum adulterinis abutitur, ad omnes ſuſpectas efficiendas. Eodem modo philoſophatur de ſingularibus Monachorum Monaſterijs, quo de Religioſis Mendicantium Ordinibus, qui vni ſubſunt Generali; pronunciat vniuersè: *Poſtquam altas in Eccleſia Monachatus radices egit, multos etiam inobedientes & contumaces habere cœpiſſe.* Quæ intolerabilis eſt in ſtatum Religioſum calumnia, eamque confirmat ex Nicæno Concilio, quo tempore nondum idem Monachatus adoleuerat. Atque Arabicus ille Canon, contumaciæ cauſa nullo modo decretus eſt; vt qui tanrùm veret, *Ex Laïco fieri Monachum, ſine licentiâ Epiſcopi, ſub cuius poteſtate eſt.* Quod neque amphibolia caret, vt non iniuria quis exiſtimare poſſit, Laïcum potiùs, quàm Monachum, ſub illius Epiſcopi poteſtate eſſe debere: adeo Canon ille perperam ab Doctore affertur. Scribit præterea S. Auguſtinum Monachos ſuos Preſbyteris Curatis ſubieciſſe, eiuſque citat regulam: quod iam antea falſitatis conuicimus. Hæc & eiuſmodi alia notare oportet, Lector, ne incauto tibi, Franciſcus Hallier ſpecie veritatis, illudat, vtque capitale hominis in Religioſos odium, tanquam ſcopulum admonitus effugias.

*Probatur aſſertio aliorum auctoritate ſcriptorum.*

Hunc tamen auctorem, Franciſc. inquam Hallier laudaui, non quod vnus, ſed quod omniũ ſit prolixiſſimus: alios autem ad manum habeo, quibuſcum, in naturali illa Religioſorum ſub Epiſcopis ſubiectione, ſentio, vt Nicolaum le Maiſtre, in libro, qui totus, hoc argumentum exhauſturus, nobili titulo, videtur, & veterum cineres refoſſurus, de Inſtauratione antiqui Epiſcoporum Principatus: vt Fileſacum, libro item de ſacra Epiſcoporum auctoritate; è quo non pauca video in locos communes Doctoris Hallier tranſlata. Et nos, quantùm tulit occaſio, ſuperiùs, in prima, & media ſtatus Monaſtici ætate, de qua ſola prædicti Auctores, propoſitionem vſu comprobant, hoc ipſum agnouimus atque confirmauimus, nihil vt hoc loco addendum eſſe videatur. Niſi forte bona cum Fileſaci venia, Toletani Concilij

De Canone 52. Concil. Toletan. 4. agitur cum Fileſ. l. de ſacr. Epiſcop. auctor. c. 7. §. 2.

Canonem perſtringamus, qui ſic habet, *Religioſi propria regionis, qui nec inter Clericos, nec inter Monachos habentur: ſiue hi, qui per diuerſa loca vagi feruntur, ab Epiſcopis, in quorum conuentu commorari noſcuntur, licentia eorum coërceatur, vt aut in Clero, aut in Monaſterio deputentur.* Scribendum putat Fileſacus, *propria Religionis*: quo nomine poteſt intelligi Religioſa regula, ſponte, ſine Epiſcopi auctoritate & approbatione electa; quos quia Hierarchica poteſtate inter Religioſos non computabantur, Eccleſia Hiſpaniarum neque pro Clericis, neque pro Monachis, ſed merè Laïcos agnoſcebat. Retineri etiam poteſt vulgata lectio, *propriæ regionis*, vt eum ſignificet Monachum, qui a natali ſolo in aliam prouinciam tranſierit, atque adeo Diœceſim Epiſcopi non ſui; quem hic Epiſcopus neque Monachum fecerit, neque Clericum ordinarit, & ea abuſus licentia, Epiſcopi ſolutus legibus *per diuerſa loca vagus feratur*, Orientalibus Gyrouagis ſimillimus. Hunc filium Belial iubet Concilium ab Epiſcopo Diœceſis, in qua decreti tempore morabatur, Monaſticis ſeptis coërceri, aut Clericalibus muniis addici, ſublata vtrinque vagandi poteſtate, & Epiſcopali Iuriſdictione vel ingratijs, vel liberè ſuſcepta. Inferiùs quoque idem Fileſacus, vt probet ſolius olim fuiſſe Epiſcopi litteras commendatitias Monachis aliquò miſſis concedere, Concilij Aurelianenſis Canonem adducit: *Qui quoniam*, inquit, *mirum in modum deprauatus eſt, lubenter medicam manum admouebimus. Sic autem habet in excuſis Concilijs. Abbates, Martyrarij, recluſi, vel Presbyteri Apoſtolia dare non præſumant.* Emendat autem Theologus. *Abbates Matricularij recluſi, vel Presbyteri Epiſtolia dare non præſumant.* Vellem addita eſſet diſtinctio, cum illa coniuncta oratione incertum relinquat, velit-ne Abbates Matricularios; an Matricularios recluſos, intelligi, an tria ſint iſta officiorum genera, vt in ipſo Canone ſeparantur; Matricularios enim Abbates nuſquam legi: recluſos eſſe Matricularios, ſiue Eccleſiæ Oeconomos, officij ratio non patitur. Sunt igitur hæc diſtincta: ſed Matricularios literas pacificas, ſeu dimiſſorias Clericis aut Monachis dediſſe, neſcio vtrum probari poſſit, quod de Chorepiſcopis aliquando legimus. Quamobrem nihil in Canone mutandum cenſeo, in quo neque quicquam permutat P. Iacobus Sirmondus; vt facile Martyrarios intelligamus, Preſbyteros Martyrijs dicatos, de quibus crebra eſt in antiqua Eccleſia mentio, & Apoſtolia, literas dimiſſorias interpretemur.

Item de can. 13. Aurelian. Concil. 2. quem fruſtra corrigit Fileſa. cit. §. 3.

Iacob. Sirmond. to. 1. Concil. Gall.

## *IN REGVLARIBVS OBSERVANtijs eadem Religioſorum ſubiectio demonſtratur.*

### §. Vnicus.

Sententia negantis argumenta.

ET quidem in Eccleſiaſticis muneribus ſatis liberè diſcipulatum & ſubiectionem ſuam agnoſcunt omnes. Poteſt tamen vlteriùs de Regularibus, vt vocant, obſeruantijs inſtitui quæſtio, ſint-ne etiam in ijs Epiſcoporum Diſcipuli & ſubditi Regulares? Dubitare facit vſus Eccleſiæ, homines, vt plurimùm, ex aula & ſtatu ſeculari ad Pontificiam Cathedram euehentis,

euehentis, quod ſuo ſeculo factum in Gallijs queritur S. Leo Magnus. Ijs S. Leo epi
ergo legibus quomodo præerit Epiſcopus, quas ipſe nunquam ſit expertus? 88.
Huc referri poſſet S. Gregorij decretum de Clericis monaſticum regimen
ambientibus: ſed illud alteri materiæ reſeruatur. Similem affero querimo-
niam à S. Bernardo *Scholares pueri, & impuberes adoleſcentuli, ob ſanguinis dignita-* Bernard.
*tem promouentur ad Eccleſiaſticas dignitates, & de ſub ferula transferuntur ad princi-* ep 42. ad
*pandum Presbyteris, lætiores interim quod virgas euaſerint, quàm quod meruerint* Henric.
*Principatum, nec tam illis blanditur adeptum magiſterium.* Petrum Bleſenſem pro- S. non.
duco in hac & opinione, & ratione conſtantem. *Olim*, inquit, *Cathedralibus* Petr. Bleſ.
*& Collegiatis Eccleſijs fuere Monachi, ſiue Canonici Regulares, in communi viuentes;* 13. ep. 28.
*atque vno Refectorio, vno que Clauſtro contenti. E quibus aſſumpti Epiſcopi monaſtica*
*inſtituta colebant: & ideo viſitandis ſuæ Diœceſis Monaſterijs, Monachorumque ex-*
*ceßibus ponderandis ac corrigendis, nec non quæ ad ſanctæ obſeruationis augmentum con-*
*ducunt ſanciendis, idonei eſſe poterant. Hodie verò cum ſint ferè omnes ſeculares, à*
*regulari vita alieni prorſus, qua fronte Monaſteria viſitare, ac de rebus quas neſciunt*
*definire debeant, non video: ſcilicet docebunt, qui non didicerint; milites erunt, priuſ-*
*quam tirones; magiſtri, antequam diſcipuli.* Hunc ita locum prolixè citat Ioannes Ioan. Lo-
Lomedè, licet in exemplari ſuo repertum neget Aurelius. Eſt autem in ea- medeTr de
dem opinione I. C. idem Lomedè, vt pote qui inter exemptionum cauſas Exempt. Eccleſ. .12
hanc refert, *diſparem Ordinariorum & Religioſorum profeßionem, & ignorantiam* n. 17. Aurel. in
*rituum & morum regularium.* Quod argumentum vrgens preſſius Illuſtriſſi- vin. p. 579.
mus Bellicenſis, addit in tanta Ordinum & Inſtitutorum varietate, in tam Ioan. Petr.
latè fuſa ſingulorum inuicem conformitate, & omnium cum vno capite con- Camus
nexione, hominem vnum iuris illius Religioſi capita & Canones non poſſe Bellic. in
diſcere. Poſſe id fieri in Oriente, vbi ſolius Baſilij regnat regula; potuiſſe viatore in-
olim facilè in Occidente, cum ſolus vigebat Benedictus, & ſingula Mona- cognito l.
ſteria, ſub communi regula, commune nihil habebant. Ex quibus expedita 2. n. 9.
concluſio eſt, in Regularibus obſeruantijs Religioſos non eſſe Epiſcoporum
Diſcipulos, & ſubditos.

Nihilominus affirmantis ſententiæ certa & Catholica doctrina eſt. Hic *Affirmans*
enim ſtatum conſideramus, non perſonas; Hierarchiæ naturam, non ali- *ſententia*
quorum abuſum; id quod fieri debet, non quod iniuria temporum præter- *probatur.*
mittitur. Nam vt benè Franciſcus Halliet, *quicquid ſit de facto, aliud dicendum* Hallier in
*eſt de iure: eſto enim rari huic muneri pares reperiantur; at certè pares eſſe debent; aliàs* vin. p. 630.
*perficientium ſtatum non aſſequentur.* Ratio certa eſt, quia Principis eſt ordinare
Remp. & ſingulos ſubditorum Ordines ad communem finem per conuenien-
tia media dirigere. Itaque media illa Princeps aut adinueniet ipſe, aut aliun-
de ſumpta ſuo iudicio probabit, ſua auctoritate vtenda proponet, & ſuæ
poteſtatis influxum, vt cauſa principalis, in cauſas ſecundarias transfun-
det. Sub hoc enim; & eius auctoritate poſſunt, & debent ſpeciales eſſe
aliqui morum Magiſtri, qui doceant in particulari quomodo medium ab
eo qui finem intendit, propoſitum & approbatum, ſit executioni mandandū.
Sic Princeps ſibi Baſilicam extrui iubet, formam verò & modum relinquit
Architectis: Eques frænum imperat, aut calcar, dum materiam permittit
artifici. Sic Pater-familias filiorum alterum ad militiam, alterum ad quæ-
ſturam, alterum denique ad forum deſtinat, & ſingularum artium magi-

ſtros illis adiungit. Neque enim omnes Parreſ, Catonis ſenioris exemplo filios ipſi per ſe docere debent, lireras, equitare, militare, natare, vel ſimilia: ſatis enim docent, cum doctores ex fine propoſito ſubminiſtrant. Sic in ſacro Principatu & Hierarchia, Epiſcoporum eſt videre, an Ordo ille, qui ſe Religioſum dici velit, ſit medijs acquirendæ perfectionis inſtructus, an tali tempore, talibuſque circunſtantijs prodeſſe poſſit Eccleſiæ illa vitæ forma, vt per eorum approbationem, atque accepratіonem Eccleſiæ, contractus fiat cum priuatis, ſeſe ad illam viuendi ſpeciem obligantibus: quem cum illa, vt probum ſuſcepit, vimque obligantem addidit, fit ſtatus Eccleſiaſticus, Religioſum cogens ad votorum obſeruationem. Quod vt commodiùs conſtar, ſubordinari aliqui deſtinantur, eorumdem auctoritate Hierarcharum, qui tanquam Campiductores ſacram illam militiam legibus dirigant, præceptis inſtruant, exemplis incitent, pœnis coërceant, ijque ſunt Regulares Prælati, nulla in ſuos poteſtate prædіti, niſi quam ab Eccleſia & Hierarchis acceperunt. Ita ſemper ab omni æuo factum, vel explicitè, vt primis ſeculis; vel implicitè, vt iſtis poſterioribus, quibus ius ſuum omne Romano Pontifici hác in re tradiderunt, facientes cum illo quicquid agit, & Religioſum Ordinem, proüt ab eo erigitur, confirmaturque, ratum habentes. Hoc ipſum diſpicere potes in S. Dionyſij Hierarchia, vbi Pontifex in conſecratione, diuinis libris caput habet ſubiectum, quia omnem Hierarchicam ſcientiam ita ipſe ſolus complectitur, vt ea non ſolùm illuſtretur, ſed etiam alios illuminare poſſit, & perficere, & nihilominus ſub ſe Sacerdotes habet, qui Monachorum ordinem illuminent.

*Plut. in Caton.* — Dionyſ. c. 5. Eccle. in contempl. — Ibid. c. 6.

*Auctores primæ ſententiæ conciliantur.*

Ad primam igitur opinionem, dico, eius auctores idem nobiſcum ſentire, ſpectata rei natura, cum dicunt id olim factum, id etiamnum fieri in Eccleſia Orientali, eximi à iure communi Regulares, quia id modò non contingat. Quia tamen videntur velle Hierarcham omni illa iuris Regularis bibliotheca inſtructum eſſe debere; hoc ego non facilè concedam, idemque rectè negat Doctor Hallier exemplo Romani Pontificis, qui & ipſe non magis, quàm priuatarum Sedium Epiſcopi è Monaſtico clauſtro ad Petri ſolium aſcendit. Deinde, non dico ipſum per ſe Epiſcopum omnes Regularium domos viſitando luſtrare debere, modò id eius auſpicijs & auctoritate fiat à peritis, quos Eccleſia ipſa huic muneri dudum præfecit, quales ſunt ſingulorum ordinum ſuperiores. Vnde & iure ſuo, ſiue ob Regularium canonum ignorantiam, ſiue ob alias cauſas, ceſſerunt in quibuſdam, & Prælatos Regularium Sodalitatum in eorum vicem ſufficit Eccleſia, dum Religioſos cogit in Congregationes ſeſe redigere, in quibus eligantur *Religioſæ ac circumſpectæ perſonæ quæ vice noſtra*, inquiunt Concilij generalis Epiſcopi, *ſtudeant viſitare, corrigentes, & reformantes quæ correctionis & reformationis officio viderint indigere*. Sic in ipſis domibus Religioſis, ſub Prælatorum auctoritate multa fiunt ab officijs, quæ Prælati ipſi facere nō poſſunt. Sic in ſtatu politico quicquid in caſtris Tribuni & Centuriones, quicquid in foro Iudices ex officio faciunt, id à Rege fieri dicitur, licet quid fiat, aut quomodo fiat, ignoret. Sic in mundo cœleſti Sol radios in minores ſtellas, quæ ſolæ per ſe tenebreſcunt, effundit, eſſet autem naturæ contrarium Solem videre à linea ecliptica digreſſum, ſingulas ſiderum domos luſtrantem, & generalem benigniſſimi caloris influxum

Concil. Lateran. ſub Innoc. 3. c. 12.

xum in eo occupantem, vt diſpiceret quæ Leoni, quæ Virgini ſtellæ deſint; cur ſeptima Pleiadum ſemper deliteſcat, quo extraordinarium Caſſiopeiæ ſidus effluxerit.

---

## A PRIVATORUM EPISCOPORUM STRICTA *ſubiectione poſſe Christianos eximi, & reipſa plurimos eſſe exemptos.*

## CAPVT XVII.

GENVS à me ſpectatum eſt, cum vniuersè pronunciaui, ſtatum Monaſticum à ſtatu Epiſcopali pendere in omnibus ex rei natura & eſſentialiter, à qua ſubiectione Catholicum hominem nulla vnquam Summi Pontificis auctoritas, nullum Concilij Generalis decretum, nullus conſuetudinis abuſus, nulla ſecularium Principum vis & poteſtas eximet, quamdiu Chriſti regnum, quod eſt Eccleſia, ijs legibus ſtabit, quibus à Deo conditore fundatum ſtabilitumque eſt. Species nominata eſt, cum Epiſcopum ciuitatis, Epiſcopum Diœceſis dixi competentem Monaſteriorum curam plurimis Eccleſiæ ſeculis geſſiſſe, illique Parochiæ ſuæ Monachos in omnibus fuiſſe ſubiectos. Qua de priuata ſubiectione tota modò nobis controuerſia eſt, in qua nemo, vt ſpero, Catholicus reprehendet ſi dixero, poſſe parentem natura ſua Epiſcopi particularis in Monachum, aut quemcumque Chriſtianum ſubditum Iuriſdictionem ad certa conſtringi capita, vt in alijs, non ipſi, ſed alteri ſuperiori immediatè ſubdatur. Quod cum fit, exemptus ille dicitur, & priuilegio, Superioris auctoritate conceſſo, in eiuſmodi re particulari, à priuato Epiſcopo non ampliùs pendere cenſetur. Nemo, inquam, negat hanc eſſe in Eccleſia poteſtatem, nemo Catholicus illam Eccleſiæ capiti Romano Pontifici eripit: quam vbi multis eloquentia ſolita probauit Illuſtriſſimus Bellicenſis, præcisè concludit, *In ſumma, poteſt hoc Papa: hic ponenda ſunt arma, vel ab eius obedientia diſcedendum: &, en ſchiſma, en hæreſis.* Nec vero refert ait Ioannes Lomedè, *nec impedit Papam poſſe exemptionem concedere, quod Epiſcopi ſint immediati & primi in ordine Hierarchico: nec illud quod ſcriptum eſt in Actibus Apoſtolorum, & in C. Mutationes, 7. quæſt. 1. Sanctum Petrum contentum fuiſſe ſua ſede, nec Sanctum Iacobum, & alios in ſuis ſedibus turbare voluiſſe: quia penes Papam ſumma eſt Iuriſdictio Eccleſiæ, tanquam per Chriſtum ſubſtitutum. Dixit enim, ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam: Paſce oues meas: ac ſi dixiſſet, vt Doctores interpretantur, ſummam huius rei tibi concredo.* Præcisè certe definiuit olim Nicolaus I. ad Rodolphum Bituricenſem ſcribens, *Primates vel Patriarchas nihil priuilegij habere, præ cæteris Epiſcopis, niſi quantùm ſacri Canones concedunt, & priſca conſuetudo illis antiquitus contulit, ita vt ſecundùm Nicænas regulas, ſua priuilegia ſeruentur Eccleſijs, præterquam ſi Apoſtolica ſedes aliquam Eccleſiam, vel Rectorem ipſius quolibet ſpeciali priuilegio decreuerit honorare.* Eaſdem vires in Regia poteſtate ſtatus politicus agnoſcit, cum omnibus Principibus ſupremo imperio vtentibus, liceat ad arbitrium iudices inſtituere, ſubditos ab eorum Iuriſdictione eximere, ſibi aut alijs à ſe delectis ſubmittere, *prout videmus*, inquit idem Lome-

*Status Monaſticus à ſtatu Epiſcopali pendet.*

*Exemptio quid ſit, qui exempti.*

*Eius poteſtas penes Romanum Pontificem.*

Ioan. Petr. Camus in viat. Incogn. l. 2. n. 7.

Ioan. Lomedè tr. de Exempt. Eccleſ. c. 3. n. 12.

Nicolaus I. ep 39 ad Rodulph. Bitur. Archiep.

*In ſtatu politico idem mos eſt & poteſtas.*

*Lomedé cit. n. 16.*

dè, *Auguſtalibus, ſiue domeſticis Regis, & quamplurimis alijs, tam Eccleſiaſticis quàm Laicis à Iuriſdictione Ordinariorum exemptis, datos fuiſſe Iudices Auguſtales, aliàs Magiſtros Requeſtarum Palatij vocatos, iura illis reddituros.* Neque alia eſt priuatorum Prælatorum ratio, qui ſubditorum ſuorum cauſas, proüt ſe tulerit occaſio, ſibi ipſis poſſunt reſeruare.

*Exemptionum antiquus & creber vſus.*

Idem validiſſimè probat præteritorum temporum memoria, & reipſa datæ à Pontificibus Romanis, & Regibus exemptiones; quæ ſi defectu poteſtatis eſſent irritæ, quanta modò in Eccleſia & Regno perturbatio naſceretur? quàm turpis homines omnes à tot ſeculis occupaſſet ignorantia? Lubet hic aliquos commemorare priuilegio exemptionum Eccleſiaſticarum gaudentes, tum vt Eccleſiæ Catholicæ ſenſus & vſus appareat, tum vt priuilegiorum obtrectatores erubeſcant tam multa, tam nobilia capita, Monaſticarum exemptionum prætextu, à ſe impeti, cum omnium vniuersè priuilegiorum eadem eſſe conſideratio debeat, idem periculum, vt aut iſtorum conatu & odio radicitus extirpentur omnia, quod iniquum eſt: aut ſingulorum cauſæ & merita examinentur, quod ἀδύνατον. Equidem cum immenſam multitudinem, & ſingularem dignitatem eorum intueor, qui clamoribus iſtorum vulnerantur, quoniam Pontificum Romanorum priuilegijs ſint aliqua Ordinariorum poteſtate ſoluti; cum ad priuatarum Diœceſcon Antiſtites oculos conuerto, in quorum Iuriſdictionem eadem opera ſecuris inijcitur; cum Regiam conſidero poteſtatem, quæ eodem argumento, & ſeditioſa Theologia frangitur ac debilitatur, mirari ſatis non poſſum tolerari voces illas, pacis publicæ perturbatrices, ac non potiùs vt ſacro profanoque regno perduelles caſtigari.

*Priuilegiorum obtrectatores omnibus æquè ſacris ac Laicis Principibus ſunt contumelioſi.*

*Gallia ſtudioſa priuilegiorum conſeruatrix.*

*Memorabilis narratio ex Mercur. Gallico. tom. 3. in Comitijs anni 1614.*

*Optatur Concilij Tridentini publicatio saluis priuilegijs.*

Quantùm enim iurium priuilegiorumque ſuorum ſtudioſa conſeruatrix ſit Gallia, oculis ipſi vidimus in Pariſienſibus vltimis Regni comitijs, quæ temporum hoc modo narrat Hiſtoria. Anno 1614. die 7. Nouembris in Eccleſiaſtici Ordinis conſeſſu, vna omnium voce decretum fuit, articulo peculiari ſupplicandum eſſe Regi, vt vniuerſale & œcumenicum Concilium Tridentinum admittatur, & publico edicto promulgetur in vniuerſo Regno, eiuſque Statuta & Canones obſeruentur, ſaluo tamen Regis ipſius iure, Eccleſiæ Gallicanæ immunitatibus, priuilegijs, & exemptionibus Capitulorum, Monaſteriorum & Sodalitatum; pro quibus priuilegijs, immunitatibus, exemptionibus Sanctiſſimo Domino noſtro ſupplicetur, vt reſeruari poſſint, & in integro permanere, vtque illis ea publicatio nullo modo præiudicet. Hunc igitur articulum, cum omnino decreuiſſet Clerus, non ſolùm in libelli ſui generalis capite collocare, ſed etiam efficere vt ordinem duceret in eo codice præcipuorum capitum, quæ Ordinum omnium communi conſenſu offerrentur Regi; legauit qui cæteris Ordinibus illum exponerent, eorumque ſuffragia colligerent. Eminentiſſimus Cardinalis Rupifucaldius Nobilium ordinem edocuit, illam Henrico Magno, glorioſæ memoriæ Principi, voluntatem inſediſſe, vt admitteretur publicè Concilium, in ijs maximè quæ diſciplinam Eccleſiæ, & Clericorum mores componebant. Conſenſit ergo Nobilitas, & Eccleſiaſtico ſe adiunxit Ordini. Dumque in tertio Ordine alternant ſuper ea re ſententiæ, & protrahitur in dies deliberatio: prodit ecce libellus, vt fieri ſolet in eiuſcemodi dubijs, quo excerpta legebantur plurima è Concilij Tridentini ſtatutis, repugnantia Regum Franciæ iuribus, immunitatibus

tatibus Eccleſiæ Gallicanæ, priuilegijs & exemptionibus Capitulorum, Monaſteriorum, & Sodalitatum. Quæ res meliorum conatus diſturbauit. Hæc omni fide, penè ex verbo expreſſa, tam grandia, vt in Comitijs tractari meruerint; tam manifeſta, vt in Regni luce, & Europæ theatro geſta ſint; tam certa, vt plures etiamnum ſuperſtites auctores & curatores rerum nominari poſſint, ſole clariùs demonſtrant, & Francos ingenitæ libertatis memores, eam rebus omnibus perpetuò prætuliſſe, & Monaſticorum priuilegiorum cauſam, cum Regum noſtrorum priuilegijs, & Eccleſiæ totius Gallicanæ libertate inuicto fœdere iunctam eſſe, & nullam eorum partem ab eo qui ſe Francum eſſe velit, & Clericum, poſſe ſine ſcelere labefactari: vt non immeritò patriæ hoſtes iudicati debeant, ſi qui forte poſt hæc expenſa, peruicaciùs in euellendis priuilegijs quorumcunque ordinum perſiſtent. Et iucundum eſt oculis noſtris eorum aliqua, tanquam auitæ nobilitatis inſignia, ſubijcere.

## *PRIVILEGIA QVÆDAM GALLIARVM Eccleſijs & perſonis conceſſa.*

§. I.

ORDIOR à ſacris poteſtatibus. In controuerſia Hilarij Arelatenſis, cum Archiepiſcopo Viennenſi de Sedis prærogatiua, S. Leo pro Viennenſi pronuncians, ſæpe priuilegiorum meminit. At poſtea Symmacbus Papa ad Cæſarium Arelatenſem ſcribens, *Rationabile eſt*, inquit, *vt ſancta Arelatenſis Eccleſia, proprijs priuilegijs perfruatur, & quod vetuſtas præſtitit, & Patrum auctoritas roborauit, noua non debet violare præſumptio; ſic tamen vt cæterarum Eccleſiarum priuilegia, temporibus acquiſita non titubent.* Pro quorum conſeruatione, breuis ſed validus canon vibratur in Concilio Metenſi ſub Pipino Rege, *Vt emunitates conſeruatæ ſint.* Quæ quidem Eccleſiæ vtriuſque controuerſia, conſimilem animo meo in Oriente obijcit Conſtantinopolitanæ ſedis: quæ dignitatis prærogatiuam ſupra cæteros Patriarchas in Cõcilio Chalcedonenſi, contra Eccleſiarum ſuperiorum priuilegia cum ſurripuiſſet, quanto zelo Patriarchæ Alexandrini pro ſuo priuilegio, Romani Pontifices pro æquitate certarunt, vt in ordine ſuo poſt Romanam ſedes Alexandrina perſtaret? Et factum id foret, niſi ambitionis pertinacia Romam fatigaſſet, & pacis ſtudium Alexandriam mitigaſſet. Sedes Epiſcopales in Archiepiſcopatus mutatas enumerat Choppinus, Capuanam à Ioanne Papa anno 980. Moguntiacam à Zacharia, Bononienſem à Gregorio XIII. Londinenſem Archiepiſcopatum Cantuariam tranſlatum: voluiſſe Leonem X. rogatu Sabaudi ducis vrbi Camberienſi Cathedralem concedere Eccleſiam, eamque ſic ab Epiſcopatu Gratianopolitano diſtrahere cum Decanatu Sandiæ, *qui eſt vnum membrum principale de Epiſcopatu Gratianopolitano.*

*Eccleſia Arelatenſis priuilegia.*
S. Leo epiſt. 89.
Symmach. ad Cæſar. Arelat.
Concil. Metenſe can. 6.
*Alexandrinæ ſedis ſupra Conſtantinopolitanam priuilegium.*
*Epiſcopatus priuilegio mutati in Archiepiſcopatus.*
Chopp. li. 2. de Eccl. polit. tit. 3. n. 22.

In Gallia Magalonenſem Epiſcopatum ad Montempeſſulanum traduxit Pontifex Paulus III. ſinente Franciſco primo. Maleacenſem Abbatiam in Epiſcopatum mutauit, & à Pictauienſis Epiſcopi iure auulſit Ioannes XXII. Mildeburgum quoque Epiſcopatu donatum eſt, & ab Archiepiſcopatu Vltraiectenſi abruptum à Paulo IV. poſtulante Philippo II. Hiſpaniarum

*In Gallia à Romanis Pontific. mutatæ & tranſlatæ ſedes Epiſcopales.*

Choppin. l. 1. t. 25. Robert. in Gall. Chr. V. Maleacenses. Idem V. Magdeburgenſes. Idem V. Narbonenſes. Philipp. Prob. q. 60. de iure Regaliũ.

Rege. Toloſa Narbonenſi olim Archiepiſcopo ſubdita, ab eodem Ioanne XXII. Archiepiſcopalis facta eſt, & ita Narboni erepta, cui & Elnam, ſiue Helenam, oppidum Hiſpaniæ, ſubiectam olim ferunt, atque hunc ipſum Epiſcopum Helenenſem ſedere modò Perpiniani. Auenionenſem Epiſcopatum ad Archiepiſcopatum euexit Iulius II. Arelatenſis ditioni ſubtractum, cum Suffraganeis tribus. Noſtris quoque temporibus Pariſienſem Eccleſiam vidimus Archiepiſcopali prærogatiua donatam, attributis Suffraganeis tribus, antiquæ Senonum Metropoli detractis. Factum id à Gregorio XV. rogante Ludouico XIII. feliciter regnante, anno 1622. Hæc omnia quæ ſunt in exemplum adducta, ſine priuilegijs fieri non potuerunt, quibus aliqui tum Præſules, tum populi a legitimi ſui Antiſtitis obedientia, ad alium maiori auctoritate traducerentur.

*Epiſcopi immediatè Summo Pontifici ſubiecti.* Ioan. Lomedè c. 4. n. 15. Robert. in Gall. Chr. V. Podienſes.

Epiſcopos quoque legimus aliquos immédiatè Summo Pontifici ſubiectos, nullum alium Patriarcham, vel Metropolitanum agnoſcere: cuiuſmodi eſt Eccleſia Ferrarienſis, vel Epiſcopatus Bethleemiticus in Diœceſi Senonenſi: Podienſis ſiue Anicienſis Epiſcopus ab Bituricenſis Archiepiſcopi ditione exemptus: & vniuerſè referunt auctores, tantam eſſe talium Epiſcopórum dignitatem, vt exempti non exemptos debeant præcedere, in Concilijs priores ſedere, & ſubſcribere.

Lomedè c. 7. n. 1. Chriſtinæus Cabal. glor. mundi p. 4. conſid. 24. *Capitula ab Epiſcoporũ iuriſdictione exempta.* Chopp. li. 3. de Iurib. Regal. tit. 3. n. 5. *Capituli Pariſienſis immunitas.* Chopp. l. 1. de Polit. Eccl. tit. 5. n. 8. Lomedè c. 4. n. 8. Lomedè ibid. n. 9. ex Ottado in Conſil. 206. & 254. Idem Lomedè c. 2. n. 5. *Priuilegiũ Rothomagenſes pro vinctis.*

Ab infulis & Epiſcopis, ad Capitula ſi deſcendimus, Deus ſancte! quàm multa, quàm grandibus priuilegijs ornata, quibus immunitatibus munita deprehendemus? Rauennates Canonicos ante omnia nobis obiicit Ioannes Andreas apud Choppinum, quibus Cardinalium titulus antiquo Romanæ ſedis beneficio attributus eſt. Eccleſiæ Pariſienſis Capitulum ab Alexandro III. primùm, deinde à Clemente VII. & ipſo olim Pariſienſi Canonico exemptum eſt ab iuriſdictione, non Epiſcopi tantùm ſui, ſed & Archiepiſcopi Senonenſis: & fuit tempus cum Canonici Epiſcopo in ſua Eccleſia ſolenniter benedicenti non aſſurgebant. Eccleſia Carnotenſis non tantùm vni ſe Romano Pontifici ſubiectam eſſe gloriatur, ſed etiam ordinariam habere Iuriſdictionem, *atque adeo ſingularia iura, vt pene Epiſcopo ipſi exæquetur.* Pictauienſis Eccleſia Diplomate Clementis V. *habet audientiam communem cum Epiſcopo, cuius appellationes non deuoluuntur ad Epiſcopum, ſed ad ſedem Apoſtolicam, ſeu Metropolitanam.* Capitula fere omnia Eccleſiarum Cathedralium Rhemenſis Prouinciæ, non quidem Romanum Pontificem immediatum agnoſcunt, ſed duntaxat Metropolitanum, videlicet Rhemenſem Archiepiſcopum, non autem particularem Epiſcopum. Eccleſiæ Cenomanenſis Canonicos non tantum ab ordinarij iure liberos, ſed etiam peculiari priuilegio à reſidentia Parochiarum, quibus aliqui præſunt, exemptos ſe legiſſe refert Choppinus. In eadem etiam cauſa ſunt Sacella Regia vni Romano Pontifici ſubiecta. Sacrum autem an profanum appelles priuilegium Rothomagenſi Eccleſiæ conceſſum, nihil intereſt, quo vinctum homicidij reum de carcere educere, & Sancti Romani, Antiſtitis olim ſui lipſanothecæ ſuppoſitum, omni ſupplicio liberare poteſt, ſoletque, ipſa die Chriſto aſcendenti in altum, & captiuam ducenti captiuitatem dicata; in morem veteris illius immunitatis, qua ſacram Iudæorum Remp. Romani Præſides honorabant, aſſerto in libertatem *vincto quemcumque voluiſſent*: vt in Chriſti ſeruatoris, & Barabbæ homicidæ cauſa ſacræ paginæ factum eſſe teſtantur.

ſtantur. Tum enimuerò poteſtatem aliqua ex parte regiam illuſtris Clerus exercet, & regale Sacerdotium in ſalutem homini dandam, quæ diuinitatis particula quædam eſt, miſericors impendit. Illud autem ita maturo peragitur conſilio, quoniam *honor Regis iudicium diligit*, vt dum Rei cauſa diſcutitur, in multam aliquando veſperam publica ſupplicatio, qua S. Romani, ſuccollante Liberato, portantur lipſana, differatur, eique ſub ſolis occaſum expectata tandem ſolennis Miſſa ſuccedat: quod priuilegij dicimus appendicem.

*Epiſcopi aliqui ab expectando Capituli conſenſu exempti.*

Ex aduerſo nonnullos Epiſcopos ab aliquo debito Eccleſiæ legibus præſtando, liberos eſſe docent non obſcurè Canones; vt cum ius præſentationum Epiſcopo, vel Abbati, cum conſenſu Collegij eſſe dicitur, *niſi ex antiqua & approbata conſuetudine, vel conceſſa libertate, aliqui eorum probauerint commiſſi ſibi Collegij non debere requiri conſenſum*: Et ne minora negligamus: non iam Capituli, ſed Curæ vnius, & Parochialis Eccleſiæ S. Ioannis apud Caluomontem, Vulcaſſinorum oppidum meminit Choppinus idem, cuius Parœcus exemptus eſt ab Ordinariorum omnium, & Metropolitanorum iure, & Romanum Pontificem ſuperiorem ſolum agnoſcit. Eam ob rem eius loci Prior, patronus illius Eccleſiæ, officialem habet Caluomonte, qui de rebus Eccleſiaſticis omnibus iudicat, à quo ad ſedem Apoſtolicam appellatur. Ptochodochium Quindeuiginti Cœcorum à S. Ludouico fundatum Pariſijs, ab omni Ordinariorum Iuriſdictione exemptum, ſoli magno Franciæ Eleemoſynario ſubeſt Ioannis XXIII. beneficio; ea tamen lege, vt ſit ille *in aliquo ſacrorum ordinum conſtitutus, alioquin ad primum Capellanum prædictæ capellæ pertinere* decernit. Et vniuersè Scholaſticos omnes in gratiam ſtudiorum, ſupremarum Curiarum Conſiliarios clericos, Cantorem & Capellanos capellæ Regiæ, Curiales & alios id genus, ab Eccleſiæ Metropolitanæ, in qua præbendam poſſident, reſidentia immunes eſſe idem teſtatur.

Extra. de his quæ fiunt à Prælatis. c. ea noſcitur.

*Parochia Caluomontenſis priuilegium.*

Choppin. l. 1. de polit. Eccleſ. tit. 5. n. 8

*Priuilegiũ Ptochodochij Quindeuiginti cæcorum.*

Ioan. 23. an. 1412. refertur à Choppin. l. 2. de Iur. Relig. tit. 1. n. 28.

Facit ſtudiorum mentio, vt deuoluat ad illuſtria quæ ſequuntur Eccleſiæ membra, Vniuerſitates, quarum Principem Pariſienſem communis opinio inter Eccleſiaſticas ſocietates conuenientiùs, quàm inter Laïcas & ſeculares recenſet: cuius elogium inſigne eſt in Alexandri IV. bulla, in gratiam Dominicanorum edita. *Quaſi lignum vitæ*, inquit, *in Paradiſo Dei, & quaſi lucerna fulgoris in domo Domini eſt in ſancta Eccleſia Pariſienſis ſtudij diſciplina.* Cui eam ob rem, & operam Eccleſiæ periculoſiſſimis temporibus nauatam, conceſſæ ſunt innumerabiles priuilegiorum prærogatiuæ; in vtroque foro iamdudum receptæ, quibus rite ac ſtrenuè tuendis Conſeruatores accipit; quorum à Conſeruatore S. Genoueſæ differentiam eam conſtituit, qui iſtud officium exercuit Ioannes Lomedè, quòd *illi vnico reſcripto, ſiue mandato generali, de omnibus ſcholaſticorum cauſis cognoſcant: at hic ſpecialiter detur Iudex Conſeruator delegatus ad ſingula corpora Eccleſiaſtica, tot habens priuilegia, quot ſunt vel Collegia, vel Eccleſiæ, vel Capitula, aut corpora ſuis priuatis fulta reſcriptis Iuriſdictionis attributorijs.* Sunt autem illi Conſeruatores omnino tres Epiſcopi, Bellouacenſis, Meldenſis, & Syluanectenſis: quibus etiam peculiari iure concedit Clemens V. vt violatorum iurium Academiæ reos extra ciuitatem & Diœceſim per quatuor diætas trahere poſſint. Nec minor in eam Regum noſtrorum munificentia, quam & primogenitæ ſuæ glorioſo titulo condecorarunt. Illi ergo priuilegiorum ornamenta, tanquam mundum muliebrem conceſſere, appoſito Conſeruatore Prætore Pariſienſi, de quibus fusè

Idem l. 2. polit. Eccl. tit 3. n. 14.

*Vniuerſitatis Pariſienſis elogium & Priuilegia.*

*Alexand. 4 Bulla qua incipit quaſi lignum 14. April. an. 1259.*

*Conſeruatores Vniuerſitatis.*

*Conſeruator Abbatiæ S. Genoueſæ.*

Ioan. Lomedè c. 4. n. 16.

*Clemens 5. Bulla Sand dilectorum.*

tractantem habes Mauclerum; qui inter vera eius encomia, vellem Eccleſiaſticæ potiùs, quàm ſeculari Monarchiæ illam aſſignaret.

Maucl. de Mona. p. 3. l. 8. c. 9.

## ALIÆ QVÆPIAM REGVM ET CVRIAlium à proprio Epiſcopo Exemptiones.

*Eccleſiæ & Regni Gallicani immunitates. Earum fundamentum duplex.*

§. II.

*De immunitatibus Eccleſiæ Gallicanæ.* Vide Somnium Viridarij oblatum Regi Carolo 6. & diuerſos Tract. de Iurib. & Libert. Eccl. Gall. collectos & impreſſos Pariſiis.

IAM verò Eccleſiæ Gallicanæ, Regnique Chriſtianiſſimi priuilegia, immunitates, libertates quis dignè explicet? quis Gallus Catholicus non fortiter tueatur? Duobus illa fundamentis niti aſſerunt. Alterum eſt, nihil neque in commune, neque priuatim à Papa decerni poſſe in temporalibus Regis & Regni Gallici, & quicquid decernitur, irritum eſſe. Alterum, licet in ſpiritalibus ſupremam habeat poteſtatem: illam tamen abſolutam & indefinitam in Gallia locum non habere, ſed finibus & limitibus iis contineri, qui per Canones, & antiquorum Conciliorum in Eccleſia receptorum Decreta præſcribuntur. Et in hoc maximè conſiſtere Libertatem Eccleſiæ Gallicanæ, facultas Pariſienſis olim in Senatu Pariſienſi profeſſa eſt, cum Legationi Cardinalis Amboſij interceſſit. In duobus hiſce cardinibus, aut illorum altero, omnis Gallicanorum priuilegiorum cauſa vertitur.

Nam grãde opus non tango quod nuper prodiit Epiſcopali iudicio condemnatum.

*Regis Chriſtianiſſimi Priuilegia.* Chaſſan. 10 Catal. glo. mundi p. 5 conſid. 30. 31. vbi citat Iacobũ Bonaudi in Paneg. & Ioan. de Terra Rubea in Vinea Eccleſ. colum. 9. 10 13. Ioan Ferraoldum Tr. de Iuri. & Priuile. Regni Francor. Ioan. Lomedè c. 4. n. 17. & 21. Robert. in Gal. Chri. v Epiſc. Cabilon.

Quòd ſi priuatim Regis ipſius auguſtum caput, omni qua poſſum, polleoque reuerentia contemplor, non magis Corona clauſa, quàm priuilegijs ornatum munitumque comperio: Eccleſia matre optima in ſuauiſſimum filium, de ſe exemplis omnibus benemerentem, omnem liberalitatis ſuæ theſaurum effundente. Licet enim ei aliquoties, vtriuſque ſpeciei in tremendo Chriſtianitatis myſterio fieri participem: Epiſcopalibus cenſuris, tanquam laureatum innumeris pro Eccleſia fideque Catholica victorijs caput, impeti non poteſt: *Cum oleo ſancto vngatur ſuper omnes Chriſtianorum Reges, coronam libertatis & gloriæ obtinet: ita quòd ſuper vexilla prima inuictiſſimi Francorum Regis nemo præſumere debet honorem. Imo etiam extra Regnum in loco indifferenti, omnes quoſcunque huius mundi Reges Chriſtianos præcedit; & ita habetur in obſeruantia Romæ, & ita fuit aliàs dictum per multos Summos Pontifices, quod legati Regis Franciæ præcedere debeant omnes, & quoſcunque alios legatos aliorum Regum, etiamſi ſint Legati Regis Hiſpaniæ, qui Catholicus dicitur.* Cumque Reges inter Eccleſiaſticas perſonas ſingulari priuilegio collocentur, licet non ſint Clerici, Rex Galliæ ius Canonicatus habet in omnibus Eccleſijs Cathedralibus Regni ſui, ob iucundum eius ad coronam aduentum. Eſt & Abbas S. Hilarij Pictauienſis, eique in eius Eccleſiæ aditu ſuperpelliceum, cum amiculo villoſo, quod Almutiam vocant, offerri ſolet. *Legimus & Carolum octauum vrbem Cabilonenſem ingredientem, ab Andrea de Poupet fuiſſe veſtitum Superpelliceo, & Almutia inſtar Canonici, eoque amictu ornatum, aliquot paſſus eſſe progreſſum.* Cum autem recens creatum Pontificem Summum ſalutat, non vtitur iis ſtrictiſſimæ Obedientiæ vocibus, quibus alij plurimi Principes, ſed ſe, & ſibi commiſſum diuinitus Regnum, vt & Eccleſiam Gallicanam, ſuæ Sanctitatis fauori commendat & gratiæ. Quò referrur vetus illud dictum, *Sanctitatem Apoſtolicæ Sedis ſic comiter conſeruantes, quemadmodum Principes liberos decet, ſi non æquo iure, certè non vt dedititios, aut fundos.*

In

In Aulicos etiam Regis gratia redundat, illiſque exemptis eſt Magnus Franciæ Eleemoſynarius pro Epiſcopo. Hunc rectè putat Fileſacus ei ſucceſſiſſe, qui olim Regis Capellanus, aut ſacri Palatij Archicapellanus vocabatur. De quo, & ei ſubiectis Clericis, qui Principem ſemper comitabantur, plura eruditè ſcribit, quæ huc inferre neceſſarium non eſt, vt quædam addamus ſcopo noſtro propinquiora. Clericos illos ab Ordinarij cuiuſlibet iuriſdictione immunes fuiſſe, vel illud manifeſtè declarat, quòd alij nonnulli, vt Epiſcoporum ſuorum iugum excuterent, illis ſe ſtudebant adiungere. Hinc profectus Francofordienſis Canon: *De Presbyteris qui contumaces fuerint contra Epiſcopos ſuos, vt nequaquam communicent cum Clericis qui in capella Regis habitant, niſi reconciliati fuerint ab Epiſcopo ſuo.* Et Meldenſis à Fileſaco prolatus, *vt quilibet Canonicorum,* (id eſt Clericorum qui quoquo modo, etiam ſola tonſura, ſunt Eccleſiaſtico Canoni adſcripti) *ad Regiam Maieſtatem venerit, & ſuo ſe voluerit mancipare ſeruitio* (vt inter Clericos Aulicos militet) *conſenſu Epiſcopi, ad cuius Diæceſim pertinere dignoſcetur, cum recipiat.* Quod in alijs Clericis Parochias mutantibus obſeruari ſolitum. Illis hoc tempore ſucceſſiſſe Regij Sacelli Canonicos multæ mihi ſunt, certæque coniecturæ: atque hæc in primis, quòd in tota Gallia, Regia Sacella non reperiantur, niſi ijs in Prouincijs, quarum Principes olim ſummo cum imperio potiti ſunt, vt Pariſijs, Biturigibus, Diuione. Rothomagi autem, Dux Neuſtriæ, cum quatuor in Comitatu Capellanos, ſeu, vt modò vocamus, Eleemoſynarios numeraret, eos Capellæ ſuæ, quæ modo S. Candidi Senioris Parochia eſt, Rectores & Parochos eſſe voluit; qui etiamnum Eccleſiam illam alternis regunt, exemptam ab Ordinarij iure, ipſi exempti, & ab Apoſtolica ſola Sede pendentes. Agnoſcunt interim Lexouienſem Epiſcopum pro Decano, cui eo loco, in proſpectu Metropolitanæ Rothomagenſis Eccleſiæ, Epiſcopaiia, vt aiunt, munia obire licet, & ſacris infulis exornato, tota Parochia procedere.

*Aulici Regis Galliæ exempti.* Lomedé c. 2. n. 1. & c. 4. n. 39. Fileſac. l. de Sacra Epiſ. auct. c. 9. §. 15. *Clericorum Palatinorũ exemptio.* Concil. Francof. ſub Carolo Magno can. 58. *Forte legendum, Epiſcopo ſuo.* Concil. Meldenſe ſub Carolo Caluo can. 58. *Clerici illis ſucceduñt Canonici Sacelli Regij. Parochia S. Candidi Senioris Rothomagi priuilegiũ.*

Nec minùs veteribus illis Superior aliquis conſtitutus eſt; quem Archicapellanum vocari diximus. Nam cum in Concilio Moguntino ſub Carolo Magno Clerici omnes in tres claſſes diuidantur, qui ſunt *in ſeruitio Domini noſtri,* (id eſt Regis) *qui ſub Epiſcopo,* (id eſt proprio ſubditi Epiſcopo, quales non ſunt Aulici) & qui *ſub Abbate,* (eius nimirum nati ſubditi, aut in Monaſterio ſeruientes) omnes illi diſtinguntur à *Clericis vagis, ſeu acephalis, qui ſunt ſine capite.* Habuerunt igitur caput & Prælatum Aulici, virum doctrina, religione, auctoritate primarium, vt Fulradum, vt Hilduinum Monaſterij S. Dionyſij Abbates; vt Angilramnum, ſeu Ingelramnum, aut, vt Hincmarus nominat, Engelramnum Mediomatricum vrbis Epiſcopum, & Hildebaldum Archiepiſcopum Colonienſem: quos & ſacri Palatij Archicapellanos, & Pontificis Romani Priuilegio ab conſtante, & perpetua Eccleſiarum ſuarum habitatione immunes fuiſſe lego, vt in Regis obſequio forent aſſidui. Sic enim habetur in Concilio Francofordienſi. *Dixit etiam Dominus Rex in eadem Synodo, ſe à Sede Apoſtolica licentiam habuiſſe, vt Angilramnum Archiepiſcopum, in ſuo Palatio aſſiduè haberet, propter vtilitates Eccleſiaſticas. Deprecatus eſt eandem Synodum, vt eo modo, ſicut Angilramnum habuerat, ita etiam Hildeboldum Epiſcopum habere debuiſſet, quia & de eodem, ſicut & de Angilramno Apoſtolicam licentiam habeat. Omnis Synodus conſenſit, & placuit eis eum in Palatio eſſe debere propter vtilitates Eccleſiaſticas.* Hic notabis non omnibus Archicapellanis vnam

*Archicapellanus ſacri Palatij, Clericorum Palatinorum Superior.* Concil. Mogunt. c. 22. *Quales fuerint Archicapellani.* Hincmar. epiſt. 3 ad Epiſ. Gall. Concil. Francof. ſub Carolo Magno c. 55. *Immunes à reſidentia.*

communem, ſed ſingulis propriam fuiſſe immunitatem, quoniam fortaſſe rariùs ad id officij admouebantur Epiſcopi, frequentiùs autem Abbates. Deinde hanc immunitatem admiſſam à Synodo, non quòd ita neceſſe foret, ſed quòd eodem in Concilio decretum eſſet, vt nullus Epiſcopus ab Eccleſia ſua abeſſe auderet, *amplius quàm tres Hebdomadas.* Aperta eſt igitur tum dignitas, tum immunitas Archicapellani, vt & ſubiectorum Clericorum, qui cum neceſſitatibus ſpiritalibus Aulicorum inſeruire debuerint, patet etiam Aulicos, neminem alium, præter Archicapellanum, ſeu Magnum Eleemoſynarium, pro Ordinario agnoſcere.

*Imperata eodem Concilio Reſidentia Epiſcopis. c. 14.*

*Idem obſeruatum in Aula Conſtantinopolitana. Codin. c. 17.*

Hoc verò quicquid eſt moris conſuetudiniſque Aulicæ, ductum arbitror ab Imperio Conſtantinopolitano, in quo Clerum Auguſtalem & Palatinum lego apud Codinum ſæpe, ac præſertim in ritu coronati Imperatoris. *Et olim quidem*, inquit, *Eccleſia habebat ſuum Archidiaconum, nunc verò nequaquam: ſed habet illum Clerus Imperatoris. Similiter neque Protopſaltem habet Eccleſia, ſed Domeſticum: Imperatorius Clerus, vtrunque habet. Et quidem Protopſaltes Cleri Imperatoris Exarchus eſt, Domeſticus autem Cleri Imperatricis, Exarchus eſt. Et olim quidem habebat Eccleſia alterum Domeſticum, præter illum Imperatoris, aliquando idem vtrique Clero inſeruit. Quemadmodum Protopapas quoque: habet Imperator Protopapam in ſuo Clero, habet & Eccleſia.* Protopapas, ſimplicium Sacerdotum primus, alter à Patriarcha. Archidiaconus, dignitatis potiùs, quàm Iuriſdictionis nomen, antiquitatis in officio Diaconi, & operæ in eo præſtitæ remuneratio fuit. Clerici Palatini, foris in priuatis ædibus commorantes; tertia circiter noctis vigilia ad Elephantinam portam congregabantur, indeque Eccleſiam intrabant, matutinas preces perſoluturi. Quam occaſionem captantes Leonis Armenij coniurati, nocte dominicæ Natiuitaris, his immiſti Clericis, templum ingreſſi, Imperatorem trucidarunt. Inde factum vt in Aulam penitùs tranſlati, in ea habitarint, vt ſcribit Ioannes Curopalates. Sed hæc obiter.

*Archidiaconus Cleri Imperatorii. Protopſaltes. Protopapas.*

Ioan Curopalat. in Leone Armento.

*Indulta, Senatus Pariſienſis Priuilegium.*

Indulta quoque, grande Senatus Pariſienſis priuilegium, in conſiderationem veniunt, quæ profanam purpuram Eccleſiæ conſecrant, & regale nouæ legis Sacerdotium, non ignobili modo repræſentant: quæ an ad Atemorica Beneficia extendantur, diſputat Choppinus, quem otioſè conſules. *Hæc* & alia longè plura, quæ infiniti laboris fuerit perſequi, præfractè, licet occultè impugnant publici iuris hoſtes, qui Religioſorum priuilegijs bellum nefarium indixerunt.

Vide Petr. Paul. Pari. vol. 4. reſ 40. apud Chopp. l. 1. de Polit. Eccl. tit. 3. n. 16. & tit 7. n. 21.

---

## *EXEMPTIONIS SEV PRIVILEGII DEFINITIO & Diuiſio ſtrictim exponitur.*

## CAPVT XVIII.

*Exemptio immediatorum Prælatorum oſtendit. Priuilegiũ vnde dictũ.*

VAGATVR ergo per omnes Ordines Exemptio, pene dixi, Exceptio: illa inquam Exceptio, quæ in iure dicitur firmare regulam, & ius immediatorum Superiorum eo ipſo oſtendere, quòd ab illo liberat, & aſſerit. Vnde & Priuilegium quaſi priua ſeu priuata lex, priuatis lata, Grammaticis dicitur, voce per ſe quidem ancipiti, & nonnunquam in deteriorem partem ſumpta, ſed modò ad fauorem gratiamque

penitùs

penitùs accommodata. Derogat igitur communi iuri priuata lex illa, & de ſubiectorum turba eximium aliquem ſecernit, ea multitudine per ſeſe contentum. Eiuſdem poteſtatis eſt & ſignificatûs Exemptio, *quæ apud Pontificios eſt vbi aliqua Conuentualis Eccleſia Canonicorum ſecularium, vel Regularũ, Monachorum, vel Monialium immediatè ſubeſt Papæ.* Siue, vt generaliùs definitur à iure Canonico, *Quædam liberatio à poteſtate ordinarij inferioris Papa, ſtante ſubiectione immediatè ad Romanum Pontificem.* Et vniuersè quoties ſupremus arbiter ſacri vel profani iuris, aliquem ab eo ſuperiore, cui lege ordinaria & communi ſubiectus eſt, in aliqua cauſa particulari, vel omnibus vniuersè rebus, ſoluit obedientia illi præſtanda, eumque vel alterius ſuperioris extraordinarij iuriſdictioni, vel ſibi immediatè ſubijcit, toties illum eximere cenſetur, & ille exemptus appellatur. Id à ſuprema poteſtate fieri res ipſa loquitur: eius eſt enim legibus ſoluere, cuius & illigare. Præterea ſubditus ille, ſaltem mediatus, eſſe debet, qui liberatur; is quoque à cuius poteſtate educitur, & is alius cui adiudicatur. Quare Rex ſolus in Regno, Pontifex Romanus in Eccleſia latè patentem habent concedendarum exemptionum poteſtatem, & quaſi ſupremum imperium: quod qui alterutri negat, perduellis eſt. Concilijs quoque Generalibus eadem auctoritas eſt, quia Eccleſiam repræſentant, vt in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio IV. & in Concilio Viennenſi ſub Clemēte V. reformatæ fuerunt exemptiones. Priuatis etiam Epiſcopis ius eſt ſuo iure cedere, & aliqua loca aut perſonas à ſua, ſucceſſorumque ſuorum poteſtate eximere: quod infra factum videbimus à S. Germano, in gratiam Monaſterij S. Vincentij Pariſijs. Sic Landericus Pariſienſis Epiſcopus Hetærarchiæ Sandionyſianæ priuilegium exemptionis dediſſe dicitur, poſtulante Rege. Niuardus Rhemenſis Archiepiſcopus idem ius exemptionis conceſſit Abbatiæ D. Baſilij, regnante Childeberto Rege. Audebertus item Pariſienſis Epiſcopus Baboleni Abbatis ſanctitate permotus, perpetuam à ſua Iuriſdictione exemptionem dedit Abbatiæ S. Mauri de Foſſatis. Fuitque id priuilegium à Clodouæo II. Francorum Rege confirmatum, communi conſenſu & iudicio Archiepiſcoporum quatuor, & ſeptem Epiſcoporum, in Concilium Gallicum, eo tempore celebratum, conuocatorum. Cuius & meminit Iuo Carnotenſis monens Gualterum Abbatem S. Mauri, vt ſuæ iuriſdictionis priuilegium in ſuos Monachos tueatur.

*Quid ſit Exemptio.*
Vide Caput Cum perſona. de priuil. in 6. & ibi interpretes.
*Superiorũ eſt eximere.*
Vide Cap. Cum & plantare. de Priuileg. c. Volentes item de priuil. in 6. C. Cum olim. C. ad noſtram. de Cenſibus. C. frequēs de excell. Prælat.
*Epiſcopi Monaſterijs exemptiones dederũt.*
Aimoinus l. 4. hiſt. Fran. c. 41. Flodoard. l. 2. hiſt. Rhem. c. 7. Iuo Carn. ep. 104.

Si quis ergo quærat quot ſint, aut eſſe poſſint exemptionum ſpecies: Facilis eſt reſpōſio, quot iurium, ſaltem humanorum. Habent autem ordinarij ſuperiores ius aliquod in loca, aliquod in perſonas. Principis ius eſt reum ſubditum quocunque deprehenderit loco vincire & punire: immunis eſt antiquo priuilegio Eccleſia & ara, vnde nemo per vim abſtrahi poteſt. Quod aſylum cum violaſſet, repugnante fruſtra Chryſoſtomo, Conſul Eutropius ſub Arcadio, idem ipſe poſtmodum, volente Deo, experiri coactus eſt, Chryſoſtomo eodē propugnante. Ius habet Guillelmus Comes eiuſque hæredes in Cluniacum villam, ſed illo iure cedit vir pius in Religioſorum S. Benedicti gratiam, & Ludouicus Rex iubet, vt *ſit locus ipſe, iuxta quod ipſe VVillermus ſub terribili & magna adiuratione conſtituit, ab omni ũ ſeculari dominatu tam Regum cunctorum, Principum, ſeu propinquorum eiuſdem VVillermi, quin & omnium, penitus liber & abſolutus.* Fideles omnes communi iure, ſpiritali Epiſcoporum ſuorum poteſtati ſubiecti ſunt. At Reges Franci ab omni Iuriſdictione ſunt exempti, & nulli

*Exemptionũ diuiſio.*
*Locorum exemptiones, & perſonarum.*
*Præceptum Ludouici Regis, habetur* in Biblioth. Clun. p. 6. ann. 939.
*Regũ priuilegium.*

Ioan. Ferr. de Iur. & priuil. In 6. priuilg. Extrau. de priuil. c. Meruit.

prorſus in regno ſuo ſubiecti poteſtati tam temporali, quàm Eccleſiaſticæ, & docet Ioannes Ferraudus, huius iuris & priuilegij Officiarios regios, pro actu & exercitio regalis iuriſdictionis eſſe participes. Alexander II. Pontifex, de Cluniacenſibus iiſdem decreuit, *ne cuiuſcumque Epiſcopi maledictionis, vel excommunicationis vinculo teneantur adſtricti.*

Alexan. 2. Bulla Cum omnium. habetur in Biblioth. Cluniac. pag. 508.

*Exemptiones vniuerſales.*

Ioan. Lomedè c. 2. n. 2.

Chopp. li. 3. de Polit. Eccl. tit. 8. n. 2. 3.

*Priuileg. Monaſterij S. Germani Pariſiis.*

Habetur in Choppino l. 1. de Iur. R. li. n. 19. Chop. cit.

*Exemptiones particulares.*

Lomedè c. 2. n. 3.

Ordinarij pleno iure perſonis imperant, vel locis. Ab eo nonnullos ſoluunt exemptiones, aut vniuerſales, aut particulares. Illæ, ſi loca vel perſonæ, cum vniuerſitate iuris, immediatè dependent, & ſpectant ad Papam, ita vt Primates, Metropolitani, Archiepiſcopi, & Epiſcopi, nullo in eas iure vtantur. Quod priuilegium Capitulis à pluribus Pontificibus conceſſum eſſe ſcimus: quibus quidem cum ſcribit Epiſcopus, non vtitur voce, *Mandamus*, ſed alia mitiori, *Rogamus*, vel vtramque omittit. Monaſterium S. Germani Pratenſis in Vrbe, antiquiſſimo immunitatis diplomate eandem libertatem oſtendit, ſcribente magno Germano Pariſienſi Antiſtite, in philyra quæ etiamnum aſſeruatur. *Sancimus vt nullus Metropolitanus, aut Suffraganeus eius, cauſa alicuius ordinationis illuc ingredi præſumat: niſi ſolummodo ab Abbate eiuſdem loci vocatus venerit ad miniſterium ſanctitatis celebrandum, &c. Decreui etiam per hanc chartulam immunitatis & ceſſionis, meam Baſilicam Domni Vincentij, ſupra nominatam ſine geſtorum obligatione manere.* Hoc eſt *ἀνυπεύθυνον* eſſe, & immunem à ratione factorum ſuorum Ordinario reddenda. In talibus enim Monaſterijs, in Ordinarij vicem ſuccedit Abbas, & eius iuriſdictionem pleno iure exercet, iiſdem cum Epiſcopo iuribus & prærogatiuis gaudens, idemque ius in Eccleſias à ſua pendentes acquirens. Particulares exemptiones eæ ſunt, quæ ab certis quibuſdam, non ab omnibus vniuerſè iuribus ſubditos liberant. Sic Archiepiſcopus Senonenſis, Clericos Eccleſiæ ſuæ prætendit exẽptione non iuuari, tribus caſibus, videlicet vtraque lepra, hæreſi nimirum, & morbo corporali, & ſimonia.

*Exemptiones à temporalibus, & ſpiritalibus.*

Petr. Greg. in Synt. Iuris. l. 2. c. 25. n. 10.

*Immunitas Clericorum.*

Ibid. c. 28. n. 5.

Ordinariorum iura ſunt temporalia & ſpiritalia. Ab vtriſque nonnulli eximuntur. De ſpiritalibus iam dictum. Temporale ius v. gr. decimæ ſunt, antiquitus Epiſcopo datæ, in iuſtam remunerationem onerum, laborumque quos ſubit; quodque tunc eſſent Epiſcopi pauperes, nec proprij reditus ad ſumptus ſufficerent, *Qua ceſſante nunc cauſa*, inquit Petrus Gregorius, *& illorum prouentibus auctis, portiones illis præſtari ſolitæ, relictæ ſunt proprijs vſibus, & reparationi ſuarum Eccleſiarum.* Hac in re aperta eſt Clericorum immunitas, qua prohibuit Bonifacius VIII. *Tributa, indictiones, Canones, & onera illa imponi Clericis, etiam pro rebus ab illis poſſeſſis. Sed quia illa conſtitutio in odium Regis Galliæ facta fuerat, reuocata eſt per Clementem V. in Concilio Viennenſi, & reſtitutum ius antiquum, quod promulgatum ante fuerat in Concilio Lateranenſi: quo quidem non licet Laicis imponere collectas vel ſubſidia angariarum & ſimilia, niſi in cauſa neceſſitatis ob communem vtilitatem, & conſulto Summo Pontifice.* Inter exemptos quoque veniunt Monachi Ciſtercienſes, Templarij, & Hoſpitalarij, apud eundem Gregorium, *Qui non ſoluunt decimas laborum ſuorum, nec eorum quæ colunt proprijs manibus, vel proprijs ſumptibus. Fratres Minoritæ, & Prædicatorij ordinis, de hortorum fructibus etiam decimas non ſoluunt: at non extenditur priuilegiũ, ſi alijs colenda prædia dent.*

*Immunitas Ciſtercienſium.*

Ibid. c. 24. n. 7.

*Ab honore præſtando Epiſcopis nulla exemptio.*

Ordinarijs iure debetur honor, vel ſubiectio. Ab honore præſtando, nemo Chriſtianus eximi poteſt, iubente Apoſtolo perſolui *cui honorem, honorem*, quin etiam inter pares *honore inuicem præuenire.* Quantò ergo magis Hierarchis deferri debet, quos conſtituit Deus *Principes ſuper omnem terram,*

Principum

Principum filios, & legitimos ſucceſſores? De Pauliniano ſcribit S.Hieronymus ad Ioannem Hieroſolymitanum : *Quòd ſi hic etiam eſſe voluerit, & in exilio noſtro quietus, in ſolitudine viuere, quid tibi debet niſi honorem, quem omnibus debemus Epiſcopis?* Nam exempti à Iuriſdictione Ordinarij, vel ſui Superioris, non cenſentur exempti ab obſequio reuerentiali. Quo ex axiomate verè Chriſtianeque pronunciant Gallicanarum Immunitatum ſcriptores ante citati, *Galliam nullo priuilegio, nulla immunitate S.Sedis contemnenda, diſciplinæ Eccleſiaſticæ corrumpendæ, ſanctorum Canonum violandorum fuiſſe: & ſi quid corruptis ſeculis ab aliquo factum eſt, id abuſum, non conſuetudinem appellari debere.* Denique iure optimo quoſdam video reprehendi Monachos in Concilio Aquiſgranenſi 2. parum Antiſtitum ſuorum reuerentes. *Monachi interea non debent paruipendere Paſtores ſuos in cuiuſque Parochia conſiſtentes, ſicut aliqui faciunt.* Hos arbitror exemptos fuiſſe, & priuilegijs inſolentèr vſos, eas neglexiſſe perſonas, quibus non eſſent ſubditi. At iura quædam honoraria videmus cum iuriſdictione coniuncta, quæ præſtare debent qui exemptionis illius priuilegio non perfruuntur. Qua in re memorabilis cauſa eſt Catalaunenſis Epiſcopi, eiuſque Eccleſiæ Capituli, ſuperiore ſeculo ventilata, proüt à Ioanne Lomedè refertur. Negabat enim Catalaunenſis Eccleſia Epiſcopo ſuo, non ſolùm Iuriſdictionem, ſed etiam ſedem in choro, locum in capitulo, cathedram, & omnia iura Epiſcopalia in Eccleſia Catalaunenſi, ac ſi ſolùm fuiſſet Chorepiſcopus. Quod cum Epiſcopo videretur indignum, lite apud Senatum Pariſienſem obtinuit, ſedem eminentem in Eccleſia ſua ad inſtar ſedis Epiſcopi Pariſienſis, munuſque prædicationis Capitulo irrequiſito exercere, aut alijs committere, Capitulum inrroïre, duntaxat quoties de bonis Eccleſiæ, ſiue obſequio Regis ageretur. In reliquis exemptionum iuribus conſeruatum eſt Capitulum. Simile aliquid nuperrimè vidimus, cum in Abbatia S.Vandregiſili Illuſtriſſimo Rothomagenſi Archiepiſcopo, viſitationem ex more inſtituenti, ab Monachis interceſſum eſt, nouam exemptionem, ex quo Cluniacenſem & S.Mauri congregationem reformatam inierant, obtendentibus; & ſi res arbitrio prudentum terminaretur, omnia honorifica iura, etiam cum Iuriſdictione coniuncta, vt ſolennem cum proceſſione ingreſſum, auguſtiſſimæ Euchariſtiæ viſitationem, domus exterioris luſtrationem, debitam pecuniæ ſummam offerentibus, vno tantùm excepto Scrutinio. Quæ conuenti forma, Eminétiſſimo Cardinali Richelæo Ordinis Capiti & Prorectori æqua viſa eſt, & eius interuentu, in eas leges inter illos concordia reſtituta.

Hieron. ep. 61.

Ioan. Lomedè c. 4. n 8.

*Nullum priuilegium eſt contemnendæ Sedis Apoſtolicæ.*

Immunit. Gallican. ſcriptores ſupra cit.

Concil. Aquiſg. 2. can. 5 de vita infer ordin.

*Cauſa Epiſcopi, & Capituli Catalaunenſis.*

Ioan. Lomedè c. 4. n. 10. & c. 5. n. 2.

Lex Epiſcopalis duplex eſt, vna Iuriſdictionis, alia Diœceſana; ad illam pertinet animarum curæ conceſſio, criminũ cognitio, conſecratio, omniumque Sacramentorum & Ordinum collatio. Hæc eos non complectitur, qui extraordinariam à Summo Pontifice curandarum animarum poteſtatem accipiunt: qui ad forum Epiſcopale cauſam dicturi trahi non poſſunt: qui ordines percipere permittuntur à quocunque Reuerendiſſimo Antiſtite gratiam & communionem ſanctæ Sedis Apoſtolicæ habente. Hoc in propoſito monet Ioannes Lomedè, plurimis SC. ſupremæ Parienſis Curiæ, Clericos criminum reos ad proprium Abbatem, tanquam iudicem naturalem remiſſos, nec Epiſcopo Diœceſano addictos fuiſſe. Ad alteram legem ſpectat Synodum conuocare, cathedraticum, & quartam mortuorum, & aliorum iurium percipere; à qua lege Diœceſana Monaſteria ſunt exempta.

*Exemptio à lege Epiſcopali.*

Gloſſa in c dilectus de offic. ordin.

Lomed. c. 1. n 17

Item Lomedè c. 2. n. 10.

## *PRÆCIPUÆ QUÆDAM EXEMPTIOnum cauſa referuntur.*

## CAPVT XIX.

*Non ſine cauſa dantur immunitates.*

QVAMVIS ſuprema poteſtas omnia ad arbitrium ſuum mouere poſſit, reſertique ſint qui dicerent, *Si libet, licet*; rectè tamen omni æuo modeſti Principes ſummum ius ſummam crucem putauerunt; & ſapientiſſimi quique quò plus in magna fortuna ſibi licere viderunt, eò minùs libére voluerunt. Itaque illas ab Ordinariorum Iuriſdictione immunitates, non gratiæ & amicitiæ, ſed magnis & grauibus cauſis dederunt Chriſtianitatis arbitri Pontifices Romani, quarum aliquas hic commemorare neceſſarium eſt.

*Pontificis auctoritas vniuerſalis.*

I. Pontificem ipſum tangit, vt conceſſione priuilegiorum, ſuam orbe toto Catholicam & Oecumenicam auctoritatem probet, & tueatur. Hoc prònunciatum nulla meliùs quàm Maucleri Doctoris Pariſienſis oratione poteſt efferri. *Ex quibus maximum* (inquit auctoritatis Pontificiæ deuotus aſſertor) *licet argumentum deducere. ſupremam in vniuerſali Eccleſia Romani Pontificis Monarchiam confirmandi; quam tot Eccleſiæ ſanctæ lumina, tot micantia diuinis virtutibus in cælo Chriſtiano ſidera, tot cæleſtes homines, tot terreſtres Angeli, vitæ, profeſſione, moribus, doctrina, obedientia, obſequio, cultuque ſummo Sedi Apoſtolicæ exhibito comprobarunt. Qui in ſuis votis ac profeſſionibus nihil aliud eſſe deſiderant, niſi quod eos firmando, Monaſticæque eorum inſtitutioni conſentiendo Sacroſancta Romani Pontificis Maieſtas eſſe voluit.* Illos enim vndecumque diſperſos, & patriæ iure huic atque illi particulari Prælato ſubditos, tanquam in vnum imperij Hierarchici globum contrahere, & omnibus imperare, quorum ſingulis ſinguli tantùm Hierarchæ imperant, vniuerſalis eſt Patriarchæ, & ſupremæ poſt Chriſtum & Deum poteſtatis. Ab hac ratione non procul abludit Ioannis Lomedè dictum, poſtulare primæ ſedis auctoritatem & dignitatem, vt immediatis ſubditis quamplurimis, atque diuerſarum nationum abundet.

*Eximia Maucleri doctrina de Monarch. Eccl. P. 2. l. 5. c. 13.*

*Obiectio ex S. Bernard. l. 3. de conſid. c. 4.*

Scio rationem hanc D. Bernardo non probari, dum ſcribit ad Pontificem, *Quid tam indignum tibi, quàm vt totum tenens non ſis contentus toto, niſi minutias quaſdam atque exiguas portiones ipſius tibi creditæ vniuerſitatis, tanquam non ſint tuæ, ſatagas neſcio quomodo adhuc facere tuas?* Verum id honorificè fieri, tum veteres Pontifices, vt D. Gregorius, vt Zacharias, & ſimiles: tum Reges demonſtrant, qui cum olim ius ipſi redderent, etiam tenuiſſimis quibuſque: nunc alijs conſtitutis iudicibus, tanquam Vicarijs, aliquorum cauſas à ſua nihilominus cognitione volúnt pendere. Quod ſi S. Bruno, Tullenſis Epiſcopus, qui poſtea in Pontificatu Leo IX. appellatus eſt, vniuerſali Patriarchatu, quem in Romana Cathedra gerebat, indignum non putauit, ſic

*Reſpondetur obiectioni.*

*Egregium factum S. Brunonis Epiſcopi.*

perſeuerare

perſeuerare affectum in primam Eccleſiam, vt & titulum eius, & ſpecialem tutelam retinuerit, & has in partes eam viſitandi cauſa redierit; quod in eo meritò laudat Sauſſayus optimus virtutum æſtimator; cur alij Pontifices nimis humile & abiectum exiſtimabunt, nonnullarum Eccleſiarum, & Cœnobiorum, peculiarem per ſe ſuoſque curam gerere?

Andreas Sauſſayus Martyrol. Gallic. ad 19. April.

Huc reducitur conſimilis immunitatum ratio, Maior futura pietas exemptorum erga Petri Cathedram, cuius meminit Clemens VII. Eccleſiam Pariſienſem eximijs honorans priuilegijs. *Illam volentes Apoſtolicu præſidijs communire, & gratijs honorare condignis, vt perſonæ degentes in ea, eò libentiùs diuinis miniſterijs intendant, dictamque ſedem Apoſtolicam eò maioris deuotionis promptitudine ſtudeant reuereri, quò ipſæ, & eadem Eccleſia maiori fuerint libertate donata: dictam Eccleſiam eximimus*, &c. Quas cauſas repetit idem Pontifex in exemptione Eccleſiæ Cœnomanenſis, ob S. Præſulis Iuliani reuerentiam, *nec non conſideratione cariſſimi in Chriſto filij Caroli Francorum Regis, ipſius Eccleſiæ Canonici præbendati, dignu extollere titulorum inſignijs, & amplis dictæ ſedis præſidijs communire, vt perſonæ in eadem Eccleſia degentes, eò diuinis obſequijs, votis feruentioribus, intendant, dictamque ſedem eò maioris deuotionis affectu ſtudeant reuereri, quò ipſæ, ipſaque Eccleſia donata fuerint maiori libertate, Eccleſiam ipſam*, &c. Quid verò æquius, quàm ſupremum Chriſtianitatis tribunal à quamplurimis adiri, & ab ipſo ſanctuario veritatis oracula ſæpiſſime accipi? Quid glorioſius, quàm Principem Paſtorũ, cui ſoli ſummum ius eſt in omnes Chriſti oues, ius peculiare in Reges, Antiſtites, Eccleſias totas, ordines Religioſorum integros ſolum vnicumque poſſidere? Nonne Deus cuius *eſt terra & plenitudo eius, orbis terrarum & vniuerſi qui habitant in eo*, priuatum olim è gentibus omnibus populum elegit, cui diceret paterno affectu, *ſeruus meus es tu Iſraël, quia in te gloriabor?* Num in eius populi ſalutem & gloriam omnia potentiæ ſuæ miracula explicauit? cumque per ludibrium *Deus montium, & non Deus vallium* appellaretur, ingentes hoſtium exercitus per *duos paruos greges caprarum* funditus deleuit? Quàm multos hæreticorum libertinorumque filios videremus Pontificiam poteſtatem Alpibus, aut Vaticano monte terminantes, niſi ea in hiſce priuilegijs, licet ſemiputata ſentiretur? Tolle Capitulorum, Religionumque immunitates, quid erit apud Acephalos & filios Belial, Roma, niſi vanum nomen, & veteris idolum potentiæ?

*Pietas in ſedem Petri.*

Clemens 7. Bulla Nos ad Eccleſiam an. 1386. habetur in Choppi. l. 1. de polit. Eccl. tit. 5. n. 8. & Lomedè c. 4. n. 8.

Clemẽs 7. Bulla Vouentes Eccleſiã. apud Chop. cit.

*Rex Francorũ Canonicus Præbendatus Cenomanẽſis Eccleſiæ.*

II. Ipſius Eccleſiæ commodum & vtilitatem ſpectat. De Romanis olim priuilegijs ſcribebat Nicolaus I. ad Gallicanos Epiſcopos. *Priuilegia ſedis Apoſtolicæ, tegmina ſunt, vt ita dicamus, totius Eccleſiæ Catholicæ: priuilegia inquam huius Eccleſiæ munimina ſunt circa omnes impetus prauitatum.* Expedit igitur vt primario priuilegio cauſas, & perſonas ſibi reſeruet Pontifex; imo vt priuilegia priuatis conferat, de quibus optimè diſſerit Ioannes Lomedè, *Si exemptiones ſtatui Eccleſiæ obfuiſſent, non eſt veriſimile decreta ſummorum Pontificum, & Conciliorum, ac ſummarum Curiarum, & Senatuum innumeris iudicijs & arreſtis approbatas fuiſſe, nec tot inſignes Prælatos Eccleſiæ, Imperatores, Reges, ſuoſque Iudices, & maximè Senatus Curiaſque ſupremas tandiu caligaſſe.* Scimus à nonnullis ingenij Gallici vel ignaris, vel hoſtibus, religioſo prætextu Eccleſiæ Gallicanæ immunitates reprehendi, tanquam vanas, & Eccleſiæ vniuerſalis vnitati contrarias, hæreſeoſque, ſub qua gemere ſe ſentit, ſuffragatrices: cum ex aduerſo ingenua illa ſimplicis nationis libertas, & impatiens

*Eccleſiæ vtilitas.*

Nicol. 1. ep. 21. ad Epiſc. Syn. Syluanect.

Ioan. Lomedè c. 4. n. 36.

*Immunitates Gallicanæ Eccleſiæ proſunt Romanis Pontificibus.*

nimiæ dominationis animus; obſequentiſſimos filios maximè deceat: pluſque Pontifices ab Gallis ratione, & honeſtis poſtulationibus ſemper impetrarint, quàm ab aliis ſeruilis ingenij nationibus mero imperio, & pœnarum intentatione extorſerint. Teſtis temporum hiſtoria, quæ ſemper Francos Reges Petri Cathedræ adamantino vinculo colligatos fuiſſe demonſtrat, Regnis alijs proüt negotiorum opportunitas poſtulabat, Romanam ſedem omni nonnunquam bellorum diritate vexantibus. Bonifacij octaui tempora excipio, cuius Extrauaganti Clemens V. pacis amantiſſimus ſucceſſor, celebri illa Clementina ſic derogauit, vt negaret ſuperiore Bonifacij Bulla quicquam in Regno Francorum innouari. Teſtis Pontificum Romanorum ſenſus, qui ſemper *exaltationem Regni Francorum, ſublimationem Apoſtolicæ ſedis reputarunt.* Quod nuſquam de Regnis aliis, neque de ipſo Imperio legas iudicatum. Teſtis Otho Friſingenſis, qui Francorum, præter alios populos, immunitatem non inuitus agnoſcit, ſcribens. *Ex hinc Romana Eccleſia Occidentalia Regna tanquam ſui iuris à Conſtantino ſibi tradita affirmat; in argumentumque tributum exigere non dubitat, exceptis duobus Francorum Regnis.* Vnde tanquam ſocio, aut filio beneuolenti, non vt ſeruo, Ludouico II. Imperatori Franco ſcribit Leo IV. *Nos ſi incompetenter aliquid egimus, veſtro, ac Miſſorum veſtro iuditio cuncta volumus emendari.* Iam Religioſorum priuilegiorum ſpiritalem vtilitatem clamat omnis Eccleſia, reſonāt templa & aræ, & ſi quis in iſto ſole cæcutit, elleboro curandus eſt, non rationibus; quas bene multas & validas S. Bonauentura ſubminiſtrat. Temporale autem commodum id maximè probat, quod, vt infra videbimus, ea eſt Fundatorum nonnullorum voluntas in Monaſterijs extruendis, vt ab omni Iuriſdictione priuati Epiſcopi ſint immunia, quæ ſi libertas negetur, eodem momento ædificandi dotandique Cœnobij ſtudium euaneſcat.

Otho Friſingenſ. in Chro. l. 4 c. 3.

Cap. Nos ſi incompetenter. 2. q. 3.

*Religioſorū priuilegia in Eccleſiæ commodum cedunt.*

Vide S. Bonauent. li. quare Frat. Min. præd. & confeſſ audiant.

Ioan. Lomedè c. 4. n. 4

III. Priuilegijs ornatos mirum in modum extollit. Merita videlicet ipſa, vel perſonarum priuatarum, vel Communitatum, quæ debita grati animi ſignificatione proſequitur Eccleſia, & quod poteſt gratiæ fauoriſque pulcherrimis laboribus rependit. Hic eſt laudatæ Clementinæ ſenſus, pro Regni Gallicani iuribus & priuilegijs conſeruandis. *Meruit*, inquit Pontifex, *chariſſimi filij noſtri Philippi Regis Francorum ſynceræ affectionis ad nos, & Eccleſiam Romanam integritas, & progenitorum ſuorum præclara merita meruerunt: meruit inſuper Regnicolarum puritas, ac deuotionis ſynceritas, vt tam Regem, quàm Regnum fauore beneuolo proſequamur, &c.* Quid quòd Alexander III. Pariſios ſolenni pompa ingreſſus, & in Epiſcopatus clauſtro delecta domo exceptus, quæ ad Canonicos pertinebat, hoc beneficij genus erga Principem Eccleſiæ præſtitum, ſufficere credidit inter cæteras cauſas, ad priuilegium exemptionis Eccleſiæ Pariſienſi concedendum? De Religioſis hoc loco tacere me cogit modeſtia, cum illis Pontifices vix leue vllum priuilegium priuato diplomate dent, confirment-ve, abſque honorificentiſſima præfatione, & grauium meritorum commemoratione.

*Merita exēptorum.*

*Regis & Regni Chriſtianiſſimi meritis data priuilegia.*

*Cauſa conceſſæ immunitatis Eccleſiæ Pariſienſ.*

Chopp. de polit. Eccl. l. 1 tit. 3. n 8.

Lome. c. 4. n. 8.

*Religioſi priuilegia ſua meruerunt.*

IV. Sacrorum hominum quieti & tranquillitati conſulit. Nempe ſubditorum violentæ oppreſſioni, ab exemptionibus paratum fuit remedium; vt primò rei temporalis adminiſtratio nonnullorum cupiditati, deindè regiminis ſpiritalis cognitio ambitioni eriperetur. Apud profana quoque Tribunalia, idem perfugium miſeris conceſſum docet Ioannes Lomedè, *& ob id Senatus*

*Tranquillitas ſubditorum*

C. Ita nos. 25 q. 2.

*tus Galliæ, regia vice fungentes, multos ſubditos Laicorum & dominorum tempora-* Ioan. Lomedè c. 1. n 6
*lium, ab eorum Iuriſdictione exemptos pronunciaſſe.* Scio eximendis Capitulis hanc
non taro cauſam obtendi; ſed longè crebrior apertiorque in Monaſterijs re- *Ea cauſa in Religioſis frequentiſſima.*
peritur, puſillo grege iniurijs potentiorum ſemper obnoxio. Vix enim à con-
ſtituto Monachatu, ætatem vllam reperies, qua qui Monachos & Religio-
ſam vitam profeſſos homines, *in ſeruitutem redigit, qui deuorat, qui accipit, qui*
*extollitur, qui in faciem cadit, non arbitretur obſequium ſe præſtare Deo*, quod ſe in *Petri Aurelij dictum.*
Ieſuitarum cauſa liberè aliquando profeſſum eſſe, meminerit Petrus Aure-
lius. Mirari certè frequenter mihi contigit, hanc ab antiquo afferri apud plu-
rimos ſcriptores rationem immunitatum: vt cum reprehenſus Petrus Clu- Pet. Clun. l. 1. ep. 28. ad Bern.
niacenſis, quòd proprium Epiſcopum habere refugiat, reſpondet, *Romanos*
*Pontifices Monachorum quieti prouidentes, in multis à iugo Epiſcoporum libera eſſe*
*Monaſteria decreuiſſe, vt Monachos ab Epiſcoporum oppreſſionibus liberarent.* Quod
pluribus S. Gregorij dictis confirmat, & in primis Epiſtola ad Caſtorium Ari-
minenſem. *Luminoſo Abbate referente, plurima in Monaſterijs multa à Præſulibus* Greg. l. 5. ep. 43. Ind. 14.
*præiudicia atque grauamina, Monachos pertuliſſe comperimus: oportet ergo vt tua fra-*
*ternitatis prouiſio, de futura quiete eorum ſalubri diſponat ordinatione.* Et peculiari-
ter Marinianum ex Abbate Rauennatem Epiſcopum, minùs æquum & be- Idem l. 5. ep. 25. Ind. 14.
nignum aduerſus Monachos exiſtere conqueritur. *Cum ergo Monaſteria te opor-*
*teat defenſare, & Religioſos illic ſummopere congregare, vt lucrum de animarum congre-*
*gatione poſſis efficere, in eorum te, è diuerſo, grauamine, ſicut literæ tuæ teſtantur, deſi-*
*deras exercere.* Eidem Mariniano ſcribens alibi, Monaſterium Claſſitanum ali- Idem l. 7. ep. 18 Ind. 1 habetur 18 q 2. c. Quàm ſit.
qua ex parte ab Epiſcopali Iuriſdictione abducit, hæc præfatus. *Quàm ſit neceſ-*
*ſarium Monaſteriorum quieti proſpicere, & de eorum perpetua ſecuritate tractare, ante-*
*actum vos officium, quod in regimine Monaſterij exhibuiſtis, informat.* Quem locum
aliter citat idem Petrus Venerabilis, eodem in propoſito. Petrus Bleſenſis in
perſona Cantuarienſis Epiſcopi, apud Alexandrum III. de Malmeſburienſi Petr Bleſ. ep. 68.
Abbate conqueritur. Atque ad Epiſtolæ calcem, *Scimus equidem*, inquit, *quòd*
*ob quietem Monaſteriorum, & Epiſcoporum tyrannidem, has exemptiones plerumque*
*Romani Pontifices indulſerunt.* Hanc epiſtolam pene totam exſcripſit Franciſcus *Mala fides Franciſci Hallier in hoc loco citando in vin p. 550.*
Hallier: ſed ad concluſionem hanc cum peruenit, tanquam ad aſpectum Me-
duſæ, totus obriguit, eamque prætermittente clauſula & ſignauit, vt ab le-
ctorum oculis amoueret, non quidem duriorem illam, & Bleſenſis ſtylo con-
cedendam *tyrannidis* vocem; ſed legitimam priuilegiorum inducendorum
cauſam, quæ ipſe ab Eccleſiæ vſu ſublata percupiat. Neque ſingulares tan-
tùm Doctores, ſed & Concilia ipſa, reos iniuriarum Epiſcopos iudicarunt.
In Toletano ſiquidem legimus expreſsè. *Nunciatum eſt præſenti Concilio, quòd* Concil. Toleta. 4. c 51.
*Monachi Epiſcopali imperio ſeruili operi mancipentur, & iura Monaſteriorum contra*
*conſtituta Canonum, illicita præſumptione vſurpentur, ita vt penè ex Cœnobio poſſeſ-*
*ſio fiat, atque illuſtris portio Chriſti ad ignominiam ſeruitutemque deueniat.* In Anglia Beda hiſt. Angl. l. 4. c. 5.
Concilium Herudfordienſe coëgit Theodorus Archiepiſcopus, cuius tertium
decretum fuit, *vt quæque Monaſteria Deo conſecrata, nulli Epiſcoporum liceat ea in*
*aliquo inquietare, nec quicquam de eorum rebus violenter abſtrahere.*

## *ALIÆ QVÆPIAM EXEMPTIONVM CAVSÆ Religioſis peculiares.*

§. Vnicus.

*Voluntas fundatorum.*

DATÆ ſunt & Religioſis immunitares, ob cauſas aliquas cum cæteris non communes: quarum prima cenſeri poreſt, Fundatorum voluntas, qui ea tantùm lege facultates ſuas Monachis legarunt, dummodo Monaſteria vni Romano Pontifici ſubderentur. Qua in re celebris eſt Cluniacenſis Monaſterij fundatio, de qua Perrus Venerabilis Apologiam texens, quòd Epiſcopo proprio non eſſet ſubiectum. *Hæc ipſi* (Romani Ponrifices) *ita condiderunt, non vt hanc, de qua loquimur, Cluniacenſem Eccleſiam alteri Epiſcopo priùs eam poßidenti auferrent, ſed à Fundatoribus, qui eam in proprio alodio conſtruxerant, rogati, in propriam retinuerunt, atque ſoli Romano Pontifici eam in æternum ſubiacere decernentes, pluribus hoc priuilegijs confirmarunt.* Pluribus ante ſeculis Childebertus Cœnobium S.Vincentij Pariſijs fundauerar, eadem lege exemptionis ab omnibus Ordinarijs, vt patet ex ijs quæ de illo ſupra rerulimus. Eadem lex eſt fundarionis Abbatiarum D. Cornelij Compendij, & D. Medardi apud Sueſſiones. Ne quod tamen Epiſcopali auctorirati, & iuri præiudicium inde creatum exiſtimes, eo in regno, in quo ſeuerè ſemper Eccleſiaſticæ Hierarchiæ ſeruatus eſt ordo, decretumque ante S.Gregorij pontificatum Arelatenſi Concilio, *Vt Monaſteria, vel Monachorum diſciplina, ad eum pertineant Epiſcopum, in cuius ſunt territorio conſtituta*; norabis eam Monaſtici iuris ſubtractionem, ſine Epiſcoporum conſenſu, ſaltem raciro, factam non fuiſſe.

Petr.Clun. l. 1. ep. 28. ad Bernar.

Concil. Arelat. 5. can. 2.

*Exemptiones Monaſterijs data cum Ordinariorum conſenſu.*

Tacitum eſſe oportuit in Cluniacenſi fundatione, cum in ea non appareat, cumque S.Hugonis Abbatis tempore, Drogo Matiſconenſis Epiſcopus, ſuper ea re litem mouerir, ab Perro Damiani compoſiram. Ar in Monaſterio S.Vincentij Pariſienſis, id ipſum à Sancto Germano Epiſcopo fundatore poſtulatum ſupra vidimus: idem in S. Medardi Cœnobio, S. Gregorius credere nos iubet, cum ſcribit, priuilegia ſe decernere *conſenſu omnium Romanorum Pontificum, & voluntate totius Senatus Romani, ſuadente viro Apoſtolico Anſerico Sueſſorum vrbis Pontifice, & omnium Galliæ Epiſcoporum fauente iudicio.* Antiquum eſt & Corbeienſis Monaſterij priuilegium, poſtularu Clotarij Regis III. à Bertefrido Ambianenſi conceſſum. Quod ne rantùm ad temporalia bona pertinere puremus, additur in diplomate, *Neque vlla alia poteſtate in ipſo Monaſterio vtatur, vt diximus, neque in Monaſterio, ſeu in rebus aut ornamentis ipſius, neque in perſonis; dum tanti glorioſiſſimi Principis petitio interceßit, vel quia ipſi Monaſterium ipſum conſtruxerunt, & ditauerunt*, &c. Quod ſe profiterur facere Agaunenſium exemplo, *quod velut iſtud, regio munere eſt ditatum: & Lirinenſium; vel Baſilica Domni Marcelli, imoque & Monaſterium Luxouienſe hoc videntur habere conceſſum.* Concludirque, *quia nihil de canonica auctoritate conuellitur, quicquid domeſticis fidei pro tranquillitate pacis, vel pro reuerentia Sanctorum tribuitur.* Idem ex eo confirmatur, quòd aliqua reperire eſt Monaſteria, in quæ Anriſtites iuris ſibi aliquid reſeruarunr. Nam de Euaſenſi Cœnobio ſcribit Ponrifex *In priuilegio Alexandri Papæ quiddam aliud continetur, per quod Diæceſanus Epiſcopus in eodem Cœnobio iuriſdictionem ſuam, etſi non in omnibus, in quibuſdam tamen retinuiſſe*

Biblioth. Cluni. ſub Hugone Abbate fol. 510.

Grego. l. 2. Indict. 11. poſt ep. 38.

Habetur tom 1. Concil. Gallic. fol. 502.

*Nihil de canonica auctoritate conuellitur in priuilegijs Religioſorum.*

C. ex ore de Priuil.

*nuiſſe videtur.* His addo & eiuſdem temporis immunitatem, Maiori Monaſterio S. Martini apud Turones datam ab Adeodato Pontifice; in quo ad Abbatis ſupplicationem narrat ancipitem ſe ac dubium hæſiſſe, *idcirco quod mos, atque traditio ſancta noſtra Eccleſiæ, plus non ſuppetat à regimine Epiſcopalis prouidentia religioſa loca ſecernere.* Sed deinde viſo Crotberti Turonenſis Archiepiſcopi, & *aliorum per Gallicanam prouinciam conſtitutorum Antiſtitum conſenſu*, calculum ipſe ſuum adijciens Papa, pronunciat *vt Apoſtolica auctoritate fulti, per priuilegij ſeriem nullas grauedines à quolibet Epiſcopo, ſub prætextu diſcuſſionis, religioſus Abbas vel Monachi ibidem degentes ſuſtineant. Reuerendiſſimo verò Epiſcopo, in cuius Parochia memoratum venerabile Monaſterium, vel res eius ac poſſeſſiones conſtiterint, facienda tantùm ordinationis ac promotionis Sacerdotum, atque Leuitarum, vel conficiendi Chriſmatis ſit tantùm conceſſa licentia. Diſpoſitionem autem venerabilis loci gerere, ac conuerſationem Monachicam exquirere; Religioſo Abbati, eiuſque Præpoſito, vel qui probatiſſimi in eodem Monaſterio fuerint.*

Habetur tom. 1. Concil. Gall. fol. 507.

*Scrutinium Abbati & Præpoſito conceditur.*

*Franc. Hallier hoc loco citando diſſimulat ea quæ pro Religioſis faciunt.* in vin. p. 544.

Ex hoc priuilegio, quod vndecunque truncatum & delumbatum, non profert, ſed ſpargit Franciſcus Halliet, *vt ea*, inquit, *tantùm proferam quæ ad propoſitum faciunt*, reuera autem vt omnia ſilentio obuoluat, quæ Religioſorum priuilegijs aliqua tandem ratione fauent: vt ſe non hic minùs, quàm alibi ex ijs eſſe oſtendat *qui veritatem in iniuſtitia detinent*; quibus cum Iſaia Chriſtus exprobrat, *auditu audietis, & non intelligetis: & videntes videbitis, & non videbitis: Incraſſatum eſt enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos ſuos clauſerunt.* Quis enim ignorantiæ aſſignet, affectatas illas præteritiones quæ in hoc auctore frequentiſſimæ reperiuntur, vbi ſcriptorum mentem ſuæ irregularitati repugnantem ſentit? Ex hoc inquam priuilegio, refellitur in duobus, ad rem quam agimus pertinentibus. Primùm enim antea vniuersè pronunciauerat, in omnibus antiquis Monaſteriorum priuilegijs, ſeu ab Epiſcopis, ſeu à Pontificibus Romanis concederentur, duo tantum dari ſolita, poteſtatem Abbatum ex Cœnobio eligendorum, & liberam bonorum temporalium adminiſtrationem. Deinde hoc ipſum S. Martini Maius Monaſterium ab Archiepiſcopis Turonenſibus gubernatum ſcribit, donec in Claromontano Concilio, ſub Vrbano II. liberum ab eorum viſitatione redditum; & ampliſſimo priuilegio ab Eugenio III. poſtea munitum eſt; cum multis ante ſeculis, anno videlicet reparatæ ſalutis 670. relatum priuilegium conceſſerit Adeodatus. Peccat tertiò & in Corbeienſi priuilegio citato, quod *conſenſu Regis obtentum, in Synodo Pariſienſi ſub Carolo Caluo habita*, conceſſum eſſe dicit. Cuius enim Regis conſenſum acceſſiſſe vult Doctor? Non Caroli Calui, qui Ludouicum & Lotharium Imperatores citat, ſed Clotarij fundatoris: ab hoc ſi eſt *obtentum*, cur tanto poſt tempore *conceſſum*? Si ab ipſo Ambianenſi Epiſcopo *conceſſum*, cur in *Synodo Pariſienſi*? atque illa *Synodus Pariſienſis*, quæ tantùm fuit Meldenſis appendix, num confirmare ſe, non autem concedere, profitetur?

*Refellitur idem Doctor in tribus.*

In vindic. p. 542.

Ibid pag. 550.

Ibid. pag. 542.

Vide tom. 3. Concil. Gall.

*Iuriſdictionum diuerſitas.*

Ioan Lomedè c. 2. n. 19.

II. Immunitatis Religioſæ cauſa eſt, profeſſionis ac Iuriſdictionis diuerſitas. De profeſſione dictum eſt antea, ex Petro Bleſenſi. De Iuriſdictione ita diſſerit Ioannes Lomedè. *Alia exemptionis occaſio eſt, vt euitetur multorum ſuperiorum diuerſitas, & mandatorum contrarietas, Iuriſdictioniſque contentio: vt ſæpius accidit in Monaſterijs non exemptis, in quibus Epiſcopi omnimodam Iuriſdictionem, & coercitionem habere prætendunt, prout de facto habent in quibuſdam caſibus. Abba-*

*tes autem, Priores clauſtrales, & Superiores contradicunt. Nam etiam corrigere, & ſententiam excommunicationis in Religioſos ſuos ferre, eis competit: hinc iurgia, lites, mandatorum Dei tranſgreßiones: vnus ligat, vnus abſoluit: vnus perſequitur ſubditos, alter defendit: vnus deprimit, alter extollit; vnus odio habet, alter diligit.* Hæc conſulta opera deſcribo, quia ſatis illuſtrem habent expoſitionem, vt exemplis non indigeant, quæ vtinam aut rara eſſent, aut nulla!

*Commißionis amplitudo.*

III. In Iuriſdictionis diuerſitate fundatur, ſed longè aliter conſiderata, eaque ſolos Mendicantium ordines, aut eorum priuilegijs vtentes reſpicit. Nam cum per omnes terrarum plagas vagari, quocunque diuinæ gloriæ impetus, & animarum pereuntium zelus vocabit, ſacræ illæ cohortes debeant, niſi ſuperiore aliqua, quàm quæ priuatis Antiſtitibus conuenit auctoritate, tanquam machina impellantur, inſtitutum curſum tenere non poſſunt. Non enim Prælatus Rothomagenſis ad Pariſienſem Diœceſim Sacerdotem illum mittere poteſt, ſacra munia obeundi cauſa; Neque Pariſienſis Antiſtes Turonenſi præcipere, vt concionatori non ſubdito cathedram, & auditores concedat. Singulis enim vt Parochiæ, ita poteſtatis deſcripti ſunt limites. Nam licet in cauſa Pauliniani ſcripſerit S. Epiphanius, *non eſſe diuerſitatem in Sacerdotio Dei, vbi vtilitati Eccleſiæ prouidetur. Nam etſi ſinguli Eccleſiarum Epiſcopi habent ſub ſe Eccleſias, quibus curam videntur impendere, & nemo ſuper alienam menſuram extenditur; tamen præponitur omnibus caritas Chriſti.* Licet inquam hæc dixerit, fuit tamen ea ordinatio, vel cauſa vel ſpecies querelarum oblata Ioanni Hieroſolymitano: quibus propriè non ſatisfacit, niſi quà reſpondet, ſuum ordinationis tempore fuiſſe ſubditum, in Monaſterio Eleutheropolitano repertum: fuiſſe autem ordinatum, non pro parochia quæ Ioanni ſubiecta eſſet, ſed pro Monaſterio: profiteturque S. Hieronymus, ſi ex illo Eleutheropolitano S. Epiphanij ad Bethlemiticum ſuum adueniat, nihil Ioanni debiturum, præter honorem omnibus communem Epiſcopis. Quamobrè ſuperiori opus eſt auctoritate, vt mittat Oecumenicus Patriarcha, & caput Eccleſiæ, vel ipſe per ſe, vel per ſuperiores immediatè ſibi ſubiectos, ſuos illos homines vltra Garamantas & Indos, extra anni ſoliſque vias, quos nemo Epiſcopus, nemo fidelis recuſare poterit, qui ſe Eccleſiæ Catholicæ filium, & ouem Petri volet profiteri. Id verò quàm ſit Eccleſiæ, eiuſque Hierarchis commodum atque vtile, quotidiana docet experientia. Vt enim in mercimonijs temporalibus, gentes omnes inuicem amico fœdere ita copulauit pronœa, vt quod vni deſit, ab altera non difficili commercio conſequatur: ſic pietatis doctrinæque merces vltro citroque, poſtulante Hierarcha, mittente Prouinciali poſſunt deportari, longè quidem expeditiùs, quàm vbi vno fixus loco Monachus, niſi totius Confraternitatis, Abbatis, Epiſcopi conceſſu, tanquam operoſum aliquod pægma, moueri non poteſt, & ad aliud Monaſterium, in quo vtiliorem nauaturus eſt operam, commeare.

*Ordinatio Pauliniani per S. Epiphanium, reprehenſa à Ioanne Hieroſolym.*

Epiph. ep. 60. inter Hieron.

Hieron. ep. 62.

*Chriſtiani populi vtilitas.*

IV. Eiuſdem fontis riuus eſt, quà emanat ad populum: eius videlicet vtilitas his priuilegijs procurata, quæ verè gratias gratis datas, & in tertij fauorem conceſſas poſſis appellare. Quis enim Religioſorum, ac non potiùs populorum, religioſis laboribus iuuandorum commodis à Summo Pontifice conſultum putet, cum homines Eccleſiæ dedit omnium horarum, officiorum omnium, fide armatos, ſpe gaudentes, multos locupletantes cœleſtibus diuitijs, animæ prodigos, barbariem præ ſuauiſſima ſuorum conſuetudine, ſolitudinem

dinem, præ iucundiſſima Europæ frequentia, labores & ærumnas, præ quiete non ignobili neque otioſa eligentes, vt habitantibus in regione vmbræ mortis diuinæ lucis ortum annuncient? Mendicantibus, an populo prodeſt poteſtas concionandi, confeſſiones audiendi, peccata vulgaribus Sacerdotibus reſeruata ſoluendi? Verè profectò dixit Illuſtriſſimus Bellicenſis, ſi qui ſedata mente, & remoto zelotypiæ velo, Exemptionum iſtarum & priuilegiorum cauſas perſpicere volet, reperturum eas ad maiorem Dei gloriam, Eccleſiæ ædificationem, animarum profectum conducere: ſed earum Bullas ſine affectus ophtalmia, & vitri colore interiecto legendas eſſe: non enim tum obiecti verum colorem, ſed apparentem, qui medium corrumpit, fore fraudulentum. Id ſi ita eſt, vt eſſe omnibus æqui vtrique arbitris apparet, ea conſtat priuilegia ab vnius Romani Pontificis auctoritate proficiſci potuiſſe, qui ſolus in omnes Chriſti fideles ſpiritalem dominatum exercet, & Sacerdotem Gallum ad Germani, aut Hiſpani expianda ſacramento ſcelera, cum poteſtatis plenitudine delegare poteſt.

Ioan. Petr. Camus in Vsat. Inco. l. 1. n. 13.

---

## NONNULLÆ PRIVILEGIORVM *affectiones conſiderantur.*

## CAPVT XX.

VT pleriſque rebus, ita priuilegijs robur, auctoritatemque conciliat veneranda canicies: quò enim antiquior eſt vſus priuilegij, eò pulſatur molliùs, difficiliùs conuellitur. Quare S. Medardi Monaſterium ab Gregorio Magno, imo Ioanne præceſſore Pontifice priuilegio donatum, venerari coguntur, etiam qui cæteras immunitates cupiunt eradicatas. Fatentur & Iuriſconſulti ſine titulo ſcripto valere priuilegia, , à tempore, vt vocant. immemoriali poſſeſſa. Eſt autem immemoriale, quod nemo aliter vidit, aut à ſenibus audiuit obſeruatum. *Quia priuilegium, & conſuetudo tanti temporũ, cuius contrarij memoria non extat, paribus paſſibus ambulant, & ideo quod poteſt per vnum, ſcilicet per priuilegium, concedi, hoc poteſt & tali conſuetudine introduci.* Qui Canon optimo iure poſſeſſa eorum Religioſorum priuilegia perſpicuè oſtendit, quæ ſimul cum ipſis ordinibus inducta ſunt, qualia Cluniacenſis Cœnobij, quod ſupra vidimus: ætatis mediæ Religioſorum, qui ſine poteſtate agendi in Hierarchia per commiſſionem, nunquam extiterunt Mendicantes in Eccleſia; eorum denique Monaſteriorum, quæ ea lege ſunt à Fundatoribus ſtabilita, vt ſolum Romanum Pontificem ſuperiorem agnoſcerent. Hic verò ſilere non debeo libertates Eccleſiæ Gallicanæ, quæ plurimùm differunt à priuilegijs. Nam iſtorum ius vt plurimùm acquiſitum eſt, & à Pontificibus donatum, vt ordinem ducere in Eccleſia, ius regalium, immunitas ab cenſuris, & ſimilia. Verum libertates illæ non Pontificum beneficio ſunt donatæ, neque iura ſunt præter aut contra ius commune. Nam quia nobili quadam & generoſa ratione Gallia, ſupra Catholicas omnes regiones, libertatem ſuam ſemper aſſeruit, dici non poteſt liberata, ſed libera ab primo ſui exordio. Eiuſdem vetuſtatis commendatio ius Indulti, ſeu nominationis regiæ ad beneficia vacantia, quo perfruuntur Se-

*Antiquitas priuilegia corroborat.*

*Antiquitas pro titulo eſt.*

Ioan. Lo. medè c. 9. n. 5.

*Antiquum priuilegium eſt quod ſimul cum ordine Religioſo exortum.*

*Libertatum Eccleſiæ Gallicanæ à Priuilegijs differentia.*

Tract. cit. de Priuil. Eccl. Gall. pag. 3. 8.

*Indultorum Curiæ Pariſ. antiquitas.*

Ioan. Lomedè c.10. n.3.

narores clariſſimi Curiæ Pariſienſis, nobilius reddit: quia ante Bullam Paulinam, & quaſi cum ipſa Curia introductum eſt. Ideoque nec dubium quin doctos viros Academicis gradibus inſignes, & eos qui ab illis ipſis Academijs, ſiue Vniuerſitatibus, imo etiam ab Emin. S. R. E. Cardinalibus ad beneficia nominantur, dignitate, & loci prærogatiua ſuperent; iſtis ſiquidem, vt loquimut, Graduatis, per pactum conuentum inter Pontificem & Regem, quod vulgò Concordatum appellamus, tecens, & noſtri pene ſeculi ius aduenit.

Hoc inchoata principio, his nixa fundamentis quæ modò enumerauimus, quærere ſupereſt quàm firma & ſtabilia ſint? quam facile tolli, & eadem qua donata ſunt auctoritate reuocati poſſint? Multa hic diſtingui oportet, ne multitudine perturbetur oratio.

*Priuilegij firmitas.* *Ipſo abuſu priuilegium non perditur.* 11.q.3. C. priuilegiū. C. Cum tuarum. de priuileg. Gloſſa in C. Cum & plantare. de priuil. C. Dilecti. de priuil. 25 q 2. c. Denunciamus. 25.q.2.c. Ita nos. Augu. Ser. 247. de Tempore. Ioan. Lomedè c.8. n.18.

Certum mihi videtur nullo ſeu delicto ſeu abuſu, ipſo facto aboleri priuilegium, niſi accedat ſuperioris ſententia. Licet enim legam in Iure, *Priuilegium omnino mereri amittere, qui permiſſa ſibi abutitur libertate*; pronuncietque abſolutè Gloſſa *per abuſum*, ſiue, *per delictum perdi priuilegium*. Hæc & eiuſmodi ſic interpretor, vt agnoſcam illis exceſſibus pœnæ & priuationis teos fieri improbos, ſed eam pœnam legirimi iudicis auctoritate infligendam; non autem commiſſo ſtatim delicto excidere priuilegiatos à gratuita Eccleſiæ donatione. Quod operoſum non eſt monſtrare ipſis Canonum, quæ proferuntur, exemplis. Nam gloſſa capitis *Cum & plantare*, quæ poſitum ſuperiùs pronunciatum attulit, in eo vidit ſententiam ab Alexandro III. in Concilio Lateranenſi latam. Pene ibidem lego Pontificis minas, *Pro certò ſciatis quod nos conceſſa vobis priuilegia decurtabimus.* Et alibi, *Denunciamus autem quòd ſi poſthàc quicquam tale præſumpſeris, ordinationes tibi Rauennatis Eccleſiæ, vel Æmilienſis muneris auferendas.* Atque immane Scyllacænorum ſacrilegium, ita vindicat ſublato Epiſcopatus iure Pontifex æquiſſimus, vt tamen ſe ancipitem quid acturus eſſet, hæſiſſe affirmet. Eadem opinio vera, S. Auguſtini ſententia ſtabilitur, affirmanris *Iudicio legum, iure ab obtenta dignitate deijci, qui priuilegio ſibi conceſſo abutitur.* Quapropter non poſſunt Ordinarij exemptos, etiam priuilegio abutentes punire, ſed ij ad ſuperiores ſuos remittendi ſunt.

*Præſcriptione abolentur priuilegia.* C. Si de terra. de priuileg. C. Placuit 16 4.3. C. Accedentibus. de priuil.

Præſcriptione autem euaneſcere priuilegia, concors eſt Canoniſtarum opinio, eique annos triginta præfinit Alexander III. in Concilio Lateranenſi. Quem numerum antiquum eſſe non pauci aſſerunt: qui & nouo iure volunt extenſum ad annos quadraginta, ſcribente Innocentio III. in cauſa Ciſtertienſium, & Templariorum, *Cum tanto tempore, contra indulta priuilegia, decimas ſoluerint, eis renunciaſſe tacitè præſumuntur.* Quo loco ſimilibuſque qui afferuntur, nullam video neceſſitatem noui huiuſce iuris ad annos 40. ſe extendentis, inducendi: non enim decernit Pontifex præſcriptionem niſi annorum quadraginta non valituram: ſed id poteſt intelligi, hoc temporis diuturno ſpatio præſcriptam fuiſſe decimarum ſolutionem, quæ vel minori præſcribi potuiſſet.

*Ceſſione priuilegium perit.* C Si de terra. de priuileg. *Priuatus nõ poteſt cedere iure communi.* Lomedè c. 21.n.4.

Ceſſione & abdicatione priuilegium perit, ſi proprium eſt, & exempto peculiare; quia *liberum eſt vnicuique iuri ſuo renunciare.* At ſi commune ciuitati, regno, ſtatui, ordini, nemo priuatus cedere debet, aut poteſt ſuo iure. Rationem affert Lomedè, quia *non ſolùm ius exempti, ſed etiam illius ſuperioris qui exemit, tangitur & amittitur; at alter altero inuito, beneficio & priuilegio renunciare non poteſt.* Quæ ratio mihi non ſatisfacit; vna enim per Immunitates omnes vagatur,

tur, negatque vniuerſè vllum hominem conceſſo ſibi priuilegio renunciare poſſe, cum ius & auctoritas eximentis, æquè in omnibus imperatur. Firmiùs ergo quis illam veritatem ſtabiliat, natiua membrorum corporiſque concordia, vt quod toti Ordini placet, priuato cuilibet diſplicere non debeat: præſertim cum ſui iuris priuatus ille non ſit, ſed totum in ſe imperium communitati, eiuſque capitibus commiſerit. Præterea non ſingulis, ſed corpori pro ſingulis conceſſa immunitas eſt, quam ad arbitrium ſuum dilapidare & perdere, non magis poſſunt priuati, quàm legatam Cœnobio pecuniam. Quamobrem Clerici non poſſunt derogare priuilegio fori, ſcribente Anacleto, *Priuilegia Eccleſiarum & Sacerdotum, intemerata & inuiolata cunctis decernimus manere temporibus*. Narrant hiſtoriæ noſtrates Pium II. qui cum Æneas Syluius eſſet, in Concilio Baſileenſi Pragmaticam Gallorum ſanctionem, tanquam aras & focos propugnauerat, promoueratque, impetraſſe poſtea à Rege Ludouico XI. antiquari; ſed ei reuocationi, velut iuribus & immunitatibus Gallicanis repugnanti, Ioannem de S. Romano Procuratorem Regium, Facultatem Theologicam, & Senatum Pariſienſem interceſſiſſe, cuius ampliſſimos tractatus Franciſcus Duarenus IC. latinitate donatos publicauit. Neque priùs quieuit illa iurium ſacrorum controuerſia, etiam in Lateranenſi Concilio ſub Iulio II. agitata, quàm Leo X. & Franciſcus I. in vnius Concordati, quod Henoticum bono ſenſu appelles, ſententiam coiêrint. Ita ne magno quidem & prudentiſſimo Regi, licuit priuilegijs & exemptionibus ſuis ſubditorumque ſuorum cedere. Quis igitur à priuato Religioſo, quis ab ſubordinato loci vnius Superiore, iure poſtulet, vt ab vſu priuilegij deſiſtat, eoque cadat, quod omnes vbique terrarum Epiſcopi, omnes populi videant gaudeantque exerceri?

C. Cùm in tempore. de arbitr. 25 q. 2. C. Priuil.

Tr. cit. de priuil. & immunit. Eccl. Gall. fol. 336.

Ius quæſitum, non licet Papæ tollere, vel occupare, ſine iuſta cauſa, vt regulis Cancellariæ Apoſtolicæ continetur. Eſt enim decima ſexta *de non tollendo iure quæſito*: maximè ſi iura ſunt laboribus & ærumnis acquiſita, non debent vnico verbo, & facilè deſtrui, ſi velut mercedis alicuius vicem ſupplere videntur. Quod plurimis ſacri profanique iuris ſententijs ſtabilitur: vt cum ſcribit Gloſſa, *Perverſum eſſe quòd voluptatibus quorumdam quis priuetur officijs, vel beneficijs, cum beneficia debeant eſſe perpetua.* Cum dicitur, *Decere conceſſum à Principe beneficium, eſſe manſurum*: aut, *Quod ſemel placuit, ampliùs diſplicere non poſſe.* Quamobrem exemptiones illæ, quas ſuperiori capite meritis aſſignatas eſſe dicebamus, eò ſunt validiores, quo plura, eaque præſtantiora merita ſunt.

*Priuilegiũ meritis datum, non poteſt tolli ſine cauſa.*

Ioan. Lomedè c. 22. Gloſſa inc. Satis. diſt. 16. C. Præcepta. diſt. 55. D. Reg. Iuris in 6. l. Quod fauore. Cod. de Legib.

Quæ autem fundationi Eccleſiarum, & Monaſteriorum cauſam & locum dederunt, ijs derogare & præiudicare non poſſunt Prælati, iure Galliæ, inquit Lomedè, ſæpe laudatus. Quam ego hypotheſim ad vberius caput reducendam puto, vt in ipſis Ordinibus tantam aliquando priuilegiorum neceſſitatem reperiamus, vt ſine ijs aut oriri in Eccleſia, aut diutiùs conſiſtere non potuerint. Siquidem hæc videri media ſuperiùs dicebamus ſimpliciter neceſſaria, ad finem illum inquirendum, qui Ordinibus Mendicantium ab Eccleſia, eiuſque Principe præſcriptus eſt. Nam cum ad alienam perfectionem & ſalutem iubeantur tendere, qua tandem id poſſunt via, niſi per priuatam exomologeſin, qua purgantur fideles; per publicam diuini verbi prædicationem, qua illuminantur; per cœleſtis Euchariſtiæ participa-

*Priuilegia fundationi Eccleſiarum aut Ordinũ neceſſaria, non poſſunt tolli ſaluis Ordinibus.*

Lomed. li. 22. n. 6.

tionem, qua perficiuntur? Horum igitur operum ſi negetur facultas, tolli etiam finem neceſſe eſt; at fine ex rebus ablato, illam eiuſcemodi Religionum eſſentiam, id eſt, Religiones ipſas deleri, & diſſipari neceſſe eſt. Dicam equidem quod ſentio, quocunque animo ſententiam hanc accepturi ſint aduerſarij, qui omnia in odium & inuidiam trahere ſolent, talem ab Eccleſia Religionis formam potuiſſe non probari, atque inuehi, facilè concedo; ſed eam quæ alienæ ſaluti ſeruiat, ſine priuilegijs erigi potuiſſe; aut etiam cum illis reuocatis conſeruari poſſe, nunquam mihi perſuadere potui. Neque vereor dictum Canoniſtarum, *licet Summo Pontifici competat ante collationem omnimoda poteſtas, non tamen libera priuatio*, huic propoſito accommodare. Sed hic finio; quia altero ab hinc libro, nobis erit iterum ad hanc ſententiam reſpectandum.

16. q. 7. C. Inuentum.

## *DE PRIVILEGIORVM NOTITIA, QVÆ EST affectio neceſſaria, cum Franciſco Hallier diſputatur.*

§. Vnicus.

*Notitia priuilegiorum neceſſaria.*

TERTIAM Priuilegij affectionem, volo eius eſſe notitiam, eamque ad vſum legitimum neceſſariam penitùs videri pronuncio: cum Superior proximus, iure pleno naturaliter ſibi debito, & hactenus agnito, tota cum libertate ſit vſurus, donec certò conſtet, maiori aliqua poteſtate, ſuæ Iuriſdictioni hac in parte ereptum eſſe ſubditum. Quamobrem cum priuilegia non ſunt notoria, inquiunt iuris interpretes, citati tenentur comparere, ſua priuilegia allegaturi, de illiſque fidem facturi, niſi ſubſit iuſta cauſa impedimenti. Quod ſi priuilegium eſt notorium, vt per ſententiam, ſiue per confeſſionem factam in iure, ſiue euidentiam rei, ac etiam alijs modis quibus notorium fit, tunc allegare & probare opus non eſſe, definit Panormitanus. Proponit autem eam quæſtionem Ioannes Lomedè, an priuilegium, quo quis non poſſit excommunicari ab Ordinario, patiatur exceptionem, & is aliquo ſaltem caſu poſſit ſubire cenſuram? Et reſpondet, excommunicationem irritam eſſe, cum priuilegium eſt notorium; ſi autem non eſt Iudici notum, nec diu ſit vſus illo priuilegio, & libertate, tunc excommunicationis ſententiam tenere. Non eſſe autem veriſimile priuilegia, & exemptiones Eccleſiarum, Clericorum, ſiue Monaſteriorum, & Regularium in eorum Diœceſi ſitorum & degentium, Epiſcopis eſſe incognita. Quod eo potiſſimùm argumento probat, quòd *regulariter in aduentu ſuo ſe obſeruaturos priuilegia Eccleſiarum Cathedralium, & Monaſteriorum in quibus inſtallantur, Epiſcopi iureiurando promittunt*. Quis autem, vt alibi loquitur, *melius ſcire & cognoſcere poteſt ſubditos, ipſiſmet Ordinarijs, aut eorum magiſtratibus, vſumque exemptionum habent ſua monumenta & probationes quæ illos docent.*

C. Cum perſonæ. de priuil. in 6.

Panorm. in C. Cum ordin. de Reſcript.

Ioan. Lomedè c. 8 n. 9.

Idem. n. 2.

*Nota ſunt Epiſcopis, Monaſteriorum priuilegia.*

Ibid. n. 3.

Idem c. 9. n. 3.

Nota etiam eſſe Mendicantium priuilegia, ſenſus communis edocet, vel ipſo vſu tam diuturno conuictus. Nam *ex profeſſione præſumitur ius, quod niſi vnicuique Eccleſiæ ſeruetur, ordo Eccleſiaſticus confunditur*. Quamobrem nihil agũt qui recognoſci eorum priuilegia poſtulant, & litem tot ante ſeculis conteſtatam retractari. Certus enim certiorari non debet, vt ſcribunt I C. Quæ verò

*Priuilegia Mendicantium nota ſunt.*

11. q. 1. C. Peruenit.

2. q. 6. C. Qui ſe ſcit.

rò eſſet rerum omnium perturbatio, ſi tot Eccleſiæ, tot Capitula, Diœceſes ampliſſimæ, & Regna ipſa primas exemptionum tabulas requirere,& ex gothicæ ſignaturæ fugientibus apicibus vim priuilegij diuinare cogerentur? quis omnes Eccleſiæ Gallicanæ immunirates, libertates, priuilegia in numetato vnquam habuit? quis eorum Bullas ſcrupuloſè inueſtigauit? quis certam declarationem ab Epiſcopis Galliarum ſibi fieri poſtulauit?

Franciſcus Hallier Eccleſiaſticæ diſciplinæ vindex, in eo libro quem Summo Pontifici Vrbano VIII. conſecrat, grauiter & ſeriò admonet: *Rem toti Eccleſia vtilem ac proficuam facturum, ſi ea qua pollet auctoritate & prudentia, quæ à ſuis prædeceſſoribus ſtatuta, quæ pro vtilitate publica conceſſa nouerit Monachis priuilegia, toti orbi Christiano nota faciat, omneſque quæ eorum occaſione priuilegiorum naſcuntur contentiones, hac vna promulgatione dirimat.* Hoc ſuadet egregiè cordatus homo, quia multi Regulares *iam olim commentitia finxerunt priuilegia, & verendum eſt ne multa iam à Monachis priuilegia vel falſa, vel reuocata iactentur.* Exempli graria, decretum eſt, Regularium neminem ordinandum eſſe, niſi Monaſteria ſpondeant, ſe ei qui quolibet prætextu eiectus aut dimiſſus fuerit, ex ſuis teditibus alimenta datura. *Scio Religioſos Societatis IESV quædam in contrarium iactare priuilegia: ſed nec ea apparent, nec contra prædicta directè militant.* Et ne ſolos Regulares tangamus, ordinarium miniſtrum Sacramenti Confirmationis certum eſt eſſe Epiſcopum, Preſbyter an extraordinarius eſſe poſſit, incertum relinquitur. Qua in re *diſpenſationis Gregorij tertij, vel Adriani*, qua ſimplicibus Preſbyteris ea poteſtas committitur, *nulla veſtigia apparent: quare quicquid de ijs dicitur, confictum credi poteſt.* Alia quædam notæ veteris exempla ſuo loco producit, ſed quorum obſcura memoria eſt. Quamobrem illis omiſſis, aliunde duo hæc ſelegi, recentis vſus, de quibus proinde cettior apertiorque inſtituetur diſputatio.

*Franciſcus Hallier vult recognoſci priuilegia. In vin. p. 540.*

*Falſitatis & impoſturæ Religioſos omnes inſimulat.*

In opere de ſacris Ord. p. 97.

In vindic. pag. 208.

## EXPOSITA OPINIO CONFUTATUR.

§. I.

QVAM vt aggrediar, multa hic mihi ſuis examinanda ponderibus occurrunt. I. Quod omnes priuilegiotum contentiones inde prognatas indicat, quod ignota ſint: quæ aliena, & commentitia eſt ratio; cum grauiores alias prolaturi ſimus in aduetſarijs obiectionibus. Neque vnquam Parochus vllus ab ſacris tribunalibus Regulares excluſos voluit paſchali tempore, quod negaret ſibi cognitum illud eſſe priuilegium. Neque qui Regularium priuilegia explicari poſtulatunt, in Latetanenſi Concilio ſub Leone X. Epiſcopi, eſſe ſibi ignota cauſari ſunt.

*Falſam cauſam cur grauia ſint priuilegia. Doctor aſſignat.*

II. Quòd vna Bulla fieri nota omnia poſtulat. Ridiculè dictum! quaſi diploma vnum mille alijs præponderate debeat, vt qui priotibus tam claris, tam teceptis non ctedit, in recentis Bullæ obſequium intellectum neceſſariò captiuet. Quo autem munita plumbo, qua illuſtris cera, qua manu erit ſignata pretioſa illa membrana, vt nullam æquè ac cæteræ pati poſſit ab incredulis calumniam?

*Ridiculè Bullam vnam, omnibus alijs certiorem poſtulat.*

III. Quòd aliquorum crimen, in omnium vertit inuidiam, quod perpetuum eſt hominis ſophiſma. Nam ſi conceſſero nonnullos præteritis ſeculis

*Paucorum crimen omnibus imputat.*

repertos qui falſis priuilegijs incautos deciperent , cur metus ille ad omnes extenderetur? cur omnium priuilegia ſuſpecta reddentur? Quàm multi nullo Sacerdotali charactere præditi ſacrilegas miſſas celebrarunt? ideo-ne de Sacerdotibus omnibus dubitandum eſt? Scribebat de his olim Zacharias Pontifex

Zach. epi. 11. ad Bonifacium.

ad Bonifacium Moguntinenſem. *Eos autem quos reperiſſe affata eſt fraternitas tua pſeudo-Sacerdotes, multò maioris numeri quàm Catholicos, erroneos, ſimulatores, ſub nomine Epiſcoporum, vel Presbyterorum, qui nunquam ab Epiſcopis Catholicis fuerunt ordinati, illudentes populo, & miniſteria Eccleſiæ confundentes, & conturbantes, falſos, gyrouagos, adulteros, homicidas, molles, maſculorum concubitores, ſacrilegos, hypocritas; & multos ſeruos tonſuratos qui fugerunt Dominos ſuos, ſeruos Diaboli, transfigurantes ſe in miniſtros Chriſti*, &c. Poſt hæc elogia, ſi quis Halleriano ſcrupulo recognoſci poſtulet ordinationem, & mores Clericorum omnium, magnam opinor ab Hierarchis & Eccleſia tota initurus erit gratiam. Ciues olim ſuos ſic

Gilda Sapiens in E.cl. ordi.

increpabat Gilda Sapiens, non acriùs certè, quàm ſapientiùs. *Britannia habet Sacerdotes, ſed nonnullos inſipientes; quamplurimos miniſtros, ſed multos impudentes; Clericos, ſed quoſdam raptores, ſubdolos; Paſtores, vt dicuntur, ſed occiſioni animarum lupos paratos. Quippe non commoda plebi prouidentes, ſed proprij plenitudinem ventris quærentes; iuſtos inopes, inanes, quaſi angues toruis vultibus conſpicantes, & ſceleratos diuites abſque vllo verecundia reſpectu, ſicut cœleſtes Angelos venerantes.* His ſimilibuſq; auditis, ſi quis Halleriano paralogiſmo, omnes qui vbiq; ſunt Sacerdotes, Clericos, Paſtores, eorum vitiorum aut reos, aut ſuſpectos habere velit, is opinor de humana ſocietate, & Religione Chriſtiana optimè merebitur. Itaque ſi, vt vitia erunt quandiu homines, reperti ſunt olim, & etiamnum repetiri poſſunt impij & ſacrilegi homines, qui ementitum Religionis habitum ſuis ſceleribus obtendãt, ideo-ne ſtatim perſonatos iudicabis omnes, qui tibi conſimili tunica tecti venient obuiam? Vidit hoc iam olim

Auguſt. ep. 137.

S. Auguſtinus, & in cauſa Bonifacij Preſbyteri queſtus eſt, omnibus per contentionem imputari, quod ab vno peccatum eſt: *Ad quid enim aliud ſedent iſti, & quid aliud captant, niſi vt quiſquis Epiſcopus, vel Clericus, vel Monachus, vel Sanctimonialis ceciderit, omnes tales eſſe credant, iactent, contendant, ſed non omnes poſſe manifeſtari?* Hæc eſt Franciſci Hallier, & eorum qui odio gratuito Regulares proſequi affectant, ratiocinatio, ſanè omnis rationis expers. In qua tamen idem Auguſtinus decipi Donatiſtas admonet, cum hæc populo Hipponenſi edicit. *Veruntamen cariſſimi, ſunt & qui Monachi falſi ſint. Et nos noui-*

Idem in Pſ. 132.

*mus tales: ſed non perijt fraternitas pia, propter eos qui profitentur quod non ſunt. Tam enim ſunt Monachi falſi, quàm & Clerici falſi, & fideles falſi. Omnia iſta tria genera, fratres mei, habent bonos ſuos, habent malos ſuos.*

Fingit ſe falſo vereri priuilegia.

IV. Quòd vereri ſe fingit ne falſa priuilegia iactentur. Poſſum hic queri falſarios omnes ſimplici ſubtilitate dici Religioſos. Sed hanc orationem omitto; vnum quæro, qua tandem rima in eas Bullas poſſit falſitas irrepere, qua vi irrumpere? Conceduntur à Pontifice Romano Exemptiones, de Conſilij, id eſt, Eminentiſſimorum Cardinalium ſententia, Bullæ per omnes Cancellariæ anfractus & angiportus tractæ expediuntur, publicis in compitis legendæ proponuntur. Fatigant deinde Typographorum operas, vt faciliùs quaquà verſum diffundantur: neque ſatis; colliguntur in libros, & iuri regulari commiſcentur. Hic iterum à Doctoribus lectæ, & relectæ, expenſæ, inueſtigatæ, in prouerbium ſcholarum tranſeunt: Interim

nouo

nouo illo iure vtuntur ij quibus conceſſum eſt, in Italia, Romæ, in conſpectu Pontificis ipſius, in edita illa Chriſtianæ ſapientiæ acropoli, inter ſacræ Inquiſitionis horrores & minas: tranſit inde in prouincias, & videntibus probantibuſque Hierarchis religione doctrinaque illuſtribus, in vſum apud fideles praximque reducuntur. Poſt hæc vnum hominem *falſarios, falſarios* inclamare, furor eſt; vni credere, inſania.

V. Quòd exemplis vritur admodum infirmis. De primo dicetur alibi. Nego interim à Religioſis Societatis IESV eiuſmodi priuilegia *iactari*, quia nulla habeant; & hoc qui *ſcire* ſe dicit, quid cenſendus eſt *ſcire*? à quo id audiuit? quo in ſcriptore legit? cui Ieſuitæ venit in mentem hoc *tuba canere ante ſe*, vt Hallier exaudiret? De poſteriore hoc dico; Referri à Suare, pro Indis extremis hominum, poteſtatem Presbytero ſimplici conferendæ ſacræ Chriſmationis datam à Gregorio decimo tertio: vitio typographi prætermiſſus eſt prior numerus: id ergo ſcriptum de Gregorio III. non ſemel refert Hallier, & negat parête. Vbi fides? vbi Religio? vbi Chriſtiana ſimplicitas? vult Suares nominare Gregorium, qui poſt Concilium Florentinum ſedit, qui certè non eſt tertius; peccat igitur in Suare typographus, animus in Franciſco. Eodem certè iure mihi liceat Doctorem falſi coarguere, qui ſcripſerit alio in opere, *Epiſcopos in Concilio Neocæſarienſi dictos Septuaginta Diſcipulis ſuccedere*. Quamuis aperta ſit auctoris ſententia, de Chorepiſcopis illud volentis dicere. Et alio eiuſdem operis loco *Henricum* dixerit Africæ Regem Eccleſiæ Catholicæ Clericis bellum intuliſſe, cum Hunnericum ſine dubio intelligat: licet neuter locus inter *Errata*, quorum vtroque in opere oppidò liberalis eſt, corrigatur. De ipſo autem priuilegio nihil poſſum affirmare, quàm quod Suares idem, & Petrus Arcudius viri docti & pij referunt. Nam hic & annum notat quo data illa poteſtas eſt, & eos nominat quibus data, & cauſam ob quam data, quæ omnia vix fallunt. Sed idem Pontificis diploma in Braſilia aſſeruari affirmat, quod auidè arripiens Franciſcus Hallier, *negat apparere veſtigium*: ſuæ ſecurus ἐπιξίως, dum allatum fuerit è nouo orbe authenticum, quo falſi reuincatur.

*Exemplis infirmis vtitur.*

Suar. tom. 3. in 3. P. q. 72 diſp. 36 ſect. 2. & ex eo Præpoſitus in 3. P. q. 72 a. 11. dubio 2.

Hallier de Sacr. Ordi. p. 592.

Ibi. p. 890.

Petr. Arcu. l. 2. c. 15.

## *ROMANI PONTIFICIS AUCTORITAS vindicatur.*

## §. II.

ET quando in Pontificia auctoritate verſamur, permittes, Lector, in Doctore noſtro paſſum vnum procedere, vt agnoſcas quàm indignè ſacram Tiaram tractet, cui librum conſecrat. Vbi quæſtionem de Miniſtro Confirmationis extraordinario, dirimere ſe negauit, addit, *quandiu quæſtio iſta manebit indeciſa, peccaturum Summum Pontificem, ſi alteri quàm Epiſcopo hanc poteſtatem committat*. Equidem cum in hac eadem cauſa, apud Ioannem Maiorem lego ſcriptum, Gregorium Magnum *errori aſſenſiſſe*; quæ blaſphemiæ ſpecies eſt, *Si nulla expoſitio ſufficiat illum excuſare, nihil eſſe quare non ſit concedendum, quod in illo facto deliquit*: quæ ſi à Suare aut Bellarmino dicerentur, *nos triumphis & inſultationibus obtunderemur*, vt cum Au-

*In Romanū Pontificem contumelioſus eſt.* in vin. p. 208.

Ioan. Mal. in 4. diſt. 7. q. vnica.

relio loquar. Id, inquam, cum lego, exquiro mecum rationes, quibus impetum ingenij, non ſemper moderati, excuſem. At cum idem ipſum alijs verbis conceptum video ab Doctore Hallier, reprehenſum, non vnum Gregorium Magnum, ſed & alios, quotquot id fecerunt Pontifices, Pontificiam poſtatem præciſè & abſolutè hac in cauſa deprimere Catholicum hominem, ſuumque iudicium Pontificibus Gregorio Magno, Gregorio XIII. decretorum Eccleſiaſticorum religioſiſſimo obſeruatori, alijs qui vulgò nominantur, præferre, quis me vetet exclamare. *O homo, tu quis es qui iudicas, non alienum ſeruum*, ſed Dominum tuum? Audes Summo Pontifici librum offerre, cuius præceſſores ſanctiſſimos, peccari inſimulas? cui poteſtatem eripis maiorum exemplo & Conciliorum teſtificatione conceſſam? Sententiam tu peccati damnas, quam optimæ notæ Theologi proximè fidem conſtituunt? *Quandiu*, inquit, *manebit indeciſa quæſtio*. A quo decidi expectas? à Concilio? Florentinum habes, quo lecto Gregorius à Valentia dicit aſſeueranter, ſententiam illam *certam*, & *tanquam de fide eſſe*. A Pontifice? Eugenium IV. profero, & eos omnes, qui hoc concedendo priuilegium, concedi poſſe definierunt. Num facto nobiliùs validiuſque, quàm ſolo ſcripto deciditur controuerſia? Num qui poſt id tam ſæpe factum, deciſam negat quæſtionem; pari iure negat vllam in vlla materia à Pontifice, cum priuato Cardinalium Concilio poſſe decidi? Et hæc ſupremæ Iuriſdictionis amputatio Pontifici ipſi obtruditur, ne diſſimulare vel ignorare poſſit, eius potentia Franciſcum Hallier abuti, & ſacram poteſtatem pro arbitrio priuati Doctoris truncari. Atque culpam hanc cum ſeipſo prudentior peritiorque corrigere deberet in poſteriori opere, capitaliorem fecit, ſeu cum ſimpliciter dixit, *Non eſſe certum, vtrum ſacramentum Confirmationis à ſimplici Presbytero, ex commiſſione Summi Pontificis conferri poſſit:* ſeu cum affirmatè pronunciauit *miniſtrum Confirmationis extraordinarium, ſimplicem Presbyterum ex diſpenſatione poſſe eſſe, multos concedere*. Nam ſi *certum non eſt*, ſi *multi concedunt eſſe poſſe*, vt minimùm illi ſententiæ probabilis aſſenſus concedi poteſt. Opinionem ergo probabilem, in praxi qui ſequatur, cum peccare, nondum audita in ſcholis doctrina, Hallier aſſeuerat: ſupremum Chriſtiani iuris Antiſtitem, ex opinione veroſimili operantem, illam partem non decidere, ſed indeciſam, & parum probabilem relinquere, imo id faciendo peccare, nouus Doctor affirmat. Sed de hac re nonnihil etiam ſequente libro dicendum erit.

Concil. Florent. in literis vnionis.

A Valent. in 3. P. diſ. 5 q. 2. puncto 2.

*Summus Pontifex facto decidit dubias quæſtiones.*

*Auget errorem ſuum Hallier in poſteriori opere de ſacr. ordin.* pag 575. Ibid pag. 593.

*Sententiam probabilem in praxi ſequi licet.*

VI. Et vt è diuerticulo redeamus, qui poſt tot Pontificum facta, tot ſcripta Doctorum, *indeciſam* adhuc vocat *quæſtionem*, poteſt-ne fidem ſibi vllius priuilegij fieri permittere? Non arbitror, ſi ſibi conſtat. *Vnam tamen promulgationem* rogat ab Vrbano VIII. obuijs vlnis ſi detur, ſuſcepturus. Qui credam, cum alio libro viſuri ſimus, Anglicanos Confeſſores aurea eiuſdem Vrbani Bulla glorioſè laudatos, ab Franciſco Hallier ignominioſè deriſos? Sed age, hoc etiam liberaliter addatur, & omni Pyrrhonicorum dubitationi aditus occludatur. Vrbanum VIII. loquentem produco, & id quod poſtulat Doctor Hallier, non *vna promulgatione* dirimentem. Atque hoc cupio 6. & poſtremum eſſe reprehenſionis meæ caput, quòd anno 1632. quo hæc ſcribit ad Pontificem, *promulgationem* poſtulat, quæ pluribus ante annis ab ipſo quem alloquitur Pontifice emanauerat. Hanc enim aut veram non credidit, quæ

*Promulgationem poſtulat iamdiu factam.*

eſt

eſt iniuria, & importunitas infinita: aut ignorauit, quæ incredibilis negligentia, & audax contemptus, vt quod à Principe fieri cupias, id temerè poſtules, & vnquam ne ſit factum antea, exquirere negligas.

Vrbanus igitur VIII. qui modò Petri nauim feliciter regit, tribus præcipuè diplomatis Religioſa priuilegia ſtabiliuit, quorum pleniſſimum à *plenitudine poteſtatis Apoſtolicæ* incipit, quo Fratribus Prædicatoribus, & conſequenter Mendicantibus cæteris, qui cum ijs in eiuſmodi Apoſtolicæ cathedræ beneficijs participant, *omnia & ſingula priuilegia, exemptiones, libertates, confirmationes, facultates, indulgentias, gratias, & indulta quæcunque tam ſpiritalia, quàm temporalia, tam per Romanos Pontifices, quàm etiam per nos, & ſedem Apoſtolicam ſub quibuſcunque verborum formis, & expreſſionibus, ac cum quibuſuis clauſulis & decretis quomodolibet conceſſa, nec non ipſorum priuilegiorum & indultorum declarationes & decreta à congregationibus Venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium deſuper legitimè emanata: dummodo tamen priuilegia huiuſmodi ſint in vſu, nec hactenus reuocata*; approbat, confirmat, & innouat, ac denuo concedit: illiſque inuiolabile *Apoſtolicæ firmitatis robur adijcit. Nec non etiam priuilegia, gratias, indulta, & immunitates in litteris Apoſtolicis, quæ appellantur Mare Magnum, de nouo concedit, ſeu innouat. Decernens priuilegia, exemptiones, & indulta huiuſmodi, ſemper & perpetuò valida efficacia eſſe & fore, ac à locorum Ordinarijs, ac quibuſcunque alijs quauis auctoritate fungentibus inuiolabiliter & inconcuſsè obſeruari.* Quid ais Franciſce? Satis planè & latinè loquitur Pontifex eruditiſſimus? ſupereſt aliquid in receſſu exprimendum? *Omnia & ſingula priuilegia, declarationes, clauſulæ, decreta Mare Magnum*, animo tuo ſatis arrident, reſpondent arbitrio? Quænam illa, quæris? Quæ *ſunt in vſu.* Pugnas eſſe *reuocata*? Fac dicto fidem, profer tabulas reuocationis, quo die, quo anno, à quo Pontifice reuocata ſint ediſſere, tu qui hæc inter tuos diceris noſſe tanquam vngues digitoſque tuos. Donec id feceris, interim mea ſunt omnia, *vſu* poſſideo. Quæ iſta, inquit, Bulla? quàm vera, quàm certa? Hic te expectabam; ſi enim & de hac dubitaturus eras *promulgatione*, cur eam poſtulaſti? quo tibi argumento vis illam perſuaderi? Romam habes, vbi originales litteræ. Dico pene idem, quod Hincmarus Remenſis Nicolao I. *Mitterem ipſam authenticam priuilegij chartam, quam beatæ recordationis præceſſor veſter Domnus Benedictus mihi ſua auctoritate direxit: ſed timui ne mihi inde aliquid ſiniſtri in via contingeret, & ſolatio quod inde aduerſus inſurgentium impetus habeo, fierem deſtitutus. Veſtra verò dignatio in ſcrinio ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, ex more, exemplar illud poteſt requirere, & vtrum ita ſe habeat, euidenter agnoſcere.* Aliud ego dicere non poſſum, atque hoc cum dixi, defendo nullum tibi dubium eſſe debere, quin *promulgationem toti Eccleſiæ vtilem ac proficuam fecerit ſummus Pontifex, ea qua pollet prudentia*, non quo cupiebas *auctoritatis* vſu.

Vrbanus 8. Religioſorũ priuilegia confirmauit.

Bulla In plenitudinem. 3 Id. Maii. ann. 1625.

Hincmar. epiſt. 2. ad Nicol. I.

## DE ANTIQVIS MONACHORVM CIRCA *Sacramentorum adminiſtrationem Priuilegijs.*

### CAPVT XXI.

IN COMMVNI priuilegiorum cauſa, quam hactenus egimus, ad Religioſa ſæpe reſpectandum fuit, quia frequentiùs occurrunt, & validiùs oppugnantur. Nunc collato pede pro ipſis ſolis dimicandum, & eorum antiquitas, neceſſitas, æquitas demonſtranda. Nam vt antea ſerie temporum declarauimus, mediæ ætatis Monachos non pauca ab antiquiſſimis accepta expoliuiſſe, & ſuis partibus abſoluiſſe; ſic priuilegiorum aliquem vſum primis ſeculis reperio, licet ea vox in vſu non eſſet, quæ augere, & firmiùs ſtabilire neceſſitas imperauit.

*In Monaſterio S. Hieronymi priuilegium baptizandi.* Hiero. ep. 60. 61. 62.

Priuilegium enim modò nemo non appellat, cuiuſcunque officij Eccleſiaſtici à Monachis & Religioſis in ſeculares homines, impendendi poteſtatem, quod Parochiæ competentius eſſe videatur. Id factum in Bethlèmitico ſuo Monaſterio, non diſſimulat S. Hieronymus, cum ait, in illo quinque fuiſſe Presbyteros, *qui ſuo iure poterant baptizare*, ſed noluiſſe contra ſtomachum Ioannis Hieroſolymitani quemquam baptizare. Quando inquam baptizare? *Circa dies Pentecoſtes*, quibus, vt & in Paſchate, ſolennis celebrabatur Baptiſmus. Cuius imperio & delegatione? Nullius profectò, cum id *iure ſuo* poſſent, non aliunde ab Epiphanio, vel Dionyſio corrogata auctoritate. Cur illud: Quia erant *in Monaſterio, non in Parochia* quæ Ioanni ſubiecta eſſet. Decebat enim *Monaſterium fratrum, & fratrum peregrinorum, qui eius prouinciæ nihil deberent* peculiari Epiſcopo nemini eſſe ſubiectum. Quos autem homines *baptizare poterant ſuo iure? Competentes quadraginta diuerſa ætatis & ſexus*; non Monachos, ſed ſeculares, & vt arbitror peregrinos, aut certè Monaſterij ſeruos, peregrinis curandis mancipatos: qui proinde ad idem S. Hieronymi Monaſterium pertinebanr, & ab Presbyteris Monaſterij baptizati fuiſſent in ipſo Monaſterio, non oblati Ioannis Presbyteris, non miſſi Dioſpolim ad Dionyſium, ſi bene ipſi cum Ioanne conueniſſet; dicente Apoſtolo, *omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt.*

*Huic argumento reſpondet Hallier in vin. p. 460.*

Vrget hæc Franciſcum Hallier controueſia, non ſemel à nobis libata, cui vt ſatisfaciat in ſpeciem, ne cogatur admittere ius in Monaſterio fuiſſe conferendi publicè baptiſmi, duo reſpondet 1. Ioannem Patriarcham Hieroſolymitanum ad cuius ditionem Bethlemiticus vicus pertinebat, tunc temporis ſuſpectum fuiſſe de hæreſi, & eius communionem auerſatum. Hieronymum cum Monachis ſuis, Archiepiſcopo Cæſareæ, & Antiocheno Patriarchæ communione adhæſiſſe, *à quibus forte poteſtatem quoque ſacra tribuendi, ob hæreſim Ioannis prædicti, eos habuiſſe ſuſpicio eſt.* Aduocandum huc pondus ſanctuarij, ad quod prior expendatur reſponſio, ne ſi alteram ſimul implicamus, tenebræ nos in ea commemorandæ, apprehendant. Verè dicis Ioannem tunc de

*Refellitur.*

Origenis hæreſi ſuſpectum, fauentem habere non potuiſſe malleum Hæreticorum Hieronymum. Verè addis in eius ditione fuiſſe vicum Bethlemiticum. At diſſimulas quod hoc libro ex ipſo S. Epiphanio, & Seuero Sulpitio demon-

demonſtrauimus, duas in eo vico fuiſſe Eccleſias, Parochiæ, & Monaſterijs duas proinde ſpiritales iuriſdictiones, Ioannis in Parochiam, Hieronymi in Monaſterium. Pendentem hanc ab illa minimè fuiſſe, cum neglecto Ioanne, ab Epiphanio Hieronymi ſui Prælati amico poſtulent Monachi, Paulinianum ſibi Presbyterum ordinari, qui debita nomini ſuo exercerer ſacrificia.

*Monaſterium S. Hieronymi non erat ſubiectum Ioanni Hieroſolym.*

Quorum poſtulationem non remiſit Epiphanius ad Ioannem vt ordinarium; non ad Epiſcopum Cæſarienſem, vt ad Metropolitanum, non ad Antiochenum, vt Patriarcham: ſed hominem ſine cunctatione per Diaconos apprehenſum, primò Diaconum, deinde Presbyterum conſecrauit, addita etiam ad ipſos Presbyteros, & cæteros fratres epiſtola amicè obiurgatoria, *quare non ſcripſiſſent ſuper eo, cum ante annum multos eorum queri audiſſet, cur non haberent qui ſibi Domini Sacramenta conficerent: & illum omnes ſuo poſcerent teſtimonio: quare tunc repenta opportunitate non ſcripſiſſent nobis, neque ſuper ordinatione eius aliquid popoſciſſent.* Hæc fieri permiſiſſet Hieronymus, poſtulaſſent Monachi, feciſſet Epiphanius, qui reſpondiſſe dicebatur, *nunquid iuuenis ſum, aut canones ignoro?* ſatisfeciſſet Ioanni ſcribens ſe Monachum ordinaſſe *in Monaſterio, & non in Parochia quæ ei ſubiecta ſit*, ſi Parochiæ ſubditum verè fuit Monaſterium. Subiungis alia in quibus me habes conſentientem. Fidei concordia fuiſſe & Epiſcopo Cæſarienſi, & Antiocheno Patriarchæ coniunctum Hieronymum: fuiſſe tum temporis Palæſtinæ Metropolim Cæſaream, totiùs Orientis Antiochiam. Verùm hoc à te mihi liquidò probari velim, à duobus illis, aut eorum altero *poteſtatem ſacra tribuendi* poſtulaſſe & impetraſſe Hieronymum; imo hunc fuiſſe tempeſtatis illius morem, vt ſpreto Epiſcopo proprio indemnato, tantùm ſuſpecto hæreſis; *nondum omnino orbi noto* liberè, non repugnantibus canonibus, & Hierarchicis legibus, ad Metropolitanum concurrerent Clerici ſubditi, eiuſmodi poteſtates rogaturi. Cur autem petijt Hieronymus ſi vti nolebat? Quàm ſuperfluè Presbyteris Ioannis obtulit, ſi eam poteſtatem habebat? Quàm ineptè vtriuſque Præſulis auctoritati derogans, eos ad Epiſcopum Dioſpolitanum longè inferiorem, baptizandos ablegauit? Denique ſi hoc quinque illi *ſuo iure poterant*, quid erat opus impetrata aliunde facultate? Reſpondes, vt arbitror, id à te tanquam certum non afferri, ſed particulis dubitantibus mitigari. At ego dicti mei veritatem doctiſſimorum ſanctiſſimorumque virorum conceptis verbis ſtabilio; quam tu vno *forte*, &, *ſuſpicio eſt*, putas poſſe conuelli. Meminiſti quid Ioanni ſuo Hieronymus obijciat, togatum ipſum Palæſtinæ, reſpondere Alexandriæ? Quid tu? num rogatus Bethlemi, reſpondes Antiochiæ? Ipſum ait manum peti, pedem porrigere: Imo tu pedem ſtruis, vt illa ſaltem dubitatione euadas, dum melius nihil habes in numerato, quod offeras Lectori, vt quia bibliothecam circumferre non poteſt, vnde Hieronymum conſulat, præſente pecunia contentus eſſe cogatur.

*Non petijt Hieronymus diſpenſationem à ſuperioribus Epiſcopis.*

*Dubia certis opponit Hallier.*

Reſpondet deinde aduerſarius, in re Hieronymi neceſſitatem aliquam fuiſſe conferendi quantocyùs Baptiſmi. Nam *circa dies Pentecoſtes, cum obſcurato iam ſole, omnis mundus iam iamque venturum iudicem formidaret*, in eo caſu & periculo, non tantùm Monachis Sacerdotibus, verùm etiam alijs quibuſcunque ius baptizandi fuiſſe nemo dubitat. Solis iſte defectus multas animo meo tenebras parit. Eſt enim mihi obſcurum, an illi *quicunque alij*, Sacerdotes ſint, an Laïci? cogitet-ne aduerſarius de publico, non de priuato baptiſmo eſſe quæſtionem? velit-ne proinde omnibus *quibuſcunque, ius* eſſe ſupremis tem-

*Ex imminente periculo nihil probat.*

poribus Catechumenos ritu publico luſtrandi? Hoc ſi putauit Hieronymus, cur ad id officij Ioannis Preſbyteros inuitauit repellendus? cur *ſuſpicio eſt*, & *forte* miſit Cæſaream & Antiochiam, vt facultas impetraretur, quam nemo dubitat *alijs quibuſcunque in his caſibus* fuiſſe legitimam? Cur baptizandos ipſe miſit Dioſpolim, & non potiùs Monachos omnes, cum Preſbyteris illis quinque, huic applicuit miniſterio tali loco, ac tempore, tam vrgente & horrendo periculo? Nihil ergo verum ac ſolidum profert aduerſarius, vnde vetet nos credere, Bethlemiticum Hieronymi Monaſterium, à Ioannis Hieroſolymitani iuriſdictione fuiſſe liberum, & in eo Sacramenta peregrinis, aut ſeruis adminiſtrandi ius fuiſſe. Propero ad alia.

*Monaſteriorum familia ampla & copioſa.*

Frequentior apertiorque eſt familiæ Monaſticæ ſecularis notitia; in ijs Monaſterijs quæ facultatibus adundarunt. Conſtat enim plures in ijs vixiſſe ſeruos qui terram colerent, vites ſererent, armenta gregeſque paſcerent, huc illucque miſſi commearent. Hi vel primitus Monaſterio traditi, vel liberorum procreatione amplificati, ſalubri conſilio diuiſi ſunt in pagos & Parochias, quibus Preſbyter vnus è Monachis ipſis præficiebatur: factumque procedente tempore, vt quos priùs ſeruos habuerant, poſtea vectigales & feudatarios haberent. Inde Parochiæ Regularibus etiamnum ſubiectæ, quas vel per ſe, vel per Vicarios perpetuos ipſi primarij, aut, vt vocant, primitiui Parochi adminiſtrant. Quæ omnia pluribus exemplis demonſtrare facillimum eſt. Nam Benedictini ordinis nomine Apologiam ſcribens Petrus Venerabilis, negat fieri poſſe aut decere, vt Religioſi *aſperrimum ipſis quoque ruſticis & bubulcis agriculturæ laborem ferant, & tam duram rurū euerſionem & ſubuerſionem aliquando æſtus ardore, aliquando imbrium, niuium, & frigoris importunitate ſociata patiantur.* Ruſticos igitur ſeruos & ancillas legitimè poſſidere permittuntur. Id verò accidit ob ingentes Ordinis facultates, piorum virorum, maximéque Epiſcoporum liberalitate donatas: quarum poſſeſſionem & licitam Monachis, & vtilem ſeruis eſſe, docet idem Petrus Cluniacenſis, & exemplum ponit in caſtro, quod *ſi Monachis detur, caſtrum eſſe deſinit, & eſſe Oratorium incipit. Nec vltra quiſquam exinde aduersùs corporeos hoſtes in corporali acie dimicat, ſed ſpiritales ſpiritalibus iaculis propellere conſueſcit.* Apud Bedam, & ipſum nomine viraque venerabilem, legimus, *Donatas munere regio poſſeſſiones, & territoria ad inſtituenda Monaſteria*, & totam inſulam Hydeſtin Monachis Scotorum traditam, *cuius Monaſterium regendis Septentrionalium Scotorum populis præerat.* Alibi quoque narrat Regem Oſuui Monaſterio *duodecim poſſeſſiunculas terrarum donaſſe, quæ erant ſingulæ decem familiarum, id eſt, ſimul omnes, centum viginti.* In ipſa quoque Petri Damiani eremo famulorum Monaſterij fit mentio, qui & laïci oppoſiti Monachis dicuntur, & iubentur *per totius anni circulum tribus per hebdomadam diebus tenere ex more ieiunium; duabus verò quadrageſimis neque vini, neque etiam piſcis perceptionem eis concedi.*

*Vnde Parochiæ quædam Regularibus ſubiectæ ſint.*

Petr. Ven. l. 1. ep. 28. ad Bernar.

Idem eadem epiſt.

Beda l. 3. hiſt. c. 3.

Ibid. c. 24.

Petr. Dam. Opuſc. 14.

*In Monaſterij ſeruos & ſubditos iuriſdictio.*

His ergo ſeruis & ſubditis, quandiu Monaſterij ſeptis aut clauſi, aut vicini fuerunt, certum eſt communi priuilegio adminiſtrata in Cœnobio Sacramenta, & aduersùs eos exercita à Monachis Parochialia munia. Nam in S. Medardi Monaſterio, inter cætera priuilegia, de quibus mox, donatur à Gregorio Magno *Conſecratio fontium*, qui alio loco Agapeti Abbatis querimonia permotus, Ioannem Epiſcopum reprehendit, quod in eius Monaſterio *Miſſas prohibeat celebrari, & ſepeliri mortuos interdicat.* Iubet autem idem Pontifex, *de Monaſterio*

Greg. l. 2. in priuil. S. Medard. Indict. 11.

Idem l. 8. ep. 22. Indict. 9.

*Monaſterio S. Andreæ baptiſterium, propter Monachorum inſolentias auferri, atque in eodem loco, quo fontes ſunt, altare fundari.* Erat igitur tum in Monaſterio conferendi baptiſmatis locus, atque ille, non quia Monaſtico inſtituto repugnabat, ſed quia eius occaſione multa à Monachis turbabantur, ſublatus eſt. Et vt omnia ſemel finiam, in Concilio Toletano permittitur Epiſcopo cuilibet *vnam de Parochianis Eccleſijs ſuis Monaſterium dicare, vt in ea Monachorum regulariter congregatio viuat.* Cui & poſſeſſiones tradere citra Eccleſiæ incommodum, datur licentia. Hic & tum Parochiani omnes illi, certè Monachi non fiunt, ſed Monachis ſubditi; neque ad aliam Parochiam tranſeunt, ſed in vetere ſua, quod nouum Monaſterium eſt, Parochialibus officijs à nouis dominis, videlicet Monachis, gubernantur.

Idem li. 2. ep. 57. Ind. 9.

Concil. Toletan. 3. c. 4 habetur 12. q. 2. Si Epiſcopus.

Cum verò creſcente multitudine, ſeu ſponte donata eſſet familia, ſeu liberorum procreatione propagata, diuiſi ſunt in vicos, non dubito quin è Monaſterio eductus ſit Preſbyter Sacramenta miniſtraturus, & Parochialia numera ſub Epiſcopi auctoritate functurus. Cuius rei exemplum illuſtre pono in Cluniacenſibus, qui licet expreſsè non dicantur ipſi Parochialibus miniſterijs defungi, hoc tamen primis temporibus factum, res & ratio cogit credere. Itaque Petrus Venerabilis probat æmulis, Cluniacenſes Monachos Eccleſiæ auctoritate Parochiales Eccleſias poſſidere: atque in Bibliotheca Cluniacenſi plures numerantur Eccleſiæ & capellæ, *quæ ſunt in omnimoda diſpoſitione R. D. Abbatis Cluniacenſis, ratione ſuæ dignitatis Abbatialis.* Et huc fortaſſe trahi poteſt eiuſdem S. Gregorij decretum de Monachis ordinandis, ad Candidum Epiſcopum; *Præſentibus vobis licentiam damus epiſtolis, Monachos de Monaſterijs in tua Parochia poſitis, cum conſenſu Abbatis ſui tollere, & Presbyteros ordinare.* Quos ſic conſecratos, alibi vetat ad Monaſterium regredi. *Quiſquis autem ex prædicto Monaſterio ad Eccleſiaſticum ordinem peruenerit, vlteriùs illic nec aliquam poteſtatem, nec licentiam habeat habitandi.* Nimirum non ijs tantùm qui Monaſterio ſubditi eſſent; ſed & alijs promiſcuè fidelibus, ad inſtar ſecularium Clericorum, præfici poſſe cum cura Monachos, decernit S. idem Gregorius, & poſt eum Bonifacius IV. vt D. Ambroſium omittam, cuius locus à Gratiano citatus in dubio adhuc eſt, vere-ne Ambroſianus ſit exiſtimandus. S. autem Gregorij verba ſunt *Sacerdotibus Monachis, Apoſtolorum figuram tenentibus, liceat prædicare, baptizare, communionem dare, pro peccatoribus orare,* publica videlicet oratione, de qua nos vbi Pœnitentes conſiderabimus, *pœnitentiam imponere* (ſeu publicam, ſeu priuatam) *atque peccata ſoluere.* Proba ratio, vt qui Apoſtolicam vitam ſequuntur, Apoſtolicis munijs applicentur; quod cum nouum nonnullis videretur, atque adeò in ortu ſuffocandum, Bonifacius, qui S. Gregorium quarto gradu conſecutus eſt, in Concilio idem ſtatuit, *à Sacerdotibus Monachis ligandi, ſoluendique officium, Deo operante, dignè adminiſtrari.* Additque rationem, non huius loci & Hierarchiæ, *quia quantò quiſque eſt celſior, tantò eſt & in his potentior.* Tanti facit Monaſticas exercitationes, quatenus feliciùs comparant, magiſque idoneum reddunt Monachum ad clericalium officiorum geſtionem, quæ neque ab inſtituto remota eſt. *Neque enim B. Benedictus Monachorum præceptor almificus, huius rei aliquo modo fuit interdictor. Sed eos ſecularium negotiorum edixit expertes fore tantummodo.* Sic explicata à tanto Pontifice inſtituti Benedictini norma, plus iuſtò confirmata ſunt, quæ de ea ſuperiùs fusè diſputauimus.

*Parochus è Monaſterio eductus.*

Petr. Vene. l. 1. ep. 28. cit. ad Bernard.

Biblioth. Cluniac. p. 1753.

Greg. l. 5. ep. 27 Ind. 14.

Idem l. 7. ep. 18. Ind. 1.

16. q. 1 c. Ex auctoritate.

*Sacerdotes Monachi Apoſtolorum figuram tenent.*

Ibid. C. Sunt nonnulli.

*Monachi ſecularium tantùm negotiorum expertes.*

*Monachi extraordinaria commiſſione alienam ſalutem curarunt.*

Beda l. 4. hiſt. Angl. c 27.

Ordinarijs autem iſtis, recentes aliquos nonnunquam ſummiſſos, non obſcurè indicat Anglicana Bedæ hiſtoria. *Erat quippe moris eo tempore populis Anglorum*, inquit, *vt veniente in villam Clerico, vel Presbytero*, (qui omnes tum erant Monachi) *cuncti ad eius imperium verbum audituri confluerent, libenter ea quæ dicerentur audirent*. Narratque de Cudberto Monaſterij Præpoſito, qui *ad corrigendum errorem crebrò ipſe de Monaſterio egreſſus, aliquotiens equo ſedens, ſed ſæpius pedibus incedens, circumpoſitas veniebat ad villas, & viam veritatis prædicabat errantibus: quod ipſum etiam Boïſil ſuo tempore facere conſueuerat.* De hoc ſalubri excurſu, quem miſſionem appellamus, non minùs quàm de alia peregrinatione, intelligi debet Canon Tarraconenſis Concilij ſub Hormiſda, *Monachi à Monaſterio egredientes foras, ne aliquod miniſterium Eccleſiaſticum præſumant agere; niſi forte cum Abbatis imperio.* Eius proinde permiſſu opus illud aggredi liberum fuit, & laudabile: populos autem illos ſubditos fuiſſe oportet, qui adeò ſubacta ceruice imperij illius iugum ſubirent.

Concil. Tarra. c. 11.

## *PRIVILEGIA QVÆDAM DIVERSIS MONAſterijs à Diuo Gregorio conceſſa colliguntur.*

§. I.

CELEBRIS eſt hac in priuilegiorum materia D. Gregorij fauor: qui Religioſum inſtitutum & auxit Monaſterijs, & ſaluberrimis monitis fundauit, & immunitatibus, quantùm per auctoritatem Pontificiam licuit, tranquillitati reddidit. Qualia autem ſint, & quid in ijs obſeruandum, hoc loco diſquirimus.

*Ante S. Gregorium priuilegia Monaſterijs data ſunt.*

Greg. l. 2. in Priuil. S. Medard. Indict. 11.

Chopp. de Iuri. Reli. l. 1. tit. 2. n. 19.

Greg. l. 7. ep. 35. Ind. 1.

I. Ante omnia meminerimus S. Gregorium non eſſe primum auctorem priuilegiorum. Siquidem Monaſterio S. Medardi priuilegium à Ioanne III. donatum eſt, anno Chriſti 592. Indictione 10. vbi conceſſum dicitur, *vt per omnia regulæ S. Benedicti artibus* (legendum fortaſſe *arctius*) *obediant, ſine vlla inquietudine*. Gregorius autem *confirmare ſe* profitetur, *priuilegia à Ioanne prædeceſſore ſuo conceſſa vel indulta*. Et in Caſtellienſi Monaſterio, queritur factum ab Ioanne Epiſcopo *contra ea quæ à prædeceſſoribus eius* (Epiſcopis) *promiſſa, ac conſuetudine longa ſeruata ſunt*. S. Vincentij quoque Pariſienſis Monaſterium, S. Germanus, illi nomen aliquando daturus, immune fecit à ſucceſſorum ſuorum viſitatione, & Iuriſdictione, anno 556. regnante Pariſijs Chariberto Rege Francorum.

Choppin. loco cit.

*Hæc vni loco non toti ordini conceſſa.*

Choppin. loco cit.

II. Deinde ſingularia hæc eſſe priuilegia, id eſt, vni conceſſa Cœnobio, non vniuerſo cuidam ordini; propter allatam olim rationem, Monaſteriorum ſingulorum ſua lege viuentium, ſine vlla inuicem connexione & dependentia. Quamobrem cum Monaſterium S. Medardi *caput Monaſteriorum totius Galliæ conſtitutum* aut Ioannes, aut poſt eum S. Gregorius, honoris ac dignitatis, non Iuriſdictionis prærogatiuam, certè in omnia, illi conferre cenſentur. Sunt igitur ſingula ſingulis donata Monaſterijs, diuerſa diuerſis; alia ratione, quàm cum modò vniuerſo Mendicantium Ordini confertur immunitas, eaque deinde tranſſumpta, & in omnes terrarum plagas delata, Religioſi eius familiæ perfruuntur.

*Non ſine*

III. Præterea ſic auctoritatis Apoſtolicæ plenitudinem, in his interponere Pontificem

Pontificem, vt tamen priuatorum Epiſcoporum accedat arbitrium; ſeu hoc illi poſtulent, vt Anſericus Sueſſionenſis Antiſtes, pro Monaſterio S.Medardi, ſeu in Concilio congregati conſentiant & ſubſcribant; vt in eodem priuilegio plerique Gallicani, Itali, Anglicani Epiſcopi. Nondum enim illis temporibus erigendorum confirmandorumque Ordinum, & Cœnobiorum curam omnem in ſinum Romani Pontificis coniecerant, reliquarum Eccleſiarum Prælati. Excipio quoſdam minùs æquos, Antiſtites, quorum iniuſtis occupationibus ſubtrahenda fuit materia peccandi; vt in Caſtorio Ariminenſi ſatis apparet.

*Epiſcoporum conſenſu data.*

Greg. l.5. ep.41. & 43. Indict. 14.

IV. Venio ad ipſa priuilegia, & aio, communiter exemptiones illas, & rebus temporalibus conſuluiſſe, & liberæ Abbatum electioni. Nam quia ius integrum in Monaſteria poſſidebant Epiſcopi, iuxta Canonem Chalcedonenſem, facultates externas ad arbitrium vſurpabant, magnoque comitatu graues ad Monaſterium ſæpe ventitabant. Præterea Laïcos in eam diſpenſationem intromittebant, vt patet in cauſa Monaſterij Caſtellienſis; item in Monaſterio Claſſitano, vbi concludit in hæc verba: *viſitandi, exhortandique gratia ad Monaſterium quoties placuerit, ab eiuſdem ciuitatis Antiſtite accedatur. Sed ſic caritatis officium illic Epiſcopus impleat, vt grauamen aliquod Monaſterium non incurrat.* Nam ſi nonnullorum Epiſcoporum onus intolerabile in præſtandis viſitationum expenſis Preſbyteri experiebantur, quantò magis Monachi, genus hominum contemptui expoſitum? Huic malo prouidere voluerunt Valentini Concilij Patres, decernendo ſapienter, vt *ipſa viſitatio plebium, & Parochialium Sacerdotum, iam moderatè fiat; vt manifeſtum ſit ſiue per nos, ſiue per noſtros ſola ibi animarum lucra perquiri, nec aliquem importunitate & nimietate grauari & contriſtari.* Quod cum non fieret, iam ante Regem Carolum Caluum adierant Preſbyteri Septimaniæ, & ſupplici libello poſtulauerant, vt vnum modium frumenti, vnum hordei, vnum item vini menſuræ publicæ & probatæ, cum ſex denarijs, Epiſcopi à Preſbyteris acciperent, nec illi ampliùs exigerent: aut pro his omnibus duos ſolidos in denarijs. Sublata igitur Epiſcopis eſt rerum temporalium adminiſtratio, imo & notitia. Cum Luminoſo ſcribat, *A te Monaſterioque tuo cunctam læſionis funditus abſtulimus poteſtatem, vt nec vltra in veſtro verſetur grauamine, nec Monaſterij res deſcribat.* Et ipſi Caſtorio Epiſcopo, *Obeunte Abbate Monaſterij ipſius, Eccleſia tua in deſcribendis prouidendiſque acquiſitis, acquirendis-ve eiuſdem Monaſterij rebus, nulla ſe occaſione permiſceat.* Et de Claſſitano Monaſterio decernat, *Obſeruandum quoque eſt vt deſcriptio rerum aut chartarum eiuſdem Monaſterij, ab Eccleſiaſticis fieri non debeat, ſi quando res exigit: ſed Abbas loci cum Abbatibus alijs rerum inuentarum atteſtationem faciat.* Idem indulgeat Maſſilienſi Abbatiſſæ Reſpectæ, *In rebus autem, vel in diſpoſitione Monaſterij eiuſdem, nec Epiſcopum, neque Eccleſiaſticum quempiam aliquam habere decernimus poteſtatem: ſed hac ad ſolicitudinis tuæ, vel quæ poſt te in eodem loco fuerit Abbatiſſa, curam ſtatuimus per omnia pertinere.*

*Priuilegijs illis rebus temporalibus conſultum.*

Greg. l. 7. ep.31.33. Indict. 1.

Idem l.7. ep.18. Indict. 1.

*Monaſteriorum grauamen in Epiſcop. viſitationibus.*

Concil. Valent. 3. can.17.

*Moderata viſitationũ expenſa.*

Capitul. Tholoſani tom. 3. Concil. Gallic.

Greg. l.5. ep.41. Ind. 14.

Ibid. ep. 43.

Idem l.7. ep.18. Indi. 1.

l.6. ep.12. Indict.15.

Eodem iure Monachis ad arbitrium ſuperiores dabant, id eſt, Abbates, quos volebant ipſis imponebant. Permittit ergo Pontifex, vt electionem illam pro more regat Epiſcopus, ex eadem tamen, quantùm fieri poterit, congregatione, aut certè ex aliquo Monachorum ſodalitio Abbatem curet eligendum, excluſis Clericis, qui hoc honoris genus cupidè ambiebant. Hæc

*Libera Abbatum electio.*

l.9.ep.18. Indict. 1. penè omnia exprimuntur in cauſa eiuſdem Claſſitani Monaſterij, & ad Maximinianum Syracuſanum. *Presbyteros, Diaconos, cæteroſque cuiuſlibet ordinis*
l.3.ep.11. Indict.12. *Clericos, qui in Eccleſijs quoquomodo militant, Abbates per Monaſteria eſſe non permittas, ſatis enim incongruum eſt, ſi cum vnum ex his pro ſui magnitudine, diligenter*
Clerici & Parochi non poſſunt eſſe præfecti Monaſteriorum. *quis non poſſit explere, ad vtrumque iudicetur idoneus: ſicque inuicem & Eccleſiaſticus Ordo vitæ Monaſticæ, & Eccleſiaſticis vtilitatibus Regula Monachatus impediatur.* Quæ obſeruatio eos ferit, qui Presbyteros ſeculares, & Parochos, Monaſterijs
l.5.ep.61. 63. Ind.14. Monachiſque præfectos cum poteſtate fuiſſe ſemper aſſerunt. Atque vt maiori cum tranquillitate Monachi ſacris operentur, in Monaſterio Ariminenſi vetat publicam eſſe proceſſionem, & publicas miſſas per Epiſcopum fieri.

Ius viſitandi ſeruare ſolet Epiſcopum Gregorius. Iuriſdictionem autem Epiſcopalem viſitandi, dirigendi, corrigendi ſolet integram Epiſcopo relinquere. Sic Ioanni Schillitano. *Serua in omnibus quæ à tuis prædeceſſoribus promiſſa ſunt ac ſeruata, cura tua ſit circa actus ac vitam conſiſtentium*
l.7.ep.34. Indict.1. *illic Monachorum te vigilantem inſiſtere.* Sic Fortunato Neapolitano: *In eodem Monaſterio nec fraternitas tua, nec Presbyteri, præter diligentiam diſciplinæ, aliquid mole-*
l.7.ep.15. Indict.2. *ſtiarum inferant.* Qua in re præclara ſunt iudicia duo in vnitorum Monaſteriorum cauſa. Monaſterium enim Marcianum euerſum, Nucerino Epiſcopo ſubiectum, adiungit Monaſterio Agapiti Abbatis, in Epiſcopi Surrentini ditione poſito, vultque Nucerino manere ſubditum, non Surrentino; licet iſti
l.9.ep.67. Indict.4. quaſi ſuperædificatum. *Nam ſic huius loci ordinationem diſponimus, vt tamen iura ſua ſingulis Epiſcopis inuiolata ſeruemus.* Craterenſe quoque Monaſterium, bellorum calamitate deſtructum, Neapolitano Monaſterio cóiungit, & Nea-
l.11.ep.4. Indict.6. politani Epiſcopi iuriſdictioni attribuit, repugnante fruſtra Capuanæ vrbis Antiſtite, & falsò afferente *locum iſtum olim Monaſterio ſuæ Diœceſis ſuæ fuiſſe coniunctum, & idcirco minimè in alterius Eccleſiæ ius debere contradi.*

Ariminenſe Monaſterium ab Epiſcopi iuriſdictione exemptum. Nihilominus Monaſterium Ariminenſe, ab omni penitus Epiſcopi iuriſdictione reddit immune, ſolo ordinandi Abbatis iure ſeruato. *Illa videlicet ei iuriſdictione relicta, vt in defuncti Abbatis locum, alium quem dignum communis conſenſus congregationis elegerit, debeat ordinare.* In Auguſtodinenſi quoque Xeno-
l.7.ep.34. Indict.1. dochio ſimul, & Monaſterio, ciuitatis Epiſcopo in Abbatem & Presbyterum loci nullum ius relinquit, vt eum loco mouere poſſit, *niſi cauſa criminis ſpecia-*
l.11.ep.10. Indict.6. *liter exigente.* Quo caſu iubetur idem Auguſtodinenſis Epiſcopus, cum ſex alijs Epiſcopis cauſam cognoſcere: *quatenus cunctis concorditer iudicantibus, canonicæ diſtrictionis cenſura aut reum ferire, aut innocentem poſſit abſoluere.*

Monachi non ordinantur ſine conſenſu Abbatis. Eſt & alia frequens immunitas ab Epiſcopi poteſtate, circa ordinationes Monachorum in Clericos & Presbyteros. Quas vetat idem Pontifex fieri ſine Abbatis conſenſu: vt in Claſſitano priuilegio. *Pariter cuſtodiendum eſt, vt inuito eiuſdem Monaſterij Abbate, ad ordinanda alia Monaſteria, aut ad ordines ſacros,*
l.7.ep.18. Indict.1. *vel Clericatus officium, tolli exinde Monachi non debeant. Sed ſi abundantes fuerint ad vtilitates Monaſteriorum complendas, offerat Abbas quos coram Deo inuenire potuerit; quod ſi ſufficienter habens dare noluerit, tunc Rauennas Epiſcopus ad ordinanda alia Monaſteria, de his qui ſuperſunt, tollat. Ad Eccleſiaſticum tamen officium nullus exinde producatur, niſi quem Abbas loci admonitus, propria voluntate obtu-*
l.5.ep.27. Indict.14. *lerit.* Quare Candido Epiſcopo Monachorum ordinandorum licentiam poſtulanti, non permittit, niſi *cum conſenſu Abbatis ſui.* Huic priuilegio aliud addit in Auguſtodinenſi Monaſterio, idque *iuxta deſiderium conditorum,*
*ſeu*

*ſeu Fundatorum Brunechildis & Theodorici nepotis : ut nullus eorum qui eidem Xenodochio, atque Monaſterio, Abbas aut Presbyter in poſterùm fuerit ordinatus, ad Epiſcopatus officium quacumque obreptione ſit auſus accedere.* Et cauſam addit pro rei familiaris conſeruatione, *Ne res Xenodochij iniqua erogatione conſumens, grauiſsimam egeſtatis neceſsitatem pauperibus ac peregrinis , vel cæteris ex inde euenientibus generet.* Idem poſtea Stephanus Iunior Abbati S. Dionyſij Fulrado conceſſit, *vt nullo modo Concilium Epiſcoporum & Laicorum, abſque voluntate Excellentiſsimi filij noſtri Pipini Regis, vel tua dilectionis , Deo amabilis vir, te audeat quoquomodo Epiſcopum conſecrare.* Quem ad locum prouoco Doctorem Hallier, negantem licere voto vllo Epiſcopatus ſuſcipiendi poteſtatem à ſe abdicare, ne quod Eccleſiæ damnum, idonea recuſante perſona, ingeneretur. Nam ſi poſſunt vetare Pontifices, ne quis vnquam ex eo officio ad Epiſcopatum ſe traduci patiatur; non poterit ille quiſquis eſt, decreto Pontificio vim ſolennis aut priuati voti adiungere? Si vnius Xenodochij & Monaſterij bonis temporalibus hac ratione S. Gregorius mauult conſulere, quàm illi vtilitati, quæ in Diœceſi ex hominis illius ordinatione in Epiſcopum ſperaretur: quidni permittat Pontifex, vt eadem via, ſpiritali Ordinis cuiuſdam vniuerſi bono conſulatur? Sed hæc in tranſcurſu; priuilegia repeto.

*Priuilegium vt Monachus in Epiſcopum non aſſumatur.* *l. 11. ep. 10. Indict. 6.* Steph. 2. in priuil. Fulrado conceſſo tom. 2. Concil. Gall. *Refellitur Hallier* l. de Sacr. ord. p. 238. *vbi quibuſdam circumſtantijs mitigat, quod alibi abſolute & ſimpliciter pronunciauerat.*

## *PRIVILEGIVM MONASTERII SANCTI Medardi Sueſsionenſis expenditur.*

### §. II.

MONASTERIVM S. Medardi Sueſſionenſis tantis immunitatibus, tam ſolenni ritu, tanta cum Religione, primum à Ioanne III. deinde à Gregorio Magno Pontifice verè optimo maximo decoratum ac munitum eſt, vt in hoc diſputationis Religioſæ curſu, neque in cæterorum turbam conijci debuerit, neque leui manu à nobis perſtringi poſſit. Nam vt Monaſteriorum Galliæ caput, ab antiquis illis Pontificibus conſtitutum eſt, ſic Priuilegiatorum caput, & exemplum, aut ſi mauis, epitome potuit appellari. Et ſi huius ipſius decreti aſpectu faciliores redditos Summos Pontifices, ad priuilegia Mendicantibus Ordinibus concedenda: æquiores autem ad eadem ſuſcipiẽda eſſe debere Gallicanos Antiſtites, quod hæc ab ipſorum, & Regum noſtrorũ maioribus profecta eſt ſupplicatio, & primùm in Gallia, agentibus Galliæ Epiſcopis, viſa & lecta eſt Romanorum Pontificum Bulla ſolennis, qua Religioſi ab Epiſcoporum Iuriſdictione exempti, Papæ immediatè ſubijciuntur: ſi inquam hæc confidenter dixero, quis æquus rerum arbiter audaciæ, temeritatiſque coarguat? Vt ergo ſit euidentior eius amplitudo, rem totam in ſua capita diſpertior, locum, & perſonas: in loco Monaſterium ipſum, & eius poſſeſſiones: in perſonis Monachos & externos; in Monachis Abbates, & ſubditos, indulti fauoris gratia munit & conſeruat.

Habetur l. 2. poſt 38. Indict. 11. *& Ioannis ipſum Diploma magna ex parte refertur à* Chopp. li. 1 de Iurib. Relig. tit. 2. n. 19.

Locus eſt liber, & velut ſui iuris. *Ne viléſcat tantæ ſublimitatis locus, nullius ditioni patimur ſubeſſe.* Quare ſi quid noui inciderit, ad Romanam cathedram recurrendum eſt. *Cuius rectores & filij, præſentes & ſucceſſuri, tantùm ſub Regum cuſtodia poſiti, admonitionem S. Petri, & ſucceſſorum ſuorum, huius S. Romanæ ſedis Pontificum auctoritate proclament.* Quod vt faciliùs fiat à Monachis, Brunechildis Re-

*Loci exemptio.*

gina, *reditum terrarum delegauit, ſitos in itineris ſpatio, fratribus dirigendis in via tamen itineris profuturos.* Sic deinde Cluniacum Monaſterium Agapetus Papa in Eccleſiæ Romanæ ditionem ſuſcepit. *Itaque ſit illud Monaſterium, cum omnibus rebus vel quas nunc habet, vel quæ deinceps tibi tradita fuerint, liberum à dominatu cuiuſcunque Regis, aut Epiſcopi, ſiue Comitis, aut cuiuſlibet ex propinquis ipſius Guillelmi.* Vnde gloriatur Abbas Pontius, aduersùs Matiſconenſem Epiſcopum: *Cluniacenſis Eccleſia, ſoli Romanæ Eccleſiæ ſubiecta eſt, & Papæ propria, & ex quo fundata eſt, à Romano Pontifice obtinuit priuilegia, quæ proclamator iſte abolere nititur.* Et poſtea Petrus Venerabilis, quærentibus cur proprium Epiſcopum non agnoſcant Cluniacenſes; *Patet nos proprium Epiſcopum habere. Quis enim rectior, quis verior, quis dignior Romano Epiſcopo Epiſcopus poteſt inueniri? Hunc vnum ſolum & maximum nos habere Epiſcopum gloriamur; huic ſoli ſpecialitèr obedimus: ab hoc ſolo, ſi cauſa, quod abſit, exigeret, interdici, ſuſpendi, atque excommunicari poſſemus.* Sic Stephanus Iunior Fulrado S. Dionyſij Abbati, Monaſteria extruendi poteſtatem elargitur, *& omnem cuiuſlibet Eccleſiæ*, inquit, *Epiſcopum, aut alium quempiam Sacerdotem, in præfatis Monaſterijs ditionem quamlibet habere, præter Sedem Apoſtolicam, hac auctoritate prohibemus.*

In Bibliot. Cluniac. pag. 7.

Petr. Ven. l. 1. ep. 28. ad bo...

*Bona Monaſterij ſalua.*

De bonis Monaſterij idem iudicium, quod de loco ipſo, ne quiſquam ea minuat, & in alienos vſus transferat. *Statuentes nullum Regum, Antiſtitum, vel Iudicum, nullum quacunque præditum dignitate, ea quæ à præcellentiſſimis Regibus, vel quibuſlibet alijs Deum timentibus loco conceſſa ſunt, vel conferentur, ſub cuiuſlibet occaſionis ſpecie minuere, vel auferre, vel ſuis vſibus applicare.*

*Abbatis electio libera.*

Ad perſonas quod attinet, Abbatem in primis electione libera ipſi ſibi Monachi præponunt; *Concedimus etiam vt obeunte Abbate, non alius ibi quicunque obreptionis aſtutia ordinetur, niſi quem communis conſenſus Monachorum elegerit, aut præuiderit ordinandum.* Deinde quia res magni momenti hæc eſt, ſubditur, *auctoritate diuina, vice B. Petri Apoſtolorum Principis*, &c. *Decernimus vt nullus Archiepiſcoporum, vel Archidiaconorum, Fratres præfatæ Baſilicæ, de ordinatione ſui Abbatis, vel Eccleſiaſticorum graduum aſſumptione inquietet; ſed ſecundum prærogatiuam ipſius loci, ordinationem ſui Abbatis ipſi Fratres peragant, & Eccleſiaſticorum graduum dignitatem ſuſcipiant.* Non concedit Pontifex, vt ſine vllo Epiſcopo, homini illi, cui Abbatis gradum dignitatemque electione conceſſerint, benedictionem impertiantur, quæ ab Epiſcopo ſolo conferri poteſt, ſoletque: ſed ne quis inuitis Monachis in eam electionem ſe interponat. Sic enim priuilegium Ioannis III. conceptum eſt, *Præſenti quoque priuilegio, hanc illi concedimus licentiam, vt defuncto Abbate, quemcunque voluerint Archiepiſcopum, Epiſcopum, cauſa ordinandi Abbatem, vocent.* Rem in Monaſterio Cluniacenſi explicatiùs tradit Abbas Pontius, *Conuentus Monachorum ſecundùm Regulam S. Patris Benedicti, Abbatem eligit; Electum Papæ cum litteris atteſtantibus dirigit, quem ipſe ſecundùm Eccleſiaſticū morem, conſecrat ac benedicit.* Quòd ſi aliquando eueniat vt in capitale crimen inciderit, cuius cauſa ſit exauctorandus, *Non priùs deponatur, donec depoſitores*, id eſt, Iudices in cauſa depoſitionis, *auctoritatem Apoſtolicā requirant, & ita ſint tres Metropolitani cum Suffraganeis ſuis, & Abbates quāplurimi.*

*Benedictio Abbatis ab Epiſcopo.*

*Monachi ordines ſuſcipiant à quocunque voluerint Antiſtite.*

De Monachis etiam præceptum, ne quis illos, *de Eccleſiaſticorum graduum ſuſceptione inquietet.* Cui ſimile decretum in Gallia præceſſerat, Agathenſi Concilio ſub Clodouæo Magno. *Si neceſſe fuerit Clericum de Monachis ordinari, cum conſenſu & voluntate Abbatis præſumat Epiſcopus.* Eo autem tempore Sublacum

cum ſolum, & montem Caſſinum S. Benedicti diſciplina tenebat. Pergit Pontifex, vt *Eccleſiaſticorum graduum dignitatem ſuſcipiant.* Nimirum à quocunque voluerint Antiſtite: ſic enim ſequitur, *Chriſmatis quoque, & olei, altaris, calicis, corporalis à quocunque voluerint Pontifice benedictionem expetant*: quia ab Epiſcopi proprij Iuriſdictione, ipſo etiam *ſuadente* eximuntur. Quæ facultas multis poſt ſeculis Monaſterio S. Germani Pratenſis in Vrbe conceſſa eſt à Paſchali II. Pontifice, *Omnis verò Abbas poſt te, qui à congregatione eiuſdem Cænobij, ſecundum regulam B. Benedicti electus fuerit, à Romano Pontifice, vel à quo maluerit Epiſcopo Catholico conſecretur. Præcipimus autem auctoritate Apoſtolica, ne quis Epiſcoporum oleum, chriſma, benedictiones, conſecrationes, ordines, vel quæque ex Pontificali miniſterio ſunt neceſſaria, eis, vel ſucceſſoribus eorum deneget.* Idem Cluniacenſi Ordini priuilegium indultum teſtatur Petrus Venerabilis, *Proferentur ſuo tempore noua loquenti, de theſauro Romanæ gazæ priuilegia noua & vetera, quibus vt Monachi Cluniacenſes, à quo maluerint Catholico Epiſcopo ſacros Ordines ſuſcipiant, Apoſtolica auctoritate decernitur; & omnis contradicens, niſi admonitus reſipuerit, anathematis vinculo innodatur.* Diſcet ex his Franciſcus Hallier, quantopere cupiat Eccleſia Monachos ſacris Ordinibus initiari, quos etiam in eam rem priuilegijs allicere non dubitat. Diſcet nouum non eſſe, quòd à proprio Epiſcopo literas dimiſſorias accipere non teneantur ex priuilegio Regulares, quod impugnat in grandi opere, & intruſa de Regularibus ordinandis appendice.

*Idem Monaſterio S. Germani conceſſum.* *Et Cluniacenſi.* Pett. Vene. l. 2. ep 33. *Admonetur Franc. Hallier* l. 2. de Sacr. Ordin. In append. de Regu. ord. § 8

Atque illud quod modò tanta ambitione flagitatur, tanta contentione retinetur ſcrutinium, in Monachorum ipſorum manibus relinquit Pontifex. *Scrutinij myſteria in ipſo Monaſterio celebrent.* Qui ſi quandoque deliquerint, *nullus eorum inuidia, aut odio Abbatis, quod abſit, comprimatur, vel extranearum perſonarum cenſura plectatur.* Quin potiùs *priuatim intra clauſtrum eiuſdem Monaſterij ab ipſo Abbate, & ſpiritualibus arguatur.*

*Scrutinium Monachis conceſſum.*

Pro externis hominibus, qui ad Monaſterium pertinent, eique deſeruiunt, hæc donantur indulta, vt à Monachis *Conſecrationes fontium celebrentur*: ne extra Monaſterium conferendo baptiſmo aquam petere ſit neceſſe. *Vt quicunque ſuper terras D. Medardi habitare voluerit, vel ſteterit, ſiue ſeruus, ſiue liber cuiuſcunque ſit, alterius dominio priuetur, & ſanctæ Genitricis ſeruicio aptetur, nec vltra redeundi licentiam habeat.* Et quoniam tot locupletatum poſſeſſionibus Monaſteriũ, ingentem ſubditorum populum recenſere debet, ijque per Eccleſias diſtribui; omnes illæ ſub cura & poteſtate Abbatis conſtituuntur, *vt qui fuerit rector præfati Monaſterij, fiat præterea altarium præſul, & omnium Eccleſiarum ſibi pertinentium.*

*Priuilegia pro externis ad Monaſterium pertinentibus.* *Abbas eſt præſul externarum Eccleſiarũ.*

Denique has omnes immunitates latiùs vult propagari S. Gregorius, & ad ſubiecta omnia Monaſteria pertinere. *Hæc igitur omnia, quæ huius Apoſtolicæ auctoritatis, & noſtræ præceptionis priuilegio continentur, præfati Monaſterij Rectoribus & filiis, præſentibus & futuris, & omnibus Monaſterijs ipſi loco ſubiectis, vel ſociatis, ſub Anathemate ſeruanda conſtituimus.*

*Extenduntur priuilegia ad Cœnobia ſubiecta.*

## *INSIGNE PRIVILEGIVM MONASTERII S. Dionyſij proponitur.*

§. III.

Habetur tom. 2. Concil. Gall p. 115. ex MS.

REligio ſit aliud prætcrire priuilegium, regio S. Dionyſij Monaſterio donatum à Stephano Iuniore, confirmatum à ſapientiſſimo Pontifi-

ce, ſub eo Rege, qui totus in diſciplinam Eccleſiaſticam reparandam conſeruandamque ſemper incubuit, quo tempore ne ipſa quidem calumnia quicquam excogitare permittat admiſſum, quod recto & bene conſtituto Hierarchiæ ordini repugnaret. Adrianus igitur Maginario Abbati Sandionyſiano poteſtatem iam olim conceſſam renouat, Epiſcopi proprij in Monaſterio, & ex Monaſterio habendi; ne qua in re ab alijs Hierarchis pendere cogatur. Sunt autem hæc eius priuilegij verba.

*Priuilegium habendi Epiſcopum Monachum pro Monaſterio. Electum ab Abbate & Monachis. A ſede Romana pendentem. Aliquo modo Abbati ſubiectum.*

*Quapropter auctoritate B. Petri Apoſtolorum Principis fulti, in iam dicto venerabili Monaſterio ſtatuentes promulgamus, vt penitùs liceat ibidem habere Epiſcopum, ſicut à priſcis temporibus, & vſque hactenus fuit. Et quando Epiſcopus præfati ſancti loci de hoc ſeculo migrauerit, & ultus ab Abbate & Monachis dignus electus fuerit, ſine qualibet controuerſia, pro longitudine itineris à vicinis Epiſcopis, ſicut mos exiſtit, conſecretur.* In hunc nullum ius alteri cuilibet Epiſcopo, ne Metropolitano quidem, ſed Apoſtolicæ Sedi immediatè ſubiacet. *Si verò qualibet diſcordia inter vicinos Epiſcopos, ſeu Epiſcopum prædicti Monaſterij, quod non optamus, orta fuerit, nullus audeat Abbate minimè annuente, ſæpius nominati Monaſterij Epiſcopum diſtringere, vel in qualibet iudicare parte. Quòd ſi Abbas eiuſdem Monaſterij vllo modo voluerit inter eos declamari, noſtris Apoſtolicis eueniant obtutibus, concordia reformandi.* Illud ergo iudicium in Abbatis arbitrio poſitum eſt, vt niſi eo volente, ne admittatur quidem. Neque in hoc tantùm Abbati ſuo ſubditus eſt Epiſcopus, ſed in ipſa officij ſui geſtione, ab eius conſenſu vetatur diſcedere. *Quæque emendanda & corrigenda ſunt, cum conſenſu Abbatis ſui, canonica inſtitutione, & ſecundùm ordinem cuncta peragat.* Vt iam minùs inſolens & intoleranda mihi videatur apud Hibernos Abbatis Monaſterij S. Columbani poteſtas Hierarchica, in ipſos Hierarchas, de qua hoc libro nonnihil diximus. Fallor autem niſi Fulradus, de quo antea, cum priuilegio ab Epiſcopatu admittendo ſolutus eſt, plus aliquid credidit eſſe Franciæ Archipreſbyterum, Epiſcopi Abbatem, plurium Monaſteriorum auctorem, quàm paucarum Parœciarum Epiſcopum, ab Abbatis imperio non penitùs immunem.

*Subditi eius Epiſcopi.*

In quos igitur Iuriſdictionem exercebit priuatus ille Epiſcopus? In Eccleſias, & earum Parochos Monaſterio ſubiectos, *Per hanc auctoritatem Apoſtolici priuilegij noſtri, Epiſcopus ex ipſo venerabili Monaſterio canonicè curam paſtoralem ſolicitudinis miniſterij ſui in Prælatis adiacentibus, vel ſubiacentibus locis habeat.* Vel ſemel hic agnoſcent aduerſarij Parochos Monachis ſubiectos; Eccleſias integras laïcorum hominum, Monaſterij Iuriſdictioni ſuppoſitas, quod & clariùs ex alijs verbis mox apparebit.

*Eius munia.*

Quæ verò ſunt eius Epiſcopi munia? Planè quæ aliorum. Verbi diuini prædicatio, *Quia nolumus vt lumen quod ibidem hactenus tanto tempore per Epiſcoporum prædicationem claruit, noſtris temporibus extinguatur.* Ea autem non interiùs ſolùm Monachis, aut per ſubditas Parochias ruſticanis impenditur, ſed omnibus ſine diſcrimine, ad exempti Monaſterij templum pietatis cauſa conuenientibus.

*Conciones ad omnes ſine diſcrimine habita.*

*Per cuius prædicationem populus, qui à diuerſis regionibus deuota mente quotidie ad ſancta eiuſdem Martyris Chriſti Monaſterij limina conuenerit, remedium conſequi mereatur animarum.* Verùm cum plenum illud perfectumque non ſit remedium, niſi & Sacramentorum vſus accedat, non abſurdè quis exiſtimare poteſt, obiras etiam à fidelibus eo loco exomologeſes, & miniſtratam populo Euchariſtiam. Hoc eſt enim *lumen quod claruit*: hæc eſt *paſtoralis cura, & ſolicitudo*

*rodo miniſterij Epiſcopalis.* Atque vtinam primigenium ipſius priuilegij Diploma extaret, proüt à Stephano II. S. Dionyſij patroni & medici ſui cultui addictiſſimo emanauit! plus aliquid profectò quàm conciones, Epiſcopo illi in fidelium peregrinorum gratiam conceſſum legeremus. Videbit interim Nicolaus le Maiſtre Theologus, illa ſaltem ætate, qua in *ſacro Epiſcoporum principatu* nihil collapſum erat quod *inſtauratione* egerer, illo loco non Monachos ad communem Parœciam, ſed Laïcos potiùs ad Monaſticam Eccleſiam, pietatis Sacramentorumque cauſa conueniſſe. Videbit & Fileſacus conuentum Chriſtiani populi in Religioſarum domuum templa, cõtrarium non eſſe Capitulari Caroli Magni, præcipienti miſſam diebus Dominicis in Parœcia publica audiri. Nam cum Pontifex hoc in priuilegio, ne dies quidem feſtos & Dominicos excipiat; vult certè ſemper templum Monaſterij patere aduenientibus, ſemper illos admitti. Carolus autem Imperator in Capitulari, aut dum Parochiæ meminit, illi priuilegio derogare ſe non demonſtrat, quod tamen ignorare non potuit. Vnde non coactè colligo, frequentandarum, vt vocant, Religionum ad audiendam miſſam conſuetudinem, iam ab antiquo in Gallia receptam, & feliciſſimis ſeculis vſurpatam fuiſſe. Quæ dicta volo, non quòd in laudatiſſimo & ſanctiſſimo Parœciatum frequenter celebrandarum more & inſtituto, populos refrigeſcere cupiam: abſit vt oues ab vero & natiuo ouili abducam: ſed vt huic Mendicantium Ordinum priuilegio, nouitatis notam inurere deſinant aduerſarij, & antiqua Eccleſiæ aduersùs Religioſas domos propenſio intelligatur.

*Refellitur Nicolaus le Maiſtre.*

Filef. l. de Parœc. orig. c. 6.

*Religioſa domus iam ab antiquo ad audiendam miſſam frequentata in Gallia.*

Præterea Monaſticus hic Epiſcopus, illa quæ characteris Epiſcopalis prærogatiuam faciunt aut ſequuntur, habet ad manum: vt ordinationes, chriſma, & ſimilia. *Et nemo Epiſcoporum Parochianis in præfato Monaſterio, in cellis, Eccleſijs, vel titulis, ſeu oraculis ſub ditione ipſius conſtitutis, ordinationes facere, ſiue pro chriſmate conficiendo, aut quacunque exquiſita re, aut diſtringere, vel ad ſe Presbyteros conuocare præſumat.* Eius igitur eſt hæc omnia conficere. Et in chriſmatis quidem conſecratione, Fulberto antea ab eodem Stephano Iuniore datum priuilegium fuerat; quod nonnihil patitur obſcuritatis. Sic enim ſcribitur: *Sed & tabulas, & chriſma ſimiliter conſecrandi vobis licentiam tribuimus.* Dubium enim eſt, vtrum permittat chriſma, æquè vt tabulas ſeu altaria conſecrare? An tabulas & chriſma curare conſecrari *ſimiliter*, vt prius permittit à quocunque voluerit Epiſcopo Presbyteros ſuos & Diaconos ordinari. Atque iſtud vero mihi ſimilius videtur, cum nuſquam legerim conficiendi chriſmatis licentiam Abbatibus permiſſam, quam ne Chorepiſcopi quidem habuerunt, vt in Capitulari Caroli Magni, eo tempore regnantis prohibentur, *ſanctum chriſma conficere, vel Eccleſias aut altaria ſacrare.* Dedicantur autem iſta in vſum ſubditorum, & Parochianorum, qui multi tam varijs locis eſſe concipiuntur.

*Ordinandi & chriſma conficiendi poteſtas.*

*Explicatur Priuilegium Abbatis S. Dionyſii.*

Capitul. Caroli M. l. 7. c. 328.

Itaque in vno eodemque priuilegio, & Monachum tenemus Epiſcopum, contra dictum Doctoris Hallier peruersè explicatum, *vix bonus Monachus bonum Clericum facit*: & illum à B. Petri Sede immediatè pendentem, quod oſoribus priuilegiorum ægrè eſt: & Abbatem adhuc aliqua ratione Epiſcopi ſuperiorem, quod Hierarchicis nouum videbitur: & Parochianos Monaſterio Epiſcopoque ſubditos, contra Nicolai le Maiſtre figmentum, de Parocho ſeculari Monachos regente & puniente: & Eccleſiam Monaſterij à fidelium

*Anacephalæoſis contra aduerſarios.*

turbis frequentatam, contra intentionem Fileſaci, Parœciæ propriæ ſolius vſum & frequentationem imperantis. Habes verò ex his omnibus, Lector, Eccleſiæ Principibus ab antiquis temporibus, adeo cordi fuiſſe Monaſticæ vitæ tranquillitatem, vt eam nouis exemptionibus ab eorum iniurijs tuerentur, qui legitima poteſtate in Monachos abutebantur. Eius ſanctitatem ita commendatam, vt priuilegiorum beneficijs Monachos ad Eccleſiaſticos ordines prolectarent. Operam in externos fideles adeo gratam, vt tam in Monaſterio, quàm extra illud in Parochijs eorum curæ non paucos concrederent. Denique in Mendicantium Ordinibus, ad quos feſtinat oratio, nouam non eſſe, licet nouo modo conceſſam, alienæ ſalutis procurandæ licentiam.

---

### RELIGIOSI MENDICANTIUM ORDINES

*quæ ſint ad aliorum ſalutem, perfectionemque curandam poteſtate præditi refertur. Primùm in prædicando Dei Verbo.*

## CAPVT XXII.

*Romana Eccleſia nouas inducit conſuetudines.*

*Greg l. 2. in priuil. S. Medard. Indict. 11.*

LIBET ab antiquioribus hiſce Pontificibus, maximeque S. Gregorio, digredi per ipſius Gregorij oraculum, ſcribentis, *Romana Sedes ſpeculationem ſuam toto orbi indicit, & nouas conſuetudines omnibus mittit, & omnium perſonarum ſeruitio caret.* Quod enim per S. Gregorium paucis Monaſterijs, id deinde per alios Pontifices totis Ordinibus noua liberalitate, veteri voluntate, perpetua neceſſitate conceſſit. Et quidem eò copioſiùs, quò plures ad Ordinariorum ſubſidium operas, naſcentia in dies errorum peccatorumque monſtra requirebant. Seculo ſuo iraſci debuerunt maiores noſtri, quod iniquis animis excepti ſint noui iſti, cum veteribus priuilegijs Ordines; cumque Monachatus purus ſumma cum tranquillitate in aliorum ſalutem antea progreſſus eſſet, turbatum ſit illo æuo à nonnullis, quòd armis clericalibus inſtructi in aciem ſolemque prodirent Regulares, vt æquè capitali fine, proximo ſibique conſulerent. Certè zelus hic, & contentio rarò ante viſus eſt in Eccléſia, quàm ſanctiſſimi, & glorioſiſſimis laboribus illuſtres Mendicantium Ordines, peculiari Sedis Apoſtolicæ priuilegio, ad fidelium excipiendas confeſſiones, & diuini verbi prædicationem, per Europam velut auxiliares ſacri exercitus copiæ, recenti ardore, feſſorum conatus excitaturæ, diffuſi ſunt. Tum enim verò tyrannide multis in locis occupata, fortiter deiectus Diabolus furere, & nonnullis Eccleſiarum Rectoribus perſuadere, nouitatem illam priuilegiorum ſuis iuribus plurimùm nocituram. Defertur ad Pontificem cauſa, is erat Bonifacius VIII. qui ea probè cognita exploarataque, *diligenti cum Fratribus noſtris* (putà Cardinalibus) *deliberatione præhabita ſuper eo*, pro Regularibus decernit: addita tamen conditione ad quam eos adſtringeret. Auctæ hinc veriùs, quàm ſopitæ diſcordiæ, Benedictum XI. coëgerunt retractato iudicio, etiam conditionem illam tollere, & Religioſos omni neceſſitate ſoluere, Extrauagante quæ incipit *Inter cunctas.* Sed fuit id tantùm flabellum, quo flamma acriùs ventilaretur, donec tandem

*Impugnata ab initio Mendicantium priuilegia.*

*Sententia Bonifacij 8. pro Religioſis.* Extra. Super Cathedram. de Sepulturis.

*Correcta à Benedicto 11* Extrau. Inter cunctas. De priuileg.

tandem Clemens V. in Viennenſi Concilio Generali, ipſo *inſtante & approbante Concilio*, Bonifacij Conſtitutionem, quæ incipit, *Super cathedram* renouauit, Clementina quæ *Dudum* appellatur: illa enim aliud nihil eſt, quàm renouatio & repetitio Extrauagantis *Super cathedram*. In quam etiam ſententiam Bullam edidit Leo X. in Lateranenſi Generali Concilio, quod Gallia non admiſit. Demum & ipſi Tridentino placuit nonnulla addere, quibus adſtringuntur ij, apud quos eius decreta ſeruantur.

*Confirmata à Clemēte 5. Clementina Dudum, de ſepulturis.* Leo 10. in Concil. Later. ſeſſ. 11. Concil. Trid. ſeſſ. 5. c. 2. de Reform. & ſeſſ. 24. c. 4 de Ref.

Hic totus cauſæ progreſſus eſt, qui Prædicatoribus, & Minoribus (nam eos tantùm ordines petebat inuidia) conceſſa olim per Pontifices confirmauit, & ex priuilegijs fecit legitima. Hæc enim ſic data poteſtas legitimo iudicio, interlocutione Pontificis, & in ius Canonicum relata, iam non priuilegium, ſed ius eſt. Adeo vt verè ſe dicere poſſint, habere à iure poteſtatem: eodem modo quo is qui lite fundum aut domum obtinuit, ſibi ante dono traditam, non mera conceſſione, ſed optimo iure poſſidet. In illis autem Conſtitutionibus, media, quæ eſt Benedicti, qua reuocata eſt, pondus non habet: prima quæ Bonifacij, magnæ auctoritatis eſt, tum ipſa per ſe, quia Iudicis ſententiam continet, tum Concilij Generalis renouatione, approbationeque; quod quidem cum in Gallia, à Gallo Pontifice coactum ſit, quid apud nos ei deeſſe poteſt, cur obuiis vlnis non admittatur? Iſtud igitur è primis tribus tantùm produci debet, vt fons controuerſiæ, iuris iſtius principium, ſequentium materia. Tria autem huiuſce quæſtionis ſeligo capita, Prædicationes, Confeſſiones, Approbationes, quæ ordine ſunt enucleanda, & ad nos ipſos, ſi fieri commodè poteſt, transferenda.

*Priuilegia Mendicantium aliqua tranſierunt in ius. Quæ ſit ſuperiorum conſtitutionum auctoritas.*

In Prædicatione tria video, conceſſionem ipſam poteſtatis; prærequiſita ad eam obtinendam; & vſum. Bonifacius ita decernit, *Statuimus & ordinamus, vt dictorum Ordinum Fratres in Eccleſijs & locis eorum, ac in plateis communibus, liberè valeant clero, & populo prædicare, ac proponere verbum Dei.* Innocentius etiam III. *dedit B. Franciſco, & ſocijs eius licentiam prædicandi, ad verbi Dei ſemen in omnem terram ſpargendum.* Societati verò noſtræ primùm dedit Paulus III. facultatem *in quibuſuis Eccleſijs & locis ac plateis communibus, ſeu publicis, & aliàs vbicumque locorum, clero, & populo verbi Dei prædicandi, proponendi, & interpretandi.* Quam aut extendit, aut pertinere declarat poſtea Gregorius XIII. ad vnumquemque ſociorum, *etiam ad ſacros Ordines non promotum, vt Clerici veſtri, prima tantùm tonſura inſigniti, prout huc uſque fecerunt, valeant deinceps ipſum Dei verbum vbique populo prædicare. Diſtrictius prohibentes vniuerſis, & ſingulis locorum Ordinarijs, & quibuſuis alijs quacumque dignitate & auctoritate fulgentibus, ne quemquam veſtrum quouis prætextu, præmiſſorum occaſione impedire, vel moleſtare audeant quoquo modo.*

*Conceſſio facultatis ad prædicandum.* Compend. Priuileg. Mendicāt. V. Prædicatores. Paulus 3. Bull. Cum inter. an. 1545. Greg. 13. Bulla Vigore priuilegii. ann. 1584. *Debent examinari à ſuis ſuperioribus.*

Hæc ergo toti communitati conceſſa vis & poteſtas, qua tandem via ad priuatos perueniet? quid-ve ab illis exigitur, vt eam impetrent? Extrauagantes nihil præcisè de Concionatoribus definiunt. Tridentinum Regulares iubet à Superioribus ſuis examinari. *Regulares*, inquit, *cuiuſcumque ordinis, niſi à ſuis ſuperioribus de vita, moribus, & ſcientia examinati & approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in Eccleſijs ſuorum ordinum prædicare non poſſint. Cum qua licentia, perſonaliter ſe coram Epiſcopis præſentare, & ab eis benedictionem petere teneantur, antequam prædicare incipiant.* Addit Hieronymus à Sorbo Capuccinus, olim decreto Pij V. in Eccleſis ſuis Capuccinos prædicare potuiſſe, ſine Ordinarij

Concil. Trid. ſeſſ. 5 c. 2. de Reform. Hierony. à Sorbo Capuccinus annotat. Compend. Priuileg. Mend. V. Prædicatores.

*Nunc autem ea conſtitutione per Gregorium XIII. ad terminos iuris communis reducta, & per Pium IV. antiquatis priuilegijs omnibus, quæ Tridentino aduerſantur; ideo hodie non aliàs poſſe, niſi cum eius benedictione.*

*Quis eius facultatis legitimus vſus.*
Clement. Dudum. de Sepult.

Venio ad vſum; qui ſi in ipſorum Regularium exhedris conſiſtit, confecta res eſt; ſin ad alia templa Parochiaſque progreditur, multa intercurrunt. Huic rei ſic prouidit Bonifacius. *In Eccleſijs autem Parœcialibus, Fratres illi nullatenus audeant vel debeant prædicare, vel proponere verbum Dei, niſi Fratres prædicti à Parœcialibus Sacerdotibus inuitati fuerint, vel vocati, & de ipſorum beneplacito & aſſenſu, ſeu petita licentia & obtenta, niſi Epiſcopus, vel Prælatus ſuperior per eoſdem Fratres prædicari mandaret.* Idem ſtatuit & Benedictus. Tridentinum autem in hac loci circunſtantia duo decernit. Alterum eſt, vt *in Eccleſijs quæ ſuorum Ordinum non ſunt, vltra licentiam ſuorum Superiorū, etiam Epiſcopi licentiam habere teneantur; ſine qua in ipſis Eccleſijs non ſuorum Ordinum, nullo modo prædicare poßint.* Quod intelligendum eſt de diuturna & ordinaria prædicatione, cum leuis & temporaria in Parochi ipſius ſit arbitrio & delectu. *Alterum eſt, vt nullus ſecularis, ſiue Regularis, etiam in Eccleſijs ſuorum Ordinum, contradicente Epiſcopo prædicare præſumat.*

Concil. Trid. ſeſſ. 5. c. 2.
Idem ſeſſ. 4. c. 4.

Clement. Dudum. de Sepult.

Tempus quoque non omittit Pontificum prouidentia, cum Bonifacius liberè prædicare permittat, *Hora illa duntaxat excepta, in qua locorum Prælati prædicare voluerint, vel coram ſe facere ſolenniter prædicari: in qua prædicare ceſſabunt, præterquam ſi aliud de Prælatorum ipſorum voluntate proceſſerit, ac licentia ſpeciali.*

*Adhortatio Pontificis ad concordiam.*

Quamobrem vt compendio colligam quæ dicta ſunt, prædicandi poteſtatem toti Ordini concedit Summus Pontifex, Priuatum examinat & approbat Superior, Epiſcopus benedicit, Parochus admittit ſuam in exhedram: & vbi Tridentinum viget, cum Epiſcopi licentia. Addit autem paternè ſapienterque Leo in Lateranenſi. *Eoſdem Fratres in virtute ſanctæ obedientiæ monemus, vt eoſdem Epiſcopos, loco ſanctorum Apoſtolorum ſubrogatos, congruo honore & conuenienti obſeruantia venerentur. Ipſos quoque Epiſcopos hortamur, ac per viſcera miſericordiæ Dei noſtri requirimus, vt Fratres ipſos affectu beneuolo proſequentes, caritatiuè tractent, ac benignè foueant, ſeque illis minimè difficiles ac duros, vel moroſos, ſed potiùs faciles, mites, propitios, piaque munificentia liberales exhibeant; ac in omnibus prædictis, tanquam in agro dominico cooperatores, eorumque laborum participes, prompta benignitate recipiant, eorumque iura omni cum caritate cuſtodiant atque defendant.*

Concil. Lateran. ſub Leone 10. ſeſſ. 11.

---

## *QVÆ SIT FACVLTAS RELIGIOSIS ORDInibus ad excipiendas fidelium confeßiones collata.*

## CAPVT XXIII.

*Admißi ad confeßiones excipiendas Monachi.*

IVBET hoc tantùm loco Confeſſionem ipſam, & minùs graues aliquas eius exercendæ circunſtantias proſequi, reiectis in aliam ſectionem ijs omnibus, quæ de Approbatione, & Præſentatione diſputanda ſunt. Principio cum *Monachus* ſolùm *plangentis officium* habebat, neque ſui muneris putabat eſſe alios deducere, vt loquitur S. Dionyſius, & magna cum animi ſui voluptate frequenter repetit Petrus Aurelius, iure communi ab ſecularium exomologeſibus excipiendis excludeba-

excludebatur. Verùm vrgente tandem aliorum inopia Sacerdotum, qui in eo miniſterio ritè laudabiliterque verſarentur, ad id munus à ſupremis Pontificibus admiſſi ſunt Monachi, & multis priuilegijs inſigniti, vt ait Bullæ Cruciatæ expoſitor. Neque in Occidente ſolùm, ſed & per Orientem, ſeu permiſſione Præſulum, ſeu longo vſu qui præſcriberet, illi officio tam ſtrictè, tamque communiter aſtricti ſunt Monachi, vt apud Balſamonem dubitare reperiantur aliqui, ſint-ne confeſſiones eæ probæ & validæ, quæ apud ſeculares Sacerdotes, cum Epiſcopi permiſſu deponuntur? Quibus cum affirmando reſpondet, quia Canones qui Laïcis Sacerdotibus (ſic enim appellat) eam tribuunt poteſtatem, S. Pachomio ſunt vetuſtiores; nonne planum facit, Monachos cum ſecularibus Clericis, pro exomologeſi contendere, & vſu vulgique iudicio cauſam obtinere? Quod autem Pachomium adduxit in medium, nos intelligere non iubet, aut ante Pachomium nullos extitiſſe Monachos, aut Tabennenſibus Monachis excipiendarum exomologeſeon ius fuiſſe: ſed ſpeciem prò genere nominauit. Neque voluit dicere, Clericos quidem & Monachos, ſed illos priùs ad hoc Euangelicæ caritatis officium eſſe adhibitos.

Emmanuel in expoſit. Bullæ Cruciatæ §. 9. n. 32.

*Dubitant Græci de validitate exomologeſeon apud ſeculares factarum.* Balſam. §. 5 Reſpon. Interr. 19. [illegible]

Exortis deinde nouis Dominicanorum Franciſcanorumque ſubſidijs, quorum ipſiſſimum inſtitutum eſt, animas hominum doctrina & confeſſionum labore adiuuare; eam illis facultatem conceſſit Alexander IV. ab Vrbano deinde IV. & Clemente etiam IV. confirmatam: eratque ea quidem ſimplex & abſoluta, ſed ad eos tantùm coarctabatur, qui templa ipſorum ad audiendas conciones frequentarent. Acceſſit deinde celebris, de qua iam egimus, Bonifacij VIII. ſententia & deciſio, qui ſublata perſonarum limitatione, aliam Fratribus neceſſitatem impoſuit, vt Superiores generales, Prouincialeſque tenerentur *ad præſentiam Prælatorum ſe conferre per ſe, vel per Fratres, humiliter petituri, vt Fratres qui ad hoc electi fuerint, in eorum ciuitatibus & Diœceſibus, confeſſiones ſubditorum ſuorum confiteri ſibi volentium, audire liberè valeant. Ac deinde perſonas electas repræſentare, vt de eorum licentia, gratia & beneplacito officium huiuſmodi exerceant.* Eam poſtea conditionem ita mitigauit. Benedictus XI. vt ſublata præſentatione voluerit ſufficere, vt Prælatis Superiores Ordinum, *verbo vel ſcripto ſignificarēt, ſe Fratres ad eiuſmodi officium elegiſſe, & non nominando, nec coram ipſis ſiſtendo eos, nec illorum numerum exprimendo, peterent humiliter à Diœceſanis iiſdem*, &c. Sed in Concilio Viennenſi antiquata illa conceſſione, reuocatum eſt ius à Bonifacio conſtitutum, eiuſque Clementinæ & crebra mentio, & magna habetur auctoritas. Quanquam & huic nonnihil additum video à Leone X. cogente illos Fratres *perſonaliter exhibere, ſi eos ſibi exhiberi, ac præſentari petierint; Alioquin eorum Vicarijs: dummodo ad Prælatos vltra duas dietas accedere non cogantur.* Varia poſt hæc diuerſis Ordinibus conceſſa ſunt, quæ omnia recenſere, neque mei inſtituti, neque otij eſt. In noſtra autem conceſſione per Paulum III. data, nullam lego reſtrictionem, *Nec non illis ex vobis qui Presbyteri fuerint, quorumcunque vtriuſque ſexus Chriſti fidelium, ad vos vndecunque accedentium confeſſiones audiendi, & confeſſionibus diligenter auditis, ipſos & eorum ſingulos, ab omnibus & ſingulis eorū peccatis*, &c. Itaque ſtrictè loquendo, Clementinæ decretum videri poſſet hoc loco laxari, niſi nos humilitatis profeſſæ, & obſeruantiæ ergo Hierarchas admoneret ipſa Religio, ſuaderet-

*Ex poteſtate ab initio Mendicantibus conceſſa.*

Alenſ. 4. p. q. 78. Membr. 1. a. 3. ad 1.

Extra Sup. Cathed. de Sepult.

Extra. Inter cūctas. de priuil.

Clement. Dudum. de Sepult.

Leo 10. in Concil. Lateran. ſeſſ. 11.

Paulus 3. Bulla Cum inter. ann. 1545.

que in eorum vſu communi quàm fideliter verſari, quæ Benedicti Extrauagante continentur.

*Confeſſio Religioſis facta iterari apud alios non debet.*

Addit autem Bonifacius quod hic obſeruari poteſt, *Ne confeſſi ipſis Fratribus, peccata illa de quibus confeſſi ſunt eis, & abſoluti pœnitentes, de illis, Sacerdotibus proprijs teneantur (ſicut etiam non tenentur) iterum confiteri.* Quibus verbis ad nonnullos errores reſpicere nos iubet Pontifex, quibus ea Religioſorum poteſtas ab ſeditioſis maleuoliſque hominibus impediebatur. Nam Alexander IV. iam antea damnauerat eorum errorem; qui aſſerebant eos neque de Romani Pontificis, neque de Ordinariorum facultate, iuris quicquam ad excipiendas confeſſiones accipere, quod Ioannis de Poliaco dogma fuit: teneri ſemel in anno Parochis ſuis ſubditos confiteri, nec eam obligationem à Pontifice tolli poſſe: Qui primùm à Ioanne XXII. tum à Callixto II. prætetea à Sixto IV. damnatus eſt. Eius farinæ fuit olim Petri Damiani temporibus, nonnullorum ſententia, de non recipienda à Monachis ſanctiſſima Euchariſtia. *Contra vos multùm conquerimur* (inquit) *quia quidam veſtrorum auſus fuit temerario ore dicere: A Monachis nullo modo communionem eſſe recipiendam. Inſuper etiam recipientes excommunicauit & in opprobrium noſtrum, imo in condemnationem ſuam, & illorum, recommunicare præcepit.* Quam Epiſtolam Aurelius, dubiorum natalium accuſat, & Franciſcus Halliet appendice tota in eam pugnat, quam uelut caliendrum operis ſui capiti ſuperſtruit; multaſque eius dicti cauſas vterque prætexit. Neque is ego ſum qui eam ex aſſe probari velim, vt alibi liberiùs aperiam: ſed hoc iure meo poſſum dicere, illius tam ſolerter expendendæ, & curioſè legitimi partus notas inueſtigandi, vnam veram & germanam cauſam fuiſſe Regularium encomium, & huius ipſius opinionis antiquam perturbationem, & præiudicatam ab Cardinale Oſtienſi damnationem, quam ea continet Epiſtola. His igitur erroribus proſcriptis, decernit Clemens IV. vt *Fratres de licentia Legatorum Sedis Apoſtolicæ, vel Ordinariorum, & multò ampliùs Summi Pontificis, poſſint audire confeſſiones, & abſoluere, aliorum inferiorum Prælatorum, & Rectorum Eccleſiarum aſſenſu nullatenus requiſito.* Cui adde Cordubæ annotationem, eos qui contra temerariè ſentiant, aut pertinaciter aſſerant, *excommunicari à Bonifacio IX. ipſo facto, à qua cenſura abſolui non poſſunt, niſi Sedi Apoſtolicæ ſe perſonaliter repræſentent.*

Compend. Priuileg. Min. V. Abſolutio quoad Secul. 2.

*In Lateranenſi Concilio ſuprà cit. dicitur confitentes ſatisfacere conſtitutioni Omnis vtriuſque. quoad Confeſſionem.*

Petr Dam. l. 5 ep. 19.

*Cur ea Epiſtola repudietur ab aduerſarijs.*

Compend. Priuileg. Min. loco cit.

Cordubá in Annot. eius loci.

*Proprij Sacerdotes quatuor. ex S. Bonau.*

Itaque ſententia Eccleſiæ per tot Pontifices declarata, veritate ſolida atque catholica nititur S. Bonauenturæ doctrina, qui cuiuſque plebis Parochialis proprios Sacerdotes quatuor eſſe dicit. *Primus & præcipuus eſt Summus Pontifex, cui tota Eccleſiaſtici gregis cura, ſingulariſſimè commiſſa eſt. Ita quòd omnes inferiores Eccleſiæ Rectores, curam & totam poteſtatem quam habent ſuper ſubditos, ab ipſo accipiunt mediatè vel immediatè.* Quod accipies de fori externi Iuriſdictione, quam Epiſcopos immediatè à Pontifice habere, Pariſienſes Doctores nobis ante declararunt. Videbis & Parochorum poteſtatem ab Epiſcopis immediatè, ſicque per eos mediatè à Papa manantem. Quod alio loco ſic exprimit. *Patet Papam poſſe in Eccleſia, talia ordinare; quia certum eſt quòd diſtinctio Curarum, & collatio iuriſdictionum ab auctoritate proceſſit Romanæ Eccleſiæ.* Vt vbi Chriſtianæ fontem Religionis, & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudinem agnoſcimus, inde riuos omnes in totam Eccleſiam manare fateamur. *Secundus eſt Diœceſanus Epiſcopus: qui eſt ordinarius paſtor omnium Eccleſiarum ſub ipſo conſtitutarum;*

l. quare Fr. Min. præd. & confeſſ. audiant.

*Pontifex Romanus.*

*Parochorũ poteſtas mediatè à Papa.*

Idem in Reg. Fr. Min. c. 9.

*tutarum; & ſui inferiores Prælati, curam animarum & auctoritatem regendi habent* *Epiſcopus*
*ab ipſo.* Diſputabit igitur Franciſcus Hallier aduersùs S. Bonauenturam, prò diuino iure Parochorum, quando ſua illum Theologia ſtimulabit. *Tertius eſt* *Parochus.*
*ſpecialis Paſtor cuiuſque Eccleſiæ, ibi canonicè inſtitutus.* Quod addit S. Pater, quia tum hoc libro, tum alibi, multus eſt in explicandis ijs caſibus, qui Paſtorem illegitimum, imo furem & latronem faciunt. Et verò videtur eo ſeculo magna illorum fuiſſe copia, qui non intrabant in Parochias per oſtium, ſed aliunde. *Quartus eſt, cui quiſque prædictorum pro tempore vicem ſuam, ſuper commiſ-* *Qui accipit ab illis commiſſionem.*
*ſos ſibi ad ligandum & ſoluendum ex cauſa rationabili committit.* Aſpice conſentientem Gerſoni Cancellario Cardinalem, in *rationabili cauſa* exigenda: vt agnoſcas diuino ſpiritu agi Religioſos ad hæc miniſteria, non priuato commodo. *Superiores autem liberiùs & largiùs paſſunt vices ſuas committere, vt vice ſui plebi prædicent, & eorum confeſſiones audiant: ita quod ſic abſolutos, non oporteat illo anno Plebano ſuo iterum confiteri, niſi velint. Multò magis poteſt hoc Epiſcopus, & maximè Summus Pontifex. Alioquin vacua eſſet apud ipſum tanta poteſtas, quam executionis efficacia non comitaretur.*

Plura eadem de re ſubtiliter ſolidéque diſputat, quæ tu ex eo diſces. Neque omittes Illuſtriſſimum Bellicenſem, de vario Parochorum iſtorum, ſeu propriorum Sacerdotum genere apertè & populariter diſputantem: qui tamen extraordinariè miſſos Regulares, aut alios ſeculares, in Parochorum nomen non tranſcribit. *Ioan. Petr. Camus in viat. loco. l. 4. n. 37.* Quemadmodum neque Synodus Lingonenſis cum ait, *Proprius Sacerdos eſt Papa, eius Legatus, & Pœnitentiarius: Diæceſanus, & eius Vicarius Generalis, & ille cui cura Parochialis Eccleſiæ eſt commiſſa.* *Synd. Lingonenſ. an. 1456.* Verùm licet ita non nominentur, certiſſimum tamen eſt tam ſeculares, quàm Regulares quoſlibet Sacerdotes, ab Papa, Epiſcopo, Parocho poſſe delegari, & eorum vicem ſubire. Id enim certiſſima Hierarchiæ regula noſter Bonauentura confirmat, quòd omnis inferiorum poteſtas, ſuperioribus contineatur, poſſintque eam iſti in quoſlibet transfundere, vt per alios id agant, quod per ſe ipſos efficere potuiſſent. *Bonau. in Reg. Fr. Min. c. 9.* Quod ſi ex ea regula, Parochis licet commenſales ſuos ad id muneris applicare cum libuerit, *impium eſt dicere ipſum hoc poſſe, & Epiſcopum non poſſe.* Mittet igitur Epiſcopus, mittet Summus Pontifex quem è ſimplicibus Sacerdotibus iudicabit idoneum: & *ſi Sacerdos curam habens, nolit admittere fratrem miſſum canonicè, peccat mortaliter*: dicente Apoſtolo, *qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.* Ita Doctor Seraphicus.

---

## *QUÆ CONDITIONES IDONEUM FACIANT, Religioſum ad exercendam Confeſſionum audiendarum commiſſionem.*

## CAPUT XXIIII.

VENTUM ad periculoſiſſimas anguſtias, in quibus vel à ſcylla, vel à charybdi naufragium vererer, niſi Eccleſiam haberem pro naui, Pontifices pro gubernatoribus, ius ſacrum pro cynoſura. Scio vela contrahenda, ne plus nimio turgeant; video vbi ſinus obliquandi, vt ventum ſecundum excipiant: remigio tantùm probatorum ſcriptorum ſecundus fluminis curſus adiuuandus eſt; & vt ſpero, enatabimus.

*Virtus & doctrina ee quiſita.* Bonau. in Reg Fr. Min. c. 9.

Virtutem & doctrinam in futuro Confeſſario ſi libri non exigerent, ratio ipſa clamaret. Quamóbrem ex ea regula, qua Seraphicus Ordo concionari iubetur, validè deducit S. Bonauentura, factum ſtudium Fratribus imperari, vt ad eam deueniant ſcientiam, quæ verbi diuini præcones decet & facit. Sed quoniam neutra Iuriſdictionem concedit, tota eſt in Approbatione difficultas, quam paucis quibuſdam capitibus ordine propoſitis euoluo.

*Deinde Approbatio, qua olim non fuit neceſſaria.*

Primùm enim ſic habe, fuiſſe tempus quo non eſſet Rex in Iſraël pro Sacerdotum approbatione, ſed vnuſquiſque eorum quod ſibi rectum videbatur, à Parocho inuitatus, hoc faciebat. Tunc enim liberum erat Parocho Iuriſdictionem ſuam delegare, nō approbato etiam Sacerdoti, vt vulgò Doctores tradunt. Vnde ſequitur, vt vbi nouum ius peculiare, aut commune Tridentini non eſt admiſſum, ſtari poſſit antiquo. Peculiare dixi, ſeu Prouinciam ſpectemus, ſeu Diœceſim, ſeu priuatos etiam Curatos. Eſt enim mihi certum,

*Poſſunt Epiſcopi vetare, ne non Approbati aſſumantur à Parochis.*

poſſe Epiſcopos, ſeu in Prouinciali Concilio, ſeu in Diœceſano, edicere ne quis Parochus Sacerdotes aſſumat ad ſuorum confeſſiones excipiendas, ne-ve vllis ſuam deleget Iuriſdictionem, niſi à ſe approbatis. Nam cum Parochorum iſta Iuriſdictio externa, Epiſcopis ſubordinata ſit, poſſintque iuſtæ & legitimæ cauſæ intercedere, cur ea fiat prohibitio, quis inanem & futilem putare audeat? Habemus autem nos Prouinciale Concilium Turonenſe, in quo decernitur, *Ne cui Sacerdoti, præſertim in vrbibus, Confeſſiones audire priùs liceat, quàm ab Epiſcopo eius loci, aut Pœnitentiario, capax & idoneus iudicatus fuerit, tum in vita, tum in moribus.* Quod multi in Gallia ſanxiſſe creduntur Epiſcopi.

Concil. Turon an. 1583 c. de obſer. fidei profeſſ.

*Quid ſit Approbatio* Ioan. Præpoſ. à Iq 8. ſuppl. 3 P. dub 2. *Differt à Iuriſdictione.* Henr. l 6. c. 6. n. 2.

Sed prima illa abierunt; ſucceſſit approbatum, aut certè Approbationis ſeculum: quæ quid ſit primùm demonſtrandum eſt. Approbationem vocamus iuridicum & publicum Epiſcopi teſtimonium, quo declarat, vt aiunt, auctoritatiuè, talem idoneum eſſe ad confeſſiones audiendas, & accipiendam à Paſtoribus, aut aliter Iuriſdictionem. Toto enim cœlo differunt duo illa, Iuriſdictio, & Approbatio, vt vel inde patet, quòd hanc ſolus Epiſcopus tribuere poteſt, illam quilibet Ordinarius. Ac licet *Parochus vrgente caſu ad tempus approbare poßit virum doctum & notum:* illud tamen non tam eſt approbare, quàm præſumpta Epiſcopi approbatione, in caſu neceſſitatis Iuriſdictionem impartiri. Deinde ex illo iure præexigit Approbationem Iuriſdictio, & hæc illam non ſequitur neceſſariò; ſed eſt tantùm proxima quædam aptitudo ad eam ſuſcipiendam. Et verò multos etiamnum ſeculares Sacerdotes approbatos eſſe conſtat, qui ſubditorum defectu, neque Iuriſdictionem habeant, neque exerceant. Præterea temporaria eſt in delegatis Iuriſdictio; Approbatio in approbatis perpetua, vt mox dicetur. Denique non ſemper fuit neceſſaria Approbatio vt vidimus; fuit autem ſemper Iuriſdictio.

*Quæ ſit eius neceßitas in nouo iure.* Concil. Trid. ſeſſ. 23. c. 15. de reform. Compend. Priuileg. Min. V. Abſolutio quoad Secul. 2. Capucc. in Annot. c. 4 quoad 1

Quàm verò neceſſaria eſt hoc tempore Approbatio? Si Tridentino obtemperas vbi publico vſu receptum eſt, ſimplici cuilibet Sacerdoti neceſſaria eſt. Sic enim vniuersè decernit. *Ne cui, etiam Regulari, confeßiones ſecularium audire liceat, nec ad id idoneum reputari, niſi ab Epiſcopis Approbationem obtineat.* Simplicem vt vides Sacerdotem, ſeu ſecularem ſeu Regularem, ad illam neceſſitatem adigit Concilium: at non Parochos, quique in Religionibus curam animarum gerunt: quales ſunt Guardiani, Priores, Prouinciales, alijque Prælati Regularium, qui officium quaſi Parochiale habere cenſentur.

*In antiquo iure.*

Verum ſi non nouo iſto, ſed antiquo iure viuis, ſeu Religioſus, ſeu ſecula-

tis

ris Sacerdos ſimplex es, ſine Approbatione potes validè confitentes audire, vt ineunte capite diximus. Nam ſi ſecularem ius illud non adſtringit, quæ cauſa poteſt eſſe cur Regularem exemptum obliget? Cur hic ad Tridentini potiùs Canones, & leges reuocabitur, quàm ille, in ijs præſertim quæ non priuatum commodum, ſed publicum bonum ſpectant? At, inquies, ſtatuant Epiſcopi quod è Turonenſi Concilio attulimus, ne vlli cenſeantur idonei, niſi qui ab ipſis approbati; omnes-ne ſimplices Sacerdotes, Religioſos æquè vt ſeculares lex illa deuinciet? Non arbitror, Ad eos enim tantùm illud vinculum pertinget, qui ab ipſis; non autem ad eos, qui à Summo Pontifice immediatè, vel alio ſuperiori in hoc foro Iuriſdictionem accipiunt, quales ſunt hodie Mendicantes, & alij plurimi Regulares. Et ſanè, cur dicentur impedire poſſe, quominùs ij Iuriſdictione ſibi à Pontifice conceſſa vtantur ſecundùm iuris diſpoſitionem? Sed hæc eadem opinio, ex ijs quæ dicenda ſunt, magis eluceſcet.

*Præpoſit. de Sacramẽ Pœn. q. 8. dub. 1.*

*Approbatiõ quomodo concedatur. 1. Per communem exiſtimationem, & publicam famam.*

Erit enim qui ſcire velit, quibus tandem modis hæc Approbatio petatur, concedaturque? Duos recludo, communem Approbationem, & Examen. Approbationem voco communem, quæ publica fama, & vulgari exiſtimatione de Sacerdotis eruditione concepta conficitur: vt cum quis publicè in aliqua ſaltem approbata Vniuerſitate ſacram Theologiam profeſſus eſt, cum ad eius ſcholæ gradum, putà Doctoratum aut Licentiam euectus. Quod enim magis publicum, minuſque dubium de eius peritia requiri poteſt teſtimonium? Inde factum vt Theologi Profeſſores, & gradibus inſigniti, ad obtinendam Approbationem ab Epiſcopis examinari non poſſint: ita Pio V. declarante. Neque putes ab eodem Pio contrarium alia conſtitutione præcipi: nam hæc ſecunda à Gregorio XIII. reuocata eſt, & ad ius commune, atque ad ſacri Concilij Tridentini diſpoſitionem reducta. Videtur autem diligenter inſpicienti, ea Concilij mens fuiſſe, vt homines illi publicis iudicijs ita probati, ab Epiſcopali examine immunes eſſent. Nam allatis duabus conditionibus, quæ ſunt, beneficium Parochiale, & Ordinarij per examen Approbatio; tertiam quandam his verbis inſinuat (*aut aliàs idoneus iudicetur.*) Quæ cur adderet, ſi nullum alium Approbationis modum agnoſceret, quàm per examen? aut quis poteſt eſſe illuſtrior, quàm illa publica gloria, & in omnium animis defixa exiſtimatio? Neque mihi à vero aberrare videntur ij, qui arbitrantur, ſi quis bona fide in Confeſſarium eligat virum publicè notum, & pro ſufficiente habitum, quemque putet ad id muneris expoſitum eſſe, validè abſolui. Quia communi arbitrio, & errore vulgi reputatur idoneus. Tunc enim Pontifex in fauorem fidelium, tacitè Iuriſdictione concedere iudicatur.

*Doctores & Profeſſores Theologiæ non examinandi.*

Pius 5. in Conſtit. Etſi Mendicantiũ. an 1567. Idem in Conſtit. Romani Pontificis an. 1571. Greg. 13. in Conſti. In tanta retũ. V. hac de q. Henr. l. 6. c. 6. n. 2. qui in Annot. multos citat. & l. 7. c. 12. n. 3. Nec diſſentit Capuccin. in Comp. Priuileg. Min. V. Abſolutio quoad Secul. n. 5. quoad 1.

*2. Per examen.*

Sed quia paucorum eſt illiuſmodi nobiliſſimæ Approbationis priuilegium; examen ipſum examinemus, ſi quid in eo fortè latet ſcitu dignum, & ad praxim non inutile. Illud præcedit Præſentatio, quæ eſt aliquando vel nuda licentiæ petitio, vel libera ſui ad examen ſubeundum oblatio. Prioris generis ea eſt, quam vel Bonifacius, vel Clemens exigunt à Prædicatoribus & Minoribus; in hæc verba, *Præfati Magiſtri Priores, Prouinciales, eligere ſtudeant perſonas ſufficientes idoneas, &c. quas ſic ab ipſis electas repræſentent, vel faciant præſentari Prælatis, vt de eorum licentia, gratia, beneplacito, &c.* Cum

*Præſentatio duplex. 1. ad petendam licentiam.*

*Ad quam præſentanter examinati à ſuis ſuperioribus.*

Cum igitur hæc electio ſine peritiæ cognitione non fiat, eaque non habeatur, niſi per examen; iſtud, Regularium illorum Superioribus conceſſum videtur, neque aliud deinde requiritur, quàm exterior præſentatio, vt docet Suares. Quod ſi Clementis IV. conceſſu *Prouinciales Fratrum Minorum in ſuis Prouincijs, cum Definitoribus in ſuis Capitulis prouincialibus congregatis, habent plenariam auctoritatem & facultatem examinandi, & approbandi Fratres prædicti Ordinis, in ſacra pagina eruditos*, vt ipſis prædicationis officium tutò committant; nonne pari ſaltem iure, & non minore cæremoniâ, *electio* quæ à Pontificibus requiritur *perſonarum ſufficientium & idonearum* ad excipiendarum confeſſionum munus, non minoris momenti, per illud examinis tormentum debet exprimi? Iam igitur examinatos præſentari volunt Pontifices. Addit Leo X. ad ius illud antiquum, vt *poſſint per eoſdem Epiſcopos, & Prælatos ſuper ſufficienti literatura, & aliqua ſaltem huiuſmodi Sacramenti peritia, duntaxat examinari*. Tridentinum denique huius conſtitutionis inſiſtens veſtigijs, & de Sacerdotibus omnibus non Regularibus ſolùm, ſed etiam ſecularibus pronuncians, decernit, *nullum poſſe confeſſiones ſecularium audire, nec ad id idoneum reputari, niſi aut parochi tale beneficium, aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut aliàs idoneus iudicetur, & approbationem obtineat: priuilegijs & conſuetudine quacunque, etiam immemorabili nonobſtantibus*. Iure igitur nouo, vbi eſt illud in vſu, examinari poſſunt, neque eorum Præſentatio nuda eſt & exterior, ſed Prælatorum arbitrio expoſita, vt nouæ quæſtioni ſubijciantur.

Suar. de Pœn. diſp. 28 ſect. 5. n. 14.

2. Præſentatio ad Examen.

Leo 10. in Concil. Lateran. ſeſſ. 11.

Concil. Trid. ſeſſ. 23 c. 15 de Reform.

Exiſtit tamen hic non inutilis dubitatio, & quædam quæ videtur *ἀντινομία*. Nam ſi Sacerdotem præſentatum, aliàs doctrina moribuſque idoneum, aut examinare Prælatus, adeoque approbare; aut etiam examinatum, item approbare recuſauerit, in vſu Tridentini quid fiet homine indignam paſſo repulſam? Aperta enim legis verba ſunt, *nullum poſſe, niſi approbationem obtineat* reipſa, & non priuilegio repulſæ aliunde accipiat. Diſtinctione hic vtendum arbitror, vt ſecularem à Religioſo ſeparemus. Nam illi puto interdici cõfeſſionibus, ſi verè & actu approbatione priuetur. Id enim ius apertè ſic decernit, neque habet in alio loco & lege perfugium. At Regularis Ordinum prædictorum, longè alia ratio eſt; cui ius antiquum Extrauagantium, & Clementinæ dat, vt *ſi forte Prælati Fratribus electis & præſentatis licentiam exhibere recuſarint, Pontifices ex tunc eam ipſis gratioſè concedant de plenitudine Apoſtolicæ poteſtatis*. Et Lateran. ſub Leone: *Taliuus præſentatis admiſſis, vel etiam indebitè recuſatis*. Itaque de iure iſto nouo deiectus, ad antiquum recurret, & ſibi Approbationem, licentiam, Iuriſdictionem conceſſam putabit à Summo Pontifice, quam inferior Pontifex iniuſtè, vt quidem ponimus, recuſarit.

*Rel giſus præſentatus & renuſa tus, ipſo iure approbatur.*

Atenim illi contrarium eſt Tridentinum, & ceſſare in hoc iubet *Priuilegia, & conſuetudinem*. Equidem ſic reſpondeo, hac Concilij Conſtitutione, antiquis non derogari: lex enim poſterior generalis, ſæpe limitatur per ſpeciale ius antiquum, vt probat Nauarrus; quod ius illæſum manet, vt euitetur correctio iuris, quoad fieri poteſt. Derogat autem priuatis quorundam priuilegijs, extra corpus iuris vagantibus, quæ reſtringi debent, cum cenſeantur odia iuris, vt idem Nauarrus, Henriquez, Rodriguez, Leymanus, & alij docent.

*Illi iuri Tridentinum non derogat.*

Nauar. c. Placuit. de Pœni. d. 6 n. 147.

cent. Quoniam igitur expreſſa illius iuris non eſt in derogatione facta mentio, nulla ex parte violatum cenſetur. Neque vim facias in expreſſis *Priuilegijs*. Ego enim ſententiam definitiuam, qualis ea eſt, vt initio dicebamus, priuilegium eſſe nego, ſed ius commune, corpori Iuris inſertum, habens rationem fauoris. Itaque ius illud duobus Mendicantium ordinibus datum, vigere adhuc affirmo, licet aliud generali lege ſtatutum eſſe videatur.

Nauar. c. 27. Enchir. n. 264. & 265. Henr. l. 6. c. 6. n. 4. & l. 7. c. 12. n. 3. Lit. N. vbi plurimos citat. Rod. tom. 1. qq. Regul. q. 59. n. 2. Leyman. tr. 6. c. 12. n. 4.

---

*TRES APPROBATIONIS QUALITATES expenduntur.*

## CAPVT XXV.

IAM verò Approbationis dotes quæ ſunt? quibus illa loci, temporis, perſonarum limitibus coërcetur? Habet-ne vim adeo ſalutarem, vt ab omnibus; tam firmam & altè impreſſam, vt ſemper; ita latè patentem, vt vbique ſentiatur & proſit: De loco, id quæro, qui ab Epiſcopo vno approbatus eſt Religioſus, poſſit-ne vbique ſeculares audire pœnitentes? Satisfacit Clementis VII. beneficium, qui *conceſſit, quòd Confeſſores Ordinis Minorum, ſemel præſentati alicui Epiſcopo, pro Confeſſionibus audiendis, vt moris eſt præſentari, poſt vnam præſentationem non teneantur ampliùs præſentari, etiamſi ad aliam tranſierint Diœceſim.* Quod priuilegium latè ſic interpretatur Corduba, vt non tantùm de eadem intelligat Diœceſi, ſed etiam *de quacunque alia; ad quam ſe transtulerit ad morandum, ad tempus, vel in perpetuum: ſed iam cenſeatur ſemper & vbique debitè præſentatus.* Ratio eſt, quia *Papa concedentis intentio conformis eſt impetrantis intentioni, ſi abeſt dolus malus.* At verò ea fuit impetrantis intentio quam dixi, vt vbique prodeſſet. Iam enim antea, concedente Eugenio IV. ſemel in vna Diœceſi præſentatus, ad eam poſtliminio rediens, liber erat ab iterata repræſentatione. Imò etiam Eugenius Idem *conceſſerat confeſſarijs Fratrum Minorum, quòd quando non poſſunt commodè ſe præſentare Epiſcopis, quia ſunt in itinere, vel alibi, & non poſſunt petere caſus Epiſcopales, eo caſu poſsint vti plenariè auctoritate Epiſcopali.* Addit Emmanuel Sa, accepiſſe ſe à viro graui, eſſe illud priuilegium Ordinis Prædicatorum, vt ſemel Approbatus ex ipſis Confeſſor, vbique poſsit audire confeſsiones. Idem tradit Rodericus, Epiſcopum non poſſe compellere Fratres Prædicatores, ac Minores ad examen, vbi fuerunt ſemel Approbati ab Epiſcopo. An verò eodem fauore gaudere poſsint Mendicantes alij, dubium eſt. Id quidem negat Rodriguez; ſed veroſimiliùs eſt poſſe per communicationem omnium gratiarum, qualem Societati noſtræ conceſsit Pius V. & Gregorius XIII. & confirmauit Paulus V. Gregorij præter cæteros notanda ſunt verba diſtinctè & enucleatè omnia recenſentis.

*Approbatus Religioſus, vbique cenſetur approbatus.* Compend. Priuileg. Min. V. Abſolutio quoad Secul. 1. n. 16. Cordub. Annot. in eum locum. Compend. Priuileg. Min. cit. Emman. Sa. V. Confeſſ. n. 5. Emman. Rodri. qq. Regu. tom. 1959. a. 4. Pius 5 Bulla Dum indefeſſè an. 1571. Paul. 5. Bulla Romanus Pontifex. an. 1606. Greg. 13. Bulla Ad perpetuam an. 1575.

Sic enim orditur à cauſa, *Et quia ipſa Societas inter omnia Religionum inſtituta, ex peculiari & ſolenni voto, ſpecialem curam habet, cauſa ſalutis proximorum per totum orbem diſcurrendi, eius ſalutari miniſterio & vniuerſi Chriſti gregis ſaluti conſulentes, omnibus & ſingulis ipſius Societatis prædicatoribus, ac confeſſarijs, ab aliquo Ordinario ſemel approbatis, & à ſuis Superioribus ad huiuſmodi mune-*

*ra deputatis, vt quandocunque, ſiue mari, ſiue terrâ iter fecerint, populis, non repugnantibus tamen Curatis Parochialium Eccleſiarum; prædicatione verbi Dei inſtruere, ac conſolari, & quorumcunque Chriſti fidelium; præſertim agrotorum, & eorum qui in vinculis detinentur, confeſſiones audire, eiſque pro commiſſis ſalutares pænitentias iniungere: Dummodo id non faciant in ipſis oppidis an: locis, in quibus Ordinarij exiſtunt, niſi eorum licentia deſuper obtenta: liberè & licitè valeant, eadem auctoritate, etiam perpetuò; de ſpeciali gratia concedimus.* Ita magnus Pontifex. In quibus non pauca ſunt quæ diligenter obſerues. Priuilegium iſtud concedi, tanquam medium ad finem neceſſarium. Non noſtra, ſed proximorum cauſa tribui: Vnam Approbationem ſufficere: Illam vbique habere energiam: Petendam aliquo caſu licentiam, non Approbationem: Opus eſſe tunc illa obtenta, non ſolùm poſtulata. Seruandam cum Curatis concordiam: Et vtranque ad conciones tantùm eſſe neceſſariam, ijsqui iter habent, vel ſunt in loco vbi nullum Societas domicilium fixit. Nam de Confeſſionibus ita Paulus egit III. vt Societatis Patribus poteſtatem fecerit, *Sacramenta miniſtrandi* (ſuis nimirum in Templis, *Rectorum Parochialium, aut aliorum quorumuis licentia deſuper minimè requiſita.*

Paul. 3. Bulla Cum inter. an. 1549

*Semel Approbatus, ſemper eſt Approbatus.*

Conink. diſp. 8. dub. 7.

Tempus eſt vt tempus Approbationis exquiram. Putas-ne illam eſſe temporariam, an perpetuam? ex ſuperioris nutu pendere, an ſemel collatam detrahi non poſſe? Scis autem non eſſe gratiam, adeoque non perpetuò pendentem ex conferentis arbitrio; iſtud cum optimè de Iuriſdictione delegata dixeris, non item de Approbatione. Siquidem hæc teſtimonium eſt, quod neque merito negari poteſt, neque merenti eripi. Vt enim qui Doctoratus lauream conſecutus eſt, eam ſemper retinet, etiam mutata in eum conferentis voluntate; ſic quod ſemel à te iudicatum eſt, in tuo ampliùs arbitrio non eſt. Quod ſcripſiſti, ſcripſiſti. Reuoca tuam à Sacerdote Approbationem; ſi Iuriſdictionem relinquis, validè abſoluet, at non licitè: Quemadmodum Doctori ius eſt docendi, quantumuis ſuperioris auctoritate prohibeatur, & eo facto contra obedientiam Prælato debitam peccet. Quis igitur modus characterem illum delendi? Si reddis incudi, ſi reuocas ad examen, ſi recoquis illa purgatoria fornace. Quem autem? Sacerdotem ſecularem. Is ſi denuò ſatisfecerit, altiùs impreſſa eſt Approbatio; non obliterabis. Quia teſtimonium veritati datum, perdurante obiecto perire non poteſt. Si prodiderit ignorantiam, ipſe ſe de vitæ libro deleuit; pronuncia teſtimonium errore datum fuiſſe, aut peritiam cui ante datum fuit euanuiſſe, definit eſſe approbatus.

*Poteſt reuocari ſecularis ad examen.*

*Religioſus non poteſt.*

De Religioſo autem quid? Non ita, mi Lector. Quamobrem? quia enim ſemel præſentari ſufficit. Cur hoc? Quia ſic voluerunt Priuilegiorum diſpenſatores. Benedictus XI. ea Extrauagante cui derogauit Clementina noſtra, in ijs tantùm quæ Bonifacij Extrauaganti erant contraria. Nec à Tridentino, nec à Gregorio XIII. reuocatum eſt illud priuilegij genus. Ac licet concederemus illud ab eorum aliquibus antiquatum fuiſſe: reſtituit tamen Pij V. pietas, quoad forum conſcientiæ: qui Fratribus Minoribus, poſtulante Miniſtro Generali, viuæ vocis oraculo confirmat, & concedit, *Omnia priuilegia, & quaſcunque gratias, etiam viua vocis oraculo conceſſas, per Bonæ Mem. Paulum IV. & alios Romanos Pontifices prædeceſſores Sanctitatis ſuæ, cum ſingulis clauſulis, & decretis, & derogantibus in eis contentis: ita vt illis gaudere, & vti poſſint toties,*

Compend. Priuileg. Min. V. Abſolutio quoad Se col. 2. Capoccio c 5. quoad 3.

*quoties*

*quoties opus fuerit, & eis videbitur. Et quoad illa quæ ſunt reſtricta, ſeu derogata per Concilium Trident. etiam vti illis poſſint in foro conſcientiæ tantùm.* Certe auctor eſt Henriquez Pium V. Motu proprio conceſſiſſe, vt Religioſus ab aliquo Epiſcopo examinatus, ab eodem iterum examinari non poſſit. *Quòd ſi ſit ex Mendicantibus, nec à ſucceſſore*, vt addit Emmanuel Sa.

Henr. l. 6. c. 6. n. 6. in annot. Emman. Sa. V. Confeſſor. n. 5.

Poſtremò de reſtrictione quod quæri poteſt, leuiorem habet diſputationem, duabus breuiter partibus definiendam. Nam ſi Religioſus de moribus doctrinaque rite examinatus, non is eſſe reperitur, qui pœnitentiæ tribunal, pro eius officij dignitate exercere valeat, quidni certis locis perſoniſque ipſi interdicatur? quidni annua, vel triennalis tantùm concedatur Approbatio, ſiſtendi ſeſe iterum, & vitæ laudabiliùs actæ, aut comparatæ maioris ſcientiæ ſpecimen edendi onere perquam ſalubri impoſito? Quod ſi virum ponis ſuis partibus abſolutum, cui neque virtus ad exemplum, neque peritia ad animarum regimen deſit, qui ſit eiuſmodi, quales reliquos optare debeas, etiam Parochiali beneficio inſtructos: huic ego Regulari arctam, & aliqua ſui parte luxatam approbationem aio nec debere, nec poſſe concedi. Eſt enim, quod ſemper animo recolendum, Approbatio non fauor tuus, ſed veritas; non gratia, ſed teſtimonium; non arbitrij tui libertas, ſed eius meritum. Ea ſi negatur iniuriâ, ſi ſine cauſa conſtringitur ab Epiſcopo, iam ad Extrauagantes, & Clementinam recurritur, & ipſo iure à Summo Pontifice abſolutè approbatus cenſetur. Nam ſi quis cum omnibus Regularibus vniuersè ita ſe habeat, vt annuas tantùm; aut ad confeſſiones virorum tantùm, indulgeat Approbationes ſine diſcrimine, ſine exceptione; putas-ne iuſtam fore illius limitationem? Quo igitur ab hominis iniuria tutiùs profugietur, quàm ad ius publicum, & leges, animam reipublicæ?

*Poſſit-ne reſtringi Approbatio.*

*Viro probo & perito non poteſt reſtringi.* V. Henr. l. 6. c. 6. n. 8. Emm. Rodrig. qq. Regu. tom. 1. q. 59. a. 8. Capucc. in Comp. Priuileg. Min. V. Abſolutio quoad Secul 2. in Annot. c. 5. quoad 3.

Adiungi poteſt & hic leuior aliqua reſtrictio, pro excipiendis Religioſorum virorum confeſſionibus: ſed ſi paulùm attendimus, nullam pro ijs neque ius antiquum, neque Tridentinum exigit Approbationem; cum perpetuò de *Secularium* confeſſionibus agatur.

*Ad Religioſorum confeſſiones Approbatio non requiritur.*

Tango metas, & volente te, Lector, hic ſiſto. Nihil fucatum, nihil exaggeratum vides. Nuda ſe tibi veritas oſtendit, qualem à Theologo coli & ſpectari decuit. Non eſt noſter ſenſus; ſed auctorum quos ante Aurelianos turbines, & Hallerianas procellas probari, legi, citari contigit. Non ſunt vt plurimùm hominum Religioſorum, qui ſunt in partibus ea verba, ſed Supremorum Pontificum, ſed Conciliorum Generalium, adeoque in ijs Epiſcoporum præſide Spiritu Sancto congregatorum. Si quid verè contra nos ab illis ſtatutum haberent Antiregulares noſtri, quâ illud voce, quâ magniloquentia buccinarent; cum pauca ex ijſdem verba, ſuo, id eſt, partium ſenſu intellecta ingratijs ingerant, & capitaliſſimè propugnent: in eo tantùm noſtrorum laudatores approbatoreſque Conciliorum, quòd ſperant Regularibus aduerſari. Deus ſancte, quàm tenaciter nobis adhæret noſtri amor! quàm ille ſe ſubtiliter in mores inſinuat Chriſti nomine palliatus! quomodocunque Deus annuncietur, quid tandem refert, ſi Deum, ſi proximi ſalutem, ſi commune bonum quærimus? Magiſtri gloriæ ſtudioſus videri affectabat Ioſue, cum Eldad, & Medad extra tabernaculum, quaſi non ad Moſis imperium prophetantibus diceret, *Domine mi Moyſes, prohibe illos.* Repreſſit inconſideratum diſcipuli ardorem, mitiſſimus & ſanctiſſimus hominum. *Quid æmularis*

*Concluſio præcedentium.*

Numer. c. 11.

*pro me? quis tribuat vt omnis populus prophetet, & det eis Dominus ſpiritum ſuum?* Quæ conſcientia eſt cum ſint præſto qui ſuccollent, eos alienis animabus obrui velle, quibus ſuarum ſarcina grauis eſt? Quæ inuidia cum a paucis omnia quæ opus ſunt perfici nequeant, infecta malle, quàm vti Volonibus. Vidi ſæpe qui ægrè mercedem cum alijs communicarent; qui merum laborem non liberaliter concederent, præter iſtos noui neminem. Quanquam & ipſis neceſſariæ ſunt operæ. Cur autem hos potiùs quàm iſtos aſſumant, Deus ſcit. Sunt de Hierarchia, inquiunt. Ridiculè. Ad nutum noſtrum mouentur. Quid poſtulatis à Regularibus? Honorem, amorem, reuerentiam? Nunquid recuſant? Obedientiam in veſtris Eccleſijs? Nunquid denegant? Vobis vt inuitis veſtras cathedras, veſtra pœnitentiæ tribunalia non occupent? Nunquid inuadunt? Illuſtriſſimis Hierarchis ſi qui non deferunt *rationabile obſequium*, profectò peccant. Alij pro ſe dicent. Nos obedientiam habemus pro teſſera. Obſeruantia in Præſules hæreditas noſtra eſt. Hanc hiſtoriæ
Orlandin. Hiſt. Soc. l. 14. n. 50. noſtræ loquuntur, in cauſa Tornacenſis Epiſcopi ex parentis Ignatij præſcripto: in moribus Franciſci Xauerij aduerſus Goanos Antiſtites: in communi vſu ſuperiorum noſtrorum, qui ſeu nouè ad domorum regimen accedunt, ſeu nouos ſalutant Epiſcopos, eis modeſtè ſupplicant, vt bona illorum venia conceſſis à Sede Apoſtolica priuilegijs vti liceat.

---

### *ARGVMENTA QVIBVS REGVLARIVM Aduerſarij priuilegia peſſundare nituntur, refelluntur ducto ab auctoritate veterum Canonum & Patrum initio.*

## CAPVT XXVI.

MVLTA & grauia contra immunitates illas & priuilegia ex Patribus & ratione proferuntur, diſſimulatione non prætereunda, ne cauſæ bonitati diffidere videamur. Vtinam idem eſſet aduerſarijs animus, eadem ſynceritas, nec truncos & mutilos auctorum locos, magno clamore perſonarent; aut plauſibilibus argumentis, quæ rem propriè noſtram non tangunt; plebeculæ ingenijs non illuderent! Theologos fucus non decet, amantes veri conſiſtunt in ſolido.

*1. Obiectio à veteribus Concilijs & Patribus. Reſponſio.* I. Nempe Conciliorum & Patrum veterum longa ſerie pugnant, & euincere magno conatu moliuntur. Quid? Monachos veteres in Epiſcoporum ſuorum ditione & poteſtate fuiſſe. Hoc volentes libenteſque concedimus, hoc vltro fatemur ex rei natura factum, & fieri ſemper, quandiu nulla maior auctoritas eo debito nos abſoluit. Verùm quæ toto hoc libro de antiquis in Oriente Monachis, cum recentioribus in Occidente Religioſis, Clericis, aut Mendicantibus diſputata ſunt à nobis, ea ſatis apertè manifeſtant, quàm ſint longæ illæ Anachoretarum hiſtoriæ, & Canones æuo mutati à præſente controuerſia remoti.

*2. obiectio ex D. Bernardi auctoritate.* II. D. Bernardum obijciunt, ardentem diuino zelo hominem, & ipſum Religioſum, ne quid in eo cauſari poſſint Regulares, vnde reijci debeat. Is autem duobus potiſſimùm locis priuilegia iſta profligat. 1. Cum ipſi Summo Pontifici

ſiei eorum auctori ſcribit *Murmur loquor & querimoniam Eccleſiarum: truncari ſe clamitant ac demembrari: vel nullæ vel paucæ admodum ſunt, quæ plagam iſtam aut non doleant, aut non timeant. Quæris quam? Subtrahuntur Abbates Epiſcopis, Epiſcopi Archiepiſcopis, Archiepiſcopi Patriarchis, ſiue Primatibus.* Reſpondeo verè D. Bernardum ea iſto capite inſectari priuilegia quæ abuſu donantur, non autem legitima, & ex iuſta diſpenſatione conceſſa. Abuſus bifariam diuiditur, in dantem & accipientes; donat Pontifex ſine certa ratione, ex mera poteſtatis amplitudine. *Sic factitando probatis vos habere plenitudinem poteſtatis, ſed iuſtitiæ forte non ita. Facitis hoc quia poteſtis: ſed vtrum & debeatis quæſtio eſt. At quomodo non indecens tibi, voluntate pro lege vti, & quia non eſt ad quem appelleris, poteſtatem exercere, negligere rationem?* Accipiunt ſubditi non ad Dei gloriam, Eccleſiæ vtilitatem, fidelium ſalutem, ſed ad excutiendum obedientiæ iugum, & ſuperbiam confouendam. *Nolo prætendas mihi fructum emancipationis ipſius: nullus eſt enim, niſi quod inde Epiſcopi inſolentiores, Monachi etiam diſſolutiores fiunt. Non eſt bona arbor faciens fructus tales, inſolentias, diſſolutiones, dilapidationes, ſimultates, ſcandala, odia; quodque magis dolendum, inter Eccleſias, inimicitias graues, perpeteſque diſcordias.* Hic profectò abuſus nec iuſtè petitur, nec licitè donatur. *Quod dicat Epiſcopus, nolo eſſe ſub Archiepiſcopo: aut Abbas, nolo obedire Epiſcopo, hoc de cælo non eſt.*

*Bern. l. 7. de Conſid. c. 4.*

*Reſponſio: D. Bernard. declamare in abuſum priuilegiorum in quo poſitus abiſſet ille.*

Verùm quæ certis de cauſis ad communem vtilitatem condonantur, illa probat & laudat idem vir ſanctiſſimus. *Quid, inquis, prohibes diſpenſare? Non; ſed diſſipare; vbi neceſſitas vrget, excuſabilis diſpenſatio; vbi vtilitas prouocat, diſpenſatio laudabilis eſt. Utilitas dico communis, non propria. Nam cum nihil horum eſt, non planè fidelis diſpenſatio, ſed crudelis diſſipatio eſt.* Priuatam etiam quædam loca habent cauſam probabilem, legitimam, admittendam. *Nonnulla tamen Monaſteria ſita in diuerſis Epiſcopatibus, quòd ſpecialiùs pertinuerint ab ipſa ſui fundatione ad Sedem Apoſtolicam, pro voluntate Fundatorum, quis neſciat? Sed aliud eſt quod largitur deuotio, aliud quod molitur ambitio impatiens ſubiectionis.* Tale Cluniacenſe quod habebat præ oculis: tale Ciſtertienſe, vnde ipſe prodierat, cui conceſſum *quòd locus Ciſtertij ab omni mortalium moleſtia tutus & liber maneat.* Inde veteri Poëtæ dictus Ordo Ciſtertienſis

*Priuilegia rectè conceſſa agnoſcit & laudat.*

*Locorum priuilegia.*

*Ciſtertienſis Monaſterij immunitas* apud Cho. l. 2. de Iur. Religioſ. tit. 1. n. 7.

*Sanctus & exemptus, primaque ab origine liber;*
*Nullus in hunc quicquam iuris habere ſolet.*

Suam proinde matrem ingratus filius, calcibus petere non potuit S. Bernardus, & *fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus.* Hinc ergo vetum ſanctiſſimi ſcriptoris ſenſum accipies, notabiſque *Plenitudinem Poteſtatis* in Pontifice Romano ad eroganda priuilegia, cauſas legitimas concedendorum, *neceſſitatem, vtilitatem, originem*, quæ omnia in Mendicantibus monſtrata ſunt. Summa propriè capita hac reprehenſione concluſa *Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates*, minuſque eo telo Religioſos, quàm ipſos Hierarchas feriri. Itaque cum longa meditatione perpenſum hunc locum leges apud Franciſcum Hallier, tria hæc illi puncta, quæ cogitanti exciderunt, in memoriam reuocabis.

Hallier in vind. pag. 345. & ſeq.

Alter locus ex Epiſtola ad Henricum Senonenſem Archiepiſcopum. *Miror quoſdam in noſtro Ordine Monaſteriorum Abbates, hanc humilitatis regulam, odioſa contentione infringere, & ſub humili, quod peius eſt, habitu & tonſura tam ſuperbè ſapere, vt cum ne vnum quidem verbulum de ſuis imperijs ſubditos prætergredi*

*Altera obiectio ex S. Bernard. ep. 42.*

*Mens dictorum S. Bernardi exquiritur. Inter Cluniacenſes, & Ciſtercienſes contentio.*

Baron. ad an. 1126. Petr. Ven. ep. 28. l. 1. ad Bernar.

*patiantur, ipſi proprijs obedire contemnant Epiſcopis.* Vt hæc, & inferiùs proferenda, clariùs intelligas, memineris neceſſe eſt inter Cluniacenſes & Ciſtercienſes Monachos qui ex illis profluxerant, contentiones eo tempore fuiſſe non contemnendas, quas ne Baronius ipſe quidem diſſimulat; & hos quidem primæuum natiui ſui ſpiritus feruorem ſpirantes, illis Benedictinæ regulæ obſeruationem parum accuratam obieciſſe; atque inter alia hanc ipſam ab Epiſcoporum ſubiectione immunitatem, vt patet ex Epiſtola Petri Venerabilis ad S. Bernardum ſæpe ſuperiùs nominata. Bernardum quoque ipſum priuata offenſiuncula, ob Robertum nepotem à ſuo in Ordinem Cluniacenſem abductũ, non mediocriter zelo ſuo aduerſus Cluniacenſes indulſiſſe, & virum Religioſæ humilitatis amantiſſimum, cum hæc priuilegia exemptionum, tum Abbatum Cluniacenſium externam ſpeciem, & non procul remotum ab Epiſcopali dignitate apparatum, auidè reprehendiſſe. Vrbani enim II. diplomate, Sancto Hugoni & eius ſucceſſoribus, dalmaticæ, compagorum, ſeu ſandaliorum, chirothecarum, & mitræ vſus in feſtiuitatibus octo præcipuis conceſſus fuerat. *Et hoc*, inquit Pontifex, *ad tuæ religionis euidentiam, atque oſtenſionem noſtræ peculiaris dilectionis; quam ex Sede Apoſtolica magis meritis exigentibus promereris.* Hanc fortaſſe prærogatiuam ex eodem ordine Abbates alij pretio redemerant, vt ſtylum S. Bernardi mererentur incurrere, quem manifeſtè in Cluniacenſes illos diſtringit. *Verùm apertè indicant horum quidam quid cogitent, dum multo labore ac pretio Apoſtolicis adepti priuilegijs, per ipſa ſibi vendicant inſignia Pontificalia, vtentes & ipſi more Pontificum, mitra, annulo, atque ſandalijs. Sanè ſi attenditur rerum dignitas, hanc Monachi abhorret profeſſio: ſi miniſterium, ſolis liquet congruere Pontificibus.* Eandem morum corruptelam, & typhum ſuperbiæ, Petrus Bleſenſis ne in fratre quidem ſuo, Abbate Siculo ferre ſe poſſe teſtatur. Ipſam etiam ab Epiſcopali iure exemptionem pretio ab ipſis comparatam, ſignificat Abbas Clarauallenſis, & quidem ingenti & pene ſacrilego. *Spoliant Eccleſias vt emancipentur, redimunt ſe ne obediant, totum fere ſuum ſuorumque z (?) tectum expendunt.* Hic duo reprehendit humilitatis Doctor, pecuniàm ad priuilegium erogatam: ea neminem noſtrûm tangit: ipſum priuilegium, aut potiùs exitum priuilegij, in ſuperbiam & libertatem degenerantis. *Quid eſt hoc præſumptionis ô Monachi? duodecim humilitatis gradus magiſter veſter ediſſerit: in quo quæſo illorum docetur aut continetur, vt hoc faſtu delectari Monachus, has quærere debeat dignitates?* Et quidem ſolis hoc exprobat Abbatibus, non illorum Monachis. *Quomodo tanquam vnus ex illis, manens inter humiles ſuperbus, inter ſubditos rebellis, immitis inter manſuetos?*

*Abbatum Cluniacenſium habitus in ſacris, Epiſcopali non abſimilis.*

Vrban. 2. Bulla Cum omnibus ann. 1088. & iterum an. 1095.

Petr Bleſ. ep. 90.

*Reprehenſio S. Bernardi non tangit priuilegia Mendicantibus ſimilia.*

*Verus S. Bernardi ſenſus exponitur.*

Hæc omnia clarè loquuntur S. Bernardi mentem eſſe, Abbates quoſdam Cluniacenſes reprehendere, quibus ſuperbia & libertas perſuadebat exemptionis, & Pontificalium inſignium priuilegia magna vi pecuniarum redimere. Quæ toto cœlo ab Religioſorum noſtratium, de quibus agitur, animo, & inſtituto abſunt, atque adeò abſurdè, & inuita minerua in hanc quæſtionem intruduntur. Et tamen ex ea Epiſtola nihil aliud affert Halliet, quàm lugubrem illam S. Bernardi aſſeuerationem, *Certus ſum ego Monachus, & Monachorum qualiſcunque Abbas, ſi mei quandoque Pontificis iugum excutere tentauero, quod Satanæ tyrannidi meipſum ſubijcio.* Et quaſi in Mendicantes Ordines propheticum illud dictum ſtringat, addit Doctor plenum horrifici vaticinij epiphonema, & formidine crimen acerbat. *Cauenda ſanè comminatio*

quàm

*quàm timeo ne nimiùm vera aliquando inuenienda ſit, cum reſipiſcendi ac pœnitendi nullus locus erit*! Illius ſanè timoris ſecurus ero, donec videam Mendicantium Abbates omnem pene Cœnobiorum ſtipem, ad coëmendas Romano priuilegio mitras, ſandalia, & chirothecas, prodigentes.

*Inuidiosè ſed extra propoſitum in Religioſos exclamat Hallier in vin p. 548.*

III. Succedunt S. Bernardo, Carnotenſes aliquot Epiſcopi, aut Clerici, ab Carnotenſi noſtro Doctore ſuccenturiati, Fulbertus ipſe Monachus, Iuo Canonicus Regularis, Ioannes Sareſberienſis, Petrus Bleſenſis; qui omnes aduersùs Monachos eiuſcemodi priuilegia affectantes, acerrimè inuehuntur. Sed nimirum Monachos amore licentioris vitæ, Epiſcopalis regulæ ſeueritatem fugitantes, *quibus magis neceſſaria eſt ſubiectio, quàm libertas; qui libertate in occaſionem carnis abutuntur: quibus ſi decem millia pædagogorum in Chriſto ad cuſtodiam deputarentur, vix tamen ſic regularis continentiæ legibus ligarentur.* Eiuſmodi inquam effrenes equulos, iuſtiſſimè conqueruntur viri ſanctiſſimi, excuſſo Epiſcopo, vnum Romanum Pontificem, noua regula velle agnoſcere.

*3 Obiectio ex Iuone Carnotenſi & alijs.*

Iuo Carn. ep. 63. cit. ab Hallier.

Ponamus hoc argumentum, Lector, in ſuo lumine. Monachi, qui ex vitæ inſtituto ſibi vacant, Epiſcopo ab antiquo ſecundùm regulam ſubditi, deprauati moribus, legitimi dominatus impatientes, Exemptionis priuilegium à Summo Pontifice poſtulant, vt eo ad omnem perditæ vitæ licentiam abutantur; & hoc peti indignatur Iuo Carnotenſis, prohibetque totis viribus ne fiat. Ergo Regularium omnium, etiam Clericorum, qui alienam ſalutem ex inſtituto curant; etiam Mendicantium, qui ad prædicandum & docendum ſunt in Eccleſia poſiti, qui cum exemptione nati ſunt, ad finem ipſis propoſitum omnino neceſſaria, qua vtuntur ad Dei gloriam, & Eccleſiæ vtilitatem augendam, omnia priuilegia centies à Romanis Pontificibus confirmata, ab ipſis hactenus feliciter vſurpata, improbant Patres, & de medio tollenda putant, tanquam noxia. Hoc eſt, ſi neſcis, paralogizare.

*Enormis paralogiſmus harum obiectionum.*

IV. Præcipuè vrgetur hic auctoritas Petri Bleſenſis, cuius totam pene deſcribit Epiſtolam, niſi quod & argumentum omittit, & finem. Scimus autem Malmiſburienſem Abbatem, de quo querela eſt, *Prætendiſſe quaſdam exemptionis ſuæ literas, quæ in filo & Bulla videbantur vitioſæ, ſtylumque Romanæ curiæ redolebant*: ideoque & eas falſitatis Richardus Archiepiſcopus arguebat. In eius perſona ſcribit ad Alexandrum III. Archidiaconus, & cauſam tractat vniuersè. Primùm, & in theſi de priuilegijs exemptionum non donandis; deinde ſub finem ad hypotheſim deuoluitur, & prætenſas ab eo non germanas Bullas, ſed ſuppoſititias literas conqueritur, illis verbis, quæ non vacabat Doctori exſcribere. *Si ergo Malmisburienſis Abbas ad vos venerit, vel miſerit, vitam & opinionem illius in libra iuſtitiæ appendatis: nec illius admittatis priuilegia, donec manifeſtè liqueat ex collatione ſcripturæ & Bullarum, quo tempore, & à quibus Patribus ſint indulta? Falſariorum enim præſtigioſa malitia,* &c. Falſarios ſolis præſtigijs, non autem ex rei veritate immunes, damnat Bleſenſis: Itaque vel falſarios oportet æſtimari Regulares omnes cum ſuis priuilegijs, quòd alibi Doctor inſinuauit, vel ad eos cauſa Malmiſburienſis Abbatis non attinet. De qua re dictum ſuperiùs. Suo quoque loco prolatus eſt Epiſtolæ finis à Doctore captioſè omiſſus. *Scimus equidem quòd ob quietem Monaſteriorum, & Epiſcoporum tyrannidem has exemptiones plerumque Romani Pontifices indulſerunt.* Agnoſcit igitur Bleſenſis veras, & quidem grandi numero exemptiones à Romanis Pontificibus, legitimis de cauſis conceſſas. Cur igitur vnius falſarij exemplum

*4. Obiectio ex Petro Bleſenſi ep. 65.*

*Argumentum Epiſtolæ.*

*Falſa priuilegia inſectatur Bleſenſis.*

*Vera idem agnoſcit, iuſtas ob cauſas conceſſa.*

*Franc. Hallier contumelioſus in Pontificem Rom. & Religioſos.*

ad expugnationem priuilegiorum omnium, tanquam aries non ſemel impingitur? cur dicitur *priuilegijs ſine iuſta cauſa obtentis, vel extortis, auctoritatem Epiſcoporum in Monachos imminuendam non eſſe*, niſi vt de ſingulis dubitetur, ſint-ne ſic *obtenta vel extorta*, vt omnia vacillent & corruant: Num hæc eſt Pontificis contumelia, vt *ſine cauſa obtineri & extorqueri* permittat exemptiones? Num communis omnium Regularium iniuria, vt aut vi, leonum inſtar in Romanam curiam irrumpant, aut tanquam vulpeculæ *præſtigioſa malitia irrepant, & inde ſubducta figmenta Bullarum*, chimæras priuilegiorum, orbi vniuerſo in conſpectu ſolis huius venditent? Nobis certe priuatim præſtigiarum illarum notam inurit, ſcribens in grandi opere. *Scio Religioſos Societatis IESV quædam in contrarium iactare priuilegia, ſed nec ea apparent.* Quam ſuo loco, non ſine calumniatoris infamia, detergemus.

*Priuatim in Societatem IESV.*

---

*RATIONES CONTRA EXEMPTIONES ET priuilegia afferri ſolitæ diluuntur.*

## CAPVT XXVII.

*Hallier priuilegiorum aduerſarius.*

NON ſola auctoritate clarorum virorum inſtructus, ſed etiam ratione munitus, & vndecunque cataphractus, in campum & aciem aduersùs exemptiones procedit Doctor Hallier, qui vnus inter recentiores, quos quidem legerim, acerrimè Religioſa priuilegia, etiam cum Romanorum Pontificum vituperio, inſectatur: cum ea liberè appellet *nouas & inuſitatas prioribus ſeculis corruptelas*: qua voce non Romani ſolùm Pontifices, ſed etiam Concilia vniuerſalia, atque adeo Eccleſia vniuerſa, *corruptionis* infamia dehoneſtatur.

In vindic. p. 791.

*1. Obiectio. Non eximendos ab Epiſcopis ſubditos Hallier ibid. p. 549. Damna ex abuſu naſcuntur, non ex priuilegijs.*

I. Ex producta Petri Bleſenſis Epiſtola ſic agit. *Nolim ego mala quæ ibidem ab iſtis exemptionibus exorta enumeras, fuſius referre. Hæc tantùm vrgeo, quibus propriam Epiſcoporum hanc poteſtatem eſſe, ab eaque niſi iuſta cauſa, & ob publicam vtilitatem, vel neceſſitatem nullos abſque iniuſtitiæ nota eximi poſſe contendit.* Duo ſubtiliter obijcit, damna oriri ex immunitatibus; & eas ſine cauſa iniuſtè donari. Ad 1. reſpondeo, non ex immunitatibus, ſed ex immunitatum abuſu priuatorum quorundam culpa, oriri nonnunquam mala: quemadmodum & rebus ſanctiſſimis mali peſſimè vtuntur; ei tamen malo Eccleſiam non euerſione templorum, non Sacramentorum extinctione, non ſodalitatum diſſolutione, ſed abuſu per ſalutares coërcitiones, & leges ſapientiſſimas ſublato mederi. Ad 2. Mutari ſubdolè quæſtionis ſtatum, in qua nunquam diſputatum eſt, ſint-ne ſine cauſa concedenda Regularibus priuilegia: neque de cauſa legitima dubitari poteſt ſine Pontificis iniuria. Quæ poſſunt autem eſſe grauiores, iuſtioreſque, quàm ſuperiùs à nobis allatæ? & cum id tam crebrò repetit Doctor, vel nihil agit, vel ſuſpicionem hominum animis ingenerare conatur, hæc *ſine iuſta cauſa obtenta, vel extorta eſſe*, vt vel reijciantur à maleuolis, vel examinentur à ſuperſtitioſis.

*Aduerſarij calliditas in mutando quæſtionis ſtatu.*

*Negat Hallier licere Pontifici Romano dare priuilegia exemptionum.*

Textum autem Bleſenſis ita producit. *Et quæ eſt*, inquit, *forma iuſtitiæ, aut potiùs iuris deformitas, prohibere ne magiſtro diſcipuli conſentiant, ne filij obediant Patri, ne milites ſequantur Principem, ne ſerui domino ſint ſubiecti?* (nota quot verba

ibidem

*ibidem proferuntur, tot rationes noſtri dicti proponi.*) Qua parentheſi exegetica in ſententiam Bleſenſis tranſit Hallier, & Romanum Pontificem immunitatum auctorem iniuſtitiæ manifeſtè arguit, qui ſubducat *magiſtro diſcipulos, patri filios, Principi milites, ſeruos Domino.* Ac licet de Abbate vno Malmiſburienſi controuertatur, cum eadem tamen ſit omnium priuilegiatorum cauſa, neque alio animo proferatur à Doctore, niſi vt ex vnius culpa, cæteris omnibus oboriatur ſuſpicio, hæc ſanè Pontificis Max. iniquitas eò maior eſt, quò propagatur in plures. *Subtrahuntur* enim non tantùm *Abbates Epiſcopis*, ſed etiam *Epiſcopi Archiepiſcopis, Archiepiſcopi Patriarchis*; ſubtrahuntur Canonici Epiſcopis, Reges & Aulici Ordinarijs. De iſtis quæro ſint-ne per iniuſtitiam Pontificis Romani exempti? quodque de illis reſpondebit Doctor Franciſcus, id putet ad Abbates & Religioſos à me transferri. Pergit Bleſenſis. *Si audeamus dicere quod ſentimus, cum officio iuſtitiæ, reddatur vnicuique quod ſuum eſt. Non multùm Romani Pontificis iuſtitiam promouet*, (Iuriſdictionem intelligit) *ſi alicui in alienam iniuriam beneficium confert; ſi quod meum eſt aufert; ſi ea committit in rebus Eccleſiaſticis, quæ mundana poteſtas in ſecularibus abhorret.* Pro ſe, ſuoque Canonico Carnotenſi reſpondebit Doctor Hallier, ſi commodum fuerit, quod *redditur cum officio iuſtitiæ*, nonne per nefas iniuſtitiæ ſit ablatum? Id ergo de Romano Pontifice apertè pronunciatur. Quod *confertur in alienam iniuriam*, nonne per iniuſtam actionem vero domino ſit ereptum? Hæc Pontificis Romani actio eſſe dicitur; & ille Romano Pontifici liber conſecratur, qui eum iniuſtitiæ & rapinæ planè & latinè condemnat. Reſpondebit & verum *mundana Regis poteſtas*, ſubditorum ſuorum aliquem ab ordinarijs iudicibus exemptum, ſuo tribunali ſine illorum *iniuria*, & ſua *iniuſtitia reſeruare non poßit?* Quod experientia quotidiana tam vſitatum modò eſt, vt ordinariorum iudicum frequentes ea de re querelas audiamus: eorum tamen nemo vnquam *iniuſtitiæ* Regem accuſauit, vt pote iuris fontem, à quo riui pro arbitrio huc atque illuc diuiduntur. Quæ igitur iniquitas, ſi eadem *committit in rebus Eccleſiaſticis* Romanus Pontifex? Addo amplius. Cum Rex Prætorianis ſuis militibus cohortem nouam adijcit, eique Tribunum recens electum præficit, ſuæque cognitioni tum Tribunum, tum cohortem integram attribuit; illi-ne cohorti & Tribuno exemptionem ab alijs ducibus *conferat in alienam iniuriam?* an *auferat* quod alterius ducis eſt? Idem ſpecta in Curiarum Supremarum erectione, quas omnes ſine vllius iniuria ſuis iuribus, priuilegijſque fundarunt, qui *plenitudinem poteſtatis* habent à Deo Reges Chriſtianiſſimi. Quid autem aliud Romanus Pontifex *committit in rebus Eccleſiaſticis* nouos Religioſorum ordines inſtituendo?

*Omnes in cauſa priuilegiorum vulnerat Hallier.*

*Romanus Pontifex iniuſtitiæ accuſatur à Franciſco Hallier.*

*Eadem iniuria in Regiam poteſtatem redundat.*

II. Has exemptiones licitè non concedi à Romanis Pontificibus, qui ex Bleſenſi probat Hallier; ex Iuone Carnotenſi conficere ſatagit, ne validè quidem donari. Is enim ad Gaudefridum Monaſterij Vindocinenſis Abbatem ſcribens, *Noueris*, inquit, *vacuas eſſe excuſationes*, (vanas, irritas, nullas,) *quas obtendis, te propter obedientiam Romanæ Eccleſiæ, Carnotenſis Eccleſiæ profeßionem refutaſſe: cum Eccleſia Romana à Deo nullam iniuſtam acceperit poteſtatem, fidem violandi videlicet, quæ debita ſunt cuique non reddendi: ſed tantùm quæ ſunt liganda, ligandi, & quæ ſunt ſoluenda ſoluendi.* De priuilegio exemptionis agitur, quod alterius iuri præiudicare conqueritur, ideoque eius tradendi poteſtatem negat Iuo, &

*2. obiectio. Exemptiones non concedi validè.*

*Negat Hallier Pontifici Romano poteſtatem dandarum exemptionum.*

ex eo Franciſcus Hallier Pōtifices Romanos accepiſſe à Deo; igitur & habere. Neque negat ſe aut *iniuſtæ poteſtatis* nomine, aut additione ſua Doctor Hallier, *de Priuilegijs ſine iuſta cauſa obtentis, vel extortis.* Nam ſi ea *poteſtas iniuſta* dicatur, poteſtas non eſt: ſi accepta exemptione qui denegat obedientiam, *fidem violare* cenſetur, vera non eſt exemptio: Si donandorum priuilegiorum nullam habet à Deo poteſtatem, quæ poteſt eſſe *iuſta cauſa*, qua ab eo *vel obtineantur, vel extorqueantur*: Remotis ergo verborum inuolucris, veram Franciſci Hallier mentem ad momentum temporis aſſumamus, cum vt ſæpe dixi, vnius & omnium priuilegiorū vna ſit cauſa, quia omnia æquè iuri communi derogant, & reperiuntur qui in ſuum detrimentum vergere cauſentur; iam *vacuæ* ſunt & irritæ priuilegiorum omnium conceſſiones, defectu poteſtatis in concedente; inanes Exemptionum Bullæ, & verè propriéque bullatæ nugæ: impoſtores omnes Romani Pontifices, qui tot populis, tot ſeculis illuſerunt; ſtolida & barda omnis Chriſtianorum natio, quæ à ſupremo Religionis Antiſtite ſemper id poſtulauit, & accepiſſe ſe credidit, quod donare nunquam potuit: miſerandum in modum decepti Chriſtiani Reges & Principes, qui cum maiorem in Rempublicam poteſtatem à Deo non acceperint, quàm Chriſti Vicarius ſuo modo in Eccleſiam, ſubditos ſuos ad arbitrium priuilegijs munire & condecorare ſe putarunt, quorum *poteſtatem à Deo non accepit Eccleſia.* Quantis in tenebris, in qua rerum omnium perturbatione verſantur Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Capitula, Academiæ, Ciuitates, Prouinciæ, Regna, atque potiſſimum hoc nobiliſſimum & Chriſtianiſſimum Regnum, Pontificum Romanorum priuilegijs, tanquam gemmis vndique refulgens, quando illorum concedendorum *Eccleſia Romana à Deo nullam accepit poteſtatem?* Verum ſi S. Bernardus, etiam cum ſtomacho ſuo, *plenitudinem poteſtatis* in Pontifice Romano agnoſcit: ſi præcisè affirmat Illuſtriſſimus Bellicenſis, eam poteſtatem niſi per ſchiſma Pontifici Romano negari non poſſe: ſi Magnus Gerſon Doctor Chriſtianiſſimus, & Parochus Pariſienſis fidenter pronunciat *ſequi innumeros homines decipi ab Eccleſia, & à Summo Pontifice, ſi Religioſorum priuilegia nihil valeant*: Si conſentiens vniuerſæ Chriſtianitatis & omnium ſeculorum opinio, eam Chriſti Vicario poteſtatem diuinitus conceſſam ſemper exiſtimauit, cur ea labefactatur à recenti Doctore Catholico? Cur impugnatur ab eo ſcriptore qui Epiſcopalem auctoritatem propugnare ſe gloriatur? Cur *noua & inuſitata* dicitur *corruptela* eo libro, qui Romanæ cathedræ, tanquam illuſtre de proſtrato ſchiſmate trophæum appenditur?

*Grauia incommoda ex aduerſarij opinione ſequuntur.*

Gerſ. lect. 2 in Euan. S. Marci.

## *REGVLARIVM EXEMPTIONES PAROCHIS non nocere monſtrantur.*

### §. Vnicus.

*§. obiectio. Exemptiones eſſe in*

III. IN tertia obiectione quæ biceps eſt, miror nihil vidiſſe Doctorem noſtrum, aliàs non incurioſum Gratiani collectorem, in quo pene vno ſcientiam

ſcientiam habet Canonum oſtentatricem. *Nec damnoſa fiſco*, inquit Pontifex, *nec iuri contraria poſtulari oportet*, à ſuperiore diſpenſante, & priuilegio ab communi regula diſcernente. Sunt autem exemptiones illæ fiſco, ſeu Parochorum peculio damnoſæ, & quod dicunt, in præiudicium tertij; ſunt etiam illorum iuri contrariæ: illas ergo nec oportet poſtulari, nec æquum eſt concedi. Prima pars apud pleroſque, in hac ſcena primas partes agit; apud prudentiores καθὸ ἀγνοῶν. Huic ſatisfacio obuia diuiſione. Vel enim temporale, vel ſpiritale detrimentum parere criminantur hæc priuilegia: de temporali reſpondet D. Thomas: de ſpiritali D. Bonauentura, Regulares quidem, ſed ſancti, & Doctores Pariſienſes. Ille verbis lectiſſimis, & doctrina verè Angelica, nullam Parochis iniuriam fieri, vel commiſſionis conceſſione, vel priuilegiorum diſpenſatione ſapienter admonet. *Præiudicium non fit alicui, niſi ſubtrahatur quod eſt in fauorem eius indultum. Iuriſdictionis autem poteſtas non eſt commiſſa alicui homini in fauorem ſuum, ſed in vtilitatem plebis, & honorem Dei. Et ideo ſi ſuperioribus Prælatis expedire videatur ad ſalutem plebis & honorem Dei promouendum, quòd alijs, quæ ſunt Iuriſdictionis committant, in nullo fit præiudicium inferioribus Prælatis, niſi illis qui quærunt quæ ſua ſunt, non quæ Ieſu Chriſti; & qui gregi præſunt, non vt eum paſcant, ſed vt ab eo paſcantur.* Et verò quæ Dei gratia eſt, innumeros videmus eiuſmodi diuinæ gloriæ zelo feruentes Parochos, qui *ſocijs annuunt*, & quod ſoli non poſſunt, centum manibus exequuntur: qui, vt loquitur S. Bonauentura, *non tam patienter ferunt, quàm deſideranter appetunt cooperatores Euangeliſtas, ad multitudines diuinarum meſſium colligendas.* In hoc enim, ſpiritale bonum, quod his priuilegijs procurare intendit Eccleſia, poſitum eſt, vt *Chriſtus annuncietur ad conſummationem ſanctorum, in ædificationem corporis Chriſti*: qui finis eſt Hierarchiæ. *Nam quia affectus Pontificis ſeu Sacerdotis ad plebem, debet eſſe conſimilis affectui Patris ad filium, matris ad prolem, nutricis ad infantem; Quemadmodum filium pauperculum ſuſtentari, inualidam prolem foueri, & gementem infantem lactari nequaquam eſt patri, vel matri, vel nutrici moleſtum, ſed deſiderabile, carum, & placitum: ſic etiam omnibus Sacerdotibus pijs & ſanctis, magnum debet eſſe ſolatium, quoties ſalus procuratur plebium ſubiectarum.* Quapropter alibi argumentum idem alia via perſecutus, negat præiudicium Parochis fieri, imo non parum boni ſpiritalis eis accreſcere, ſi Religioſorum conciones audiant ſubditi. *Nam proficit populus*, inquit, *in ſcientia veritatis, & bonis moribus. Deinde cum eadem docent quæ & nos, teſtimonio noſtro eorum doctrinam confirmamus.* Tertiò *docemus populum paſtoribus ſuis obedire, & eos reuereri, & non recalcitrare. Super his potiùs debent, ſi ſapiunt, gaudere & gratias agere, quàm dolere; aliter enim citò vileſcerent apud populum, propter malam vitam multorum ex ipſis.* Quæ omnia docent quàm feliciter ſatagant Regulares, ex virtutis officijque præſcripto, Parochorum auctoritatem ſartam tectam tueri, quantumque ex priuilegijs ad eorum ædificationem boni ſpiritalis accedat.

*præiudicium tertij.* 15. q. 2. c. Nec damnoſa.
*Reſp. non obeſſe bono temporali.*
D. Thom. in Suppl. 3. p. q. 8. a. 5 ad 1.
Bonauent. Apol. Pau. Reſp. 4. c. 4.
*Neque bono ſpiritali.*
Epheſ. c. 4.
*Illuſtres comparationes ad rem demonſtrandam.*
*Parochis multùm accedit commodi.*
Bonau. lib. quare Fr. Min. Prædic.

Altera pars quæ ius Parochorum complectitur, dubitationem non admittit: Ea duplex iterum eſt, Ius conuocandi populi diebus dominicis & feſtis ad miſſarum ſolennia, & verbi diuini prædicationem. Quod innumeris veterum recentiorumque Conciliorum locis & auctoritatibus, fusè & verè probat Fileſacus; quibus ego, ſi tollitur grauioris peccati conſcientia, libenter

*Exemptiones non repugnant iuri Parochorum.*

*Fileſ. l. de Paroch. origin. c. 6. & 7.*

*Suadenda Miſſa Parœcialis frequentia.*

atque auidè ſubſcribo, vt nunquam ſatis laudata, nunquam ieiunè ſuadenda, nunquam temerè omittenda Miſſæ Parœcialis frequentandæ conſuetudo, quæ vel ſola vim legis habere poſſit; conſeruetur à fidelibus. Cui tamen mori, & Chriſtianiſſimo inſtituto, nego repugnare priuilegia Religioſa, vt in priuilegio Monaſterij S. Dionyſij conſideratum eſt, ne obtentu quidem alterius pietatis; cum vtrique ſatisfieri poſſit à volentibus, & commune ſtudium Religionis, cum officio exemploque coniunctum, priuato anteferre nemo ſapiens non debeat.

*Obiectiones contrà Exomologeſes factas Religioſis.*

*Act. c. 20.*

*Ezec. c. 34.*

Ius quoque ſacrarum exomologeſeon excipiendarum, & dandæ pœnitentiæ Parochi eſt, veri proprijque paſtoris; quia eam in rem ab Hierarchis, & Eccleſia conſtitutus eſt; quæ magnam, certè admodum neceſſariam regiminis Eccleſiaſtici partem facit; quæ ſi aliò deriuatur, quomodo *attendet vniuerſo gregi, in quo poſuit eum Spiritus Sanctus regere Eccleſiam?* Si vultum pecoris ſui in ſacro tribunali apertum agnoſcere non poteſt, cur irati Dei minis ſubiaceat, per Prophetam conquerentis: *Quod infirmum fuit non conſolidaſtis, & quod ægrotum non ſanaſtis, quod confractum eſt non alligaſtis, & quod abiectum eſt non reduxiſtis, & quod perierat non quæſiſtis.* Quamobrem cum annuæ tantùm confeſſionis debitum, à ſingulis alumnis ſuis exigat Eccleſia, præcipit in Concilio Generali Lateranenſi ſub Innocentio III. eruditiſſimo Pontifice congregata, illud perſolui *proprio Sacerdoti, vel alieno cum proprij Sacerdotis licentia*; proüt celebri & expreſſo Canone *Omnis vtriuſque ſexus*, continetur. Hunc autem proprium Sacerdotem Parochum eſſe, qui ordinariam teneat & curam, & Iuriſdictionem, ne ipſi quidem inficias eunt Regulares; qui poteſtatem ſuam à Pontifice Romano, extra ordinem habere ſe profitentur. Quæ & ipſa noua eſt, Concilio Nicæno expreſsè Monachos ab hoc munere procul abigenre. *Firmiter & inſolubiliter omnibus præcipimus, vt aliquis Monachus pænitentiam nemini tribuat, niſi ſibi inuicem, vt iuſtum eſt: mortuum non ſepeliat, niſi Monachum in Monaſterio ſecum morantem; vel ſi fortuitò quemquam aduenientium ſi atium ibi mori contigerit.* Quod caput licet hodie in neutra Synodo Nicæna legatur; credibile tamen non eſt ſuppoſititium confingi aduerſus Monachos, à Gratiano & ipſo Monacho. Ad illud certè reſpicere videtur Concilium Pariſienſe ſub Ludouico Pio, quod grauiter ſapienterque decernit, *Non videri congruum, vt Clerici, & Laici, Epiſcoporum & Presbyterorum Canonicorum iudicia declinantes, Monaſteria Monachorum expetant, vt ibi Monachis Sacerdotibus confeſſionem peccatorum ſuorum faciant, præſertim cum eiſdem Sacerdotibus Monachis, id facere fas non ſit, exceptis his duntaxat, qui ſub Monaſtico Ordine ſecum in Monaſterijs degunt.*

Habetur 16. q. 1. c. Placuit.

Concil. Pariſ. 6. c. 46.

*Multa harum rationum iam ſuperiùs ſoluta.*

Hæc oppoſitæ partis fundamenta colligere in vnum placuit, vt nullum veritati præiudicium fiat, dum iuſtitiæ militatur. Eorum tamen non pauca in diſputationis curſu ſoluta, & in apertum deducta, Lector non oſcitans deprehendet. Quale iſtud eſt, quòd Monachi, eorumque inſtituta, omnibus vniuersè Religioſis obijciuntur; cum diuerſorum longè diuerſa ſit ratio: imo cum ipſa illa Gratiani quæſtione, quæ Nicænum Canonem in obiectione citatum, & Chalcedonenſem alibi fusè productum, aduersùs Clericalia Monachorum Orientalium munia, continet; legamus Pontificum Romanorum decreta pro Monachis Occidentalibus, ad Eccle-

ſiaſtica

ſiaſtica officia admouendis, quæ ſuis aliàs locis attulimus. Hic autem nouè proferuntur duo.

Sapientis dictum, quod ſic iacet in ſcriptura. *Diligenter agnoſce vultum pecoris tui, tuoſque greges conſidera.* Huic Illuſtriſſimus Bellicenſis, non inficerè reſpondet, ſenſum attribui myſticum, qui ad morem æris campani, quod placet, reſonat. Quis enim credat natiuo ſenſu agere Salomonem de Confeſſionis Sacramento? Quis hoc non inſanus affirmet? Certè verba illa quæ ad allegoriam primus traduxit Beda, & qui illum ſequuti, manifeſta ſignificatione genuinum & literalem ſenſum habēt in vitæ ruſticæ amore ſuadendo; quæ rei familiaris augendæ conſeruandæque viam tenet, innocentia & ſecuritate plenam. Non eſt igitur eius in materia propoſita maior auctoritas, quàm expoſitorum, & quidem ſatis recentium. Eſto tamen, hæreamus in allegoria. Illam ego ad has Exomologeſes, apud proprium Parochum deponendas pertinere nego, duplice conuictus ratione, ex verbis ipſis deducta. Primùm enim frequenter agnoſci vultum pecoris à Prælato quolibet, & quacunque occaſione oblata, omnes eius actiones ad iuſtæ rationis libellam expendi iubet Beda, cum ait *Diligenter agnoſce vultum pecoris tui, tuoſque greges conſidera. Paſtori dicitur Eccleſiæ, diligenter adhibe curam eis, quibus te præeſſe contigerit; agnoſce animos, actuſque ſingulorum, & ſi quid in eis vitij ſordidantis inueneris, citius caſtigare memento.* Id autem & à Prælato qui confeſſionibus excipiendis non intendat, ne quid lateat *vitij ſordidantis*, & extra ſactum illud pœnitentiæ tribunal, & de actionibus ſingulis, etiam bonis, pro rei neceſſitate frequenter, non ſingulis tantùm annis ſemel, fieri & poteſt & debet. Præceptum igitur Eccleſiæ, de annua & Paſchali confeſſione, non tangit allegoria. Deinde Prælatus hic Eccleſiæ, cui cognitio pecoris commendatur, Parochus ſolus non eſt, ſed Abbas in Monaſterio, Superior in Cœnobio, Abbatiſſa apud Sanctimoniales, Epiſcopus in Diœceſi, Pontifex Romanus in Eccleſia vniuerſa. His-ne omnibus audiendarum confeſſionum labor imperatur? Pone & imperari. Quomodo Parochus agnoſcit? Per ſe ipſum, aut per ſubdelegatos. Delegabit igitur & Epiſcopus in Diœceſi quos volet; delegabit Pontifex ad arbitrium in Eccleſia quos iudicabit idoneos, vt optimè Bellicenſis idem: Abbas externos eliget Preſbyteros, inuitabitque vt hanc Cœnobio locent operam, prout antiqui Canones conceſſerunt: & pari omnes paſſu in pecoris ſui cognitione procedent, & allegoriæ ſine congreſſu Parochi circiter Paſchalia, ſatisfiet.

*Explicatur locus Prou. c. 27. Agnoſce vultum.*

Ioan. Petr. Cam. in Viat. luco. l. 2. n. 16.

*Senſus literalis eſt vitæ ruſticæ commendatio.*

*Non poteſt locus ille allegoricè intelligi de præcepto Confeſſionis.*

*Verus Bedæ ſenſus.*

Ioan. Petr. Cam. loco cit. n. 17.

Profertur deinde Canon, *Omnis vtriuſque ſexus.* De quo quid dicam non ſexcenties repetitum? Recoctam cramben vocat Bellicenſis; & tam ſæpe obijci indignatur, breuiterque reſpondet, præfatus obiectionis peruicaciam, Echo reſponſionis attrahere. Vna autem & ſolida eſt, proprium Sacerdotem, qui eo loco nominatur, eſſe Ordinarium, Pontificem, Epiſcopum, Parochum, & hunc maximè; extraordinarium autem quemlibet, ab horum quolibet legitimè delegatum, apud quem qui fidelis annua confeſſione peccatorum ſarcinam deponit, is verè, propriè, perfectè Canoni & Eccleſiæ præcepto ſatisfeciſſe cenſendus eſt. Ita Concilium Lateranenſe ſub Leone X. *Sacro approbante Concilio ſtatuimus & ordinamus, vt Regularium Sacerdotes per ſuos ſuperiores præſentati Prælatis, vel etiam indebitè recuſati, de plenitu-*

*Explicatur Canon. Omnis vtriuſque ſexus.*

*Qui confiteantur Religioſis Canonicè ſatiſfaciunt.* Concil. Later. ſub Leone 10. ſeſſ. 11.

*Idem decernunt plurima Cõcilia Gallicana.*

V. Plura in hanc ſententiam in tr. de Reg delegat. ad ſacr. Conf. c 3. Gamach in 3. P. de Pœnit. ſacr. c. 18.

*dine poteſtatis Apoſtolicæ, in ipſorum Prælatorum ciuitatibus ac Diœceſibus, viciniſque locis, quoſcunque, etiam forenſes & infirmos, ac decedentes, ſibi confiteri volentes liberè licitéque audire, & abſoluere valeant: talibuſque præſentatis admiſſis, vel etiam indebitè recuſatis, confitentes, Conſtitutioni quæ incipit, Omnis vtriuſque ſexus, quoad confeſſionem duntaxat ſatisfeciſſe cenſeantur.* Hic communis eſt omnium Eccleſiarum ſenſus, præcipuéque Gallicanæ, innumeris Concilijs Prouincialibus declaratus, vt Andegauenſi, anno 1291. Lingonenſi 1452. Carnotenſi 1526. Senonenſi, ſub quo tunc ſedes Pariſienſis anno 1582. Pariſienſi quoque 1557. Rothomagenſi 1581. Trecenſi & Burdigalenſi 1582. Bituricenſi 1584. Aquenſi 1585. In hanc ſententiam conſpirant grauiſſimi Theologi, quos citat & ſequitur Philippus Gamachæus, Sorbonici Collegij hoc æuo ſidus illuſtre: qui tamen addit ſapientiſſimè, conſultum fore ſi fideles illa Eccleſiæ diſpenſatione, citra legitimas cauſas, & aliquam neceſſitatis ſpeciem non vtantur. Quod autem ſuadendum ait, licet non ſit neceſſarium, vt ijdem eadem peccata ſemel confeſſa, iterum confiteantur ſuis Curatis, ſaltem ſemel in anno; plus turbarum & ſcrupuli hoc rerum ſtatu, quàm pietatis allaturum videtur.

*Contraria aſſertio temeraria & erronea eſt.* Clem. 4 Bulla Quidam temerè. ann. 1265. Ioan. 22. Extra. Vas electionis. de Hæret. inter com an. 1320. *Ioannes de Poliaco eam reuocauit.* V. Tr. cit. de Regul. deleg ad ſacr. Conf. c. 6.

Eſt autem poſt tot Pontifices, Concilia, Theologos, adeò certa opinio illa, vt modò citra temeritatis notam, & erroris ſuſpicionem impugnari non poſſit. Vnde Clemens IV. qui hoc ſapiant, eos *imprudentiæ & temeritatis* arguit. Ioannes XXII. ſi vnquam ex cathedra locutus, Ioannis de Poliaco hac in materia articulos omnes, & ſingulos, tanquam falſos & erroneos, & à doctrina ſacra deuios condemnat. Quos deinde Ioannes ipſe de Poliaco Chriſtiana humilitate generoſus, ſua ſponte reuocauit; affirmans ſe non poſſe contrarijs rationibus reſpondere. Quam eius virtutem vehementer gaudeo, ab alijs omiſſam, à Gamachæo poſteritatis memoriæ conſecratam; vt ſciamus illud qualecunque tum eſſet Facultatis Pariſienſis dedecus, ab ipſo auctore glorioſiùs diſſipatum. Sixtus IV. poſt Eugenium IV. perſimiles articulos proſcribit, vt pote falſos, erroneos, & ſacris Canonibus penitus aduerſantes: eorumque auctores tanquam hæreticos, & in fide ſuſpectos eſſe pronunciat.

*Concluſio ſuperiorum.*

Hoc igitur omni fide conteſtatum habeamus, Eccleſiæ Romanæ ab antiquo placuiſſe Religioſos, etiam Monachos, officijs Eccleſiaſticis admouere: poſterioribus autem ſeculis Mendicantes Ordines propriùs Apoſtolorum & Diſcipulorum figuram tenentes, ad Hierarchica munia, ex commiſſione exercenda inſtitutos, & neceſſarijs ad hunc finem priuilegijs, & immunitatibus, inſtructos fuiſſe, ad ædificationem corporis Chriſti, quod eſt Eccleſia. Ideoque hoc ſaltem modo ad Hierarchiam Iuriſdictionis pertinere.

# DE HIERARCHIA ET HIERARCHIS

## Liber Sextus.

## DE SECVNDA HIERARCHIÆ ECCLESIASTICÆ SPECIE, QVAE EST ORDINIS.

### PRÆFATIO.

*BREVEM ORDINIS ECCLESIASTICI COMmendationem perſtringens.*

QVANQVAM Hebræorum populum diuino ſemper inſtinctu Legiſlator Moyſes, & excitati ſubinde Iudices gubernarunt; eius tamen regni gradus & officia, non ab alio, quàm à Dauide, neque ante, quàm poſt ædificandi templi apparatum; & diuiſos Sacerdotum Leuitarumque ordines, deſcripta memorantur. Sic enim populus ad exterarum gentium exemplum Monarchiâ donatus, fugientem quodammodo ἀναρχίας retinere ſe putauit; ſi regni ſtatus ab eo Rege & Propheta conſtitueretur, qui templum deformauerat; eoque tempore id fieret, cum iam auguſtis ſacrificiorum ritibus, & Religionis miniſterijs ſatis ſuperque factum videretur. Simul hoc etiam vir Deo plenus intelligebat, temporalem omnem adminiſtrationem, & ſpiritali ſubordinatam, & ad eius imaginem formatam eſſe debere. *Quicquid enim perfectionis, laudandæque ordina-*

*Cur Hebræi Templi officia à Dauide diſpoſita.* 1. Paralip. c. 27. &c.

*Spiritalis adminiſtratio eſt forma temporalis.*

Guill. Par. l. de ſacra. in ord. c. 4. *tionis eſt in Rep. temporali*, ( vt optimè cenſuit Guillelmus Pariſienſis, qui nos ad ſe reuocat ) *aſperſio permodica eſt, ac ſimilitudo pertenuis, ac penè vmbratilis perfectionis & ordinationis Reip. ſpiritalis, cui immediatè, ac per ſemetipſum praeſt diſpoſitor ac gubernator Deus.*

*Epiſcopalis dignitas ſupra regiam.* Ignat. ep. ad Smyrn. Eo fortaſſe conſilio deifer Ignatius, vtriuſque Reip. principem, ſimul ad honorandum Smyrnæis proponit: *Honora fili mi, inquit ſcriptura, Deum & Regem. Ego autem dico, honora quidem Deum, vt omnium auctorem & dominum: Epiſcopum autem vt principem Sacerdotum, imaginem Dei referentem; Dei quidem propter principatum*, (quem in Iuriſdictione explicauimus) *Chriſti verò propter Sacerdotium:* (de quo modò tractandum eſt) *Et ſecundum hunc oportet & Regem honorare. Neque enim Deo quiſquam maior aut ſimilis in omnibus rebus creatis: neque item in Eccleſiâ maior quiſquam Epiſcopo, qui Deo pro totius mundi ſalute ſacrificat. Nam Sacerdotium bona omnia humana tranſcendit.* Idem ep. ad Trallia. Expreſſiùs autem alio loco Hierarchicos ordines, eorumque dignitatem deſcribit. *Quid enim eſt Epiſcopus, niſi qui omni principatu & poteſtate ſuperior eſt, & cunctis dominatur, quantùm quidem homo dominari poteſt, factus pro virili ſua Dei imitator? Quid autem ordo Sacerdotum, niſi ſacer ſtatus, & conſiliarij atque aſſeſſores Epiſcopi? Quid verò Diaconi, niſi virtutum Angelicarum imitatores, purum & immaculatum ei miniſterium exhibentes, vt ſanctus Stephanus beato Iacobo, Timotheus, & Linus Paulo, Anacletus & Clemens Petro?* Quæ dicta, licet Iuriſdictionem ſapiant, ad Ordinem tamen meliùs videntur referenda, cùm eximius ille principatus Epiſcoporum, in Ordinis miniſterio poſitus ſit, ipſo Ignatio interprete. Idem ep. ad Heronem Diaconum. *Nihil abſque Epiſcopis facias; ipſi enim ſunt Sacerdotes; tu autem miniſter Sacerdotum. Illi baptizant, ſacrificant, eligunt, manus imponunt; tu autem ipſis miniſtras.* Hos autem miniſtros & Diaconos, nonne Ordinis potiùs, quàm Iuriſdictionis miniſterium poſtulat & excipit?

Itaque ſi Reginam Sabæorum ſacrificia Salomonis, & Regiæ domus officia, admiratione ſtuporeque defixerunt: quantò diuinior atque auguſtior Apoc. c. 21. cenſeri debet forma Eccleſiæ, quam vidit Euangelicus Propheta *deſcendentem de cælo à Deo, paratam ſicut ſponſam ornatam viro ſuo:* cuius obſcuram tantùm figuram decantata Salomonis magnificentia referebat? Ad eam ſpeculandam nos quoque deuenimus, non Salomonem noſtrum tentaturi in ænigmatibus; ſed viſuri *habitacula ſeruorum, & officia miniſtrorum eius.* Hic primæ, & ſecundæ admiſſionis famulos; hic ſacrorum Præconum, & Silentiariorum ſcholas: *Hic cantores & cantatrices & delicias filiorum hominum:* Hic regios Aduocatos, & Procuratores; hic Barangos & Lampadarios, hic Deſpotas & Sebaſtocratoras; & Palatinam omnem Regis æterni militiam ſpectabimus. O quàm iucun- Baruch. c. 3. dum eſt, ibi vel animo adeſſe, *vbi ſtellæ dederunt lumen in cuſtodijs ſuis; & lætatæ ſunt: vocatæ ſunt & dixerunt adſumus; & luxerunt ei cum iucunditate qui fecit illas!* Atque vtinam hæc contemplatio nullis prælijs, nulla diſcordia turbaretur! Sed quoniam hoc fato qualecumque eſt opus iſtud, naſcitur, vt quoquo ſe verterit Aurelios videat, & Hallerios; quidni hac etiam in parte, diuino fre- Iudic. c. 5. tus numine dicam; *De cælo dimicatum eſt contra eos: Stellæ manentes in ordine, & curſu ſuo, aduerſus Siſaram pugnauerunt.*

SOLAM

## *SOLAM ORDINIS HIERARCHIAM, A S. Dionyſio explicari, à S. Ignatio commendari, à Concilio Tridentino proponi probatur.*

### CAPVT I.

NIHIL in rebus humanis pulchrius ordine Deus inſtituit; nos ergo de Ordine dicturi, non niſi peruersè ordinem negligamus, & aliunde quàm à S. Dionyſio ordiamur; vt habeamus quem ſequamur ducem, & ad magiſti mentem nos fingamus diſcipuli. Et quidem aliquantò feliciùs, quàm Petrus Aurelius, quem ſua io loco admodum neceſſario defecit Grammatica, neque quid Hierarchiæ nomine intellectum vellet S. Dionyſius, percipere permiſit. Hoc enim aſſero, nullam à D. Dionyſio Hierarchiam explicari, præterquam Ordinis. Itaque ſi verè dixit Doctor Halliet, eum qui alterà poteſtate vel Ordinis, vel Iuriſdictioois careat, impropriè tantùm in Hierarchiâ eſſe, neceſſariò concludat oportet, impropriam tantùm & imperfectam à S. Dionyſio tradi, quod vt arbitror, non concedet mens Dionyſij Petrus Aurelius.

*Hierarchia à S. Dionyſio explicata Ordinis eſt.*

Stare autem in Ordine doctrinam Areopagitæ, & ad Iuriſdictionem non progredi, conficio primùm argumento, quod negatiuum ſcholæ appellant. Parochorum, qui profectò Iuriſdictione potiuntur, nulla in S. Diooyſio mentio eſt: Iuriſdictionem ergo non perſequitur. Mancum enim, & perquam mutilum de Hierarchia tractatum edidit vir diuinus, ſi neceſſariam eius partem, ſi *minores Epiſcopos, ſi conſtitutos à Spiritu Sancto regere Eccleſiam Dei* prætermiſit. Quare ſi Doctoris eximij gloriam ſaluam cupimus, quos, ne per vmbram quidem nobis oſtendit, eos ad illius Hierarchiam non pertinere fatebimur. Neque reſpondebunt Preſbyterorum nomine cenſeri Parochos. Iam enim illud eis effugium alio libro præcluſimus, cum S. Diooyſio ignotũ Preſbyteri nomen eſſe diximus: cum ἱερεῖς eſſe oſtendimus nonnullos, etiam qui curam Parœciæ non gerant: Ac licet ſine titulo nullum olim ordinatum fuiſſe Sacerdotem quis euincere ſtudeat: nemo tamen mihi probabit titulum & Parœciam eſſe ſynonyma, cum Martyrijs & Ptochodochijs Sacerdotes aſſignentur. Titularis igitur, vt ſic dicam, illa Sacerdotis nuncupatio, Iuriſdictionem naturâ ſuâ non includit, vt alibi probatum à nobis eſt, ſed Ordinem.

*Nullo modo Iuriſdictionis.*

*Parochorum non meminit S. Dionyſius.*

Adde quòd de Primatibus & Archiepiſcopis, qui gradus habent in Iuriſdictione diſtinctos, ne obſcurè quidem meminit: cum ea tamen nomina eius ſeculo fuiſſe cognita doceat Anacleti Epiſtola. *Epiſcoporum verò vnus ordo eſt, licet ſint Primates illi, qui primas Eccleſias tenent, qui & in quibuſdam locis Patriarchæ à nonnullis dicuntur*, &c. Ne de Diaconis quidem vlla ratione id intelligit, quod in Apoſtolicis Conſtitutionibus legitur, *Eſſe Diaconum Epiſcopi aurem & oculum. Item os, cor, & animam, ne Epiſcopus ſolicitudine multarum rerum, ſed tantùm grauiorum vrgeatur.* Quia tota hæc eius executio exteriorem Iuriſdictionem ſpectat, in quà non verſatur magiſter: ſed eum tantùm circa altare & ſacrificium occupat, vt modò videbimus.

*Non Archiepiſcoporum.*

Anaclet. ep. 3.

Conſtit. Apoſt. l. 2. c. 44.

Nam aſſertionem meam altera ratione demonſtro, quam poſitiuam vo-

*Libri de*

*Eccleſiaſtica Hierarchia expoſitio.* cant, & expoſita Theologi ipſius doctrina ; id enim iteratò me agere cogit
loci huius neceſſitas. In ea qui penitus tudis non eſt, animaduertet præcipuo
illum inſtituto agere de ijs perſonis quæ aliàs purgant, illuminant, perficiunt
Ordinis poteſtate, & pene in ordine ad ſacram Euchariſtiam, quæ eſt τελετῶν
c. 5. τελετή. Tres enim eæ ſunt ἱεράρχης, ἱερεὺς, λειτουργός. Initiantur alij, myſterio-
rum & ἁγιοτάτης τελετῆς participes, vt ſanctus Populus, & Monachi. Alij non-
c. 2. dum eò perfectionis adducti, vt Pœnitentes, Energumeni, Catechumeni.
Additur ipſi ὁμοταγὴς τελεσιουργία finitimum Sacramentum, videlicet μύρου τελετή:
c. 4. à quo & imperfecti excluduntur. Conſecrantur agentes perſonæ, & ad ſuum
c. 5. c. 6. quæque Ordinis miniſterium adaptantur. Neque minùs Conſecrationis riti-
bus inauguratur Monachus, & ad diuinam Communionem à Sacerdote inui-
c. 7. tatur. Adiungitur & inſtar appendicis, mortuorum componendorum ratio,
animarumque expiandarum. In his diuerſa miniſtrorum genera, non ex-
c. 5. preſſa quidem, ſed adumbrata video: λειτουργῶν ἐκκρίτους; quibus ius eſt ad al-
tare accedendi, & panem calicemque proponendi: alios pro foribus ſtare,
alios eorum aliquid quæ illorum ordinem attingunt, perficere. Lectores quo-
que neceſſarij ſunt ad ſacros codices prælegendos. Et ſi vis Acolythi qui Hie-
rarcham, templum μετ' εὐωδίας circumeuntem, officio comitentur, & le-
uent. Laborantes item in funeribus deſiderari non poſſunt.

*In ea narratione nulla pars Iuriſdictionis eſt.* Hoc eſt quaſi quoddam S. Dionyſij Pontificale, quo, vt olim dicebamus,
Hierarcham inſtituit, in quo nihil vides ab Ordinis poteſtate diuerſum, ni-
hil extra templorum ſepta & valuas; nullam coërcitionem, iuris aut facti
quæſtionem nullam, adeoque Iuriſdictionis exterioris expertem. Et hoc
præterea conſidera, in Iuriſdictione poſt Epiſcopum Archidiacono, & Chor-
epiſcopo; ſub illis Archipreſbytero, locum & honorem deberi: at Dionyſia-
cam Hierarchiam iſta nomina ignorare, quæ ſtatim Hierarchæ Sacerdotem
ſubijcit. Quare aliam eſſe concludo, eoſque periculosè labi affirmo, qui ad
vnam, & eandem Hierarchiam omnia pertrahere moliuntur. Hanc ego di-
ſtinctam à cæteris, eò lubentiùs aggredior, quòd non Sauſſayus tantùm ineun-
Halloix in vita S. Dionyſ. c. 22. te opere citatus, ſed etiam Petrus Halloix externus homo, diligens antiquita-
tum iſtarum inueſtigator, mihi perſuaſit, ſediſſe olim in Academico Lute-
Idem q. 2. in vitam. tiæ colle S. Dionyſium, eoque loco cœleſtia contemplatum, libros illos in-
comparabiles, & niſi paucis rariſque ingenijs inacceſſos, eſſe commentatum.
Quos idem Areopagitæ noſtro multis poſtea teſtimonijs antiquorum ſcrip-
torum vindicat & aſſerit. Vt venia ſe minùs dignos præbeant aduerſarij, ſi
cum ex eo colle infuſam pene ab Areopagita ſcientiam hauſerint, eodem in
monte commentarios Hierarchicos meditentur, ab Hierarchiæ principis &
protodoctoris mente ſenſuque alienos.

*S. Ignatius in ſola Ordinis Hierarchia verſatur.* De S. Ignatij mente nonnihil ante libatum, modò explicatiùs probandum
eſt, cùm virum illum diuinum conſtet de Hierarchiâ ſæpenumero ad Orien-
tales Eccleſias ſcripſiſſe, vnam Ordinis, non autem Iuriſdictionis Hierarchiam
attigiſſe. Quod conficio primùm ex perſonis quas nominat, deinde ex actio-
nibus Hierarchicis, de quibus agit. Perſonæ eædem ſunt, quæ in S. Dionyſio,
Epiſt. ad Smyrn. Epiſcopus, Preſbyteri, Diaconi, ſeu miniſtri. *Omnia inter vos bono cum ordine
fiant in Chriſto. Laici Diaconis ſubditi ſint, Diaconi Presbyteris, Presbyteri Epiſco-
po, Epiſcopus Chriſto, quemadmodum ipſe Patri.* Et omnes alibi gradus Eccleſia-
ſticorum officiorum enumerans, *Saluto ſanctum Presbyterorum Collegium; ſaluto*

ſacros

*ſacros Diaconos, & amabile mihi nomen; ſaluto Subdiaconos, Lectores, Cantores, Oſtia-rios, Laborantes, Exorciſtas, Confeſſores; ſaluto cuſtodes ſacrarum portarum, Diaconiſſas in Chriſto; ſaluto afflatas Chriſto Virgines.* Fortaſſe *Cantores* appellat eos, quos ætas poſterior *Pſalmiſtas:* qui tam in ſtatu & ordine non ſunt, quàm in officio. Quemadmodum neque *Confeſſores* ſacrum ſtatum obtinent, ſed quaſi ſanguine ipſo dedicati, à laïcorum vulgo exempti, ad ſacras perſonas adiunguntur. Virginum alia ratio eſt, quas votiua caſtitas in ſtatu perpetuo collocat.

*Epiſt. ad Antioch.*

Actiones Eccleſiaſticorum officiorum ſunt. Hinc decretum, *Nemo abſque Epiſcopo quicquam eorum faciat, quæ ad Eccleſiam pertinent. Non licet abſque Epiſcopo neque baptizare, neque offerre, neque ſacrificare, neque agapen celebrare.* Et de oratione, participataque in commune Euchariſtia. *Omnes in gratia nominatim congregemini communiter, obedientes Epiſcopo, & Presbyteris animo inſeparabili, vnum panem frangentes, qui eſt immortalitatis meditamentum. Nemo erret, niſi quis ſit intra altare, pane Dei priuatur:* Hoc eſt, in ipſa Eccleſia, vni Epiſcopo & Preſbyteris fidei & orationis vnitate communicans, vt ſcribit ad Trallianos. *Qui intra altare eſt, mundus eſt: inde & Epiſcopo obedit & Presbyteris. Qui verò foris eſt,* (hæreticus & ſchiſmaticus) *hic eſt qui ſine Epiſcopo & Presbyteris & Diaconis quippiam facit. Eius inquinata eſt conſcientia, & eſt infideli deterior.* Non igitur infidelis, puta Gentilis, aut Iudæus, *ſed in Chriſti cultu à legitimis Paſtoribus abruptus.* Ipſum Diaconorum miniſterium non aliter, quàm per Euchariſtiæ diſpenſationem explicat eodem loco. *Oportet & Diaconis myſteriorum Chriſti Ieſu omni modo placere. Nec enim ciborum & potionum ſunt Diaconi, ſed Eccleſiæ Dei miniſtri.* Cum igitur neque in perſonis Iuriſdictio, neque in actionibus coërcitio, vel imperium illud, quod eſt ſuperioribus libris explicatum, appareat, nemini dubium eſſe debet, quin ſolum ordinem reſpexerit magnus Ignatius.

*Actiones Hierarchicæ ſunt Ordinis.*

*Epiſt. ad Smyrn.*

*Epiſt. ad Epheſ.*

*Epiſt. ad Trallian.*

Neque obijcias ſuperiores, ſubditos, obedientiam, ſæpe prædicari à viro Apoſtolico: imo eandem in Eccleſiâ ſubiectionem requiri, cum ea quam in profana politia videmus: *Principes pareant Cæſari, milites Principibus, Diaconi & reliquus Clerus, ſimul cum omni populo, & militibus, & principibus, & Cæſare, pareant Epiſcopo; Epiſcopus Chriſto, ſicut Chriſtus Patri, & ita vnitas per omnia ſeruabitur.* Conſtat autem propriè dicta Iuriſdictione Cæſarem Principibus, Principes militibus imperare: ergo eandem Iuriſdictionem in Epiſcopo & Preſbyteris deſiderat. Reſpondeo comparationem in illa ſpecie ſubiectionis non fieri, ſed tantùm in genere, vt Eccleſiaſtici ritus non minùs pacatè religioſéque tractentur, quàm externa negotia; nam & illas ſacri ritus operationes Eccleſiâ & altari circumſcribit; & ad hoc imperium Diaconos ipſos adſciſcit, vt vidimus, quos nunquam Iuriſdictione fori exterioris præditos eſſe tradidit: neque cùm *S. Stephanus Ieroſolymis Iacobo & Presbyteris miniſtrabat,* vllam eiuſmodi aduersùs fideles Iuriſdictionem exercebat.

*Reſpondetur obiectio-nes*

*Epiſt. ad Philadel.*

*Epiſt. ad Hieronem Diac.*

Par, imo eadem eſt Tridentinorum Patrum ſententia, in ipſo limine ſeſſionis 23. propoſita, *Sacrificium & Sacerdotium, Dei ordinatione coniuncta eſſe: in Sacerdotio Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus poteſtatem à Deo traditam conſecrandi, offerendi, miniſtrandi corpus & ſanguinem eius; nec non & peccata dimittendi, & retinendi.* Deinde maiores, minoreſque Ordines nominant, quibus quaſi gradibus ad ſupremum culmen aſcenditur. *Quò digniùs & maiori cum veneratione*

*Non alia Hierarchia ſancitur à Concilio Tridentino. ſeſſ. 23. c. 1.*

*Ibid. c. 2.*

*Sacerdotij miniſterium exerceri poſsit.* Ibidemque *minores* illos appellant, quos in Canonibus communi nomine *miniſtros* vocaot, ne ſolos Diaconos complecti videantur. Neque aliud tota Seſſione reperies, ſeu capita, ſeu Canones, ſeu decreta de reformatione conſulueris, quam inſtitutionem, eruditionem, conſecrationem, diſtinctionem maiorum minorumque ordinum, Epiſcoporum hac in parte ſtudium & curam: Parochorum autem, Archidiaconorum, Conciliorum, cenſutarum, & externi foti, nulla hîc memoria. Vnde certiſſima conſecutio detiuatur, Ordinis Poteſtatem, quam nos Hietarchiam vocamus, ſolam à Tridentino ſpectari: eos deſcribi ordines qui tendunt ad Sacetdotium, inque eo phyſicum & reale Chriſti cotpus conſecrant, cum poteſtate fori interiori: cuius Hietarchiæ ſit caput, & Ptinceps Epiſcopus. Quid igitur ad explanandam vetitatem, confett omnis illa aduetſariorum perturbatio, qua modò otdinem, modò Iuriſdictionem, modò vtrunque commiſcent, vt quadrent cum Ttidentino, cuius mentem nondum percepetunt?

Can. 6.

---

## *ORDINIS HIERARCHIA DEFINITVR, EAque definitio explicatur.*

## CAPVT II.

*Definitio Hierarchiæ Ordinis, ad formam & mentem S. Dionyſij.*

SACRAMENTVM Ordinis non tango, niſi quà illò directè tendit Hierarchia, quam explico. Eſt igitut hæc Hierarchia, Ordo ad diuini cultus miniſterium Hietatchica conſecratione deſtinatus, per ſanctificationem ad diuinitatis ſimilitudinem adducens, & ad eam pro ratâ & propottionalitet aſcendens. Genus & finem communia habet cum alia qualibet Hierarchiâ: ſed eſt tamen priuata aliqua ordinis in Otdine neceſſitas, quam eadem ſolicitudine in Hierarchijs alijs non poſtulant auctores. Nam Hieratchiæ ſuæ deſcriptionem vult S. Dionyſius, *Id quod inordinatum eſt, indigeſtum, & confuſum, ſine vlla communione atque admixtione improbare & excludere; Quod autem digeſtum eſt, quod ordinatum, quod bene diſpoſitum, cùm rationem ſuorum Ordinum habet, oſtendere.* Neque quicquam grauius in Demophilo teptehendit, quàm quòd contta ordinem ſacra contigerit, & in valuas ſacras ingteſſus ſit. Apoſtoli quoque Conſtitutiones ſuas eo claudunt præcepto, *vt vnuſquiſque in ordine ſibi dato maneat, neque tranſeat regulas: neque fas ſit Diacono ſacrificium offerre, aut baptizare; neque Presbytero ordinationes Clericorum facere: ſiquidem non licet Ordinem inuertere, cum non ſit Deus diſſenſionis.*

*Ordo hic maxime deſideratur.*
Dionyſ. c. 5. Eccleſ.
Idem epiſt. 8. ad Dem.
Conſtit. Apoſt. l. 8. c. 46.

*Differentia in definitione Hierarchiæ.*

Diffetentia ab his verbis incipit, *Ad diuini cultus miniſterium.* Quia enim Deus primaria eſt Sactamentorum cauſa, Pontifices, Sacetdoteſque omnes tantùm eius ſe miniſtros dicunt, qui verè vt miniſtri baptizant, abſoluunt, vngunt; inferiores autem Cletici longè apertius miniſterium exhibent, aut ſacrificium opera ſua promouendo, aut precibus, alijſque ſanctioris vitæ opetibus Eccleſiam adiuuando, vt ab ea deſtinati, & ad tales actiones conſtituti: hæc enim vis eſt verborum illorum, *Hierarchica conſecratione deſtinatus.* Sæpius enim notatum à nobis eſt, ptiuatam orationem ſtrictè loquendo, Hierarchicam

cam non eſſe, ſed illam publicam, quæ vt Eccleſiæ nomine fiat, ab Eccleſiâ delegari debet qui faciat. Nam vt optimè Guillelmus Pariſienſis, *Aliud eſt interpellare vt amicum, aliud vt nuncium; & preces interpellationis afferre aliena caritatis. Illud enim primum, omnium eſt & ſingulorum ſanctorum: iſtud autem, proprium eſt Sacerdotum: ex officio quippe Sacerdotali, Sacerdos non preces ſuas, ſed ſupplicationes Eccleſiæ, vt eius ad Deum internuntius & mediator offert ex parte Eccleſiæ.* Itaque qui ad hoc non eſt ab Hierarchis, vel potiùs à Deo & Eccleſia per Hierarcharum ſuorum miniſterium deſtinatus; ille dici nullo modo poteſt *ex officio publicæ interpellationis, verba Eccleſiæ & orationes in ore geſtare.* Per hanc igitur actionem Hierarchicam, Clericus omnis modo ſuo, *diuino cultui exercendo*, vt loquitur idem, *ſanctificatur, adſcribitur, & quodammodo intitulatur, vt in numero miniſtrorum eiuſdem deinceps habeatur.* Vt hinc etiam memineris agnoſcere, Epiſcopi & Hierarchæ ſolius eſſe Eccleſiam ordinare: adeoque ab eius conſecratione, quicquid eſt ſeu in Religioſis clauſtris, ſeu in ſeculo Clericorum pendere, vt humanitus loquendo, nemo aliundè ad Eccleſiaſticum miniſterium poſſit accedere.

*Guil. Pari. l. de ſacra. in Ordin. c. 4.*

*Preces ſacerdotis ſunt ſupplicationes Eccleſiæ.*

*Ibid. c. 11.*

Altera differentiæ pars, medium exhibet quo ad finem tenditur. *Per ſanctificationem ad Dei ſimilitudinem adducens.* De qua lubet paulò fuſiùs diſſerere, vt omnem quæ tribus Hierarchijs noſtris comparatur, ſanctitatem, in media, id eſt extremam vtranque participante, ſpectemus. Hic enim commodiſſimus viſus eſt locus, vt neque à principio, neque à fine diſſiti, vtrunque ex æquo cernentes, hinc pariter & quæ dicta ſunt hactenus ea de re, & quæ dicenda reſtant, facilè percipiamus.

*Medium quo hæc Hierarchia tendit ad finem.*

Priuatã cuiuſque ſanctitatem, facit primùm caritas tum ad eam diſpoſitio; & quædam veluti inchoatio, tum eius effectus, & à felici arbore productus aliquis fructus: ſanctificatio autem non tam eſt ſanctitas, quàm eius donatio & perceptio. Illam accipimus vel per Sacramenta, vel extra Sacramenta, diuinæ gratiæ, & hominum miniſterio cooperando. Eiuſdem vero donandæ quàm plurimæ ſunt rationes cuiuis obuiæ, vt ſingulæ nos tenere non debeant in Hierarchia occupatos. Hierarchica ergo ſanctificatio Eccleſiam omnimodè, & aliqua etiam ratione, preſsè ſubtiliterque loquendo, ſanctificat alterum. Id verò duobus fit modis, alter eſt, vt quis primò per ſeipſum ſanctificet; non quidem vt totum aliquod ſeparatè ſpectatum, ſed vt partem totius, & membrum corporis, quod eſt Eccleſia. Fieri enim non poteſt vt ſingularum partium pulchritudo, totius perfectionem non abſoluat; cumque in arctiſſima Eccleſiæ compage, alia ſemper alijs meritorum communionem impertiantur membra, nemo ſibi vni laborat, ſed ſeipſum ſanctificaudo, commembris ſanctitatem largitur. Hanc interiorem ſanctificationem appello, quam propriam ſequentis Hierarchiæ, radicem & fundamentum alterius cuiuſlibet ſanctificationis eſſe pronuncio.

*De ſanctificatione Hierarchica.*

*Sanctificatio propria.*

Modus alter eſt, vt quis ſanctificationem primò & per ſe effundat in alterum. Atque hic bipartitò item ſpectari poteſt. Nam vel ita tendit in alterum, vt de ſe tantùm ſit exterior, neque omni & ſtricta neceſſitate connexionem vllam habeat cum interiori ſanctitate: quæ ſanctificatio, exterior à me modò dicetur, eaque præcisè in Hierarchia Iuriſdictionis ſufficit. Vel deinde ſic exteriùs prodit in alterum, vt tamen ſanctitatem requirat interiorem, ſine qua neque licitè, neque debito modo exerceatur. Hæc eſt media

*Sanctificatio in alterum.*

Hierarchiæ Ordinis ſanctificatio, in qua verſamur: cui quàm neceſſaria ſit ſanctitas, vel hinc apparet, quòd ſacramenta per miniſtrum non debitè nec licitè conferuntur, niſi ſanctus ille ſit, & gratia præditus. Peccat enim Diaconus, qui in peccato baptizat, laïcus non peccat, quia ille, non hic ab Eccleſia ad illud munus ſanctificatus eſt. Poteſt Epiſcopus nondum conſecratus, licet peccato lethali conſtrictus, imperare Archidiacono, vt aliquem cenſuræ fulmine feriat, aut poteſtatem dare Sacerdoti alium à cenſuris abſoluendi, qui eſt actus Iuriſdictionis, & exterioris ſanctificationis: poteſt inquam & validè & licitè, quia ſanctificationem interiorem nondum accepit ab Eccleſia; non poteſt autem Sacerdos contrariam ob cauſam, licitè homini Sacramentalem conferre abſolutionem, in peccato ipſe conſtitutus.

*Eius fundamentum propria ſanctitas.*

*Alia obiectio.*

Quod ſi quis te ſcrupulus in Hierarchiæ ſequentis decurſu, hac de partitione dubitare coëgerit, cum leges in Hierarchia interioris ſanctificationis, dona gratuita, vt prophetiam, vt miracula, vt linguas: quæ ab homine gratia ſanctificante deſtituto fieri poſſe fides docet. Facilis, imo eadem erit reſponſio, poſſe quidem validè, at non licitè, aut certè conuenienter. Quis enim dubitet, quin Deus homines ad prophetiam, & miracula, tanquam inſtrumenta quæpiam aſſumens, & eorum intellectum inuſitato lumine perfundens, ſanctitatem & pietatem ab illis exigat, quam ſine culpa denegare non poſſint? Idem cogita de Doctoribus qui ſacram tractant ſcientiam, quæ & ipſa quodammodo ſanctitas aliqua eſt. Idem de Euangeliſtis, qui diuinorum myſteriorum explicatione, ſi fidem ſanctitatis effectricem in hominum animis, ipſi ſanctitatis expertes ingenerant, poſſunt-ne dici rectè illud conuenienterque præſtare? nonne Deum audiunt increpantem, eo verſu, quem ad ſe miſſum in ea cauſâ putauit, vt aiunt, Origenes. *Peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum?*

*Etiam donorum gratuitorum vſus requirit ſanctitatem.*

*Pſ. 49.*

Itaque ſanctificatio illa interior, Dei electionem oſtendit, hominemque dignum inferioribus Hierarchijs efficit: electum, & ea dignitate præditum, Eccleſia conſecrat, & vim alterius ſanctificatiuam illi confert, ſicque in media conſtituit Hierarchia. Poſtremò vim illam ad exteriorem ſanctificationem applicat, collata Iuriſdictione, quæ ipſum in tertiæ Hierarchiæ gremio collocat. Et ſi vis ad humani appetitus ordinem, alio libro expoſitum reſpicere, intentioni perſimilis eſt Hierarchiarum ſuprema, cui finis vnius vltimi ſimplex & ſancta appetitio conuenit, ſine qua nihil infernè ſanctitatis reperitur. *Nam ſi oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit; ſi autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebroſum erit.* In vſu actiuo, qui ſolam habet exequutionem, conuenientiſſimè Iuriſdictio Hierarchica reponitur. Illi quæ bonitas moralis ineſſe poteſt, niſi eam per mediam voluntatem ab intentione accipiat? Hæc ergo media, vt voluntas, ſic Hierarchia extremam vtranque coniungit, & è diuerſis Hierarchici finis acquirendi medijs, ſeu miniſterijs & miniſtris, hæc & hos eligit, conſecrat, deſtinat, applicat ad Eccleſiæ ſanctificationem, tum interiorem, tum exteriorem.

*Ordo Hierarchiarum commode repetitur.*

*Matt. c. 6.*

DE

## *DE ORDINIS SACRAMENTO ET CHARActere breuis & Theologica diſſertatio.*

## CAPVT III.

*Inſtrumentorum quæ Deo deſeruiunt varietas.*

ILLA enim ſanctificatione comparata, ſanctitas & gratia producitur à Deo, tanquam à cauſa principali; qui nihilominus creaturas aliquando in ſuæ actionis ſocietatem aduocare dignatur, vt nobiliſſima quædam inſtrumenta. Sciunt autem Philoſophorum filij, duûm generum inſtrumenta eſſe; imperfectiora quædam, quibus à cauſa primaria virtus imprimitur fluxa & labilis; vt ſecuri motus ad ſecandum, vt aquæ calor ad exurendum. Alia non paulò maioris perfectionis, quæ virtutem & efficientiam accipiunt permanentem, ac perpetuam, ſibique connaturalem, vt ſemen à planta, vim generatiuam, aër ab igne, calefaciendi poteſtatem. Ita Deus ad hominum ſanctificationem hominibus vtitur, eoſque actiuos reddit, adeoque ſibi ſimillimos, qui eſt actus puriſſimus, id eſt, qui cum à nullò moueatur & perficiatur, maximè & ex ſe ipſo actiuus eſt, eaque ſimilitudo ad Hierarchiæ rationem & finem, maximè neceſſaria eſt, vt primo iam libro ex S. Dionyſio, & Hugone monſtraui. Sic autem diuinæ ad agendum poteſtati participant nonnulli, vt tantùm agant cum mouentur; alij vt habeant in ſeipſis virtutem, & quaſi quoddam actionis ſuæ principium. Concurrit autem vt ſupernaturalis cauſa, cum prioribus, tanquam efficiens, & quaſi mouens exteriùs; cum poſterioribus verò vt intimè præſens, & ad modum actûs cuiuſdam formæque vitalis aſſiſtens. Nam & anima ipſa penicillum alio modo mouet, quàm manum; ab ea enim penicillus motum vitalem accipit, at non, vt aiunt, vitaliter; manus autem ab ea viuit, & vitali modo agit, moueturque.

*Dei concurſus quid efficiat in inſtrumentis.*

Ac priorum quidem impulſus ille fluidus & temporarius, nihil in excitatis relinquit perpetuum, vt in Laïco, vel fœmina baptizante, quibus ad actus ſingulos, ius quaſi nouum, & poteſtas dari debet, vt licitè operentur. In alijs autem virtutem imprimit ſanctitatis effectricem, eamque perpetuam, ſiue illa coniunctum characterem habeat, ſiue illo careat: denique vt anima manum, quæ eſt & dicitur inſtrumentum inſtrumentorum animat, & mouet; ſic Hierarchis Deus intimè & perfectè iungitur, iis quaſi principalem virtutem ſanctitatis procreatricem impartit, facitque velut principia, auctores, & principes huius ſanctificationis.

*Sanctitatis formalis exemplum exponitur.* Concil. Trid. ſeſſ. 14. c. 4.

Atque id non temerè confingi, in cauſa energiæ illius quâ alteri ſanctitas tribuitur, demonſtro pari exemplo eius ſanctitatis, qua formaliter ipſi iuſtificamur. Docet enim Tridentinum Attritionem eſſe *donum Dei, & impulſum Spiritus Sancti, non quidem adhuc inhabitantis, ſed tantùm mouentis, quo pœnitens adiutus viam ſibi ad iuſtitiam parat.* Hic tria inſpice, *Donum Dei*, quo pœnitens agit fitque actiuus; *Impulſum Spiritus Sancti*, mouentis; & contritionem caritate formatam *eſſe Donum Spiritus Sancti inhabitantis*, & ad modum alicuius ſupernaturalis principij animam mouentis & viuificantis. Quæ ſi ad propoſitum reducuntur, primus ille impulſus, eſt miniſtri motio moralis,

& commiſſio ab Epiſcopo, vel Sacerdote. Nam diſputant Theologi, neque definitur illud à Tridentino, vtrum alius ordo præter Sacerdotalem imprimat characterem. Secunda virtus, Sacerdotis character eſt:tertia. verò perfectio, character Epiſcopi. Baptizat enim ſolenniter Epiſcopus vt Princeps; Sacerdos vt adminiſter; ſed habens in ſe virtutem, quâ eſt illuminatiuus; Diaconus vt imperio ſuperioris mouetur. Et ſi vis inſtrumentis immorari, penicillus in mucronem deſinens; non ipſe ſe quidem mouet, ſed moueri ab artifice aptus eſt,& proximè cum eo concurrere ad imaginem Cæſaris delineandam. Hæc eſt habilitas Diaconi,& quædam virtus inchoata, quam imperfectum,& quaſi inanimum characterem poſſis appellare: quo à Prælatis applicitus ad opus, animas ex ſe purgat, docet, dirigit, & Dei ſimilitudinem in illis exarat. Eo peniculo Sacerdos vtitur, ſed vt quidam picturæ diſcipulus, qui cum dictatas à magiſtro artis regulas ſemel combibit, iam ipſe ſine nouo imperio figuram poteſt delineare, penicillum tractare, colores miſcere, membra dimetiri. Epiſcopus autem vt magiſter, eandem, quam alteri tradidit, artem, ſed longè perfectiori modo exercet, qui character eius proprius eſt.

Ibid. ſeſſ. 23. can. 4.

Ex quibus apparet cur Guillelmus Pariſienſis hanc ſanctitatem & *primam, & ſanctificatiuam* appellet. Primam, quia per conſecrationem infunditur; non reſpectu gratiæ ſanctificantis, quæ in ipſo operante fit; ſed eius quam *ſecundam* vocat, gratiæ videlicet habitualis, quæ in altero per *ſanctificatiuam* ipſam, & cum ipſa ponitur. *Quemadmodum per ſigillum, & cum ſigillo regio, vel Pontificali, temporale vel ſpirituale beneficium præſtatur: vnde & ipſa non tam ſanctitas eſt, quàm etiam ſignum & character ſanctitatis ſecundæ.* Qua in re differt ab eo charactere, quem in Baptiſmo & Confirmatione accipimus. Nam cum poſtremus iſte, quia nihil actuus eſt, nos deiformes tantùm efficiat, recepta eius imagine, ille prior agere nos iubet,& in alterius anima, tanquam in cera, Dei effigiem producere, nimirum gratiam ſanctificantem, quæ typus Dei vocatur, & character, vt docet Theologia. Et in Tridentino dicitur Deus ſanctificare, *ſignans, & vngens Spiritu promiſſionis Sancto.* Non debet igitur character ille in repræſentando ſimilis eſſe archetypo, ſed in efficiendo. Ac vide ſigillum nobis à Guillelmo oblatum. Illud figuram Cæſaris propriè non præfert, quia quæ partes in eo prominent, eas oportet in effigie eſſe depreſſas; ſed eius ea tantùm natura eſt & vſus, vt cùm ceræ impreſſum fuerit, eam Cæſari ſimilem deformet. Id cùm feciſti, duplicem habes characterem, alterum in typo, qui primus & effectiuus eſt, alterum in antitypo, qui eſt eius effectus, atque adeo ſecundus. Cum hoc confero Baptiſmi characterem, cum illo characterem Ordinis; hic connectitur cum gratia ſanctificante in genere cauſæ materialis, ille in efficientis: hic debet dici diſpoſitio ad gratiam, qua iuſtificamur, ille eius gratiæ productiuus. Vt ſit character Baptiſmi, ea qualitas, quæ aptam reddit animam ad excipiendam ab alio charactere deiformem ſimilitudinem; Ordinis autem character eam ipſam ſimilitudinem imprimere atque conficere debeat.

*Ratio characteris explicatur.* Guil. Pari. l. de Sacra. in Ordin. c. 2. *Character Baptiſmi non eſt actiuus.* Concil. Trid. ſeſſ. 6. c. 7. *Exemplum ſigilli exponitur.*

Eſt & aliud in hiſce diſcrimen, quod Ordinis characterem ſupra prædictos duos magnificè euehit, ex illa cum Deo coniunctione,& inſtrumentorum varietate, quam modò commemorabam. Nam Spiritus Sanctus adeo ſpeciali ratione vnitur Ordinato, in ratione producentis in altero ſanctitatem, vt nulli in-

*Vnio perfecta cauſæ principalis cum inſtrumentali.*

li inſtrumento inanimi ad id aſſumpto; ne ipſi quidem Sacramento, pari modo vniatur. Nam Sacramento energiam quidem largitur, ſed tantùm ad momentum temporis: neque ſpiritus ille Domini qui dicitur ferri ſuper aquas, ſeu aquis incubate, in aqua baptiſmi inhabitare dicitur, ſicut in Epiſcopo & Sacerdote habitat, non tantùm vt ipſi in ſe ſancti ſunt, ſed etiam quatenus ſanctitatem efficere idonei. Plura non addo, vt eos characteres prioris vtriuſque Sacramenti, quos cum Ordinis charactere communiter contuli, ſecum inuicem commodiore inferiùs loco comparem. Illud quoque ſignum, neque peccato deleri poſſe, neque iteratò imprimi debere, fuſiùs probat Doctor Hallier, quàm vt apertæ illi veritati confirmandæ, quicquam addendum eſſe videatur. *Hallier, de ſacr. Ordi. 2. P. ſect. 3. c. 2 10 10.*

Quod autem de charactere dixi, prò modulo ſuo etiam ad eos transferendum eſt Ordines, aut ſacros homines, qui ſine illius impreſſione characteris, Hierarchicâ conſecratione potiuntur. Nullum enim mihi dubium eſt, quin ea benedictiò, & Eccleſiæ ad ſacrum miniſterium deſtinatio, virtutem illis aliquo modo ſanctificatiuam tribuat; qua carent ij qui priuata tantùm pietate, & religione officia illa exequuntur. Itaque & Sacramentalia nonnulla per ſe primò ad diſpoſitiones poſitiuas ſanctificationis videntur inſtituta: quædam verò ab obices repellendos. Quis enim probabile negauerit Exorciſtam ex opere operato, non ſuo videlicet ipſius merito, ſed vi ſui Ordinis, vim coërcendorum Dæmonum conſequutum? Oſtiarium pulſu campanarum, aut aquæ luſtralis vſu eorumdem comprimendorum? Adeo vt ſi quis Laïcus benedicta illa aqua luſtrauerit piè ſanctèque, id tantum præſtet ex opere operantis, quod impius quidam Oſtiarius ex opere operato circa non ponentes obicem operaretur. Idem de Lectoribus exiſtimandum, Dei ſermones maiori cum efficacia in animos inſtillàribus; de Acolythis fidei lumen cũ diuina cooperatione in populo accendentibus: & vniuerſè de ijs omnibus qui publicam velut Eccleſiæ perſonam gerẽtes ſacris miniſterijs deſeruiunt. *Minores ordines ſub etiam modò ſanctificatiui ſunt.*

---

## RECENSENTVR ACTVS HIERARCHICI
*quos media hæc Hierarchia comprehendit.*

## CAPVT IIII.

REGVM Baſilicas non tam ſplendor ædium, & pretium aureæ gemmeæque ſuppellectilis, quàm familiæ amplitudo, & officiorum varietàs multitudoque cõdecorat. Hoc enim præcipuo ſtupore Regina mirabatur in Rege, *Cibos menſæ eius, & habitacula ſeruorum & ordines miniſtrantium, veſteſque eorum, & pincernas, & holocauſta quæ offerebat in domo Domini.* Quapropter ſacri miniſterij maieſtatem in illa officiorum diuerſitate modò ſpectabimus, quæ licet pauci aliqui poſſint explere, ſingula tamen admittunt infinitos. *3. Reg. 10.*

Ac primùm Guillelmus noſter diuini cultûs partes ſeptem enumerat, ad quas deſtinari ſanctificarique miniſtros neceſſe ſit. *Huius*, inquit, *prima pars eſt adoratio, ſecunda collaudatio cum partibus ſuis; quæ ſunt gratiarum actio, benedictio, & glorificatio. Tertia eſt purificatio propria. Quarta ſolemniſatio, ſeu* *Partes 7. diuini cultûs ex Guil. Pariſ. l. de ſacr. in Ordine. c. 4.*

*feſtiuatio. Huius tres ſunt partes propriæ, videlicet apparatus miniſtrorum, ornatus templi, ſiue in parte, ſiue in toto, ſacrarum cantionum & laudum celebritas.* Hæc mutato Doctoris ordine diuulſa, prioribus adiungo, quia omnibus qui Hierarchiam Ordinis tenent, communia ſunt. In ijs autem, ſi quid vides, ſanè animaduertis mediam Hierarchiam, nulla neceſſitate requirere principatum illum coërcentem, ab aduerſarijs excogitatum, qui alteri regio more imperet, ſibique ſubijciat. Siquidem hymnorum modulatus, & Dei adoratio atque glorificatio, & propriæ puritatis amor & ſtudium, actiones eæ ſunt quas immanentes ante vocauimus: vt ſe in hac ipſa, quam illi deprædicant, Ordinis poteſtate, de imperio ſuo deiectos eſſe non dubitent. Pergit Antiſtes. *Quinta eſt interpellatio, quæ propriè eſt interceſſio pro alijs.* Quam tanti Doctor illuſtris æſtimat, vt inter ſublimiora miniſteria recenſeat, atque inde Sacerdotem mediatorem, aduocatum, procuratorem, diuini iuris peritum eſſe velit. *Fuit enim*, inquit ille, *conſulendum imperitia & ſimplicitati communitatis hominum in cauſis animarum ſuarum, cum ipſi eas agere aut neſcirent, aut nequirent, officiorum ſuorum & artificiorum occupationibus præpediti: communitati autem cauſarum non poteſt conſuli, niſi per aduocatos; nec etiam in genere ſpiritualium: neceſſe ergo fuit prouideri & inſtitui huiuſmodi aduocatos.* Iſtam ego partem ſic in præcipuo Sacerdotum iure agnoſco, vt pro rata tamen ad inferiores Clericos, vt Lectores, vt Exorciſtas, vt omnes vniuersè Canonicos pertinere autumem. Non enim iſti minùs cum diuinis vacant officijs, cum horas Canonicas celebrant, cum publicè in Eccleſia canunt aut legunt, non ſua, ſed Eccleſiæ vota, & orationes Deo offerunt, velut minores quidam nuncij, ad idem cum maioribus promouendum negotium deſtinati.

*In Ordinis Hierarchia non eſt principatus.*

*Sacerdos aduocatus & procurator ſpiritualis.*

*Maior ſanctitas in maioribus requiſita.*

Reliquæ ſunt partes duæ, *Sacrificatio, & Sacramentatio, ſiue initiatio aliorum.* Illa Sacerdotis cuiuſlibet; hæc Hierarchæ vnius eſt, modo inferiùs explicando. Quæ quidem ſi cum enumeratis prioribus quatuor conferuntur, longè ſanctius ſublimiuſque miniſterium continent. *Quare neceſſe eſt tantò fortiùs miniſtros eſſe ſpirituales, & appropriatos his miniſterijs, tantoque maiori ſanctitate præditos, quantò iſta officia cæteris antecellunt.* Sic Pariſiorum decus ſacroſancta laudat miniſteria, & in ſuo lumine collocat, ſola Ordinis poteſtate collectâ, eaque non totâ; vt tandem quantumlibet inuiti aduerſarij forum externum, & Iuriſdictionem cogentem, nullam huiuſce cultûs partem facere fateantur. Quam obſeruationem & ad S. Bonauenturæ doctrinam traduci cupio, ne eadem faſtidiosè repetendo, priuatam ſingulorum Doctorum ſententiam videri faciam, quæ eſt communis omnium.

*Alij 7. actus Hierarchici Pôtificium, ex* Bonau. in Apolog. reſp. 4. c. 3.

*Sacerdos eſt Architectus.*

1. Cor. 3.

Nam actus Sacerdotis Hierarchicos (& pro ſuo modulo inferiorum etiam, magna ſaltem ex parte, Ordinum) ſeptem alios recenſet S. Bonauentura, eoſque metaphoris è ſcriptura petitis ſapienter explicat. *Eſt*, inquit, *Sacerdotalis officij opus præcipuum, reductio plebium ſubiectarum in Deum* (qui finis eſt Hierarchiæ) *per ſeptiformem influxum Hierarchicum*, (ne dubites quin de Hierarchica poteſtate ſit acturus, licet Iuriſdictionem non commemoret) *ſcilicet per Eruditionem credibilium*, cui Architecti metaphora conuenit, *ad populum in fidei veritate fundandum, & promouendum*: vnde dictum illud ab Apoſtolo, *vt ſapiens Architectus fundamentum poſui. Quot enim ſunt lapides in ædificio, ſunt articuli fidei in animo in quo habitat Chriſtus, tanquam in templo ſuo.* In huius autem officij partem venit & Diaconus, quem in ordinatione iubet Hierarcha, *Eccleſiam Dei*

veluti

*veluti tabernaculum munire prædicatu ſancto, Euangelium annunciare; habere pedes calceatos ſanctorum exemplis in præparatione Euangelij pacis*: vt de illis dicatur, *Beati pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona.*

II. *Per Inſtaurationem virtutum*, per quam Agricolæ comparatur. *Si enim Eccleſiaſticus populus hortus eſt & Paradiſus, plantatus & virens multiformitate virtutum, rectè informator plebium in doctrina morum, dicitur agricultor, deſignatus per primum hominem, quem poſuit Deus in Paradiſo, vt operaretur & cuſtodiret illum.* Participat & huic muneri, non Diaconus tantùm, ſed etiam Lector; cui dicitur in Ordinatione, *Lectorem oportet legere ea quæ prædicat: ſtudete igitur verba Dei, videlicet lectiones ſacras, diſtinctè & apertè ad intelligentiam & ædificationem fidelium abſque omni mendacio falſitatis proferre.* Atque vt in Concilio quodam Toletano habetur, *ſicut lectoribus vetus Teſtamentum, ita Diaconibus nouum prædicare præceptum eſt.*

*Idē Agricola in doctrina morum.* Gen. c. 2. Concil. Toletan. 8.

III. *Per Exhibitionem exemplorum.* Ex qua Paſtor dicitur, *qui cum proprias oues emiſerit, ante eas vadit. Unde & Petrus hortatur ſeniores, ſiue Presbyteros, vt populos ſibi commiſſos paſcant, tanquam facti forma gregis ex animo. Hæc autem eſt forma ſecundùm documenta ſanctorum, vt quantùm eſt Paſtor præcellens reſpectu gregis, tantum vita Sacerdotalis ſit ſanctior & ſublimior vita plebis.* Idem quoque ſuo iure ab omnibus quos ad quemlibet Ordinem admittit, Eccleſia poſtulat, vt laïcis bonorum operum exemplo præluceant, neque officij ſui ſanctitatem vlla peccati labe deturpent. Quod in ſingulis oſtendere ſuperuacaneum fuerit. Perpendet tamen hoc loco Petrus Aurelius, qua demum in re paſtorale Sacerdotis officium poſitum eſſe velit S. Bonauentura; quantumque à Seraphico Doctore diſtet hinc intelliget, ſi vniuerſè pronunciare pergit, *Paſtores & Patres in Eccleſia Chriſtiana eoſdem eſſe: qui Paſtores ſunt, patres eſſe Chriſtianorum & Eccleſiæ*, ſola Sacramentorum adminiſtratione.

*Paſtoris officium in exemplo.* Ioan. c. 10. 1. Petr. 5. *Exemplum res Hierarchica.* Pet. Aur. in vin. p. 162. *Non conuenit cum S. Bonauent.*

IV. *Per Interuentionem precum.* Ex qua Fide-iuſſoris officium ſuſcipit. *Omnis enim Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in his quæ ſunt ad Deum.* Et viciſſim, *cauſam Dei apud hominem curæ ſuæ commiſſum agit*, ſecundùm illud, *Cuſtodi virum iſtum; qui ſi lapſus fuerit, erit anima tua pro anima illius.* Actus hic, ſi preces abſolutè ſpectas, ad Interpellationem Pariſienſis Præſulis ante memoratam reducitur, & perſtat in ſolo ordine, atque Clericos omnes complectitur: ſin addis Curam, & obligatam ſuperioris fidem, manifeſta Iuriſdictionis adiectio eſt, quæ Sacerdotes omnes, à quibus Eccleſia *interuentione precum* adiuuatur, non comprehendit.

*Fideiuſſor in precibus.* Heb. c. 5. 3. Reg. 20.

V. *Per Curationem plagarum hoſtilium.* Quæ Medici perſonam ipſi imponit. Quò refertur eius parabola, qui in latrones incidit, *deſignans per Samaritanum, ipſum medicum Chriſtum, & eos qui tenent locum eius in expurgatione vitiorum.* Quæ poteſtas poſtquam in Sacerdote per Sacramentorum collationem reſedit, non eſt ita ſui auara, vt quodam etiam modo ad inferiores non deſcendat. Nam baptizat, & corpus, ſanguinemque dominicum diſpenſat Diaconus; & Subdiacono dicit ordinans Hierarcha, *ſi humana fragilitate contingat in aliquo fideles maculari, præbenda eſt à vobis aqua cæleſtis doctrinæ, qua purificati,* &c. Nonne autem plagas hoſtiles curat Exorciſta, cum obſeſſorum corporum, cruciatus & tyrannidem coërcet & comprimit?

*Medicus in purgatione vitiorum.* Luc. c. 10.

VI. *Per Prænunciationem inſidiarum, & imminentium periculorum*, quæ Sacerdotem Speculatorem facit; ſecundum illud dictum Ezechielis, *Fili homi-*

*Speculator pericula prauidendo.*

Ezech. c. 3.

*nis ſpeculatorem dedi te domui Iſraël.* Cuius etiam officij cooperatorem & adminiſtrum habet Diaconũ, cuius eſt perſcrutari diligentiùs, ſi quem videat *fieri vicinum præcipitio, & proximum eſſe peccato, vt referat hæc ad Epiſcopum, & commoneri ab eo poſſit is, qui in præcipitium lapſurus eſt, vti reuocetur, vt non corruat in peccatum.* Qua de re poteſt intelligi Apoſtolicarum Conſtitutionum decretum, *Diaconus de re omni ad Epiſcopum referat, vt Chriſtus ad Patrem.*

Clem. ep. 1. ad Iacob.

Conſtit. Apoſt. l. 2. c. 44.

*Dux tentationes repellendo.*

1. Mach. 3.

VII. *Per Repulſationem hoſtilitatum.* Vnde Duci exercitus comparatur, purà Machabæo illi, qui *induit ſe loricam ſicut gigas, & ſuccinxit ſe arma bellica ſua in prælijs, & protegebat caſtra gladio ſuo. Præeſt enim Eccleſia, quæ eſt terribilis vt caſtrorum acies ordinata.* Et quidem Epiſcopo vni conuenire poteſt, vt ſit magni illius exercitus ſub Deo, & cum Deo Imperator; ſed tamen ille ipſe Iudas conſtituiſſe legitur *Duces populi, Tribunos, & Centuriones, & Pentacontarchos, & Decuriones.* Hi quodammodo ſunt Sacerdotes, & inferiores miniſtri, qui omnes in ſtationibus ſuis excubant, & hoſtilia omnia à Dei caſtris propulſant. Nam Oſtiariũ, qui poſtremus eſt omnium, iam ante dicebamus, luſtratarum campanarum ſono Dæmonum artes diſſipare, cui etiam claues Eccleſiæ committuntur, cum dicto, *ſtudete vt ſicut materialibus clauibus Eccleſiam viſibilem aperitis, & clauditis; ſic & inuiſibilem Dei domum, corda ſcilicet fidelium, dictis & exemplis veſtris claudatis Diabolo, & aperiatis Deo.*

*In hac Hierarchia non eſt principatus in ſubditos.*

Hactenus S. Bonauenturæ actus Hierarchici: in quibus non miraberis poſtremos Guillelmi duos prætermitti, Sacrificium, & miniſtrorum conſecrationem, quia de illis tantùm agere decernebat, qui & in alterum feruntur; & ſubſidiarijs aduenientium copijs promoueri perficique poſſunt. Vnum tamen obſeruari à te cupio, vſui mihi aliquando futurum, inter onera curæ Pontificiæ, quà vergit ad alios, recenſeri tum preces, tum exempla, & horum influxum Hierarchicum nuncupari. Putas-ne autem principatum ei neceſſarium eſſe, qui precibus & exemplo fidelium augeat ſanctitatem? Adde Guillelmi adorationem, collaudationem, purificationem propriam; & aude peruicaciùs affirmare regium in ſubditos imperium, actionem in alterum, ius in eum, cui reſpondeat parendi debitum, ad omnem Hierarchiæ rationem neceſſarium videri.

---

## *SERIES PERSONARVM QVÆ IN ORDINIS Hierarchia iam ab antiquo recenſentur.*

## CAPVT V.

*Ordinum Eccleſiaſticorum duplex acceptio.*

AQVIBVS tandem perſonis hi actus exerceantur, nemo nos curioſiùs, pleniuſque doceat, quàm Franciſcus Hallier, qui omnia vetuſtatis ſcrinia compilaſſe videri poteſt, ad eruenda veterum Hypodiaconorum, Lectorum, Exorciſtarum, & eiuſmodi ſacratorum nomina. Præfatur autem ſapienter & verè, *Ordinis Eccleſiaſtici nomen duobus modis ſumi poſſe; primò ſtrictiùs, ſecundò latiùs & fuſiùs: ſtrictiùs Eccleſiaſtici Ordines dicuntur, qui certo & ſolemni ritu ad miniſterium aliquod ſacrificio diuino exhibendum ab Epiſcopo conferuntur.* Illos aliquis non incongruè dixerit, eoſdem eſſe cum *Clericis Eccleſiaſtici Ordinis*, qui in Capitulari Aquiſgranenſi, vetantur

Hallier de ſacr. Ordi. 2. P. ſect. 1. c. 1. a. 1.

apud

apud alios, quàm Eccleſiaſticos iudices litigate. Licet enim hoc omnibus ex æquo Clericis ptohibeant Canones; ſi tamen quæritur ratio, cur *Eccleſiaſtici Ordinis* dicantur, non autem ſimpliciter Clericj, vt eſt in Concilio Catrhaginenſi, vnde caput illud deſumptum eſt, nulla facilè apparet alia, quàm vt diſtinguantur ab ijs Clericis, qui in Eccleſia publicè non ſeruiunt, quales Clerici Magnatum, qui priuatas eorum capellas tenent; de quibus Zacharias Papa deber intelligi, cum verat *in priuatu oratorijs Baptiſterium conſtitui, nec conſtitui Presbyterum Cardinalem*: aut qui in nomen Clericorum veniunt, licet Eccleſiaſticis officijs non addicantur per ſe ſe, vt Monachi. Pergit Doctor. *Latiùs autem illi dicuntur, ex quibus aliqui diuinis officijs quomodocunque deuouentur, etſi ad ſacrum Miſſæ miniſterium minimè deſtinentur: quomodo Monachorum & Virginum Ordines, Eccleſiaſticis etiam adcenſeri poſſunt.* Deinde numeratis ex Tridentino Concilio ſeptem Ordinibus, qui ſunt omnibus noti, mulris ſeptenarium numerum confirmat, diſſipatis etiam obiectionibus, quæ illi officere quoquo modo videntur.

*Capit. Aquiſgran. c. 58. habetur tom. 2. Concil. Gall.* — *Clerici Eccleſiaſtici Ordinis, alij a Clericis ſimplicibus.* — *Zach. ep. 9. c. 15.* — *Monachi & Virgines Clericis adcenſentur.* — *Concil. Trident. ſeſſ. 23. c. 2.*

Hæc ille accuratè recenſet, quæ nos tanquam certiſſima aſſumimus, vt ex ijs huiuſce libri proſpectum inſtruamus. Dicturi enim de Clericis, quatenus latiſſima ſignificatione, omnes Deo ſacras ritu peculiari perſonas id verbi comptehendit, Preſbyteros, Diaconos, Hypodiaconos, Acolythos, Exorciſtas, Lectores, Oſtiarios, iam ab ipſo Eccleſiæ initio inſtitutos, vt monet Concilium Tridentinum, primariò explicare debemus: additis etiam Pſalmiſtis, Catechiſtis; Laborantibus, prima Tonſura initiatis, licet ij ſtatum Eccleſiaſticum non ſint aſſecuti. Neque omittentur à nobis qui alterum librum facient Monachi, & Religioſi viri, imo neque feminæ: vt Eccleſiaſtica Ordinis Hierarchia, cum primario ſponſo procedens de thalamo ſuo, illuſtri ſepta comitatu, Regi gloriæ iucundiùs occurrat, quàm olim Eſther Aſſuero. Illorum enim omnium caput Epiſcopum; martyr Ignatius nobis ſemper exhibet, tanquam Dei Patris aut Filij imaginem, inter cœleſtium aulicorum choros, ſumma cum maieſtate ſublimem. Hinc orta eſt magnifica illa vox. *Epiſcopus patris vniuerſorum inſtar eſt: Presbyteri verò vt Dei conſeſſus, & Apoſtolorum Chriſti collegium.* Et eodem alibi ſenſu. *Omnes Epiſcopum ſequamini, vt Ieſus Chriſtus Patrem: & Presbyterorum collegium, tanquam Apoſtolos: Diaconos item reuereamini, ſicut eos qui Dei mandatum exequuntur.*

*Perſonæ ſacræ de quibus hoc libro agendum.* — *Hierarchia magnifica ſpecies ex Ignatio ep. ad Trallian.*

---

*VETERVM TEMPLORVM ICHNOGRAPHIA*
*tractatui de Perſonis ſacris, & earum actionibus Hierarchicis præſtruitur.*

## CAPVT VI.

DE perſonis iſtis Hierarchicos Ordinis influxus dantibus, deque accipientibus ſingillatim dicturus, hiſtoricos ἐναργείας gratia cogor imitari, qui rebus narrandis Topographiam præſtruunt, & quaſi ſolum ſemini præparant. Templorum ego veterum Ichnographiam perſequor, vt & Agentium & Patientium ordines locoſque cognoſcam apertiùs; cum præſertim ijs impoſitus ſit ex officio metator deſi-

*Neceſſaria locis deſcriptio.*

gnatorque Diaconus, qui neminem ordinis perturbatorem patiatur. Atque iſtorum pleraque ne probare quidem accuratè, aut ſolerter inueſtigare affecto, pingui minerua contentus. Facient illud ipſum diligentiùs, qui totam Eccleſiæ antiquitatem refoderè promittunt, Aurelius,& periti alij.

*Diuiſio Baſilica per numerum ternarium.*

Ternarium numerum ſacrum & Hierarchicum vbique pene reperio. Extra Templi muros, Catechumenea, Aream, Atrium. Interiùs, Nauem, Cancellos, Adytum. In Naui, ſuperiorem partem ad cancellos adyti; inferiorem duplicem: aut ſi mauis, Supremam, Mediam, Imam. In Adyto Apſidam, ſiue Ambonem & pulpitum, Chorum, Sacrarium, ſeu Diaconicum. In Choro mediam planitiem in qua Soleas, & duo hinc inde Secretaria; quæ omnia nonnunquam Trulli nomine comprehenduntur. In Diaconico Velum, Prothesin, Altare. S. Euphemiæ Templum tribus ampliſſimis ædificijs conſtans deſcribit Euagrius, Atrio, Templo, Sacrario, vbi ait Martyris iacere Reliquias. Eæ partes ad expoſitas redeunt,& in minora membra diſſecantur à nobis. Quæ omnia, ſi qui diligentius contemplari volet, communem Templorum noſtrorum fabricam, præſertim Cathedralium non multùm abeis abeſſe reperiet, licet non eoſdem modò vſus, & ſimiles ritus conſeruent.

Euagr. l. 2. hiſt. c. 3.

*Eodem numero comprehenſa Perſonarum diuiſio.*

In Adyto igitur operantur omnino tres gradus, Epiſcopus, Sacerdotes, Miniſtri. In Naui tres orant, Monachi, Populus ſanctus, & aliqui Purgandorum. Tres horum ſpecies, Catechumeni, Pœnitentes, Energumeni. Catechumenorum tres ordines, Audientes, Catechumeni, Competentes. Itidem Pœnitentes diuerſis in ſtationibus purgantur, tres & ipſi gradus facti, in Auditione, Subſtratione, Syſtaſi. Aream ſolus luctus obſidet, Pœnitentium, pene non Chriſtianorum,& a liquibus ſeculis, nondum Pœnitentium. Energumeni quoque non vno loco poſiti, numero tamen concluſi myſtico: ſunt enim qui anima ſola, qui ſolo corpore, qui vtroque agitantur. Hic Templi noſtri proſpectus; partes modò ſingulas conſideremus.

*Catechumeneorum deſcriptio.*

Occurrunt primò Catechumenea, ſeu Catechumenia, aut etiam Catechumena, quæ ſunt Catechumenorum domus, in quibus eo tempore commorantur, quo ad percipiendum Baptiſmum comparantur. Deſcribit ea Paulini Panegyriſtes apud Euſebium. *Iam verò conſequenter etiam exteriora templi molitus eſt, ſedilia que & ædes vtrinque maximas artificioſè ſtruxit, & lateri templi coniunxit, ac ingreſſibus medij templi adunauit, quæ & ipſa illis qui adhuc expiatione, & aſperſionibus quæ per aquam, & Spiritum Sanctum ſunt, opus habent, Salomon noſter, pacis ſtudioſiſſimus, templi huius ædificator perfecit.* A Trullanis Patribus *venerabiles domus* appellantur, inque ijs vetatur vel cum vxore congredi, vel promiſcuè profana tractare. Canonem illum ſic refert Epitome Harmenopuli. *Qui cum muliere cohabitat, ne quidem in templi Catechumenijs degat. Hoc qui tranſgreditur, Clericus quidem deponitor, Laïcus autem ſegregator.* Vbi interpres Catechumenia, *locum* explicat *vbi ſtabant Catechumeni*: at profectò καθίζειν ſtare non eſt, ſed manere. Et in Templo quidem ſtabant, ſed quis adeo impudens vt in Templo liberis operam dare velit? Sic in Codino legerat Georgius Douza μέχρι τῶν κατηχουμενίων, & verterat, *vſque ad Catechumenos.* Benè corrigit Gretſerus noſter *vſque ad Catechumena, quæ etiam Catechumenea.* Sed malè pergit explicando, *hoc eſt, vſque ad loca vbi Catechumeni ſtabant, cum res diuina fieret.* Imo dicendum, vſque ad ædes in quibus habitant Catechumeni. Quemadmodum ſi dixero, productum eſſe Lutetiæ Palatium vſque ad clauſtrum

Euſe. l. 10. hiſt. c. 4. ἐν τῷ ἔσω τοῖς ... οἴκοις Κατηχουμένων ὁ Σολομών.

Synod. in Trull. can. 97. ὁ γυναικὶ συνοικῶν μηδὲ ἐν τοῖς τοῦ ναοῦ κατηχουμενίοις.

Harm. in Epit. ſect. 3 tit. 3.

Codin. l. de Origin. Conſtant.

Gretſer. Comm. in Codin. l. 3 c. 18.

Canonicorum Regiorum: non ſignificauero templi locum, vbi diuinis vacantes officijs Canonici ſtant, aut ſedent, ſed vbi commorantur.

In iſtis Catechumenijs admiſſi olim ſacri hoſpites, quod luculenter Pelagiæ probat hiſtoria. Nonnus enim Antiochiam cum cæteris Epiſcopis ad Concilium euocatus, iuſſus eſt *manere in baſilica beatiſſimi Martyris Iuliani, ingreſſique ſucceſſimus*, ait Iacobus Diaconus ſcriptor, *vbi & cæteri qui conuenerant Epiſcopi, ante ianuam ipſius baſilicæ reſederunt*. Non ſucceſſit S. Nonnus in ipſam Baſilicam, ſed in ædes Baſilicæ coniunctas, ex quibus, vt fit, cum cæteris foras ad Templi valuas egreſſus, de rebus cœleſtibus diſputabat. Deinde cum illum aditura eſſet meretrix; *vocauit ad ſe omnes qui illic aderant Epiſcopos*, ne ſolus cum ſola colloqueretur. Manebant igitur & in illis tectis Epiſcopi, non certè *ante ianuam Baſilicæ foris*, vbi antea reſederant. Iam autem baptizata, & Chriſti paſta corpore, *aſcendit in Catechumenum, eò quòd & nos ibi maneremus*. Vbi & ipſa deinde dormiſſe dicitur, *cum Romana prima Diaconiſſarum commatre ſua*, quandiu videlicet in albis inceſſit. Hic Roſuueydus non ſatisfacit, cum explicat *Catechumenum, locum Catechumenorum in Eccleſia, qui diſtinctus erat à loco fidelium:* non enim hic de precibus, ſed de commoratione agitur. Neque dubito quin huc pertineat Canon Concilij Carthaginenſis 3. *vt nulli Epiſcopi, vel Clerici in Eccleſia conuiuentur, niſi forte tranſeuntes hoſpitiorum neceſſitate illic reficiantur.*

*Hoſpites Clerici Catechumenijs recepti.* Iacob. Diacon. in vita S. Pelag. c. 8. Ibid. c. 7. Roſuu. in eum locū. Concil. Carthag. 3. can. 30.

In Auguſtorum verò Conſtantinopolitanorum inauguratione, narrat Codinus finita liturgia, diſtributo antidoro, benedictione à Patriarcha & Epiſcopis accepta, Imperatorem aſcendere ad Catechumena, vbi lignea, eaque modica anabathra, cum communibus thronis parata, ibique aureis tectum velis aliquandiu conſidere. Quod factum dici poteſt, poſt longum illud apparatus tædiū, vt intercepta quiete nonnihil reſpiret, dum aliâ pompâ reducitur ad palatium. Hinc diſco intra veſtibulum ipſum gradus illos fuiſſe, quibus ad Catechumena aſcenderetur: quemadmodum in plurimis Monaſterijs, videmus Monachos expleto ſolenni precum in Eccleſia cantu, ad cubicula propria interioribus gradibus remeantes.

*Imperator Conſtantinop. in inauguratione quiē eſcit in Catechumenis.* Codin. l. de offic. Conſt. c. 17.

Area ante propylæum, locus eſt muro clauſus, ſubdiualis, Pœnitentium κλαῦσις, *Lugentes campi, ſic illos nominc dicunt*. Parauiſum propiùs ad vernaculam Gallorum linguam alio loco appellabimus. Sequitur Atrium, ſeu veſtibulum, ϖρόναον & νάρθηκα Græci appellarunt, illud à ſitu, iſtud à figura, vt arbitror. Ibidem & ἀκρόασις Catechumenorum, extra templum, ait Zonaras, ἐν τῷ ϖρονάῳ. Hic porticus, in ea Baptiſterium. Ita S. Cyrillus Catechiſtes. *Primùm ingreſſi eſtis in porticum Baptiſterij*. Et S. Gregorius Turonenſis, *ad baptiſterium foras muraneum egreſſus eſt:* extra murum ipſum templi, ad veſtibulum, quod alio muro ſeptum erat: vt in S. Genouefæ Pariſienſis modò apparet. In vita Pelagiæ ſupra citata, propheticum S. Nonni ſomnium idem repræſentat: *egrediente me limitem domus Dei, venit denuo ipſa columba: ego verò extendens manum apprehendi eam, & iactaui in concham, quæ erat in atrio ſanctæ Eccleſiæ, & dimiſit in aqua omnes ſordes ſuas.* Euſebius deſcriptis in templo Tyrio porticibus quatuor, ſubijcit, *hic verò ſacrarum expiationum ſymbola poſuit, fontes videlicet è regione templi ſitos; qui multo latice ſacros ambitus ingreſſuris abluendi copiam faciant.* Scio locum hunc de luſtrali, imo de communi aqua poſſe intelligi. At ego libens pro baptiſterio acceperim; aut ſi quis contrarium præfractè tueatur,

*Area.* *Atrium.* Zonar. ad Concil. Ancy. can. 9. *Baptiſterium in porticu.* Cyrill. Iero. Cate. 1. Greg. Tur. l. 6 hiſt. c. 11. In vita Pelag. c. 5. Euſeb. loco cit.

*Ad Baptiſterium ne ingrediantur Catechumeni.* Concil. Arauſic. 1. can 19. Concil. Vero.c 7.

certè aquam illam profanam, ſymbolum ſacrarum expiationum eſſe lego, ibi conſtitutam, vbi purgari debent Catechumeni. De quibus Canon Arauſicanus eſt, vt ab Baptiſterium nunquam admittantur. Ita clauſum hunc locum fuiſſe licet æſtimare: vt & non niſi volente Epiſcopo poſitum. Siquidem Concilio Vernenſi decernitur, *vt publicum Baptiſterium in nulla Parochia eſſe debeat, niſi vbi Epiſcopus conſtituerit, cuius Parochia eſt.*

*Tres portæ ducunt ad templum.* Euſeb. cit.

In eadem Tyri Baſilica ad Templum tres patent portæ, eximijs ornatæ operibus. *Quin & horum* (Catechumenorum, in atrio) *conſpectu præterito, pluribus adhuc interioribus veſtibulis acceſſus Templi patentes reddidit: & rurſus, ſub ſolis radijs tres portas ex vno latere collocauit; quorum medijs ſpatijs vtrinque magnitudine & latitudine excellere dedit, illaque appaginationibus æneis ferro vinctis, ac varijs cælaturis excellenter illuſtrauit, ac veluti Reginæ huic ſatellites dedit.* Quas non ornatus tantùm & *συμμετρίας*, ſed etiam neceſſitatis gratia eſſe additas, ex eo probari poteſt, quod vt poſtea dicemus, alijs valuis in Eccleſiam viri, alijs feminæ intrarunt, vt diuerſa in loca oraturi conuenirent. Quod ex templo Ieroſolymitano ſumptum videtur, de quo Ioſephus, *neceſſariò namque proprius locus religionis cauſa mulieribus deſtinatus, muro diſcernebatur; altera quoque porta opus fuiſſe videbatur: per alias enim tranſire ad mulieres non licebat. Sed nec portam ſuam interiecto muro tranſgredi licebat: patebat enim locus ille pariter indigenis & hoſpitibus feminis, religionis cauſa venientibus.*

Ioſeph. l. 6. de Bell. c.6.

*Nauis templi. Duas in partes diuiſa.*

Hinc patet Ædes ipſa *oblonga, Orientem verſus, naui ſimilis*, vnde pars quæ prior occurrit, vſque ad Adytum, *Nauis* appellatur, Populi ſancti oratorium, in quo ſeiuncti viri à mulieribus, & illi ad Auſtralem locati, hæ ad Borealem partem, muro depreſſiore interiecto, quod modò in Iudaico templo ſpectabamus. Eam diſtinctionem ſuo adhuc ſeculo conſeruatam, indicat Amalarius Fortunatus, dum eius rationem exquirit, & figuram in Apocalypſi reperit, eius Angeli, qui *poſuit pedem ſuum dextrum ſuper mare, ſiniſtrum autem ſuper terram. Fortiora etenim membra in maioribus periculis, & alia in competentibus ſiſtuntur.* Summa pars quæ Adyto proxima, cancellos tenet, Monachorum ſedem. Hi, non vt modò certis ſpatijs, ſed toto circumquaque Adyto diffuſi, ſpectantium intuitus admittebant. Sic enim Euſebius in Tyrij templi deſcriptione, poſt explicatas Adyti, & altaris ſubſtructiones, *Rurſus etiam iſta vt multitudini ſint inacceſſa, cancellis ligneis ad ſummum vſque artificioſa cælatura fabricatis ita circundedit, vt admirabilem aſpectum videntibus exhibeat.*

Amal. For. l 3 de Eccleſ.offic. c 2. Apoc.c.10. *Cancelli ad Adytum.*

## *ADYTI ET SACRARII ACCVrata deſcriptio.*

### §. Vnicus.

*Apſis, ſeu Pulpitum.*

TANQVAM ab Hypodiaconis admiſſi, ſacra Adyti ſepta ingredimur, & in eo primùm conſideramus Apſidam, ſeu Apſidem malis dicere, à figura in hemiſphærium curuata. Ambonem præterea Græci vocant, quòd eò gradibus, & quidem duplici ex parte, ad Orientem & Occidentem, imo vt arbitrari licet, duplicibus, interioribus, exterioribuſque aſcendatur: Odæum aliqui, quòd in eo canatur. Latini Pulpitum, & ſuggeſtum, Itali, Eccleſiarum tribunam. Nota res, quæ modò adhuc in vſu. Hic poſita Epiſcopo ſedes.

Gloſſæ

Gloſſæ veteres. *Apſida, ſedes Epiſcoporum.* S. Auguſtinus, *Dicebam ego quibus poteram, qui ad nos in Apſidem honoratiores & grauiores aſcenderãt.* Ea cathedra velata, honoris cauſa. Idem S. Auguſt. ad Donatiſtam Epiſcopum, *in futuro Chriſti iudicio, nec Apſide gradata, nec cathedra velata.* In regijs ciuitatibus ingens fuit Ambo, & in eo thronus item regius. Nam ſæpe in hiſtoria Conſtantinop. legas Ambonem ab Imperatore conſcenſum. De quo, licet dubitanter & obſcurè, pono coniecturam hic meam, Apſidem hanc ob Regis & Patriarchæ thronum in ea collocatum, illam ipſam eſſe, quæ in tyrio Euſebij templo, Regia domus appellatur; quam ait, *munitam pretioſioribus, ac ſplendidioribus materijs, abundantiore ſumptuum liberalitate.* Quæ enim alia regia domus in Baſilicæ ſubſtructione deſcribenda poteſt excogitari? Huic aliqua ratione videtur apud Hebræos reſpondiſſe locus ille, quem ſacræ paginæ *Muſach Sabbati* appellant, *in quo Rex* Iudæus *ſedebat, quando veniebat in Sabbato in templum*, ait R. Salõmon apud Toſtatum. Eius ſitum impius Achaz mutauit, & ab atrio Laïcorum, ad atrium Sacerdotum tranſtulit, quo nefas erat profanis penetrare.

*Sedes Epiſcopi.* Gloſſæ veteres. Auguſt. epiſt. 25. Idem ep. 203. *Muſach in Templo Salomonis, quid fuerit.* 4 Reg. 16. Toſtatus in eum locum. q. 15.

Iam verò qui vſus Ambonis? Multi ſanè & illuſtres. 1. Eò defertur, ibi canitur Euangelium. Miniſtri quidam, quos Deputatos vocant, Mandyis induti, ait Ioannes Citri Epiſcopus, *antecedunt cum lampadibus Euangelium, quando lectionis cauſa defertur ad Ambonem.* Huc reſpicit quod de Celerino Lectore ordinato prædicat S. Cyprianus. *Hunc ad nos de tanta Domini dignatione venientem, quid aliud quàm ſuper pulpitum, id eſt, ſuper tribunal Eccleſiæ oportebat imponi, vt loci altioris celſitate ſubnixus, & plebi vniuerſæ pro honoris ſui claritate conſpicuus, legat præcepta & Euangelium Domini, quæ fortiter ac fideliter ſequitur? Vox Dominum confeſſa, in his quotidie quæ Dominus locutus eſt, audiatur.* 2. Inibi canonici Cantores ſacra concinunt. Concil. Loadicenum. *Non licere præter Canonicos Pſaltes, id eſt, qui cantores regulariter exiſtunt, & pulpitum conſcendunt, deque codice & membrana legunt, alium quemlibet in Eccleſia pſallere.* 3. Hic poſita ſacrorum hominum lipſana teſte Euodio, *cum in loco Apſidæ ſuper cathedram velatam eſſent reliquiæ cõſtitutæ.* 4. Epiſcopus ex eo loco dicit ad populum, tanquam ex ſacratis roſtris, quod in hiſtoria Eccleſiaſtica frequens eſt. Quæ *oratio pone Ambonem* dicitur, quòd vultu conuerſo ad ſanctum populum, qui in Naui Templi ſtat, anterior pulpiti pars, quæ Altare reſpicit, & in qua legitur Euangelium, vbi & Epiſcopalis thronus eminet, deſeratur. 5. Hic publici pœnitentis reconciliatio manuum impoſitione ab Epiſcopo vel Preſbytero peragitur. Ita Concilium Carthaginenſe. *Cuiuſcunque pœnitentis publicum, & vulgatiſſimum crimen eſt, quod vniuerſa Eccleſia nouerit, ante Apſidem manus ei imponatur.* 6. Denique dimittuntur Catechumeni ab Diaconis, ex Ambone. Ita Matthæus Blaſtares, apud Gretſerum noſtrum, in Synopſi Conciliorum. *Diaconi, qui orarium ex humero ſuſpenſum gerunt, ſacrificantibus aſſiſtentes, & ſacras liturgiæ preces obſeruantes, Diaconus qui in Ambone ſunt, orario ſignificant, quandonam tempus ſit ſeparandi voce publica Catechumenos à fidelibus.* Lecto enim Euangelio, Diaconus exclamabat ex edito loco, *Exeant qui non communicant.*

*Vſus Ambonis, ſeu Pulpiti.* Ioan. Citr. apud Gret. in Codin. l. 1. c. 21. Cyprian. ep. 34. Concil. Laodic. can. 15. Euod l. 1. c. 3. de Mirac. S. Stephani. ὄπισθ ἄμβωνος. Concil. Cartha. 3. can. 32. Matt. Blaſ apud Gret. in Codin. l. 1. c. 16.

Secretarium, ſiue Secretum, in eodem ambitu eſt: & quidem duplex, *vtrinque paſtophoria in Orientem*, aiunt Conſtitutiones Apoſtolicæ: duos thalamos, ſeu interiora cubicula interpretatur S. Hieronymus; vbi ait in omnibus Eccleſijs duo Paſtophoria extrui conſueuiſſe: eaque apud apſidem poſita S. Paulinus aſſerit, verſibuſque exornat, qui declarant reſpondere no-

*Secretariũ.* Conſtit. Apoſt. l. 2. c. 57. *Paſtophoria duo.* Hieron in Ezec. c. 42. Paul. ep. 12.

Vſus Secretarij. ſtris Sacriſtijs, quas appellamus. Hic enim comparati & Epiſcopi & Preſbyteri antequam ad altare accederent. Qua de re Laodicenum Canonem [illegible] intelligo. *Non oportere Presbyteros ante ingreſſum Epiſcopi ingredi, & ſedere* ἐν τῷ βήματι, *ſed cum Epiſcopo introire debere, niſi ii aut valetudine, aut itinere adeſſe prohibeatur.* Aliqui vertunt *in ſacrum tribunal*, alij meliùs, in ſacrarium, optimè dicas, *in Secretarium.* Nam Secretarium iſtud à ſacrario, de quo infra, Concil. Laodic. can 56. majoris ἐναργείας gratia, non ſine fundamento diſtinguimus. Βῆμα autem vocatur, quod in editiore loco poſitum, & gradile eſſet. Idque duplicis vtilitatis gratia: tum vt ad altare, & ipſum gradibus ſurrectum, pleno paſſu incederent ſacri homines: tum vt inferiùs cancellis locus eſſet, per quos populus & Monachi proſpicerent. Hoc item loco Subdiaconis ſacra vaſa tractare licet, vt videbimus: ſunt enim illi σκευοφύλακες. At Diaconis inter Preſbyteros Concil. Arelat. 2. can. 15. ſedere non licet, vt habetur Canone Arelatenſi. Hic ergo primus eſt Secretarij vſus.

Sacra reliquia ibi conditæ. Alter condendarum ſacrarum reliquiarum, de quibus illuſtris mentio eſt in S. Euphemiæ templo, apud Euagrium. Euagr. l. 2. hiſt. c. 3. *Intra teſtudinem ad Orientem, eſt ſacrarium, decorè constructum, in quo ſanctiſſimæ Martyris* (Euphemiæ) *reliquiæ in capſa bene longa repoſitæ.*

Eodem loco celebrata Concilia. Tertius vſus eſt habendi Concilij, ſatis creber, & commodus, præſertim in templis capacioribus; ſic Hipponenſe Concilium, *in ſecretario Baſilicæ pacis.* Codex Can. Afrìcan. Carthaginenſe quod vocant tertium, *in ſecretario Baſilicæ Reſtitutæ.* Romanum ſub Martino I. actiones ipſas ſuas è loco *Secretarij* nominat. De magno V. Baro. ad an. 451. tom. 6. Chalcedonenſi ſcribitur, habitum *ante cancellos ſacri altaris*: quem locum Liberatus Diaconus vocat *Secretarium*, quia ab altari procul non habebatur. Sexta Liberat. Diac. in Breu. c. 13. Synodus habita eſt *in Secretario ſacri Palatij, quod cognominatum eſt Trullus.* Erat enim, vt in cæteris Eccleſijs, ſic in templo Palatino Conſtantinopoli, in quo Baron. ad an. 680. n. 45. tom. 8. Clerici Auguſtales, de quibus aliàs, ſacris operabantur, Secretarium, & illud Trullo exornatum, id eſt, erecto ſurſum, & in orbem aperto fornice, Itali Trullus quid. cupulam vocant. Hinc ſumpſit nomenclationem, & illa Quiniſexta Græcorum, nunquam à Latinis admiſſa, ſæpe à nobis citata, vt Trullana, ſeu in Trullo Synodus appelletur.

Chorus. Imum ergo Adyti, cum aliqua laterum parte Pulpitum continet; aliam explent Secretaria duo; media igitur planicies quæ ab Ambone, ad Diaconicum pertingit, quæ alia eſſe poteſt quàm Chorus, qui à nobis modò dicitur, ἱερατεῖον & Sanctum antiquis? De quo ſæpe citatus Euſebius. Euſeb. loco cit. *Abſoluto quoque templo, ac ſedibus excelſiſſimis ad honorem præſidentium, deinde & ſubſellijs ordine per omnia collocatis ornato, ac poſt omnia Sancto Sanctorum in medio constituto.* Vereor vt rem nemini obſcuram, exquiſitis tenebris infuſcem, ſi Codini narrationem huc attulero, & requiſiero qui ſit Soleas ab illo nomina- Soleas in templo Conſtant. quid? tus. Locum certè oportet hunc eſſe in Eccleſiæ gremio & Adyto, in quo Codin. in origin. Conſtant. Trullus ſemper fuit, cum in templis erectus eſt. Narrat enim in originibus Conſtantinopolitanis, Σωλέαν à Iuſtiniano conditum, cum caſu Trulli comminutus eſſet, non potuiſſe à Iuſtino ſucceſſore in priſtinum ſplendorem reſtitui, ſed tantùm argento diſtinctum ab eo fuiſſe. Infe- Inferior Ambone. rior Ambone eſſe dicendus, ex eo quòd Imperator à Patriarcha in Am- Idem in offi. Conſt. c. 17. n. 27. bone coronatur, Imperatrix in Solea ab Imperatore: ſic enim auctor. *Noua Imperatrix ſuſtentata vtrinque deſcendit ex anabathra, & veniens ſtat ante*

Soleam;

*Soleam; deſcendens igitur de ambone Imperator maritus eius, acceptum ex Patriarcha manu priùs benedictum ſtemma, imponit capiti vxoris ſuæ. At Patriarcha propè Soleam ſtans & ipſe, recitat alteram orationem pro Imperatore & Imperatrice, omnique populo ſubdito.* Anre Altare ſitum eſſe oſtendit, quod in Auguſti inauguratione *deſcendit Imperator ex Ambone, non ex ea parte qua aſcendit, ea ſcilicet qua ad ſpecioſas portas reſpicit: ſed ex altera, Solea & ſancto Tabernaculo obuerſa.* Credat hic aliquis non immeritò probari poſſe, quod ante poſui, duplices vtrinque gradus ad Ambonem ducere, exteriores qui venientem è Naui excipiunt Imperatorem, ſpectantque ad portas Eccleſiæ, interiores qui deſcendentem in Chorum deducunt, ſuntque Soleæ obiecti, quibus & Epiſcopus ipſe cum ſuis, & Lector cum Euangelio euadunt in Pulpitum. Sed vt reuertar ad Soleam, altari coniunctum illum non eſſe id declarat, quod in ſolenni proceſſione Imperator ſacri agminis Dux & Princeps, cum cæteris *circumeuntes, vt conſuetum eſt, templum, veniunt vſque ad Soleam, omnibus alijs extra ſtantibus; ſolus Imperator, tranſito Solea, reperit Patriarcham in foribus ſacris ſtantem,* (quibus aditus in Diaconicum pater, quoniam ea proceſſio Miſſæ tempore celebratur) *Ambobus igitur, Patriarcha intus* (Diaconicum) *Imperatore foris* (quia tunc illi non licet ingredi) *in ſpeciem ſalutationis capita inclinantibus, ſuo quiſque loco ſubſiſtit.* Cantacuzenus paulo aliter hunc ritum exhibet; *Ipſe ſolus ingreſſus Soleam, Patriarcham ad ſacros cancellos ſtantem inuenit.* Plus arrident mihi cancelli, quàm fores; Vter autem melius Imperatorem ſcripſerit *ingredi*, aut *tranſire Soleam*, equidem non dixerim. Quid igitur eſt tandem ille Soleas? Hæret hic mihi aqua. Meurſius ſolium ſeu thronum explicat. Non bene, meo animo. Non placet Gretſero, qui ceperit, *pro toto illo loco quem nos in templis noſtris Chorum vocamus.* Quid ſi diuinet aliquis, in ea planicie chori ampla & æquabili, eductum aut in medio, aut ad alterum latus, nobilius aliquod ſolum omni elegantia adornatum, idque tantùm regia in vrbe, ad eos vſus qui ſunt antea commemorati? Sicque Soleam à ſolo dictum; & pauimento; vel ſi mauis; ab expanſa æquabiliter, & fusè exporrecta forma, qualis ſoleæ eſt. Id quoniam minùs neceſſarium, & leuioris ad rem noſtram momenti, in medio relinquimus.

*Ante Altare.* ἀλλ' ἐκ τοῦ ἑτέρου τοῦ κατὰ τὴν Σωλέαν, καὶ τὸ ἅγιον βῆμα. Ibid. n. 23.

*Sedes non coniunctus.* αὐτὸς δὲ μόνος ὁ βασιλεὺς διελθὼν τὴν Σωλέαν, τὸν Πατριάρχην ἐν ταῖς ἱεραῖς πύλαις ἑστῶτα εὑρίσκει. Ibid. n. 38. Cantacuz. l. 1. hiſt. c. 41.

Gretſ. in Codin. l. 3. c. 17.

Diaconicum igitur attigimus, ab auguſtiſſimo miniſteriorum appellatum, antonomaſticè ſacrarium, ſancta ſanctorum, ad Iudaici templi morem, ſed titulo æquiore; & ipſum ἅγιον βῆμα, ſanctum tribunal, ſeu tabernaculum, quod eo gradibus ſcanderetur: in quo adſtant Epiſcopo ſacra facienti, Sacerdos, & Diaconorum præcipui, λειτουργῶν ἔκκριτοι vt monet D. Dionyſius. Cancellos & velum hic video, non tam partem, quàm ſeparationem ab ἱερατείῳ. Magna huius veli maieſtas, & crebra in hiſtorijs Eccleſiaſticis memoria, non certè minor, quàm interioris Iudæorum veli, quod Sancta Sanctorum inumbrabat. S. Dionyſius Monachum admonet Demophilum, Sacerdotes ad altare ſtantes apertè diuina ſpectare, *& modo benigno ad ea quæ extrà diuina vela, & integumenta ſunt prodire* ad Monachos, ſanctum populum, & expiandos ordines erudiendos. S. Gregorius Nazianzenus de Valente, S. Baſilium in ſacrario conueniente, *cum intra velum extitiſſet*: id eſt, cum in Diaconicum ingreſſus eſſet, vt explicat Nicetas. Succedit Protheſis, minus quoddam altare, cui conſecrandæ ſpecies imponuntur, tanquam Panes propoſitionum Huc deducitur coronandus Imperator à Diaconis, vt proceſſionem cum viris Eccleſiaſticis

*Diaconicum.*

*Velum in Diaconico.* καὶ φαιδρύνοντας ἀγαθοειδῶς ἐπὶ τὰ ἔξω τῶν θείων παραπετασμάτων, &c. Diony. ep. 8. ad Demoph. Greg. Naz. or. 20. Nicetas in eum locū.

*Protheſis.* *Proceſſio à Protheſi incipit.*

Codin de offic. con. c.17.

celebret, quæ à Protheſi circumacto templo ad altare regreditur. *Quando igitur in magno introitu inchoatur hymnus, accedentes ex honoratioribus Eccleſiæ Diaconis, aduocant Imperatorem* (videlicet ex ſacrario prodeût, & velum tranſeunt, vt Imperatorem in Solea ſtantem accerſant, & comitentur) *ille cum illis ſe confert ad locum, qui Protheſis appellatur, vbi ſancta repoſita ſunt. Cæterum adhuc extra Protheſin ſtans* (licet intra velum, nondum tamen ad Protheſin vſque ingreſſus) *induit ſuper ſaccum & diadema, Mandyam aureum*, & dextra crucem, ſiniſtra ferulam gerens. Eccleſiaſticorum primus in locum Deputati procedit. Locus hic eſt in quo Canon Laodicenus vetat, *hypodiaconos habere locum in Diaconico, & ſacra vaſa tangere*, qui ſatis obſcurè alia verſione concipitur, *Quòd non oportet miniſtros locum habere in Diaconos, & ſacra vaſa tangere.* Denique ſanctum Altare ſuccedit, quo nihil auguſtius cœlo terraque continetur, arca teſtamenti, nouæ legis propitiatorium, Chriſti tribunal, non minùs profectò tremendum, quàm illud in occidentis mundi cataſtrophe aliquando futurum. Siquidem in hoc ſedet iudex viuorum ſpiritaliter, & mortuorum, factus mors malis, vita bonis, & omnes noſtrates hæreſes palam triumphans in ſemetipſo; vt hic non immeritò citari poſſit à me Petrus Aurelius, fidei ſuæ rationem Chriſto iudici redditurus.

Concil. Laodic. can. 21.

*Altare.*

*Petrus Aurelius confutatur.*

*Sacrificium in altari cũ Sacramento confundit.*

In vindic. p. 124.

Concil. Trid. ſeſſ. 22. can. 1.

*Euchariſtiæ dignitatem ex eo ſumit, quod eſt imago mortis Chriſti.*

Dic igitur, Petre Aureli, quid in auguſtiſſima illa Ara perficitur? Sacramentum, an ſacrificium, an vtrunque? Diſtinguere neſcit iſta, & ſacrificium cum Sacramento, ſupino nimis errore confundit. *Euchariſtiam*, inquit, *medium generale dicimus omnium omnino gratiarum: eſt enim alimentum: dicitur Sacramentum Sacramentorum. Quare ſcholaſtici fatentur ſacrificij effectum eſſe generatim, omnia quæcunque ad gloriam Dei pertineant, & illud cauſæ cuidam vniuerſali comparant.* Vides vt Sacramenti, ſacrificijque ὁμωνυμίαν, & confuſionem Grammaticus inducat? Vides vt ſuos neutri proprios, ſed omnes tam huic, quàm illi, communes effectus eſſe ſignificet? At contra, Tridentinos Patres audio ſubtiliùs ſcrupuloſiuſque hæc vtraque diſcerni iubentes. *Si quis dixerit in miſſa non offerri Deo verum, & proprium ſacrificium: aut quòd, offerri non ſit aliud, quàm Chriſtum nobis ad manducandum dari, anathema ſit.*

Concil. Trid. ſeſſ. 13. c. 11.

*Hæreſis Iconomachorum*

Concil. Nicæn. 2. art. 6

*Piggardorũ hæreſis.*

Coccius l. 6. de Euchar. a. 1.

*Error Ioannis à Laſco*

Cocc. ibid.

*Aurelius nonplus tribuit Euchariſtiæ, quàm legis antiquæ Sacramentis.*

Ipſum ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum, quam porro, & vnde habet dignitatem & efficientiam? *Dicitur à Patribus perfectio & conſummatio omnium Sacramentorum, quò ipſo imago eſt & ſpecies egregia mortis Chriſti, ex qua vt generali fonte, omnia in nos gratiarum genera defluunt.* Qui hoc dicunt Patres, Aureli? non S. Dionyſius, quem Græcè alia docentem profers. Non D. Thomas, cui vtpote Catholico & Theologo ea doctrina nunquam venit in mentem. Non Tridentini, qui *in Euchariſtia ipſum ſanctitatis auctorem eſſe*, indeque præcipuam vim ſanctificandi habere profitentur. Sed Iconomachi fortaſſe, qui quondam aſſerebant, *in Euchariſtia panem & vinum, repræſentare ſolummodo corpus & ſanguinem Chriſti.* Sed Piggardi neſcio qui, apud Iodocum Coccium, qui *in Sacramento Euchariſtiæ nihil eſſe diuinitatis credunt, ſed ſolum panem & vinum conſecratum, ſignis quibuſdam occultis mortem Chriſti repræſentantem.* Sed Ioannes à Laſco Nouator, qui verba Tranſubſtantiationis operatoria, id ait ſignificare, *hoc eſt, meritum & gloria paſſionis, mortis & reſurrectionis mei corporis.* Ideo perficit, inquis, quia eſt imago mortis Chriſti. Quid igitur poſſidet ſupra veteris legis Sacramenta, quæ erant vmbræ futurorum? Audi Florentinum Concilium, & ad imaginem tuam eius doctrinã examina. *Quæ* (Sacramenta nouæ legis) *multũ*

*à Sacra-*

*à Sacramentis differunt antiqua legis : illa enim non cauſabant gratiam, ſed eam ſolùm per paßionem Chriſti dandam figurabant ; hæc verò noſtra & continent gratiam, & ipſam dignè ſuſcipientibus conferunt.* Rides Lector, an renides, Grammaticum legis antiquæ nuper aduerſarium, auguſtiſſimum noui teſtamenti Sacramentum cum veteribus æquantem? Quem verò putas è Caluini catulis huic *mortuæ imagini* non libentiſſimè ſuffragaturum?

Concil. Florent. in liter. Vnio.

Quem autem efficacitas illa producit effectum? *Euchariſtiam*, inquit, *excepto proprio eius effectu, medium generale dicimus omnium omnino gratiarum. Eſt enim alimentum, quo roboramur, refrigeramur, exhilaramur*, &c. Alium præterea eius effectum proprium eſſe vis. Non ita Florentinum, quod ait, *renatos & roboratos nutriri diuina Euchariſtiæ alimonia.* Et paulò poſt, *omnem effectum, quem materialis cibus & potus quoad vitam agunt corporalem, hoc idem quoad vitam ſpiritalem hoc Sacramentum operari.* Neque minùs apertè; quanquam breuiùs, Tridentinum, *ſpiritalem animarum cibum* appellat: adeoque proprium eius effectum ponunt Concilia in cibi ratione: Aurelius medium generale eſſe ait, quia alimentum, & alium proprium eius effectum quærere admonet.

*Peccat Aurelius in eſſ grande Euchariſtiæ effectu proprio.*

Concil. Florent. in lit. Vnion. § Horum quinque. Trid. ſeſſ. 13. c. 2.

Sed explicari præterea mihi poſtulo, quomodo Euchariſtia ſit *medium generale omnium omnino gratiarum?* De ſpeciali reſpondet, vnde generale diſcamus. *Speciale principium, aut medium alicuius rei illud dicimus, quod ad eam rem aut parandam aut efficiendam, particularem, & determinatam vim accepit, non indeterminatam tantùm.* Et infra. *Sicut ſpecialia media non efficiunt, quin etiam generalibus opus ſit; ſic neque generalium mediorum neceßitas ſpecialium mediorum neceßitatem tollit.* Quam doctrinam more ſcholæ ſic colligo. Medium generale vim habet indeterminatam ad omnia; ſpeciale an vnum aliquid determinatam: Euchariſtia eſt medium generale omnium omnino gratiarum: ergo vim habet indeterminatam ad omnes omnino gratias. Nihil hic habet Petrus Aurelius, quod ſuum non agnoſcat. Progredi ſinit vlteriùs. Speciale medium non efficit quin generali ſit opus: Baptiſmus & Pœnitentia ſunt ſpecialia media gratiæ ſanctificantis, Euchariſtia generale: Baptiſmus igitur & Pœnitentia non efficiunt, quin Euchariſtia ſit opus ad gratiam ſanctificantem. Iſtud manifeſtè Theologiæ, Patribus, Concilijs, fidei repugnat. Ergo Petri Aurelij de Euchariſtia, quà eſt medium generale gratiarum omnium doctrina, videndum quomodo cum illis conſentiat: & vocat hic nodus Theologum.

*De generali & ſpeciali medio malè philoſophatur.*

Pag. 129. & ſeq.

---

## *DE SVMMO HVIVS HIERARCHIÆ PRINCIpe & Hierarcha, qui vnus eſt Epiſcopus, deque eius actibus Hierarchicis.*

### CAPVT VII.

SI cui ab ortu lucis vſurâ carenti, Deus oculorum aciem ſerenâ nocte reſtituat, iſque admirabili cœleſtium ignium intuitu totus obſtupeſcat: vbi demum audiet eſſe vnum aliquod ſidus omnium illorum parens, fontem luminis, vitalis caloris principium, quod ita ſe omnibus impartit, nihil vt ſuum amittat; ita cæterorum lucem recipere poſſit, vt nihilo accreſcat; adeò perenni largitate mundo huic aſpectabili vitam, motum, vim agendi, ſpirandique omnem miniſtret, vt nullo vnquam

*Epiſcopalis ordo cæterorum principium.*

momento à tot ſeculorum millibus intermiſerit, quam ille mente opinionem de ſole, quam eius imaginem animo informabit? Ad eum ſanè modum aſtra Eccleſiæ matutina, quæ Deum laudant, & emicantes mundi ſpiritalis oculos, vndequaque diffuſos Clericos, numero infinitos, officijs varios, miniſterijs diſpoſitos, qui vno mentis aſpectu collegerit; totamque virtutis illius immenſitatem in ſuum alueum & fontem, Epiſcopalem videlicet ordinem, refuderit; Deus ſanctè, quam auguſtam eius ſpeciem, quam exaggeratam, & prope diuinam maieſtatem cogitatione comprehendet! Atque id in hoc, præter alia perquam innumera, longè maius & excellentius eſt, quod ſidera illa ſol mundanus illuminat, iſte autem facit: imo noſtra hæc aſtra, ſunt cœlum, & ab vnis Hierarchis, Hierarcharumque beneficio habet Eccleſia firmamentum.

*Iterum Epiſcopi cum Apoſtolis collati.*

Nam vt antiquum Apoſtolici Collegij exemplum repetam, ſolos hoſce Pontifices Chriſtus, ſolos Sacerdotes conſecrauit; ab ijs deinde ordinati Diſcipuli, conſtituti Seniores, ſeu Preſbyteri, electi Diaconi; effuſum denique in nobile caput conſecrationis vnguentum, ad oram veſtimenti, & vltimas fimbrias ſalutari amplitudine permeauit. Ignoſcite diuini Principes, amici ſponſi, contubernales Chriſti, qui ore ad os Verbo locuti eſtis, ſi neſcio quid etiam maius in Præſulibus noſtris deprehendo, quàm vos à Deo acceperitis. Siquidem Diſcipulorum numerus, delectus, inſtitutum, eius immediatè opus eſt; veſtrum, eorum conſecratio & miſſio. Noſtri autem Hierarchæ Diſcipulos faciunt, & quia Sacerdotium in illis ſine diſcipulatu eſſe non poteſt, eodem ſimul oleo vtrunque procreant.

*Omnes Epiſcopi poteſtate Ordinis æquales.*

Atque illud etiam habent Apoſtolis perſimile, quod illa Ordinis poteſtate pares inter ſe omnes, nihil in rebus humanis vident niſi minus, vel æquale. Siquidem quod eſt in Iuriſdictionis Hierarchia Petri ſedes; hoc in Ordinis Hierarchia ſtatus Epiſcopalis. Papa enim ipſe quid aliud eſt, ſpectato præciſè Ordine, quàm Romanus Epiſcopus? Quid Petrus vi Apoſtolatus, maius quàm Apoſtolus, Iuriſdictione ſupra cæteros, Ordine vnus ex omnibus? Audi S. Dionyſium, iam meritò noſtrum. *Ipſe diſcipulorum Princeps, cum decem condiſcipulis paribus & Hierarchis.* Quid S. Anacletus? *Epiſcoporum ordo vnus eſt, licet ſint Primates, illi qui primas ciuitates tenent.* Quid D. Hieronymus? *Vbicunque fuerit Epiſcopus, ſiue Romæ, ſiue Eugubij, &c. eiuſdem meriti, eiuſdem eſt Sacerdotij.* Quid denique Tridentinum? *Sacroſancta Synodus declarat, præter cæteros Eccleſiaſticos gradus, Epiſcopos qui in Apoſtolorum locum ſucceſſerunt, ad hunc Hierarchicum Ordinem præcipuè pertinere, & poſitos, ſicut idem Apoſtolus ait, à Spiritu Sancto regere Eccleſiam Dei.* Omnes nimirum ex æquo forum interius regunt, niſi quid ſupremæ poteſtatis cognitioni reſeruetur.

Dionyſ. c. 5. Eccleſ. Anac. ep. 3. Refertur diſt. 93. c. Legimus. Concil. Trid ſeſſ. 23. c. 4.

*Epiſcoporũ ordo eſt Perfectiuus. Act. c. 8.*

Eſt præterea in Apoſtolorum hiſtoria celebris illa Petri & Ioannis legatio ad Samaritanos, impoſitione manuum, & Spiritu Sancto donandos, quos iam antea Philippus Diſcipulus aqua regenerationis tinxerat. Oſtendit illa videlicet, Apoſtolorum & Epiſcoporum eſſe, perfectionem rebus aliunde iam affectis, addere, & diuinum Chriſtianæ ſanctitati colophonem imponere. Quamobrem Hierarcharum ordo Perficiens, proprio adiuncto dicitur à S. Dionyſio, & in Hierarchicis officijs, Illuminationem & Purgationem cum inferioribus communicat, Perfectionem autem vni ſibi reſeruat. Quomodo autem perficit? Sanè vt Apoſtoli, qui omnem à Protohierarcha edocti veritatem,

tatem, & diuino ebrij muſto hac illac perfluebant, eructantes abſcondita à conſtiturione mundi, & ſapienriam loquenres inter perfectos. Sic nomen Hierarchæ *diuinum quemdam virum dicit, omni ſacra ſcientia præditum, qui munera Hierarchia perficientia ſecretus à cateris, ac cum delectu exequitur, ſacrorumque diſciplinam interpretando tradit, ſanctumque ac conſentaneum eorum ſtatum, atque virtutem edocet.* Quapropter admirabilis Hierophanta noſter, Timotheum, cui ſcientiam tradit Hierarchiæ, priùs admonet, ne *ſacroſancti muneris Pontificij rationem cum alio communicet, niſi cum diuinis ſacrorum Perfectoribus collegis ſuis*, qui & ipſi profiteri debeant *ex instituto Pontificio, communicaturos ſe diuina cum diuinis ſolis, & ea quæ vim perficiendi habent, cum ijs qui perficiunt, & cum ſanctis ea quæ ſunt ſanctiſſima.* Vt vel hinc perſpicias, quàm aptè S. Dionyſij de Hierarchia tractarus, quaſi Pontificale, & ipſa Hierarchia, quædam veluti ſcientia, ſit à me nuncupara: quo-ve iure iam olim ſcripſerim, perfectionem Hierarchicum eſſe officium, ad quod implendum actibus ſtatui perſonæque congruis deuenlatur.

*Hierarcha quis ſit.*
D onyſ. c. 1. & 5. Eccl.

Hanc enim ſcientiam cum animò penitus combiberit Hierarcha, tum demum cognoſcet quem in alijs perficiendis modum tenete debeat: incipietque à tradendis noſtræ fidei myſterijs, ac tandem deſinet in ijſdem omni verborum ornatu, ſententiarum grauitate, ſenſuum profunditate explicandis, quod eſt *ſapientiam loqui inter perfectos.* Nam in Illuſtrationis myſterio deductum ad ſe Catechumenum diſcalceat, & expoliat per Diaconos, ad aquam per Sacerdotes admouet, ſed in ſacrum flumen ipſe demergit; ipſe oleo à Sacerdotibus oblato perfundit; ipſe profeſſionem vitæ quam aggreditur, ei ter explicat, ipſe Euchariſtia impartit. Illud verò nonne eſt initiatum fide, fideique myſterijs perficere? Quod autem iam prouectos, & Sacerdotum opera illuſtratos, pleniùs perfectiuſque diuina fide imbuat, docet ipſe conſecrationis titus, in quo vtrunque genu flexus, diuinis libris caput ſubijcit Pontifex, quoniam expiati, atque illuſtrati, *ad ſacrorum quæ ab eo aſpecta ſunt, ſcientiam, pro captu eorum, Pontificio munere efferuntur, eaque perficit eos qui producuntur ad integram conſecrationem.* In quibus & Monachotum ordo eſt *perficientis Pontifici cum ordinis ſtatum exprimere conatus: atque ſancta eorumdem ſcientia pro modo ſuo ad ſummam perfectionem euectus.* Quæ omnia breui oratione complexus S. Clemens, audiendum attentiùs Epiſcopum monet, *& ab eo ſuſcipiendam doctrinam fidei: Monita autem vitæ à Presbyteris inquirenda: à Diaconis verò ordinem diſciplinæ.* Hoc eſt externam fidelium diſpoſitionem, & modeſtiam in Diaconotum cura ineſſe, vt ſint illi tanquam Proſcholi quidam: virtutum actionumque moralium doctrinam, non ſanè reconditam & abſtruſam, tradi à Preſbyteris: fidei autem myſteria, & diuinos de Deo ſenſus à ſolis Pontificibus percipi.

*Quomodo tali à ab Epiſcopo perfectio.*
1 Cor. 2.
Dionyſ. c. 2. Eccleſ.
Ibid. c. 5. Eccleſ. in Contemp.
Ibid. c. 6.
Clem. epi. 3.

Quid igitur? Neque Preſbytero de fide diſſerere, neque Diacono agete Catechiſtam, neque ipſi Catechiſtæ rudimenta fidei tradere conceditur? Imo verò licet id quidem, ſed ſummiſſiùs, ſed ita vt omnes ab Epiſcopo pendeant, eiuſque illud auctorirate faciant; ſed ea lege vt Rationalis imaginatio ad Dianœam, hæc ad Mentem, quam hac in Hierarchia volo eſſe Epiſcopum, reducatur. Nam vt diſtinctiſſimè Concilium Toletanum, *Ipſe prædicta officia, & Ordines Eccleſiaſticos conſtituit: & dum præſit vnuſquiſque in ſingulis, hic tamen eſt præordinator in cunctis.*

*Alij agunt auctoritate Epiſcopi.*
Concil. Tolet. 8.

*In ſede Romana primatum fidei.*

Agatho epiſt. ad Conſtant. Pogo. quæ habetur act. 4 VI. Concil.

Cypr. epi. 45.

Hier. ep. ad Damaſ.

Et hanc quidem perficiendi virtutem, licet Ordo in Hierarchis omnibus vnam atque eandem eſſe velit; ſuo tamen iure Prima Sedes, in duabus, quas attuli partibus, primatum ſibi vendicat, vt vna ipſa ſit acropolis fidei, magiſtra Telerarum, informatrix Epoptarum. Decet enim explicari fidem ab ea præcipuè, *qua per Dei omnipotentu gratiam, à tramite Apoſtolica traditionis nunquam erraſſe probabitur, nec hæreticis nouitatibus deprauata ſuccubuit.* Quam hortatur S. Cyprianus *vt Eccleſia Catholica radicem; ac matricem agnoſcere ac tenere.* A qua ſola petit D. Hieronymus, quantus vir! vt ſibi *ſiue tacendarum, ſiue dicendarum Hypoſtaſeon detur auctoritas:* cum tamen eius controuerſiæ nodum & ſuopre ingenio ſatis peruideret, & ab S. Auguſtino, qui libros de Trinitate ſcripſit, nullo negotio poſſet perdiſcere. At nimirum cognitionem ſolam dediſſet S Auguſtinus, *auctoritatem* à Damaſo poſtulabat Hieronymus.

*Rituum Eccleſiaſticorum in eadem primatus & origo.*

Hier. l. de ſcript. Ecc. c 27.

Innoc. I. epiſt. 2 ad Victric.

Gela. ep. 9.

Hierarchicorum etiam rituum Romæ fontem eſſe, facto iam olim docuit Polycarpus, qui licet è primis Apoſtolorum diſcipulis, & *totius Aſiæ Princeps, propter quaſdam ſuper die Paſcha quaſtiones Romam venit, Eccleſiam in vrbe regente Aniceto.* Docuit & Victricius Rothomagenſis Epiſcopus, cui reſcribit Innocentius I. *Quia Romana Eccleſia normam ad auctoritatem magnopere poſtulaſti, voluntati tuæ morem admodum gerens, digeſtas vitæ & morum probabilium diſciplinas, annexas literis meis miſi.* Docuit & ſcripto Gelaſius, cum illibatam Canonum traditionem in ſede Apoſtolica conſeruari gloriatus, *ſatis indignum eſſe,* adijcit, *quenquam, vel Pontificum, vel ordinum ſubſequentium, hanc obſeruantiam refutare, quam B. Petri ſedem & ſequi videat & docere. Satiſque conueniens eſſe, vt totum corpus Eccleſiæ in hac ſibimet obſeruatione concordet, quam illic vigere conſpiciat, vbi Dominus Eccleſiæ totius poſuit principatum.* Idem longè poſtea VValafridus Strabo profitetur, de vnis quidem celebrandæ Miſſæ cæremonijs agens, ſed quod ad cæteros omnes ritus poſſit extendi. *Romani quidem,* inquit, *vſum obſeruationum à B. Petro Apoſtolorum Principe accipientes, ſuis quique temporibus quæ congrua iudicata ſunt, addiderunt: quorum morem ideo in ſacris rebus tam multæ gentes imitantur, quia & tanti magiſterij ex apice Apoſtolico primordijs clarent, & nulla per orbem Eccleſia æquè vt Romana, ab omni fæce hæreſeon cunctis retro temporibus pura permanſit.* Pergit deinde multa commemorare in ſacris ritibus à diuerſis Pontificibus aut inſtituta, aut reuocata. Quamobrem præciſè hoc ponit Radulphus Tungrenſis, *Canones à Romana Eccleſia matre noſtra nobis datos, amplecti præ omnibus, & præcipuè in Eccleſia officio imitari debemus, ita vt & hæreticus comprobetur, qui contra eam falſas, aut nouas opiniones & gignit, & ſequitur.* Facit nihilominus ad Eccleſiæ Gallicanæ laudem, quòd cum *ſacrorum officiorum inſtrumenta haberet non minima, ex ijs aliqua Romanorum officijs immixta dicantur.* Ex aduerſo autem *Cantilenæ perfectiorem ſcientiam, quam pene iam tota Francia diligit, Stephanus Papa cum ad Pipinum in Franciam veniſſet, per ſuos Clericos, petente eodem Pipino, inuexit, indeque vſus eius longè lateque conualuit.* Quanquam hanc cantus Eccleſiaſtici perfectionem, Carolo potiùs, quàm eius patri Pipino acceptam referre debemus, qui cum tertiò Romam profectus eſſet, ab Adriano Pontifice cantores duos peritiſſimos accepit, *quorum alterum Rex Metis, alterum Suſſionis collocauit, ac magiſtris ſcholæ omnibus in Francia edixit, vt ab eis diſcerent, ſuſque Antiphonarios illis corrigendos traderent. Similiter erudierunt Francos in arte organandi.*

Walafrid. Strabô l. de reb Eccl. c. 21.

Radulph. Tungr. li. de can. obſer. propoſ 7.

*Eccleſia Gallicana Romana aliquid conſulit.*

Ibid. c. 25.

*Cantus Eccleſiaſtici perfectio ab Eccleſia Romana.*

Eginh. in vita Caroli M.

*Alij alim*

Perfectionem eandem, generale Ordinis Epiſcopalis Hierarchicum munus,

nus, efficiunt inferiores quidam alij actus, quos in eo Apoſtolorum facto, cuius occaſione de Perfectione diximus, facilè deprehendes. *Hierarchici Epiſcopalis Ordinis.* Nam ſi Philippo Diacono, & è Septuaginta diſcipulis vno, baptizante, Spiritum Sanctum Samaritani non acceperunt: ſed Apoſtolorum aliquos mitti oportuit, qui manum imponerent baptizatis; nonne res ipſa loquitur, eſſe in ſacris ritibus & Sacramentis aliqua, quæ non à Diſcipulis, non à Senioribus, ſed à ſolis Apoſtolis, & Apoſtolorum ſucceſſoribus confici poſſint & expleri? Quæ ſint autem illa Leo Magnus edocet, & Toletanum Concilium iam ante productum, (S. Leo ep. 88. Concil. Toletan. 8. Damaſ. ep. de Chorepiſc.) & grata Franciſco Hallier Pſeudodamaſi Epiſtola; cuius eatenus ſaltem auctoritas ſalua eſſe poteſt, quatenus ex Canonum præſcripto, & Eccleſiaſticis regulis loqui ſe profitetur, quiſquis eius auctor eſt. *Ad Epiſcopum*, enim, *pertinet Baſilicarum conſecratio, vnctio altaris, confectio chriſmatis, Presbyterorum aut Diaconorum, aut Virginum conſecratio: ipſe per impoſitiones manuum fidelibus baptizandis, vel conuerſis ex hæreſi, paracletum Spiritum Sanctum tradere, chriſmate frontes baptizatorum ſignare, publicè in Miſſa pœnitentem reconciliare, formatas cuilibet Epiſtolas mittere poteſt ac debet. Quæ omnia ſolis deberi ſummis Pontificibus*, (hoc eſt Epiſcopis) *auctoritate Canonum præcipitur, vt per hoc & diſcretio graduum, & dignitatis faſtigium Summi Pontificis demonſtretur.* Eorum autem diſtinctionem, & aliorum quæ ſequuntur productionem, alteri occaſioni reſeruamus; nuda iſtorum enumeratione contenti, ne quis hoc loco Hierarchicorum actuum deſideretur.

---

## DE MEDIO HVIVS HIERARCHIÆ GRADV; *qui eſt ſecundi Ordinis Sacerdotum.*

### CAPVT VIII.

VT olim Perſæ ſolem cryſtallo incluſum adorarunt; ſic auguſtam Hierarcharum dignitatem, in Sacerdotibus, velut illorum quodam compendio, venerari pergimus. *Ordinis Sacerdotalis excellentia.* Sunt enim magni illius ſideris vitales radij, quos cum huc illuc benefica profuſione propagauit, quicquid grande cœlo continetur, in terras elicit, & homines Deo Hierarchica penitus coniunctione deuincit. Per illos tenebras diſſipat, noctem abigit, nebulas exhaurit, belluas ſpeluncis, homines operi reddit. Denique ſi ſolem, errore nimis hebeti, veteres pro Deo habuerunt, caſtigatior Chriſtianorum credulitas viuum diuinitatis ſymbolum ſemper agnouit: *Sic diuinus Pōtifex dum diuinæ ſuæ diſciplinæ lucentes radios largè in omnes explicat*, Deo ſimillimus eſt; (Dionyſ. c. 2. Eccleſ. in Contempl.) nec minùs poſt eum *Sacerdos eſt imago Chriſti: & cuius Chriſti? Nonne Dei & hominis? & quid efficiens? nonne diuina diſpenſans?* (Thom. Waldenſ. l. 2. doctr. fid a. 3. c. 75.) Vt enim Hierarchiæ Chriſtus, ſic *iſti fidelium caput, pars membrorum Domini prima ſunt.* Aureum ſanè caput, quod ſi *Regum fulgori compares, & Principum diademati, longè erit inferius, quàm ſi plumbi metallum ad auri fulgorem compares: quippe cum videas Regum colla, & Principum, ſubmitti genibus Sacerdotum, & exoſculata eorum dextera, eorum ſe orationibus credant communiri.* (S. Greg. l. 24. Moral. c. 16. Ambr. l. 1. de dignit. Sacerd. c. 2.) Vt Chriſtus *ſemel in conſummatione ſeculorum ad deſtructionem peccati per hoſtiam ſuam apparuit*: ſic iſti quotidie per eandem hoſtiam pro mundi totius peccatis apparent Deo. (Hebr. c. 9.) Vt Chriſtus oriens ex

Pſ. 106.

alro liberauit *ſedentes in tenebris & umbra mortis, vinctos in mendicitate & ferro.* Sic iſti Dæmonum tyrannidem, & ahenea peccatorum vincula perfringunt, capriuoſque homines in libertatem filiorum Dei aſſerunt. *Et omne quidem iudicium dedit Pater Filio: at hoc video à Filio totum Sacerdotibus eſſe commiſſum. Ac ſicut iam tranſlati in cœlum, & humanam extendentes naturam, atque à noſtris infirmitatibus liberati, in tantum euecti ſunt principatum, vt ea quæ operati fuerint Sacerdotes deorſum, & Deus confirmet in cœlis, ſententiamque ſeruorum Dominus ipſe corroboret.*

Chryſ. l. 3. de Sacerd.

Sacerdotalis Ordinis actus Hierarchici. Dionyſ. c. 5. Eccleſ.

Eſt autem *Sacerdotum ordo illuminatiuus, vt qui ſpectatum diuina myſteria introducit eos qui initiantur: ſubiectus Pontificum Ordini, & cum eo propria, ſuaque munera exequitur. Atque in ijs quidem quæ facit, diuina opera ſanctiſſimis ſignis & Sacramentis oſtendit, ſpectatoreſque eos qui accedunt efficit; ſed ad Pontificem remittit eos, qui diſciplinæ myſteriorum quæ aſpexerunt cupiditate ducuntur.* Dicas myſticos quoſdam Chiliarchos, admittendis ad ſpectandum Principem deſtinatos. Neque verò id tantùm habent in officio, ſed & ipſum Regem communi cum Hierarchis poteſtate cœlo deducunt: ſiquidem *ad Presbyterum pertinet Sacramentum Corporis & Sanguinis Domini in altario Dei conficere, orationes dicere, & benedicere populum.* Qua de benedictione fuſiùs ita præcipiunt Apoſtolicæ Conſtitutiones. *Presbyter benedicit, non benedicitur*, nimirum ab inferioribus officijs: ſtatim enim conſequitur, *Benedictionem accipit ab Epiſcopo, aut compresbytero: item dat compresbytero: manum imponit, ſed non ordinat, neque deponit.* Hæc omnibus communia: denique ſubditur iuriſdictio, eaque per delegationem & extraordinaria. *Excommunicat autem eos quos habet infra ſe, ſi huiuſmodi pœna teneantur.* Meliùs reddidiſſet interpres, *tranſgreſſores, ſi pœnam mereantur.* Quo verò cunque modo ea verba referantur, Iuriſdictionem exhibent, quam priora non poſtulant. Nam Ordinis poteſtate neque Epiſcopos inter ſe, neque Sacerdotes impares agnoſco.

Concil. Tolet. 8.

Conſtit. Apoſt. l. 8. c. 28.

Ἀφορίζει δὲ τοὺς ὑποβεβηκότας, ἐὰν ὦσιν ἄξιοι τῆς τοιαύτης τιμωρίας.

Sacerdotio præcisè non includitur iuriſdictio.

Hac de re iam quarto libro dictum, cum de ſucceſſoribus Diſcipulorum diſputaremus: monſtraremuſque præcisè Sacerdotio Iuriſdictionem in plebem non includi. Quod & ex abundanti probat Guillelmus Pariſienſis aptè ad ſecundum ſecundæ huius Hierarchiæ gradum, Secundi Ordinis Sacerdotes eos eſſe omnes, qui *quanquam conſecrationem habeant*, vt loquitur S. Leo, *Pontificatus tamen apicem non habent.* Putat igitur noſter Antiſtes *Sacerdotium, Ordinem eſſe duos habentem gradus dignitatis: & propter hoc ſecundi Ordinis Sacerdotes, id eſt, ſecundæ dignitatis in Ordine Sacerdotij, Sacerdotes inferiores vocatos eſſe.* Quod probat ex ipſa conſecrationis formula, in qua canit Eccleſia, *vt cum Pontifices ſummos* (legit Guillelmus *Sacerdotes*) *regendis populis præfeciſſes, ad eorum Societatis & operis adiumentum ſequentis Ordinis viros, & ſecundæ dignitatis eligeres. Et eſt*, inquit, *ſequens, expoſitio præcedentis: ita vt ſecundus Ordo dignitatis, intelligatur ſecunda dignitas in Ordine Sacerdotali.* Nec alij antea in ordinationis ipſius initio dicti ſunt *minoris Ordinis Sacerdotes*, oppoſiti Pontificibus. Quemadmodum in Synodo Romana ſub Symmacho, vbi dicitur, *nefas dictu eſſe, obligatione qua ſe connectit Summus Pontifex, eos homines ſecundi in Eccleſia Ordinis non teneri.* Quam oppoſitionem non animaduertit Franciſcus Hallier, cum eo vteretur Canone, ad ſtabiliendam falſam de ſecundi Ordinis Sacerdotibus opinionem, quos ſolos vult eſſe Parochos: Ego verò contendo nuncupationem illiuſmodi, quibuſuis ſub Epiſcopo Sacerdotibus conuenire: quæ & poſterior

S. Leo ep. 88.

Guil. Pari. l. de Sacr. in Ordin. c. 3.

Secundi Ordinis Sacerdotes.

Syn. Rom. 4. ſub Symmacho c. 6.

Refellitur Fr. Hallier in vindic. p. 565.

ſterior videtur eiuſdem eſſe Doctoris ſententia, quando in opere de Sacris Ordinationibus, vbi fuse Preſbyteros probat eſſe *ſecundi Ordinis Eccleſiaſtici Sacerdotes*, vno tantùm loco Curatos exprimit, & Preſbyteri vocabulo apponit, ſemel indicare contentus, Montanum Epiſcopum Toletanum definiuiſſe *Presbyteros Curatos ſecundo dignitatis gradu à Deo ſtatutos*. Quod vt nemo noſtrum negat, ſic neque Montanus id quibuſuis Sacerdotibus, etiam ſimplicibus, etiam Religioſis conuenire non negat: quemadmodum omnes Septuaginta ſenioribus & Diſcipulis ſuccedere, ſuprà monſtrauimus.

*Qui videtur mutare ſententiam*
l. de ſacr. ordin. p. 372.

---

*SUMMI ET SECUNDI ORDINIS SACERdotes inter ſe comparantur initio à charactere ducto.*

## CAPUT IX.

AUDIET iſta Petrus Aurelius, videbitque quod res ipſa dudum loquitur, *Epiſcopalem amplitudinem erroribus, contemptu, contumelijs, blaſphemijs*, per Ieſuitas non *conſpirari*: neque adeo illos *ſceptrum Epiſcopale interuertere, & ad ſe rapere, petulanti ludibrio auferentes Epiſcopis, Presbyteris addicentes*. Diſcet poſt hæc Franciſcus Hallier, qui tandem ſint ij *quorum intereſt; vt quia Epiſcopi & Paſtores eſſe non poſſunt, Presbyteri æquentur Epiſcopis, & obedientiæ Epiſcopalis ſuaue atque honorabile iugum à ſuis humeris excutiant*. Profectò ſi æquè facilis eſſet ac prona Epiſcopatuum, quàm Prioratuum collatio, nemini dubium foret *cui bono* iſta ſcribantur.

*Inſignis Petri Aurely calumnia* in vin. p. 618.
Ibi. p. 195.
Et Franc. Hallier in vin. admo. ad lector. p. 59.

In eo quidem Epiſcopi conſecratio, cum Sacerdotis inauguratione præclarè conuenit, quod vtraque fit eligentis numinis arbitrio, hominum ordinantium miniſterio, vt præter S. Dionyſium ac Patres, & ipſam Pontificalis formam, teſtatur omnium antiquorum recentiorumque inſtar vnus Petrus Aurelius, dum vult immediatè à Deo æquè omnes Ordinem accipere. De Pontifice quidem id disertè tradit S. Dionyſius, nominari à conſecrante, tanquam ab interprete diuinæ creationis: neque ipſum ſuopte inſtinctu, ſed Deo permouente conſecrationes celebrare; quod Aaronis, Matthiæ, & Chriſti ipſius exemplo comprobat. Atque idem de Sacerdotibus vult à nobis intelligi, qui poſt hæc, ritu ſalutationis expoſito, ſubijcit, *illa eſſe tota Sacerdotum conſecrationi communia*. Et in ea, quam ſuperius proferebamus forma, *viri ſecundæ dignitatis* à Deo dicuntur *eligi*, Præterea conſecratio vtraque ad ſacrificium refertur, tanquam ad τελετῶν τελετὴν, & caput myſteriorum omnium legis Euangelicæ, vt antea diximus ex Tridentino.

*In quo conueniat Sacerdos cum Epiſcopo.*
Dionyſ. c. 5. Eccle. in Contemp.

Verùm ſpectatis Pontificiæ inaugurationis cæremonijs, ſeu quæ faciunt, ſeu quæ manifeſtant eius à Sacerdotali diſcrimen; expenſis & ſupremæ dignitatis actibus Hierarchicis, qui ad Sacerdotis miniſterium delabi non poſſunt, fateri oportet, quod nemo vnquam negauit Catholicus, alium eſſe Epiſcopi, quàm Sacerdotis characterem, dignitate ſuperiorem, poteſtate ampliorem, miniſterio aliqua ex parte ſanctiorem. Mea quidem nihil intereſt, aliquid-ne phyſicum, an morale tantùm alter alteri ſuperaddat. Diſſident enim à Theologis Canoniſtæ; ambos Gerſon Cancellarius, vt bonum virum decet ita conciliat, vt velit, Epiſcopatum nouam Hierarchicam inferre po-

*Charactere Epiſcopi perfectior eſt charactere Sacerdotis.*
Gerſ. l. de poteſt. Ecc. conſid. 3.

> Hallier de ſacr. ordin. 2. P. ſect. 1. c. 1. a. 1. §. 3. 4.

teſtatem ſupra Sacerdotium, at non nouum ordinem; quia in verum Chriſti corpus non poteſt ampliùs.

> *Vterque cũ Baptiſmi & Confirmationis charactere confertur.*

> Guil. Pari. l. de ſacra. c. vnico. de Confirm.

Vis illud poteſtatis auctarium, conferte cum Baptiſmi & Confirmationis conſecratione; vt Epiſcopalis character, cum Sacerdotali pro rata portione congruat, quemadmodum Confirmationis character, cum Baptiſmi? Licet. Nam pari modo Epiſcopus, vt alterum ſanctitate afficiens, Sacerdotem antecellit, quo Confirmatus Baptizatum, quoad propriam iuſtificationem. Neque te ab hoc ſenſu repellat Guillelmi noſtri dictum, Confirmationis Sacramentum, *diuinitus inſtitutum eſſe, propter viuere ad alterum*. Id enim ſolùm innuere cupit, validiorem ab eo reddi hominem ad externos ſuæ virtutis hoſtes, & gratiæ prædones in communi cæterorum vita propulſandos.

> *Character Epiſcopalis dici poteſt maior in ſubiecto radicatio.*

Vis idem complementum appellare maiorem in ſubiecto radicationem? Et hoc licet: vt quemadmodum qualitates quæ altiſſimas in ſubiecto radices egerunt, ſi patiuntur, aduerſatijs fortiter obſiſtunt; ſin agunt, vehementer in contrarias impetum faciunt, iiſque debellatis earum ſubiectum iure belli ſibi vendicant: ſic Epiſcopi & Sacerdotis characteres actiui, paſſum aggrediantur, & non quidem ſibi, ſed Deo ſimile reddere ſtudeant, ille validiùs, citiùs & perfectiùs, quia magis infixus animæ, illamque ſæpius, & generoſiùs ad agendum extimulans. Vnde mirum non eſt effectus produci nobiliores, & primam cauſam propinquiori ſimilitudine referentes. Placet hæc tibi actiuarum qualitatum comparatio? Totam ediſſero, & gratiam in natura, vt in terſiſſimo ſpeculo, tibi oſtendo.

> *Qualitatum actiuarum fuſior expoſitio.*

Agit per ſe calor, ſiccitatem tamen ſibi adſciſcit tanquam aciem, & mucronem. Is à ſole in ignem primò elementarem, deinde in aërem deuoluitur, & vtroque tanquam vicario, ſalutare ſidus vtitur ad vitam aſpectabili mundo dandam conſeruandamque. Sol ergo luminis & caloris fons eſt; ignis vtrunque primus occupat, calidus, & ſiccus, ideoque maximè actiuus: aëri autem calorem communicat, ſed iam hebetiorem, vt qui non ampliùs ſiccitati, ſed potiùs humori coniunctus obtunditur. Ad eum modum Sol iuſtitiæ noſtræ Chriſtus, & vniuerſalis Thearchicus, præcipuos ſibi ſubſtituit Vicarios duos, Epiſcopum primò, tum per eum, & ſub eo Sacerdotem; illis virtutem Ordinis, alterius ſanctificatiuam, conſtantem & permanentem elargitur: (alterius dico; nam effectiuæ qualitates in ſubiecto in quo inſunt nihil conficiunt.) Eam Epiſcopus quaſi lucentem, & ardentem accipit, quia non eſt quælibet Ordinis, ſed excellens, & Epiſcopalis virtus, & velut quædam ἐντελέχεια. Lucet enim per ſe qui per ſe docet, qui Sacerdoti dat vim illuminandi, Diacono purgandi, nec eſt in Eccleſiaſticis muneribus, *qui ſe abſcondat à calore eius*. Sacerdos autem ab eo participatam haurit; & profectò diuerſam, imperfectiorem & obtuſiorem, licet vitalem: quia viuifico illi calori deeſt ſtimulus, & quaſi acies, ſiccitas. Hæc enim, quod addendum eſt, non animat vitaliter, imo non tam agit, quàm modum tribuit caloris actinitati. Sic Epiſcopi character, non tam eſt aliquis per ſe primò à Sacerdotali ſeiunctus, quàm eius modus, & complementum. Vnde fit vt ordinari non poſſit Epiſcopus ante Sacerdotium, licet fortaſſe poſſit, vt pleriſque Theologis videtur, Ordinem Diaconi præterire.

> Hall. l. de ſacr. ordin. a P. c. 1. a. 1. §. 4. 5.

> *Characteris vtriuſque differentia exemplo monſtratur.*

Sed ne circumueniri ſe queratur Aurelius, dum ignota lingua loquimur; idem diſcrimen in Moyſe & Septuaginta viris propono. Deus populum regebat

bat per Moyſen, plena & perfecta ad officium fungendum poteſtate prædictum: cuius denique laborem ſubleuaturus Septuaginta Seniores congregari ab eo, & applicari ſibi iubet. Hæc electio licet libera Moyſi relicta videatur, diuinitus tamen anticipata erat. Illos igitur adducit Hierophantor ad Tabernaculum, & *aufert Deus de ſpiritu qui erat in Moyſe, & dat Septuaginta viris*: non quidem imminuto Moſis dono, quaſi deciſæ particulæ in homines plurimos diſtribuerentur: ſed ea ipſa gratia, cuius plenitudinem & hactenus habuerat Moyſes, & adhuc conſeruabat, illis minùs plenè perfecteque communicata. Sic creaturas dicimus participes eſſe, aut habere partem infinitæ illius perfectionis, quam Deus totam in ſe continet. Sic Epiſcopus cum acceperit plenitudinem poteſtatis Ordinis, eius partem aufert Deus, Sacerdotibus tradit, ab ipſomet Principe congregatis, Deoque applicitis. VValdenſis denique illum enarrans S. Chryſoſtomi locum, quo dicitur inter Epiſcopos & Presbyteros *non multum eſſe medium; quoniam illi ab iſtis inthronizatione ſola*, id eſt, loco & dignitate diſtant: eam quæ tradita eſt à nobis, doctrinam non incongrua imagine proponit. *Epiſcopus*, inquit, *comparatur ad ſimplicem Sacerdotem in eodem ordine, quemadmodum vir prouectius ad iuuenem in eadem humanitate. Iuuenis enim homo eſt, quia iam peruenit ad terminum incrementi, & poteſt producere ſibi ſimile ad commodum ſpeciei. Sic Sacerdos ſimplex poteſt in Patrem Eccleſiæ conſcendere, vt factus quaſi vir Ordinis, plures per manus impoſitionem propaget Sacerdotes.*

Num. c. 11.

*Alia Epiſcopi & Sacerdotis comparatio ex* Th. Wald. l. 2. doctr. fi. 1. 2. 3. c. 60.

Quæ omnia Catholicam demonſtrant veritatem, Epiſcopum & Presbyterum vi ſuæ ordinationis non habere eandem, nec æqualem omnino poteſtatem, non tantùm Iuriſdictionis, ſed etiam Ordinis: definiente poſt Concilia omnia Tridentino, *Epiſcopos ſuperiores eſſe Presbyteris, & poteſtatem quam habent, non eſſe illis cum Presbyteris communem.* Cum enim de Ordinis Hierarchia loquantur Patres, de ea poteſtate ſunt intelligendi.

*Epiſcopus vi ordinationis, maior Sacerdote.*

Concil. Trid. ſeſſ. 23. cap. 4. can. 7.

---

## EADEM COMPARATIO PER ACTUS *Hierarchicos ducitur.*

## CAPUT X.

VT olim Romani Prætorem Conſulis Collegam, licet magiſtratu inferiorem; ſic Eccleſia Presbyterum Epiſcopi Collegam vocare non dedignatur; quando monet Epiſcopum, vt *in Eccleſia quidem, & in conſeſſu Presbyterorum, ſublimior ſedeat, intra domum verò Collegam ſe Presbyterorum eſſe cognoſcat.* Imo verò eum illi honorem deferri iubet, vt *Epiſcopus quolibet loco ſedens, ſtare Presbyterum non patiatur*: niſi forte in Concilijs, vt alibi vidimus. Nihilo tamen minùs Epiſcopis inferiores in actibus Hierarchicis ſemper extiterunt, etiam tum cum Epiſcoporum & Presbyterorum communia erant nomina, vt proximè citatus VValdenſis fusè comprobat. Ordior à ſacrificio, in quo, ſi quæ eſt, videtur æqualitas.

*Honor Presbyteris delatus ab Epiſcopo.*

Concil. Cartha. 4. can. 35.

Ibid. c. 34.

Poteſtatem in verum Chriſti corpus accipit ab Epiſcopo Sacerdos, non à Sacerdote Epiſcopus: neque fuit vnquam in Eccleſia ſecundi Ordinis Sacer-

*Epiſcopi & Sacerdotis poteſtas in*

*Verâ Chriſti Corpus.*

dos, qui aliter à Deo poteſtatem illam acceperit, quàm per Apoſtolos, & eorum ſucceſſores. Atque illud ipſum ſacrificium peragit eo loco & altari, quod Hierarchica tantùm conſecratione in vſus illos dedicari poteſt. Hic benedictionem impartitur populo Epiſcopus ter efformata cruce, vt plenitudinem benedictionis ſignificet. Sic autem populum ſalutat, *Pax vobis*, cum ea oratione tunc ſolùm vtatur Sacerdos, cum dominicum corpus manu complectitur. Offert in altari Epiſcopus, offert & Presbyter; ſed ille vt Princeps & pater ſuæ familiæ, hic ab eo delegatus. Quare coram Epiſcopo conſecrare non poteſt, niſi iubente illo, vt infra dicetur, neque niſi percepta ab eo benedictione, vt iubent Rubricæ. Denique ſi quid à Deo eſt impetrandum, & cum eo contractus velut ineundus, Hierarcha proprio munere & nomine bonum familiæ procurat, agit cum Deo, contrahit & paciſcitur; id verò Presbyter qui adiutor eſt Epiſcopi, & veluti mater, tantùm ſub Epiſcopo facere poteſt; & quaſi auctoritate ab eo accepta.

V. Alcuin. l. de diuin. offic. c. de celeb. Miſſæ. Micrologo. l. de Eccleſ. obſeruat. c. 21.

*Vtriuſque poteſtas in Corpus Chriſti Myſticum.* Epiphan. hær. 75. Hebr. c. 7.

De corpore autem myſtico quid dicam auguſtius, quàm quod S. Epiphanius docet hæreſin Aërij retundens, Epiſcoporum Ordinem (non Iuriſdictionem) ad gignendos patres præcipuè pertinere; Presbyterum cum patres non poſſit, aut magiſtros, tantummodo filios Eccleſiæ, lauacro regenerationis producere. Nimirum *ſine vlla contradictione, quod minus eſt, à meliori benedicitur.* Hoc igitur accipiet beneficium ab Epiſcopo Presbyter: illi autem quia poteſtas Ordinis nulla ſuperior in terris eſt, duo vel tres Epiſcopi, ex Apoſtolica inſtitutione, manus imponent, vt æqualitas poteſtatis, numero ſuppleatur. Sic in domo poteſt fortaſſe mater familias ex commiſſione Patris œconomum inſtituere, hic autem inferiores miniſtrorum gradus eligere. At matrem ipſam in adminiſtranda familia ſociam & adiutricem, ſolus pater aſſumit. Exceſſit hic è viuis? Tutorem & actorem, & ciuilem patrem in eius vicem nemo vnus, non mater, non liberi; ſed parentum & conſanguineorum cœtus inſtituit.

*Reconciliatio publica, opus Epiſcopi.* Concil. Cartha. 2. can. 3. & 4. Zonar. in can. 6. Concil. Carthag. Socrat. l. 5. hiſt. Eccl. c. 19.

In Sacramento autem Pœnitentiæ, ſi quem ligat Epiſcopus, quis eum ſoluat Presbyter? Quis ad vllam partem Sacramenti, aut ſacrificij eo nolente, vel inconſulto admittat? *Nec reconciliare quemquam in publica miſſa Presbytero licet:* nec niſi conſulto Epiſcopo, *etiam periclitantem eius præcepto reconciliare permittitur.* Eius rei cauſam affert duplicem Zonaras: *quibus enim ligandi, iiſdem & ſoluendi poteſtas permiſſa eſt. Solerti præterea iudicio eſt opus, vt an ex animo doleat qui peccauit, an ſatis adhuc ſupplicij luerit inueſtiges, ad quæ prouidenda minus idoneus forte Sacerdos fuerit.* Harum prior ratio de publica pœnitentia, in qua verſamur, intelligenda eſt, quanquam nec omni ex parte de iſta; ſiquidem Pœnitentiarium Sacerdotem hiſtoria Nectarij mihi obijcit, quem ligandi, hoc eſt imponendæ pœnitentiæ poteſtate inſtructum video; ſoluendi ſeu reconciliandi non item. Poſterior autem prudentiam & ſolertiam tantùm poſtulat, quam in Presbytero non deſiderari, vel etiam ſupra Epiſcopum excellere, nihil prohibet. Itaque cum animo meo non ſatisfaciat Græci ſcriptoris illa commentatio, malim in primis priorem ampliùs explicando, dicere, actu illum externæ Iuriſdictionis ſupremũ eſſe, ſua videlicet auctoritate hominem vel pœnitentiæ publicæ ſubijcere, vel eundem à fidelium communione excindere, & à cœtu ſanctorum in miſerrimum exilium amandare. Nam *excommunicatio, Mucro Epiſcopi eſt,* Ioanni Papæ. Auguſtino autem, *damnatio quam facit*

*facit Epiſcopale iudicium, qua pœna in Eccleſia nulla maior.* Et verò filios hæreditario iure priuare, non matris, ſed patris vnius eſt. Quamobrē cum ſolus ex αὐθεντίᾳ ſic vinciat, liberetque Epiſcopus, cum interioris etiam fori iuriſdictio ab Epiſcopis in Preſbyteros tota promanet, quo iſti iure *minorum Epiſcoporum* nuncupationem mereti dicuntur? Huc accedit altera ratio, quòd Pœnitentes, ſint quidam quaſi ordo in Eccleſia, in quo hominem conſtituere, aut ex eo conſtitutum educere, eius tantùm eſſe videtur, qui Eccleſiam ordinat: hæc autem ordinatio vnius eſt Epiſcopi prærogatiua.

*Excommunicatio munꝰ eſt Epiſcopi.* 16. q. 2. c. Viſis. Augu. l. de corrept. & grat. c. 15. refertur 2. q. 3. c. Corripiantur.

Ad eam pertinet miniſtrorum inſtitutio, quæ ſic vni Epiſcopo conuenit, vt Preſbyterorum & Diaconorum ordinatione, Chorepiſcopis interdictum eſſe velint Concilia Ancyranum & Antiochenum. Quia tamen iſtud, id ab eis fieri permittit, volente ſinenteque Epiſcopo; & iam olim duo Chorepiſcoporum genera diſtinximus; ex iiſdecretis quid ſolus Epiſcopus in poteſtate habeat, quid communicare poſſit non ſatis intelligimus. Hoc igitur ſentire oportet, Preſbyterorum conſecrationem, vt ante dictum, non ab alio, quàm Epiſcopo fieri poſſe. De Diaconis dubia res. Ioannes enim Maior eorum refert opinionem qui *aliquos aiunt Ciſtertienſis ordinis Abbates habere ex priuilegio, quod poſſint omnes ordines conferre, ſacros & non ſacros, dempto Sacerdotio.* Subdiaconos & inferiores, à Chorepiſcopis ordinari non improbat Canon Antiochenus, modò citatus. Neque abnuit Concilium Tridentinum Abbatibus, ac alijs quibuſdam exemptis Tonſuram, & Minores Ordines conferendi ius olim fuiſſe conceſſum. Quod ab illis ſine Epiſcopi examinatione fieri poſſe docet ex Nauarro Zerola, idque de Religioſis Abbatibus, non de Commendatarijs intelligendum; vt ſciant aduerſarij, quo loco Theologus Antiſtes; Monachos hoſce in Hierarchia potuerit collocare.

*Miniſtrorū ordinationem communicare poteſt Epiſcopus.* Concil. Ancy. can. 13. Antioc. can. 10. Ioan. Maior in 4. diſt. 7. q. vnica. *Quod priuilegium datum ab Innocent. 8. Bulla Expoſcit. anno 1489.* Concil. Trid ſeſſ. 23. c. 10. de reform. Zerola 1. P. Pr. Epiſ. V. Abbas.

## DE CONFECTIONE ET VSV CHRISMATIS *tum Presberis communicato.*

§. I.

CONFECTIONEM ſanctiſſimi chriſmatis ab Hierarchica manu neceſſariò proficiſci perpetuus Eccleſiæ vſus edocet, cum nullo vnquam tempore, nullo quod ſciam caſu, vis & poteſtas eius componendi conſecrandique, Preſbytero vlli ſimplici data eſſe legatur. Oleum quidem infirmorum extraordinaria, & delegatâ poteſtate à Græcis Sacerdotibus benedici, rite atque ex antiquo vſu probat Petrus Arcudius. Sed illud chriſma non eſt: de quo nullum eſſe diſſidium alibi agnoſcit idem, inter Græcos & Latinos Patres, quin à ſolis Pontificibus conſecretur. Memini præterea eius priuilegij quod à Stephano Iuniore olim Fulrado S. Dionyſij Abbati conceſſum ante retuli, in quo lego hæc verba. *Sed & tabulas, & chriſma ſimiliter conſecrandi vobis licentiam tribuimus.* Cuius dicti, ſi quam libro ſuperiore protulimus, alicui fortaſſe non placet explicatio, & hanc poteſtatem ab Epiſcopo ad alium aliquem tranſire poſſe præfractè affirmet: ſententiam is ſuam circumſtantijs plurimis mitigare poterit, vt Abbatem adeo celebris Monaſterij, cui Ponti-

*Chriſmatis confectio ſolius Epiſcopi eſt.* Petr. Arcud. l. 5. c. 2. Idem l. 2. c. 5. *An conceſſa fuerit Abbati S. Dionyſij. à Stephano 2. in priuileg. eiuſdem Monaſterij.*

fex ille impenſè addictus erat, ipſum Franciæ Archipreſbyterum, Regis Capellanum, qui Epiſcopalem dignitatem recuſabat, plus aliquid quàm ſimplicem Sacerdotem eſſe contendat; atque iſtud ipſum exemplo carere adijciat, vt hac etiam admiſſa exceptione, ſua conſtet Epiſcopali Ordini hac in re auctoritas. Et fortaſſe non inutili coniectura legendum alicui videri poſſit, *tabulas per chriſma conſecrandi*: quemadmodum in Ciſtertienſi priuilegio ante producto, poſſunt Abbates illi altaria ſeu nouata, ſeu reſtaurata conſectare.

*Solus Epiſcopus oleum Catechumenorum ſuis impenſis ſuppeditat.*

Concil. Cabilon. 2. can. 16.

*Nihil dent Presbyteri chriſma accepturi.*

Concil. Aquiſg. 2. ſub Ludouico Pio. can. 5. c. 1.

*Nullus miniſtrorum exigere præſumat.*

*Cenſus annuus Epiſcopo à Preſbyteris dari vetitus.*

Tam enim eſt ea conſecratio Epiſcopo peculiaris, vt ne Cathecumenorum quidem oleo conficiendo, ſũptum vllus alius ſuppeditare poſſit. Sic olim Gallicana decreuit Eccleſia, ſublato abuſu, quo *bini vel quaterni denarij à Presbyteris exigebantur*, Cabilonenſi Concilio, *Omnes vno conſenſu ſtatuimus, vt ſicut pro dedicandis Baſilicis, & dandis ordinibus nihil accipiendum eſt, ita etiam pro Balſamo, ſiue luminaribus emendis, nihil Presbyteri chriſma accepturi dent. Epiſcopi itaque de facultatibus Eccleſiæ Balſamum emant.* Cumque nihilominus procedenti tempore, pretium aliquod chriſmati quorundam auaritia poſuiſſet, ſtatutum denuo ſub Ludouico Pio, Concilio Aquiſgranenſi, *vt nullus Epiſcoporum, vel miniſtrorum ipſorum, deinceps pro diſtributione ſacrorum ordinum, pro dedicatione ſanctæ Eccleſiæ*, (idem puta de ſacris altaribus) *ſeu pro acceptione ſacri chriſmatis, vel pro immutatione titulorum, aliquid exigere præſumat: & qui fecerit; conuictus, canonicæ ſubiaceat diſciplinæ.* Ita Maiores noſtri religione quàm opibus, animo quàm arca locupletiores, immunes ſe ab illo ſordido quæſtu præſtabant, cum illud etiam decernerent, *Inuentum eſt quod in quibuſdam locis Presbyteri duodenos, vel quaternos denarios Epiſcopis in cenſum annis ſingulis darent; quod penitus abolendum eſſe cenſuimus.* Non eſſe autem exigui momenti eiuſmodi integritatem, docet Petrus Arcudius doctus & grauis ſcriptor, qui è manuſcripto codice Vaticano, vnam illam è cauſis diſſidij, Orientales inter & Occidentales affert, quòd quomodo in Oriente cæteri modò Epiſcopi chriſma non conficiunt, ſed ab Conſtantinopolitano confectum accipiunt, qui character eſt ſuperioris poteſtatis, ita olim nec illud ipſe Conſtantinopolitanus conſecrabat, ſed à Pontifice Romano conſecratum accipiebat, vnde abuſus ortus, & *ſuperba nimis exactio Legatorum Papæ: dicebant namque referentes, quòd quando Capellani Summi Pontificis, ab ipſa ſede Apoſtolica annuatim Conſtantinopolim chriſma deferebant, niſi octuaginta libræ auri à clero & populo vrbis, præter alia dona & munuſcula eiſdem impenderentur, non recedebant.* In quod deinde malum Græci ipſi, Romanis nihilò ſanctiores inciderunt, narrante eodem Arcudio, *nonnullos illorum in Ruſſia, paruam ampullam chriſmatis, ducentis aureis vngaricis vendidiſſe.* Tanti refert oculos & manus inſontes habere!

Concil. Cabil. 2. cit. can. 17.

*Chriſmatis venditio cauſa diſſidij Eccleſiæ Græcæ à Latina.*

Petr. Arc. l. 2. c. 9.

*Confectio chriſmatis ſignum ſupremæ poteſtatis.*

*Vſus chriſmatis aliquando Sacerdotibus conceſſus.*

Dionyſ. c. 5. Eccleſ.

Ἀλλ' ὅμως τὴν θεοειδῆ ... [illegible]

Vſum autem ſcimus certis ex cauſis, priuatis Sacerdotibus non ſemper denegatum. De vnctione verticis in diuini ortus Sacramento, aperta res: atqui olim illa ipſa à ſolo Pontifice peragebatur, vt docet Georgius Pachymeres S. Dionyſij enarrator, ad eum locum, vbi ſanctus Hierophantor ait, *etſi à Sacerdotibus quædam ex venerandis ſymbolis perficiuntur, nunquam tamen deiſicam generationem, Sacerdotem ſine diuino vnguento perfecturum.* Quem ſenſum ſic interpretatur Pachymeres, ritum & mentem auctoris ſequutus, non verba; *neque Baptiſmum Presbyter perfectè abſoluit: opus enim erit Pontifice, qui baptizatum*

chriſmate

*chriſmate inungat, quippe hic antiquus mos fuit.* Quod intelligi de Confirmationis myſterio non poteſt, cum ſine eo Baptiſmum perfectum eſſe, etiam in hodierna Eccleſiæ conſuetudine nemo neget. Itaque ſi vera narrat Scholiaſtes, Hierarcharum beneficio vſus ille ad Presbyteros tranſijt. Pergit autem diuinus Dionyſius, prærogatiuam Hierarchæ ſupra Sacerdotem aperire ex vſu chriſmatis; *nec diuinæ ſynaxeos Sacramenta perficiet, antequam ſymbola communicatiua in ſacrum altare impoſuerit. Quin ne Sacerdos quidem erit ipſe, niſi Pontificijs perfectionibus ad id delectus fuerit.* Hoc ait, neque Sacerdotem fore, niſi ab Hierarcha chriſmate inungatur, nec ſuper altare incruentam hoſtiam immolaturum, niſi ſit illud ſacro vnguine per Hierarcham delibutum. *Itaque diuina inſtitutio ſacram Hierarchicorum Ordinum cæremoniam, diuinique vnguenti confectionem, atque ſanctam altaris conſecrationem, diuinorum Pontificum efficacibus facultatibus ſingulari munere attribuit.* Factum inde vt ſuccenſeat Leo Papa, Galliæ & Germaniæ Epiſcopis, quod frequenter Chorepiſcopos, vel Presbyteros deſtinarent, qui abſente Pontifice altaria erigerent, baſilicaſque conſecrarent: eiuſque peccati cauſam in Canonum ignorantiam reijcit. Sed cum illam nimis frequentem, citra neceſſitatem, prudentiamque præſumptionem, in exemplum non traxeris; agnoſces tamen ſaltem apud barbaras gentes Pontificum Romanorum indulgentia, ob Epiſcoporum penuriam conceſſum non rarò viris Apoſtolicis vſum chriſmatis, quem liberiorem eius confectione Canones ſemper eſſe voluerunt. Neque dubito quin alij Religioſorum Ordines eo gaudeant priuilegio, quod poſtremis nobis Paulus III. Ordinis noſtri parens cumulatiſſimè conceſſit, vt Socij noſtri *in remotiſſimis locis, quæcunque Eccleſias, hoſpitalia, & alia pia loca, prout expediens fuerit, erigere, ac nunc & pro tempore erecta reformare, ſine alicuius præiudicio, & veſtes Sacerdotales, pallas, corporalia, calices, altaria, cæmeteria, (ſi Epiſcopus qui ea faciat, Catholicus mihi non adſit) benedicere, ac profanatas Eccleſias reconciliare poßint.* Scio equidem condonata horum pleraque nonnullis: ſed neque calicum, neque altarium video fieri mentionem, atque illa excipi, *in quibus chriſma interuenit.* At hoc ſublato, quæ ſupereſt calicis & altaris benedictio? aut ſi altaris nuda erectio permittitur hoc diplomate, quid tandem noui accipiunt quibus iam datus eſt vſus antimenſij, ſiue altaris portatilis?

[Greek marginal note, partly illegible: χρεία γὰρ ... ἀρχιερατικῆς ... χρίσμα ... ] Pachy. in eum locū. — S. Leo ep. 88. — *Priuilegium Societatis IESV conceſſum à Paulo 3. Bulla Licet debitum, an. 1549.* — Compend. Priuileg. Min. V. Benedicere Eccleſ.

## *DE CONFIRMATIONIS SACRAMENTO*
### *pauca quædam parcè libata.*

§. II.

IN CONFIRMATIONIS quoque tradendo Sacramento probabiliter cenſent plurimi grauiſſimique ſcriptores, Sacerdotis ſimplicis operam adhiberi poſſe, diſpenſatione & commiſſione Pontificia. Suntque qui Arauſicanum Canonem eo traducant, *hæreticos in mortis diſcrimine poſitos, ſi deſit Epiſcopus, à Presbyteris cum chriſmate & benedictione conſignari.* Quod de baptiſmali vnguine minùs intelligi poſſe, & hæreticorum nomen vniuersè poſitum, & ipſum conſignationis vocabulum, & Epiſcopi mentio, & mens Concilij non admodum obſcurè declarant. Hoc à S. Dionyſio ſignificari, multis probat

*Probabile eſt Confirmationem poſſe per Pōtificem Summum committi Presbytero.* — Concil. Arauſic. 1. can. 1. vel 3.

Petrus Arcudius: idemque hoc ab Innocentio III. Latinis ſolis Conſtantinopoli agenribus, non autem Græcis interdictum eſſe teſtatur. Hanc eſſe D. Thomæ & vniuerſæ eius ſcholæ ſententiam, agnoſcunt omnes. Reperies & ex Theologis non paucos, qui pro illo actu Preſbyterum à Pontifice Summo fieri putant Epiſcopum; quæ opinio, & idem quod ſuperior eloquitur, & ſi quid in illa latet incommodi, non minorem Hierarchicæ operationis iacturam præ ſe fert. Denique cauſam hanc definiuiſſe mihi videtur Alenſis, Sacerdotem quidem id propria auctoritate non poſſe, *Sed pro cauſa vtili, vel neceſſaria*, inquir, *Summus Pontifex, in quo eſt plenitudo poteſtatis, poteſt alij quàm Epiſcopo committere, & ille non facit auctoritate ſua, ſed auctoritate ſibi commiſſa: unde ille potiùs facit, cuius auctoritate fit*: quæ eſt omnium commiſſionum & delegationum natura. *Unde non eſt dubium, quin Pontificalis auctoritas ſit de neceſſitate huius Sacramenti.*

Petr. Arc. l. 2. c. 25. D. Th. 3. P. q. 72. a. 11. Heru. in 4. diſt. 4. q. 2. Capre ibi. q. 2. Dom. Soto ibid. q. vnica. a. 11. Vict. de Sacr. q. 50. Caiet. in 3. P. Rich. de Medina in 4. diſt. 7. a. 2. q. 2. Ant. Andr. ibid. q. 4. Bacon ibi. q. 4. Dion. Carth. ibi q. 5. Aineo q. 2. a. vnic. Micha. de Palat. ibid. diſ. 4. con. 4. Marſil. ibid. q. 5. a. 3. concl. 3. Ruar. Tap. tom. 2. q. 12. §. 1. dif. Suar. tom. 3. in 3. P. q. 72. diſ. 36. ſect. 2. Ioan. Prep. in 3. P. q. 72. a. 11. dub. 2. Gamaſ. in 3. q. 69. c. 8. concl. 3. de Sacram. Confirm. Aueni. 4. P. q. 9. n. 5. a. 1. § 3.

At verò Franciſcus Hallier, licet ab hac opinione non remotiſſimus, ſtudio tamen contradicendi, primo VVicleffi errorem profert: Quod ſimplex Sacerdos ſufficiens ſit miniſter Confirmationis. Qui articulus neque in Conſtanrienſi Concilio reperitur (cuius ſeſſionem 8. citat Doctor, & Suares ait tantùm colligi poſſe ex 26. articulo.) Neque ſi eſſet expreſsè damnatus, contra ſententiam communem quicquam promoueret: cum VVicleffus omnem Iuriſdictionis, & Ordinis differentiam ex Eccleſia tolleret: velletque proinde Sacerdotem ſimplicem tam eſſe ordinarium Confirmationis miniſtrum, quàm Epiſcopum, quod nemo vnquam Catholicus aſſeruit. Deinde VValdenſem nobis citat, teſtem *erroris Ægyptiorum circa Sacramentum Confirmationis*. Quo id loco? *Tom. 2. c. 112.* Imo Suares vnde ſumpſit, rectè notat *c. 114.* Quid vero ibi? Armenios Sacramentum Confirmationis negare. Quid iſtud ad rem noſtram, & propoſitum miniſtri Confirmationis? Cur Ægyptios pro Armenijs nominas? Quia ſic Typographus Suaris excudit. Tanti nimirum fuit fontem conſulere, ne te Suaris liber deciperet.

Opinionem autem contrariam, cum aliqui recentium Theologorum temeritatis damnent, poſt Florentini Concilij decretum, in quo diſertè ſcribit Eugenius, *Legitur tamen aliquando per Apoſtolicæ Sedis diſpenſationem, ex rationabili & vrgente admodum cauſa, ſimplicem Sacerdotem chriſmate per Epiſcopum confecto, hoc adminiſtraſſe Confirmationis Sacramentum.* Vt eam illa nota purget, idem qui ſemper Petrus Aurelius, emblemate perquam alieno, plurium auctoritatem Doctorum aduocat: inque eo catalogo, vt non magis chronologum ſe, quàm Theologum eſſe demonſtret, è ſeptem viris quos nominat, non plures duobus poſt Florentini Concilij tempora producit. Doctor autem Hallier iterum ſubtiliùs reſpondet, à Florentino *non aſſeri in hoc diſpenſatum fuiſſe, ſed legi diſpenſatum.* Nimirum cum dicere ſolemus, legi in S. Athanaſio talem fuiſſe Arij hæreſim: legi in Nicephoro ſic fuiſſe celebratum tale Concilium: non hoc dicimus verè extitiſſe, ſed nos tantùm legiſſe verè. Quæ hæc Grammatica? Cum addit Pontifex id factum *legi ex rationabili vrgente admodum cauſa*: non hoc intelligit factum eſſe; quod ſi factum non crederet, ab eo referri non debuerat, aut certè relatum contemni.

*Fr. Hallier opinionem illam VVicleffo malè attribuit, in vindic. p. 206.* Pet. Aurel. in vindic. p. 136.

*Excurſus in neceſſitatem Confirmationis.*

Decreueram equidem ab Anglicana controuerſia, tanquam vetitis cibis manum abſtinere, ſed ad Aureliana pulmentaria promulſis hæc nimis benignè nos inuitat. Quàm ſit neceſſarium Confirmationis Sacramentum ad

parandam

parandam homini Chriſtiano ſalutem, docet ſatis ſuperque D. Thomas, & eius familiæ Dominicus Sotus, Couarruuias, & alij. Quid perfectionis Baptizato conferat; docuit primùm S. Clemens Romanus, ea Epiſtola quam Franciſcus Hallier malè ſcriptam ait, ad Iacobum Fratrem Domini; hominem *conſignari ab Epiſcopo, quia aliter perfectus eſſe Chriſtianus nequaquam poterit, nec ſedem habere inter perfectos.* Deinde latinus Antiſtes S. Cyprianus; *Tunc enim demum plenè ſanctificari, & Filij Dei eſſe poſſunt, ſi Sacramento vtroque naſcantur.* Quid addat roboris ad fidem fortiter coram tyranno profitendam, magnificè declarat Guillelmus meus, Chriſtianum vt Regem in toga coronatum, in ſago galeatum procedere: regij ac Sacerdotalis honoris Sacramentum ob eminentiam ac celſitudinem ſuam, in vertice; at Confirmationis, propter bellicæ ſtrenuitatis audaciam in fronte ſignari: aduenire ad Epiſcopum Baptizatos, tanquam vnicornes. *Nam ex virtute Sacramenti iſtius noua virtutis cornua fronti interiori Confirmatis inſeruntur, quibus erumpant & ventilent inimicitias, & opprobria Chriſtianæ profeſſionis; de quibus dictum videtur, Exaltabuntur cornua iuſti.* Sanctitate baptiſmali regenerationis, quaſi modò genitos, *non ſtatim mittendos ad fortia certamina laborum, antequam induantur virtute ex alto, quod facere eis conſueuit diuina clementia in Sacramento Confirmationis. Propter quod à Paſcha, vbi Baptiſmus quondam generaliter celebrari ſolebat in Eccleſia; nec ieiunia indicuntur, nec alia laborioſa, vſque ad Pentecoſten, quo die Apoſtoli Spiritum Sanctum acceperunt ad robur.* Poſſe quidem *ſtare ex fortitudine baptiſmali in loco quieto & pacato, non autem in medio fluminum & ventorum. Et quemadmodum veſtimentis ab iniurijs aëris protegi quis poterit, non autem à ſagittis & iaculis: ſic ex virtutibus baptiſmalibus ab illis tentationibus, quæ velut iniuriæ aëris à carne & mundo pluuntur, quodammodo protegi poſſumus; nequaquam autem ab hoſtibus, ſed armatura neceſſaria eſt:* vt Sacramentum baptiſmi ſit ad veſtiendam animam, Confirmationis ad armandam.

Ad effectum illum deueniri ordinariè, per regiam ſacræ Confirmationis viam: ea tamen quomodolibet omiſſa, vel animi infirmitate, metu tyrannorum amiſſo robore, alijs quibuſdam medijs generalibus, vt oratione feruida, vt Euchariſtiæ participatione reparari aut ſuppleri poſſe, copioſè admonet S. Cyprianus, qui perſecutione iam iamque imminente, lapſis, atque adeo effectu Confirmationis non bene vſis, reddendam cenſet Eccleſiæ pacem, & communionem, *vt quos excitamus & hortamur ad prælium, non inermes & nudos relinquamus; ſed protectione Sanguinis & Corporis Chriſti muniamus. Et cum ad hoc fiat Euchariſtia, vt poſſit accipientibus eſſe tutela; quos tutos eſſe contra aduerſarios volumus, armemus.* Cui poteſt addi fortis illa ad Thibaritanos adhortatio. *Portemus fortiter ſcutum fidei, muniantur aures, ne audiant edicta feralia; muniantur oculi, ne videant deteſtanda ſimulacra; muniatur frons, vt ſignum Dei incolume ſeruetur; muniatur, os vt Dominum ſuum Chriſtum victrix lingua fateatur, armemus & dextram; gladio ſpiritali, vt ſacrificia funeſta fortiter reſpuat; & Euchariſtiæ memor quæ Domini Corpus accepit, ipſum complectatur.*

His explicatis, à Petro Aurelio primùm poſtulo, quid ſibi velit illa in Theologicis ſpatijs adhuc inaudita propoſitio, *media generalia non ſufficere, niſi particularia eis adiungas.* Nam ad reprimendos carnis aſſultus, & Angelum Sathanæ coërcendum, ſola ſe vſum oratione teſtatur Paulus. Per frequentem Euchariſtiæ perceptionem, plurimos è ſanctis hominibus ſcimus, nihil à

D. Th. 3. P. q. 72. a. 1. Dom. Sot. in 4. diſt. 7. q. vnic. a. 8. Coua. l. 1. Var. c. 10. n. 5. Zambr. in deciſ. c. 2. de confir. dub. 4. Victori. de ſacr. q. 48. Nauarr. in Man. c. 22. n. 9. Ruar. Tapp. tom. 2. a. 13. §. iſta autem. Clem. epi. 4. Hall. in vin. p. 47. Cyprian. epi. 72. *Vis Sacramenti Confirmationis ex Guill. Pariſ. l. de ſacr. c. vnico. de Confirm.*

*Effectus ille poteſt aliquando ſuppleri per media generalia.*

V. Henr. l. 3. de Confir. c. 1. n. 6. Mich. de Palatio in 4 diſt. 7. diſp. 3. Præp. in 3. P. q. 72. a. 1. pub. 3. n. 13. Bona. diſp. 3. de Confir. q. vnica. p. 2. propoſ. 1. Cyprian. ep. 54. Idem ep. 56

*De medijs generalibus malè philoſophatur.* Pet. Aurel. in vindic. p. 128.

Deo non impetraſſe. Neque ſi orario in genere vrilis eſt ad obrinendum quicquid perirur, intelligere poſſum, cur ſi quid peculiariter per eam poſtulo, eamque ad id determino, non cenſeatur ſatis efficax ad illud obtinendum, ſine medij alterius adiectione.

*Malè & de Confirmationis inſtitutione.* Ibi. p. 124. Matt. c. 26. *Quo tempore Sacramentum Confirmationis Chriſtus inſtituerit.* Fab. ep. 2. Bellarm. l. 2. de ſacr. c. 8. Concil. Senon. an. 1528. decr. 12. de Cõfi.

Deinde, quantam vim argumento illi rribuendam eſſe putet: Chriſtus quando Apoſtolos monuit vigilare & orare, Sacramentum Confirmationis adhuc non inſtituerat: ergo orario non eſt medium ſpecialirer inſtitutum ad tentariones ſuperandas. Volo mihi oſtendi, quæ porro ſit inter iſta connexio, quomodo conſecutionem probarurus ſit, ſi qui negent? Er verò iure perquam oprimo negabunt Philoſophi; Anrecedens eriam aliqui Theologi. Nam cum in horto Chriſtus iuſſerit Apoſtolos vigilare, & orare; in Cœna iam antea Sacramenri Confirmarionis mareriam & formam inſtituerat, vt à Fabiano Papa memoriæ proditum eſt, idque Conciliorum aliquot auctoritate probare viderur Bellarminus. Aut ſi Gallicanam mauis doctrinam, Sacramentum iſtud à Chriſto inſtirurum, aiunt Patres Concilij Senonenſis, *cum paruulis manus imponeret*. Conſulet igitur Confirmationis originem, cum orationis neceſſitarem ad ſuperandas tenrationes volet eleuare.

*Malè de Eccleſia ſenſu circa effectum Confirmationis.* Ibi p. 129.

Præterea vbi legerit, eſſe *contra perpetuum Eccleſiæ ſenſum*, arbitrari, *per generalia media, vt orationem & Euchariſtiam, poſſe Confirmationis effectum, ſine Sacramento obtineri*? Nam vt ea non reperam quæ modò proruli, ſi quis id de Confirmatione dicat, quod de bapriſmo & pœnitentiâ negare non poteſt, contritionem vtriuſque Sacramenri votum includere, ſi defuerit eius ſuſcipiendi opportunitas, & eius vtriuſque effectum ſortiri: ſic orationem ardentem, & plenam diuini amoris Euchariſtiæ ſuſceptionem, in voto Confirmationis, ſpiritale robur acquirere: ſi quis, inquam, animi graria, quanquam & nouum, & non neceſſarium dixerit, hærebit vt arbitror Aurelius Theologus, Grammaricus obmuteſcet.

*Aurelij contradictio* pag. 142. & 153.

Quarrus næuus eſt, leuior ille quidem, ſed Aurelianæ leuitatis index certiſſimus, an ſecum ipſe habiter, cum dicit, *vſque ad noſtram ætatem, nullam inter Theologos controuerſiam fuiſſe* de neceſſitate Confirmationis in articulo fidei profitendæ: cum tamen inferiùs reperat, & expendat Gerſonis verba, ab auctore Spongiæ cirata, *Teneri Chriſtianum non contemnere, præſertim imminente periculo confeſſionis Chriſti faciendæ coram infidelibus.* Quæ oſtendunt illam ſuperioribus ſeculis auditam fuiſſe inter Theologos quæſtionem, quam, vt cæteras, ingeniis, vt euenir, pugnanribus venrilaram par eſt credere, licet *ea controuerſia* minùs illuſtris extiterit. Id verò non cenſeret Aurelius, ſi vel vnus Michaël à Palario in eius manus veniſſet, à quo hæc eadem quæſtio aduerſus Scotum, Paludanum, Silueſtrum diſceptatur. Nec noſtræ penitus eſt ætatis Ruardus Tapper, qui & ipſe in hac quæſtione verſatur.

*Vetus controuerſia de neceſſitate Confirmationis.* Michaël à Palat. in 4 diſt. 7. diſ. 3. Ruard. Tapp. tom. 2. a. 12. § ſi iſta autem.

*Aurelij hallucinatio ſupina in citando.* pag. 143.

Quinta quæſtio eſt, cur ram fœdè in producendis ſcriptoribus hallucinetur. Nam probarurus ſine peccaro Confirmationem omitti non poſſe, ſic argumenratur, imo ſic loquirur (nam myſticum quid ſonant eius doctoris verba) *illi ipſi qui eam nulla lege præceptam exiſtimant, tamen notabilem in ea ſuſcipienda negligentiam, mortalem eſſe fatentur, vt patet ex Emmanuele Sa Ieſuita, non ſolùm, inquit, contemptus (Confirmationis) ſed etiam notabilis negligentia mortalis eſt. In quam ſententiam citat Sotum, Toletum, Suarem.* Notatur & locus in margine *Emman. Sa. verb. Confirmatio.* Quæ omnis in citando auctore *Negligentia,* non

non tantùm *notabilis*, ſed intolerabilis & *mortalis* in Aurelio eſt. Enimuero quomodo Toletum, & Suarem potuit Emmanuel Sa citare, quos ætate præceſſit? Deinde auctor breuitatis, ſi quis vnquam, amantiſſimus, cur duobus aphoriſmis id quod ego retuli, atque illud aliud quod producit Aurelius, edidiſſet, cum vno, eoque curto, ſatis complecti vtrunque potuerit? Quid igitur, inquiet commotior Aurelius, hoc quod attuli non eſt Emmanuelis Sa dictum? Non eſt, Petre Aureli, non eſt: ſed Commentatoris Andreæ Victorelli, quem ab auctore ſeiungere debueras, & cæcitati præcipitantiæque tuæ paulùm admoderari. Sed aliud alterius cuiuſdam modi, peccatum Lector accipe.

Eodem ipſo locò conſequenter Ægidius Conink, aliàs Regius, citatur ab Aurelio, more impotentium dominorum, qui cum ſerui opera ſunt vſi, eum calcibus abigunt. Videtur enim doctori illi Ieſuitæ, omiſſio huius Sacramenti abſque iuſta cauſa, vix abeſſe à peccato veniali, quia prodigalitatis cuiuſdam in magnis bonis, & auxilijs ſpiritalibus ſpecies eſt. Arripit rationem Aurelius, & ex ea mortale peccatum eſſe pronunciat, quia *prodigalitas non poteſt non eſſe notabilis, cum verſetur in re notabili*. Acutum Theologum, & qui omnes Inſtitutionum Moralium, alioſque Caſuum conſcientiæ libros meritò contemnat! nouum ex orbe ignoto doctorem, qui toties lethalem nobis noxam imponat, quoties honeſtum aliquod opus, nullo imperatum præcepto prætermittimus. Niſi forte cum Seguenoro dicturus eſt, *opera conſilij vbi inſpirata ſunt, & applicata huic & illi perſonæ, eſſe obligatoria, & tranſire in vim præcepti*: quod dictum Schola Pariſienſis exploſit. Dic autem hominum ſubtiliſſime, putas vllum ſpiritale bonum exiguum eſſe, non ſaltem *quinque aut ſex aureorum millibus æſtimandum?* Augmentum gratiæ, mereri gradum vnum, gloriæ particulam, quæ res inter homines pretioſa, quæ totius Oceani gemmæ, quæ opes Regnorum, & Imperiorum omnium exæquent? Itaque qui Laïcus audiendo, qui Sacerdos faciendo quotidie Sacro, qui Sacramentali confeſſione, celebrando diebus non imperatis ieiunio, eroganda obuijs omnibus egenis eleemoſyna, frequentanda contemplatione, per meram incuriam abſtinet, quantùm boni prodigit, quantùm ſpiritalis lucri negligit? Tu ipſe Aureli, bona fide, nihil tibi per negligentiam elabi permittis? omne bonum opus, & fragmenta ipſa colligis, ne pereant? Quæ didiciſti, quæ noſti, quæ potes commodè, imo commodiſſimè, bona omnia ſpiritalia tibi comparas? Annuis? Salue ſanctorum ſanctiſſime; cereum ego tibi, & radiatum diadema offeram, ſi cognoſci dignabere. Negas? ô te prodigum hominem! ô nepotem ſpiritalem! ô peccatis lethiferis perpetuò oneratum & obrutum!

*Noua & incredibilis Aurelij theologia.*

Claud. Seguenot. notis ad l. S. Augu. de S. Virgi pag. 45.

## DE VIRGINVM ET VIDVARVM BENEdictione ab Epiſcopo olim fieri ſolita.

## CAPVT XI.

*Virginum commendatio.*
Ignat. epi. ad Antio.
Cypr. l. de habit. virg.

LICEAT etiam mihi feliciore excurſu, cum Ignatio Martyre *ſalutare collegium Virginum, & cœtum Viduarum.* Virgines præcipuè, quæ iam olim dictæ ſunt S. Cypriano *flos Eccleſiaſtici germinis, decus atque ornamentum gratiæ ſpiritalis, læta indoles, laudis & honoris opus integrum atque incorruptum, Dei imago reſpondens ad ſanctitatem Domini, illuſtrior portio gregis Chriſti. Gaudet per illas atque in illis largiter floret Eccleſiæ matris glorioſa fœcunditas; quantoque plus copioſa virginitas numero ſuo addit, tantò plus gaudium matris augeſcit. Qui igitur*, vt piè vereque ait Annalium ſcriptor

Baron. ad ann. 57. n. 57.

eruditiſſimus, *virginitatis ſublimem in Eccleſia ſtatum impugnant, eos non Apoſtolorum, vel Apoſtolicorum virorum, ſed Ebionis atque eius gregalium partes tenere quis dubitat? Catholici enim quotquot fuerunt, eiuſdem ſacri germinis fœcunditate ſunt mirum in modum gloriati.* Vt iuſtiſſima Catholicis omnibus viſa ſit, quemadmodum pijs & veritatis amantibus iucundiſſima aduenit, nupera Facultatis Theologicæ Pariſienſis cenſura, *doctrinam illam, qua* Seguenotus Gallicus paraphraſtes atque ſcholiaſtes libri D Auguſtini de ſancta virginitate *dicit, puritatem & caſtitatem eorum qui vtuntur coniugio, tantam eſſe, quanta eſt puritas & caſtitas virginum, & cœlibem vitam agentium; illoſque habituros meritum virginum; futuroſque non ſolum æquè ſanctos, & perfectos, verùm etiam æquè puros & caſtos; ſapere hæreſim.* Hæc igitur excurſio & virtutum ſuauiſſimam veris ornabit laudibus: & Epiſcopalis curæ non vltimam portionem ſeruabit; quando virginum conſecrandarum poteſtatem ab antiquo ſuam eſſe totam Hierarchæ voluerunt: & Ordinis Hierarchiam non parum adiuuabit: & pugnantes inuicem vſus in Eccleſia vetere, atque antiquam, vt videri poteſt, Canonum *ἁρμονίαν* conciliabit. Virgines enim ab Epiſcopis ſolis velari, nonnunquam à Preſbyteris legimus; viduas velare ne ipſis quidem aliquando Epiſcopis permittitur; cum tamen velatas fuiſſe alicunde diſcamus.

Seguenot. notis ad li. Auguſt. de S. Virg. p. 122.

*Virgines non conſecratæ.*

Virgines ſine velo, ſine conſecratione, ſolo animi propoſito, & voto integras, & olim vidit, & etiamnum habet Eccleſia, obnoxium iniuriæ genus, & nullis præſidijs ad refellendos inſidiantium hoſtium impetus ſatis tutum, nedum ſecurum. Hoc indicat qui nobis illas offert Innocentius I. dum decernit eas *quæ necdum ſacro velamine tectæ, tamen in propoſito virginali ſemper manere promiſerant, licet velatæ non ſint, ſi forte nupſerint, his agendam aliquanto tempore pœnitentiam eſſe, quia ſponſio earum à Deo tenebatur.* Quod decretum renouauit Concilium Turonenſe, non facturum profectò, niſi frequentes lapſus & ſcandala perurgerent. Huius formæ arbitror pleraſque fuiſſe earum, quas Græci *συνεισάκτους* appellarunt, S Hieronymus Agapetas, quæ in illo caſtitatis voto, cum viro eiuſdem propoſiti, & ipſo *μονάζοντι καὶ συνεισάκτῳ* quaſi ad curandam illius domum, & viciſſim præſidium in negotijs ab eo accipiendum, *eadem domo, vno cubiculo, vno ſæpe tenentur & lectulo: & ſuſpicioſos nos vocant*, inquit S. Hieronymus, *ſi aliquid extimemus.* Has idem appellat *meretrices vniuiras.*

Inno. I. ep. 2 ad Victricium.
Concil. Turon. 2. c. 20. habetur 27. q. 1. c. hæ verò.
*Virgines cohabitantes cum viris, à Patribus reprobatæ.*
Hieron. ep. 22.

*vniuiras*. Et S. Gregorius Nazianzenus *ſolitarios* eiuſmodi *viros non viros*: & mulris vtroſque ſubſannat ſugillatque aureum eloquentiæ flumen fundens S. Chryſoſtomus. Magnus autem Baſilius hanc in Preſbytero Gregorio conſuetudinem ferre non poteſt, monetque, vt coïnductam ſuam in Monaſterio collocet, & interim virorum vtatur obſequio. Hunc enim ſacrilegæ libidinis fomitem, aut certe præſens inuitamentum, magno ſemper amore virtutis antiqui Patres exagitarunt. Quare cum eadem peſtis auctore Priſcilliano afflaſſet Hiſpaniam, in eius remedium Patres Concilij Bracarenſis decreuerunt, vt nullus Clericorum vel Monachorum *aliquas adoptiuas fæminas ſecum retineat, & cum ipſis cohabitet, ſicut Priſcilliani ſecta docuit*. Hæc igitur ſanctæ profeſſionis opprobria, laruas virginitatis prætermittens, ad eam accedo virtutem, quæ in tuto collocata, Angelis citima, Deo proximas facit incorruptionis priuilegio.

*in vñ ſtuerunt ſain ta ad ſegn ..., ad legin ... ipſa..* Greg Naz. orat. in non. domi. Chryſ. ad eos qui habent coïnductas. Baſil. ep. ad Gregor. Vide Petr. Arcud. l. 7. c. 39. Concil. Bracar. 2. c. 15.

Scutum hoc, velum eſt; propugnaculum, Epiſcopalis cuſtodia. Velorum ſacrorum plures ſpecies faciunt Doctores. 1. Velum continentiæ ſeu obſeruationis; vt appellat Sylueſter, quod Conuerſionis dicere maluit Durandus; quod videlicet femina, maximè vidua, *de ſeculari vita ad religionem tranſiens, aſſumit*. Religionem intelligo vidualis ſanctimoniæ profeſſionem, quæ olim coram Epiſcopo mutatis veſtibus fiebat, vt in Arauſicano 1. ſcribitur; *viduitatu ſeruandæ profeßionem, coram Epiſcopo in ſacrario habitam, impoſita ab Epiſcopo veſte viduali indicandam*. Notanda vox, *coram Epiſcopo*, non, per Epiſcopum: quaſi teſtem Hierarcham, non auctorem requirat ea profeſſio, quæ ne benedictione quidem ſanctificatur, vt ex Turonenſi 2. diſcimus. *Illud verò quod aliqui dicunt, vidua quæ benedicta non fuit, quare non debet meritum accipere? Cum omnes ſciant quòd nunquam in canonicis libris legitur benedictio vidualis, quia ſolum propoſitum illi ſufficere debet*. Et tamen quæ ſic veſtem mutauerint, Sanctimoniales dictæ Concilio Toletano. *Sanctimoniales verò quæ iam mutato habitu ſeculari, ſub religioſo cultu in conſpectu Sacerdotis, vel Eccleſiæ apparuerunt*. Veſtem hic lego, & habitum: at non velum: & tamen velatas fuiſſe docet Nicolaus I. in Gratiano. *Viduam quæ capiti ſacrum velamen impoſuit, ſi inter cæteras velatas feminas in Eccleſia orauerit, & oblationes cum illis obtulerit; ſi profeſſa eſt ſe in eodem habitu permanere, ſpondens nunquam religionis velamen deponere, à religionis obſeruantia negat poſſe diſcedere*. Eſt igitur velata inter cæteras; & quidem velo religionis, quod tamen ab Epiſcopo neque benedictum, neque datum eſt, ſed ex altari ſumptum, ſi credimus Doctori Hallier; qui in eius rei confirmationem Aurelianenſe incertum, & Triburienſe Concilia profert. Quorum ego fidem penes auctorem eſſe cupio. Nam in Triburienſi hoc tantùm lego, *viduam quæ ſponte velamen, quamuis non conſecratum, ſibi impoſuerit, & in Eccleſia inter velatas* (caſtitatem ſuſcepto velo profeſſas) *oblationem Deo obtulerit, velit nolit ſanctimoniæ habitum vlteriùs habere debere, licet ſacramento confirmare velit, eo tenore & ratione velamen ſibi imponere, vt iterum poßit deponere*. Ex quibus verbis intelligo, cæterarum coram Epiſcopo velatarum, velum benedictum & conſecratum fuiſſe: has autem à ſe ipſis ſua auctoritate velatas, profano tantùm obnubi velamine. Sed illud ipſum tamen, vt notam ſanctitatis votiuæ, perpetuum eſſe; indeque à fortiori, deduco nunquam ab alijs coram Epiſcopo profeſſis fuiſſe depoſitum. Prætereain Pariſienſi Concilio reprehenſos video Preſbyteros, qui *incautè & extraordinariè velum viduarum*

*Velum multiplex.* *Velum conuerſionis.* Syluest. in ſum. 3. P. V. Conſecratio. Durand. l. 2 Ration. c. 1. n. 45. Concil. Arauſic. 1. can. 27. *Sine Hierarchica benedictione.* Concil. Turon. 2. can. 10. *Viduæ ſanctimoniales.* Concil. Tolet. 4. c. 55. 27. q. 1. c. Vidua. *Velata.* Halli. l. de ſacr. ordin. p. 507. Concil. Trib. c. 25. *In perpetuum.* *Velo conſecrato.* Concil. Pariſ. 6. c. 40.

*Preſbyteris permiſſu Epiſcopi.*

*inconſultis Epiſcopis conſecrarent*. Vnde colligo & velum illud conſecratum fuiſſe, & à Preſbyteris conſecrari potuiſſe, conſultis priùs Epiſcopis: vt illam viduarum conſecrationem Epiſcopali auctoritati reſeruatam, at non characteri, fuiſſe diſcamus.

*Velum probationis.* Sylu. cit.

Religionem etiam intelligo, Monaſterij ingreſſum & virginibus & viduis communem, in quo velum eſt quod probationis appellat Syluester, à Durando autem prætermittitur: quod, vt conſtat, ponentibus tirocinium datur, coloris vt plurimùm albi. Cui adiungendum omnino eſt, velum Profeſſionis, quod nuncupatione votorum emerentur Sanctimoniales. De hoc equidem, mores noſtros ſpectando, idem quod de ſuperiore pronuncio, non ſine Epiſcopi auctoritate, ſaltem tacita, at non ſemper ab Epiſcopo ipſo debere conferri. Et in eum ſenſum traduco Concilij Carthaginenſis decretum, *vt Presbyter inconſulto Epiſcopo virgines non conſecret: chriſma vero nunquam conficiat*. Quod & modò videmus Preſbyteris committi; & ab ordinum Religioſorum Prouincialibus, ſimilibuſque Prælatis, Epiſcopalem quaſi Iuriſdictionem habentibus, vulgò tradi. Quare definit Suares ordinarium conſecrationis illius miniſtrum, ſi forte non ex primitur, certè ſemper intelligi Epiſcopum.

*Epiſcopi auctoritate confertur à Presbyteris.* Concil. Carth. 3. can 36. Suar. to. 4 de Relig. tr. 9. l. 1. c. 11. n. 12.

## *DE VELO CONSECRATIONIS omnium nobiliſſimo.*

### §. I.

*Velum Conſecrationis omnium nobiliſſimum.* *Viduis dari prohibitum* Gelaſ. c. 13. Capitul. Aquiſg. c. 59. Zachar. in Capitul. c. 6 habetur tom. 1. Concil. Gall. *Benedictum ab Epiſcopo.* Hier. ep. 8. Concil. Nicæn. 2. act 4 *Collatum ætate matura.* In append. Capitul. l. 1. c. 115. 21. q. 1. Virgines non velentur. Capit. Ludou. Pij l. 1. c. 107.

PRÆTER iſtud, ptiora ſecula nobile aliud viderunt velum conſecrationis, quod in vſu modò eſſe deſijt, proüt illis temporibus conferebatur; cui aliquo modo ſucceſſiſſe credendum ſuperius velum profeſſionis. Hoc illud eſt eximium flammeum, tanta vi ſacræ facundiæ ab antiquis Patribus prædicatum, quo ſolæ obnubuntur Virgines, non viduæ, non impetu barbarico defloratæ, vt eæ ſolæ candore illibato ſpectabiles *ſequantur agnum quocunque ierit*. Equidem non video quid aliud adferri poſſit ad eorum Canonum explicationem, qui viduas velari, ab ipſis etiam Epiſcopis prohibent, niſi Virginum velum ab corruptarum capitibus velint abducere. *Viduas autem velare, Pontificum nullus attentet, quod nec auctoritas diuina delegat, nec Canonum forma præſtituit*, inquit Gelaſius Papa. Quod decretum renouans Zacharias *viduas ſcribit ſub nulla benedictione velandas*. Cum tamen velatas fuiſſe, & conſecratas ſuperiùs retulerimus. Hoc velum Virginum, benedictione Sacerdotali conſecratum legimus in S. Hieronymo: *Scio quod ad imprecationem Pontificis, flammeum virginale ſanctum operuerit caput*. Qui eodem loco *vilem tunicam, vile pallium* Virginis conſecratæ nominat, vt de S. Euphemia Chalcedonenſi martyre, in actis Concilij Nicæni ſecundi refertur, *adſtabat Virgo pulla veſte, & pallio philoſophiam profeſſa*. Hic habitus niſi matura ætate non traditus ſexui admodum lubrico; ſic decernente Carolo Magno, *vt infantulæ ætatis puellulæ non velentur, antequam eligere ſciant quid velint*. Annos ætatis conſtituit S. Pius Papa. *Virgines non velentur ante viginti quinque annos ætatis, niſi forte neceſſitate periclitantis pudicitiæ virginalis*. In Capitulari Ludouici Pij, decretum hoc ad Concilium Africanum refertur, vt non ante viginti quinque annos conſecrentur.

crentur. Hoc autem *pudicitiæ virginalis periculum*, ita explicatur. *Item placuit, vt quicunque Epiſcoporum neceßitate periclitantis pudicitiæ virginalis, vel cum petitor potens, vel raptor aliquis formidatur: vel ſi etiam aliquo mortis periculoſo ſcrupulo compuncta fuerit, ne non velata moriatur, aut exigentibus parentibus, aut his ad quorum curam pertinet, velauerit Virginem, ſeu velauit ante 25. annos ætatis, non ei obſit Concilium, quod de iſto annorum numero conſtitutum eſt.* Addit Imperator obſcuriora verba explanans. *Vnde colligitur, quia iuxta priorem ſanctionem, Virgines 25. ætatis ſuæ anno rite conſecrandæ ſint. Quod ſi præmiſſæ neceßitates ante id fieri compellant, nullum poßit afferre præiudicium conſecratio.* Eodem loco, *ne pueri ſine voluntate parentum tonſurentur, vel puellæ velentur, modis omnibus prohibitum eſt.*

*Etiam anticipatur in periculo pudicitiæ virginalis.*
Ibid. c. 108.

Huic porro conſecrationi adhibitos ritus auguſtos, & quaſi nuptiales, ex iiſdem Concilijs & Patribus habemus. Nam ſolennes dies in conſtitutione Pij Papæ deſignantur, *& non ſunt conſecrandæ, niſi in Epiphania, & in albis Paſchæ, & in Apoſtolorum natalitijs, niſi cauſa mortis vrgente.* Ea in cæremonia Dauidicum Epithalamium occini ſolitum, teſtis eſt S. Hieronymus & *apophoreta velationis*, tanquam è nuptiali conuiuio miſſa, ſcribit D. Auguſtinus ſe accepiſſe. Quid enim aliud ritus hic, quàm cœleſtes nuptiæ, *ſpiritale nubendi hoc genus eſt, in nuptias ſponſi, iam venerant voluntate & profeßione ſua, & vt ſecularibus nuptijs ſe renunciaſſe monſtrarent, ſpiritali ſponſo ſoluerant crinem, iam cœleſtes celebrauerant nuptias*, inquit Optatus. Hinc profectum illud Innocentij I. decretum, *quæ Chriſto ſpiritaliter nupſerunt, & velari à Sacerdote meruerunt, ſi poſtea vel publicè nupſerint, vel ſe clanculò corruperint, non eas admittendas eſſe ad agendam pœnitentiam, niſi is cui ſe iunxerant, de ſeculo receſſerit.* Seruata eſt vbi plures eſſent conſecrandæ, in ordine dignitatis aliqua prærogatiua. Nam S. Genouefæ virginis & Patronæ noſtræ vita fideliter ſcripta, oblatas ſimul cum illa duas alias annotat, ætate ſuperiores, quibus Genouefam Epiſcopus antetulit, *neſcio quid in ea latentis gratiæ animaduertens, ante alias conſecrationi, vel benedictioni eam iußit offerri.*

*Ritus conſecrationis quaſi nuptiales.*
Tom. 1. Concil. In Pio Papa i habetur 20. q. 1. Deuotis. ex Gelaſio.
Hier. ep. 8.
Augu. epi. 179.
Optat. Mileuit. l. 6.
Inno. I. epi. 2. c. 12. habetur 27. q. 1. Quæ Chriſto.
Vita S. Genouef. c. 3. apud Sur. 3 Ian.

Iſtis nuptijs, ſanè Angelicis, proxenetam, & Paranymphum fuiſſe vnum & ſolum Epiſcopum, qui cum Apoſtolo *deſpondet vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto*, docent innumeri Canones. Epiſcopum, inquam, non electum & confirmatum, ſed conſecratum, & plenè perfecteque Hierarcham. Adeo ſancta res eſt Virginitas, vt id in Ordinis, non ſimpliciter in Iuriſdictionis poteſtate ſit poſitum. Vetat certè Concilium Carthaginenſe *ne puellarum conſecratio à Presbyteris fiat.* Et inter ea quæ Chorepiſcopis licere negat S. Leo Papa, *Virginum conſecratio* recenſetur. Atque illud aliquando tentatum à Presbyteris, grauiter acceperunt Patres Gallicani, Concilij Pariſienſis, *Quorundam relatu didicimus, quoſdam Presbyteros ſuæ menſuræ immemores, imo Canonicæ auctoritati reſultantes, in tantam audaciam prorupiſſe, vt ſacrarum Virginum conſecratores exiſterent. Et hoc ad negligentiam Epiſcoporum pertinere dubium non eſt. Quod quia Canonicæ auctoritati minimè concordat, ne vlteriùs quiſquam Presbyterorum id facere præſumat, prorſus inhibemus.*

*Ab Epiſcopo ſolo facta conſecratio.*
Concil. Carth. 2. c. 6.
S. Leo ep. 88.
Concil. Pariſ. 6. c. 42.

Eius conſtitutionis cauſas duas eſſe arbitror; priorem Angelico virginitatis ſtatui peculiarem, eius videlicet dignitatem, quam neque S. Auguſtini acumen, neque nobilis S. Hieronymi facundia, neque S. Cypriani,

*Cur ea prærogatiua Epiſcopo reſeruata.*

aut vllius alterius pluſquam Tulliana eloquentia pro meritis æquare potuerunt. Quomodo enim decebat virtutum moralium velut apicem, integritatis humanæ florem illibatum, Angelicæ ſanctitatis in fragili corpore perfectam imitationem, theſaurum cœleſtem in vaſis fictilibus ſanctè cuſtoditum, Deo conſecrari, niſi manu diuino chriſmate præ Chriſtianis & Preſbyteris omnibus delibuta? Poſteriorem in poteſtatis plenitudine, & Paſtoralis curæ ſolicitudine colloco: decernente Vernenſi Concilio, vt *ancillæ Dei velata in Monaſterio ſint ſub ordine regulari, aut ſub manu Epiſcopi.* Eandem cauſam affert Zonaras citatum Concilij Carthaginenſis Canonem explanans, *vt cum eas*, inquit, *initiatas eſſe nouerint Epiſcopi, earum inſtitutioni, & cuſtodiæ ſinguli pro ſe quiſque deſeruiant.* Quam & aureis verbis indicat S. Thomas, virginitate ſua factus Theologicorum myſteriorum Toleta perfectiſſimus. *Solus Epiſcopus cui cura Eccleſiæ committitur, Virgines deſponſat velando, non ſibi ſed Chriſto, quaſi ſponſi paranymphus.* Quę ex ſenſu Theophorus Ignatius ad martyrium proficiſcens, Tharſenſibus eas commendat, & vult *in pretio haberi, velut Chriſti Sacerdotes: viduas autem in pudicitia permanentes, vt altare Dei.*

*Virgines velatæ ſub cura Epiſcopi.* Concil. Vern. c. 11. Zonar. in can. 6. Concil. Carth. 2. D. Thom. in 4. diſt. 38. q. 1. a. 6. *Epiſcopus ſponſi paranymphus.* Ignat. ep. ad Tharſ.

Hæc à nobis relata fideliter, antiregularibus duobus conuicium faciunt; Petro primùm Aurelio, qui huius ipſius rei cauſam omni ex parte ridiculam commentus, Virginum ait conſecrationem ſoli Epiſcopo fuiſſe ideò reſeruatam, quia metuendum non erat, ne gradibus Eccleſiaſticis & Hierarchiæ ſe inſererent: quæ res à Monachis nimirum timebatur: quare Sacerdotibus, non Hierarchæ initiandi traditi ſunt. Claudio deinde Seguenoto, affirmanti votorum nuncupationes, in quibus hæc virginitatis profeſſio abſque dubio numeratur, *abuſiuè dici conſecrationes.* Qui hoc dicat, hominem eſſe oportet Patribus & Concilijs ſapientiorem, in quibus hanc vocem paſſim vſurpatam inficiari non potuit. Illi certè Doctori, illi libro quem interpretandum, & vt loquitur cenſura, *deprauandum* ſumpſerat, credere debuit, in quo hæc verba disertè legit. *Integritas carnis ipſi creatori animæ & carnis vouetur, conſecratur, ſeruatur.*

*Refutatur Petrus Aurelius in vindic. p. 447.* Et Claud. Seguen. in not. ad l. S. Auguſt. de S. Virgin. pag. 19. Auguſt. l. de S. Virg. c. 8.

## DE VELO ORDINATIONIS *& Prælationis.*

## §. II.

VELVM aliud Ordinationis appellant, virginibus & viduis commune; ex quibus in vetere Eccleſia ſelectæ quædam Diaconiſſæ, ſeu Diaconæ ordinabantur. Eas annorum ſexaginta vult eſſe Concilium Nicænum, ita dictum Apoſtoli explicans, *hæ autem ex ijs eligantur quæ non malè audiant, ex eo vſque tempore quo fuerunt adoleſcentulæ: ſintque annos natæ ſexaginta, ſicut B. Paulus ordinauit.* Hac occaſione Tridentinum obliquè ſtringens, idem qui ſæpe Seguenotus, cum illo ſexageſimo, ſextum & decimum ætatis annum comparat, quo votiuæ caſtitatis in Religione profeſſionem permittit Concilium: dumque Chriſtianæ ſapientiæ medullam ſugillat, non animaduertit fœdè ſe labi, confundentem velum iſtud Ordinationis, cum velo Cõſecrationis, aut Conuerſionis, de quibus actum antea. Itaque cum poſtea in Chalcedonenſi decerni-

*Velum Ordinationis. Diaconiſſæ veteres.* Concil. Nicæn. c. Arab. 74. Segue. cit. p. 101. Concil. Trid. ſeſſ. 25. c. 15. de reform.

decernitur, *Diaconiſſam non ordinandam eſſe ante annum quadrageſimum, & hanc cum ſummo libramine*; intelligendum eſt de caſtimoniæ profeſſione. Sequitur eodem loco; *Si verò ſuſcipiens manus impoſitionem, & aliquantùm temporis in miniſterio permanens.* Quibus verbis non obſcuris, ordinationem illas accepiſſe indicat. Cui ſuccinit Arauſicanum 1. quod verat *Diaconas omnimodu ordinandas: ſi qua iam ſunt, benedictioni quæ populo impenditur, capita ſubmittere* imperat. Et Epaonenſe eodem animo. *Viduarum conſecrationem, quas Diaconas vocitant, ab omni regione noſtra penitus abrogamus.* Et tamen Nicænum magnum Concilium, diſertè negat impoſitione manuum conſecratas, eamque ob rem laïcas eſſe, & haberi aſſerit. Quam ſacrorum Canonum ἀντινομίαν rectè ſoluit Doctor Hallier, aut diuerſis moribus per diuerſas regiones diuerſis temporibus inductis; aut, quod admodum veriſimile iudico, eam manus impoſitionem, cæremonialem tantùm fuiſſe, non ſtrictè dictam ordinationem, qualis Diaconis impenditur. De qua Concilium Aurelianenſe duplici Canone. *Femina quæ benedictionem Diaconatus, contra interdicta Canonum acceperunt. Placuit etiam vt nulli poſt-modum femina Diaconalis benedictio, pro conditionis huius fragilitate, credatur.* Quæ benedictionis expoſitio, placuit & Baronio Cardinali, & Petro Arcudio: qui Nicænum Canonem ſolerter interpretatus, non inutilem nobis alterius ſententiæ confirmationem alibi proferendam ſubminiſtrat. Quicquid autem illa ſignificet benedictio, vel quocunque modo collata fuerit, non ab alio, quàm à Pontifice datam, omni dubitatione remota credendum eſt, vt qui ſolus ordinare poſſit Eccleſiam.

Concil. Chal. act. 15. c. 15. *An acceperint manuum impoſitionem.* Concil. Arauſic. can. 26. Concil. Epaon. can. 21. Hall. l. de ſacr. ordin. p. 5?7. vbi ploia de Diaconiſſis. Concil. Aurelia. 2. can. 27 18. Bar. ad an. 24. n. 283. Petr. Arcu. l. 6. c. 10.

Occurrit interim hac in materia conſideratione dignus Canon Laodicenus, quem ita refert Gratianus. *Mulieres, quæ apud Græcos Presbyteræ appellantur, apud nos autem viduæ ſeniores, vniuiræ & matriculariæ nominantur, in Eccleſia tanquam ordinatas conſtitui non debere.* At propiùs ad textum Græcum alia verſio breuior ſic habet, *quod non oporteat eas quæ dicuntur Presbyteræ, vel præſidentes, Eccleſijs, ordinari vel in Eccleſijs conſtitui.* Quam legem cum non accipiam de vxore Presbyteri, quod facere videtur Binius, ſed de ea quæ eſt ætate Preſbytera, fateor non ſatis capere me cur præſidentes vocentur; aut cur cum præſideant, vereantur ordinari; denique cur matricularias verterit Gratianus, ſi nihil aliud adiungitur. Lucem ergo vetus Concilium accipiat oportet, à recentiore Pariſienſi ſexto, in quo decretum hoc legitur. *Inuenimus quòd quædam feminæ, maximè hæ quæ cenſu tenues ſunt, ſine conſenſu Sacerdotum, idcirco ſibimetipſis velum imponant, vt ſub prætextu huius velaminis, Eccleſiarum excubatrices, & adminiſtratrices fieri poſſint. Hæc igitur incauta velatio, vnuſquiſque Epiſcopus prouideat ne in Parochia ſua fiat.* Sic Græcæ voces προκαθημένας ἐν ἐκκλησίᾳ καθίστασθαι per *Eccleſiarum excubatrices*: latina autem vox *Matricularia*, per *adminiſtratrices* eleganter redditur; vt hoc loco non de Ordinatione, ſed de excubijs agi cenſeam: & ſic Canonem apertiùs reddi poſſe, *quòd non oporteat eas quæ Presbyteræ dicuntur, aut præſidentes, in Eccleſijs excubare*; id enim optimo iure prohibetur, *quia in pleriſque locis, huiuſmodi velatas laqueum Sacerdotibus extitiſſe cognouimus*, inquiunt Pariſienſes.

*Quæ ſint Presbyteræ Præſidentes.* Diſt. 31. Mulieres quæ. Binius in eum locũ. Concil. Paris. 6. can. 46.

Poſtremum velum eſt Prælationis, non magis viduarum, quàm virginum, quando vtræque in Abbatiſſas leguntur, & Pontificia benedictione decorantur. Sic enim Magnus Gregorius ad Reſpectam Maſſilienſem. *Con-*

*Velum Prælationis.*

*ſtituentes vt obeunte ante-dicti Monaſterij Abbatiſſa, non extranea, ſed quam congregatio ſibi de ſuis elegerit, ordinetur: quam tamen ſi digna huic miniſterio iudicata fuerit, eiuſdem loci Epiſcopus ordinet.* Et S. Radegondis Patribus Concilij Turonenſis 2. ſcribit, Agnetem ſui Monaſterij Abbatiſſam *beatiſſimi Germani præſentibus fratribus benedictione conſecratam*; quod etiamnum religioſè obſeruat Eccleſia. Euenit autem in Gallia noſtra illud aliquando monſtroſum ſanè, & ἄτοπον, aliquas Abbatiſſas illa poteſtatis amplitudine; & benedictionis prærogatiua ſuperbientes, *contra morem ſanctæ Dei Eccleſiæ, benedictiones cum manus impoſitione, & ſignaculo crucis ſuper capita virorum dare: nec non & velare virgines cum benedictione Sacerdotali*. hoc eſt, eo ritu qui ab Epiſcopis adhiberi ſolet, de quo nos ſuperiùs. Cuius mali contagio ſub Ludouico Pio ipſas etiam priuatas Sanctimoniales peruaſit. De quo Patres Concilij Pariſienſis grauiter conqueruntur, *quòd quædam Abbatiſſæ, & cæteræ Sanctimoniales, non ſolum viduas, ſed etiam virgines puellas velare ſolitæ ſint: Ita ergo illud illicitum & temerarium factum habetur in vſu, vt vix aut viduæ velari à Presbyteris, aut puellæ virgines conſecrari expectant à Pontificibus.* Vt hinc ſimul & Aurelianum acumen de Virginibus in Hierarchiam non inuolantibus, iterum retundatur; & viduas aliquando, virgines autem à Presbyteris nunquam velatas ſciamus: & cuſtodiæ Pontificiæ tutelam vigilantiamque diſcamus, quam omni ope licentiores mulierculæ euitabant. *Idcirco etenim huiuſmodi hoc modo potiùs, quàm à Sacerdote velari volunt, quia dum clanculò ſe corrumpunt, nihil ſibi obeſſe ad peccandum tale velamentum putant.* Perfruuntur enim honore veli; at voti religione, quod coram Epiſcopo concepiſſent, non adſtringuntur.

S. Greg. li. 6. ep. 23.
S. Radeg. ep. ad Epiſ. habetur tom. 1. Concil. Gall.
Abuſus poteſtatis in Abbatiſſ.
Capitul. Carol. M. l. 1. c. 76.
Concil. Pariſ. 6. c. 43.

Denique tum iſtud, tum ſuperiora poteſtatis Hierarchicæ munera, tam fuerunt ſemper Hierarchico characteri connexa, vt ne ægrotante quidem Epiſcopo, Presbyteris committerentur. Sic enim Arauſicano 1. ſtatuitur. *Si quis Epiſcopus per infirmitatem debilitatem-ve aliquam, aut hebetudinem ſenſus inciderit, aut officium oris amiſerit, ea quæ non niſi per Epiſcopos geruntur, non ſub præſentia ſua Presbyteros agere permittat, ſed Epiſcopum euocet, cui quod in Eccleſia agendum fuerit, imponat.*

*Hierarchica officia non commiſſa Presbyteris.*
Concil. Arauſic. 1. can. 30.

---

## *TERTIVM COMPARATIONIS CAPVT IN obſeruantia Hierarchis debita ponitur.*

## CAPVT XII.

*Status quæſtionis exponitur.*

QVANTA ſit colendus reuerentia diuinus Hierarcha, Dei interpres, Angelorum conſeruus, hominum legatus, Chriſtus Domini, Rex animarum, à me hoc loco non quæritur: ſed quid illi honoris & obſeruantiæ debeant, non ſimplices tantùm Sacerdotes, ſed etiam *minores Epiſcopi*, qui naſcente Eccleſia idem cum Epiſcopis nomen habebant, Presbyteri. Nam cum Hierarcharum noſtrorum ſupra ſecundi Ordinis Sacerdotes dignitatem, ab ipſa rei vtriuſque natura eductam ſpeculati

fuerimus

fuerimus. Idem in exterioribus præterea reuerentiæ ſignis diſcrimen ſpectandum eſt.

Ea verò in Apoſtolicis Canonibus obſcuriora quidem, at non parum efficacia lego, *vt Presbyteri & Diaconi præter Epiſcopum nihil agere pertentent. Is etenim eſt cuius fidei populus Domini creditus eſt, & à quo animarum ratio repetitur.* Hunc Canonem de Iuriſdictione Zonaras explicat, *ac niſi de gratia & per indulgentiam acceperint ab Epiſcopo, tale quid facere non eſt eis permiſſum.* Eundem ego fuſiùs à S. Clemente reor exponi, cum ait. *Quapropter cunctis fidelibus, & ſummopere omnibus Presbyteris, & Diaconis, & reliquis Clericis attendendum eſt, vt nihil abſque Epiſcopi proprij licentia agant: non vtique Miſſas ſine eius iuſſu quiſquam Presbyterorum in ſua Parochia agat, non baptizet, nec quicquam abſque eius permiſſu fiat.*

*Sine Epiſcopi facultate, nihil faciant Preſbyteri.*
Canon. Apoſtol. 38.
Zonar. in eum locũ.
Clem. epi. 3.

Et licet ſatis amplam à Deo ipſo Epiſcopi operâ poteſtatem in Eccleſia acceperint, ea tamen Hierarchæ præſentia quaſi maioris ſideris lumine præſtringitur: & vt aiunt ſuccinum in paleam oleo delibutam nihil habere virium, ſic Epiſcopalis chriſmatis interiectu in plebem, in ſacrificium, in Sacramenta nihil poteſt Sacerdos, cui *neque coram Epiſcopo licet in baptiſterium introire, nec præſente Antiſtite infantem tingere, aut ſignare, nec pœnitentem ſine præceptione Epiſcopi ſui reconciliare, nec eo præſente, niſi illo iubente, Sacramentum corporis & ſanguinis Chriſti conficere, nec eo coram poſito populum docere, vel benedicere, aut ſalutare, nec plebem vtique exhortari.* Addit ad hæc Gelaſius Papa, ne *Presbyteri præſente quolibet Antiſtite, niſi fortaſſe iubeantur; vel orationis, vel actionis ſacræ ſupplendæ ſibi præſumant eſſe licentiam, neque ſub eius aſpectu niſi iubeantur, aut ſedere præſumant, aut veneranda tractare myſteria.* Hoc intellige ſedere in ſecretario, vt ex Concil. Laodiceno explicuimus. Quod & de concionibus dicendum, quas Epiſcopo præſente fidei magiſtro, pietatis duce, perfectionis largitore, Sacerdotem habere, in ſolo illuminantium gradu poſitum, niſi ex indulgentia minimè decuit. Vt non penitus refutanda videatur Demetrij Alexandrini Patriarchæ, illa ad Epiſcopos Palæſtinæ Origenis admiratores expoſtulatio apud Euſebium, quod Laïcum adhuc, & nondum Preſbyterij gradu poſitum Origenem, in communi Eccleſiæ conſeſſu ſcripturam ſacram enarrare iuſſiſſent. Non obiecturus id quidem ſi Preſbyter fuiſſet; ſed neque facturus Origenes, etiam Preſbyter, niſi iuſſus à Præſulibus.

*Epiſcopo præſente nihil poſſit.*
S. Leo epi. 88.
Gelaſ. ep 9
Καθίζειν ἐν τῷ βήματι.
Concil. Laod. c. 56.
habetur diſt. 95.
non oportere Preſbyteros.
*Orientales Epiſcopi Preſbyteris concionari permiſerũt.*
Euſeb. l. 3. hiſt Eccl. c. 21.

Et hoc quidem Orientalis Eccleſia facilè ab antiquo permiſit, vt Preſbyteri coram Epiſcopis populum è ſacro ſuggeſtu adhortarentur: in Africa verò ante S. Auguſtinum illud præſtitit nemo. Sic enim narrat hiſtoricus Poſſidius: Valerium eius ordinatorem, natione Græcum, latina lingua minùs diſertum, Auguſtino adhuc Preſbytero *poteſtatem dediſſe coram ſe in Eccleſia Euangelium prædicandi, ac frequentiſſimè tractandi, contra vſum quidem & conſuetudinem Africanarum Eccleſiarum. Vnde etiam ei nonnulli Epiſcopi detrahebant. Sed vir ille venerabilis & prouidus, in Orientalibus Eccleſijs id ex more fieri ſciens, vtilitati Eccleſiæ conſulens, obtrectantium non curabat linguas. Et poſtea currente & volante huiuſmodi fama, bono præcedente exẽplo, accepta ab Epiſcopis poteſtate, Presbyteri nonnulli corã Epiſcopis, populis tractare cœperunt verbum Dei.* Hoc facto incitatus Aurelius Carthaginenſis, idem Preſbyteris ſua in Eccleſia conceſſit priuilegium; quod factum magnopere ipſi gratulatur S. Auguſtinus; nam illam A-

*In Africa id primum fecit S. Auguſtinus.*
Poſſid. in vita S. Auguſt. c. 5.

Auguſt. c. 7? N.cs. ep. 2.

fricanæ Eccleſiæ conſuetudinem, grauiter reprehendit S. Hieronymus. *Peſſima conſuetudinis eſt, in quibuſdam Eccleſijs tacere Presbyteros, & præſentibus Epiſcopis non loqui; quaſi aut inuideant, aut non dignentur audire.* De ſeſſione autem Preſbyterorum coram Epiſcopis in Concilio prohibita, iam eſt à nobis alio libro diſputatum.

*Epiſcopi cũ Presbyteris & Clero concordia.* Ignat. ep. a. Ephes.

Itaque vt hanc collationem duplici gemma conſignemus, nemo iuſtiùs, quàm magnus audietur Ignatius, qui omnibus in commune Epheſijs Clericis Laïciſque Epiſcopi ſummopere colendi auctor eſt. *Decet vos eiuſdem cum Epiſcopo eſſe ſententia, qui ſecundùm Deum vos paſcit: quod ipſum facitis à Spiritu Sancto edocti. Nam meritò prædicandus ordo Presbyterorum, & verè Deo dignus, ita congruit cum Epiſcopo, ſicut chorda in cithara: adeo ſunt in concordia & caritate (cuius auctor & cuſtos eſt Ieſus Chriſtus) mutuò colligati. Date proinde & vos ſinguli operam, vt vnus chorus efficiamini. Si autem*, (quod interminatione terribili addit

Clem. ep. 3.

S. Clemens) *vobis Epiſcopis non obedierint omnes Presbyteri, Diaconi, ac Subdiaconi, ac reliqui Clerici, omneſque Principes tam maioris Ordinis, quàm inferioris, atque reliqui populi, tribus, & linguæ non obtemperauerint, non ſolùm infames, ſed & extorres à regno Dei & conſortio fidelium, ac à liminibus ſanctæ Dei Eccleſiæ alieni erunt. Nam veſtrum eſt eos inſtruere: eorum eſt vobis obedire, vt Deo enim legatione fungimini.*

---

## *DE TERTIO HVIVS HIERARCHIÆ GRADV, qui Miniſtrorum eſt: ac primùm de Diaconis.*

## CAPVT XIII.

*Officium Diaconorum.*

IN Hierarchis, & ſecundi Ordinis Sacerdotibus opinione diutiùs commoratis, ad inferiores miniſtrorum gradus deſcendimus: in queis eminent Diaconi, veterum, vt ſatis conſtat, Leuitarum ſucceſſores: quorum, vt alia per hoc opus ſparſa prætermittam, præcipua officij pars eſt, quam tangit Dionyſius, vt ſacrificanti Sacerdoti ad altare aſſiſtant. Eam vt reor ob cauſam cum Angelis à S. Ignatio collati. *Quid*

Ignat. ep. ad Trallia.

*verò Diaconi, quàm imitatores ſunt Angelicarum virtutum? Qui purum & inculpatum miniſterium illis exhibent, vt S. Stephanus B. Iacobo, Timotheus & Linus Paulo, Anacletus & Clemens Petro.* In cæteris etiam Sacramentis, vt *Baptiſmo &*

Concil. Toletan. 8. Concil. Arelat. 2. can. 15.

*chriſmate aſſiſtunt Sacerdotibus, prædicant Euangelium & Apoſtolum; Chriſti corpus miniſtrant, at non præſente Presbytero: prædicantem olim Epiſcopum cuſtodiebant propter ſtylum veritatis.* Euangelij prædicandi miniſterium putat Amalarius Fortunatus, in prima Diaconorum inſtitutione non fuiſſe, *quòd primo tempore non*

Amalar. Fortu. l. 2. de offic. Eccl. c. 11 & 12.

*legebatur: quando Stephanus fuit factus Diaconus, vt opinor, nondum erant Euangelia ſcripta.* Verùm cum ordinationi Stephani, ſtatim ſuccedat in hiſtoria ſacra nobilis eius concio, quæ martyrio coronata eſt, & crebræ eius cum Academicis Iudæis diſceptationes, dubitari non debet, quin ad id muneris adminiſtros habere voluerint Apoſtoli Diaconos: & fortaſſe Catechiſtas eſſe iuſſerunt, vt qui Catechumenos ad Baptiſmi perceptionem, debeant in S. Dionyſio comparare.

parare. Cuius prædicationis vices, ſuppleuit poſtea publica Euangelij lectio in Miſſa Catechumenorum, vt leuis hic Amalarium ſcrupulus, ab illo officio Diaconis aſſerendo retardare non debuerit. In Vaſenſi Concilio legimus, ægrotante Presbytero, qui per ſeipſum prædicare non poſſit, licere in Parochijs vt *ſanctorum Patrum homiliæ à Diaconibus recitentur. Si enim*, inquiunt Hierarchæ, *digni ſunt Diacones, quod Chriſtus in Euangelio locutus eſt, legere; quare indigni iudicentur ſanctorum Patrum expoſitiones publicè recitare?*

Dionyſ. c. 2 Eccleſ.
Concil. Vaſenſ. 2. can. 2.

Septenario numero leguntur inſtituti à S. Euariſto; qui & in Neocæſarienſi Concilio vetatur ſuperari, *etiam ſi ſit magna ciuitas*; exemplo primorum ſeptem Ieroſolymis electorum. Qui tamen Canon à Nicæna Synodo poſtea correctus eſt, *vt tot in Eccleſia Diaconi ſint, quot Eccleſia ferre poſſit*. A qua Synodo, & in Ordinem redacti ſunt, cum aduersùs Presbyteros ob ſui raritatem, vt ſupra notabamus, inſoleſcerent, & iuſſi *manere in proprio ordine, ſcientes quòd Epiſcoporum quidem miniſtri ſunt, Presbyteris autem inferiores exiſtunt. Accipiant autem ex ordine Euchariſtiam, poſt Presbyteros. Sed nec ſedere eis in medio Presbyterorum liceat.* Quod alia ratione vetant Patres Agathenſes: *quoniam non oportet Diaconem ſedere præſente Presbytero; ſed ex iuſſione Presbyteri ſedeat. Similiter autem honorificetur Diaconus à miniſtris inferioribus, & omnibus Clericis.* Cum autem multis locis offerre non erubeſcerent, quod ſolis licet Presbyteris, ea temeritas magno Arelatenſi Concilio compreſſa eſt, conſtitutumque *vt honorem Presbyteris reſeruent, vt ſine conſcientia ipſorum nihil agant.* Andegauenſi deinde pronunciatum vniuersè, *vt Diaconi Presbyteris nouerint omni humilitate deferendum.* Tanta erat eius Ordinis vel amplitudo, vel neceſſitas, vt repetitis Conciliorum decretis, ſpiritus in Ordinem ſuperiorem contumelioſos, & Hierarchici decoris perturbatores retundi oportuerit.

*Numerus Diaconorū.* l. Pontific. in Euariſt.
Concil. Neoc. c. 14.
Concil. Nicæ. can. 62 Arab.
Ibid. can. 8. recogn. in Concil. Cutha. 6.
Concil. Agat. c. 65.
Concil. Arelat. 1. c. 16. & 18.
Concil. Andeg. can. 2.

Sunt verò hæc præcipua Diaconi in templo officia: ſed iſtud non omittendum ex Clemente, qui Eccleſiæ cum Naui comparatæ ſimilitudine gaudet. Et vno quidem loco Diaconos *Diſpenſatorum* in Naui locum tenere vult, *& nihil omnino quod ad diligentiam, vel ad diſciplinam pertinet negligere.* In alio autem, *adſtare* iubet *Diaconos ſuccinctos & expeditos, ſine multa veſte, ſimiles nautis, & illis qui lateribus Nauis præſunt.* Et curare quidem vt ſuum in ſedendo locum, & ordinem ſeruent ſinguli fideles. *Si quis autem repertus fuerit, qui ſedeat loco non decenti, increpetur à Diacono, tanquam à proreta, traducaturque in locum qui eum decet.* Quòd autem *Diſpenſatorum* nomine cohoneſtatos vides, hoc memineris, creditam illis olim fuiſſe pecuniam & ſubſtantiam Eccleſiaſticam, in eleemoſynas diſtribuendam, indeque dictos menſis etiam communibus Præfectos, *non quòd cæteris accumbentibus, quæ ad cibum potumque pertinebant illuc inferrent, ſed quòd ea quibus cuique opus eſſet, eleemoſynas diuidendo curarent*, vt optimè interpretatur, & pluribus exemplis confirmat doctiſſimus Baronius. Quanquam non incongruè monet Cornelius à Lapide, Apoſtolos occaſione murmuris inter viduas exorti Diaconos elegiſſe, & inſtituiſſe; ſed eis non mandaſſe corporalia tantùm officia, verùm etiam, idque potiſſimùm ſpiritalia; qualis erat menſarum & eleemoſynarum diſtributio. Addit quoque menſas illas non ex toto fuiſſe profanas. Nam primò ſanctiſſimæ Euchariſtiæ communicabant fideles porrigente Diacono: deinde menſæ accumbebant, & agapes celebrabant, eodem Diacono miniſtrante.

*Diaconi diſpenſatores.* Clem ep. 1. ad Iacob.
*Quomodo dicantur fuiſſe menſis communibus præfecti.* Baron. ad an 34. n. 282.
Cornel. à Lapide in acta Apoſt.

Huic tamen doctrinæ repugnantia ſcribit Franciſcus Hallier in grandi *Refellitur.*

*Hallier l. de ſacr. ord. p. 573.*

opere, fuiſſe à Chriſto Domino inſtitutum, vt ſolis Preſbyteris ordinariè conceſſa munia ſolenniter baptizandi, & corpus Chriſti diſtribuendi, extraordinariè concedi poſſent Diaconis. Atqui non eſſe extra ordinem commiſſa eiuſmodi officia Diaconis, ſed ipſa per ſe ſe tanquam miniſtros ad ea deſtinatos conſecratoſque peregiſſe, nemo in antiquitatibus Eccleſiaſticis non hoſpes ignorat. Quod ſi cui fortaſſe exciderit è memoria, ſuggeret inter cæteros Pameli us Epiſtolas Cypriani commentatus: & de Baptiſmo publico, ſolenni, Paſchali, etiam præſente Epiſcopo, de more per Preſbyterum, & Diaconum collato, monebunt Romanæ Synodi Canones ad Gallicanos Epiſcopos miſſi. Quanquam auris tantum vellenda Doctori, vt meminerit eodem ipſo loco, ineunte pagina à ſe ſcriptum, *Preſbyteros & Diaconos Eccleſiæ duces & Eccleſiaſticæ Hierarchiæ principes, populique Chriſtiani patres conſecrari. Poteſtatem quoque Preſbyteri ac Diaconi ad Sacramenta vel conferenda* (conficienda fortaſſe voluit ſcribere) *vel diſpenſanda deſtinari.* Quorum dictorum poſterius iſtud aduerſa fronte propoſitionem perit quam agitamus: prius autem licet falſum, eiuſdem tamen virtutis eſt; quando nobis explicari non poteſt, quomodo Diaconus Dux, Princeps, Pater Chriſtianorum dici debeat, ſi diſtributio Sacramenti, & Baptiſmi tinctio extra ordinem tantùm illi committitur.

*Pamel. in ep. 65 Cyprian.*
*Can. Rom. Syn. ad Epiſ. Gall. can. 7. 10. 1. Concil. Gall.*
*Auctoris eadem pagina contradictio.*

*Diaconiſſarum veterũ officium.*
*Διακονισσῶν τάγμα ἐστὶν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, ἀλλ' οὐχὶ εἰς τὸ ἱερατεύειν, οὐδέ τι ἐπιχειρεῖν ἐπιτρέπειν.*
*Epiphan. hær. 79.*
*Conſtit. Apoſt. l. 3 c. 15.*

Huic Ordini adiungendæ ſunt quaſi comites & adminiſtræ Diaconiſſæ; quarum Ordinem agnoſcit in Eccleſia S. Epiphanius, *non ad ſacrificandum, verum reuerentiæ gratia muliebris generis, aut propter horam lauacri, aut viſitationis affectionis, aut laboris: & quando nudatum fuerit corpus mulieris* (ad baptiſmum percipiendum) *vt ne à viris ſacrificantibus aſpiciatur, ſed à miniſtrante muliere.* In Sacramento quoque Confirmationis, quod ſtatim baptiſmo ſuccedebat, earum adhibita eſt opera; ſcribente S. Clemente, *cum illuminantur mulieres, Epiſcopus vngit frontes ipſarum oleo ſancto, deinde Diaconiſſa eas aſpergit: non eſt enim neceſſe mulieres aſpici à viris.* Quod & in vnctionis extremæ Sacramento factitatum exiſtimare poſſumus, & eò trahere dictum eiuſdem S. Clementis, *accidit aliquando cum aliquorum domos Diaconum ad mulieres mittere non potes, propter infideles: mittes igitur mulierem Diaconiſſam propter improborum cogitationes.* Plura de vtriſque, tum alij plerique exhibent, tum Franciſcus Hallier in poſteriori opere de ſacris ordinationibus; vnde facilè petentur à Lectore, dum propoſitum meum vrgeo, & reliquos ſacrorum Miniſtrorum Ordines recenſeo.

---

## *DE HYPODIACONIS, LECTORIBVS, & Cantoribus.*

### CAPVT XIIII.

*Antiqua ſubdiaconorum inſtitutio.*
*Con. Apo. l. 8 c. 15.*
*ὑπηρέτας τοὺς ὑποδιακόνους λέγει.*
*Zonar. ad Concil. Laod. c. 21.*

QVANQVAM abſit à S. Dionyſio, non deeſt tamen in S. Ignatio, & Apoſtolicis Conſtitutionibus Hypodiaconorum nomen, de quibus ordinandis habetur Thomæ Conſtitutio. Quos notandum eſt in Laodiceno Concilio proprio nomine Miniſtros nuncupari, & quaſi ſeruos, vt qui ſint Diaconorum miniſtri & ijs ſubditi. Nam Alcuinus & Iſidorus, veteribus Nathinæis pares faciunt, *qui ſub*

*Leuitis*

*Leuitis erant, ſubſeruientes & obſecundantes illis: vnde & Nathinæi id eſt, humiles, vel in humilitate ſeruientes vocabantur.* Equorum numero fuiſſe ſubdunt Nathanaëlem à Chriſto laudatum. Septem poſtea Subdiaconos, non aliter quàm Diaconos, inſtituiſſe legitur Papa Fabianus, *qui ſeptem Notarijs imminerent, vt geſta Martyrum in integrum colligerent.* Quæ publicè in ſacrificio lecta fuiſſe, non eſt obſcurum in S. Dionyſio, & S. Marci Liturgia, quod inferiùs conſiderabitur.

*Veteribus Nathinæis ſucceſſerunt.* Alcui. l. de diuin. offi. c. de Eccl. ordine. Iſid. l. 2. de Eccl. offic. c. 10. Lib Ponti. in Fabian.

Prima Hypodiaconi cura eſt, ſacrorum apparatus vaſorum ad altaris miniſterium, & diligens eorum cuſtodia. Quamobrem in conſecratione, cum manibus calicem attrectat, audit ab Hierarcha, *Videte enim miniſterium vobis traditur.* Hic autem nodus aliquis occurrit, & ſi licet dicere, *ἀσυνοιᾳ*: decernente Laodiceno canone *non oportere miniſtros, ὑπηρέτας, locum habere in diaconico, & ſacra vaſa tangere.* Quem canonem renouans Agathenſe Concilium, hoc modo concipit. *Quoniam non oportet inſacratos miniſtros* (inferiores ſacratis, qui leuiore ritu quàm ſuperiores conſecrantur: de omnibus itaque videtur canon præcipere, ſed maximè de Subdiaconis, qui Diaconatum propiore imitatione contingunt) *licentiam habere in Secretarium, quod Græci Diaconiam appellant* (commodiùs *Sacrarium* dixiſſent patres Gallicani) *ingredi, & contingere vaſa dominica.* His autem aduerſari videtur Martini decretum in Gratiano; quo permittit *Subdiacono & Acolytho in ſecretario vaſa dominica tangere.* Neque omni ex parte ſatisfaciet, qui dixerit mutatum eiuſmodi ab Eccleſia ritum: cum eæ mutationes niſi euidenti auctoritate probantur, non ſint inuehendæ. Itaque ad ſuperiorem Templi deſcriptionem recurrendum nobis eſt, vt recordemur diſtingui Diaconicum ſeu Sacrarium propriè dictum à Secretario, & ſolos in illud cum Sacerdotibus admitti ſolitos Diaconos, λειτουργῶν ἐκκρίτους, qui facienti Epiſcopo aſſiſterent: in iſtud autem ingreſſos ὑπηρέτας Hypodiaconos, vbi & ſacra vaſa myſterijs vacua collocantur, à ſacrificio remotiora, qualia in ordinatione Subdiacono traduntur. Quamobrem & illa eo loco poteſt tangere, cum ſit σκευοφύλαξ: deque officio illo dicatur in ordinatione, *vt eos in ſacrario tuo ſancto ſtrenuos, ſolicitoſque cœleſtis militiæ inſtituas excubitores.* Et in Thomæ Conſtitutione, *Tribue ei Spiritum Sanctum, vt vaſa ad miniſtrandum tibi facta dignè attrectet.* Itaque ſic vtrunque facile conciliabis, vt de Sanctuario Concilium, de Secretario Gratianum intelligas.

D. ſ. Ecclef. *Officium Hypodiaconi.* Dionyſ. c. 3. *Explicatur can 21.* Laodic. Diſt. 23 c. non liceat. Concil. Agath. c. 66. *Subdiaconus tantùm in ſecretario vaſa ſacra tangit.* Conſtit. Apoſtol. l. 8 c. 21. *Reliqua Hypodiaconi officia.*

Cæterum modò Sacerdotem ad altare accedentem præcedit, quod eſt alterum miniſterium, librumque clauſum portat, Ioannis Baptiſtæ in eo figura, ſi credimus Innocentio, qui *venit in teſtimonium, vt teſtimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum.* Tertia ſacrarum valuarum intra templum cura eſt, quas relinquere vetatur Loadiceno Canone 22. & expreſſiùs 43. quem ita refert Harmenopulus in Epitome, *Non oportet Subdiaconum, vel exiguo tempore, foribus neglectis, precari*: ex quibus Catechumenos & Pœnitentes emittere ſolenni formula ſolitus, vt dicemus. Quartum officium commune habet cum Diacono, vt appropinquante ſolennitate Paſchali, ab Epiſcopo chriſma petat, ſi id officij vel Preſbyter, vel Diaconus exequi non poteſt. *Optimum eſt autem vt ipſe ſuſcipiat, qui in tradendo vſurus eſt*: nimirum Preſbyter, ſiue caput baptizati liniat, ſiue morientes ad agonem oleo comparet: *Si quid obſtat, ſaltem is, cuius officij eſt ſacrarium diſponere, & ſacramenta ſuſci-*

*Ioann in Baptiſtam refert.* Innocen 3. l. 2. de myſter. Miſſæ c. 3. *Præſidet Valuis Eccleſiæ.* Concil. Laudic. c. 22 & 43. Harmen. in Epit. ſect. 2 tit. 5. Concil Vaſe. 2. c. 3.

Recipit oblationes fidelium. Iſid. l. 2. de Eccl. offic. c. 10.

*pere*, inquit Vaſenſe Concilium : qua figura indicatum à Patribus præcipuè Subdiaconû, ea quæ modo dicebamus, eloquuntur. Quod autem audis *Sacramenta ſuſcipi* ab Hypodiacono, *fidelium oblationes* intellige, quibus catachriſticam Sacramentorum vocem patres nonnunquam concedunt; quoniam vel in Sacramenta mutari, vel Sacramentorum vices ſupplere, vel Sacramenta miniſtrantibus vſui eſſe debent. Hæc igitur qualiacunque ſint Sacramenta, *in Templo Domini ſuſcipere Subdiaconos à populis* admonet Iſidorus: eaque illis commodè cura videtur impoſita, quod ad fores interiùs Eccleſiam excubent.

Epiſtolam in Miſſa legit. Amal. Fort. l. 2. de Eccl. offic. c. 11.

In quinto denique officio, apertiùs etiam conuenit cum Diacono. Nam vt hic Euangelij legendi, ſic ille recitandæ in Eccleſia Epiſtolæ poteſtatem accipiunt. Quem morem non ſatis capere ſe teſtatur Amalarius Fortunatus, *cùm hoc non reperiatur ex miniſterio ſibi dato in conſecratione commiſſum, neque ex literis canonicis, neque ex nomine ſuo.* Verùm vndecunque vſus ille proceſſerit, in eo duo maximè obſeruanda occurrunt.

Recitatio lectionis & Euangelij, opus Hierarchicum. Ambr. l. 2. de Cain & Abel. c. 4. Dion. c. 3. Eccleſ.

Primùm, cum nemini dubitare liceat, quin Epiſtolæ vel Euangelij publica in Eccleſia recitatio, Hierarchica auctoritate facta, ſit opus Hierarchicum; per eam ſuo modo fieri peccatorum purgationem : dicente S. Ambroſio, *remitti peccata per Dei verbum, cuius Leuites interpres, & quidam executor eſt.* Quod antea S. Dionyſius agnouerat, diuina nimirum ſcripta vitæ ex virtute agendæ diſciplinam exponere, & ante hoc omnium vitiorum, quæ interitum exitiumque afferunt, expiationem continere.

Illa recitatio, eſt quaſi oratio.

Alterum, recitationem illam publicam, non eſſe prædicandi & docendi officium, ſed meram quaſi orationem, per quam fit Hierarchica illa Leuitarum purgatio. Nam in ordinatione datur poteſtas legendi Epiſtolas, & Euangelium *in Eccleſia ſancta Dei, tam pro viuis, quàm pro defunctis.* Vnde colligit Guillelmus noſter Pariſienſis, *magis eos tunc recipere orandi officium, quàm prædicandi; & ipſam recitationem Euangelicæ lectionis, magis eſſe orationem ad impetrandum aliquid pro viuis, & pro mortuis, quàm populi ædificationem.*

Guil. Pariſ. tr. de ſacr. c. 3. in Ordine. Refellitur Petrus Aurelius.

Cui doctrinæ, ſuam ſi poterit accommodabit Aurelius, de imperio Hierarchico, & poteſtate in alios, deque Hierarchicis Diaconorum functionibus, in homines ſolos extra Eccleſiam poſitos, exercitis, de quibus poſtea.

Lectorum oratio. Concil. Nicæn. 2. can. 14.

Lectores & Epiſcopus, & Epiſcopi permiſſu, Chorepiſcopus, ex antiqua conſuetudine; & in proprio Monaſterio, ſolus Monaſterij præfectus per manuum impoſitionem creat, inquit Concilium ſeptimum. Eorum munus duabus ex cauſis originem habuit, vt idem Guillelmus admonet, ex ipſorum videlicet ſanctitate verborum, ad quæ proinde recitanda in Eccleſia, ſanctificari miniſtros oportuit : & ex ædificatione, ſeu eruditione populi, quæ non promoueretur, niſi verba vitæ per ſanctos enunciarentur.

Lectores nô videntur ſuccedere Prophetis. Iſid. l. 2. de Eccl. offic. c. 11.

De illis duo commemorat Iſidorus, noſtra conſideratione non indigna. Primum Lectores prophetis veteribus ſuccedere : *quia verbum Dei prædicant : quibus dicitur, Clama ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam.* Id glorioſiùs pro Euangelica lege, quàm veriùs dici, vel illud demonſtrat, quod non tam prædicant Lectores ipſi, quàm ſcripturæ ſacræ plana & aperta recitatione, prædicaturis Præſulibus præeunt. Deinde quantò nobilius eſt oracula prophetica proferre, quàm legere, tantò prophetæ Lectoribus auguſtiores ſunt. Atque huc reduci poteſt quod olim de Poëtis, & eorum Rhapſodis ex Platone dicebamus : quanquam & leuior eſt Lectorum, quàm iſtorum opera, quia Poëticos hi verſus & recitant, & explanant auditoribus : illi Prophetarum dicta, ſua caligine inuoluta, ingenijs

noſtris

noſtris obijciunt. Quòd ſi legis eius quam pronunciant aliqua in eis petitia de ſide raretur; illos ego potiùs cum Scribis conferendos, quàm cum Prophetis eſſe cenſerem : nam ea quam requirit Iſidorus ſcientia, non vltra ſyllabas, & grammaticales procedit argutias. Certè in Concilio Toletano, cum de ſacrorum virorum ignorantia Rex conqueritur, vult illos aut ad ſtudia compelli, aut ad Lectoris exercitia inuitos cogi : videlicet in quibus ſcientiæ copia non eſt opus.

Concil. Tol. 8. c. 8.

Deinde priùs admoneri de eorum moribus & virtutis ſtudio populum, affirmat auctor Hiſpalenſis, quàm ordinentur. Equidem non dubito quin iſta cum ſcriberet, ad Cyprianum mentis oculos reflecteret; in quo videmus Saturum, Aurelium, inclytum Celerinum, & alios, ſuo panegyrico non fuiſſe fraudatos. Quod ſi quis obiecturus eſt, ordinationi poſtpoſitam fuiſſe laudationem illam, quaſi Epiſcopus non futuri conſilium, ſed præteriti approbationem quæreret : facilè reſponderi poteſt, perturbata tyrannicis terroribus Eccleſia, ritus omnes tanquam in ſinu pacis ſeruari non potuiſſe : atque id ipſum alicubi excuſare Cyprianum, quod priùs in Clerum aliquos cogatur adſciſcere, quàm Clerum populumque præmonuerit. Dico veriùs, non fuiſſe talem ritum Lectorum Ordini priuatum, ſed omnibus qui ad aliquos in Clero promouerentur Ordines, communem, quod facile ſi res poſceret probaretur : vt his ipſis locis in Optato patet; qui ad Hypodiaconatum, non ſine elogio educitur. Quanquam fateri cogor, fuiſſe neſcio quid hoc in gradu eximium, quod accuratiorem exigeret delectum, & nobiles tantùm aut virtute, aut ingenio, aut genere huic officio admoueret : Nam patrueles Conſtantij Auguſti, Gallum & Iulianum, ſcribit Nazianzenus in Cleri Ordinem ſeipſos cooptaſſe, hoc eſt, libentes volentes ſe ſe ad Clericalis militiæ profeſſionem Eccleſiæ præſidibus obtuliſſe: *adeo vt diuinos quoque libros plebi lectitarent: non minùs id ſibi amplum & honorificum eſſe exiſtimantes, quàm aliud quiduis.* Tanti ſcripturam diuinam faciebant magni Antiſtites, vt in pueris ipſis ſine intelligentia recitaturis, vulgare nihil eſſe paterentur.

*Laudati coram populo, antequam ordinarentur.* Cypri. ep. 24. 33. 34. Idem ep. 33. cit. Idem ep. 24. cit. *Gallus & Iulianus Lectores.* Nazia. or. 1. in Iulia.

Pueris dixi, vt benigna interpretatione, cum Franciſco Hallier, eorum Patrum voces emolliam, qui *Lectores infantulos*, vel *ab infantia Lectores* creatos commemorant. Certè cum ætate prouectiores ſæpe ad hoc munus adſcitos fuiſſe conceſſero (quos cum Conuerſis Religioſis conferre poſſumus) alios ab ineunte pueritia, tanquam Nutritos, in eo gradu velut tirocinium reliqui Clericatus poſuiſſe fatendum erit. In quo cum diutiùs commorari ſolerent, omnem officij Eccleſiaſtici pietatiſque partem à peritioribus, & ætate graduque Preſbyteris edocebantur. Factum id vel priuatim apud ſingulos Preſbyteros, vel in publico quaſi conuictu. De priuata educatione, apertus eſt Concilij Vaſenſis Gallicani Canon ; *vt omnes Presbyteri qui ſunt in Parochijs conſtituti, ſecundùm conſuetudinem, quam per totam Italiam ſatis ſalubriter teneri cognouimus, iuniores Lectores, quantoſcunque ſine vxore habuerint, ſecum in domo, vbi ipſi habitare videntur, recipiant : & eos quomodo boni patres ſpiritaliter nutrientes, pſalmos parare, diuinis lectionibus inſiſtere, & in lege Domini erudire contendant : vt ſibi dignos ſucceſſores prouideant, & à Domino præmia æterna recipiant.* De communi conſortio & velut collegio, ætas puerilis ſuadet, & mos huc vſque ſeruatus, Eccleſiaſtico cantu exercendorum in Collegiatis Eccleſijs puerorum, Seminariorum vſus à Tridentino nuper Concilio tam ſtudioſè reuocatus. Hus

*Lectorum educatio.* Halli. l. de ſacr. ordin. p. 890. *Apud Presbyteros.* Concil. Vaſenſ. 2. can. 1. *In communi conuictu.* Concil. Trid. ſeſſ. 24. c. 18. de reform.

*Primicerius Lectorum.* Remi. ep. 4 ad Falconem. Codin. de offic. c. 1 Iuſtin. No. uell. 3.

facit, quòd S. Remigius Remenſis Archiepiſcopus nominat *primicerium ſcholæ clariſſimæ militiæque Lectorum.* Quod nomen & in Codino non ſemel legimus, diſtinctum à *Doctore Euangelij, Doctore Apoſtoli.* Fuiſſe enim magno numero in Eccleſia Conſtantinopolitana, vel illud docet, quòd Iuſtinianus Imperator ad centum & decem contraxit: Heraclius autem ad centum & ſexaginta produxit. Tum verò ne ætatis imbecillitate abuſi, alia potiùs omnia, quàm ſtudium ſacrum appeterent, reuocati ſunt identidem ad examinis incudem, ſcribente S. Cypriano. *Quando cum Presbyteris doctioribus Lectores diligenter probaremus, Optatum inter Lectores Doctorem Audientium conſtituimus: examinantes an congruerent illi omnia, quæ eſſe debent in his qui ad Clerum parabantur.*

*Examinati diligenter.* Cypr. ep. 24.

*Lectores aliqui coniugati.* Concil. Vaſenſ. cit. Concil. Carth. 3. can. 19. *Refellitur Meurſius Miſcellan.* p. 2. l. 1. c. 1.

Hoc ætatis, profectus, temporis progreſſu ſatis inſtructi, diuerſas inibant vias, cùm alij ad ſuperiores Ordines educerentur; alij ad nuptias conuolarent. Ita Vaſenſis Canon citatus. *Cum verò ad ætatem perfectam peruenerint, ſi aliquis eorum, pro carnis fragilitate, vxorem habere voluerit, poteſtas ei ducendi coniugium non negetur.* Et Carthaginenſis, *Lectores cum ad annos pubertatis veniunt, cogantur aut vxores ducere, aut continentiam profiteri.* Quem Canonem cùm in Ioanne Meurſio citatum legam, miror equidem paucis ante verſibus ab eodem ſcriptum, ætatem creandis aptam Lectoribus, fuiſſe *plenam pubertatem*, annos videlicet decem & octo: cum ex aduerſo ſignificet Concilium, in officio Lectorum adoleſcere pueros, & ad *plenam pubertatem* legendo peruenire. Quod ſi Nouellæ Imperatoriæ annos illos præſcribunt, antiquiores illis Eccleſiaſtici Canones & Patres, alium morem ſatis apertè ſignificant. Atque idem ſcriptor id in eo coniugio notat obſeruatum, vt virginem Lector duceret, *non viduam, aut diuortio ſeparatam à viro:* quo in ſtatu ad ſuperiores Ordines potuit conſcendere: quòd ſi viduam, aut repudiatam acciperet, aut ſecundas contraheret nuptias, non potuit ad Subdiaconatum pertingere; tertiæ autem nuptiæ omnino fuerunt illicitæ. Qua ex obſeruatione lucem accipit narratio, quam vita S. Ioannis Eleemoſynarij Patriarchæ Alexandrini exhibet, de Clericis duobus ſutoriam facientibus, quorum vnus Lector erat, *& filios habebat multos, & vxorem, & patrem, & matrem,* quos alebat opificio; *vacabat verò Eccleſiæ ſine intermiſſione:* eumque tandem virtute perſpecta magnus Præſul *Presbyterum tanquam dignum*, neque præter morem, neque contra Canones creauit. Vt non oſcitanter animaduertamus, in Clericatu, & officio quopiam Eccleſiaſtico, perſeueraſſe etiam coniugatos.

*Conditiones eius coniugij.* In vita S. Ioan. Eleemoſ. c. 47. apud Sur.

*Lectoris officium.* Iſid. l. 2. cit. c. 11. Augu. ep. 10. & 11.

Ad officium illud quòd attinet, in ordinatione Lector iubetur *Lectiones ſacras* (non Epiſtolas quæ in Miſſa canuntur, ſed ſacræ ſcripturæ codices ad plebis eruditionem) *diſtinctè & apertè ad intelligentiam, & ædificationem fidelium* (cuius rei multa leuiuſcula præcepta tradit Iſidorus) *abſque omni mendacio falſitatu proferre:* ne quicquam de ſuo mutare audeat, vel adijcere. Hinc illi plebis tumultus, ad vocis vnius nouitatem excitati, dum in Iona cucurbitæ aſſuefactæ aures, hederam nominari à Lectore intelligerent, vt in S. Auguſtini, cum S. Hieronymo contentione legimus. *Panem* quoque, *& omnes nouos fructus benedicere*; fortaſſe, vt quoniam multi in pueritia Lectorum munere funguntur, ætas illa fruges ſanctificet, alijſque tradat, quæ illis innocentiſſimè vti poteſt. Prætetea eadem in conſecratione, ab Hierarcha Lector audire ſolet, *Lectorem oportet legere ea quæ prædicat, & Lectiones cantare.* Sunt igitur ſi colligimus, tria Lectoris officia; legere, cantare, fruges benedicere: extrema

duo

duo ſatis aperta ſignificarione ſe produnt: in medio nonnihil obſeruandum, ad Hierarchiam noſtram non inutile. Intctea tamen à Petro Aurelio libens poſtulem, in qua tandem illorum rtium parte, Hierarchicam peruidear poteſtarem & Iuriſdictionem, quam in omnibus Hierarchiam tenentibus màgnopere deſiderar? *Lectores* moner Iſidorus *pronunciandi cauſa præcipuam curam vocu habuiſſe, vt exaudiri multùm poſſent*: atque ideo periculum eſſe, ne dum auribus & cordi conſulere debent non oculis, *potiùs ex ſcipſis ſpectatores magis, quàm Auditores faciant.*

Quod & accidit labente pieráris diſciplina: ſiquidem Zonatas ſui temporis Lectotes reprehendit, relicto legendarum ſcripruratum officio, totos ad cantum ſe ſe conuertiſſe. Canrores igirur cum Lectoribus tandem confuſi ſunt, ſiue ex Lectoribus aliqui canendi periri deligerentur, ſiue omnes Lectores cantorum nomine cenſerenrur. Certè in Concilio Turonenſi, Preſbyretos, aut Diaconos flagitij reos, è Clero ad Laïcos deprimi videmus, *eo tamen permiſſo, vt inter Lectores in pſallentium choro colligantur.* Pſalmiſtas appellant alij, & cum Cantoribus permiſcent: eundem aliquando reperies cum Lectore Pſalmiſtam; at ſæpiùs diſtinctum: Doctorem Pſalrerij Codinus videtur appellare: non quòd alretius ſir ordinis Pſalmiſta, ſed quòd officio legendi, canendi munus adijciat. Scio viſum aliter Perro Arcudio, qui Cantores Eccleſiaſticos, in Ordine aliquo vulr collocatos: probatque dictum ex Apoſtolicis Conſtitutionibus, *Non permittimus Presbyteris Ordinare Diaconos, Diaconiſſas, Lectores aut Miniſtros, aut Cantores, aut Ianitores; ſed ſolis Epiſcopis: hic eſt enim ordo & harmonia Eccleſiaſtica.* Et ex Canone Apoſtolorum, ex ijs omnibus qui ſunt in Clerum adſciti, ſolis Lectoribus, & Cantoribus vxores ducere, ſi volunt, permittente. Verùm hæ conſtitutiones, non probant verum fuiſſe Canrorum Ordinem, ſed tantùm in Clerum fuiſſe adſcripros. Non enim propriam habuerunt Ordinationem Diaconiſſæ, quæ inter cæteros enumerantur: & ſi ea res ad Epiſcopi cognirionem referri debuit, non id characteri conferentis, ſed eligentis auctotirari datum eſt.

Cantores & Pſalmiſtæ comparati cum Lectoribus.

Concil. Turon. 2. can. 19.

Codin. l. de offic. c. 1.

Petr. Arcud. l. 6. c. 9.

Conſtit. Apoſt. l. 3. c. 11.

Can. 27. Apoſt.

Pſalmiſtæ officium ordo non fuit.

Probabilius igitur arbirror quod poſui, Pſalmiſtæ ſeu Cantoris non fuiſſe gradum & Ordinem à cæteris diſtinctum: ſed meram Epiſcopi, vel etiam poſterioribus ſeculis, Preſbyteri commiſſionem, qua diligunrur ex Clericis inferioribus, maximè Lectoribus, qui beata & canora voce pſalmos Dauidicos, cæteroſque hymnos modulenrur. De quibus ita præcipir Concilium Carthaginenſe; *Pſalmiſta, id eſt, Cantor, poteſt abſque conſcientia Epiſcopi, officium ſuſcipere cantandi; dicente ſibi Presbytero, vide vt quod ore cantas, corde credas, & quod corde credis, operibus comprobes.* Debere autem de Clericis & tonſuratis eligi, Canon Laodicenus demonſtrar, *Non oportere præter Canonicos cantores, qui ſuggeſtum aſcendunt, & ex membrana legunt, aliquos alios canere in Eccleſia.* Vbi *Canonicos* explicat Zonaras, *in Clerum adſcriptos.* Et Turonenſe citatum, *vnus Lector Canonicorum ſuorum*, id eſt, ex Cleto ſuo & Canonicis. Conſentit & Canon Trullanus, *vt nulli liceat ex Ambone, ſecundùm eorum morem qui in Cleri catalogo cenſentur* (quod peruerſè interpres reddit, *nulli liceat eorum qui ſunt in Clericorum Ordinem relati.* Hic enim ſenſus & à veritate, & à Patrum mente omnino alienus eſt) *populo diuinas ſcripturas recitare, niſi qui Sacerdotali tonſura præditus, & Canonica benedictione à ſuo paſtore donatus fuerit*; Sine qua, ne Monachi quidem ad id officium admiſſi, vt habent reſponſa Synodi cuiuſdam CP. ad Monachorum interroga-

Concil. Carthag. 4. can. 10.

Concil. Laod. c. 15.

Zonar. in eum locum.

Concil. Turon. 2. cit. can. 19.

Concil. in Trull. c. 33.

Interrog. Monac. ad Syn. CP. Tom. 6. Biblioth.

*Peruerſa Eccleſiæ Alexandrinæ conſuetudo.* tiones. Fuit igitur admodũ inſolens ea Eccleſiæ Alexandrinæ cõſuetudo apud Socratem, quæ Lectores & ὑποβολεῖς indifferenter ex fidelibus, & Catechumenis aſſumebat; cum omnes vbiq; Eccleſiæ, fideles ſolos in hoc ordine cenſerẽt. Quanquam illam rectè de officio, non de Ordine Doctor Hall. interpretatur. Socrat. l. 5. hiſt. c. 21. Hall. l. de ſacr. ordin. p. 183.

*Eccleſia C. P. Protocanonarcha & Canonarcha.* Conſtantinopolitana Græcorum Eccleſia, in ſchola Cantorum, Protocanonarcham & Canonarcham habuit, quorum nominum ea notio eſt. Canonem Zonaras dici auctor eſt, præfinitam & circumſcriptam nouem odis periochẽ, quæ in magnis ſolennijs decantantur. Illi cantui præibat Protocanonarcha, & qui ſub illo, Canonarcha. Eorum Canonum meminit Curopalatæ Ioannis hiſtoria, quæ Leonem Armenum irridet, muſicæ inuita minerua ſtudioſum. *Canon quid.* *Conſueuerat autem in concinendis pſalmis, laudes ipſe incipere, præſertim in ipſo Chriſti ortu, cum eius celebritatis Canones pſallerentur: cantiones enim præcinebat aſperiore, atque adeo agreſti voce.* Gretſ. in Codin. de offic. l. 1. c. 12. Ioannes autem Moſchus, Abbatem Coſmam refert, *nocte ſancta Dominicæ, ſolitum ſtantem implere Canonem legendo & pſallendo.* Cantorem in Cathedralibus noſtris, & Succentorem non incongruè illis contuleris. Mauult Petrus Arcudius Canonarcham illum eſſe, qui præit legendo, quæ Cantores, illius vocem ſubſequendo canunt: & eundem facit cum ὑποβολεῖ. Ioan. Curopalata in Leone Armeno. Ioan. Moſ. in vitis PP. l. 10. c. 40. Petr. Arcu. l. 6. c. 9. Verùm ea nimis vaga ſignificatio eſt, dum Canon quid ſit non explicat; dum quid ſit id quod legitur non enunciat; dum morem eius prælegendi quod poſtea canatur, nullo exemplo vel auctoritate comprobat: & ſi verum ὑποβολεὺς etymon requiritur, is eſt qui admonendo, atque hortando ſubijcit, & ſuggerit, vt ſcribunt linguæ Græcæ interpretes: id verò officium Canonarchæ potiùs, quàm Cantoribus ſimplicibus conuenit. *Ὑποβολεὺς quis.* *Domeſticus Cantorum.* Fuit & alius in ea Aula magiſtratus, Domeſticus, ſeu Præfectus muſicorum, ſeu Cantorum: iſque eſt, inquit Ioannes Citri Epiſcopus, qui omnes Muſicos regit & dirigit, ipſoſque ſimul, & cantiones cunctas diſponit, ac in ordinem digerit. Admonet autem Gretſerus, eſſe munus *Domeſtici Cantorum, ſeu Protopſaltæ, in vigilijs communibus clara voce pronunciare illud, εὐλόγησον δέσποτα, quod nos dicimus, Iube domne benedicere.* Ioan. Cit. apud Gret. in Codin. l. 1. c. 21.

*Pſalmorum in myſterijs vſus.* Porro pſalmorum modulationem tanti facit Pontificum magnus inſtitutor S. Dionyſius, vt omnibus ferè pontificijs miniſterijs eſſentiæ inſtar eſſe, & neceſſariò adhiberi, & ab eo quod ſanctitate præſtat omnibus, abeſſe non debere pronunciet. Præter pſalmos autem alia quæpiam ab illis decantata, tum dicta modò de Canone, tum S. Cyrillus Ieroſolymitanus indicat, cum eos teſtes appellat. *Sciunt hoc ſtudioſi Eccleſiæ Pſalmiſtæ, qui Angelicos imitantes exercitus ſemper Deum laudibus celebrant. Qui digni habiti ſunt pſallere in hoc ſancto Golgotha, diuiſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem.* Dionyſ. c. 4. Eccleſ. in Contemp. Cyri. Iero. Catech. 13. Scitum eſt tres eſſe præcipuos Muſicos modos, è quibus cæteris componuntur. Dorium, Lydium, Phrygium, qui & Barbarus Porphyrioni grammatico Horatij interpreti dicitur. Eorum cum Phrygius furorem & bella concitet, Lydius ducat funera, Dorius honeſtus & grauis, diuino cultui ſemper dicatus fuit, atque etiamnum in templis noſtris locum velut proprium ſibi vindicat: quem *pudicitiæ largitorem, & caſtitatis effectorem* Caſſiodorus appellat. Et fortaſſe ad hunc modum pertinet, quod de veteribus Ægyptijs refert Demetrius Phalereus, illorum Sacerdotes *Deos per ſeptem vocales celebrare, ordine ſonantes eas: quarum literarum ſonus loco tibiæ & citharæ auditur, propter ſoni ſuauitatem.* Præclarè Amalarius, veterum organa muſica cum noſtra pietate conferens: *Noſtri cantores non tenent cymbala, neque Lyram, neque Citharam manibus, neque cætera genera muſicorum,* *Tres modi muſici* Porphyrio in Horat. Caſſiodor. *Dy cultui per ſeptem vocales.* Demetr. Phaler. l. de elocut. *Cantorum pietas.* Amal. Fort. de Eccleſ. offi. l. 3. c. 3.

*rum ſed corde. Quantò cor maius eſt corpore, quantò Deo deuotiùs exhibetur, quod per cor fit, quàm per corpus. Ipſi cantores ſunt tuba, ipſi pſalterium, ipſi cithara, ipſi tympanum, ipſi chorus, ipſi chorda, ipſi organum, ipſi cymbala. Unde Auguſtinus, idem ipſi ſancti ſunt in omnibus muſicis organis.* Antiquos narrat Iſidorus, *pridie quàm cantandum eſſet cibis abſtinere ſolitos: pſallentes tamen legumine in cauſa vocis aſſiduè vſos. Unde & cantores apud Gentiles, fabarij dicti ſunt.*

*Cantum abſtinentia.*
Iſid. l. 2. de offic. Eccl. c. 12.

Ex his omnibus in gratiam Eccleſiaſtici cantûs allatis, vbi & cantores in canone legimus, reflectendi neceſſariò ſunt oculi in Canonicos noſtrates; quorum nonnulli licet de regali Chriſtianæ legis Sacerdotio; nihil adhuc præter aditialis tonſuræ coronam acceperint; quia tamen ad orationes publicas, ad horas Canonicas, ad preces pro communi Eccleſiæ ſalute concipiendas, ad iram numinis modulatis etiam vocibus mitigandam, ab Eccleſia ipſa ſunt inſtituti, eos ego fidẽter hoc loco in Ordinis Hierarchia cõſtituo: Aurelius & Hallier, ſi ſuis de Hierarchico principatu principijs hærere obſtinãt, non poſſunt ab omni Hierarchia, per ſummam iniuriam non exterminare.

*Canonicorum locus in Hierarchia Ordinum.*
*Aurelius & Halliet refutati.*

## DE RELIQUIS INFERIORIBUS CLERICIS.
## CAPUT XV.

ACOLYTORUM ordo Hypodiaconatui ſuppar, inſacratorum miniſtrorum primus, mutata ſerie hic collocatus, ne diuinarum ſcripturarum Lectio interciperetur. Nam quòd Amalarius Acolytos cum Scribis comparat, *qui accendunt corda fidelium ex ſcriptura ſacra*, longiùs petitum eſt à cereorum ſimilitudine quos deferunt, & ad Lectores veriùs pertinet. Notatum eſt iſtud Ordinis & miniſterij Eccleſiaſtici nomen, in S. Ignatij catalogo locum non habere, vt neque in Conſtitutionibus Apoſtolicis; certum tamen ex Concilio Tridentino *ab ipſo Eccleſiæ initio*, cum cæteris in vſu fuiſſe. Habet autem clarum officium in parandis vrceolis, accendendis, deferendiſque cereis: cuius rei cauſa, cereorum inquam accendendorum, licere Monacho, etiam tonſura carenti, *ad altare accedere, propter Monachalis habitus honeſtatem*, reſpondent Patres qui ſupra, interrogati. Quærent hic etiam aduerſatij actionem in ſubditum, & Acolyti regnum Hierarchicum, quando fuerit otium, demonſtrabunt.

*Acolytorũ officium.*
Amal. For. l. 3. de offi. Eccl. c. 5.
Concil. Trid. ſeſſ. 23. c. 2.
*Monachi propter habitus honeſtatem accedunt ad altare.*
Interrog. Monac. cit. in ſyn. CP.

De Exorciſtis pronunciat Iſidorus, eos in Hebræorum Religione fuiſſe, *quos Eſdras actores memorat Templi, ſeruorum Salomonis filios, qui actum Templi totius ſub cura ſua haberent, aut ſacris actionibus deſeruirent.* Quod qua tandem ratione dicatur, equidem non peruideo: cum nulla inter actores & expulſores cognatio intercedat. Neque dæmonibus ſolùm exigendis inſtituti ſunt, verùm etiã, quod Romano Pontificali continetur, populo ſolent dicere, *vt qui non communicat, det locum*: iiſque verbis aliquo etiam modo expellunt plebem à loco ſacrorum, & ephorciſtæ merito iure dicuntur. Illis aſſignat Beda ſcientiam & vſum Salomonicarum incantationum & annuli; quorum meminit Ioſephus in hiſtoria. Illos in Eccleſia commemorari vult idem Iſidorus, ab Apoſtolo quærente, *Nunquid omnes habent donationes ſanationum?* quaſi ſit ea miraculorum vis ac poteſtas, non officium. Quamobrem Exorciſta in Apoſtolicis Conſtitutionibus *non fit ordinatione; certare enim pro præmio Exorciſtæ, liberæ*

*Exorciſtæ apud Hebræos quæ.*
Iſid. l. 2. de Eccl. offic. c. 13.
Beda in act. Apoſt.
Ioſeph. l. 8. Ant. c. 2.
1. Cor. 12.

*Exorciſta ſine ordinatione.* Conſtit. Apoſt. l. 8. c. 16. Amal. Fort. l. 1. de Eccl. offic. c. 9. *Exorciſtatus conſecratio antiqua.* Concil. Carth. 4. can 7. Concil. Laod. c. 26. Leuncl. in Epitom. Harm. ſect. 2. tit 5. [illegible] Concil. Anti. c. 10. Guil. Pari. l. de ſacr. c. 3. in Ordi. Iuo Carn. l. de reb. Eccleſ.

*voluntatis eſt, ac Dei gratiæ per Chriſtum & aduentum Spiritus Sancti.* Nam diuinæ cuiuſdam fortitudinis, & valentiſſimæ gratiæ opus viſum eſt, forti armato ſe opponere, & eum de atrij ſui tyrannica poſſeſſione deiicere. Quibus conſentiens Amalarius Fortunatus, *hoc*, inquit, *donum gratiæ Dei ad fidem pertinet. Iſte eſt ſecundus modus fidei per expulſionem Diaboli.* Verùm publica Eccleſiæ poteſtas ad hoc munus neceſſaria tandem fuit, eiuſque conſecrationis formulam, quam adhuc tenet Eccleſia, in Concilio Carthaginenſi legimus. Vnde & in Laodiceno vetatur is, qui ab Epiſcopo promotus ad id muneris necdum eſt, Exorciſtæ munus agere, neque in Eccleſijs publicè, neque in ædibus priuatim. Hunc Canonem malè Leunclauius explicat, Ephorciſtam accipiens, pro eo *qui ſic doceret rudiores, vt ab ijs quaſi repoſcerentur antea tradita.* Quod Catechiſtæ potius officium fuit, de quo ſuô loco; & nemo alius Ephorciſtam, ſeu Eporciſtam aliter, quam pro Exorciſta voluit acceptum. Quemadmodum neque in Antiocheno ſub Iulio Papa, vbi Chorepiſcopi permittuntur conſtituere Lectores, Hypodiaconos, & Exorciſtas, *& eorum promotionem*, inquit Canon, *ſufficere exiſtiment*, id eſt, non Preſbyteros aut Diaconos, non alios officiorum Eccleſiaſticorum gradus ordinare poteruint, iſtis contenti. Cæterùm in hoc ſeu officio, ſeu ordine, gratia *ipſius Eccleſiæ & poteſtas quam à Deo accepit, ambulandi ſuper aſpidem & conculcandi leones infernales: & virtus fidei, & imperioſitas ſuper poteſtates contrarias ad Dei gloriam, & ipſius ædificationem, & infidelitatis confutationem, clariùs atque ſublimiùs elucet*, vt ait magnificè Guillelmus Pariſienſis, & ipſe in illa Eccleſiæ victoria quaſi triumphans. Quo eodem ſenſu ſcribit Iuo Carnotenſis, habere illos *ſpiritale imperium ſuper ſpiritus immundos, ad eijciendos eos de corporibus obſeſſis.* Viderit Petrus Aurelius, ſit ne illud quod requirit in Hierarchia; certè ſpiritus illos eſſe conſtat extra Eccleſiam poſitos, ſi fortaſſe in eos tantùm agi vult ab Exorciſtis aut Diaconis.

*Catechiſta non a ſpeciali conſecratione.* Clem. ep. 1. ad Iacob. Hiero. l. de ſcript. Eccl. [illegible] Cyrill. Præfat. ad Catech. *Explicatur* Cyprian. ep. 24.

Catechiſta non magis peculiarem, quàm Pſalmiſta conſecrationem ſortitus eſt. Et ſanè Diaconus ex officio Catechiſtam agit, ex commiſſione quiuis alius inferioris Ordinis. Clemens enim Romanus in ſua illa Eccleſiæ cum Naui collatione, *Diaconos diſpenſatorum locum tenere* vult, *hos qui catechizant, nautologis conferri:* ſeque ipſum narrat vt Catechiſtæ boni exemplum à D. Petro fidelibus exhibitum, vt ſciamus Catechiſtam aliqua ſaltem ratione, à ſimplici Diacono differre. S. Cyrillum Ieroſolymitanum in adoleſcentia ſuas catecheſes ſcripſiſſe auctor eſt S. Hieronymus. Ipſe autem ſe Chriſti Diaconum vocat, & cuilibet oſtium aperire, tanquam Oſtiarum. Et Diaconi ſolicitudinem indicant hæc eiuſdem loci verba. *Videbo cuiuſque ſtudium, videbo cuiuſlibet deuotionem.* D. Cyprianus nobilem Optatum è Lectore Catechiſtam, è Catechiſta Hypodiaconum ordinauit, vt ipſe narrat ad Clerum ſuum ſcribens, ijs verbis quorum partem ſuperiùs protulimus, & nonnihil obſcuritatis præferunt. Excuſat enim magnus Antiſtes apud Clerum, quòd in Clericorum penuria, nouos aliquos adſciuiſſet, inconſulto Clero. Eos igitur nominat, & probandos demonſtrat. *Feciſſe me autem ſciatis Lectorem Saturum: & Hypodiaconum Optatum Confeſſorem, quos iam pridem communi conſilio, Clero proximos feceramus*: quibus iam antea de veſtra ſententia Clericalia quædam munia commiſeramus. *Quando aut Saturo, die Paſchæ ſemel atque iterum lectionem dedimus*, Lectoris officio fungi Saturû olim iuſſeram, quem modò Lectoris Ordine decoraui:

coraui: *aut quãdo cum Presbyteris Doctoribus, Lectores diligenter probaremus, Optatũ inter Lectores Doctorem Audientium constituimus*: cum adſcitis Preſbyterorum doctiſſimis, in Lectorũ omnium peririam & mores diligenter inquirebamus, vnum ex illis Optatum elegimus; qui Catechiſtæ munus obiret, & rudes adhuc Catechumenos fidei myſterijs imbueret, *examinantes an congruerent illis omnia, quæ eſſe debent in his qui ad Clerum parabantur*: an iſti in clericatus limine & tirocinio politi, dotibus ijs eſſent præditi, quæ perfectum aliquando Clericum facturæ viderentur. *Nihil ergo à me, abſentibus vobis, nouum factum eſt*: cum ea ſit Eccleſiæ conſuetudo, vt vulgò in Clerum nullus adlegatur ab Epiſcopo, ſine Clericorum cæterorum conſilio & conſenſu, ab ea regula in iſtis diſceſſum non eſt a me, quia *quod iam pridem communi conſilio omnium noſtrum cœperat*, quando lectionibus & catecheſi ſunt admoti, *neceßitate vrgente promotum eſt*: ad ſuperiores gradus ſunt euecti, *quoniam oportuit me per Clericos ſcribere*, iam in aliquo Ordine conſtitutos. Erat igitur Lector Optatus; idem Catechiſta, peculiari commiſſione: atque quà talis, non in Ordine, ſed Hypodiacono minor, quo *promotus* eſt, vt maiori cum auctoritate literas Epiſcopi ſui deferret. Qui ſint autem Audientes dicemus inferiùs; eorumque *Doctorem* pro Catechiſta Pamelius accipit hoc loco, *quales*, inquit, *inſignes viros olim claruiſſe conſtat apud Alexandriam, Origenem, Pantænum, Clementem & Dionyſium*, de quibus alius erit nobis agendi locus.

*Examinata Lectorum peritia.*

*Sine Clerici conſenſu non Clerici non creati.*

*Epiſcopus literas mittit per Clericos.*

*Doctor Audientium, Catechiſta.*

Pamel. in eum locũ.

Laborantium meminit S. Ignatius, omnes Eccleſiæ ſalutans ordines, quos & S. Epiphanius præponit Oſtiarijs, illoſque eſſe ait, qui mortuorum corpora curant. Neuter autem propria quadam conſecratione ad id officij genus inſtitutos fuiſſe aliquos demonſtrat; cum Cantores & Confeſſores S. Ignatius, Linguarum interpretes S. Epiphanius cum cæteris appellent. Quare libera nobis eſt coniectura, ex prima tonſura initiatis extitiſſe nonnullos, qui ſe ad id muneris offerent, atque ſuſcepta ſuperioris alicuius benedictione, quoties opus foret, mortuos fideles conderent, & fortaſſe adhuc morbo conflictatos miniſterio & caritate ſubleuarent. Clericis tamen aggregatos fuiſſe, habemus ex S. Hieronymo ad Innocentium ſcribente. *Clerici quibus id officij erat, cruentum linteo cadauer obuoluunt, & foſſam humum lapidibus conſtruentes, ex more tumulum parant.* Vbi apertè deſcribuntur κοπιαταὶ, qui & foſſarij. Malè igitur Scholiaſtes explicat Clericorum munus id fuiſſe, *quia precibus & orationibus funus comitarentur*. Hierarchicum certè componendorum humandorumque cadauerum opus eſſe, ſatis innuit S. Dionyſius, cum tribus explicatis Sacramentis, quibus Purgatio, Illuminatio, Perfectio comparantur, fidelium mortuorum exequias pergit deſcribere. Conſtantinus Imperator ſacros hoſce Pollinctores, ex nongentis & quinquaginta diuerſorum collegiorum, & artium officinis lectos, in vnum corpus compegit, Eccleſiæ ſubiecit, & immunes à vectigalibus, publiciſque muneribus eſſe voluit, Anaſtaſius Lecticarios ſeu Decanos appellatos, ad numerum mille & centum redegit Conſtantinopoli, eiſque annuum reditum adiunxit. De ijs extat lex Theodoſiana. *Clerici vero, vel hi quos Kopiatas recens vſus inſtituit nuncupari, ita à ſordidis muneribus debent immunes, atque à conlatione præſtari, ſi exiguis admodum mercimonijs, tenuem ſibi victum veſtitumque conquirent.* Illius cœtus & operis verè perfecteque Chriſtiani, in plurimis Normaniæ locis imago perſeuerat, in ea ſodalitate, quam Caritatem appellant, viſendis curandiſque peſtilentia mortuis inſtitutâ, ad

*Laborantes non ordinati.*

Ignat. ep. ad Antioch. Epipha. in fine operis contra hæreſ.

Hiero. ep. 49 Mar. V. Coin. in eum locum.

Dion. c. 7. Eccleſ.

Vide Baro. ad an. 356. n. 72.

*Sodalitas Caritatis in Normania.*

quos Præfecti ſui iuſſu confidenter introeunt, & poſt compoſitum manibus, elatum humeris, terra conditum cadauer, ad ſuos remeant, & in omnium conſortio tanta verſantur fiducia, vt negent viſum vnquam ſodalem, qui poſt munus ſuum præciſè perfunctum, aut laborarit ipſe morbo peſtilente, aut quenquam afflauerit.

*Oſtiarÿ ad fores baſilicæ.*

Conſtit. Apoſt. l. 2. c. 57.

*Diaconiſſa mulieres introduxerũt.*

Ignat. ep. ad Antioc.

Baron. ad an. 34. n. 283.

Oſtiariorum munus ipſo nomine ſe prodit. Ij non ad ſacros Adyti cancellos, vt Subdiaconi, ſed ad Baſilicæ fores excubant, *ne quis infidelis, aut non baptizatus ingrediatur*. Vnde & modò in conſecratione, iubentur *certis horis domum Dei aperire fidelibus, ſemper claudere infidelibus.* S. Ignatius id muneris videtur Diaconiſſis demandare: cum eas ſalutat *cuſtodes ſacrorum veſtibulorum*: quod ſic interpretatur magnus Baronius, vt alias intromittendis viris, alias feminis valuas in Eccleſia fuiſſe aſſerat, & illis quidem præpoſitos Ianitores, ſeu Oſtiarios, his autem mulieres Diaconiſſas.

*Prima tonſura, Clericatus initium.*

Iam Curſoribus omiſſis, quos modò in S. Cypriano intelligere potuimus, Notarijs, & eiuſmodi non Ordinibus, ſed officijs: supereſt Tonſura prima, quam cum conſidero, videre mihi videor quandam veluti materiam primam, actu pene nihil, omnia poteſtate. Facit illa quidem Clericum, in forum Eccleſiæ transfert, priuilegia Clericalia concedit, habitum ſacræ Religionis imponit, reliquis Ordinibus, & Eccleſiaſtico beneficio reddit idoneũ: ſed hæc omnia quid ſunt aliud, quàm velut quidam probationis Religioſæ ſtatus, quicum à D. Bonauentura confertur? Quanquam ex quo quis à turba laïca exemptus eſt, & diuinæ poſſeſſioni adiudicatus, licet nulli ſpeciali officio addicatur, accipit tamen ius ad commune, Dei videlicet laudes in Eccleſia publicè decantandas, quæ & ſacra eſt actio, & Clericis ex æquo omnibus vſitata.

*Apud hæreticos Eccleſiæ officia perturbata.*

Tertu. l. de præſc. c. 41.

Apud hæreticos hæc officia deſiderari, & vniuerſè Ordinum Eccleſiaſticorum ordinem & dignitatem indigniſſimè perturbari, Tertullianus arguit, his verbis, quæ non incommodè tractatum hunc obſeratura videntur. *In primis quis Catechumenus, quis fidelis, incertum eſt: pariter adeunt, pariter audiunt, pariter orant: etiam Ethnici ſi ſuperuenerint, ſanctum canibus, & porcis margaritas, licet non veras iactabunt. Simplicitatem volunt eſſe, proſtrationem diſciplinæ, cuius penes nos curam, lenocinium vocant. Omnes tument, omnes ſcientiam pollicentur: ante ſunt perfecti Catechumeni, quàm edocti. Ipſæ mulieres hæreticæ quàm procaces, quæ audeant docere, contendere, exorciſmos agere, curationes repromittere, forſitan & tinguere. Ordinationes eorum temerariæ, leues, inconſtantes. Nunc Neophytos collocant, nunc ſeculo obſtrictos, nunc Apoſtatas noſtros, vt gloria eos obligent, quia veritate non poſſunt. Itaque alius hodie Epiſcopus, cras alius: hodie Diaconus, qui cras Lector: hodie Presbyter, qui cras Laïcus. Nam & Laïcis Sacerdotalia munera iniungunt.* Et de ijs ipſis quos Tertullianus miſerè conſectatus eſt, Montaniſtis ſcribit S. Hieronymus. *Apud nos Apoſtolorum locum Epiſcopi tenent, apud eos Epiſcopus tertius eſt. Habent enim primos de Pepuza Phrygiæ Patriarchas, ſecundos quos appellant Cenones, atque ita in tertium, hoc eſt, pene vltimum locum Epiſcopi deuoluuntur. Quaſi exinde ambitioſior religio fiat, ſi quod apud nos primum eſt, apud illos nouiſſimum ſit.* Et hæc de perſonis agentibus, ad patientes modò tranſeamus.

*Epiſcopi apud Montaniſtas.*

Hiero. ep. 54.

ORDI-

## *ORDINES HIERARCHIZATI, SIVE PAtientes conſiderantur: & in primis ſanctus Populus.*

## CAPVT XVI.

ORDINES Hierarchizantes Angelorum inſtar in auguſtiſſimo Templi loco ſpectauimus; deſcendendum modò ad Hierarchizatos, tanquam ad homines; in quibus ſanctos video qui Perfectione, & Illuminatione indigent; & impuriores alios, quibus præcipuè opus Purgatio. Primi Monachos habent, & ſanctum Populum: illis ſequens liber ſacer eſt, vt valentioribus argumentis eorum dignitas, & in hac Hierarchia ſedes aſſeratur, quò validioribus machinis æmulorum factione concutitur. Huoc igitur locum ſolus occupat Populus; quem S. Dionyſius ſanctum appellat, quia is abſque obice diuinorum myſteriorum ſanctitati participat. Monachi cancellos tenent, Populus reliquam Eccleſiæ nauim, bifariam, vt ante dictum, diſcretam, vt in ipſo ſanctitatis promptuario, omnis aditus vitio occludatur. Quibus præterea locis per ætatem & gradus ſinguli pulcherrima diſpoſitione conſtituti ſunt: vt hac etiam ratione ſint Eccleſiæ *emiſsiones, ſicut Paradiſus malorum punicorum, cum pomorum fructibus. Nam vt Paſtores*, inquiunt Conſtitutiones Apoſtolicæ, *ſingulas pecudes, pro generis, & ætatis ratione locant, & quodque eorum ſimile cum ſimili congregatur: ſic in Eccleſia adoleſcentes quidem ſeorſum ſedeant, ſi locus ſit; ſin autem non ſit, ſtent: ætate verò prouecti, ordine ſedeant. Pueros autem ſtantes, patres & matres eorum ſuſcipiant. Rurſus adoleſcentulæ ſeorſum, ſi fuerit locus; ſi verò non fuerit, poſt mulieres locentur. Nuptæ iam, & matres familias, item ſeorſum. Virgines autem, & viduæ, & anus, primæ omnium ſtent aut ſedeant.* Hæc Diacono, quaſi deſignatori cuidam præcepta tradita. Sequitur enim, *locis verò occupandis præſit Diaconus*, &c. Eodem iterum loco, vt vides, virginitatis dignitati conſultum, & Virginibus quodammodo ſecreta à feminis cæteris data habitatio. Quod vel ex S. Ambroſij obiurgatione diſcimus; *Nonne vel illum locum tabulis ſeparatum, in quo in Eccleſia ſtabas, recordari debuiſti; ad quem Religioſæ matronæ & nobiles certatim currebant, tua oſcula petentes, quæ ſanctiores & meliores te erant? Nonne vel illa præcepta, quæ oculis tuis ipſe inſcriptus paries ingerebat, recordari debuiſti? Diuiſa eſt mulier: & virgo quæ non eſt nupta, cogitat quæ domini ſunt.* Extrema hæc deſcribo, vt ipſe loci ornatus, & inſcriptæ parietibus adhortationes, quales modò non tantùm in templis, ſed etiam in Religioſorum clauſtrorum ambitu, cum ingenti vitæ ſpiritalis emolumento legimus, appareant.

*Sancti populi in Eccleſia diſpoſitio.*

Conſtit. Apoſtol. l. 2. c. 57.

*Illi diſpoſitioni præeſt Diaconus.*

Ambro. ad virginem lapſam.

Itaque Populo ſic conſidente, tria Hierarchica munia conſideranda veniunt, Preces, Concio, Communio. Precibus Populum ſanctificat Hierarcha; precibus veniam & pacem à Deo plebi vniuerſæ poſtulat impetratque. Quod licet notius ſit, quàm vt fuſiùs comprobetur, aurea tamen Guillelmi Pariſienſis oratio, in hac orationis materia, non eſt ſilentio prætereunda. Sic enim ille, *attende autem quia Sacerdotales actiones, & benedictiones ex parte Eccleſiæ & nomine ſunt. Vnde non dicit, Orem, ſed Oremus: nec, Exaudi me, ſed, Exaudi nos. In omni ergo Sacramento & ſanctificatione, neceſſe eſt fieri quod petit Eccleſia per pro-*

*Preces pro populo ab Hierarcha fuſæ.*

Guil. Pari. elegans doctrina. l. de ſacr. c. 2. in Bapt.

*ſacerdos procurator & aduocatus Eccleſiæ.*

*Precibus Hierarchizatur Populus ſine Iuriſdictione.*

*Qui alios ſanctificant non ideo ſanctificantur. Contra Aurelium.*

*curatorem, vel aduocatum Sacerdotem, in cuius ore ipſæ orationes, tanquam verba Eccleſiæ poſitæ ſunt.* Quid illud autem eſt quod Sacerdos à Deo poſtular? Id ſine dubio quod paulò ante auctor dixerat, *Benedictiones quæ fiunt pro ſanctificandis, tam eis qui conuertuntur, quàm eis qui reuertuntur denuo; tam pro conſeruandis ipſis, qui iam conuerſi vel reuerſi ſunt, neceſſe eſt exaudiri.* Quæro ex te Lector, num ſanctificatio Populi precibus facta, per eum quem ad hoc Eccleſia procuratorem & aduocatum ſuum conſtiruit, maximeque per Hierarcham Principem ſuum & legatum ad Deum, opus ſit Hierarchicum? vbi eſt ramen Iuriſdictio illa; & principarus ab aduerſarijs tanto opere proclamatus? Putas-ne neceſſe vi coërcitiua inſtructû illum eſſe, qui alterum fuſis ad Deum precibus lacrymiſque quantùm poteſt, iuſtificet? Sequitur in auctore elegans Aurelianæ Theologiæ confutatio, qua oſtenditur, qui alium ſanctificet, non continuò eadem actione ſanctificari. Improbos Sacerdotes primò cum tabellarijs, deinde cum tortoribus martytum luculenter comparar. *Quæ eſt regina quæ per viliſſimum curſorem, & litteras in pelle viliſſima ſcriptas, à Rege ſponſo ſuo quæcunque voluerit non impetret? Et quidem miniſter qui totum habet foris vt pellis: hoc eſt, habens ſolum forinſecum miniſterium ſanctitatis, nihil reputatur, quàm pellis morticina, habens in ore ſcriptas preces Reginæ cœlorum, id eſt Eccleſiæ; non curſor in literis loquitur: vbi Rex literas inſpicit non faciem curſoris, ſed ſponſæ eius quodammodo intuetur: nec vocem ipſius, ſed ſponſæ vocem in eis audit. Et in manibus carnificum ac crucifixorum placabiliſſimam hoſtiam Vnigeniti ſui reſpicit. Sic Martyres ſanctos non de manibus nefandorum carnificum, velut holocauſta medullata in odorem ſuauitatis ſuſcipit.* Et alia plura in eandem addit ſententiam, quæ nunquam ſcriberet magnus Antiſtes, ſi cum Petro ſentiret Aurelio, Epiſcopum aut Sacerdotem, *vt alios ſaluet, ſeipſum ſaluare debere, & eius ſalutem ab aliorum ſalute ſic pendere, vt neutra ſine altera perfici poſſit.*

*Crucifigentes intelligé.*

Petr. Aure. in vindic. p.621.

*Ad Concionem omnes aliquando admiſſi* Concil. Cartha. 4. can.84.

De Concione notandum nihil occurrit, cum iam antea munus illud tam Preſbyteri, quàm Epiſcopi fuiſſe dixerimus: niſi forte illud velis obſeruari, ab ea audienda excluſum neminem, quod Carthaginenſi 4. decernitur, *vt Epiſcopus nullum prohibeat ingredi Eccleſiam, & audire verbum Dei, ſiue gentilem, ſiue hæreticum, ſiue Iudæum, vſque ad miſſam Catechumenorum.* Vt vel hinc videas actum illum, quem aduerſarij contendunt & eſſe & haberi debere Hierarchicum; in alios quidem tranſire, ſed non in ſubditos cum imperio & poteſtate, quæ nulla eſt Hierarchæ in Gentiles & Iudæos: qui cum Eccleſiam ſinunrur ingredi, eos ad nauim vſque penetrare non exiſtimo, ſed in porticu, inter Audientes ſubſiſtere, vt & inde cum illis ſuo tempore poſſint emitti. Non ita catecheſes omnibus promiſcuè tradunrur, ne ipſis quidem Catechumenis omnes ſine diſcrimine; vt alibi ex S. Cyrillo Catechiſta dicemus.

*De Communione tradita, quæ eſt tertia actio Hierarchica. Sanctificati panis circumductio.* Dion. c.3. Eccleſ. in Contemp.

In Communione ſpectari plura poſſunt & debent. Ante omnia ſanctificati panis per templum totum circumductio, cum multo thure & ſuffitu. Quam proceſſionem nõ omittit deſignare S. Dionyſius, *Nos igitur vt arbitror,* inquit, *intra ſancta eſſe debemus, nudataque & aperta primi ſigni intelligentia ſpiritali, diuinam eius pulchritudinem intueri, Pontificemque ipſum diuina quadam ratione aſpicere, à diuino altari, vſque ad extremum templum cum odoris fragrantia proficiſcentem, atque ad illud ipſum perficiendi ſacri ſtudio reuertentem.* Quæ res adiuuenta, vt quoniam Hierarcha Dei præporentis expreſſa imago eſt, eius diffuſam in homines omnes, maximéque fideles benignitatem ſignificet, vt rectè inter-

interpretatur Pachymeres: vtque Deum ipſum quaſi extra ſe ad creaturas progreſſum, deinde autem in ſe ipſum immobili quodam proceſſu redeuntem, exprimat. Quæ Dionyſij ipſius contemplatio eſt: *Diuinitas enim etſi ſuprema benignitate, ob eorum qui ſacru ipſius participant communionem; progrediatur: non tamen à natura ſua ſtabili firmoque gradu diſcedit.* Denique vt Pontifex ſacrorum circumlatione ſignorum, Hierarchicam ſcientiam ita populo communicare ſe oſtendat, vt tamen reductus à turba in vnitatem reuertatur; eoque facto ad eandem animorum coniunctionem ſecum, & cum Deo, qui finis eſt Hierarchiæ, fideles omnes inuitet & adducat. De proceſſu autem per Templum, cum donis ante conſecrationem, qui modò apud Græcos in vſu eſt, plura docet Arcudius non contemnenda.

Pachym. in eum locum. *Ex proceſſu Deum exprimit.* Petr. Arcu. l. 3. c. 19. &c.

Peractis ſacris ritibus, Communio ſequitur, ipſius primùm Hierarchæ, deinde cæterorum. *Donis diuinorum operũ monſtratis, ad ſacram eorum Communionem venit ipſe, & inuitat cæteros.* Nam *Sacerdos*, vt inferiùs explicat S. Maximus ſcholiaſtes; *qui non primus capit ea quæ obtulit, profanus eſt.* Deinde *omnis Sacerdotum deſcriptio pontificio inſtituto collecta, cum Diuinorum myſteriorum facta fuerit particeps, cum ſancta gratiarum actione deſinit.* Exiſtimant aliqui, Sacerdotes & altaris miniſtros, intra velum, ſeu in Diaconico communicaſſe, cæteros autem Clericos, quocunque in Ordine conſtitutos, in choro intra Adytum; quod mihi rectus ordo, & auctoritas Canonum perſuadet. Non tamen Laodiceni, qui affertur à nonnullis, qui accuratiſſima verſione ſic eloquitur. *Solis licere ſacratis ad altare accedere, & communicare.* Sacratos autem Clericos omnes, ſaltem maioribus Ordinibus initiatos, dici debere quis ambigit? Apertiùs ergo Concilium Toletanum diſtribuit, eo videlicet ordine, *vt Sacerdos & Leuita ante altare communicent, in choro Clerus, extra chorum Populus.* Cleri autem nomine hoc in propoſito comprehenſos Monachos, & in choro, ſaltem initiationis ſuæ ſolenni luce, communionis participes effectos fuiſſe, ſequenti libro videbimus. Succedit ergo Populus, at non vt nunc indiſcriminatim; verùm pro ætatis, conditionis, ſexus, & ſeruati in templo loci ratione. Quare dubium non eſt quin viri feminis, virgines, vt Deo ſacræ, mulieribus præirent. Id apertè diſcimus ex nobili & generoſa mulierum contentione, apud Homeritas ſub Dunaan Iudæo tyranno, dum cauſas pro ſe quæque proferebant, quibus alias aliæ in morte ſubeunda deberent præcedere. *Monachæ virgines, nequaquam concedebant primas partes ijs quæ iunctæ erant matrimonio: Recordamini, dicentes, quod priùs vobis ſumus propoſitæ & in templorum ingreſſu, & in Sacramentorum participatione, & in ſtatione, & in ſeßione.* Id autem in ſacro Adyto fieri non debuiſſe, tum ipſa ratio, tum ſacri Canones manifeſtant. Sic enim Bracarenſi Concilio decernitur. *Item placuit, vt intra ſanctuarium altaris ingredi ad communicandum non liceat laicis, viris vel mulieribus, niſi tantùm Clericis: ſicut & antiquis Canonibus ſtatutum eſt.*

*Communio in Eccleſia quo facta ordine.* Dion. ibi. in Myſter. Max. in illud caput. in Cont. Dion. ibi. in Cont. *Vbi facta Communio.* Concil. Laod. c. 19. Binius in eum locũ. Concil. Tolet. 4. can. 17. *Monachi in Choro communicant.* Metaph. apud Sur. 24. Octob. Concil. Bracar. 1. can. 31.

Obſeruatos porrò diligentiùs qui communicarent, & quomodo huius in myſterij participatione ſe gererent, docent Concilij Toletani Canones aliqui, ordinis Eccleſiaſtici aſſertores. *De his qui intrant in Eccleſiam, & deprehenduntur nunquam communicare, admoneantur: quòd ſi non communicant, ad Pœnitentiam accedant: ſi communicant, non ſemper abſtineantur: ſi non fecerint, abſtineantur.* Hoc eſt, eum pietatis defectum impoſita per Sacerdotem pœna eluant, ac certè deſcendant in gradus eorum pœnitentium, qui in ſolis precibus, non

*Obſeruati qui communicarent. Explicatio* Concil. Tolet. 1. can. 13.

autem etiam in Synaxi çum fidelibus communicant; quo in ſtatu ſi aliquando communicare decreuerint, ne habeantur eorum loco pœnitentium, quorum conſortium vitari debet. *Si quis autem acceptam à ſacerdote hoſtiam non ſumpſerit, velut ſacrilegus propellatur.* [Ibid. c. 24.]

[*De Eulogiarum cõmunione.*] Quia tamen quotidianam Communionem nulla vnquam ſanctio Eccleſiæ fidelibus impoſuit, vt vmbra quadam eius communionis, in vnum diuinæ caritatis vinculum omnes coïrent, inſtitutæ ſunt Eulogiæ; quarum iam olim Laodicenum Concilium meminit, dum vetat, hæreticorum Eulogias accipi, quod eæ ſunt potius ἀλογίαι, & maledictiones; [Concil. Laod. c. 32.] quæ conſuetudo etiamnum in Eccleſia perſeuerat: non tamen eodem quo primis ſeculis ritu. Si quidem vna modò familia panem offert, qui ſectus in particulas cum fidelibus omnibus communicatur. At verò antiquitùs ad ſacra conuenientes ſinguli, panem in altari offerebant, idque oblationem vocabant, quæ Sacerdotali benedictione accedente, fiebat Eulogia. [Vide Albaſpinæũ l. 1. obſ. 5.] Omnes igitur illi panes permixtim diſſecti, in totum deinde populum diuidebantur, vt dum alter alterius Eulogiam & oblationem perciperet, cõmunione caritatis inuicem ſociarentur. Ita fere Albaſpinæus Aurelianenſis Antiſtes, antiquitatis Eccleſiaſticæ peritus indagator: qui & duplicem locum in hunc ſenſum deducit. Quorum prior eſt D. Cypriani: [Cypr. l. de opere & Eleemoſ.] *Dominicum celebrare te credis, quæ corbonam omnino non reſpicis, quæ in Dominicum ſine ſacrificio venis, quæ partem de ſacrificio, quod pauper obtulit, ſumis.* Sacrificium vocat oblationem Deo factam à paupere, quæ & aliquando Sacramentum appellatur. Poſterior locus eſt ex S. Auguſtino, [Auguſt. Serm. 215. de Temp.] *oblationes quæ in altario conſecrentur offerre, erubeſcere debet homo idoneus* (diues, & qui poſſit ipſe offerre) *ſi de aliena oblatione communicet*: ita quidem vt ſuam oblationem nemini tradat participandam.

[*Græcorum ritus recentior in Eulogia.*] Hanc communionem Eulogiarum, alio quàm vel antiqui, vel nos, ritu celebrant Græci recentiores, nimirum vt panis oblatus duas in partes ſecetur, quarum vna diuinis verbis conſecrata, communicantibus; altera tantùm ſolennibus precibus benedicta, non communicantibus offeratur; & hanc partem ἀντίδωρον appellarunt, quaſi dicas, vicarium donum cœleſtis & myſtici doni. [Ἀντίδωρον quid ſit? Simeon Theſſ. l. de Templo. apud Græc. it Cod. l. 3. c. 12.] Hæc myſteria Simeon Theſſalonicenſis deſcribit libro de Templo. *Poſt hæc ſacris à Protheſi ablatis, Diacono quidem diſcum ſuper caput, Sacerdotibus autem calices tenentibus, ipſe gratijs actis, & manibus lotis egreditur; quodque vocatur ἀντίδωρον in populum diſtribuit. Quoniam enim Epiſcopus Chriſtum, vt docuimus, exprimit, ipſum & ſacrificauit, & participauit, & ſacratis viris impertiuit. Sanctificationem autem participare opus eſt populum, quanta quidem à precibus, & tremendo ſacrificio, intellectuali modo fidelibus communicata eſt. Et quoniam per veſtes quaſdam, vt quæ corpus contexerint, ſanctificationem accipere oportet, per ἀντίδωρον id fit. Eſt autem ſanctificatus Panis in Protheſi repoſitus, ex quo medium exſectum ad ſacrificium offertur. Hic poſtea vt lanceola ſignatus, & diuinis verbis ſuper ſe factis, loco donorum tremendorum, videlicet ijs qui non communicarunt, diſpertitur. Quod Epiſcopus vbi fecit, & populo bene precatus eſt, finem miſſæ imponit.* Neque tantùm ijs qui ſacræ Euchariſtiæ non participarunt, verùm etiam alijs, qui eius expertes non fuerunt, diſtribuitur ἀντίδωρον, Codino ſcribẽte, [Codin. l. de offic. Conſtã c. 17. n. 43.] Imperatorem inaugurationis die, poſt ſacram Communionem, impoſita rurſus corona, finita liturgia, Panem ſanctificatum, quod Antidorum nominatur, cum populo percipere à Patriarcha.

COM:

## COMMUNIO VETERUM ECCLESIASTICA, *Laica, ſine Oblatione, ſtrictim explicata.*

### §. I.

LUCEM dabit vocum iſtarum explicatio, tum innumeris ſanctorum Patrum, & Conciliorum locis, tum ijs quæ mox de Pœnitentibus dicenda erunt. Simplicem verò vocum enarrationem adpromitto: quid enim cognitione dignum afferri poteſt ab hoſpite & peregrino in ſactis hiſce ſtudijs, poſt eruditiſſimas diſſertationes Illuſtriſſimi Gabrielis Albaſpinæi, Aurelianenſis Antiſtitis, & P. Ioannis Phelippæi, quorum nomini venerationis ergo ſemper libens aſſurgam. Gaudeo enim Aurelianenſi placuiſſe Communionem, ſeu communicationem, in Euchariſtiæ ſola perceptione non conſiſtere. Aliud enim cum alij antea vulgò docerent neoterici ſcriptores, Eccleſiaſticorum Canonum opponi poſſe auctoritatem videbam, qui non tantùm in precibus & ſacrificijs; ſed etiam in cætera vitæ conſuetudine Communionem apertè ponunt. Nam cum ſuos olim S. Ioannes Eleemoſynarius ita monebat, *Nullatenus aliquando hæreticorum Communionis, imò coinquinationis participemini; etiam ſi omni vita veſtra ex aliqua impulſione, vel neceſſitate Communionem Catholicæ Eccleſiæ non inuenientes, ſine Communione permanſeritis*: hoc eſt, ſi quæ vos culpa, ſi qui caſus ab Catholicorum Communione fecit extortes, ad hæreticorum conſuetudinem & ſocietatem ne transfugite; præſtat enim nulla Communione frui, quàm hæretica pollui. Hæc inquam cum diceret, ſolas preces & Euchariſtiam non indicabat Patriarcha, ſed omnia vitæ humanæ officia, in quibus cum hæreſi nullam volebat eſſe ſocietatem. Non enim minùs cum hæretico, vel excommunicato communicat, qui profanam, quàm qui ſacram menſam cum eo celebrat. Ne in balneo quidem cũ Cerintho lauare voluit Ioannes Apoſtolus; Marcionem ne ſalute quidem dignatus eſt Polycarpus: cum Ithacianæ factionis Epiſcopis, in Epiſcopi Felicis conſecratione S. Martinus, quamuis inuitus, tamen contra ſanctiraris ſuæ rigorem communicauit. *Talem enim cum Apoſtoli, tum eorum Diſcipuli cautionem in his adhibebant, vt ne ſermone quidem, cum vllo eorum qui adulterarent veritatem, communicare vellent*, inquit Euſebius. Narrat Ioannes Moſchus, Abbatem Coſmam, mortuum hæretici gregis Epiſcopum, vitare in ſepulchro voluiſſe, ne eius Communione fœdaretur. Eliberitani Concilij Canon Epiſcopos prohibet accipere munera, ab eo qui non communicat. Hoc igitur cum fuſe probatum ſit ab Aurelianenſi Epiſcopo, in quo præcipuum diſputationis ſuæ robur & fundamentum collocat: aio ego cum illo, Communionem de qua hoc loco, nihil eſſe aliud, quàm initam cum alio in rebus ſactis profaniſque vitæ ſocietatem, quæ cuius fidei quiſque ſit, & quo in Eccleſia ordine poſitus teſtatur. Quia tamen maxima & præcipua pars illius communionis, in Sacramentorum participatione, ac præſertim Euchariſtiæ conſiſtit; atque ex loco quem quiſque in Eccleſia inter precandum communicandumque ſeruabat; ſingulorum ordinem, & in rebus cæteris communicationem æſtimarunt fideles: idcirco ſatendum eſt, nomine Communionis, non tam ſtatam & publicam in rebus Eccleſiaſticis, & Synaxi communicationem apud ſcriptores antiquos intelli-

Albaſp. l. 1. Obſeruationum.
Ioan. Phel. in c. 4. Oſeæ. V. 8. 9. 10.
*Communio non eſt ſola Euchariſtiæ perceptio.*
Leont. in vita Ioan. Eleemoſ. c. 45.
*Communio omnem vitæ conſuetudinem complectitur.*
Theod. l. 2. hæret. fab.
Hier. l. de ſcrip. Eccl.
Sulp. Dial. 3. de S. Mart.
Euſeb. l. 4. hiſt. c. 13. al. 14.
Ioan. Moſ. in vitis PP. l. 10. c. 40.
*Communio quid ſit.*
*Sæpe dicitur de Communione in Euchariſtia.*

gi, quæ cæteram vitæ ſocieratem & inferar & demonſtret. Quod egregiè monſtratur Eliberitanò Canone aduerſus Mœchos. *Si ſe promiſerit ceſſaturum, detur ei Communio, ſi reſuſcitatus,* (è morbo & mortis faucibus ereptus) *mœchatur, placuit vlterius non edere eum de Communione pacis.* Quare D. Thomas inter Euchariſtiæ ſignificariones, hanc refert *reſpectu rei præſentis, ſcilicet Eccleſiæ vnicatis, cui homines aggregantur per hoc Sacramentum, & ſecundum hoc nominatur Communio, vel Synaxis. Dicit enim Damaſcenus, quòd dicitur Communio, quia communicamus per ipſam Chriſto: & quia participamus eius carne & deitate: & quia communicamus & vnimur ad inuicem per ipſum.*

Concil. Elib. c. 47.
S. Thom. 3. P. q. 73. a. 4.
*Cur Euchariſtia dicta Communio.*
Damaſ l. 4. de fide c. 14.
*Diuerſa Communionum ſpecies.*

Itaque cum in illo Eccleſiaſticæ diſciplinæ vigore, ſtellæ omnes manerent in cuſtodijs ſuis, & aliter Epiſcopi inuicem, aliter Preſbyteri & Clerici, atque alirer Laïci Sacramenra, preces, vitæ communis conſuetudinem obirent, diuerſæ pro cuiuſque modo & ſtaru Communiones diſtinctæ ſunr, Sacerdotalis quæ Epiſcoporum; Eccleſiaſtica, quæ Clericorum, Laïca quæ ſancti populi: vt aliud nihil ſint, quàm vitæ ſacræ & profanæ inter fideles modus tali ſtatui, purà Epiſcopo, Sacerdoti, Diacono, Laïco conueniens & aſſuerus; & Laïcè communicare ſit, in Eccleſia & extra Eccleſiam inter Laïcos cenſeri, more Laïcorum viuere, ritu Laïco Sacramenta percipere, priuilegijs Clericalibus non participare, quæ qualia ſint erit enucleariùs in Pœnitenria dicendum. Nam Laïca Communio, Laïco homini gloria eſt, Clerico dedecus & pœna; quemadmodum Gallo homini Maſſilienſis commoratio domus eſt, Romano ciui, exilium.

*Communio ſine oblatione.*
*Oblationes variæ.*
Canon Apoſtol. 4. Item 5.
In vita S. Polyc. c. 8.
Albaſ. l. 1. obſeru. 6.
Baron. ad an. 314. n. 87.

Id ſatis apertum eſt. Communio ſine Oblarione paulùm obſcurior; quam Laïcâ minorem eſſe conſtar, & Poënirentibus conceſſam: quid autem ea propriè ſit, ambiguum facit vocis ſignificario. Oblationem ſiquidem appellant Patres; tum ſanctiſſimam Euchariſtiam, tum cætera fidelium dona in Clericorum & pauperum vſus oblata, vt *nouas ſpicas, & vuas, & oleum ad luminare, & thymiamata*; quæ ad altare offerri Canon Apoſtolicus permittit: at non *reliqua poma*, quæ tanquam *primitias ad domum Epiſcopo & Preſbyteris* iubet *dirigi.* In vita S. Polycarpi, auiculam legimus à vidua, pro ſacra oblarione donatam. Illuſtriſſimus Aurelianenſis qui Oblationem hoc ſenſu, ab Euchariſtia diſtinguit, communicaſſe cum Oblatione vulr eum fidelem, qui licet ſacræ non parriciparet Euchariſtiæ, in eam tamen vitæ ſacrorumque ſocietatem deueniſſer, in qua eriam eius reliqua dona admitterentur, & in alienos vſus diſtribuerentur, *quod erat communionis genus, & vltima quaſi diſpoſitio, & proxima qua ad Euchariſtiam perueniebatur.* Priorem ſignificarionem communis accipit opinio, vt communicare cum Oblatione ſit, *reconciliari Sacramentis; nempe participem fieri Corporis & Sanguinis Chriſti, quod perfectionis gratia dicebatur, ſive plena Communio; dum ſcilicet nihil minùs à cæteris Chriſtianis haberet.* Ita Eminentiſſimus hiſtoriæ Eccleſiaſticæ enarraror Baronius; Oblarionem in hoc propoſito ab Euchariſtia non ſeiungens.

*Communicare cum oblatione, idem quod communicare in Euchariſtia, ſeu perfecti.*

Vnde ſequitur, communicare ſine Oblatione hac in ſententia eum, cui Sacramenri perfectiui perceptione inrerdictum eſt, licet ad cætera vitæ Chriſtianæ officia admitrarur. Hàc in controuerſia magnos viros conciliari poſſe arbitror, ſi dicimus vrroque ſimul ſenſu accipiendam Oblationem, & neutrum ab altero fuiſſe ſeiunctum: ſi quidem eius qui Euchariſtæ communicabar, ſuſcipiebatur oblatio: & cuius repudiata fuit oblatio, eum ad Sacramenti

menti Communionem admiſſum non fuiſſe, rerum Eccleſiaſticarum periti facilè concedent. Quod præter communem Eccleſiæ veteris conſuetudinem, inde etiam confirmatur, quòd Concilia quæ diuerſos Pœnitentiæ gradus diſtinguunt, Communionem ſine Oblatione vltimum ſemper faciunt, & eo perfunctis gradu & Ordine, poſtea plenam Communionem gratificantur; at ſi Communio cum Oblatione Euchariſtiam non complectitur, in illa etiam habitandum fuiſſet aliquantiſper, & ex ea gradus alius conſtituendus. Id enim Aurelianenſis indicat, dum Communionem cum Oblatione, ait eſſe vltimam diſpoſitionem, ad Euchariſtiæ Communionem, quod eſt peculiarem Pœnitentiæ gradum facere, quem conſequatur plena Communio. Cuius gradus nullam in Concilijs & Patribus vmbram reperturus eſt. Cum ergo Pœnitens ab Communione ſine Oblatione, tranſeat immediatè ad Communionem Euchariſtiæ, eaque ſit perfecta Communio, concludendum profectò eſt, hanc ipſam eſſe Communionem cum Oblatione. Rem ex vno Ilerdenſi Canone demonſtro, quem idem Aurelianenſis, tanquam ſuffragatorem pro ſe adducit. *Placuit vt Nicænæ Synodi ſtatuta ſeruentur, quæ de præuaricantibus cenſita eſſe noſcuntur: id eſt, vt ſeptem annis inter Catechumenos orent.* Hic primus pœnitentium illorum gradus eſt, *& duobus inter Catholicos*, cum populo ſancto in precibus communicent; qui alter gradus eſt iam mitior & honorificentior, *& poſtea moderatione & clementia Epiſcopi, fidelibus in Oblatione communicent*: aut vt habet alia verſio, *in Oblatione & Euchariſtia.* Quam particulam vult eſſe diſiunctiuam; ego pro coniungente accipio, vt duo hæc vocabula *συνώνυμα* habeantur. Quemadmodum in ſcriptura legimus, *Beatus vir qui non ſperauit in pecuniæ theſauris*, ſiue, *pecunia & theſauris.* Quicquid ſit, nihil vides intercedere inter Communionem in precibus, & plenam Euchariſtiæ Communionem: ſi quid autem aliud in vſu fuiſſet Eccleſiæ, quàm facile dixiſſent Patres *& duobus inter Catholicos, & vno in oblatione, & poſtea in Euchariſtia Communicent?* Idem videre eſt in Ancyrano vnde tota quæſtio deducta eſt, *Si triennale ſubſtrationis tempus compleuerint, ſine Oblatione recipiantur: ſi non manducauerunt*, (Idolothyta) *biennio ſubſternantur, tertio anno communicent ſine Oblatione, vt id quod perfectum eſt quadriennio conſequantur.* Seu perfectum illud pro Euchariſtia accipias, ſeu Communionis perfectionem intelligas, vltimus pœnitentiæ gradus eſt, Communio ſine Oblatione, vnde aſcenditur ad id quod perfectum eſt, nempe Communionem cum Oblatione & Euchariſtia. Neque admittenda eſt explicatio Dionyſiana, quam ex tribus vnam eligit, quæque à ſenſu Patrum plurimùm diſſidet, *ſine Oblatione ſuſcipiantur ad Communionem, id eſt, vt ipſi Oblationem non offerant.* Denique nuſquam reperies Communicatum in Oblatione, abſque Euchariſtiæ iure, nunquam in Euchariſtia ſine Oblatione, vt vtrunque ſit vna & eadem plena Communio.

*Communio ſine oblatione vltimus pœnitentiæ gradus.*

Concil. Ilerde. c. 9.

οἱ πληρώσαντες τὸν τῆς ὑποπτώσεως χρόνον χωρὶς προσφορᾶς δεχθήτωσαν· εἰ δὲ μὴ ἐφαγον, δύο ὑποπεσόντες ἔτη, τῷ τρίτῳ κοινωνησάτωσαν χωρὶς προσφορᾶς, ἵνα τὸ τέλειον τῇ τετραετίᾳ λάβωσι.

Concil. Ancyr. c. 5.

Canonem Felicis Pontificis, tanquam validiſſimum arietem, obijcit idem Aurelianenſis, quo decernitur *de Clericis & Monachis, aut puellis Dei, aut ſecularibus, vt duobus annis Oblationes modo omnibus non ſinantur offerre; ſed tantummodo ſecularibus in oratione ſocientur. Vbi Oblatio ſumenda non eſt* (inquit) *pro oblatione & ſacrificio Euchariſtiæ, cum puella & ſeculares eam offerre prohibeantur.* Confirmari poteſt ex hiſtoria Lauſiaca, quæ Candidam lectiſſimam matronam nobis

*Obiectio ex Canone Felicis Papæ 3. ep. 7.*

*Et exhibeτία Lauſiaca Palladij. c.145.*

exhibet *tota nocte laborantem, & molentem, & proprijs manibus facientem panes Oblationis*. Hi panes ſine fermento non ſunt, ac proinde non tam apti ad ſacrificium, quàm ad vſum Clericorum, & egenorum. *Et quamuis rectè ſacrificium Eucharistia vocetur Oblatio, à nullo vnquam eodem nomine Eucharistiam vocari reperies, cum Laicis præbetur manducanda.* Vnde concludit auctor, *Quapropter omnes hi Canones, qui de Laicorum Oblationibus aliquid ſtatuunt, hi omnes de muneribus quæ Laicis in Eccleſia offerebantur, intelligendi ſunt.* Reſponſio facilis eſt & obuia ad decretum Felicis, Oblationes in eo memoratas, verè eſſe dona fidelibus vſitata, quæ & nos agnoſcimus: ea cum à Pœnitentium puellarum manibus excutit Pontifex, hoc tantùm dicit, quod communi loquendi more Canones, communicaturas illas ſine Oblatione. Quare opinionem noſtram validiùs fulcit, vt exacta Pœnitentia, cenſeantur communicaturæ cum Oblatione & Euchariſtia, quam fermentata illa Oblatio non excludit, imò ſociam ſemper aſſumit in plena Communione. Ad eam Confirmationis partem, qua negatur Euchariſtiam Laïcis traditam dici Oblationem, adfero in contrarium, hiſtoriam Nouati & factum, in Euſebio, qui *cum Oblationes conficeret, & partem ſingulis porrigeret, pro eo quòd cum gratiarum actione percipere debebant, iurare miſeros coëgit.* Et Conſtitutiones Apoſtolicas, in quibus poſt Clericos, omnem populum pane diuino reficit Epiſcopus, *& dat Oblationem dicens, Corpus Chriſti*, cui Communicans reſpondet, *Amen.*

*Euchariſtia Laïcis data, Oblatio etiã dicitur.* [illegible]

Euſeb. l.6. hiſt.c.36. [illegible]

Conſtit. Apoſt. l.8.c.13.

*Communio in precibus, eadem quæ Communio ſine Oblatione.*

Ex his ſequitur, Communionem in precibus, ſiue in oratione, nihil eſſe aliud, quàm modò explicatam, ſine Oblatione: quæ Communio aliquando cum fidelibus & Populo ſancto, aliquando cum Catechumenis concedebatur. Et quidem vbi ſimpliciter leguntur aliqui communicare in oratione, id intelligendum eſt fieri cum Populo fideli: vt in Ancyrano Canone; *Placuit eos inter Audientes vno anno conſtitui, ſuccumbere vero tribus annis, in oratione autem communicare biennio, & tunc ad perfectionis gratiam venire.* Vbi vides vltimum pœnitentiæ gradum eſſe Communionem in oratione: cum autem idem de Communione ſine Oblatione monſtratum ſit, ne dubites duo hæc eſſe vocabula, rem eâdem. Agnoſcis præterea primo gradu aliquos inter Audientes ſeu Catechumenos collocari, quos nunquam leges communicare cum Catechumenis, quia nullam Catechumeni ipſi Communionem ſortiuntur; ſed aſcendere ad Communionem in precibus cum Populo. Hæc autem ſocietas in oratione cum Catechumenis, exprimi ſemper debet vt intelligatur, vt cum Felicis Papæ decretum Catechumenis ipſis ait, *Tribus annis inter Audientes ſint, & poſtea cum Catechumenis permittantur orare.*

Concil. Ancyr. c.4.

Felix 3. ep. 7. cit.

DE

## DE COMMUNIONE PEREGRINA *breuis diſſertatio.*

### §. II.

HABET maiorem aliqnantò difficultatem peregrina Communio, in cuius explicatione, ſine inutili diuerſarum opinionum examine, quibuſdam propoſitionibus tanquam paſſibus progrediendum eſt.

I. Communio illa quam peregrinam Canones appellarunt, diuerſa penitùs eſt à ſupra dictis, eiſque omnibus minor. Demonſtratur id S. Chryſoſtomi facto aduerſus Monachos Ægyptios adhuc ignotos, quem legati ipſius Theophili ſic hortantur apud Palladium, *Si placet inquiunt, Domine, ſpiritalis Communionis nondum illis conſortium trade, ne Papam contriſtes;* (Theophilum Alexandrinum eorum Epiſcopum) *caeterùm in alijs omnia in eos officia humanitatis exerce, id enim tibi Epiſcopo conuenit. Ita illos Ioannes ad Communionem minimè admiſit.* Cui conſonat S. Chryſoſtomi vita in Simeone Metaphraſte. *Iuſſit eos in praeſentia manere in templo, quod vocatur Anaſtaſiae;* Communione vero *eos non impertijt, dicens, non oportere, quouſque de ijs ſcripſiſſet ad Theophilum.* His ſcriptoribus potiùs credendum eſt, quàm Socrati ſic narranti. *Viros illos honorificè excipit, precumque participes eſſe permiſit; ſed Communionem myſteriorum illis ſe minimè priùs conceſſurum eſſe dixit, quàm eorum cauſa cognita & accuratè diſceptata eſſet. Cum res in hunc locum erat deducta, falſus rumor ad aures Theophili perlatus eſt, Ioannem eos ad myſteria admiſiſſe.* Putauit illos Socrates ad Communionem precum admiſſos, quia in templo Anaſtaſiae habitare iuſſi ſunt. Atqui ſupra dicebamus, in Catechumenijs templorum, peregrinos eſſe hoſpitatos, haec igitur habitatio ad preces non pertinet. Et ad vitae ſuſtentationem eos illa in ſtatione poſitos, docet expreſsè laudator Palladius. *Manſiones illis in Eccleſia, quae Anaſtaſia dicitur, ad requiem tribuens, ipſe quidem neceſſaria victui non ſuppeditabat.* Idem ſignificat Syneſij factum, aduersùs Alexandrum Epiſcopum, quem cum videret *inhumaniùs à quibuſdam ſenibus tractari, qui de incerta ſuſpicione manifeſtam hoſpitis ignominiam diſpergerent, vt qui nec ſub communi tecto ipſum tolerarent; neque reprehendi,* ait, *neque imitatus ſum ipſos. In Eccleſiam quidem ipſum non ſuſcepi, neque Sacramenti participem feci; domi vero aequaliter cum inſontibus honoraui, qui meus etiam in indignis mos eſt.* Quem morem Baronius Peregrinam Communionem eſſe affirmat: in qua ne precum quidem Communionem vides, longè minùs Euchariſtiae perceptionem. Eſt igitur alia peregrina Communio, à Communione in precibus.

*Communio Peregrina diuerſa eſt & minor ſupra explicatis.* — Pallad. in Dial. — *Probatur ex facto quorundam Epiſcoporū.* — Metaph. in vita S. Chry. c. 83. — Socrat. l. 6. hiſt. c. 9. — *Refellitur.* — Syneſ. epi. 67. — Baron. ad an. 407. tom. 5.

Eadem diſtinctio conficitur ex tribus Concilijs, eodem pene tempore celebratis, quorum vnum Gallicanum eſt, Agathenſe, alia Hiſpanienſia Ilerdenſe & Valentinum. Quae ſimul proferuntur vt aliud ex alio planiùs intelligatur. Agathenſi igitur decretum eſt, vt *ſi quis Clericus furtum Eccleſiae fecerit, peregrina ei Communio tribuatur.* Ilerdenſi aduersùs eos Clericos qui recens defunctorum Epiſcoporum bona diriperent, ſtatuitur, vt qui hoc ſcelus admiſerit Clericus, *reus ſacrilegij prolixiori anathemate condemnetur, & vix quoque peregrina ei Communio concedatur.* Prolixum anathema interpre-

*Eadem diſtinctio probatur ex Concilijs.* — Concil. Agath. c. 5. — Concil. Ilerd. c. vlt.

*Prolixum anathema.*

*Concil. Valent.c.3.*

tot graue, plurimùm à communione perfecta remotum, ad quam non niſi longo poſt tempore regredi non poſſit. Idem alijs verbis diſciplinæ telum diſtringit Valentinum, aduersus parentes & propinquos decedentis Epiſcopi Clericos aut Laïcos, domum expilantes, *vt Communione & conſortio priuentur Eccleſiæ : quia durum eſt vt ad illam conueniat, quam expoliare non metuit.* Ex his omnibus collectis ita diſputo. Eidem, aut certè conſimili peccato, eandem Eccleſia pœnam decernit; illi videlicet ſacrilegio, anathema, peregrinam Communionem, & Eccleſiæ priuationem: Eſt igitur eadem pœna peregrina Communio, & Eccleſiæ priuatio: hoc ſenſu, vt in Communione peregrina inſit & contineatur Eccleſiæ priuatio & quaſi exilium. Atqui ſupra poſitarum Communionum ea vis eſt, vt Eccleſiæ priuationem non inferant, imò potiùs Eccleſiam omni neceſſitate requirant: non ſunt igitur eædem cum iſta illæ Communiones, ſed planè diuerſæ; & hæc alijs minor, quia ab plena & perfecta remotior.

*Peregrina Communio pœna Clericorum.*

*Concil. Regen.c.3.*

II. Peregrina Communio pœnæ nomine indicta eſt, & quidem ſolis Clericis. Vtrunque loquuntur Canones, qui Clericos alicuius culpæ reos, abſque vlla Laïcorum hominum mentione, peregrinæ Communionis volunt eſſe participes. Nam quia ad Pœnitentes ſtrictè dictos non reijciuntur, atque ille ſpiritalis tormenti modus Laïcis ſolis impoſitus eſt, nocentes hoc ordine ad inferiores gradus, deuolui iuſſit Eccleſia, vt Laïci Pœnitentibus, Clerici aut Laïcis, aut ſi res ferat peregrinis, & ignotis hominibus annumerarentur. Quare ſcelera quæ illos eò detraherent; oportet fuiſſe grauiora, quale modò videbamus in rerum Eccleſiaſticarum deprædatione, & in Armentario contra Canonum omnium inſtituta, in Ebredunenſis Eccleſiæ thronum intruſo, quem Concilij Regenſis Patres, aut ad Chorepiſcopatum; aut ad peregrinam Communionem damnant.

*Peregrina Communio Clericis indigenis imposita.*

*Concil. Agath.c.2.*

III. Peregrina Communio non tantùm malè peregrinantibus Clericis impoſita eſt, ſed ijs etiam qui ſua in ciuitate peccarent. De indigenis, ſuperiùs allati Canones probant. Vt & ille alter Agathenſis Concilij in Clericos contumaces, *ſi qui prioris gradus elati ſuperbia, Communionem fortaſſe contempſerint* (illam putà Laïcam cui ſunt in pœnam addicti) *aut Eccleſiam frequentare,* (vt Communicent in precibus ſine Oblatione) *vel officium ſuum implere neglexerint* (vt alio ſe, quàm fideles cæteri, quibus coæquati ſunt, modogerant) *Peregrina eis Communio tribuatur*: vt quandoquidem Eccleſiæ frequentationem, & eam, quæ in ea fit Communionem deſpiciunt; tanquam peregrini inter ſuos habeantur.

*Item Clericis malè peregrinantibus.*

*Clerici peregrinari non poſſunt ſine literis Epiſcopi.*

*Hila. Papa ep.8.q.3.*

*Concil. Andeg.c.1.*

In Clericis peregrinantibus id conſiderandum, neminem abſque ſuperioris ſui literis aliò, vel ad tempus, longe minùs ad perpetuam habitationem migrare potuiſſe. Quod innumeris decretum eſt Concilijs. Epiſcopus igitur à Metropolitano literas profecturus accepit, vt Epiſcopis Gallicanis ſcribit Hilarus Papa, *quòd ſolicitudine diligentiore curandum ſit, ne præter Metropolitanorum ſuorum literas aliqui ad quamlibet prouinciam audeant proficiſci: quod etiam in omni genere officij Clericalis per ſingulas debet Eccleſias cuſtodiri.* Sic Andegauenſi Concilio cauetur, *nec de loco ad alium ſine Epiſcopi permiſſione tranſire, nec ſine commendatitijs Sacerdotum ſuorum literis commeare.* Huic regulæ ſubditi etiam Abbates & Monachi, Clericorum fratres, vt Aurelianenſi ſcribitur,

*Abbati-*

*Abbatibus, Presbyteris, omnique Clero, vel in religionis profeſſione viuentibus, ſine diſcuſſione vel commendatione Epiſcoporum, pro petendis beneficiis ad Domnos* (Principes) *venire non liceat.*

Concil. Aurel. 1. can. 7.

Fuiſſe autem diuerſa Epiſtolarum eiuſmodi genera, & quaſi gradus, demonſtrant hiſtoriæ. Summæ & perfectiſſimæ illæ, quæ à Nicænis Patribus Formatæ ſunt appellatæ, quòd certa forma ſcriberentur, quam adulterare difficile foret. Dictæ eædem Communicatoriæ, Pacificæ, Canonicæ, quod ad Canonum regulas exactæ, Clericos facerent peregrinos pacatè & perfectè cum indigenis, tam in diuinis, quàm in profanis rebus communicare. Inferioris notæ fuerunt Commendatitiæ, (συστατικαὶ) Græcis dictæ: quæ ſtricta ſignificatione acceptæ, ijs dabantur vel qui gradu moti fuerant, vel Communione priuati, vel hæreſis aut ſchiſmatis ſuſpecti, demum non omni dubitatione poſtpoſita in cæterorum conſortium & Communionem admittendi. Eam diſtinctionem Commendatitiarũ à Communicatorijs, & ſubtiliter peruidit, & eruditè probat laudatus antea P. Phelippæus. Sic enim Canon Chalcedonenſis, ex interpretatione Gentiani Herueti, *Literas Commendatorias ijs ſolis perſonis quæ ſunt ſuſpectæ præberi oportet.* Proinde qui eas deferrent, illos ante diligenter probari oportuit, quàm ad Communionem admitterentur. Sic enim præcipiunt Apoſtoli, *Nullus peregrinorum Epiſcoporum, aut Presbyterorum, aut Diaconorum, ſine cõmendatitijs ſuſcipiatur Epiſtolis, & cum ſcripta detulerint, diſcutiantur attentiùs, & ita ſuſcipiantur* (ad plenam & perfectam Communionem) *ſi prædicatores veritatis extiterint. Sin minùs, illis ad victum neceſſaria cum præbueritis, vlteriùs ipſos in Communionem ne recipite; multa enim fiunt per ſubreptionem.* Poſt inquiſitionem illam ſi aut conuicti aut ſuſpecti manent, arcentur à Communione, non tamen vitæ ſubſidia denegantur. *Ad vitam namque neceſſarijs indigentes negligere, & eos à ſe reijcere, inhumanum iudicatum fuit ab Apoſtolis, auaritiamque ſimul arguunt eorum qui tales non receperunt,* inquit Zonaras. Sunt & aliæ quæ Confeſſoriæ dicuntur literæ, datæ à Confeſſoribus, magna reuerentia acceptæ ab Epiſcopis, quandiu ſine ambitione & contentione traditæ ſunt. Verùm ſacrarum legum, & Prælatorum imperia paruipendentibus nonnullis Confeſſoribus, quæ naturæ mortalis infirmitas eſt, decreuerunt Concilia, vt eæ literæ in Communicatorias mutarentur. Sic in Eliberino legimus, *Omnis qui attulerit literas Confeſſorias, ſublato nomine Confeſſoris, eò quòd ſub hac nominis gloria partim concutiant ſimplices, Communicatoriæ ei dandæ ſunt literæ.* Et in Arelatenſi antiquo. *De his qui Confeſſorum literas afferunt. placuit vt ſublatis literis, alias accipiant Communicatorias.* Conueniunt igitur Confeſſoriæ cum Communicatorijs, quoad effectum quem expetunt.

*Earum literarum ſpecies diuerſæ.*
*Formatæ ſeu Communicatoriæ.*
*Commendatitiæ.*
Phelip. in c. 4. Oecu. V. 8. &c. n. 9.
Concil. Chalc. act. 15. can. 11.
Canon. Apoſtol. 32. al. 33. al. 34.
[illegible]
Zonar. in eum locũ.
*Literæ Confeſſoriæ.*
*Mutatæ in Communicatorias.*
Concil. Elib. c. 25.

At verò ſi quis Clericus aut Monachus abſque literarum illarum viatico ſe dedit in viam, admiſſus omnino non eſt ad vllam Communionis partem: vt Epaonenſi decreto vetatur, *Presbytero vel Diacono, ſine Antiſtitis ſui Epiſtolis ambulanti, Communionem nullus impendat.* Quod Aurelianenſi 3. renouatur. Quamobrem Ægyptios Monachos, de quibus olim, ſine literis Theophili Conſtantinopolim profectos, Magnus Antiſtes nulla Communione ſibi ſociauit, ſed tantùm Olympiadem Diaconiſſam, magnificentiſſimam matronarum, illis neceſſaria ſubminiſtrare, non tam permiſit, quàm diſſimulauit. Quantùm enim erat periculi, ne cum excommunicatis & hæreticis communicarent pij Præſules, quales erant Origeniſtæ illi Mo-

*Sine literis clericus nõ admittitur ad Communionem.*
Concil. Epaon. c. 6.
Aurelia. 3. can. 15.

Canon. Apoſtol. 12.

nachi? nonne tanto malo iam olim prouidit Apoſtolica regula, *ſi quis Clericus aut Laicus excommunicatus, vel non recipiendus, in aliam ciuitatem profectus, recipiatur ſine literis commendatitijs, excommunicetur & excipiens, & exceptus.*

Zonar. in eum locū.

Commendatitias hoc loco Zonaras explicat noſtro ſenſu, *quæ dantur Clericis aut Laicis ab alterum commercio ſeparatis; aut Lectoribus in aliam ciuitatem abeuntibus, ipſos illius Epiſcopo loci commendantes, vt omni ſolutos reprehenſione, vel fideles exiſtentes.*

Ex his vides Lector tria peregrinorum ſacrorum genera. Primum, eorum eſt qui ad plenam communionem communicatoriarum literarum præſidio introducuntur. Alterum, eorum qui ab omni penitus Communione remouentur Epiſcopalium literarum defectu. Tertium medium, eorum qui commendatitiarum virtute, non quidem ad ſacrorum myſteriorum participationem cum fidelibus, ſed ad externa vitæ præſidia cum illis percipienda conuocantur. Quo loco & illud obſeruare te velim, non ſolis Clericis, ſed & Laïcis, ijſque egentibus peregrè proficiſcentibus datas haſce Formatas, quoniam duo illa hominum genera Eccleſiæ opibus & liberalitate ſuſtentabantur. Hoc eſt Concilij Chalcedonenſis decretum. *Omnes pauperes & indigentes Eccleſiaſticis auxilijs, cum proficiſcuntur ſub probatione Epiſtolij, ſiue pacificis, quæ dicuntur Eccleſiaſtica, tantummodo commendari ſtatuimus, & non commendatitijs Epiſtolis.* Eodem igitur fine & commendatitias Clericus, & communicatorias Laïcus pauper accipiebant: ſed non eodem vterque meriti gradu. Siquidem Laïcus cum Pacificis ſuis alimoniam hauriebat ab Eccleſia, ſui ſtatus honore ſeruato; Clericus autem cum commendatitijs ſæpe Clericatus honore, & Laïca etiam Communione deiectus, in ſola ſuſtentandæ vitæ communione ſiſtebat.

*Laïcis etiam peregrinantibus data litera.*

Concil. Chal. act. 15. can. 11.

*Peregrina Communio à peregrinitate dicta.*

IV. Peregrina Communio licet rectam nuncupationem ab explicata peregrinatione acceperit, dici tamen etiam poteſt Clericorum maximè reſpectu, à peregrinitate ducta eſſe. Id dico ad Apoſtoli ſenſum, & rei ipſius veram notitiam. Cum enim ſcribit ad fideles, *non iam eſtis hoſpites & aduenæ, ſed eſtis ciues ſanctorum & domeſtici Dei;* vult omnes Deo dignos quocunque terrarum proficiſcantur, vt ciues recipi, non vt hoſpites; quòd ſi qui vitio ſuo, non iam inter Eccleſiæ ciues, ſed inter ignotos & peregrinos cenſeri merentur (quemadmodum apud Romanos, nonnulli ciuium iuribus & numero ob delicta exempti, ad peregrinitatem redigebantur) eos Eccleſia non Communione ciuium, ſed externis quibuſdam ſubſidijs, tanquam meros aduenas & peregrinos dignatur.

Ephe. c. 2.

*Peregrina Communio ſacrum nihil reſpicit.*

V. Peregrina denique Communio ſacrum nihil reſpicit, ſed quod iamdudum indicamus, victum & veſtitum & reliqua vitæ præſidia, opem quoque in negotijs, in rebus dubijs, in potentiorum iniurijs, quæ auxilia egentibus & peregrinantibus denegare non potuerunt Epiſcopi. Vnde profecta dicendi forma in Regenſi Concilio, *aut peregrina, vt aiunt, Communione foueatur.* Confici poteſt ac debet hæc aſſertio ex omnibus ante-dictis. Nam cum aliqua ſit Clericorum pœna, maior etiam Communione precum, vt quæ templi ſeptis & parietibus arceat, quæ tamen aliquo modo cum fidelibus communicare permittat, nulla ſupereſt alia, quàm externa vitæ communicatio, quæ peregrinis, pene ignotis hominibus, Eccleſiaſtica liberalitate impenditur. Et hæc ſancti Populi occaſione de Eccleſiaſticarum Communionum generibus dicta ſunto.

Concil. Regenſ. can. 3.

ORDI-

## ORDINES EXPIANDI REFERUNTUR, ET à Petri Aurelij calumnia vindicantur.

## CAPVT XVII.

NATIVVS Dionyſiacæ doctrinæ ordo hic eſt, vt tres patientis Hierarchiæ, ſi ſic loqui fas eſt, gradus diſtinguantur: ſupremus Monachorum, qui à Pontifice perficiuntur, Medius Populi ſancti, qui à Sacerdotibus vt plurimum illuminatur: Poſtremus Expiádorum, qui Diaconorum miniſterio, à Sacerdotibus & Pontifice purgari, & ad ſacra admiſſi myſteria, ſancto Populo congruis temporibus ſociantur. Hos Ordines vocat Magnus dictator *excellentes*, quoniam ad diuinam Sacramentorum participationem vel reipſa pertingunt, vel pro virili aſpirant. *Excellentes* ſanè, ſeu Monachos, & irreprehenſibiles Laïcos, tanquam præcipuam partem ſpectas: ſeu Purgandos, cum externis & fidei hoſtibus comparas; *ad quos Dei ſermo factus eſt*, vt pro modulo etiam ſuo, Dij poſſint aliqua ratione nuncupari. Scio equidem à S. Maximo ſcholiaſte, non legi apud Magiſtrum, τῶν ὑπερβεβηκότων, ſed τῶν ὑπερβεβηκότων ἔξωθεν; eamque lectionem interpretibus nonnullis arridere: quam ſic amplecti volo, vt alteri tamen indicendum non putem exilium, quando probi ſenſus capax eſſe oſtenditur. Neque patitur S. Dionyſij modeſtia, vt de ijs qui quoquo modo ad Hierarchiam pertinent, vt ſacros eius influxus patiantur, adeo demiſsè, abiecteque ſentiamus: cum in iſtos nihil grauius pronunciet, quàm eſſe omnium Hierarchizatorum *imperfectiſſimos*. Ipſos certe Pœnitentes, quorum nonnulli à ſacrorum participatione quàm longiſſimè abſunt, tanti facit Eccleſia, vt morientes ſibi reconciliet, mortuos autem ſinu amantiſſimo recipiat, vt videbimus. Quæ ideo hoc aditu à nobis dicuntur, vt noua & falſa Petri Aurelij de gradibus iſtis, doctrina clariùs explodatur; quam cum paucis propoſuit, inſultat more ſuo aduerſarijs, exclamatque, *quæ ſi Moliniſtis noua videantur, ſciant adeo vetera eſſe, vt ſolis ijs qui noua quærunt, vetera neſciunt, ipſa vetuſtate ſint noua.* Contendimus autem ex aduerſo planè nouam, & à veteris Eccleſiæ ritu penitus alienam eius eſſe ſententiam, quam ſic exponit.

*Ordines Hierarchici Laudo apud S. Dionyſiũ.*

Καὶ τῶν ὑπὲρ αὐτοὺς τελέσαι τῶν ὑπερβεβηκότων ταξέων. Dion. c. 5. Eccleſ.

S. Maximus in eum locũ.

τῶν ἱερῶν τελετῶν ἀτελέστατον. Supra. Ibid.

Poſtremam Angelorum Hierarchiam, veram eſſe ait Hierarchiam, quia vim & poteſtatem, nonquidem in Angelos, vt aliæ, ſed certè in homines exerunt, à ſua natura extraneos. Sic & Diaconos in Eccleſiæ Hierarchia eſſe, *qui tamen olim functiones ſuas Hierarchicas, non niſi erga homines extra Eccleſiam poſitos exercebant.* Præclara ſanè accommodatio, ſi vera; licet enim neceſſariam non eſſe actionem exeuntem in alios, eoſque ſubditos, eo ſenſu quo vult ipſe, priorum in hoc tractatu librorum omnes paginæ clament; deque ipſis Angelis id peculiariter ſit à nobis demonſtratum: eſto tamen, ſumatur hoc ad tempus principium, *Hierarchiam vim ſonare & poteſtatem in alios exercendam.* Qui ergo ſunt illi Diacono ſubiecti? *Catechumeni, Pœnitentes, Energumeni; quos extra Eccleſiæ Communionem fuiſſe, nec fidelium numero comprehenſos, norunt omnes, quibus veteris Eccleſiæ diſciplina nota eſt.* Velim id mihi vetuſtatis ignaro probari. *De Catechumenis nemo negabit. De Pœnitentibus & Energumenis, Patrum & Con-*

*Petri Aurelij doctrina proponitur. inferiùs confutanda.*

In vind. pa. 440. 441.

*ciliorum conſenſu eſt; nec difficilis probatio.* Tribus ergo capitibus hæc Aureliana poſitio continetur. 1. Non niſi erga externos laboratum à Diaconis. 2. Extraneos eſſe ab Eccleſia tres illos Initiandorum Ordines. 3. Id Patrum & Conciliorum auctoritate probari. Quæ ſunt omnia paulò diligentiùs perueſtiganda, & illius expiationis ratio ex antiquitate Eccleſiæ proferenda.

*Diaconi diquos intra Eccleſiam poſitos Hierarchizant.*

Vtque à primo capite ordiamur, quià & ab alijs ſeiunctum eſt, & apertiorem continet falſitatem: ſi Diaconus, aut quilibet alius miniſter, *non niſi extra Eccleſiam poſitos* purgat: de Monachis quid dicis Aureli? Sanè aut ipſos extra Eccleſiam eſſe, quod impium dictu; aut nihil Diacono negotij eſſe cum Monachis. Atqui epiſtola illa S. Dionyſij ad Demophilum, quam ſuauiter deoſcularis, imperat Monacho, vt rite & ordine *à Sacerdotibus, per interiectos miniſtros, cum tempus poſtulabit, diuina diſcat.* Habent igitur Diaconi quod agant in Monachos. Populus autem ſanctus qui tibi videtur? Extra Eccleſiam, an in Eccleſia? Et huic Diaconus prædicat Euangelium, & Apoſtolum, ſacram diſtribuit Euchariſtiam, *precationem facit pro cuncta Eccleſia.* Purgat igitur etiam poſitos intra Eccleſiam. Adde quòd ſi Eccleſia nauis eſt, Epiſcopus Proreta, Preſbyteri nautæ, fideles vectores; Diaconus in ipſa otioſus eſſe debet, cuius totus labor extra Nauim impenditur. Atqui Nauis ipſius *diſpenſator* eſt, *populum ſpeculatur, locis occupandis præeſt, vt quiſque eorum qui ingrediuntur in locum ſuum ſe conferat.* Non igitur nihil in ipſa Eccleſia erga Chriſtianos exercet officij. Denique quod *olim* factum dicis, iam non fieri concedis. *Olim* autem Diaconi *non niſi homines extra Eccleſiam poſitos* Hierarchizabant; ideoque reponebantur in Hierarchia, & quidem *diuino iure*: quæro ex te, quid modò fiat? Sunt-ne etiamnum in Hierarchia? Affirmas ex Tridentino. Bene eſt. An iſto etiam ſeculo *functiones ſuas Hierarchicas, non niſi* erga extraneos ab Eccleſiæ exerunt? Non arbitror; neque tu aſſeris, qui *olim* id fuiſſe definis. Potuerunt ergo Diaconi veteres Hierarchizare domeſticos fidei, & recentes poſſunt in Hierarchiam reponi, ſine exquiſita illa antiquitatis Eccleſiaſticæ refoſſione, in qua præter inanitatem mihi nihil apparet. Nam quis noſtrates hoſce Diaconos non miſereatur, nulla ſua culpa, ex Angelorum ſimilitudine decidiſſe, quæ antiquorum Hierarchiam faciebat? Aut quis eorum felicitati non gratuletur, illa deperdita, tenuiſſe tamen Hierarchiam modo alio, quem in veteribus lynx antiquitatis Aurelius non peruidit? Et hæc pauca de primo Eccleſiaſticæ Aurelianæ vetuſtatis capite; ad alia transeamus.

Dion. ep. 8. ad Demo.

S. Clemens Conſtit. Apoſt. l. 2. c. 57. & ep. 1. ad Iacob.

---

## *DE POENITENTIA. QVOTVPLEX EA SIT, & quatenus ad ſacros homines pertineat.*

## CAPVT XVIII.

*Hæretici pœnitentiam ſecretam improbant.*

POENITENTES primo loco explicare libet, quia propiùs ad Communionem recens expoſitam pertinet ea tractatio. Ante omnia audiendi non ſunt hęretici, qui priuatam ſcelerum expiationem, quam auricularem appellamus, ab Eccleſia procul amandatam volunt; probata interim publica criminum ſuorum profeſſione. Quo ab vſu non abhorret Claudij Seguenoti opinatio, *Pœnitentiam Sacramentalem ex*

*ordine*

*ordine & natura ſua publicam eſſe debere, & niſi Chriſtus ſecretam eſſe voluiſſet, publicè neceſſariò fuiſſe ſubeundam.* Cui dicto à Facultate Pariſienſi nuper damnato, multa poſſunt & debent opponi, eorum quæ diſputant aduerſus Lutherum & Caluinum neoterici Controuerſiarum ſcriptores; quæ fuſiùs perſequi mei non eſt operis. Vnum dico, non videri publicam pœnitentiam, ſine illa ſecreta aut comite aut præuia fuiſſe in Eccleſia, quod inferiùs commodiore loco probabitur. Certè qui Pœnitentes expiandos, Hierarchicè primus admonuit S. Dionyſius, auricularem vnius hominis exomologeſin à Demophilo prohibitam & improbatam fuiſſe, improbat ipſe grauiſſimè.

Segue. not. ad l. de S. Virgin. p. 184.

Itaque & Pœnitentia & reconciliatio duplex ſemper fuit; Publica altera, altera priuata. Hanc in Eccleſia ſemper conceſſam fuiſſe in exitu, etiam ijs qui ſe peccatis omnibus contaminaſſent, dubitari non poteſt poſt Tridentinum. Illam autem maximis quibuſdam criminibus ita denegatam, aliquibus in Eccleſijs, vt nec in fine daretur, tradunt antiquæ ſeueritatis Concilia, præcipuè Eliberitanum, in quo nihil pene frequentiùs legas, quàm hanc Canonum clauſulam. *Nec in fine accipiant Communionem; Placuit eos nec in fine accipere Communionem*, &c. Id eſt, nec extrema laborantes ægritudine publicam ab Epiſcopo, vel eius auctoritate à Presbytero accipere benedictionem & reconciliationem: adeoque mori, ab viuifici Sacramenti participatione extorres, publicarum Eccleſiæ precum expertes, ſoli Deo reconciliatos. Quam aſperitatem leniuit Eccleſia Gallicana, vt in Arauſicano 1. legimus. *Qui recedunt*, inquit, *de corpore, pœnitentia accepta, placuit ſine reconciliatoriâ manûs impoſitione eis communicari: quod morienti ſufficit conſolationi, ſecundùm definitionem Patrum.* Vult igitur illos Eccleſiæ reſtitui, ſed priuata tantùm reconciliatione: vnde profectò eueniet, vt quia publicè legitimam pœnitentiam non exegerunt, ſi ſuperuixerint ſtent *in ordine Pœnitentium, & oſtenſis neceſſarijs Pœnitentiæ fructibus, legitimam Communionem cum reconciliatoria manus impoſitione percipiant.* Quod etiamnum ab ijs, vt ferunt tempora, videmus obſeruari, qui vrgente mortis periculo à cenſuris & peccatis ſimul ſoluti, poſtquam ſoſpitati redditi ſunt, non dubitant quin Epiſcopali abſolutioni recipiendæ ſint obnoxij.

*Pœnitentia priuata ſemper conceſſa in Eccleſia.* Concil. Trid. ſeſſ. 14. c. 7. *Cōcilij particularis Eliberitani ſeueritas.* *Lenita in Gallijs.* Concil. Arauſic. 1. can. 3.

Præterea frequens eſt in Patribus Exomologeſeos vocabulum, quo quid ſignificetur, non conueniunt interpretes, quos commodo tuo conſules. Illos ego conciliari poſſe arbitror, & Exomologeſin nonnunquam pro ſecreta & auriculari criminum enunciatione, illique addita pœna, ſumi; vt cum laudando ſcribit S. Cyprianus, *hoc ipſum apud Sacerdotes Dei dolenter & ſimpliciter confitentes, Exomologeſin conſcientiæ faciunt, animi ſui pondus exponunt*, (hoc eſt, quod interiùs animi latebris clauſum erat, & cogitatu ſolo admiſſum latebat, adeoque Cenſuris Eccleſiaſticis inuium, in publicum poſtulata ab Sacerdote venia proferunt) *ſalutarem medelam paruis licet & modicis vulneribus exquirunt.* Cum antea declamaſſet obiurgando, *ante expiata delicta, ante Exomologeſin factam criminis, ante purgatam conſcientiam ſacrificio & manu Sacerdotis, pacem putant eſſe.* Frequentiùs tamen externos illos profeſſæ pœnitentiæ ritus ea voce comprehendi exiſtimo, eaque eſt notiſſima Tertulliani traditio. *Exomologeſis proſternendi & humilificandi hominis diſciplina eſt, conuerſationem iniungens miſericordiæ illicem, de ipſo quoque habitu atque victu mandat*; & quæ ſequuntur inferiùs producenda: quibus ſubiungit ſcriptor auſterus, *hæc omnia Exomologeſis, vt pœnitentiam commendet, vt de periculi timore dominum honoret. Cum igitur pro-*

*Exomologeſis quid?* *Auricularis confeſſio.* Cypr. l. de Lapſis. *Publica pœnitentia actibus omnes.* Tertul. l. de Pœnit. c. 9.

*uoluit hominem, magis releuat; cum ſqualidum facit, magis mundatum reddit; cum accuſat, excuſat; cum condemnat, abſoluit.* Quibus actibus, ſine dubio, interior animi dolor, & ſcelerum horror adiungi debuit, vt plena eſſet Exomologeſis. Quare eodem loco dicit Tertullianus, *Pœnitentiam non ſola conſcientia preferri, ſed etiam aliquo actu adminiſtrari. Is actus qui magis Graeco vocabulo exprimitur & frequentatur, Exomologeſis eſt, qua delictum Domino noſtrum confitemur.* Aliquando & ſimplex illa, audiente Deo, peccatorum profeſſio non enucleata, qualem ſolam pertinaciter agnoſcere volunt hæretici, Exomologeſis & eſt & dicitur: vt in eodem Tertulliano dominicam orationem explicante, legimus ad illa verba, *Dimitte nobis debita noſtra. Exomologeſis eſt petitio veniæ, quia qui petit veniam, delictum confitetur.* Illam ergo poſtulationem auctor Exomologeſin appellat. Et S. Cyprianus Hebræos pueros ſcribit *quo minus Exomologeſin Deo facerent, nec inter flammas & camini æſtuantis incendia, quieuiſſe.* Quibus concinit Hermas Paſtor, vbi prauum triſtitiæ motum reprehendit. *Et iterum malè facit quod triſtis orat Dominum, & non ante facit Exomologeſin, & non impetrat à Deo quod petit.* Hoc eſt, corde intimo ſeſe coram Deo omnium iudice peccatorem non agnoſcit, vt ea profeſſione deiectus veniam à Deo pacemque exoret. Quamobrem plenam aio perfectamque Exomologeſin interiùs Deo per contritionem, Sacerdoti exteriùs ad aures per confeſſionem, populo publicè per Pœnitentiam, notam eſſe debuiſſe: quæ omnia, mutatis tantùm externis publicæ Pœnitentiæ ritibus, ſemper conſeruauit Eccleſia.

*Actus interni & externi includit.* Tert. ibid. *Aliquando generalis peccatorum profeſſio.* Tertul. l. de Orat. c. 7. Cypr. l. de Lapſis. Herm. l. 2. c. 10. *Plena Exomologeſis.*

In qua quia verſamur, de ea vniuersè pronunciare poſſumus, alicuius criminis reos, impoſita per ſuperiorem Pœnitentia, ſic gradu ſuo deiectos, ad inferiorem eſſe deuolutos. Nam Clericis Laïca Communio imperata; Laïci aut ad Catechumenos remiſſi, aut ad ſubdiualem Pœnitentiam deportati: Catechumeni Audientibus redditi, Audientes eiecti. Sic Canon Cæſarienſis *Catechumenus peccans, ſi eſt inter genu flectentes, fiet Audiens: ſin eſt Audiens, expelletur.* Sed vt iſta dilucidiùs exponantur, age, pœnam Clericis irrogatam primùm omnium inſpiciamus, affirmemuſque nulli Epiſcopo eam degradationem, nulli Clerico Pœnitentiam imperatam, qualem obierunt Laïci; ſed iſtos tantùm ad Laïcorum formam conditionemque fuiſſe depreſſos. Eſt enim certa hæc Conſtantinopolitanæ Synodi regula, *vt Pontifex ad locum Pœnitentium ſe ſe non degradet: ſi verò degradauerit, non ampliùs honorem Pontificalem ſibi vindicet.* Interrogatus quoque Balſamon, vtrum Epiſcopo ad Monaſticam vitam, aut Pœnitentium gradum deſcendente, liceat in poſterum ſacra, eodem quo antea modo obire, reſpondet ex Canone ſecundo Synodi Conſtantinopolitanæ, non licere, & ſic allegat Canonem. *Si quis Epiſcopus, vel aliquis alius ex Pontificali dignitate, voluerit ad vitam Monaſticam deſcendere, vel Pœnitentiæ locum implere, ne amplius Antiſtitis dignitatem vſurpet.* S. Leo priuilegium hoc ad cæteros in maioribus Ordinibus conſtitutos extendit, ad Ruſticum ſcribens, *alienum eſſe à conſuetudine Eccleſiaſtica, vt qui in Presbyterali honore, aut in Diaconi gradu fuerint conſecrati, hi pro crimine aliquo ſuo, per manus impoſitionem remedium accipiant pœnitendi. Quod ſine dubio ex Apoſtolica traditione deſcendit.*

*In Pœnitentia publica deiecti de gradu ſuo ad inferiorē.* Concil. Cæſ. c. 25. *Pontifex nō ſe degradat.* Concil. CP. c. 11. apud Har. ſect. 1. tit. 4. Balſa. l. 5. Reſp. Interrog. 8. ex Synodo CP. 2. Forte legendum τάξιν. S. Leo. ep. 92. ad Ruſticum c. 2. *Clerici non accipiunt Pœnitentiā publicam Laicorum.*

Fuit autem illa, quam propriam Clericorum dicimus, Pœnitentia, omnino triplex, Excommunicatio, depoſitio, & vtraque ſimul iuncta. Hic peritè demonſtrat Phelippæus, depoſitos nonnunquam Clericos, qui non excommunicarentur: excommunicatos, qui non deponerentur: idque ex Apoſto-

*Triplex Clericorum Pœnitētia.* Phelip. c. 11. n. 7.

lico Canone, *Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus in ſcortatione, vel periurio, vel furto deprehenſus, ordine ſuo ſubmoueatur, ab Eccleſia tamen non excludatur: dicit enim ſcriptura, non punies bis in idipſum. Eodem modo & alij Clerici.* Duplicem pœnam putant Apoſtoli, depoſitionem de gradu & Ordine Clericali; atque Sacramentorum priuationem. Eodem ſpiritu inſtincti Patres Aurelianenſis Concilij, depoſitionem imponunt ſine excommunicatione. *Si quis adulteraſſe aut confeſſus fuerit, vel conuictus, depoſitus ab officio, Communione conceſſa, in Monaſterio toto vitæ ſuæ tempore retrudatur.* Et conſequenter, *Si quis Clericus furtum aut falſitatem admiſerit, quia capitalia & ipſa ſunt crimina, Communione conceſſa, ab ordine regradetur.* Et ante hæc tempora, Neocæſarienſe Concilium, ipſo aditu decernit *Presbyterum, ſi vxorem duxerit, ab Ordine deponi*, non autem ab fidelium Communione deijci. *Si verò fornicatus fuerit, vel adulterium perpetrauerit, ampliùs pelli debere, & ad Pœnitentiam redigi.* Quoniam is primo peccato Laïcus effectus eſt, altero infra Laïcos amandatur ad Pœnitentiam, in qua excludatur ab Euchariſtiæ perceptione. At ijdem Apoſtoli excommunicatione plectunt eum, quem ab officio non dimouent alio Canone, *Epiſcopus, vel Presbyter, qui Cleri vel populi curam non gerit, & eos pietatem non docet, ſegregetur: & ſi in ſocordia perſeueret, deponatur.*

*Excommunicati ſine depoſitione.* Canon Apoſtol. 25. *Depoſiti ſine excommunicatione.* Concil. Aurel. 3. can. 7. Ibid. c. 8. Concil. Neocæſ. can. 1. Canon Apoſtol. 58.

In grauiſſimis tamen piaculis vtraque coniunctim pœna impoſita, quod monet Zonaras, *Sunt alia*, inquiens, *delicta, de quibus conuicti ſimul & Ordine mouentur, & à conſortio fidelium ſeparantur, vt qui pecunia, Principis-ve poteſtate Pontificatum ſibi vendicant.* Quibus verbis ad Canonem 30. alludit, quo id ipſum legimus conſtitutum. Eandem pœnam vſurarijs Clericis irrogant Eliberitani Patres. *Si quis Clericorum detectus fuerit vſuras accipere, placuit degradari, & abſtinere.* Felix Papa III. in Concilio Romano, de lapſis Epiſcopis, Preſbyteris, & Diaconis ſcribit, *vſque ad exitus ſui diem in Pœnitentia (ſi reſipiſcunt) iacere conuenit, nec orationi non modò fidelium, ſed nec Catechumenorum omnimodis intereſſe. Quibus Communio Laïca tantùm in morte reddenda eſt.* Illos enim pro ſacratis perſonis non habet Pontifex, adeoque depoſitos ab Ordine pronunciat, & inſuper excommunicatione præſcindit ab Eccleſia. Huc refero Concilij Aurelianenſis decretum, de Clerico qui publicè apud Iudicum tribunalia peierauerit, *biennij tempore excommunicatione plectatur.* Cum enim eodem Canone depoſitionis pœna in fures & falſarios pronunciata eſſet ob criminum diritatem, ſitque atrocius periurium, cui iam ante depoſitionem indixerant Apoſtoli; hoc etiam Concilium, iſtud quaſi ad demenſum, adijcit ob publici ſcandali contumeliam; vt depoſitus Clericus biennio à Communione abſtineat.

*Vtraque pœna ſimul inflicta.* Zonar. in Can. Apoſtol. 25. Concil. Eliberit. can. 20. Felix 3. epiſt. 7. in Conc. Rom. 3. Concil. Aurelia. 3. can. 8.

Quærat hic aliquis, cum eæ pœnæ ſolitariè ſpectantur, & imponuntur, vtra ſit grauior, depoſitio, an excommunicatio? Reſpondet optimè Phelippæus, illam hac fuiſſe ſeueriorem, vel eo nomine, quod temporaria erat excommunicatio, & ea ſoluta, quaſi natalibus ſuis reſtitutus Clericus, ſuum vt ante munus obire poterat: illa autem perpetuum ab gradu, officio, honore Clericatus exilium indiceret, & in ordinem Laïcum ita redigeret, vt ad deperditum Clericatum poſtliminio redeundi nulla ſpes ſupereſſet. Quod S. Baſilij Canon probat, Diaconum fornicarium depoſitione, non autem excommunicatione condemnans, ſed cum Laïcis communicare permittens. *Quòd qui ſunt quidem in ordine Laico, à loco fidelium eiecti, rurſus in eum ex quo ceci-*

*Depoſitio pœna grauior excommunicatione.* Phelip. cit. n. 7. Baſil. ep. ad Amphi. can. 3.

*derunt locum recipiuntur? Diaconus verò ſemel habet quod ſufficiat, depoſitionis indicium: tanquam ergo ei non reddendo Diaconatu, in ea ſola punitione ſteterunt.* Idem con-
Albaſ. l. 1. Obſeru. 4. firmat Illuſtriſſimus Albaſpinæus, vbi & ait, *qui damnabatur Communione Laïca, nunquam à tali Communione relaxatum: eſſe autem idem deponi in perpetuum, & communicare Laïcorum more.* Addit tamen, quod neſcio an probari debeat, hoc habuiſſe veterem Eccleſiæ diſciplinam, vt in grauiſſimis ſceleribus depoſitio fuerit perpetua. *Si peccatum autem minimum fuiſſet*, inquit, *poſt exigui temporis ſpatium depoſitus, primum munus adipiſci poterat.* Excommunicatum malim ſcribere, quàm depoſitum. Nam in illo primo rigore, depoſitio perpetua fuit, excommunicatio, vt dixi, temporaria.
Concil. Eliberit. can. 55. Concilium enim Eliberitanum, exempli gratia, quum decernit, Sacerdotes *qui tantùm ſacrificantium coronam portant, nec ſacrificant, nec de ſuis ſumptibus aliquid idolis præſtant, poſt biennium accipere Communionem*, hoc grande piaculum non putant eſſe Patres ſeueri, adeoque breui excommunicatione, non depoſitione caſtigant: at conſtitutum aliud
*Hypotheſis obſeruanda.* obſeruatione dignum eodem Concilio ſancitur, in hoc caſu. Graue crimen capitali dignum ſententia, ſed occultum commiſit aliquis: ſe vno conſcio tutus ad Eccleſiaſticos Ordines conuolat; ordinatur Diaconus. Vrgente deinde conſcientia ipſe ſe prodit, damnatur ad Pœnitentiam, hoc eſt, excommu-
Ibid. c. 76. nicatione vincitur, nec permittitur officium ſuum fungi, tandemque *Placuit eum acta legitima Pœnitentia, poſt triennium accipere Communionem.* Quam? Certè
Albaſp. in enta incũ. Eccleſiaſticam; licet Aurelianenſis Laïcam intelligat. Hic enim depoſitionis & Laïcæ Communionis nulla mentio, & actum cum eo mitiùs, quia Eccleſiæ, indicio ſuo, ingenuè ſatisfecit. *Quòd ſi alius detexerit, poſt quinquennium acta Pœnitentia, accipere Communionem Laïcam debere.* Et depoſitus in perpetuum, expreſſa Communione Laïca, contentus eſſe iubetur; & ad hanc ipſam Communionem, poſt quinquennalem excommunicationem deuenire: quia Eccleſiæ oculos ſubterfugere, & Canonum ſanctitatem violare conatus eſt. Quæ interpretatio ſtabiliri poteſt à nobis, Canone Neocæſarienſi, ſic iubente.
Concil. Neocæſar. can. 9. *Si Presbyter qui corpore priùs peccauerat, promotus fuerit, & ſi ante ordinationem peccaſſe confeſſus fuerit, ne offerat, manens in alijs* (alia miniſteria ſacta obeat, præter oblationem & ſacrificium) *propter aliud eius bonæ vitæ ſtudium. Reliqua enim peccata dicunt multi manuum impoſitione tolli.* (Peccata aut vitia quibus adnexa eſt irregularitas, eò tolluntur, quòd à ſuperiore poteſtatem habente, illius impedimenti conſcio, per ipſorum Ordinum collationem deletur irregularitas. Nemo igitur exiguo temporis ſpatio depoſitus dici debet, ſed excommunicatus. Ad eandem quæ propoſita eſt, quæſtionem pertinet, quod vniuersè pronunciat idem Aurelianenſis, Clericum qui Pœnitentiam egerat, gradu in perpetuum excidiſſe, indeque petendam rationem, *Quare Canones Clerico qui Pœnitentiam egerit, Communionem Laïcam irrogent? Quia nimirum cum eſſet in perpetuum depoſitus, & Pœnitentiam egiſſet, neceſſariò in ordinem Laïcorum redigendus erat, vt Communioni Chriſtianorum tanquam Laïcus participaret, qui Clericus eſſe deſierat.* Quod eatenus concedendum arbitror, ſi quando depoſitionem Pœnitentia intulit: ſed cum antea monſtratum ſit, adductos ad Pœnitentiam aliquos, ſola excommunicatione irrogata, ſine depoſitionis additamento, negandum videtur vniuersè, Clericis omnibus acta Pœnitentia irrogatam fuiſſe Laïcam Communionem, vt modò in Preſbytero Concilij Neocæſarienſis videba-
Concil. Neoc. c. 10. mus; & in alio eiuſdem Canone, Diaconus in ordinem inferioris alicuius

miniſtri

miniſtri tantùm iubetur deſcendere, putà, interprete Balſamone, Hypodiaconi, vel Lectoris. Longè autem minùs concedendum Aurelio, depoſitos, adeoque ſuo modo Pœnitentes, & laïcis exæquatos Clericos, eatenus Diacono ſubiectos, *extra Eccleſiæ Communionem fuiſſe, nec fidelium numero comprehenſos*. Sed ſuum illud dictum de Laïcis volet intelligi: eos igitur contemplemur.

*Balſam. in eum locũ.*

---

## *DE POENITENTIBUS LAICIS VNIuerſè dictum.*

## CAPVT XIX.

OMNES antiquæ Pœnitentiæ ritus euoluere, & Canones qui aut obſcuri legentibus, aut inuicem contrarij videntur, in bono lumine collocare, neque meæ tenuitatis eſt, neque huius operis. Vnum ago, vt Petro Aurelio demonſtrem, primis temporibus Pœnitentes extra Eccleſiam poſitos non fuiſſe, & ſi quid in eos egerunt Diaconi, functiones ſuas erga homines intra Eccleſiam poſitos exercuiſſe: quæ Aurelianæ propoſitionis contradictoria eſt. Plenam vero & eruditam veteris Pœnitentiæ diſſertationem Illuſtriſſimo Albaſpinæo relinquo, obſeruationum toto libro ſecundo: è quo ſi quid in hunc locum deriuatur, id ad propoſitum noſtrum referendum eſt.

Pœnitentiam igitur multis olim lacrymis petitam, magna miſeratione & clementia conceſſam ab Hierarchis, & eorum auctoritate à Preſbyteris, magno beneficio impetratam, ingenti animo exercitam fuiſſe tradunt Concilia omnia, omnes Canones, omnia veterum Patrum decreta. Eò pertinet Canon Arauſicanus, *Pœnitentiam petentibus Clericis non negandam*: inferioribus fortaſſe, putà Lectoribus, Pſalmiſtis, Oſtiarijs, quibus liberum erat coniugium, & paulùm à Laïcis differebant. Agathenſis quoque, quo decernitur *Iuuenibus Pœnitentiam non facilè committendam, propter ætatis imbecillitatem*. Et quoniam plurimis ſceleribus in illo rigore adnexa fuit excommunicatio, ingenti feruore Pœnitentiam ambiebant, quia illa conceſſa, & Hierarchica benedictione impetrata, excommunicatio tollebatur, atque reconciliati eatenus Eccleſiæ cenſebantur, ſi credimus Aurelianenſi: non quòd ſtatim ad fidelium ſocietatem & myſteriorum, aut precum participationem admitterentur; ſed quod Eccleſiæ redderentur, vt membra, licet ægra, & ſucci ſanguiniſq; expertia, preces aliquas ſortitẽtur; in eo denique gradu eſſent, quem Eccleſia à ſe conſtitutum in ſinu ſuo agnoſceret. Quare ex eius ſententia latũ eſt inter Pœnitentes & excommunicatos diſcrimen; vt neque excõmunicati ſint ſtrictè Pœnitentes, neque admiſſi ad Pœnitentiam, ſint amplius excõmunicationis gladio à fidelium corpore ſeparati, & truncati; quæ omnia fuſiùs proſequitur idem Aurelianenſis. Hæc tamen aliqua interpretatione mollienda ſunt, vt de graui illa, & tremenda excommunicatione intelligi debeát, qua reus nefarij ſceleris, tanquam Ethnicus & Publicanus, proijcitur ab Eccleſia, & omni ſacrarum profanarumque rerum ſocietate indignus iudicatur. Nam is ipſe fatetur, toto grauioris Pœnitentiæ tempore, vſque ad σύστασιν excommunicatos manſiſſe Pœnitentes, eoque vinculo exolutos, cum ad quartum

*Pœnitentiã ingenti feruore ab antiquis impetrata.*

*Albaſ. l. 2. Obſer. 1.*

*Concil. Arauſic. 1. can. 4. & Arelat. 2. can. 29.*

*Concil. Agat. c. 15.*

*Initio Pœnitentiæ ſublata excõmunicatio.*

*Albaſ. l. 2. Obſeru. 4.*

*Albaſ. l. 2. Obſer. 32.*

illum gradum traducerentur. Qua inſtructus doctrina, Petrum Aurelium ſic conuenio. Qui poſt adulterium, aut cædem factam, Pœnitentiæ ab Sacerdotibus deputabatur, is ab Eccleſia extorris eſſe non poterat, niſi aut fide amiſſa in hoſtium caſtra tranſiret, quod ponimus non factum; aut Pontificia execratione ab Eccleſia, tanquam canis mortuus eijceretur, quam aliquo modo ſublatam volumus percepta Pœnitentiæ benedictione: nullo igitur modo extra Eccleſiam poſitus fuiſſe dicendus eſt. Imo per Pœnitentiam Eccleſiæ aliquatenus reddebatur; & quidem actione Hierarchica; & quicquid afflictationis in eo ſtatu aſſumebat, id omnino fuit Hierarchicum, ex poſito dudum fundamento, actiones illas verè dici Hierarchicas, quæ in ordine & gradu fiunt ad eas efformato auctoritate Hierarcharum & Eccleſiæ inſtituto.

*Fuerit-ne olim Pœnitentia ſpecies Religionis.* Albaſ. l. 2. Obſer. 3.

Ex eadem penu alterum promo argumentum. Sic enim exiſtimat vir eruditus, olim poſt Nicæni Concilij tempora, Pœnitentiam genus quoddam Religionis fuiſſe, eamque Pœnitentes vouiſſe, & ſolenni voto nuncupatam ſubijſſe. Idque probat, primùm ex ijs Canonibus quibus Pœnitentiæ profeſſio nominatur: deinde ex habitus mutatione, & quarundam rerum abſtinentia, quarum vſus aliàs licitus & laudabilis foret. Habet hæc ſententia quod libens amplectar; habet de quo ampliùs deliberandum cenſeam. Si enim profeſſionem & Religionem fuſiſſima ſignificatione accipit, pro ſtrictiore quadam & auſteriore viuendi, & Deo ſibique vacandi ratione, profeſſio Religionis fuit Pœnitentia: cui etiam certum veſtis genus conueniſſe, docent Canones & hiſtoriæ. Siquidem Agathenſi Concilio decernitur, *Pœnitentes tempore quo Pœnitentiam petunt, impoſitionem manuum, & cilicium ſuper caput à Sacerdote, ſicut vbique conſtitutum eſt, conſequi. Si autem comas non depoſuerint, aut veſtimenta non mutauerint, abijci; & niſi dignè pœnituerint, non recipi.* Inde dicti Toletano Concilio *publicam Pœnitentiam gerere ſub cilicio.* Et alio Toletano, *quicunque ex ſecularibus accipientes Pœnitentiam, totonderunt ſe, & rurſus præuaricantes Laici effecti ſunt; comprehenſi ab Epiſcopo ſuo ad Pœnitentiam, ex qua receſſerunt, reuocentur.* Sulpitius Pius Biturigum Archiepiſcopus, vt in eius vita narratur, *vt inanis gloriæ flatus vitaret, intempeſtæ noctis captans ſilentia, veſtes clam aſſumebat, quibus ex more Pœnitentes vtuntur; atque ita diuinis vacabat meditationibus, donec reuertente ſole, iterum ſeculari habitu ſe tegeret.*

*Certum veſtis genus in Pœnitentia.* Concil. Agat. c. 15. Concil. Toletan. 1. can. 2. Concil. Toletan. 4. can 54. In vita Sulpitii Pii apud Sur.

*Strictè loquendo non fuit Religio.*

Si vero in Religionis, & profeſſionis vocabulis religioſiores eſſe volumus, & ſtrictam illis affigere ſignificationem, quam modò votis & formis Regularium vulgus Catholicorum aſſignat; neſcio an probare poſſit, præter Clericos & Monachos, tertium quoddam Religionis genus ijs ſeculis extitiſſe, longè à cæteris diuerſum, quaſi medium inter fideles, & excommunicatos, quales vult auctor fuiſſe Pœnitentes. Et erit qui neget ſtatum eſſe illum, qui arbitrio alieno breuior fiat aut productior; in quo quantò amplius progrediare, tantò minùs excrceas; qui tantùm aſſumatur, vt aliquando deponi poſſit, tunc perfectiſſimus futurus, quando penitus euanuerit. Certè veſtes illas non continuò vſurpatas à Pœnitentibus, ſed in Eccleſia ſola precum tempore, non alium in vſum alicubi, fortaſſe in Catechumenijs aſſeruatas, difficile non eſt conijcere ex Canonibus allatis, & S. Sulpitij facto. Ad Canones verò quod ſpectat, ij Pœnitentiam profiteri, & Religionem Pœnitentiæ laxè & fuſè intelligunt. Arelatenſis autem qui citatur ab Aurelianenſi, non de Religione Pœnitentiæ, ſed de Pœnitentia ad

*Non potuit dici ſtatus.*

Religionem

Religionem reſumendam loquitur, *hi qui poſt ſanctam Religionis profeßionem apoſtatant, & ad ſeculum redeunt*, (manifeſtè agit Concilium de Apoſtatis a ſtatu Religioſo, vt hinc etiam obiter ijs reſponderi poſſit, qui vocem Apoſtaſiæ, ad eius ſtatus deſertionem, ab antiquo negant eſſe tranſlatam) *& poſtmodum Pœnitentia remedia non requirunt*, (ad tantum facinus expiandum) *ſine Pœnitentia Communionem penitus non accipiant*: (Maneant tandiu excommunicati, donec Pœnitentia ſcelus eluerint.) *Quos etiam iubemus ad Clericatus officium non admitti*. (In grauiorem peccati pœnam.) Vnde clarum eſt, de hac magna & publica Pœnitentia non agi, quæ ſuis alumnis ad ſacros Ordines aditum, ſecundùm antecedentes Canones occludebat: vt hanc pœnæ appendicem repetere neceſſarium non fuiſſet. *Et quicunque ille, poſt Pœnitentiam, habitum ſecularem non præſumat*: (quaſi ſe puter Religioſorum votorum vinculo per Pœnitentiam, non minùs quàm excommunicatione liberum & ſolutum) *Quod ſi præſumpſerit, ab Eccleſia alienus habeatur*: quia Religioſæ profeſſioni nuncium remittere obſtinat. Huic germanus eſt Toletanus antedictus Canon, tempore longè poſterior; qui poſteaquam Pœnitentiæ præuaricatores; vt veros Apoſtatas excommunicatione percuſſit, addit de Religioſis. *Non aliter & hi qui a parentibus detruſi fuerunt, aut ſponte ſua amißu parentibus ſeipſos Religioni deuouerunt, & poſtea habitum ſecularem ſumpſerunt, & ijdem à Sacerdote comprehenſi, ad cultum Religionis, acta priùs Pœnitentia, reuocentur. Quòd ſi conuerti non poſſunt, velut Apoſtatæ, anathematis ſententia ſubijciantur. Quæ forma ſeruabitur etiam in viduis virginibuſque ſacris, ac Pœnitentibus feminis.* Vides hic manifeſtè de Religioſis ita decretum, vt à Pœnitentibus ſeparentur, adeoque diuerſos exiſtere Pœnitentes à Religioſis.

Concil. Arelat. 2. can. 25.

Concil. Tolet. 4. cit. can. 54.

Nihilominus aſſumpta ad momentum Aurelianenſis opinione, cui fauent & Canones, habitum Pœnitentiæ, ſeculari veſti; ſtatum, Laïco opponentes, & Pœnitentibus Apoſtaſiam exprobrantes, Petrum Aurelium compello, eos-ne credat *extra Eccleſiam eſſe poſitos*, quos tanti facit Eccleſia, vt magis aliquid, quàm Laïcos eſſe exiſtimet, vt Religioſa tonſura & veſte condecoret, vt è gradu ſuo præcipites, ad eum modis omnibus reuocet, & excommunicare minetur, niſi Pœnitentes eſſe pergant? Illos tantis prærogatiuis exornant Concilia, vt Hierarchæ eruditiſſimo, & antiquitatis Eccleſiaſticæ indagatori ſolertiſſimo, etiam Religioſi videri potuerint, & nominis larua Petrus Aurelius, *Pœnitentes extra Eccleſia Communionem fuiſſe Patrum & Conciliorum conſenſu* probare poſſe confidit.

*Contrà Pet. Aurelium.*

Age repetatur aduerſarius tertiò, & è diuerſis Pœnitentium generibus, atque locis eius figmentum explodatur. Vt Clericis depoſitio & excommunicatio, ita Laïcis excommunicatio, & Pœnitentia fuit impoſita. Si quidem erat iſta quaſi degradatio & exauguratio Laïci peccantis, eum à plena perfectaque Communione cum ſancto Populo, ad Ordines expiandos detrudens; hoc tamen diſcrimine, quòd certo tempore duratura definiebatur: quo expleto, per reconciliationem ad eundem vnde exciderat locum regredi ſolebat: quodque pœnæ nonnihil & imperati ab Eccleſia ſupplicij à ſe volens exigebat; cum Clerici Laïca in Communione non acerbiùs, quàm ſanctus Populus verſarentur. Præterea vniuſmodi fuit depoſitio, quæ præter Laïcam Communionem habebat omnino nihil: Pœnitentia autem mul-

*Diſcrimen Pœnitentia Laïcorum à pœna Clericorum.*

tiplex, vt & excommunicatio pro grauitate aut leuitate delicti. Sapienter enim Felix Papa in Concilij Romani Synodica, hanc ſuper his habere ſe ſcribit ſententiam, *vt ſeruata diſcretione peccantium* (intelligo & peccatorum) *non eadem cuncti qui lapſi ſunt, lance penſentur.*

*Excommunicatio ſine Pœnitentia.* Fuit igitur excommunicatio (vt ab ea quæ erat vtriſque communis ducam exordium) nonnunquam ſine Pœnitentia; id eſt, vt quidem exiſtimo, reperti ſunt quidam culpæ alicuius rei, quibus ab Hierarchis impoſita pœna eſt, vt in gradu ſuo manentes inter ſanctum Populum, abſtinerent ab Eucharistiæ participatione; ijs ſimiles Pœnitentibus, quos decurſa Pœnitentiæ ſpatia, ad *οἶκον* deduxerant. Eam ſic infligunt Eliberitani Patres Virginibus deflorатis, quæ mœchis ſuis poſtea nupſerunt, *poſt annum ſine Pœnitentia reconciliari debebunt.* Et illi *qui per tres dominicas Eccleſiam non acceſſerit: pauco tempore abſtineat, vt correptus eſſe videatur.* Et ei qui cum Iudæis cibum ſumpſerit, *placuit eum à Communione abſtinere, vt debeat emendari.* Et falſo teſti, *Qui prout eſt crimen, abſtinebitur, ſi tamen non fuerit mortis quod obiecit, & ſi probauerit quod diu tacuerit, biennij tempore abſtinebit. Si autem non probauerit, in conuentu Clericorum, placuit per quinquennium abſtinere:* id eſt, pro qualitate calumniæ ſubibit excommunicationem; quæ cum leui delationi, & minimè capitali infligatur, exiſtimare poſſumus abſque Pœnitentiæ auctario fuiſſe decretam.

Concil. Elib. c. 14. Can. 50. Can. 21. Can. 74.

*Pœnitentia adiuncta excommunicatio.* Sæpiùs tamen Pœnitentiæ comitem adiunctam eſſe excommunicationem, eamque multiplicem, Canones omnes loquuntur. Multiplicem dico pro diuerſa Communionum ratione, à quibus qui excluduntur, vniuersè loquendo excommunicati poſſunt appellari. *Excommunicationis diuerſi gradus.* Nam qui ab omni penitùs fidelium conſortio eliminantur, ne cæteros ſua contagione corrumpant, ij profectò plena perfectaque excommunicatione, quæ plenæ perfectæque Communioni opponitur, puniti ſunt. Qui Eccleſiæ precibus, myſterijs, ritibus, vel vt Audientes, vel vt Subſtrati participant, ij aliquatenus Communionis conſortes, excommunicati alia ex parte ſunt. Denique quibus conceſſa precum Communio eſt, negata Euchariſtia, quantùm iam de fœda excommunicationis labe & macula deterſerunt, ea tamen non omni ex parte liberi & immunes? Multiplicem dico, pro varia temporum duratione. Eſt enim quæ vltra vitam ipſas etiam mortuorum vmbras inſequitur: eſt quæ ijſdem cum vita ſpatijs terminatur: eſt cui in vita præfinitus modus eſt decennij, quinquennij, biennij, prout Hierarcharum voluntas, & criminum ratio poſtulat. Et hæc de excommunicatione ſolitariè ſpectata.

*Pœnitentiæ diuerſi gradus.* Pœnitentiæ quoque multiplex grauitas eſt, & forma diuerſa, quam ſacri Canones exhibent, Conciliorum præſertim veterũ Eliberitani & Ancyrani, cum S. Baſilij regulis, quas Petrus Aurelius nouitatis non condemnabit. Quibus tamen pro ſolo & fundamento ſubſternendus eſt S. Gregorij Neocæſ. Canon ille famoſus, Pœnitentes omnes in ordines claſſeſque ſuas aptiſſimè digerens. Locus infimus grauiſſimuſque, *Luctus ſeu Fletus eſt, vbi peccatorem ſtantem oportet fideles ingredientes orare vt pro ſe precentur; Auditio intra portam in Narthece, vbi oportet peccatorem ſtare vſque ad Catechumenos, & illinc egredi. Subiectio ſeu ſubſtratio eſt, vt intra templi portam ſtans, cum Catechumenis egrediatur. Conſiſtentia eſt, vt cum fidelibus conſiſtat, & cum Catechumenis non egrediatur. Poſtrema eſt*

Gregor. Neoc. c. 11.

*eſt Sacramentorum participatio.* Quæ diſpoſitio nudè enuntiata, non rudem no-
bis parit Canonum notitiam, vt cum apud S. Baſilium legimus, *qui adulterium* — Baſil. can. 58 59. ad Amphil.
*commiſit, annis quindecim* ( pœniteat ) *quatuor quidem annis plorans* ( in luctu )
*quinque vero Audiens* (in porticu) *quatuor ſuccumbens* (in ſubſtratione inter Ca-
techumenos) *& vno ſtans* ( in ſyſtaſi, inter fideles. ) Cum in Ancyrano vide- — Concil.
mus. *De ijs qui ſacrificauerunt, coacti, & præterea in templis idolorum cœnauerunt,* — Ancyr. c. 4.
*placuit eos inter Audientes anno vno conſtitui, tribus annis ſubſterni, biennio in ora-*
*tione communicare.* Et quidem omnes aliquando decurſi ſunt illi gradus, à lu- — *Vnde initium Pœnitentiæ.*
ctu, ad Communionem in oratione : ſæpiùs autem incœpit Pœnitentia ab
Auditione, aliquando & à ſubſtratione. Quod eadem Synodus Ancyrana
demonſtrat; *Qui ad templa veſte lugubri acceſſerunt, ſi triennale ſubſtrationis tempus* — Concil.
*impleuerint, ſine Oblatione recipiantur :* & inferiùs, *Hi qui ſecundo & tertio ſacrifi-* — Ancyr. c. 5.
*cauerunt coacti, quatuor annis Pœnitentiæ ſubijciantur, duobus autem alijs ſine Oblatio-* — Can. 8.
*ne communicent, & ſeptimo anno perfectè recipiantur.* Fuit autem ductus ille Pœ-
nitentiæ rectus & Canonicus, nihil vt ei deeſſe videretur ad perfectionem.
Vnde nonnunquam ſuppreſſis gradibus ſingulis, vniuersè pronunciatum, le- — *Quæ ſit legitima Pœnitentia.*
gitimam agi Pœnitentiam, vel ſimile quippiam. Vt cum Elibèritanum
Concilium ſtatuit in Virgines quæ diuerſos viros ſubierint, *placuit per quin-* — Concil.
*quennij tempora, acta legitima Pœnitentia, admitti eas ad Communionem.* Id eſt, decur- — Eliberit.
ſis toto quinquennio Pœnitentiæ ordinibus, ad perfectam redire Commu- — can. 14.
nionem. Sic enim explicat Ancyranum, de Auguribus, & diuinis, *in quin-* — Concil.
*quennij Canonem incidant, ſecundùm gradus definitos, tres anni ſubſtrationis, & duo* — Ancyran.
*anni orationis ſine Oblatione :* cum antea ſtatuiſſet de mulieribus quæ fœtus — can. 25. Ibid. c. 21.
abigunt, vt decennium per gradus præfinitos impleant. Hanc eſſe credo Ple- — *Plena Pœnitentia.*
nam Pœnitentiam S. Cypriano vſitatam, non illam ſolùm *quæ bona fide fit,* — Albaſ. l. 2.
*& animo verè dolenti,* vt vult Aurelianenſis: non quòd illa cordis attriti deie- — Obſer. 30.
ctio non requiratur, qua propriè Deo ſatisfiat ; ſed quòd externis ſupplicijs
dependi oporteat culpas, vt publica Eccleſiæ nomina expungantur, & pa-
tente pœna, aperta ſcandala obliterentur. Plenam igitur exteriùs Pœniten-
tiam exigunt Patres, non tantùm interiùs conceptam, & vni Deo cognitam.

## *SINGULI POENITENTIÆ GRADUS DEcurſi, ducto à Fletu initio.*

### §. I.

SVFFICERENT iſta Canonibus rite explicandis, niſi nos materiæ be-
nignitas vel inuitos retineret, & in ſingulis ordinibus aliquam facere — *Κλαῦσις.*
moram cogeret. Fuit igitur grauiſſimus Pœnitentiæ locus *Luctus*, extra — *Grauiſſimus locus Pœnitentiæ.*
templum, ſub diuo, in Area. Ibi planctus & ſuſpiria, ibi miſerabiles eiu-
latus, ibi grauiſſimorum rei criminum idololatriæ, adulterij, homicidij. — *Qui ad eum electi.*
Eò ſcilicet retruduntur Ancyrano Canone qui animantes ineunt : qui le- — Concil.
pram ſcelere contraxerunt, inter *Hiemantes* iubentur *Orare.* Verſiones aliæ — Ancyr. c. 17.
*tempeſtate iactatos*, aliæ reddunt *agitatos*, *Energumenos.* Has non probat — εἰς τοὺς χειμαζομένους εὔχεσθαι.
Zonaras, *Hiemantes* qui ſint, neſcire profitetur. Ego lugentes iſtos intelli- — Zonar. in
go, qui pluuiæ & Hiemi extra templum ſunt obnoxij; in quos tempeſtates — eum locū.

*Quemodo dicantur Orantes.* & actis iniuriæ omnes depluunt. *Orare* dicuntur hi, non obuia ſignificatione, profuſis ad Deum precibus, quemadmodum in ſyſtaſi orant Pœnitentes cum fidelibus: ſed Thaumaturgi ſenſu, fideles in Eccleſiam ingredientes rogare, prenſare, vt pro ſe Deum comprecentur, quaſi ipſi Dei alloquio indigni, ſolo planctu & eiulatu loqui ſciant, & valeant. Quod in Pœnitente Monacho *Rufin. l. 2. de vitis P.* graphicè depingit Rufinus, qui *priorum peccatorum pollutiones, lacrymarum fontibus diluebat, diebus & noctibus in faciem proſtratus, & ne alleuare quidem auſus oculos ad cœlum, neque vocem emittere, & nomen Dei nominare, ſed in ſolis gemitibus, & fletibus perdurabat.* Et fortaſſe Hieronymus in Pœnitentia Fabiolæ *cum ſaccum* *Hierony. ep. 30. ad Ocean.* *indueret, & errorem publicè fateretur, flaret in ordine Pœnitentium, Epiſcopo, Presbyteris & omni populo collacrymantibus, ſparſum crinem, ora liuida, & ſqualidas manus, ſordida colla ſubmitteret. Quæ peccata fletus iſte non purget? quas inueteratas maculas* *Euſeb. l. 6. hiſt. c. vlt.* *hæc lamenta non abluant?* Apertior Euſebius in Exomologeſi Natalis enarranda, *multis lacrymis errorem ſuum deflens ante pedes Epiſcopi Zephirini proſternit, & veſtigijs omnium, non modò Presbyterorum, ſed etiam Laicorum multa cum lamentatione prouolutus, in lacrymas & miſerationes omnem prouocauit Eccleſiam, vt indulgentiam ſibi à Chriſto continuis & iugibus pro ipſo precibus imploraret.*

*Non fuit ſemper gradus Pœnitentiæ.* Illud hominum genus hoc loco, quas corporis animique afflictationes ſubierit, facilè peruideri poteſt ex Patribus & Concilijs; quid autem Eccleſia ipſa Diaconorum miniſterio, vel Sacerdotum aduersùs ipſos egerit, nuſquam apparet: quo ex ſilentio, ſtatuſque illius natura, difficile non eſt colligere, nihil penitùs factum; ſed velut Caïnitas quoſdam, eiectos à facie Dei, nulla omnino Eccleſiæ Communione, ſeu precum, ſeu concionum, ſeu ſocietatis *Albaſ. l. 2. Obſer. 23.* humanæ fuiſſe donatos. Exiſtimat Illuſtriſſimus Albaſpinæus, quod & mihi vero non videtur abſimile, duobus primis ſeculis Fletum illum, Pœnitentiæ gradum non fuiſſe, ſed tantùm ſequentibus, quæ Pœnitentes ab Eccleſia conſtitutos in *loco flentium* viderunt: fleuiſſe igitur poſterioribus temporibus Pœnitentes iam admiſſos, fleuiſſe prioribus, vt admitterentur; has lacrymas ante ſponte ſuſceptas, poſtea imperatas extitiſſe; vnde accidere debuit, vt illæ priuatæ, & pro vniuſcuiuſque arbitriò ſumptæ; aliæ publicæ & Hierarcharum voluntate impoſitæ cenſerentur. Inde præterea factum vt mitioribus ſeculis quatuor eſſent memorata Pœnitentiæ loca; ſeuerioribus tria, & in his ab Auditione, in illis à Fletu legitimam Pœnitentiam, qui eam mererentur inchoarent. Nam quia Pœnitentiæ Canonem ſuapte voluntate inire nemini conceſſum fuit, ſed omnes eam ab Eccleſia gratiam veniamque impetrare debuerunt, primæ diſciplinæ rigor tantus fuit, vt ea non niſi iugibus diuturniſque lacrymis atque ærumnis obtineretur: qua tandem accepta, quid fuit neceſſarium lugere ampliùs? quis prohibuit ne miſeri fletus illos in locto ponerent, & primo ſtatim aditu Audientibus miſcerentur? Deinde verò ita temperata res eſt, vt citiùs indulgeretur ab Hierarchis Pœnitentia, ſed ea inciperet à Luctu, eò diuturnior futura, quò plures gradus decurrendi offerebantur.

*Fuit mitior Pœnitentia quæ à luctu incæpit.* Quæres fortaſſe, qua tandem re fuerit iſta mitior, quum in illa & conſimiles fletus, & æqualia temporum ſpatia, & non impares afflictationes reperiantur? Reſpondeo priores in illo ſuo Fletu, grandi ſemper anathemate percuſſos, triſte euitandumque bidental, extra Eccleſiæ & ſepta & ſubſidia tandiu iacuiſſe, donec in aliquo Pœnitentium gradu collocarentur. At poſteriores

res eadem Hierarcharum benedictione, horrenda illa excommunicatione ſoluros fuiſſe, qua in Flentibus, id eſt, legitima Pœnitentia ſtatuerentur, & hoc ſaltem tuliſſe compendij, vt inter Pœnitentes recenſiti, pro modulo ſuo Eccleſiæ meritis quadantenus participarent: id demum in Fletu conſequerentur, quod antiqui in Auditione tantopere exambita obtinebant. Aliam hic taceo ingentis lucri partem, quæ ſuo deinceps loco explanabitur.

Hæc doctrina in Tertulliano & S. Cypriano non obſcura, iugulat Aurelium, qui cum dicit *Pœnitentes extra Eccleſiæ Communionem fuiſſe, nec fidelium membrorumque Eccleſiæ numero comprehenſos, vt norunt omnes quibus veteris Eccleſiæ diſciplina nota eſt*, hos ſine dubio Pœnitentes, & hæc ſecula, indicatis S. Cypriani locis duobus aſpicir. Verùm etſi concedam Pœnitentes iſtos *extra Eccleſiæ Communionem fuiſſe*, id-ne continuò de cæteris Pœnitentibus erit aſſerendum? Cur indefinita propoſitio Pœnitentes omnes complectitur, quæ de infimo Pœnitentium ordine intelligi poteſt ac debet? Quid ſi nec iſti, ad quos ſolos digitum intendit, S. Cypriani ſeculo propriè & strictè fuerunt Pœnitentes? Enimuero pœnituiſſe illos fatetur expoſita opinio, Eccleſiæ Pœnitentes fuiſſe negat. Quid quòd illi lugentium generi, nullam Diaconus curam, nullas Eccleſia preces impendebat? Cur ergo ſoli Pœnitentes hi tanguntur, qui ſoli Pœnitentes Eccleſiaſtici in veteris Eccleſiæ diſciplina non fuerunt? Cur in eos Hierarchicæ Diaconorum actiones dicuntur exercitæ, in quos nullam penitùs exercuerunt Diaconi? Non hoc eſt Lectoris abuti patientia, & coniectò in oculos Eccleſiaſticæ antiquitatis puluere, meram ignorantiam exprobrare? *Superiùs dicta torquentur in Petr. Aurelium.*

## MITIORES POENITENTIÆ GRADUS *expoſiti.*

### §. II.

SEQVITVR alius Pœnitentiæ ſtatus, Auditio, Ἀκρόασις; primus gradus priorum ſeculorum, ſecundus ſequentium, poſitus intra ſacra ſepta, ἐν νάρθηκι, nondum tamen admiſſus in templum. Eo loco infini Catechumenorum ſtabant audituri concionantem Hierarcham, & Apoſtolicas Lectiones: inde Audientes vocati: quaſi Chriſtianorum dupondij & in primis Chriſtianæ legis rudimentis percipiendis occupati: Catechumeni quidem, ſed adhuc imperiti; quibuſcum verſari eum qui iam ante ordines hoſce omnes decurriſſet, & perfectæ communionis factum ante participem, à metis ad carceres retroagi, tam erat turpe & indecorum, quàm ſi modò ſeni, vel in ſenium vergenti, poſt emenſa dudum ludi litterarij ſpatia, infima elementariorum ſchola imperaretur: aut ſi quis Religionis vota ab antiquo profeſſus, & minores plurimos longo poſt ſe relinquens interuallo, ad tirocinium inter pueros canus nouitius iterum detruderetur. Nonne hoc ſtuperet Nicodemus, exquireretque, *quomodo poteſt homo naſci cum ſit ſenex? Nunquid poteſt in ventrem matris ſuæ iteratò introire?* Magnam igitur exiſtimationis ſuæ iacturam faciebant iſti ex fidelibus Audientes: & ſi quid publicæ priuatæque afflictationis, veris Audientibus imperatum fuit, id omne temporarij iſti Audientes ſuſcipiebant. Neque fideles tantùm criminum conſcij, ſed & Catechumeni pro- *Ἀκρόασις.*

ueſtiores ad hunc gradum deuoluti fuerunt, eadem qua diximus ratione & lege.

*ὑπόπτωσις.*

Gradus alter ſeu ſecundum voles, ſeu tertium appellare, intra templi valuas cum antiquioribus Catechumenis, ὑπόπτωσις ſubſtratio vel ſubiectio. Durus hic, & geniculationibus, proſtrationibus, ſuſceptis orationibus, manuum impoſitione, ieiunijs auſterus. Inde fortaſſe ſimpliciter & abſolutè κατ' ἐξοχὴν Pœnitentia vocatus in Canonibus Ancyranis latinitate donatis: vt cum dicitur, *Si perducti ad templa non manducauerunt* (Idolothyta) *biennio maneant in Pœnitentia*: alia verſio, *cum duobus annis ſupplices ſubſtratique fuerint*. Item *Placuit poſt magnum diem* (Paſchatis) *triennio Pœnitentiam agere*: alia verſio, *tribus annis eſſe ſupplices & ſubſterni*. Item inferiùs, *Per illud ſexcennium Pœnitentiæ recipiant locum*; alia verſio, *Pœnitentiæ ſubijciantur acriori*, videlicet poſtquam triennium inter Audientes hæſerint. Denique de turpiſſimo flagitio, *Quindecim annis exactis in Pœnitentia, Communionem mereantur orationum*, in qua annos quinque perſeuerare iubentur: alia verſio, *poſtquam quindecim annis proſtrati ac ſupplices fuerit*. Gradus huiuſce maximè proprium fuit, in faciem proſtratos diu & ſæpe, vniuerſo ſpectante populo, recitatas ſuper ſe orationes ab Epiſcopo cum Sacerdotibus audire, iiſque peractis diſcedere cum Catechumenis. Nam expleta Catechumenorum miſſa, eorumdemque benedictione, emiſſis poſtremò Competentibus, vota concipiuntur ab Eccleſia pro Pœnitentibus, Diacono monente tum ipſos, tum vniuerſum populum, vt *intentè* oret. Epiſcopi deinde oratione terminata, emittuntur & ipſi, Diacono proclamante, *Exite qui in Pœnitentia eſtis*. Ritus hic, ſi Pœnitentem reſpicis, *ſubſterni* & *ſuccumbere* dicitur: ſi Epiſcopum, *manus impoſitio* nuncupatur: cui & cilicium adiungitur ab Agathenſi Concilio. *Pœnitentes tempore quo Pœnitentiam petunt, impoſitionem manuum, & cilicium ſuper caput à Sacerdote, ſicut vbique conſtitutum eſt, conſequantur*. Quodnam autem ſit tempus illud, Carthaginenſe Concilium edocet. *Pœnitentes etiam diebus remiſſionis genua flectant. Omni tempore ieiunij, manus Pœnitentibus à Sacerdotibus imponatur.*

*Abſolutè Pœnitentia dicitur.*
Concil. Ancyr. c. 5. [illegible]
Ibid. c. 6. [illegible]
Can 9 [illegible]
Can. 16 [illegible]
*Quid ſit huius gradus proprium.*
Conſtit. Apoſtol. l. 8. c. 8. 9.
Concil. Agat. c. 15.
Concil. Carth. 4. c. 80. 81.

Quo id ritu, qua-ve cæremonia fieret, quo ſe modo proſternerent, qua deiectione ſupplicarent, docet Agathenſe Concilium à Gratiano relatum. *In capite quadrageſimæ omnes publicè Pœnitentes, qui publicam ſuſcipiunt, aut ſuſceperunt Pœnitentiam, ante fores Eccleſiæ ſe repræſentent Epiſcopo ciuitatis, ſacco induti, nudis pedibus, vultibus in terram proſtratis, reos ſe eſſe ipſo habitu & vultu proclamantes. Ibi adeſſe debent Decani, id eſt Archipresbyteri, Presbyteri Parœciarum, & Presbyter Pœnitentum, qui eorum conuerſationem diligenter inſpicere debent, & ſecundùm modum culpæ, Pœnitentiam per præfixos gradus iniungant. Poſt hæc Epiſcopus in Eccleſiam introducat, & cum omni Clero ſeptem Pœnitentiæ pſalmos in terram proſtratus, cum lacrymis, pro eorum abſolutione decantet. Tunc reſurgens ab oratione, iuxta quod Canones iubent, manus eis imponat, aquam ſuper eos benedictam ſpargat, cinerem priùs mittat, deinde cilicio capita eorum cooperiat, & cum gemitu & crebris ſuſpirijs ijs denunciet, quod ſicut Adam proiectus eſt de Paradiſo, ita & ipſi pro peccatis ſuis ab Eccleſia abijciuntur. Poſt hæc iubeat miniſtris, vt eos extra ianuas Eccleſiæ expellant. Clerus verò proſequatur eos cum reſponſorio, In ſudore vultus tui veſceris, &c. vt videntes ſanctam Eccleſiam pro facinoribus ſuis tremefactam, atque commotam, non parui pendant Pœnitentiam.* Similia fieri ſcribit Hiſtoria Tripartita ex Sozomeno: vt & hinc tenerrimæ matris Eccleſiæ pietas deprehendatur, quæ tanto affectu compatitur

*Quo ritu facta ſubſtratio.*
Concil. Agath. c. 9. ex Grat. diſt. 50. apud Pam. in l. Tertu. de pœnit. n. 2.
Hiſtor. Tripa. l. 6. ex Sozom.

compatitur afflictis, & in viam diuinæ miſericordiæ redeuntes impetrabilibus lacrymis parturit, donec formetur in eis Chriſtus, per Communionem perfectam dominico corpori & ſanguini participantem.

*Quo templi loco facta manuum impoſitio.*
Concil. Carth 3. can. 32.
Albaſ. l. 2. Obſer. 24.

De loco vbi ea manuum impoſitio facta eſt, difficilior quæſtio. Apertus eſt Concilij Carthaginenſis tertij Canon. *Cuiuſcunque autem Pœnitentis publicum & vulgatiſſimum crimen eſt, quod vniuerſa Eccleſia nouerit, ante apſidem manus ei imponatur.* Eadem mens eſt Græcorum ſcriptorum, illas manuum impoſitiones *pone ambonem* fieri. Eo ſenſu Caſaubonus gradum iſtum *interiorem quandam admiſsionem* vocat. Cui repugnat Aurelianenſis, & apſidem ſeu pone ambonem, locum fuiſſe vult ad portam, vbi cum Catechumenis Pœnitentes iſti reſidebant. Sed ea explicatio plurimùm diſcedit à Templorum vetere delineatione ſuperiùs tradita: in qua apſidem, ſeu ambonem ſpectauimus, ſummam Eccleſiæ Nauim à choro ſeparantem. Exiſtimo tamen cum eodem Aurelianenſi, ordinariè ad illos Epiſcopum, in locum ipſis & Catechumenis deſtinatum, ad celebrandam manuum impoſitionem deſcendiſſe: nonnunquam tamen, vt publicum ſcandalum publica traductione atque infamia deleretur, aſcendiſſe Pœnitentes ad ſummam Nauim, vſque ad apſidem, eoque loco Hierarchicam accepiſſe precarionem. Id verò maximè factum in reconciliatione hominum, ſcandalo publicam creantium perniciem, de qua ſola Canon Carthaginenſis loqui videtur, cum vetat, ne quis Preſbyter extra neceſſitatem, abſente vel inconſulto Epiſcopo reconciliet Pœnitentem.

*Alia in eodem gradu afflictationes.*
Concil. Agat. c. 60. Epao. c. 29.
Cypr. l. de Lapſis.
Tertu. l. de Pœn. c. 9.
Felix 3. ep. 7. in Conc. Rom. 3.

Præter hanc animi ſimul & corporis demiſſionem, & proſtrationem, quæ in templo inter initia myſteriorum fiebat, alijs afflictati corporis macerationibus vacare debuerunt eius loci Pœnitentes, vt declaratur Gallicanis Concilijs duobus, Agathenſi & Epaonenſi, quæ huic Pœnitentiæ de tempore nonnihil detrahunt, ſed auſteritati aliquid ſuperaddunt. *Nos annorum multitudine breuiata, Pœnitentiam biennij conditione infra ſcripta obſeruationis imponimus, vt præſcripto biennio, tertiò ſine relaxatione ieiunent; & Eccleſiam ſtudeant frequentare. In Pœnitentium loco ſtandi & orandi humilitatem ita nouerint obſeruandam, vt etiam ipſi, cum Catechumeni egredi commonentur, abſcedant.* S. Cypriani fortis & vehemens in Lapſos obiurgatio, hac adhortatione terminatur: *Quàm magna deliquimus, tam granditer defleamus: alto vulneri diligens & longa medicina non deſit; Pœnitentia crimine minor non ſit. Orare oportet impenſiùs, & rogare, diem luctu tranſigere, vigilijs noctes ac fletibus ducere, tempus omne lacrymoſis lamentationibus occupare, ſtratos ſolo adhærere cineri, in cilicio & ſordibus volutari, poſt indumentum Chriſti perditum, nullum hic iam velle veſtitum: poſt Diaboli cibum, malle ieiunium: iuſtis operibus incumbere quibus peccata purgantur: eleemoſynis frequenter inſiſtere, quibus à morte liberetur.* Quod & non minùs apertè antea dixerat Tertullianus, *De ipſo quoque habitu atque victu mandat ſacco & cineri incubare, corpus ſordibus obſcurare, animum mœroribus deijcere, illa quæ peccauit triſti tractatione mutare: cæterùm paſtum & potum pura noſſe, non ventris ſcilicet, ſed animæ cauſa: plerumque verò ieiunijs preces alere, ingemiſcere, lacrymari & mugire dies noctesque ad Dominum Deum tuum, Presbyteris aduolui, & caris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis ſuæ iniungere.* Ad has corporum animorumque macerationes, animantur Africani omnes à Felice Papa, *Nec pudeat forſitan aut pigeat indictu ieiuniorum gemituumque temporibus obedire, aut alijs obſeruantiæ ſalutaris obtemperare præceptis; quia humilibus datur gratia, non ſuperbis.* Monet etiam S. Leo, Pœnitenti

S. Leo ep. 92. ad Ruſticum.

vtilius eſſe *damna pati, quàm periculis negotiationis obſtringi: ſi quis tamen pœnitens habetcauſam, quam negligere forte non debeat, melius expetere Eccleſiaſticum, quàm forenſe iudicium.*

σύστασις.

His purgationibus quaſi percolatus Pœnitens, ad quartum gradum aſcendit, longè mitiorem, qui σύστασις eſt, quia συνίσταται τοῖς πιστοῖς, καὶ μὴ ἐξέρχεται μετὰ τῆς χαμηλορθύοις, *Subſiſtit cum fidelibus, neque cum profanis egreditur.* Iam enim neque loco ſeiunctus eſt à Populo ſancto, neque precibus: ſed ſola Euchariſtiæ participatione, cui nondum communicat. Quo in ſtatu annum aut duos ſolet ponere, & tum demum perfecta reconciliatione *ad id quod perfectum eſt* deuenire. Siquidem, vt Hieratchicè loquitur Guillelmus Pariſienſis, Sacramentum Euchariſtiæ *ſanctificatiuum eſt propriè & directè ab execratione excommunicationis, ſiue proprietatis, propter quod & ſacra Communio nominatur.* Qua de re plura non addo, cum ſuperiùs de hac Communionis ſpecie diſputatum ſit, neque importunum Petri Aurelij elenchum ingero, probaturum ſe promittentis Patrum & Conciliorum conſenſu *Pœnitentes extra Eccleſia corpus eſſe conſtitutos*: cum contraria omnia expoſitus Pœnitentiæ ordo ad Patrum & Conciliorum normam, eloquatur.

Guil. Pari. l. de Sacra. Eucha. c. 3.

---

## DE POENITENTIUM RECONciliatione.

## CAPVT XX.

*Tres Pœnitentium Reconciliationes.*

SI VERBORVM nouitas omni cum reuerentia rebus tam antiquis impoſita condonari poteſt Theologis, permitti mihi rogo trinam in Patribus & Concilijs Pœnitentium reconciliationem exquirere, eamque Reconciliationem cum Deo, cum Eccleſia, cum Euchariſtia nuncupare. Prima eorum eſt qui Pœnitentiæ ſtadium ingrediuntur; altera eorum qui decurrunt, tertia metas flectentium, & coronata patientia quodammodo triumphantium. Prima mentem Deo, ſecunda præterea corpus Eccleſiæ, poſtrema vtrunque Corpori & Sanguini Dominico redonat. Prima imum Pœnitentiæ gradum tenet, ideo optanda, quia meliorum ſpes eſt & ianua; ſecunda vſque ad quartum gradum, ſecum & cum vitijs ſtrenuè luctantem deducit: tertia eundem gradum nobili fine terminat.

*Prima Reconciliatio initio Pœnitentiæ.*

Totus mihi labor in ſtabiliendo limine, & prima omnium confirmanda, quæ veriùs à me doctorum iudicio exponitur, quam Lectori probanda traditur. Meminiſſe oportet ex antedictis, multis lacrymis & magno beneficio impetratam Pœnitentiam, terribilis anathematis nodum ſoluere ſolitam Hierarchica indulgentia, num hæc alicuius modi Reconciliatio dici poteſt? Sed eſt aliquid vlterius in ſenſu meo quod adijciam. In hac Pœnitentiæ conceſſione, ſublatum abſolutione quam modò Sacramentalem appellamus, peccati reatum, reſeruatam excommunicationis infamiam, quæ non niſi legitimo Pœnitentiæ decurſu aboleretur. Hoc eſt quod aio reconciliatos Deo Pœnitentes, non Eccleſiæ; quod in lucro poſitum dixi, ab ijs qui Pœnitentiæ beneficio locupletarentur; quod nouum aliquibus videri poterit, & nullius

*Remiſſus reatus, reſeruata cenſura.*

Concilij

Concilij auctoritate monſtrandum, priùs peccato ſolutos fuiſſe Pœnitentes, quàm cenſura. Eius tamen aut opinionis, aut coniecturæ; aut ſi mauis diuinationis cauſas, neque paucas, neque leues affero. Quarum prima ſit, potuiſſe id fieri, & etiamnum ſine diſciplinæ Eccleſiaſticæ ruina, certis rerum momentis & circumſtantijs ſeiungi abſolutionem reatus, ab cenſuræ ſolutione; & illam huic præire non raro, vt docent Theologiæ, quam Moralem vocant, anteceſſores. Fit illud imminente mortis periculo, quo Sacerdotem quemlibet, omni quæ cogitari poteſt peccatorum cenſurarumque abolendarum facultate ſemper inſtruxit Eccleſia, vt Concilio Tridentino expreſsè definitur: ijs tamen hoc modo ſolutus reus ſi forte conualuerit, superiori ſiſtere ſe, & maiori poteſtati ſupplicare tenetur. Præterea in quotidianis Exomologeſibus, ſi quis crimen inciderit cenſura irretitum, incidunt graues cauſæ, ob quas neceſſum ſit, præſenti abſolutione reum dimittere; qui deinde cenſuram à maiore demi ſibi poſtulaturus ſit. Hanc in rem duplex conſcientiæ forum, interius atque exterius, à Chriſto inſtitutum, ab Eccleſia vſurpatum eſt: & reperies nonnunquam in exteriore, qui poſſit excommunicatione ſoluere, reatu non poſſit in interiore. *Probatur hæc opinio.* *Concil. Trid. ſeſſ. 14. c. 7.*

Secunda ratio, id rationi maximè conſentaneum videri, vt pene dicam debuiſſe fieri. Quis enim credat Eccleſiam parentem optimam, mortalitatis immemorem, tot miſeros deſertores, ſed filios; prodigos, at reduces, totum ſeptennium, decennium, & ampliùs, in continuo æterni naufragij periculo, *veſtibulum ante ipſum primiſque in faucibus orci*, quo ſine dubio deuoluerentur, ſi vel paſſum vnum ſubitaria morte procederent, deſeruiſſe, manus protendentes, opem flagitantes; cœlum terramque lamentationibus perſonantes, eo tempore, quo tempore Nouatianus in gratiam recipi Lapſos prohibebat? Nam quæ alia cauſa eſt niſi ponendæ in tuto ſalutis, cur infantes ſalutari lauacro reconciliet Chriſto, cum ætatis adultæ pietas ad eius ſuſceptionem gratiæ commodior eſſe videatur? *Vſus ille rationi conſentaneus eſt.*

Tertia ratio eſt, id reipſa factum: quod multa mihi ſuadent, quibus obluctari difficile fuerit. Audi, Lector, & de facto ex factis iudica. Cyprianæo ſeculo cum Luctus non pœnitentia, ſed apparatus; non gradus, ſed votum pœnitentiæ cenſebatur, vti diximus, quid amabo tantis, tamque diuturnis lacrymis ambiebant fideles? Profectò Pœnitentiam. Magnum enim vero beneficium poſtulabant accipiebantque, liberam lacrymarum copiam, & veniam pœnitendi. Aliquid ergo grandius emerebantur, vt dum malo ad miſeriam perueniebant, vt loquitur Tertullianus, operæ pretium facere ſe putarent. Hoc verò quid aliud eſſe potuit, quàm reatus ſolutio, recuperatio gratiæ, pignus ſalutis? *Ita factum quum reipſa videtur.*

Fateri quidem cogitur Illuſtriſſimus Aurelianenſis, primam manus impoſitionem, quam Pœnitentes ſortiebantur, eam fuiſſe *qua peragendæ Pœnitentiæ copia facultaſque daretur*, prætereà nihil. Eam ego ieiunam nimis & ſterilem arbitror, & addo inſuper, datam culpæ veniam, cum mihi credibile ſit, nunquam ab Hierarcha fidelibus impoſitam manum cœleſti beneficio vacuam, quod & benedictionis vocabulum ſæpe ponderandum non obſcurè ſignificat: ſcribente S. Baſilio, *Benedictionem eſſe ſanctificationis communicationem*; quæ tamen nulla dabitur, niſi Pœnitentiæ benedictione conceſſa, culpa ipſa ſublata dicatur. Iam illud Pœnitentialis Sacerdotis factum ſub Nectario, vnde *Manus impoſitione quid collatum ab Hierarchis.* Albaſ. l. 2. Obſer. 31. Baſil. ad Amphil. can. 27.

*Priuata Pœnitentia publicam præceſſit.*

proceſſit? à Pœnitentia publicè obita. Quando? Poſtquam matrona illa nobilis Sacramentali Pœnitentia conſcientiam purgaſſet. Hæc igitur illam præceſſit. Demophilus Monachus apud S.Dionyſium in quo peccauit? In eo quod criminoſum hominem à Sacerdotis genibus calce abegit. Quid autem ille ad Sacerdotis genua? quid illi ita ſupplici Sacerdos? prorſus in clementiam, *indicabat peccatorem quoque dum Pœnitet, miſericordia dignum.* Miſericordiam igitur impertita abſolutione Sacerdos exercebat, quod Demophilo doluit, propter ſceleris grauitatem, pro Nouitiani dogmate tacito ante proluden ti. Et vniuersè loquendo, quis negare velit, plerunque Pœnitentiam publicam ſecutis temporibus, priuatæ vel appendicem fuiſſe, vel complementum? Noſtris quoque ſeculis adeo remiſſis, ſecreta ipſa ſatisfactio, nonnaliquo modo publica eſt? *Si quidem omnis Pœnitentia*, vt optimè Tertullianus, *confeſſio eſt delicti, quia locum non habet niſi in delicto.*

Diony. ep. 8. ad Dem.

Vide Pam. in l. Tert. de Pœnit. n. 2.

Tertull. l. de carne Chriſti. c 8

*Hæc opinio non caret auctoribus.*

Phelip. in c. 4. Oſeæ v. 9. 10. n. 11.

Neque deeſt clarorum virorum auctoritas, qui mihi ad hanc opinionem facem præferant. Hæc enim meditanti occurrit P. Phelippæi, hominis in re Eccleſiaſtica vetere oculatiſſimi, commentarius in Oſeam, quo inter cætera non tacet *confeſſionem ante irrogatas pœnas factam* in publica Pœnitentia. Vidi & grauem Theologum, virum in ſacris hiſce ſtudijs palmarem, qui Pœnitentiam dare apud antiquos, nihil aliud eſſe cenſeret doceretque publicè, quàm abſolutionem ſacramentalem concedere, cum impoſitione pœnæ, & ſatisfactionis poſtea perſoluendæ: quæ ipſa noſtra ſententia eſt. Sic autem diſtinguebat, triplicem manuum impoſitionem factam Pœnitentibus à Sacerdote, cum oratione conuenienti: prima datam peccatorum relaxationem, & in primo Pœnitentiæ gradu conſtitutos, quem vel Luctum, vel Auditionem appellaueris. Alteram in ſubſtratione ſæpius iteratam, cum ijs conuenire precibus, quas & nos Abſolutiones vocitamus, quæ non quidem culpam, ſed certè pœnam remittunt: nimirum, vt quæ opera bona è ſuperiorum præſcripto faciunt Pœnitentes, ea ex opere operato, vt vocant, efficaciam habeant ad pœnæ veniam, & indulgentiam obtinendam. Tertiam denique decurſo imperatæ Pœnitentiæ ſpatio ab Epiſcopo factam & Clero, quæ dicta ſit *reconciliatoria manuum impoſitio*, qua pax data, & ius ad omnia Chriſtianæ Religionis munera, ipſamque Euchariſtiam reſtitutum. Addebat cum illis non incongruè conferri poſſe, quotidianam peccatoris cuiuſlibet abſoluendi formulam, Pœnitentiæ illius veteris ſpeciem quandam, & velut epitomen. Hoc enim in foro, narratione peccatorum à reo facta, tribus diuerſis orationibus bene ei & apprecatur, & facit Sacerdos. Prima poſtulat à Deo compunctionem & pium Pœnitentiæ motum: cui mox adiungitur Sacramentalis abſolutio: quæ licet reatu ſublato diuinæ gratiæ Pœnitentem redonet, ſupereſt tamen ſubeundus iuſtitiæ rigor, & pœna tot criminum exoluenda. Leuior autem nunc illa imponitur, quàm vt æquare poſſit delicta. Oratione igitur tertia rogat Sacerdos, vt quod ad plenam perfectamque peccatorum remiſſionem, laboribus alijſque bonis Pœnitentium operibus defuerit, illud Chriſti patientis & Sanctorum meritis condonetur. Diſcedit è tribunali iam Dei filius, iam ſanctus, ſed adhuc Pœnitens, & ieiunio vel orationi obnoxius hæres Dei, cohæres Chriſti. Diuide modò tempora, & mediam orationem ad Sacerdotalem benedictionem refer, qua dabatur olim Pœnitentia: primam illi applica quæ ſubſtrationem comitabatur: poſtremam

*Triplex manuum impoſitio.*

*Pœnitentia noſtra cum vetere comparata.*

mam plenæ reconciliationi non abſimilem reperies. Eo tamen diſcrimine, quòd in hac laborum fuga, & caritatis tepore à cenſuris & excommunicatione, quantùm quidem & reo neceſſe eſt, & licitum Sacerdoti, ſimul cum peccatis abſoluit Eccleſia; permittitque ante obiras pœnas, ad id quod perfectum eſt, ſiue Euchariſtiam accedere. Hac in explicatione ſi non omnibus arrident omnia, negari certè non poteſt, pleraque acri iudicio, & ſolerti indagatione reperta, rationi & veritati maximè conſonare, in quibus meum illud inſtitutum eſſe volo, vt ineunte Pœnitentia, ſoluta ſacramentaliter peccata, doctor ille iudicarit.

Quid dicam de morientibus Pœnitentiæ benedictionem percipientibus? Quid de Diaconis manus imponentibus? Quæ longè facilius in hac expediuntur ſententia, quàm in alia qualibet, vt mox ſuis locis explicabitur: quam eſſe volo quintam ſtabiliendæ huius opinionis rationem: quæ licet ſuis nodis, & fortaſſe næuis non careat, ea tamen difficultas ampliore perplexorum locorum intelligendorum vtilitate penſatur. Eſto igitur poſita ſatis plauſibiliter illa prima Pœnitentium reconciliatio, qua animus Deo peccati abſolutione reſtituitur.

*Commodè hac via difficultates explicantur.*

Poſt hæc nihilominus Eccleſiaſticæ iuſtitiæ pœnas aliquas debet reus, nondum admiſſus in conſortium fidelium; eas igitur longo illo, quem monſtrauimus Pœnitentiæ decurſu exoluit, eoque peracto, graui excommunicatione ſoluitur, Eccleſiæ precibus, & fidelium ſocietati, oblatione tenus, reſtituitur; ſicque ad quartum Pœnitentiæ gradum tranſmeat, quam primam & minorem reconciliationem Albaſpinæus appellat. In qua demum communis Doctorum ſenſus eſt, traditam à peccati reatu abſolutionem, quam ego repetitam malo dicere, non ſemel quidem in curſu Pœnitentiæ, ſi quidem lego in S. Cypriano *profeſſam frequenter deteſtationem factorum*; ſed eo maximè temporis momento, ritu quodam auguſtiore; & eò ampliore gratia; quò fuit operoſior Pœnitentia.

*Secunda reconciliatio in curſu Pœnitentiæ.*

Albaſ. lib. Obſer. 24. & 32.

Atque iterum tandem euoluta vltima illa Pœnitentiæ parte, Hierarchica benedictione plenæ communioni, cum iure percipiendæ Euchariſtiæ redditur; factus vnus è ſancto Populo, diuinarum humanarumque rerum particeps: quæ perfectio Communionis, plena Communio, abſolutiſſima Reconciliatio, eius quod perfectum eſt perceptio, à Concilijs vocatur, de qua plura videbis in Aurelianenſi.

*Tertia reconciliatio in fine Pœnitentiæ.*

Idem Obſ. 33.

Superfluum eſt monere factas illas, manus impoſitione Reconciliationes; cum in antiquis Canonibus frequentius nihil occurrat. Sed notandum illud, abſolutionem Sacramentalem appellari non poſſe vltimam illam reconciliationem, qua apud S. Cyprianum dicitur ius communicationis acceptum per manus impoſitionem Epiſcopi & Cleri: quæque apud eundem à Diacono datur *manu in Pœnitentiam impoſita*: vt alibi quærenda ſit illa, quam prædiximus, abſolutio. Obſeruandum & iſtud, conceſſam aliquando Communionem ſine manus impoſitione, quod Arauſicano primùm Concilio, deinde Arelatenſi cauetur. *Qui recedunt de corpore, Pœnitentia accepta, placuit ſine reconciliatoria manus impoſitione eis Communicari, quod morientis ſufficit conſolationi.* Accipiunt videlicet morientes Pœnitentiam delicti ſui, abſolutione Sacramentali, ſed integræ paci & Communioni non reſtituuntur, quod per Hierarchicam manus impoſitionem, ritu ſolenni, publico loco, frequente conſeſſu fieri ſolet.

*Factæ reconciliationes per manus impoſitionem.*

Cypri. ep. 10. & 13.

Concil. Arauſic. 1. can 3. Arelat 2. can. 28.

## QVÆDAM POENITENTIÆ PVBLICÆ AFfectiones expenduntur.

### §. Vnicus.

*Publica Pœnitentia ſemel tantùm conceſſa.* — Tertu l. de Pœnit. c. 5. — Ibid. c. 7. — *Pamel. in eum locũ.*

OBSERVANDVM & illud, ſemel tantùm conceſſam homini publicam illam Pœnitentiam: licet priuata, ſeu Sacramentalis frequentiùs iterari potuerit. Ita manifeſtè Tertullianus. *Hoc enim dico, Pœnitentiam quæ per Dei gratiam oſtenſa & indicta nobis, in gratiam nos Domino reuocat, ſemel cognitam atque ſuſceptam nunquam poſthac iteratione delicti reſignari oportere.* Tum inferiùs de eadem: *Pigeat ſecundæ, imo iam vltimæ ſpei ſubtexere mentionem, ne retractantes de reſiduo auxilio pœnitendi, ſpatium adhuc delinquendi demonſtrare videamur.* Publicam hic volo intelligi, non priuatam, contra quàm Pamelio viſum ſit: quia cum præcedenti capite de Catechumenorum ante lauacrum Pœnitentia egerit, eoſque grauiter obiurgarit, qui de venia per intinctionem ſecuri, peccare non deſiſterent; ad illam deinde Pœnitentiam progreditur, quæ Baptiſmum ſequitur, eamque ſecundam reſpectu Catechiſticæ, vltimam reſpectu rigoris Eccleſiaſtici appellat: de qua altero deinde capite, *huius igitur Pœnitentiæ ſecundæ & vnius, quantò in arto negotium eſt, tantò operoſior probatio eſt.* Vna certè, quia vltima; vltima, quia ſecunda. *Collocauit in veſtibulo Pœnitentiam ſecundam, quæ pulſantibus patefaciat; ſed iam ſemel, quia iam ſecundò: ſed ampliùs nunquam, quia proximè fruſtra.* Non dubium tamen quin de priuata poſſit illud accipi. *Abſit vt aliquis interpretetur, quaſi eò ſibi etiam nunc pateat ad delinquendum, quia patet ad pœnitendum: & redundantia clementiæ cæleſtis, libidinem faciat humanæ temeritatis. Nemo idcirco deterior ſit, quia Deus melior eſt, toties delinquendo, quoties ignoſcitur.* S. Auguſtini expreſſior doctrina eſt & apertior, vtranque ſimul aſſertionem noſtram complexa. *Quamuis cautè & ſalubriter prouiſum ſit, vt locus illius humillimæ Pœnitentiæ ſemel in Eccleſia concedatur, ne medicina vilis, minùs vtilis eſſet ægrotis; quæ tantò magis vtilis eſt, quantò minùs contemptibilis fuerit; quis tamen audeat Deo dicere, quare huic homini, qui poſt Pœnitentiam primam, rurſus ſe laqueis iniquitatis obſtringit, iterum parcis?*

Ibid. c. 9. — c. 7. — Ibidem. — Auguſt. ep. 54.

*Baptiſmo comparata.* — *Efficacior quàm priuata.*

Voluerunt itaque Patres ſapientiſſimi, ſupparem Baptiſmo eſſe Pœnitentiam vnam, ſolennem, Hierarchicam, gradatim confectam, delictorum expunctricem, pœnarum auerruncam, hominis interpolatricem. Priuatam verò Pœnitentiam quæ præter Sacramentalem abſolutionem, pœnale nihil aut perparum aſſumeret, non ægrè reperi permiſerunt. Cur ita? quæ cauſa fuit cur publicam tantopere ſupra priuatam æſtimarent? Quia cum indulgentiarum nomen, & res ipſa in vſu Hierarcharum non foret, licet eas apud Martyres lapſi quærerent; diuinæ iuſtitiæ ſatiſdari volebant à reo, clamante S. Cypriano, *Quàm magna deliquimus, tam granditer defleamus*: & æterna ſupplicia temporalibus afflictationibus extingui non temere credebant. *Si de Exomologeſi retractas*, (inquit Tertullianus, id eſt, ſi quid de aſperitate Pœnitentiæ minui cupis) *gehennam in corde conſidera, quam tibi Examologeſis extinguet, & pœnæ priùs magnitudinem imaginare, vt de remedij adeptione non dubites.* Quam efficacitatem in priuata abſolutione ineſſe non putabant: ideo hæc vilior, ſi ſic loqui fas eſt, quia parabilior: vt vel hac ratione non dubites conceſſam facilè Pœnitentiam inituris.

Cypr. l. de Lapſis. — Tertu l. de Pœn. c. 12

*Locus Tertulliani de Pœnitentia*

Et quoniam in Tertulliano verſamur, & Baptiſmi mentione, hoc etiam te velim, Lector, animaduertere, doctorem Africanum in ea paræneſi, qua

Cate-

Catechumenos Baptiſmi appetentes ab itetatis flagitijs abſterret, ſic loqui. *Tunc opinor emendatos liquebit cum abſoluimur. Nullo pacto. Sed cum pendente venia pœna proſpicitur: cum adhuc liberari non meremur, vt poſſimus mereri: cum Deus comminatur, non cum ignoſcit. Peccator ante veniam, deflere ſe debet, quia Pœnitentia tempus idem, quod periculi & timoris. Neque ego renuo diuinum beneficium, id eſt, abolitionem delictorum.* Ex quibus patet veniam illam, quam pendere dicit dilato baptiſmo, eſſe abolitionem delictorum; non ſuppliciorum extinctionem. Poſtea verò cum fideles lapſos & obnoxios Pœnitentiæ, veſtium corporumque delicijs adhuc intentos, acriore ſtylo perſequitur, nuſquam illum ea vti ratione, vt *veniam* adhuc *pendere*, & *abolitionem delictorum* differri aſſerat. Vnde non abſurdè opinionis meæ ducatur confirmatio, tunc abolita per abſolutionem priuatam, quum Pœnitentia ſubitetur.

*ante & poſt baptiſmum.* l. de Pœn. c.6.
Ibid. c.11.

Facit hæc in Tertulliani dictis opera, vt Hermæ Paſtoris etiam meminiſſe poſſimus; cuius ſcripta cum Pelagianorum Nouatianorumque nouatorum mala manu aliquot locis deprauata conceſſerimus; agnoſcemus tamen poſtea damnata in illis quæpiam duro nimis & inconſiderato iudicio. Eius generis ſunt quæ de vnica Pœnitentia ſcribit, tanquam Nouatianis dogmatis conſentanea. Vt cum ait, *Iis non eſt per Pœnitentiam regreſſus ad vitam, quoniam quidem adiecerunt ad reliqua delicta ſua, & nomen Domini nefandis inſectati ſunt verbis: huiuſmodi homines morti ſunt deſtinati.* Et alio antea libro de Pœnitentia quæ Bapriſmo ſuccedit, quæ propriè huius loci quæſtio eſt, nihil diuerſum à Patribus cæteris attulerat, cum diceret. *Poſt vocationem illam magnam* (Baptiſmi) *& ſanctam, ſi quis tentatus à Diabolo fuerit, & peccauerit, vnam habet Pœnitentiam: Si autem ſubinde peccet, & Pœnitentiam agit, non proderit homini talia agenti: difficile enim viuet Deo.* Quæ ſi de Pœnitentia publica intelligis, & benigna interpreratione emollis, priuata ſumptam auctoritate Pœnitentiam, poſt illam publicam & Hietarchicam minùs efficacitatis habere, Catholicum ſenſum non ægrè elicies. Quemadmodum ex eo Apoſtoli dicto quo Nouatus abutebatur. *Impoſſibile eſt eos qui ſemel illuminati ſunt*, &c. *rurſus renouari ad Pœnitentiam*, hoc eſt, admodum difficile, vt pletique Interpretum mitigant. Item inferiùs, *Voluntariè peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis* (in illuminatione Baptiſmi) *iam non derelinquitur* (ægrè, vix) *pro peccatis hoſtia*, Pœnitentia qua peccata tedimantut. Cæterùm quàm procul abſit Hermas ab errore Nouatianorũ facilè ex ijs laudibus percipitur, quibus Pœnitentiam commendat, cui & Paſtorem, ſeu Angelum præfectum eſſe docet, & ſapientiæ vero nomine eos illuſtrat, qui Pœnirentiam ſuſcipiunt. *Ego præpoſitus ſum Pœnitentiæ, & omnibus Pœnitentiam agentibus ſenſum do. An non tibi videtur Pœnitentiam agere magnam ſapientiam eſſe; quia qui Pœnitentiam agit magnum ſenſum adipiſcitur?* Alibi præterea multis oſtendit *in Pœnitentia, peccantium ineſſe vitam: non agentium Pœnitentiam, mortem paratam.* Quæ omnia Nouatianas opiniones profligant, & ſecundam naufragantibus Chriſtianis tabulam offerunt.

*Hermæ Paſtoris opinio de Pœnitentia defenditur.*
Hermas l.3.c.6.
Idem l.2. c.4.
Heb.c.6.
Ibid. c.10.
Hermas l.2.c.4.
Idem.l.3. c.8.

Iam vt ad inſtitutum redeamus, id prætetea obſeruari cupio, ad Reconciliationis gratiam, niſi qui fideliter conſtanterque omnia conſtitutæ ſibi Pœnitentiæ ſpatia petegiſſet, perueniſſe neminem. Nam neque Catechumeno Baptiſmum, neque Pœnitenti Communionem, niſi rectè perfectéque expiatis Eccleſiaſticæ diſciplinæ rigor ante conceſſit. Quare ſi qui-

*Reconciliatio non data, niſi perfectè obita Pœnitentia.*

bus poſt acceptam Pœnitentiam in eo curſu liberet ea ſe moleſtia exoluere, & ad priſtinam vitæ delicationis conſuetudinem reuolare, ij Canonum ſeueritate non minùs grauiter plectebantur, quàm ſi neglecta funditus Pœnitentia, in peccatis & libidinibus ſe ſe perpetuò volutaſſent. Itaque Concilio Turonenſi grauiter edicitur, vt *qui poſt acceptam Pœnitentiam, ſicut canis ad vomitum ſuum, ita ad ſeculares illecebras, derelicta quam profeſſus eſt Pœnitentia, fuerit reuerſus, à Communione Eccleſiæ, vel à conuiuio fidelium extraneus habeatur.* Quam particulam diuidentem non eſſe, ſed potius coniungentem docent plures alij Canones, vt Veneticus, *non ſolum à Communione dominicorum Sacramentorum, ſed etiam à conuiuijs fidelium ſubmouendos.* Vt Aurelianenſis, *placuit eos & à Communione ſuſpendi, & ab omnium Catholicorum conuiuio ſeparari.* Minorem quoque excommunicationem eorum ſodalibus intentat. *Quod ſi poſt interdictum, cum eis quiſquam præſumpſerit manducare, & ipſe Communione priuetur.* Vt Epaonenſis, qui eo pœnæ genere deſultores in gyrum officij ſui conatur reducere, *prorſus communicare non poterit, niſi profeſſioni quam illicitè prætermiſerat, reformetur.* Vt Aurelianenſis poſterior, omnium durißimus, qui ſine dubio mali magnitudinem, auſteritate medicaminis ſuperare contendit. *Si quis Pœnitentia benedictione ſuſcepta, ad ſecularem habitum militiamque reuerti præſumpſerit, viatico conceſſo, vſque ad exitum excommunicatione plectatur.*

Concil. Turon. 1. can. 8.
Concil. Venet. c. 3.
Concil. Aurel. 1. can. 11.
Concil. Epaon. can. 21.
Concil. Aurel. 3. can. 25.

*Acta Pœnitentia, religioſiùs iuſſi viuere.*

Quanquam reuocare poßit aliquis in dubium, poſtremus iſte adeo ſeuerus, ad interruptionem Pœnitentiæ pertineat, & ad conſummationem? id eſt, eoſ-ne feriat qui Pœnitentiam in curſu intermittunt, an qui poſt eam completam ad vitæ prioris licentiam relabuntur? Verùm eo Canone illi volaticorum Pœnitentium generi relicto, cum verbis conceptis de *Pœnitentia benedictione ſuſcepta decernat*; de ijs qui Chriſtianis natalibus ea peracta per Hierarchicam reconciliationem reſtituti ſunt, poſtrema ſit obſeruatio, regulis Eccleſiaſticis conſtrictos, quæ licitis quibuſdam interdicerent, quoniam in illicita proruiſſent. Earum mentionem facit Leo Magnus ad Ruſticum, *contrarium omnino eſt Eccleſiaſticis regulis, poſt Pœnitentiæ actionem, redire ad militiam ſecularem.* Et deinde iuueni parum continenti, fornicationis metu coniugem quærenti, fatetur quidem ignoſcendum, ſed *ſecundum veram cognitionem*, inquit, *nihil magis ei congruit qui Pœnitentiam geßit, quàm caſtitas perſeuerans mentis & corporis.* Licet autem neque militiæ, neque coniugio ineundo vacare per Eccleſiæ leges debeat reconciliatus; non ideo tamen ad clericalem militiam adſcribitur, imo perpetua notatus irregularitate, ab aris ſubmoueri, ab Eccleſiaſticis ordinibus arceri, multis Conciliorum decretis iubetur. Ita breuiter & præcisè Epaonenſe, *Pœnitentiam profeßi ad Clericatum penitus non vocentur.* Cui etiam adiicit Agathenſe, *qui iam ſunt per ignorantiam ordinati, vt ſicut bigami aut internuptarum mariti, locum teneant; miniſtrare Diaconus, aut conſecrare altare, huiuſmodi Presbyter non præſumat.* Libens hic ego, ſi codicum accederet auctoritas, legerem, *conſecrare ad altare.* Nam cum pœnam inferat Canon, & ab officio ſuſpenſionem, vſum ſacrificij antea liberum Preſbytero illi demere voluit, non altaris conſecrandi poteſtatem, quam non habebat: illud enim opus eſſe ſoli Hierarchicæ vnctioni reſeruatum, ſupra monſtrauimus. Seuerior tamen eſt aduerſus Preſbyterum eiuſcemodi, Canon Carthag. *Ex Pœnitentibus quamuis ſit bonus, Clericus non ordinetur: ſi per ignorantiam Epiſcopi factum fuerit, deponatur à Clero: quia ſe ordinationis tempore non prodidit fuiſſe*

S. Leo ep. 92. ad Ruſticum. c. 12. & 13.

*Irregularitas publicam Pœnitentiā ſecuta.*

Concil. Epaon. can. 23.
Concil. Agathen. can. 43.
*Emendatur locus.*
Concil. Carth. 4. can. 66.

*fuiſſe Pœnitentem.* Si hoc non nesciuit Epiſcopus, ordinandi poteſtate priue- *Vide hoc in propoſito* Albaſ. l. 1.
tur. Nimirum altaris illibata ſanctitas eſſe debet; quodque Clericis depoſi- Obſer. 34.
tio, id Laïcis Pœnitentia eſt, ne vitia in ſacrarium etiam vindicata pene-
trent, & ſancti Populi Communione ſocietateque contenti ſint, qui profeſ-
ſionis ſuæ puritatem violarunt.

---

## DE MORIENTIVM CVM POENITENTIA *Reconciliatione.*

## CAPVT XXI.

HANC etiam Dionyſiacæ Hierarchiæ partem attingemus, ijs conſideratis *qui dormierunt*, etſi alia in cauſa. Nam eorum funera deſcribere, & quo poſiti loco modoque fidelium orationes excipiant, referre, non eſt ſuſceptæ diſputationis.

Eliberitani Concilij rigor aliquibus reis permittit in fine Communionem dari, alijs prohibet. Nonnulli Canones, etiam mortuis iubent reddi Communionem: alia Patrum ſcripta id fieri poſſe negant. Has vt Eccleſiaſticæ diſciplinæ aſperitates complanemus, conſiderandi primùm nobis ſunt ægroti ipſi, tum ad mortuos delabemur. Ægrotos duorum generum conſideramus: eos qui iam Pœnitentiam incœperunt, & eo in curſu morte intercipiuntur: & eos qui ſtadium illud nondum ingreſſi, in mortis limine Pœnitentiam ſibi ab Epiſcopo dari poſtulant. Et toti huic diſſertationi duo fundamenta ſubſternimus: quorum prius eſt, nullam vnquam in Eccleſia delictorum reſeruationem in articulo mortis fuiſſe, vt Tridentino definitur: & quod inde ſequitur, Pœnitentiam nunquam petentibus denegatam, cum ad Gallicanos Epiſcopos ſcribat Cœleſtinus Pontifex, *Agnouimus Pœnitentiam denegari morientibus, nec illorum deſideriis annui, qui obitus ſui tempore hoc animæ ſuæ cupiunt remedio ſubueniri. Horremus fateor tantæ impietatis aliquem reperiri, vt de Dei pietate deſperet,* &c. In eandem conſpirat ſententiam Concilium Epaonenſe, *Ne vllus ſine remedio, aut ſpe veniæ ab Eccleſia repellatur; neue vlli, ſi aut Pœnituerit, aut ſe correxerit, ad veniam redeundi aditus obſtruatur,* &c. Nam vt ſuauiter S. Auguſtinus, *In quibuſcumque peccatis non perdit viſcera pia mater Eccleſia.* Quodque S. Ambroſius de reſtituenda ſcribit gratia, id ſi ad homines pertinet ſoſpites & valentes, longè potiori iure de ægris morientibuſque concipitur. *Euidentiſſimè,* inquit, *Domini prædicatione mandatum eſt, etiam grauiſſimi criminis reo, ſi ex toto corde, & manifeſta confeſſione peccati Pœnitentiam agant, Sacramenti cæleſtis gratiam refundendam.* Poſterius fundamentum quod reuocari placet, hoc eſt, multiplicem eſſe Communionem, neque Euchariſtiam ſolam ea voce comprehendi, vt olim fuſiùs monſtrauimus. Imo ſæpius in antiquis illis Concilijs Communionem accipi pro communicatione & ſocietate permiſſa cum fidelibus in precibus, conuiuijs, vita communi.

*Status quæſtionis proponitur.*

*In morte nunquam negata abſolutio.*

Concil. Trid. ſeſſ. 14. c. 7.

Cœleſtin. ep. 1.

Concil. Epaun. can. 36.

Aug. l. 50. homil. hom. 27.

Ambr. l. 2. de Pœnit. c. 3.

His verè poſitis, aſſero primùm Pœnitentibus in curſu Pœnitentiæ, morbo & morte occupatis, datam plenam perfectamque Communionem. Sic in Arelatenſi ſtatuitur, *De his qui in Pœnitentia poſiti vita exceſſerunt, placuit nullum Communione vacuum debere dimitti; ſed pro eo quod honorauit Pœnitentiam, Oblatio illius ſuſcipiatur.* Et in ſuperiùs allato Epaonenſi Canone, *ſi cui forſitan*

*Qui in Pœnitentia mortui, ſunt donati communione.*

Concil. Arelat. 2. can. 12.

Concil. Epaon. cit. *diſcrimen mortis immineat, damnationis conſtitutæ tempora relaxentur.* Eadem fuit ratio eorum quibus ad finem vſque prorogata eſt Communio: vt de Virginibus ſemel lapſis, deinde continentibus, Eliberitanis Patribus *Placuit, eas in*

Concil. Elib. c.13 *fine Communionem accipere debere.* Et Ancyrani, de ſenibus brutam venerem exercentibus, decernunt eos *ad exitum tantùm vitæ Communionem mereri.*

Concil. Ancyran. can.16. Tales igitur in perpetua Pœnitentia oportuit habitare, cuius idem finis eſſet, qui vitæ: neque priùs cum fidelibus communem inire poterant ſocietatem, quàm ab viuorum omnium ſocietate migrarent. Hoc tamen omnes æquè lucri faciebant, vt dominico paſti corpore, armati Eccleſiæ Sacramentis, fidelium precibus & oblationibus comitati, ad iudicem, iam non ſeuerum

Concil. Cartha. 4. can.79. proficiſcerentur & *eorum memoria orationibus & Oblationibus commendaretur*; vt loquitur Concilium Carthaginenſe quartum. Eodem refero illos quorum mentio fit eo Canone, quem Epaonenſi Concilio adnexum, refert Illuſtriſſimus Aurelianenſis, eiuſque fide à me hoc loco profertur. *Si aliquis excommuni-*

Albaſ. l.2. Obſeru. 4 *catus fuerit mortuus, qui iam confeſſus ſit, & teſtimonium habet bonum, & non poterat venire ad Sacerdotem, ſed præoccupauit eum mors in domo, aut in via; faciant pro eo parentes eius Oblationem ad altare, & dent redemptionem pro captiuis.* Hunc putat Antiſtes Pœnitentiam deſideraſſe, & inclamaſſe, ſed morte priùs oppreſſum, quàm adiuuari potuiſſet. Ego verò dico in Pœnitentia fuiſſe; ſiquidem iam

Confeſſi ante abſolutam Pœnitentiam. erat *confeſſus*, atque adeo peccati veniam perceperat abſolutione Sacerdotali; ſed tamen *excommunicatus*, quia ſupererat publica ſatisfactio, quam apud Sacerdotem ſeu Epiſcopum profiteri non potuit, quia morte præuentus eſt. Habetur itaque in expenſo, & leui mulcta hæredibus impoſita, pro fideli tumulatur. Hic autem ſi quis non videt diuerſam à Pœnitentia publica, confeſſionem Sacramentalem; eaque percepta, excommunicationem nihilominus inhærentem, quæ ſola Pœnitentia eluatur à viuente, condonetur morienti, in ipſo meridie cæcutire mihi videtur.

In exitu Pœnitentia ſemper conceſſa. Aſſero ſecundò, lapſis & reis Pœnitentiam in exitu rogantibus, ſemper fuiſſe conceſſam; quæ poſitio priore fundamento nititur, Dei Eccleſiæque benignitate ſpectata. Neque vnquam legas in Canonibus, ne Ancyranis quidem aut Eliberitanis, negatam vlli Pœnitentiam, ſed Communionem. Quid

Albaſ. l.2. Obſeru. 3. ſit autem illa diligentiùs exquirendum. Aurelianenſis cum attentiùs conſiderat in illo momento conſtitutis, non ſentientibus, non reſpondentibus ad interrogata, datam ſæpenumero ab Hierarchis Pœnitentiam; ac præcipuè verba illa Concilij Toletani, *ſicut Baptiſmum, quod neſcientibus paruulis ſine vlla contentione, in fide tantùm proximorum accipitur: ita & Pœnitentiæ donum, quod neſcientibus illabitur, abſque vlla repugnantia, hi qui illud exceperint, obſeruabunt*: opti-

Illa Pœnitentia non fuit exterior. mè conijcit *donum* illud *quod neſcientibus illabitur*, non fuiſſe impoſitionem cilicij, non indictionem ieiuniorum & vigiliarum; ſed intimum aliquid quod in animo remaneret, Hierarchica Pœnitentiæ benedictione diuinitus impetratum. Cui hactenus libens volens aſſentior, neque plures ſcriptorum locos aliter explicari poſſe autumo.

Non donum fortitudinis. Verùm quod ſubiicit, donum illud cœleſte, nihil aliud fuiſſe, quàm peculiarem quemdam diuinæ gratiæ fauorem, quo confirmatus patientiæque dono corroboratus æger, muniebatur ad tolerandos labores in Pœnitentia exhauriendos, mihi, vt ingenuè dicam, probari non poteſt, idque gratis efferri tum alia plurima demonſtrant, tum ſtatus ipſe morientis, & animam iam

iamque

iamque agentis. Cui enim bono, virtus indita ad exſorbendas difficultates Pœnitentiæ, quæ nunquam adiri debeat? Deinde vis illa & gratia fortitudinis, reum diuinæ gratiæ reddit, aut in peccati ſtatu relinquit: ſi primum, aliud certè aliquid eſt, quàm perficiendæ Pœnitentiæ poteſtas: ſi ſecundum, & fruſtra adhibetur, & crudeliter ab Eccleſia deſeritur fidelis; ſupplex, filius. Hæc igitur quia non procedit explicatio, inferiùs *donum quod neſcientibus illabitur*, aliter explicat, *Iis qui in mortis diſcrimine poſiti alienatæ mentis ſigna & errores oſtendebant, vel quibus omnes ſenſus adempti eſſent, per benedictionem Pœnitentiæ donum ſingulare infuſum, quo ſi quis eis ſpiritus, aut mentis vſus ſupereſſet, adiuuabantur ad dolendum de peccatis ſuis, & veniam à Deo faciliùs impetrandam.* At neque hæc explicandi ratio mihi ſatisfacit. Nam ſi verè à ſtatu mentis dimotus eſt æger, phreneſi iactatus, lethargo ſepultus, quid prodeſt doloris illud ſubſidium, cum dolorem concipere non poſſit? Dolorem inquam perfectum, caritate formatum, ſynceræ contritionis illibatum florem, qui ſolus extra Sacramenti præſidium, diuinæ gratiæ peccatorem reſtituit. Hunc dolorem animo integer, ardens pietate, multis imburus præceptis, exercitatus vſu, Religioſus quiuis ægrè à ſe extorqueat: & ægritudine oppreſſum hominem, iam pene non hominem, inter laqueos mortis & dolores inferni, tam ſui potentem facis vt leuiore quopiam gratiæ adiutus auxilio veram, plenam, conſummatam contritionem concipiat?

*Non gratiâ contritionem.*

*Sed abſolutio Sacramentalis.*

Itaque cum expediendæ illi difficultati commodius nihil occurrat, aio confidenter conceſſam eiuſmodi ægro delictorum veniam Sacerdotali abſolutione: quod & modò fieri videmus, decernente iam olim Concilio Arauſicano, *ſubitò obmuteſcens, prout ſtatus eſt, baptiſari, aut Pœnitentiam accipere poteſt, ſi voluntatis aut præteritæ teſtimonium aliorum verbis habet, aut præſentis in ſuo nutu.* Accipiat certè oportet quod proſit ad ſalutem; quod cum baptiſmo poſſit comparari: hoc autem quod dixi donum, non abſimile eſt gratiæ per baptiſmum infuſæ paruulis, & *neſcientibus illabitur*, & eorum ſalutem in tuto ponit, & illis ad Pœnitentiam ius tribuit, ſi conualeſcant. Quod non obſcurè tradit Canon Nicænus, *de his qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua regulariſque ſeruabitur: ita vt ſi quis egreditur è corpore, vltimo & neceſſario viatico minimè priuetur.* Miror equidem peruidiſſe Aurelianenſem, *viaticum* illud *neceſſarium*, eſſe *abſolutionem*; & tantopere refugere ne illa Pœnitentiæ benedictio, de qua agimus, abſolutio eſſe videatur. Innocentius Papa Exuperium monet, prioribus ſeculis eiuſmodi clinicis conceſſam Pœnitentiam, negatam Communionem, *ne totum penitus negaretur:* ſed mitigata diſciplina, *tributam cum Pœnitentia extremam Communionem.* Semper igitur conceſſa Pœnitentia, quæ neceſſaria ad ſalutem; illa autem quæ alia poteſt eſſe, quàm coniuncta cum relaxatione delicti?

Concil. Arauſic. I. can. 12.

Concil. Nicæ. c. 13.

Innoc. P. epiſt. ad Exup. c. 2.

*Non ſemper conceſſa abſolutio ab excommunicatione.*

Aſſero tertiò, ſeculis auſterioribus negatam plurimis fuiſſe abſolutionem ab excommunicatione; vt licet Pœnitentiam modo explicato perciperent, ab Communione tamen tum Euchariſtiæ, tum orationum & ſuffragiorum Eccleſiaſticorum excluſi morerentur. Sic horrendum illud Eliberitanorum Canonum carmen, *placuit nec in fine eos Communionem accipere debere.* Sic ad verbum citatus modò Innocentius, *de his obſeruatio prior, durior; poſterior interueniente miſericordia inclinatior eſt. Nam conſuetudo prior tenuit vt concederetur eis Pœnitentia, ſed Communio negaretur.*

Concil. Elib.

Innoc. cit.

## *EUCHARISTIÆ VIATICUM IN EXITU datum Pœnitentibus.*

### §. Vnicus.

*Data ſæpius Euchariſtiæ Communio. Idem Innoc. loco cit.*

ASSERO quartò, pacata Eccleſia datam cum Pœnitentia Communionem, etiam Euchariſtiæ: quæ eſt expreſſa Pontificis Innocentij doctrina, *Poſteaquam Dominus noſter pacem Eccleſijs ſuis reddidit, iam terrore depulſo, Communionem dari abeuntibus placuit, & propter Domini miſericordiam, quaſi viaticum profecturis, & ne Nouatiani hæretici negantis veniam, aſperitatem & duritiam ſequi videamur.* Nec minùs apertus Nicæni Concilij Canon, *Generaliter autem omni cuilibet in exitu poſito, & poſcenti ſibi Euchariſtiæ gratiam tribui, Epiſcopus poſtquam probauerit, ex oblatione dare debebit.* Hæc Communio viatica, aut ſimpliciter Viaticum appellata, vt in Aurelianẽſi Canone legimus, *Anno integro à Communione pellantur: qui tamen ſi periculoſam infirmitatem incurrerint, viatica illis Communio non negetur.* Et enucleatiùs in Arauſicano, *Qui recedunt de corpore Pœnitentia accepta, placuit ſine reconciliatoria manus impoſitione, eis communicari. Quod morienti ſufficit conſolationi, ſecundùm definitiones Patrum, qui huiuſmodi Communionem congruenter Viaticum nominarunt.* Hæc eſt penus vnde plurima rei noſtræ commoda depromas, datam Pœnitentiam ſine reconciliatione, hoc eſt, ſine abſolutione ab cenſura: Pœnitentiam illam ſufficere morienti; aliud ergo fuit, quàm donum fortitudinis ad tolerandam Pœnitentiam: per ſacræ Euchariſtiæ perceptionem redijſſe morientes aliquo modò in fidelium Communionem: hanc Communionem eſſe Viaticum, quæ & præcisè excipitur in infligenda excommunicationis pœna, decernentibus Aurelianenſis tertij Canonibus, *A Communione Eccleſiaſtica vſque ad exitum repellatur: Viatico tantùm ei in infirmitatis periculo reſeruato:* & inferiùs, *Viatico conceſſo, vſque ad exitum excommunicatione plectatur.* Gregorij quoque Pontificis ad S. Bonifacium Moguntinenſem, reſponſum extat mitioris obſeruationis, de paricidis, *vt toto vitæ tempore Corpus Dominicum non ſuſcipiant, niſi in ſuo exitu, pro Viatico.*

*Καθόλου δὲ καὶ περὶ παντὸς ἐξοδεύοντος, αἰτοῦντος τοῦ μεταχεῖν εὐχαριστίας, ὁ ἐπίσκοπος μετὰ δοκιμασίας μεταδιδότω τῆς προσφορᾶς.*

Concil. Nicæ. c. 13. Concil. Aurelia. 3. can. 6. Expenſus canon. 3. Arauſic. 1.

Concil. Aurelia. 3. Ibid. c. 25. Greg. 3. ep. 1. ad Bonif.

*Euchariſtia in exitu, Viaticum propriè dicta.*

Albaſ. l. 1. Obſer. 11.

*Refellitur in antiquis Canonibus.*

Ex his locis non inutiliter productis, facilè deprehendes ſacram Communionem Viatici nomine indicari, eamque Conciliorum ſenſu propriè *Viaticum* appellari. Licet in ea ſit Illuſtriſſimus Albaſpinæus opinione, Viaticum id omne eſſe, *quod in morte ſumitur, & in alteram vitam proficiſcenti prodeſſe poteſt. Sic Baptiſmum, Extremam vnctionem, Confirmationem, bona opera, abſolutionem, Viatici nomine comprehendi poſſe*: imo ſæpius in Canonibus antiquis Viaticum abſolutionis, quàm Euchariſtiæ intelligi. Quod equidem locis omni diligentia expenſis, magno illi viro concedere non poſſum. Nam qui primus producitur Nicænus Canon *Euchariſtiam* expreſsè nominat, quam *vltimum & neceſſarium Viaticum* appellat. Ancyranus in Græco Viatici vocem non vſurpat, ſed tantùm illud *ſi quod periculum, aut mortis expectatio ex morbo, vel alia quauis occaſione aduenerit, illos ἐπὶ ὅρῳ recipi, & admitti.* Carthaginenſes autem plures qui ab auctore indicantur, potiùs mihi de Euchariſtia, quàm illi de Pœnitentia explicanti, fauere videntur. Sic enim lego in 76. *Si continuò creditur moriturus, reconcilietur per manus impoſitionem, & infundatur ori eius Euchariſtia.* Quare in ſequente debet eadem Euchariſtia in Viatici locum venire,

Concil. Nicæ. c. 13. Concil. Ancyr. c. 6. Concil. Carth 4. can. 76.

cum

cum dicitur, *Pœnitentes qui in infirmitate ſunt, viaticum accipiant.* Atque hoc Ibid. c.77.
ipſum magis explicat proximè adiuncto Canone, *Pœnitentes qui in infirmitate* Ibid. c.78.
*viaticum Euchariſtiæ acceperint, non ſe credant abſolutos ſine manus impoſitione, ſi ſu-*
*peruixerint.* Qui Canon vel vnus aſſertionem noſtram conceptis verbis edi-
cere non immeritò cenſeatur: ſimulque Aurelianenſis præſulis dictum pro-
fliget, *Euchariſtiam nemini porrectam, quin pœnitens reconciliatoriam manus impoſi-*
*tionem, & quidem maiorem recepiſſet.* Vltimus verò ex allatis qui 79. eſt, neque
Euchariſtiæ, neque viatici mentione facta; ſententiam meam de abſoluto
eo qui Pœnitentiam peragerer, tam manifeſtè tuetur, vt ad eam lucem ce-
tera omnia caligare neceſſe ſit, *Pœnitentes qui attentè leges Pœnitentiæ exequun-* Item c. 79.
*tur* (vniuersè loquitur non de ijs tantùm qui in ſyſtaſi, ſed & qui in auditione
& luctu verſantur) *ſi caſu in itinere, vel in mari mortui fuerint* (hæc enim cauſa
eorum ſalutem in portu collocandi) *vbi eis ſubueniri non poßit* (per Eucha-
riſtiæ & viatici traditionem, per reconciliatoriam manus impoſitionem) *me-*
*moria eorum & orationibus & oblationibus commendetur*; tanquam reſtituti fide-
lium communioni, eorum precibus & ſacrificijs participent. Eoſ-ne tandiu *Abſolutio*
periclitari ſineret Eccleſia, peccati conſcientiam in omne periculum trahen- *data in Pœ-*
tes, aut vita functos, quos à diuina gratia extorres eſſe ſatis conſtaret, quos *nitentia*
æternis viuicomburijs addictos non temerè iudicaret, pro ſuis & inter ſuos *initio.*
orationibus adiuuaret? Prìus ergò quàm ſe itineri committerent, cum *attentè*
*leges Pœnitentiæ exequerentur*, Deo per abſolutionem fuerant reconciliati. At-
que Canon hic non minùs validè vibratur in Aurelium. Nam ſi Pœnitentes
*ſunt extra Eccleſiam, nec fidelium numero comprehenſi*, quî fit vt ſine reconciliatione
mortui, orationibus & oblationibus, non minùs quàm fideles qui dormierunt
participent?

Aſſero quintò, eos quibus petita in morbo, acceptaque pœnitentia, con- *Qui conua-*
cedebatur communio, non ideo plenam accepiſſe reconciliationem, qua *leſcerent ac-*
omnis pœnitentiæ ſatisfactio remitteretur. Quamobrem ſi reuiuiſcerent *cepta Com-*
ſubeundæ pœnitentiæ neceſſitatem habebant, vt ea legitimè peracta, ſolen- *munione, ad*
nem manuum impoſitionem, & omni ex parte abſolutam Communionem *Pœnitentiã*
ſuſciperent. Id expreſſè ante citati Canones Arauſicanus & Carthaginenſis *reuocati.*
declarant. Quorum prior, *quòd ſi ſuperuixerint*, inquit, *ſtent in ordine Pœniten-* Concil. Arauſic. 1.
*tium, & oſtenſis neceſſarijs Pœnitentiæ fructibus, legitimam Communionem cum recon-* can.3.
*ciliatoria manus impoſitione percipiant.* Poſterior autem. *Si ſuperuixerit, admoneatur* Concil. Carth. 4.
*à ſupradictis teſtibus petitioni ſuæ ſatisfactum, & ſubdatur ſtatutis Pœnitentiæ legi-* can.76.
*bus, quandiu Sacerdos, qui Pœnitentiam dedit, probauerit.* Epaonenſi quoque idem
decernitur. *Quòd ſi ægrotum accepto Viatico reualeſcere fortaſſe contingit, ſtatuti tem-* Concil. Epaon.
*poris ſpatia obſeruare conueniet.* Et quoniam nonnullos horror Pœnitentiæ ſtri- can.36.
ctioris, ab ea procul abigebat, interrogatus S. Leo ab Ruſtico Narbonenſi
Antiſtite, *de his qui in ægritudine Pœnitentiam accipiunt, & cum reualuerint agere* S. Leo epiſt. ad Ruſtic.
*eam nolunt*: reſpondet humaniùs, *Culpandam illorum negligentiam, ſed non deſe-* c.7.
*rendam, vt crebris cohortationibus incitati, quod neceſſariè expetierunt, fideliter exe-*
*quantur.* Libens hic quæſiero, quæ cauſa delicatos homines, ſalutis ſuæ non in-
curios, Pœnitentiæ negligentes fecerit, niſi quòd cum Pœnitentia delicto- *Abſolutio*
rum abſolutionem perceperant, qua conceſſa in ius filiorum Dei, & cœleſtis *data ante*
hæreditatis tranſcriptos ſe confidebant, licet aliquid vlteriùs diuinæ iuſtitiæ *perfectam*
deberetur? Hoc autem veteris Eccleſiæ lingua, vocant Antiſtites Pœniten- *Pœniten-*
*tiam.*

tiam accipere. Et dubitamus datam etiam valentibus cum Pœnitentia, eiuſcemodi abſolutionem? Et hactenus de morientibus, nunc eorum funera proſequamur.

## DE MORTVORVM RECONCILIATIONE.

## CAPVT XXII.

*Sine Pœnitentia mortui, nũquam reconciliati.*

FVNVS enimuero luctuoſum eſt eorum, quos in ipſo Pœnitentiæ neglectu, reconciliationis priuatione, à Deo hominibuſque extorres *abſtulit atra dies, & funere merſit acerbo:* illis enim nunquam Eccleſia Communionem, nunquam Deus conceſſit indulgentiam. *Multùm enim vtile & neceſſarium eſt, vt peccatorum reatus ante vltimum diem ſacerdotali ſupplicatione ſoluatur*, inquit S. Leo. *Quamobrem ſi quis eorum, pro quibus Domino ſupplicamus, quocunque interceptus obſtaculo, à munere indulgentiæ præſentis exciderit, & priuſquam ad conſtituta remedia perueniat, temporalem vitam humana conditione finierit, quod manens in corpore non recipit, conſequi exutus carne non poterit.* Hinc illæ Gelaſij doctiſſimi Pontificis lacrymæ, de Vitali Epiſcopo ante abſolutionem mortuo, *Tiderit Vitalis ſortem diuini iudicij, cui etiam cum magnopere vellemus, non potuit ſubueniri. Huic* (Miſeno criminis ſocio) *ſaltem proſint, dum copia viuentis admittat, in remedijs aſſequendis alterius experimenta repente ſubtracti.* Pereuntem filium non defleret optimus pater, ſi ad vitam æternam reſuſcitare potuiſſet: licet non deeſſent qui improuida miſeratione id beneficij ab eo expoſcerent. *Nobis non poterunt imputare, cur præuaricationis offenſam viuentibus remittamus, quod Eccleſiæ, Deo largiente, poßibile eſt: qui nos etiam mortuis veniam præſtare depoſcunt, quod nobis poßibile non eſſe manifeſtum eſt. Quis eum dictum ſit, Quæ ligaueritis ſuper terram. Quos ergo non eſſe iam conſtat ſuper terram, non humano, ſed ſuo iudicio reſeruauit: nec audet Eccleſia ſibimet vendicare, quod ipſis Apoſtolis conſpiciat non fuiſſe conceſſum, quia alia ſit cauſa ſuperſtitum, alia defunctorum.* Talibus mortuis negat S. Leo communicandum eſſe, cum interrogatus *de his qui iam animo deficientes Pœnitentiam accipiunt, & ante Communionem moriuntur:* hoc eſt, priùs efflant animam, quàm peccatorum abſolutionem cum Pœnitentia, & poſt eam Viaticum Euchariſtiæ, & quod inde conſequitur, Eccleſiaſticam Communionem integrè perfecteque acceperint: præcisè reſpondet, *horum cauſam Dei iudicio reſeruandam eſſe, in cuius manu fuit* (id eſt, cuius permiſſu prouidentiaque factum eſt) *vt talium obitus, vſque ad Communionis remedium differretur.* Hoc igitur decernat Deus. Quid homines? *Nos autem quibus viuentibus non Communicauimus, mortuis communicare non poſſumus.* Ab eodem fonte profecta illa eſt S. Cypriani ad Lapſos ſapiens adhortatio, *Confiteantur ſinguli, quæſo vos fratres dilectißimi, delictum ſuum, dum adhuc qui deliquit in ſeculo eſt, dum admitti confeßio eius poteſt, dum ſatisfactio & remißio facta per Sacerdotes apud Dominum grata eſt.*

*S. Leo epi. 91. ad Theodor.*

*Concil. Rom. 2. ſub Gelaſ.*

*S. Leo epi. 91. cit. c. 8.*

*Cypr. l. de Lapſis.*

*Error mortuos baptizantium, aut Communicantium.*

*Euſe. l. 25. hiſt. c. 18.*

Hæc qui ſpectarit, quid maiore cachinno derideat, quàm abſoluti à S. Gregorio Traiani fabulam: aut Montaniſtarum errorem, qui mortuos baptizabant: aut eorum ſtuporem, qui mortuorum corporibus Euchariſtiam præbebant,

bebant, quod Carthaginenſis Synodi Canone vetatur, qui errore perſeuerante reperitur in Concilio Trullano, *Nemo mortuorum corporibus Euchariſtiam communicet. Scriptum eſt enim, accipite, comedite: mortuorum autem corpora non poſſunt accipere, nec comedere.* Quod fieri *antequa conſuetudinis fuiſſe*, ſcribit Zonaras: abuſum dicere debuit & errorem. Additum in Gallijs oſculum, æquè vetitum Antiſiodorenſi Canone, *Non licet mortuis nec Euchariſtiam, nec oſculum tradi.* Quamobrem quæſtionis huiuſce de mortuorum reconciliatione ſtatus; illos impœnitentes & excommunicatos non tangit: ſed eos qui Pœnitentia, vel in morbo, vel ante ſuſcepta, nondum reddita Communione Eccleſiaſtica, prærepti ſunt. Quæ diſputatio nullius poteſt eſſe momenti (vt hoc ſemel ſine faſtidio admoneam) niſi datam cum Pœnitentia, peccatorum abſolutionem excommunicatione retenta ponamus: illa enim ſi prætermiſſa eſt, errorem priore aſſertione confutatum incurremus.

Concil. Carth. can. 18. apud Balſam. Concil. Trul. c. 28. Zonar. in eum locũ. *Oſculum mortuis dari vetitum.* Concil. Antiſiod. can. 12.

Itaque de Pœnitentibus dico, ſi morte ſubita reconciliationem ſeu abſolutionem ab excommunicatione recipere non potuerunt, communi Eccleſiæ indulgentia, pro abſolutis & Communioni reſtitutis habitos. Hic fuit Eccleſiæ Gallicanæ ſenſus in antiquo Vaſenſi Concilio verbis aureis cõceptus. *Pro his qui Pœnitentia accepta* (quid autem ea valet ad propoſitum, niſi deletum fuerit peccatum?) *in bona vitæ curſu ſatisfactoria compunctione viuentes, ſine Communione inopinato nonnunquam tranſitu in agris aut in itineribus præueniuntur, oblationem recipiendam, & eorum funera, ac deinceps memoriam Eccleſiaſtico affectu proſequendam.* Ratio ſubditur, quam Petrus Aurelius expendet, vt peruideat, ſint-ne illi ab Eccleſia & numero fidelium eiecti. *Quia nefas eſt eorum commemorationes excludi à ſalutaribus ſacris, qui ad eadem ſacra fideli affectu contendentes, dum ſe diutiùs reos ſtatuunt: indignos ſalutiferis myſterijs iudicant: ac dum purgationes reſtitui deſiderant* (iam igitur initio purgati) *abſque Sacramentorum viatico intercipiuntur: quibus fortaſſe nec abſolutiſſimam reconciliationem Sacerdos denegandam putaſſet.*

*Mortui Pœnitentes ſine reconciliatione, habiti pro reconciliatis.* Concil. Carth. 4. can. 79. Concil. Vaſ. can. 2.

Dico præterea nonnullis in excommunicatione mortuis, indultam aliquo poſt tempore reconciliationem & Communionem. Id docet, vt alia omittam, D. Gregorij tum Abbatis decretum in Monachum Iuſtum, proprietatis vitio corruptum, qui vltima in ægritudine ab fratrũ Communione ſeparatus, ac deinde Abbatis commiſeratione continuis triginta dierum ſacrificijs adiutus, Copioſo fratri ſuo apparuit, monuitque ſibi hactenus malè fuiſſe; nunc autem benè, *quia hodie Communionem accepi*: hoc eſt, Euchariſticarum precum, quibus antea per excommunicationem priuabat, hodie fructum percepi, quaſi redditus fidelium Communioni. Poteſt & in exemplum adduci Pachomij factum, qui negligentis Monachi funus intercipiens, veſtes ſplendidas mortuo detractas amburi iuſſit, *& ita cadauer efferri, & præter aliquam pſalmodiam ſepeliri.* Vbi erit qui aliquam excommunicationis formam, alius qui Pœnitentiæ reperiat; dicente Abbate ipſo, *ego quantulamcunque ei requiem, vel ſatisfactionem per hanc iniuriam præparo: potens eſt enim Deus benignus & clemens, multumque miſericors, pro ſupplicatione noſtræ paruitatis, eum in æternam ſuam requiem collocare.* Dicas ſic eum excommunicare, vt Pœnitentiam tribuat: ſic date Pœnitentiam, vt reconciliationem apud Deum promittat. Denique dubium nemini eſſe debet, quin antiquus ille ritus, quem damnatum vidimus, infundendæ in os cadaueris ſacratiſſimæ Euchariſtiæ, plenam Communionem mortuo conceſſam indicarit.

*Mortui aliqui ab excommunicatione ſoluti.* Greg. l. 4. Dialog. c. 55. In vita S. Pachom. c. 49.

*Sic reconciliati ſepulti ſunt in Eccleſia.*
Concil. Carth. 4. can. 81.
Greg. l. 4. de Dialog. c. 50.
D. Tho. in Supple. q. 71. a. 1. ad 5.
Greg. ibid. c. 53.

Cæterum qui eo modo oblationibus precibuſque fidelium communicabant, mortui Pœnitentes, ab Eccleſiæ ſepultura eliminati non fuerunt. Nam is ipſe Pachomianus Monachus, ſepultus dicitur *in monte, vbi erant parata monumenta*, Monachis alijs communia. Et Catthaginenſis Concilij decretum eſt, vt *mortuos Pœnitentes Eccleſiæ afferant & ſepeliant.* Fuetunt enim ab antiquo Chriſtiani ſepulturæ in Eccleſia perſtudioſi. Quod vtrum proſit animabus mortuorum, rogatus in dialogis S. Gregorius, reſpondet, pios ab impijs diſcernendo, *quos grauia peccata non deprimunt, hoc prodeſt mortuis ſi in Eccleſia ſepeliantur, quòd eorum proximi quoties ad eadem loca ſacra conueniunt, ſuorum, quorum ſepulcra conſpiciunt, recordantur, & pro eis preces Domino fundunt. Nam quos grauia peccata deprimunt, non ad abſolutionem potiùs, quàm ad maiorem damnationis cumulum, eorum corpora in Eccleſijs ponuntur.* Quod dictum Pontificis, ita D. Thomas explicat, *quòd ſepultura in loco ſacro impio defuncto non nocet, niſi quatenus hanc ſepulturam ſibi indignam propter humanam gloriam procurauit.* Quæ fuit Dialogi doctoris ipſa mens, cum eodem in propoſito concluſit. *Ex qua re, Petre, collige quia hi quos peccata grauia deprimunt, ſi in ſacro loco ſepeliri ſe faciant, reſtat vt etiam de ſua præſumptione iudicentur, quatenus eos ſacra loca non liberent, ſed etiam culpa temeritatis accuſet.*

## RECONCILIATORVM MEMORIA IN SACRIS *Myſterijs facta.*

### §. Vnicus.

*Relati ijdem in ſacra diptycha.*
Concil. Vaſen. c. 7.
Concil. Cartha. 4. cit. can. 79.
*Tria hominum genera in diptychis.*
Diony. c. 3. Eccle. & in Contemp.
Maxim. in eum locũ.
*ἡ μυστικὴ τῶν ἱερῶν πτυχῶν ἀνάῤῥησις ἐπιτελεῖται. τῶν δ' ἱερῶν πτυχῶν ἡ μὲν τῶν ἁγίων ἀνάῤῥησις.*
*Quomodo recitata nomina è diptychis.*
Sauſſ. in appar. ad Martyrol. Gallic. c. 8.

DENIQVE quod Vaſenſi Concilio, ſupra decerni audiuimus, huiuſcemodi defunctorum non tantùm funera, ſed & memoriam *Eccleſiaſtico affectu proſequendam.* Et Carthaginenſi, *eorum memoriam & orationibus & oblationibus commendandam*; dubitare me vetat, quin cæteros inter fideles in ſacra diptycha relati fuerint, vt eorum in ſanctiſſimis myſterijs memoria celebraretur. Et tria quidem hominum genera, diuinitus edoctos myſtas, ad ſacrum altare nominaſſe ſcimus. Eorum familiam ducunt ſancti viri: quorum recitata nomina ſtatim poſt oblationem factam, & mutuam fidelium in oſculo ſancto ſalutationem, admonet S. Dionyſius. Vbi non temerè adnotare videbor, aliorum quàm ſanctorum memoriam tunc temporis nullam fuiſſe in venerando ſacrificio; is enim non diptycha, ſed ſimpliciter Ptycha perpetuò nominat: licet D. Maximus ſcholiaſtes, diptycha reddat, admoneatque S. Dionyſij ſeculo, in oriente ſalutationi, ſanctorum commemorationem ſucceſſiſſe; ſuo autem tempore primam non fuiſſe ſacrarum tabularum recitationem. Fortaſſe autem non ſine probabili coniectura dicemus, diptycha, quæ nihil aliud, quàm duplices tabulas ſonant, inde dicta, quòd hinc ſanctorum publico Eccleſiæ aſſenſu probatorum, inde fidelium communi vita & morte functorum nomina continerent. Quanquam non minùs admittenda ſit eorum interpretatio, qui duas illas tabulas hinc viuis, inde mortuis deſtinatas fuiſſe aſſeuerant.

Ea recitatio quomodo facta, non omnes conſentiunt. Sauſſayus in illuſtris operis apparatu magnifico, impoſita altari diptycha arbitratur, *vt Sacerdos myſticas orationes & gratias ſuper hæc profunderet*: ſic enim liturgiæ veteres admonent,

monent, *fundentem orationem ſuper diptycha*: Et antiquitus quidem viuorum & mortuorum nomina appellata, ſed deinde prohibente multitudine, commemoratis ex his aliquot præcipui nominis, cæteros generali commendatione contenta. Efferri autem ſolitos in viuorum diptychis Romanum Pontificem, Patriarchas, Epiſcopos, Reges, & *eos fideles qui ad ſacrificij ſubſidium oblationes faciebant*. At Illuſtriſſimus Aurelianenſis in rem ſuam, hoc eſt, Pœnitentes & reconciliatos intentus, de ijs ſolis pronunciat, non videri in ſacris diptychis cum Martyribus & ſanctis viris coniunctos eos, *quorum talis erat ſtatus & conditio, vt veniam potiùs, quàm gloriam ambirent; & ſatis haberent ſi vel ex limine in Eccleſiam reducerentur*. Præterea immenſas futuras tabulas, *quibus omnium quotquot peracta Pœnitentia Eccleſiæ paci reſtituebantur, nomina inſcribenda fuiſſent*. Nullam denique cauſam afferri poſſe, *quur potiùs Pœnitentium nomina, quàm cæterorum fidelium ex tabulis recitanda eſſent*. His rationibus ſatisfieri poteſt, ab eo qui alias ſanctorum, alias fidelium tabulas fuiſſe dicat: & in has primis temporibus omnes penitus fideles relatos; poſterioribus eos tantùm qui à Sauſſayo deſcribuntur, ac proinde reconciliatorum per Pœnitentiam nomina ſeu viuerent, ſeu facto functi eſſent, inter eos audiri potuiſſe.

Albaſ. l. 2. Obſer. 7.

Verum eſt tamen, quod ab eodẽ Aurelianenſi ſubijcitur, quoties fidelis, ſeu vitæ integer, ſeu Pœnitentia reſtitutus viuus pro ſe, mortuus per patentes & alios quicquam offerebat altari, ſeu ad ſacrificium, ſeu in vſus Eccleſiæ & pauperum; toties eius nomen publicè enunciatum inter Miſſarum ſolennia, idque dictum *nomen offerre*, vel *offerre* ſimpliciter, quod eſt *memoriam oblationibus commendare*, in eo Canone quem explicamus; nimirum perfectè communicare, ſeu viuum, ſeu mortuum: dicente de viuis Cypriano, *ad communicationem admittuntur, & offertur nomen eorum, & nondum Pœnitentia acta, nondum Exomologeſi facta, Eucharistia illis datur*. De mortuis, & quidem Pœnitentibus, clarus eſt Arelatenſis Concilij Canon, *De his qui in Pœnitentia poſiti, vita exceſſerunt; placuit nullum Communione vacuum debere dimitti; ſed pro eo quòd honorauit Pœnitentiam, oblatio illius ſuſcipiatur*, & cum oblatione nomen recitetur. Id verò nonnihil ad ſubſidium mortuorum conferre, vetus fuit opinio; cum de Ebone præceſſore ſuo ſcribat Hincmarus, Nicolaum Papam conſulens, eiusne nomen ex Eccleſiæ ſuæ more in ſacris diptychis recitari permitteret? quod hactenus prohibere noluiſſe teſtatur, *Ne ſcandalizarem deuotos*, inquit, *quaſi inuidens ſaluti fraternæ, maximè autem quieſcentis in Domino animæ, hoc prohibere ſine Apoſtolicæ ſedis auctoritate nequaquam præſumpſi; dicente Beato Cæleſtino Papa, quia nefas eſt hæc pati religioſas animas, quarum afflictione (quia membra noſtra ſunt) nos quoque conuenit macerari*.

Ii nominati qui offerebant.

Cypri. epi. 10.

Concil. Arelat. 2. can. 12.

Hoc mortuis non inutile.

Hincmar. apud Sauſ. ex Flod. l. 3. c. 23.

Quo verò Miſſæ momento ea nominum recitatio facta ſit, certò conijcere non eſt promptum. Innocentius enim Decentio reſpondens de nominibus recitandis, priùs iubet *oblationes commendari*, hoc eſt, fidelium dona Deo offerri, *ac tunc eorum nomina, quorum ſunt oblationes, edici, vt inter ſacra Myſteria nominentur, non inter alia quæ præmittimus, vt ipſis Myſterijs viam futuris precibus aperiamus*. Sed locum ipſum non definit, quo ea commemoratio ſit conſtituenda. In ijſdem nos tenebris deſerit Emeritenſis Canon Concilij, licet commemorationem duplicem diuerſis locis factam, inſinuare videatur. *Presbyter pro ſingulis diebus dominicis, ſacrificiũ Deo procuret offerre, & eorum nomina, à quibus*

Quæ Miſſæ parte facta nominum recitatio.

Innoc. I. ep. 1. ad Decen. c. 2.

Concil. Eneriv. can. 19.

*eas Eccleſias conſtat eſſe constructas, vel qui aliquid his Eccleſijs videntur, aut viſi ſunt contuliſſe, ſi viuentes in corpore ſunt, ante altare recitentur tempore miſſa: aut ſi ab hac deceſſerunt luce, nomina eorum cum defunctis fidelibus recitentur ſuo in ordine.* Quis autem ille ſit ordo, idem, an alius à viuentium recitatione, ante, an poſt ſacrorum Myſteriorum confectionem, non explicat. Variant & hac in parte ipſi auguſtarum Liturgiarum auctores. Nam S. Marcus vult ante conſecrationem à Diacono legi τὰ δίπτυχα, *quibus defunctorum catalogus continetur.* Deinde conſequenter viuorum memoriam induci. In Miſſa Æthiopum, ſub initium oratur pro offerentibus munera: paulò poſt pro viuentibus & mortuis, idque longè ante dimiſſionem Catechumenorum, & eorum qui nolunt accipere ſacramentum. Nihilo ſeciùs iterum, ante ſanctiſſimæ Euchariſtiæ confectionem, fit viuorum ſimul & ſanctorum memoria.

Liturg. D. Marci. Miſſa Æthiopum.

*Probabilior ſententia profertur.* Liturg. S. Iacobi. Anaphora S. Baſil. Miſſa Moſarabum. Cyrill. Catecheſ. Myſtag. 5. Albaſ. loco cit.

E diuerſo in Liturgijs D. Iacobi, D. Baſilij, & in Miſſa Moſarabum, myſticam conſecrationem ſequitur viuorum & mortuorum commemoratio: vbi & apud S. Baſilium expreſsè legimus, *eos qui has oblationes attulerunt.* Ad id exemplum Ieroſolymitanus Catechiſtes, incruenti ſacrificij ritus exponens Neophyto, ait *ſuper ipſa propitiationis hoſtia* (certè poſt conſecrationem) *obſecrari Deum* pro communi Eccleſiarum pace, pro Regibus, pro militibus. Deinde mentionem fieri etiam eorum qui ante nos obdormierunt: ſubditque quid ex ea commemoratione, defuncti peccatores emolumenti percipiant. Pars hæc Illuſtriſſimo Albaſpinæo potior videtur; qui dum allata Innocentij verba ponderat, *vt inter ſacra Myſteria nominentur*, ex ijs elicit, *eiuſmodi nomina vſurpata, & oblata fuiſſe inter Euchariſtiæ confectionem, & eiuſdem Euchariſtiæ ſacrificium & ſumptionem*: quaſi ea tantùm tremendi ſacrificij pars in *ſacrorum Myſteriorum* appellationem venire poſſit, ac debeat. Hac ego ſecluſa ratione, magiſque antiquitatis Eccleſiaſticæ vſu ſpectato, in eius partes tranſeo, vt illis ſeculis exiſtimem poſt oblata & conſecrata dona, factam oratione continenti viuentium primò, dehinc vita piè ſanctéque functorum memoriam, & ſacra diptycha modo aliquo recitata. Neque quicquam adfert Pamelius D. Cyprianum explicans, quo me ab hac dimoueat ſententia, perſuadeatque rem propiùs ad mores noſtros admouendam; & offerentium nomina poſt ipſarum oblationum Deo factam oblationem, ante conſecrationis venerandæ myſterium, quod & modò ſeruatur, fuiſſe recitata.

Pamel. in ep. 10. D. Cypr.

---

### *DE MINISTRO RECONCILIATIONIS.*

## CAPVT XXIII.

*Primarius miniſter reconciliationis publicæ, Epiſcopus.*

IN effectu verſati non indiligenter, æquum eſt vt & cauſam requiramus: offert ſe ſtatim vltro primaria, videlicet Hierarcha, fons & origo actionum omnium ſacrarum, cui vni & ſoli publica & ſolennis Pœnitentium reconciliatio ſuo iure debita, Patrum & Conciliorum conſtitutis conſeruata fuit. Vt vel ex vno Carthaginenſi Concilio patet, in quo *Ab vniuerſis Epiſcopis dictum eſt, chriſmatis confectio, & puel-*

larum

*larum conſecratio à Presbyteris non fiant ; vel reconciliare quemquam in publica miſſa Presbytero non licere, hoc omnibus placet.* Quod ſi nonnunquam inferiorum poteſtatum operam, ad id operis adhibuit, Dei exemplo, qui ſalutem hominibus per homines donat, benignum potentiæ ſuæ influxum in eos deriuaſſe, omni neceſſitate cenſendus eſt; vt iſti non niſi vicarias manus reconciliando impoſuerint, & velut inſtrumenta in cauſæ principalis virtute quicquam egerint. Quæ omnia conlatis teſtimonijs accuratiùs probare, ſuperuacaneum puto, cum eius rei aperta conſtet ratio. Nam ordinare, donare ciuitate, deportatos ab exilio reuocare, exauctoratos natalibus reſtituere, ciuilem mortuis vitam redonare, ſupremæ poteſtatis eſt, quæ in vno Principe ſedem & thronum fixit. Quod cum ſolaribus radijs ſit illuſtrius, ad ipſas ſecundarias cauſas orationem deuoluo, & aio

Concil. Carth. 2. can. 3.

Ad publicam manus impoſitionem adſcitos ab Epiſcopo Clericos, non abſolutionis neceſſitate, ſed actionis ſolennitate. D. Cyprianus Pœnitentiam eo modo datam reis oſtendit, cum arguit, *ante Exomologeſin grauiſſimi atque extremi delicti factam, ante manum ab Epiſcopo & Clero in Pœnitentiam impoſitam, offerre Lapſis pacem.* Vidimus quoque ſuperiùs Epiſcopum cum Clero ſupplicibus & ſubſtratis publicas Eccleſiæ preces donantem. Mirum ergo non eſt, ſi eadem cæremonia terminetur, qua incœpit actaque eſt Pœnitentia, eodem ſcribēte *Nam cum in minoribus peccatis agant peccatores Pœnitentiam iuſto tempore, & ſecundùm diſciplinæ ordinem ad Exomologeſin veniant, & per manus impoſitionem Epiſcopi & Cleri, ius Communionis accipiant, nunc crudo tempore ad communicationem admittuntur, & nondum Pœnitentia acta, nondum manu eis ab Epiſcopo & Clero impoſita, Euchariſtia illis datur.* Quod ijſdem pene verbis, repetit alia ad plebem epiſtola. Hanc verò Cleri ſocietatem ſic expetitam arbitror, vt hodie in Presbyterorū ordinatione, poſt Hierarcham primarij Preſbyteri manus conſecrandis imponunt, tanquam in re grauiſſima Epiſcopi adiutores, & facti approbatores. Nam licet penes Hierarcham tota ſit poteſtas: conſilium tamen ſapientúm eſt, ſine quo publicè nihil mouet & mutat Epiſcopus.

*Coniuncti Clerici cum Epiſcopo ad dignitatem publicæ reconciliationis.*

Cypr. ep. 11.

Idem epiſt. 10.

Idem epi. 12.

Aio deinde ad priuatam reconciliationem ægrotantium adhibitos ſæpe Preſbyteros, at non ſine Epiſcopi voluntate & imperio, vt exprimitur in allato Carthaginenſi 2. *Si quiſquam in periculo fuerit conſtitutus, & ſe reconciliari diuinis altaribus petierit, ſi Epiſcopus abſens fuerit, debet vtique Presbyter conſulere Epiſcopum, & ſic periclitantem eius præcepto reconciliare: quam rem debemus ſalubri conſilio roborare.* Idem in tertio decernitur, *Vt Presbyter inconſulto Epiſcopo non reconciliet Pœnitentem, niſi abſente Epiſcopo, & neceſſitate cogente.* Illum autem conſenſum non ſemper expreſſum eſſe oportuit, ſed implicitus, & vt aiunt, præſuppoſitus ſufficiebat. Nam ſi nullum vnquam caſum in articulo mortis reſeruauit Eccleſia, vt ex Tridentino ſæpe retulimus, cuilibet Preſbytero ab ipſa Eccleſia, communi Principum conſenſu, poteſtas ea collata ſemper fuit: quam proinde ab Epiſcopo *neceſſitatis cogente* momento exprimi neceſſe non erat. Datum id Sacramenti neceſſitati, quemadmodum baptiſmi collatio Diacono vel Preſbytero excommunicatis, & ſuo modo Pœnitentibus, conceſſa eſt ab Aurelianenſibus Patribus; *Si alij defuerint, & cauſa certæ neceſſitatis exoritur.* Chriſmatio quoque, vt Baptiſmi complementum, Preſbyteris commiſſa eodē mortis articulo; decernentibus Arauſicanis Epiſcopis, *Hæreticos in mortis diſcrimine poſitos, ſi Catholici eſſe deſiderant, ſi deſit Epiſcopus, à Presbyteris cum chriſmate*

*Volente Epiſcopo priuatam reconciliationem peregit Presbyter.*

Concil. Cartha. 2. can. 7.

Concil. Cartha. 3. can. 32.

Concil. Aurelia. 1. can. 12.

Concil. Arauſic. 1. can. 1.

*& benedictione conſignari.* Commiſſam dixi, debui imperatam dicere; quia vnam ſaltem chriſmationem neceſſariam iudicabant, vt ſequenti Canone tam eruditè à P. Iacobo Sirmondo aduerſus Aurelium explicato propugnatoque legimus, *Nullum miniſtrorum qui baptizandi recepit officium, ſine chriſmate vnquam debere progredi, quia inter nos placuit ſemel chriſmari.* Et hæc quidem reconciliatio per Preſbyteros facta, quid tandem ad ægri ſalutem conferret, nemo non intelligit; verùm de Diaconis quæ ſequitur difficultas, quàm perplexos nodos, quàm inexplicabiles labyrinthos complectitur?

Ibid. c. 2.

## *DE DIACONO RECONCILIANTE S. Cyprianus explicatus.*

§. I.

*Diacon vt meræ inſtrumenta pacem ab Epiſcopo datam, ad morientes attulerunt.*

Aio enim poſtremò, ad eandem ægrorum reconciliationem, miſſos iuiſſe Diaconos, ſed vt cauſas merè inſtrumentales, pacem non tam dediſſe, quàm ab Epiſcopo datam detuliſſe. Hæc aſſertio S. Cypriani dictum & mentem explicari deſiderat, à quo vno illa proficiſcitur: ſiquidem in antiquis alius nemo reconciliari Pœnitentes à Diaconis permiſiſſe legitur, & qui hanc deducunt controuerſiam, omnes ad D. Cyprianum oculos animoſque reflectunt, & eius epiſt. 13. quæ alijs in editionibus cenſetur 17. l. 3. quam ſic affero.

*Cyprianus accurate expenſus.*
Epiſt. 15.
Epiſt. 12.

Totus labor Carthaginenſis Antiſtitis in eo fuit, vt Lapſorum quorundam impudentiam ſuſtineret, qui *pacem ſibi à Martyribus & Confeſſoribus promiſſam, extorquere violento impetu nitebantur.* Quibus nimium indulgentes Preſbyteri aliqui *iam cum ijs communicare cœperant, & offerre pro illis, & Euchariſtiam dare: cum tamen in his grauiſſimis & extremis delictis, cautè omnia & moderatè ſecundum diſciplinam domini obſeruari oporteret.* Id vt fiat, iubet *audiri patienter conſilium ſuum, & expectari regreſſionem,* vt in Coëpiſcoporum Concilio *beatorum Martyrum literas, & deſideria examinare poſſit.* Sed cum protogaretur ille reditus, & incipiente æſtate, periculum vitæ Lapſorum plurimis immineret, ne qui forte tarditate ſua, pio, quanquam audaci, voto fruſtrarentur, indulget tandem *vt qui libellos à martyribus acceperunt, & prærogatiua eorum apud Deum adiuuari poſſunt, ſi incommodo aliquo, & infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectata præſentia noſtra, apud Preſbyterum quemcunque præſentem, vel ſi Preſbyter repertus non fuerit, & vrgere exitus cœperit, apud Diaconum quoque Exomologeſin facere delicti ſui poſſint, vt manu eis in Pœnitentiam impoſita, veniant ad Dominum cum pace, quam dari Martyres literis ad nos factis deſiderauerunt.* Hic eſt locus à pleriſque variè tentatus, qui non omni coniecturæ locum eripuerunt; in quo conſiderandum arbitror quid, cui, à quo concedatur, videlicet pax, Lapſis, à Diacono.

Epiſt. 13 ab l. 3. ep. 17.

*Martyres Lapſis nihil dabant, ſed promittebant ab Epiſcopis.*
Epiſt. 15.
Epiſt. 11. ad Martyr. Pamel. in eum locū.
Guil. Pariſ. l. de Legib. c. 24.

Si propriè loqui volumus, Martyrum literæ Lapſis nihil dabant, ſed tantùm promittebant, arguente Cypriano, quòd vellent *pacem ſibi à Martyribus & Confeſſoribus promiſſam extorquere* Et ad eoſdẽ Martytes, de eorum literis ſcribente, *Cum vos ad me literas direxeritis, quibus examinari deſideria veſtra, & quibuſdã Lapſis pacem dari poſtulaſtis, cum perſecutione finita comuenire in vnum cum Clero & recolligi cœperimus.* Planè vt in alio propoſitb Guillelmus Pariſienſis admonet, Sanctos in cœlo *non eſſe auctores & datores ſalutis* quæ in homines defluit, *ſed potiùs obtentores ſeu impetratores.* Itaque cum ab alijs dicuntur Martyres pacem Lapſis

dediſſe

dediſſe, intelligendi ſunt dari rogaſſe, ſaltem quantùm ad hanc controuerſiam attinet. Quare falluntur hoc loco, qui quærunt quid Lapſis Martyres dederint, cum potiùs examinari debeat, quid dari ſuppliciter poſtularint: & quidem non ſtatim perceptis literis, ſed pace reſtituta, & coacto Epiſcoporum cum Clero conuentu. Id cum peterent, darentque, pacem appellabant. Pax autem triplex eſt, vt olim hoc in propoſito dicebamus, vel apud Deum ſolutione delicti; vel apud homines ſolutione cenſuræ, & excommunicationis; vel vtraque per reconciliationem perfectiſſimam. Prima neceſſaria eſt ad ſalutem, & morientis ſufficit conſolationi, vt ante vidimus: altera primæ complementum eſt, optabilis ad Euchariſtiæ & precum communicationem. Quid enim hæc eſſe potuit ſine illa, niſi vanum nomen & inanis indulgentiæ oſtentatio? Priùs igitur vel perita vel impetrata prima, quàm de ſecunda cogitarent. Sed omnino tertia ab iſtis ardentiſſimè flagitata, neque in eo voto culpandi: ſed in eius aſſequendæ modo. Nam cum ad eam non niſi per certos Pœnitentiæ gradus à nobis olim explicatos eniti, & euadere deberent, tot pœnarum & laborum veniam, aut delicato & ignauo metu, aut præcipitante conſilio, ſibi neceſſariò faciendam à Præſulibus arrogantet iactabant, ſi deprecatorias Martyrum ad ipſos Præſides literas impetraſſent. Quaſi nihil martyrio non deberent Antiſtites, & exactum de Lapſis ſupplicium, Martyrum eſſet contumelia, cum ipſi potiùs ignauia ſua Martyribus facerent iniuriam.

*Pax triplex.*

Prima & vltima in Diaconorum poteſtate nunquam fuerunt. Mediam præſtant Archidiaconi, & de ea locum interpretatur Pamelius. Sed ætate Cypriani Archidiaconorum iuriſdictionem in Eccleſia Africana fuiſſe debuit demonſtrare, cum præſertim hæc in eo caſu extraordinaria commiſſio, non ex officio ſuſceptum opus fuerit. Mauult Illuſtriſſimus Albaſpinæus, vbi ſpinerum iſtud doctrinæ ſuæ falce reſecat, primam eos accepiſſe *à quopiam Martyrum, cum plerique omnes qui in fodinis, aut triremibus detinebantur, Sacerdotes eſſent aut Presbyteri; adeoque iam omni culpa & crimine vacaſſe, nullaque ob hanc cauſam Sacerdotis opus habuiſſe manus impoſitione & abſolutione, vt à peccatis ſoluerentur.* Expedita ratio, ſi ſolida, niſi diuinationi proxima. Nam omiſſo eo quod oſtendi, nihil reapſe datum à Martyribus; & poſito, quod non probat, contrario; cum vniuersè datas à Martyribus literas videam, quis me cogat exiſtimare ſolos Presbyteros, quibus vnis remittendorum peccatorum ius fuit, eas ſcripſiſſe, non etiam Laïcos, aut inferioris ordinis Clericos; qui ad iſta oſtentandæ gratiæ, & exercendæ poteſtatis ſigna proniores eſſe ſolent? Atque illud non obſcurè indicat Cyprianus, epiſtola ad Martyres ipſos, *Credideram quidem Presbyteros & Diaconos qui illic præſentes ſunt, monere vos & inſtruere pleniſſimè circa Euangelij legem.* Cur credam illa Cleri capita, illos ſecundi ordinis Sacerdotes, Eccleſiaſticæ diſciplinæ quàm peritos, tam retinentes, tantæ lapſorum audaciæ mollitieique ſuffragatos, illud Epiſcopis negotium faceſſiuiſſe, eam in Eccleſia tempeſtatem concitaſſe? Quod autem addit idem Antiſtes, impoſitas à Diacono manus, non vt excommunicatione ſoluerentur, *ſed vt ritus & caremoniæ quas in carceribus non potuerant celebrare, perficerentur:* omnino mihi probari non poteſt, cum nihil cauſæ fuerit, cur Lapſi in ritus & cæremonias *audaci flagitatione proruerent*, vt loquitur Cyprianus ipſe, neque in illis pax optata conſiſtat, neque operæ pretium fuerit expectari *regreſſionem* Cypriani, & *conuocari Epiſcopos plures*, à quibus ea cauſa *examinari poſſet*, verum

*Pax prima non dabatur à Martyribus.*

Albaſ. l. 2. Obſer. 27.

*Etiam Laïci Martyres Lapſis literas dabant.*

Cypr. epi. 11.

*Lapſi non petebant caremoniarum perfectionem.*

*Pax poſtulata à Lapſis fuit plena communio.* videlicet *ritus & cæremoniæ perficerentur.* Quid igitur ſupereſt, niſi vt dicamus pacem poſtulatam à Lapſis, promiſſam à Martyribus, eſſe Communionem plenam & perfectam, & vt ait Pamelius, *relaxationem ſatisfactionis per Epiſcopum pœnitentibus impoſitæ, atque ad Eccleſiæ Communionem ante expletum præſcripta Pœnitentiæ tempus, admiſsionem?* Quæ poſtrema trium explicatarum eſt; in qua præclarè idem noſtratum Indulgentiarum veſtigium eſſe admonet. Id verò ex ipſo Cypriani textu non ægrè colligi poteſt, vbi Martyres quoſdam redarguit, quod in libellis ſuis ſcriberent, *Communicet ille cum ſuis.* Communionem ergo rogabant, non imperfectam & inchoatam, quæ pœnitentiæ aliquid peragendum relinqueret, ſed plenam, vſque ad Euchariſtiæ perceptionem.

Pamel. in ep. 11. Cyp.

Cypr. ep. 11. cit.

*LAPSORVM CONDITIO, ET OPERA DIACONI CONSIDERATA.*

§. II.

*Lapſi illi erant in Pœnitentiæ curſu.* IAM verò Lapſi illi tam ardentes, tam importuni, qui tandem fuerunt? Certè iam admiſſi ad Pœnitentiam, *Pœnitentes publici*, vt cenſet Bellarminus. Nemo enim ſibi perſuaſerit tam fuiſſe inuerecundos, aut ipſos aduerſus Martyres, aut Martyres aduerſus Epiſcopos, vt illis hominibus abſolutiſſimam reconciliationem peterent, qui ne Pœnitentiam quidem inchoaſſent. Præterea cum hac in actione quædam examinis forma ſeruaretur, monente Cypriano, *Vos quoque ſolicitè & cautè deſideria petentium ponderetis; vt pote amici Domini, & cum illo poſtmodum iudicaturi, inſpiciatis & actum, & opera, & merita ſingulorum*: debuit certè à ſingulis exponi, quid ſibi ad Pœnitentiam imperatum eſſet, quandiu ea duratura, quinquennium, an ſeptennium, quo ſtarent in gradu, inter Audientes, an ſubſtrationem attigiſſent, quàm breui ad ſyſtaſin peruenturi? quæ omnia impoſitam à Sacerdotibus Pœnitentiam, aliquâ ex parte decurſam à reis eloquuntur. Sed audiatur opinor Cyprianus, *Peto vt eos quos ipſi videritis, quos noſtis, quorum Pœnitentiam ſatisfactioni proximam conſpicitis, deſignetis nominatim libello.* Pœnitentibus profectò vult gratificari Martyres, & iis qui Pœnitentiam pene compleuerint: alios indiſcriminatim ab iis offerri vetat, & ſcribi *Communicet ille cum ſuis: poſſunt enim viceni & triceni & ampliùs offerri*; atque in iis nonnulli nondum Pœnitentiæ benedictione dignati. Quid quòd *Exomologeſin facere delicti ſui* iubentur, eo quem explicamus loco? Ea verò niſi à Pœnitentibus, facta nuſquam legitur: quòd Lapſos alios valentes & ſanos monet, *Pœnitentiam verè agentes in bonis operibus perſeuerare, vt illis quoque diuino remedio conſulatur.* De eodem igitur Pœnitentium grege exempti ſunt iſti, quibus morbi neceſſitas priuilegium parit: quòd indulgentia conſimili Audientes ad Baptiſmum admitti concedit, *Audientibus etiam ſi qui fuerint periculo præuenti, & in exitu conſtituti, vigilantia veſtra non deſit.* Iam Catechumenos fecit Eccleſia, nondum Competentes inſtructio: Competentibus nihil datum eſſet gratiæ, quia iam maturi & idonei baptiſmo fuiſſent: de iis qui adhuc extra Eccleſiam inter gentiles aut Iudæos, nondum profeſſi Catechumeni forent, nihil præcipit Antiſtes: medium igitur genus, Audientes, ſuo fauore complectitur. Eadem in Lapſis conſideratio. Si qui thurificationis, vel libelli ſui peccato delectati, Pœnitentiæ medicinam non

Bellar. l. 1. de ſacram. Ord. c. 6.

*Examinatio martyribus.* Epi. 11. cit.

Ibidem.

*De Audientibus idem decretum.* Epiſt. 13.

requirunt,

requirunt, eos non ſapat Eccleſia: qui autem exacta Pœnitentia, ſyſta ſin ſunt emenſi, & ad percipiendæ Euchariſtiæ ius & tempus peruenerunt, quid gratiæ illis indulgeri poſtulant Martyres? quid tanto recuſat opere Pontifex? Medios igitur intelligere oportet, qui ſuſceptam Pœnitentiam adhuc decurrant, quibus quæ ſuperſunt tempora poſſint relaxari.

*Quodnam à diverſis lapſos illos officium Diaconi?*

Hoc fieri per Diaconum permittit Cyprianus. Diaconum inquam, tum ordine, tum officio; cui per ſe, ſolum miniſterium competat: cui in corpus Chriſti myſticum ad abſolutionem criminum, in reale ad confectionem Euchariſtiæ nullum ſit ius, nulla poteſtas; quod à ſe permiſſione illa tradi nec poſſe, nec debere, non ignorat vir magnus. Quid igitur illi committit? Quod Rex legato, quod Princeps nuntio, vt abſolutionis indices literas ad ægrum deferat, Hierarchæ beneficium morituro conferat, poſtquam contriti & humiliati cordis argumenta protulerit, quæ in Eccleſia publicè ſolent Pœnitentes, cum Exomologeſin faciunt. Nam ſi rectè attenditur, cum illa ſcribit Cyprianus, iam tum excommunicationem relaxat; & pacem dat à Martyribus promiſſam: ea tamen lege vt nemini deferatur, qui *infirmitatis periculo non fuerit occupatus*; neque *delicti ſui Exomologeſin faciat*: qua conditione poſita, nihil de ſuo donat Diaconus, ſed tantummodò donatam ab Epiſcopo abſolutionem cenſurarum, & ius ad Euchariſtiam declarat. Quod igitur malè de ſacramentali abſolutione ſcripſit nuper Claudius Seguenotus, *nihil aliud eſſe, quàm declarationem iuridicam peccati iam remiſſi*: id meliùs in propoſita quæſtione dico, Diaconi operam nihil aliud eſſe, quàm declarationem iuridicam ſublatæ per Epiſcopum excommunicationis, remiſſæ eius quæ ſupererat Pœnitentiæ, redditæ fidelium Communionis, idque in gratiam & fauorem Martyrum, quo facto id conſequebantur, vt ſi morerentur, *irent ad Dominum cum pace, quam dari Martyres literis poſtulauerant*: ſi conualeſcerent, complerent nihilominus Pœnitentiam cenſerentur, & perfectiſſimam reconciliationem Martyrum meritis impetraſſe.

*Seguen. in l. de ſancta Virgin. p.129.*

*Peccata remiſſa initio Pœnitentiæ.*

Hæc vt quidem arbitror, commodiſſima eſt enodandæ grauiſſimæ difficultatis ratio, quam tamen communis opinio totam non exhaurit, quæ reatus abſolutionem non prius datam aſſeuerat Pœnitentibus, quàm ad ſyſtaſin, aut plenam Cõmunionem traducerentur. Nam vt optimè Pamelio Albaſpinæus opponit, licet Diaconum ab excommunicatione liberare poſſe concedatur (quod tamen primo Eccleſiæ æuo factum mihi ampliùs probari vellem) ſciſcitandum ſupereſt quis Lapſos illos à peccato ſolueret, cur excommunicationem potiùs, quàm peccatum deleti voluerit magnus Antiſtes? Qualis vero pax illa eſt, tanta ſupplicum contentione rogata, tanto Martyrum fauore promiſſa, tanta Epiſcoporum ſolicitudine perpenſa, ſi corpore, vt ſic loquar, & memoria inter homines excommunicatione libera, peccatorum vinculis conſtrictus animus, Deo iudice in horrendas æterni ſupplicij vorагines præcipitatur? Atqui peccata non remittit Diaconus, neque remitti ab eo iubet Epiſcopus: aliunde igitur ſublata oportuit. Quo ex vado, facilè in noſtra emergimus ſententia, cùm ineunte Pœnitentia primam, interiorem, ſacramentalem reconciliationem, ſeu reatus abſolutionem, à Preſbyteris, aut Epiſcopo ex poteſtate conceſſam fuiſſe dicimus: cui tantùm addenda ſupereſt altera, quaſi exterior, cenſuræ abſolutio; per quam ad tertiam fauore Martyrum, beneficio Epiſcopi, Diaconi miniſterio Pœnitens deueniret.

## *Recentior alius in Eccleſia ritus exponitur.*

### §. III.

*Alia difficultas ex Eccleſiaſticu officijs diſcutitur.*

HOc ſaltu ſuperato, alius occurrit, non eiuſdem ſeculi aut modi, & ipſe lubricus. In Eccleſiaſticorum officiorum libris ordinem ducit Ordo Romanus, qui quo potiſſimùm æuo, à quo auctore conſcriptus ſit, an Alcuinus ab eo ritus ſuos, an ille potiùs ab Alcuino ſumpſerit, non liquet: vnum conſtat, Caroli Magni ſeculo viguiſſe, & poſteros diuinis officijs intentos, ad eum ſæpe reſpectaſſe.

Ordo Roman. c. de Reliquis totius anni officiis in 4. fer. Quadrage. Alcuin. l. de diuin. Offic. c. in capite ieiunii. *Caremonia erga Pœnitentes exercita.*

In eo de Pœnitentibus, in capite magni Ieiunij hæc lego expreſſa, quorum pleraque ſcribit Alcuinus. Moneri primùm *Chriſtianos omnes quatenus in capite ieiunij ad veram confeſſionem, veramque Pœnitentiam feſtinantiùs accedant: atque in cœna Domini redeant ad reconciliationem.* Deinde ſuſceptum à Sacerdote Pœnitentem, extra Eccleſiam de anteactę vitæ ſceleribus interrogari, de fidei myſterijs inſtrui, *confiteri omnia peccata ſua qua recordari poteſt, in hæc verba*, quæ generali vt vocant confeſſione referuntur. Indici deinde à Sacerdote abſtinentiam, *perpendente ſubtiliter perſonæ qualitatem, modum culpæ, intentionem animi, & corporu valitudinem.* Tum precibus aliquammultis & orationibus ab Sacerdote ſimul & pœnitente peractis, Eccleſiam vtrumque ingredi, *miſſam poſt Confeſſionem* fieri, Pœnitentiæ conuenientem. Ea poſt Communionem expleta, *mitti cinerem ſuper caput Pœnitentis, imponi cilicium, eijci demum ab Eccleſia, & tali modo increpari. Ecce eijceris hodie a ſinu matris tuæ ſanctæ Eccleſiæ, propter peccatum tuum*, &c. Quæ alias à nobis relata ſunt. Multa hic nibua Lectori antiquitatis ſtudioſo videri neceſſe eſt. Vocari omnes Laïcos promiſcuè ad Pœnitentiam publicam; eam quadrageſimalis ieiunij ſpatio circumſcribi, dari vulgo à Preſbyteris, Pœnitentem in templum induci, miſſam pro eo præſente offerri, deinde poſt hæc omnia cum execratione eiici. Adde Pœnitentiales Pſalmos à Preſbytero ſimul cum Pœnitentibus decurri debere, quod etiamnum aliqua ratione ſeruatur; & quod Alcuinus adijcit,

*Sacerdotes cum Pœnitentibus orarunt, & ieiunarunt.*

*Quotieſcunque ad Pœnitentiam Chriſtiani accedunt, Sacerdotibus ieiunandum eſſe priùs cum eis pro eorum erratibus. Nemo enim poteſt iacentem ſub onere ſubleuare, niſi inclinauerit ſe, & porrigat ei manum, neque vllus medicorum vulnera infirmantium poteſt curare, niſi fœtoribus particeps fuerit.* Porrò tota hæc formula pœnitendi, myſterium fuit illis hominibus à quo ipſos oculos abſtinere iubebantur; cum ſcribat Alcuinus idem, *Non omnes Clerici, aut vllus Laïcus hanc ſcripturam vſurpare aut legere debent, niſi ſoli illi, quibus neceſſe eſt: hoc ſunt Epiſcopi, vel Presbyteri.*

*Pœnitentes ad ſacra Myſteria, & excommunicati ad Eucharistiã admiſſi.* Theodul. Capitul. c. 44.

Equidem ſcrupulos hoſce omnes demere, meæ non eſſe facultatis agnoſco: diuinare tamen in eo qui moleſtiſſimus videtur, nemo vetuerit. Nam Pœnitentes ad miſſam ingredi, poſtea è templo eijci, non mirabitur, qui illo æuo ipſis excommunicatis ſacræ menſæ per certos & definitos dies participare licuiſſe meminerit. Sic enim Theodulphus Aurelianenſis, in Capitulari de ſacra Communione admonet. *Sicut periculoſum eſt impurum quemque ad tantum Sacramentum accedere, ita etiam periculoſum eſt ab hoc, prolixo tempore abſtinere; ſalua ratione eorum qui excommunicati non quando eis libet, ſed certis temporibus communicant., & Religioſis quibuſcunque ſanctè viuentibus, qui penè omni die id faciunt.*

Quod

Quod ita interpretor, vt qui tum excommunicarentur, non omnes penitus ſubmouerentur, ſed aliqui ſtatis quibuſdam feſtis ad ſacroſanctam Euchariſtiam vocarentur, tunc temporis ſoluti ad effectum præſentem, nihilominus eodem adhuc conſtricti vinculo, donec iterum alia ſolennitate liberarentur. Hos intelligere facile eſt, & intereſſe diuinis Myſterijs, & illis expletis ab Eccleſia repelli. Quod ideo conceſſum arbitror, quòd nondum penitus extincta Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſcintilla, frequens mortiferis criminibus imponeretur cenſura, vt ex S. Iſidoro colligi poteſt, dum in hac cauſa ſcribit. *Cæterùm ſi talia ſunt peccata quæ quaſi mortuum remoueant ab altario, priùs agenda Pœnitentia eſt. Si tanta non ſunt peccata, vt excommunicandus quiſque iudicetur, non ſe debet à medicina Dominici corporis ſeparare.* Et alibi de Sacerdotibus, *Si is qui iam in Epiſcopatu vel Presbyterio poſitus eſt, mortale aliquod peccatum admiſerit, non debet offerre panes Domino: quantò magis ante ordinationem peccator inuentus, repudiari debet, vt non ordinetur? Quapropter quia lex peccatores à Sacerdotio remouet, conſideret ſe vnuſquiſque, retrahat ſe ab hoc non tam honore quàm onere, & aliorum locum qui digni ſunt non ambiat occupare.* Niſi cui probabilius videatur, expoſitum in capite ieiunij ritum, eſſe admittendorum ad Pœnitentiam reorum formam; quæ à confeſſione Sacramentali inciperet, ad miſſam progrederetur, & in eiectione terminaretur: donec exeuntibus eſurialibus ferijs, in cœna Domini publicè & ſolenniter in Eccleſiam reducti per Archidiaconum, ab Epiſcopo integram reconciliationem perciperent, quæ eodem libro nobis ſpectanda proponitur. Quæ res id etiam declarat, abſolutum ineunte cum ieiunio Pœnitentia hominem à reatu, occidente tantùm quadrageſima ſolui ab excommunicatione; vt vtranque hoc ſeculo abſolutionem, manifeſta temporum cæremoniarumque diuerſitas diſtinxerit.

*Ibid. l. 2. de diuin. offi. c. 18.*

*Idem l. 2. c. 5.*

*Ineunte Pœnitentia abſolutus à reatu.*

Sed hæc obiter, venio ad rem præſentem. Cum in Capite ieiunij fideles ad Pœnitentiam Sacerdos excitat, occurrunt nonnunquam inter eos aliqui tam hebetes & tardi, vt longam illam Pœnitentialem formulam capere non poſſint, nedũ exequi; aut certè vrgentibus negotijs publicis, domeſticiſ-ve, peregre profecturi, qui cœnæ Dominicæ diem ad reconciliationem percipiendam expectare non poſſint. Hos Ordo Romanus ſtatim reconciliari iubet, poſt *iniunctam quadrageſimalem quanque annualem Pœnitentiam*: id eſt, vt ego interpretor, vt ſingulis deinceps annis in quadrageſima Pœnitentiam ſuſcipiant. Et hoc ab Epiſcopo, vel Preſbytero vult fieri. *Si autem neceßitas euenerit, & Presbyter non fuerit præſens, Diaconus ſuſcipiat Pœnitentes, ac det ſanctam Communionem.* Vnde apertè concluditur, miniſtrum reconciliationis, & quidem publicæ, eſſe poſſe Diaconum. Huic aliquando difficultati ſatisfieri poſſe credidi, ab eo qui diceret, ſuſcipi Pœnitentes, non eſſe idem quod reconciliare, ſed Pœnitentiam illis impoſitam ſe teſte & præſente perfici cogere, quod Cyprianæa phraſi diceremus, *Exomologeſin coram Diacono facere.* Nam Alcuinus hoc loco *ſuſcipi Pœnitentiam* ſcribit, non Pœnitentes. Quo ritu peracto, aliam officij ſui partem exequatur Diaconus, *ac det ſanctam Communionem*; non Pœnitentibus, ſed alijs fidelibus, quos vitæ innocentia non remouerit à ſanctis myſterijs. Verùm hanc expoſitionem cauſa ipſa non patitur, quæ reconciliari vult occupatos, & ſtupidos, & id in eos conferri, quod cæteris in die cœnæ Domini donabitur.

*Quomodo Diaconus ſuſcipiat Pœnitentes.*

*Ordo Rom. loco cit.*

*Sit-ne idem ſuſcipere & reconciliare Pœnitentes.*

*Alcu. loco cit.*

Aliter igitur reſpondeo, per Diaconum hunc, Archidiaconum intelligi

*Locus memoratus de*

*Archidiacono explicatur.* debere; qui non Sacramentalem à peccatis, ſed aliam interioris fori, a cenſuris abſolutionem Pœnitentibus; in Eccleſia quidem, ſed non in miſſa, aut publica cæremonia largiatur. Archidiaconum appello, qui & in reconciliatione nominatur: & illud officij genus eo ſeculo viguiſſe ſcimus, & regnaſſe, vt

Concil. Cabil. 2. can. 15. ex Cabilonenſi Concilio patet, in quo *dictum eſt quòd in pleriſque locis Archidiaconi ſuper Presbyteros Parochianos quandam exerceant dominationem, & ab eis cenſus exigant; quod magis ad tyrannidem, quàm ad rectitudinis ordinem pertinet.* Eius licet non Presbyteri, poteſtatem in tollendis cenſuris nullus ignorat. Hanc verò poteſtatem requiri tantùm, & ſolutionem à peccatis ab eo non exigi

*Archidiaconus non ſoluit à peccatis.* hoc in ritu, apertè eloquitur locus in quo verſamur. *Sicut autem ſacrificium offerre non debent, niſi Epiſcopi vel Presbyteri, quibus claues regni cæleſtis traditæ ſunt; ſic nec iudicia iſta alius vſurpare debet:* iudicia, inquam, delendi reatus, & imponendæ Pœnitentiæ. Quare nemini præterquam Sacerdoti, vel Pontifici

Alcuin. loco cit. dicit Alcuinus, *Quoties dederis conſilium peccanti, ſimul quoque da illi Pœnitentiam ſtatim quantùm debeat ieiunare, & redimere peccata ſua: nec forte obliuiſcaris quantùm eum oporteat abſtinere. Tibi enim neceſſe eſt vt iterum exquiras ab eo peccata, quia*

*Illa reconciliatio non facta in miſſa.* *ille forſitan erubeſcit iterum peccata ſua confiteri.* Addo factum illud ab Archidiacono in Eccleſia: ſi quidem reconciliatum illum cœleſti epulo debeat reficere: at non in miſſa, cuius ritus in danda Pœnitentia fusè deſcribitur: quia

Capitul. Carol. M. l. 1 c. 1. 6. neque illi ſæpe miſſæ celebrandæ ius eſt, & facultas; cum Carolus Magnus in Capitulari ſuo id tantùm requirat, vt *Archidiaconi non ſint Laici*: neque præſente Sacerdote aut Pœnitentiam, aut reconciliationem præſumit aggredi; longè minùs publicæ reconciliationis ſolennitatem, priuata Archidiaconi

*In publica reconciliatione Archidiaconus miniſter Epiſcopi.* reconciliatio æmulatur. Nam in ea Pontifex ſolus Archidiaconi, tanquam *adiutoris miniſterij ſui*, vt à Ludouico Pio vocatur, rogatu, *ad fores templi manuatim ab eo ſuſceptos, reſtituit Eccleſiæ gremio*; qui ritus hoc tempore non exoleuit. Itaque non cogit nos hic Ordo, præter omnem ordinem, Diacono publicam

Capitul. Ludou. Pii l. 3. c. 5. reconciliationem Pœnitentium concedere; nec incertos relinquit, vnde tandem peccatorum relaxationem acceperint, quibus excommunicationis remiſſio indulgetur. Et hæc hactenus de Pœnitentibus, non omni ex parte pœnitenda.

---

## *DE ENERGVMENIS, ALTERA purgandorum ſpecie.*

## CAPVT XXIIII.

*Tres Energumenorum ſpecies.* ENERGVMENOS ſecundò pronunciat Petrus Aurelius *extra Eccleſiam eſſe, nec fidelium numero comprehendi.* Quod quàm verè ſolidéque dicatur expendo: eoſque tres in ſpecies, Aurelio hactenùs ignotas diſtinguo. Sunt enim animâ ſolâ, ſunt ſolo corpore,

*Energumeni ſola anima* ſunt vtroque ſimul Energumeni. Primum genus admittere vel illud cogat, quod omnis Catechumenus, idem etiam Energumenus eſt, vt ritus baptiſmi

*Philumena Apelles.* Tertul. l. de præſc. c. 30. docent. Atque illa Philumena, *cuius energemate circumuentus Apelles eſt*, ludentẽ, confabulantemque habebat dæmonem, non interiùs torquentem. Lampetianos etiam, & libidinum ſeruos hæreticos, S. Maximus S. Dionyſij ſcholia-

ſtes *ſine dolore à ſe ipſis, atque ab ijs qui eos inhabitant Dæmonibus pati* aſſerit. Quod non hæreticis aut Ethnicis proprium, ad fideles etiam permanare docet experientia, in ijs qui libidinum conſcientia, & perturbationum quaſi furijs interiùs agitantur, quales aliquos de ſuis Energumenis vult eſſe noſter Dionyſius, quos ait *à contrarijs formidinibus adhuc per ignauiam terreri.* Cui claſſi abſque dubio quaſi ducem præficere poſſumus Iudam illum proditorem, quia *poſt* traditam à Chriſto *buccellam, introiuit in eum Satanas.* Illos verò idem S. Maximus explicat hibernantes & Energumenos. Pachymeres autem prauis affectionibus obnoxios, diſtinguit ab agitatis: & hos quidem confirmari, alios autem diuinorum librorum adhortatione excitari commemorat: vt hinc non difficilè videas, non omnem Eccleſiaſtico ſenſu Energumenum, pati corpore, & Dionyſiacos Energumenos, etiam hibernantes eſſe, qui ſanè non omnes arreptitij. Illi ergo & præteritis peccatis, & præſentibus libidinum phantaſmatis præpediti, ſatis puri non ſunt, vt ad fontem puritatis accedant. Hanc enim poſſeſſionem corporali periculoſiorem eſſe, rectè admonet Caſſianus.

ἀδιαχίνητα ὑφ' ἑαυτῶν πάσχοντας, ἀλλ' ὑπὸ τῶν ἐνοικούντων δαιμόνων. S. Maxim. in c. 6. Hie. Eccleſ. Dionyſ. c. 6 Eccleſ. τῶν χειμαζομένων, καὶ ἐνεργουμένων. S. Maxim. ibid. τοὺς δὲ λοιποὺς διὰ ἀναγνώσεως, τοὺς δ' ἐγχειρουμένους ἐμπαθεῖς. Pachy. ibi. Ioan. c. 13. Caſſian. Collat. 7. c. 25.

Solo autem corpore nonnullos arripi, & horribilem furentium dæmonum carnificinam perpeti ob diuinæ gloriæ manifeſtationem, vel tenuiſſimatum quarundam culparum purgationem, & hiſtoriæ veteres, & quotidiana docet experientia. D. Hieronymus cauſam quærit cur *ſæpe bimuli, trimulique, vbera materna lactentes à dæmone corripiantur?* D. Auguſtinus ſecutam ab illis innocentiam non eſſe, probat exemplo *paruulorum baptizatorum, quibus nihil eſt innocentius, quos aliquando ſic vexant Dæmones, vt in eis maximè Deo ſinente, iſta monſtretur huius vitæ calamitas, & alterius deſideranda felicitas.* Totus eſt S. Chryſoſtomus totis tribus libris de Prouidentia, in conſolando cariſſimo coniūctiſſimoque ſibi capite Stagirio Monacho, qui ſibi dæmonem infuſum querebatur, tum etiam, cum ardentiſſimè in pietatem virtutemque incumberet. Quid autem affert ſacer orator ad ſolatium? Rationes quibus ad iuſtos homines affligendos permouetur Deus, cum pulcherrimis è vetere teſtamento vt Abrahami, Dauidis, Danielis, & ſui etiam ſeculi, vt Demophili, Ariſtoxeni exemplis; quæ omnia iſtos ſolo corpore arreptos, miſerationi fuiſſe viris ſanctiſſimis oſtendunt, non odio & execrationi, quod perſuadere vult Aurelius.

*Energumeni ſolo corpore.* Hiero. ep. 25. de obitu Bleſillæ. Auguſt. l. 22. de Ciuit. c. 22. Chryſo. de Prouid.

Cum vtraque demum miſeria conflictatos non paucos indidem habemus: & ſi cætera ceſſarent omnia, vel Paulus id negari non patitur, qui & inceſtis nuptijs pollutum Corinthium, & Hymenæum atque Alexandrum hæreticos excommunicatos Satanæ tradidit, eo tempore, quo reapſe & corporaliter eiuſmodi ab Eccleſia eiecti torquebantur, vt Theodoretus, & Ambroſij Commentarius, & Chryſoſtomus, eiuſque aſſeclæ tradiderunt. Scio equidem, neque contra diſputo, neque peccati cuiuſlibet lethalis pœnam, excommunicationem eſſe; neque ſemper excommunicationis comitem & auctarium eſſe corporum damnatorum obſeſſionem. Fateor tradi Satanæ ab Eccleſiæ præſidibus publicos peccatores, occultos à Deo, cognoſcente eorum animam vitijs ac paſſionibus ſeruientem, vt ait Origenes, quod eſt primum Energumenorum genus à me poſitum. Hoc tantùm volo, ſeu cenſura Eccleſiaſtica, ſeu aliter, volente Deo, fieri nonnunquam vt improbi ſcelerum ſuorum pœnas expendant obſeſſione corporali, dupliciter Energumeni.

*Energumeni anima ſimul & corpore.* 1. Cor. 5. 1. Tim. 1.

*Exorciſtarum poteſtas in Energumenos.* Microl. l. de Eccleſ. obſer. c. 7. *Exorciſmorum qualis concluſio.* Petr. Dam. opuſc. 15. c. 30.

Atque hi omnes communiter Eccleſiaſticis purgantur exorciſmis, quimodò vnus Exorciſtarum labor eſt, quibus in ordinatione, datur ab Epiſcopo poteſtas *imponendi manus ſuper Energumenos, ſiue Catechumenos, vt imperent ſpiritibus immundis, & abijciant.* Neque ſinit à nobis prætermitti Micrologus Eccleſiaſticarum orationum concluſionem, quarum *nullam*, inquit, *concludimus, ſecundum Romanam auctoritatem, Per eum qui venturus eſt, niſi ſit exorciſmus, in quo diabolus per diuinum iudicium, vt à creatura Dei diſcedat, exorcizatur, ſiue adiuratur. Nam in aliis orationibus, quas Per Dominum noſtrum concludimus, Patrem vt nobis per amorem filij ſui ſubueniat, imploramus: in exorciſmo autem Diabolum per Dei iudicium, vt aufugiat, increpamus.* Quod ipſum & à Petro Damiani lego animaduerſum, cum expreſsè ſcribit. *Terror plurimùm valet ad ſuperandam pugnam, & ad effugandam verſuti inſidiatoris aſtutiam. Hinc eſt etiam quòd præmiſſis orationibus exorciſmi, ſemper ex Eccleſiaſtica traditione ſubiungitur, Qui venturus eſt iudicare viuos & mortuos, & ſeculum per ignem: vt dum malignus ſpiritus tanta formidine in tentatione percellitur, à creatura Dei territus expellatur.*

*Quantus Exorciſtarum labor.* Epheſ. c. 6. Chryſ. l. 1. de Prouid. Iuo Carn. Serm. 2. de reb. Eccl.

Id verò exercitij, & officij genus, quàm ſit operoſum, ſiquidem non eſt Exorciſtis *colluctatio aduerſùs carnem & ſanguinem, ſed aduerſùs principes & poteſtates, aduerſùs mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritalia nequitiæ in cæleſtibus;* & ipſi oculis vſurpamus in Laudunenſibus Energumenis, Monialibus innocentiſſimis, & Stagirius ipſe olim expertus eſt, cum apud S. Chryſoſtomum quereretur, virum ſanctiſſimum cum ſuis hanc pugnam irrito labore aggreſſum, cum rubore fatigatum victumque diſceſſiſſe. *Debet autem habere ſpiritum mundum*, inquit Iuo Carnotenſis, *qui ſpiritibus imperat immundis; vt concordet vita cum officio, & malignum quem per officium expellit de corpore alieno, per munditiam vitæ expellat de corde ſuo: ne medicina quam alij facit, ſibi non proſit.*

*Superiores ordines non excluſi ab Exorciſmis.* Amal. Fort. l. 1. de Eccl. offic. c. 6.

Quæ omnia ſuperiores Ordines ab exorciſmis non excludunt. Siquidem ſapienter, & ad Hierarchicam regulam præclarè admonet Amalarius Fortunatus, *Sic eſſe inferiores Ordines in adiutorio ſuperiorum, vt tamen non excludant ſuperiores ab officijs ſibi commiſſis. Exorciſtæ officium ad Sacerdotis miniſterium contingit ſanctus Gregorius, vbi dicit, nam Sacerdotes per exorciſmi gratiam manum credentibus imponunt*, &c. Idem de Diacono exiſtimandum, qui tamen in Eccleſia vetere, quam ſolam deamat Aurelius, pauxillum operæ aduerſùs Energumenos impendebat. Sic enim legimus in Conſtitutionibus Apoſtolicis, poſt Catechumenorum digreſſionem, clamaſſe Diaconum, *Energumeni, quos ſpiritus immundi agunt, adhibete cuncti preces Deo. Intentè pro eis precemur*, &c. *Inclinate Energumeni, & accipite benedictionem.* Qua ab Epiſcopo tradita, *dicit Diaconus, exite Energumeni.* Qua ex formula, confirmare mihi videor poſſe D. Thomæ de Dionyſiacis atteptitijs explicationem, quaſi magnus Hierophantor de non baptizatis agat Energumenis, cum eos negat diuinorum myſteriorum eſſe participes, Nam ſi cum Catechumenis eijciuntur, eos oportet eſſe aut Catechumenos, aut Pœnitentes, quibus priuata benedictio, & oratio ſit neceſſaria, propter hoſtem ipſorum corporibus inſidentem. Sed ne quid diſſimulando effugere videar, lubet hoc loco apud S. Clementem, Energumenos iam batiſmo in Eccleſiam admiſſos interpretari, & exquirere quantùm, & quibus à ſacris eliminentur: iure-ne affirmet Aurelius audacter & vniuersè, illos *extra Eccleſiæ Communionem fuiſſe*, idque, *claris Conciliorum Canonibus, & Patrum teſtimonijs comprobari.*

*Diaconorũ exiguus olim labor aduerſùs Energumenos.* Conſt. Apoſt. l. 8. c. 6. & 7. *D. Thomas Dionyſii Energumenos quos explicet* 3. P. q. 80. a. 9. ad 1.

Quod

Quod ſi de altaris miniſterio vult intelligi, in eius ſententiam eo pedibus, fateorque concordem in eo ſemper extitiſſe ſenſum Eccleſiæ; vt qui ſemel publicè ab agitante Dæmone fuiſſet vexatus, in clerum cooptari non poſſet. Qua de re & frequentes & clari ſunt Canones, vt Nicænus Arabicus, *Statuimus vt nullus Energumenus fiat Religioſus*, id eſt Clericus, nam hoc agitur in Canone; vt Arauſicanus, *Qui palam aliquando arrepti ſunt, non ſolùm non aſſumendi ad vllum Clericatus ordinem, ſed & ſi iam aliqui ordinati ſunt, ab impoſito officio repellendi.* Vt Aurelianenſis, qui tres ſimul irregularitatis cauſas compingit. *Ne quis Diaconus, aut Presbyter ordinetur Pœnitentiam profeſſus, aut ſemus corpore, vel qui publicè aliquando arreptus eſt.* Toletanum autem Concilium rem totam grauiter enunciat. *Benè ſiquidem maiorum regulis definitum eſt, vt Dæmonijs aliiſque ſimilibus paßionibus irretitis, miniſteria ſacra tractare non liceat. Cui præcepto conſenſu rationis adhibito, id communiter definiuimus, vt nulli de his qui aut in terram arrepti à Dæmonibus illiduntur, aut quolibet modo vexationis incurſibus efferuntur, vel ſacris audeant miniſtrare altaribus, vel indiſcuſſos ſe diuinis ingerant Sacramentis: exceptis ijs qui varijs corporum infirmitatibus dediti, ſine huiuſmodi paßionibus in terram approbantur eliſi. Qui tamen & ipſi tandiu erunt officij ſui ordine & loco ſuſpenſi, quoùſque vnius anni ſpatio, per diſcretionem Epiſcopi inueniantur ab incurſu Dæmonum alieni.*

*Publicè arreptitius in Clerum cooptari non potuit.*
Concil. Nicæn. can. 8. Arab.
Concil. Arauſic. 1. can. 16. & Arelat. 2. can. 2.
Concil. Aurel. 3. can. 6.
Concil. Tolet. 11. cap. 13.

Si verò extortes vult fuiſſe ab Eccleſia & communione fidelium, neque vllo modo ad Eccleſiam pertinuiſſe, quæ ſcriptoris illius vera mens, cum *extra Eccleſiam poſitos* dicat, & Pœnitentibus Catechumeniſque adiungat, hoc illi, meo ſenſu concedo de Catechumenis aut Pœnitentibus corpore animoque arreptis; qui ſine dubio gregalium ſuorum ſortem & conditionem ſecuti ſunt, vt non magis minus-ve Eccleſiæ membra fuerint, quàm qui eo morbo caruerunt. Non omnino tamen extranei ab Eccleſia cēſentur, quod tota hac diſputatione pugnandum ſuſcipio. Magna ſiquidem ſolicitudine ſemper eos curarunt Hierarchæ, vt cum in Arauſicano Concilio decreuerunt, *Energumenis Catechumenis quantùm vel neceßitas exegerit, vel opportunitas permiſerit, de baptiſmate conſulendum.* In extremo autem vitæ momento probat Balſamon, Timothei auctoritate, ſemper Catechumenis inſeſſis collatum fuiſſe baptiſmum, cui adiunctam non dubito ſacram Euchariſtiam, more illis ſeculis vſitato.

*Energumeni Pœnitentes & Catechumeni quomodo extra Eccleſiam.*
Concil. Arauſic. 1. can. 15.

Si denique fidelibus per myſterium regenerationis aggregatos, & fideles ipſos, vult tantùm fuiſſe ab auguſtiſſimi Sacramenti ſumptione ſecluſos, quòd ab immundis hoſpitibus vexarentur: aio ego admodum impropriè grammaticum ſcribere, qui hoc vocet, *extra Eccleſiam eſſe, neque fidelium numero comprehendi.* Deinde cum agnouero ipſo vexationis & agitationis articulo, neque in loco ſacro conſiſtere, neque ſacris participare potuiſſe, vt facile docet Nicolai Patriarchæ Canon apud Harmenopulum, *qui reapſe vexatur à dæmone, Sacramenta non percipiet; ſi ab humore nigro cruciatur, percipiet.* Quod & ipſa ratio ſatis ſuperque ſuadet. Addam tranquillo corpore, quando per interualla temporum iactari deſinunt, locis aliquibus negatam eſſe communionem, pluribus conceſſam, quod & modò vſurpatur. Nam in Hiſpania Patres Eliberitani vetuſtiſſimæ ſeueritatis norma & exemplum, præcisè decernunt *Energumenum, qui aberratico ſpiritu exagitatur, huius nomen neque cum oblatione eſſe recitandum, neque permittendum vt ſua manu in Eccleſia miniſtret.* Quod idcirco decretum arbitror,

*Tempore agitationis excluſi à ſacris.*
Harme. in Epitom. Can. ſect. 5. tit. 2.
*In quiete poſitis alicubi negata communio.*
Concil. Elib. c. 29.

quod ij piaculari aliquo peccato excommunicationem contraxiſſent, vndè ſequuta eſſet arreptio. [In vita Theodo. Abba. apud Sur. Ian.] Idem in Palæſtina apud Theodoſium Abbatem ſeruatum lego in eius vita, vt Energumeni cum cæteris in precibus, non autem in Euchariſtia communicarent. Huc accedit Germanus quidam Monachus [Caſſi. Col. 7. c. 29.] cum ſuis apud Caſſianum, qui hac de re diſputans, *Energumenos*, inquit, *à communione dominica in noſtris prouincijs perpetuò videmus abſtinere, ſecundum illam Euangelij ſententiam, Nolite ſanctum dare canibus.* Qua ex ſententia de illorum qui ſic agerent ingenio facile eſt iudicare.

[*Euchariſtia pluribus locis conceſſa.*] Quantò autem ſolertiores alij arrepritiorum infortunium miſerati, quibus potuerunt modis, maximeque viuifico ex altari pane monſtrorum illorum alexicaco miſeris ſuccurrerunt? Audi Pium è prima antiquitate Pontificem: [Diſt. 33. c. Communiter definimus.] *Communiter definimus, vt nullus de his qui arrepti à dæmonibus in terra eliduntur, indiſcuſsè ſe ingerat Sacramentis diuinis.* Non arcet penitus, niſi indiſcuſſos, ne quod inſit periculum: quod cum aberit, nonne permittit admitti? Vide in eadem eremo Serenum hominem ſenectute, vita, doctrina venerandum, [Caſſia. cit. c. 30.] Germano illi immiſericordi reſpondentem, *Communionem eis ſacroſanctam à ſenioribus noſtris nunquam meminimus interdictam: quin imo, ſi poßibile eſſet etiam quotidie eis impartiri eam debere cenſebant. Nec enim ſecundum Euangelij ſententiam, quam incongruè huic cenſuis coaptatis, ad dæmonis eſcam ſacroſancta Communio, & non potius ad purgationem ac tutelam corporis animæque peruenire credenda eſt.* Qua au- [D. Th. 3. P. q. 80. a. 9. ad 2.] ctoritate Caſſiani D. Thomas libenter vtitur, vt id ipſum rectè & laudabiliter fieri doceat. Memineris autem Lector, hunc morem à ſenibus repetere ſenem Monachum, neque id vnquam factum aſſerere, quod Aurelius claris Patrum teſtimonijs probare promittit. Et ne tam citò digrediar à Monachis, [Timo. c. 3. explic. à Balſam. in reſp. Syno. CP. ad Monach. q. 4.] ab illis hac ipſa de re interrogatus Balſamon, Timothei Canonem ſic interpretatur, vt is velit *concedendam dæmoniaco diuinorum Sacramentorum participationem, eo tempore quo eſt ſanæ mentis, & maximè ſi eo tempore quo furore percitus eſt, non blaſphemet aduersùs ſanctos.* Quæ conditio neque additur à Zonara; & parum [Zonar. ad can. 17. Concil. Ancyr.] æqua mihi videtur, cum per arreptitium ſolus Dæmon, nulla loquentis culpa, blaſphemet. In Gallijs, quæ ſemper in humanitatem inclinarunt, Arauſicanum Concilium præcipit, vt *ſi de purgatione ſua curant, & ſe ſolicitudini Clericorum tradunt, monitiſque obtemperant, omnimodis communicent: Sacramenti ipſius virtute muniendi ab incurſu Dæmonij, quo infeſtantur; vel purgandi, quorum iam oſtenditur vita purgatior.* [Concil. Arauſic. 1. can. 14. & Agat. 2. can. 29.] Notanda ratio nuſquam non optima, vt ſit tanquam præmium boni conatus, eiuſdemque adiumentum. Idem in Africa remedium [Proſper Aquit. l. de promiſſ. & præd. dim. temp. c. 6.] Carthagine Arabi cuidam puellæ applicatum, fortem armatum ab atrio eieciſſe narrat Proſper Aquitanicus. Alio quoque pietatis genere miſerandos homines Africana fouit Eccleſia, vt victum è ſuo miniſtraret, & tecto exciperet. [*Eccleſia Africana pietas in Energumenos.*] Quod Carthaginenſi Concilio decernitur, *Energumenis in domo Dei aſſidentibus, victus quotidianus per Exorciſtas opportuno tempore miniſtretur.* Qui locus magnopere me impellit, vt credam eos in Catechumeneis habitaſſe, quò Eccleſiæ, & remedio ſuo eſſent viciniores. Nam ibidem ſtatuunt Patres, vt [Concil. Carth. 4. can. 92.] *omni die Exorciſtæ Energumenis manus imponant:* Atque ne panem otioſi comedant, [Ibid. c. 90.] eis ſacræ domus aliqua cura committitur, *Pauimenta domorum Dei Energumeni* [Ibid. c. 91.] *verrant.* Hos certè Petrus Aurelius extra Eccleſiam poſitos fuiſſe non dicet.

DE

## *DE CATECHVMENIS TERTIA PVRgandorum ſpecie.*

## CAPVT XXV.

SI QVOD vſpiam opinionis ſuæ perfugium habere debet Petrus Aurelius, vt palam & apertè prædicet, extra Eccleſiam fuiſſe purgatos ordines, certè in Catechumenis latebram aliquam repperiſſe poteſt videri, quos eam fortaſſe ob cauſam in aciei fronte collocat, & primos appellat, vt cum ea res inter omnes, ſcriptoris iudicio præſidentiaque, conſtare debeat, cæteri ordines veritatis huius quaſi nota ſignati, nihil adulterinum afferre videantur. Verùm ſi monetam hanc ad lydium lapidem examinamus, reperiemus profectò nummo illi præter colorem & argenteam ſuperficiem, ſolidi nihil ineſſe: quin potius Catechumenos ipſos in dulciſſimæ matris ſinu magna cura diligentiaque fuiſſe formatos, non procul à diuina gratia, ſcribente Origene, *Non omnes qui in Catechumenis numerantur, alieni ſunt & expertes Spiritus Sancti. Inuenio enim in ſcripturis diuinis nonnullos Catechumenorum dignos habitos Spiritu Sancto. Cornelius Catechumenus erat, & antequam ad aquam veniret, meruit accipere Spiritum Sanctum. Nolo dubites & nunc eſſe in populo Catechumenorum aliquos Cornelios, ad quos dici poßit, Quia miſericordia, & orationes tuæ aſcenderunt in cælum.*

Origen. in num. hom. 3.
Act. c. 10.

Catechumenos Chriſtianitatis appetentes, baptiſmi candidatos, fœtus parturientis Eccleſiæ, ab accipiendis myſteriorum noſtrorum rudimentis id nomen ſortitos, in triplici genere fuiſſe manifeſti Canones Patreſque declarant, Audientes, Catechumenos, Competentes. Audientes tirones ſunt, & velut dupondij, recens admiſſi ad ſcripturæ ſacræ, Euangelijque auſcultationem; vt docet Zonaras ad Concilium Neocæſarienſe infra citandum. Alij commune nomen, ſibi proprium fecerunt, vt Catechumeni propriè dicantur, quaſi quidam veterani, qui baptiſmo dilato in Eccleſiam nondum penitus admiſſi erant. Ex eorum numero ſelecti quidam Competentes vocati, qui *fontis* ſalutaris *Sacramenta petunt*, eius candidati, fidelium gregi vicini, quos S. Leo Papa *Electos* appellat, Tertullianus *Perfectos*, quaſi maximè idoneos ad illius gratiæ perceptionem.

*Catechumenorum tres ſpecies.*
*Audientes.*
Zonar. ad Concil. Neocæſ.
*Catechumeni.*
*Competentes.*
S. Leo ep. 4. c. 5. & in Ord. Rom. ſæpe ſic compellati.
Tert. l. de præſcript. c. 4.

Eius verò diſtinctionis ea eſt ratio, quòd cum nouam in ſacro fonte generationem natiuitatemque conſequantur Chriſtiani, in Catechumenatu fœtibus videantur ſimiles, qui materno vtero in ſpem futuræ apud homines vitæ formantur. Qua figura frequenter expreſſi à Patribus Catechumeni: vt cum illis ipſis edicit S. Auguſtinus, nondum quidem adhuc *per ſacrum baptiſmum renati eſtis: ſed per crucis ſignum in vtero ſanctæ matris Eccleſiæ iam concepti eſtis.* Quæ profectò cauſa eſt, cur Catechumenos S. Dionyſius cum Embryone comparet, & *inchoatos, & nondum figuratos pueros* appellet: dicatque poſtea, *diuinorum ſcriptorum cantus & lectiones, eos quidem qui minus perfecti ſunt, obſtetricum inſtar, fouere & educare ad vitalem adoptionem.* Quod & iterum repetit, illos *à miniſtris per ſcripta diuina, quæ vim obſtetricandi habent, ad vitalem partionem formari & effingi.* Vt tam commoda delectatus allegoria conuenientiſſi-

*Catechumeni fœtibus ſimiles in vtero Eccleſiæ.*
Augu. l. 2. de ſymb. ad Catec.
Dion. c. 3. Eccle. in contemp.
Item c. 4. in contec.
Item c. 6. ineunte.

mè S. Auguſtinus, eo quo ſupra loco, *verbum Dei tanquam competentem cibum Catechumenorum nuncupet.* Tria autem vitalis partionis momenta mater quælibet diſtinguere poteſt, ſoletque; conceptionem, formationem, partum. Sic fœtus ſuos parés Eccleſia concipit Audientes, format Catechumenos, parturit Competentes, luſtrali demum lauacro in luminis auras feliciter editura. Fateor equidem in græcis tantùm pene Patribus & Concilijs Audientium gradum repetiri, eumque Catechumenis adiunctum: ignotos autem ipſis fuiſſe Competentes. Latinis ex aduerſo non vſitatos Audientes: apud vnum ſiquidem Cyprianum id nominis legere me memini; ſed Catechumenis coniunctos Competentes, qui nec ipſi propriè ordinem faciunt, ſed electi ex ordine perficiuntur. Verùm perſpicuitatis maioris gratia, ex vtraque Eccleſia, tres coniunctim Catechumenorum gradus compoſui, nihil vt huic doctrinæ deeſſet, quod in vſu aliquando apud maiores noſtros inſtitutoque fuiſſet.

*Audientium locus in ferula templi.* Concil. Arauſic. 1. can 19. Cyrill. Catech. 1. Myſtag. Idem in Præfat. Catech. *Cathecumeni pœnitentei remiſſi ad Audientes.* Concil. Nicæn. can. 14. Concil. Neocæſ. can. 5. vel can. 25. Cæſar. vt vocatur ab Harmen. ſect. 5 tit. 3.

Audientium ergo gradus infimus eſt, in Narthece Baſilicæ poſitus, vnde exaudiri potuit & diuinarum ſcripturarum lectio, & Hierarcharum conciones; ſic tamen in ea ferula ſiue porticu ſubſiſtebant, vt omnino ad Baptiſterium intrare prohiberentur Catechumeni, Canone Arauſicano; & tanquam inſolitum Neophytis dicat S. Cyrillus, *Ingreſſi eſtis in porticum domus Baptiſterij.* Hi ſunt quibus idem Catechiſta verè dicebat; *Catechumenus vocabaris foris ſubſiſtens; audiebas ſpem, & neſciebas; audiebas myſteria, & non intelligebas; audiebas ſcripturas, & profunda illarum ignorabas.* Eò depreſſum olim dicebamus Catechumenum qui pœnam commeruiſſet, Audientem verò ab Eccleſia deiectum. *De Catechumenis*, inquit Canon Nicænus, *qui lapſi ſunt, viſum eſt, vt ij tribus annis tantùm Audientes ſint, poſtea orent cum Catechumenis:* hoc eſt, priſtinum Catechumenorum ordinem recipiant. Neocæſarienſis diſtinctior, *Catechumenus ſi in Dominicum ingrediens in Catechumenorum ordine ſteterit, is autem peccat, ſi quidem genu flectit, audiat, vt non delinquat vlteriùs: ſin autem tum etiam peccat, extrudatur.* Qui Canon cum ſatis perſpicuè conceptus ſit, eum tamen in Harmenopulo perplexiorem legimus: *Catechumenus peccans ſi eſt inter genu flectentes, Audiens fiat, ſi non peccat ampliùs; ſin audiens eſt, expellitor.* Quo loco ſcholiaſtes Græcus, duos notat fuiſſe Catechumenorum ordines; vnum, eundemque perfectiorem, eorum qui genu flectebant: alterum imperfectiorem, eorum qui audiebant, & illos in Pœnitentia fuiſſe extra Eccleſiam, *Nam & Audientes*, inquit, *extra Eccleſiam ſtabant, vſque ad lectionem ſancti Euangelij.* Qui commentarius & obſcurus & veritati non ſatis conformis mihi videtur. Nam cum proprius Audientium locus ſit in porticu extra ſepta Eccleſiæ, Catechumenum criminis reum eò deuolui facilè intelligimus: at Audientem ſuo iam ordine extra Eccleſiam locatum, cur patrato ſcelere peracceptam Pœnitentiam ait *conſiſtere extra Eccleſiam*, dicente Canone illum *expelli*? Num debet in Pœnitentia de gradu ſuo in inferiorem decedere? Narthece autem deterior eſt Luctus; eò potiùs igitur Audientem ſceleratum detrudi, debuit dicere commentator. At non facilè reperiet in Eccleſiæ & Conciliorum hiſtoria, expreſſum Catechumenum, qui cum Lugentibus pœnitentiam obierit. Præſtat igitur vt natiua vocis ſignificatione, *expulſum* ab Eccleſia, & pro gentili adhuc Iudæoque reputatum dicamus Cathecumenum recens admiſſum, qui in ipſo Chriſtianitatis limine offenderit, & cum in

Κατηχού- [illegible]

*Audientes ſi peccabant, eiecti ab Eccleſia.*

in nouitate vitæ ſpirituſque, primigenij feruoris impetu ambulare, imo çurrere debuerit, veterem adhuc hominem noua peccatorum acceſſione roborarit.

Porro ad hunc ordinem, & vniuersè ad Catechumenatum, non ſine aliqua cæremonia fuiſſe admiſſos credendum eſt; neque licuiſſe omnibus inter Catechumenos & Audientes profiteri, neque ſolam ſuſcipiendi baptiſmi voluntatem, Catéchúmenos feciſſe. Nam in Conſtitutionibus Apoſtolicis legimus, *qui primò ad myſterium pietatis adueniunt*, id eſt, qui fieri Catechumeni, & inter Audientes admitti poſtulant, *adducant eos Diaconi ad Epiſcopum, aut ad Presbyteros.* Quemadmodum in S. Dionyſio iidem Diaconi baptizandum ad Hierarcham perducunt. *Et cauſas exquirant, cur ad verbum Domini acceſſerunt. Et qui adduxerunt eos,* Diaconi, oculi & aures Epiſcopi; *tribuant eis teſtimonium, excuſſis & diligenter examinatis ijs omnibus quæ ad eos pertinent*: inquiratur in eorum mores & vitam. Arnobium certè rhetorem illum legimus, non ſtatim vbi ſe obtulir, ab Hierarchis inter Catechumenos recenſitum; illudque beneficium non ante luculentorum librorum ſcriptionem eſſe prometitum. Arbitror equidem illos daro nomine profeſſos eſſe deſiderium ſuum: commendatum deinde ab Hierarchis, vt in eorum voluntatem & mores inquirerent Diaconi: quod D. Auguſtinus apertè factum demonſtrat libro de Catechizandis rudibus, Diaconum inſtituens, quomodo ſit interrogandus primo incurſu Catechumenus. Cruce demum ſignatum, & impoſitis manibus benedictum, vt idem doctor luculentè demonſtrat. *Catechumenos ſecundum quendam modum ſuum, per ſignum Chriſti, & orationem manus impoſitionis puto ſanctificari.*

*Aliquo ritu ad Catechumenatū admiſſi.*

Conſtit. Apoſt. l. 8. c. 32.

Dionyſ. c. 2. Eccleſ.

Auguſt. l. de Catech. rudib.

Idem li. 2. de peccat. merit. & remiſſ. c. 26.

Hoc in propoſito Concilium CP. Oecumenicum obſcuriùs aliquid ediſſerit. *Primo quidem die ipſos Chriſtianos facimus, ſecundo Catechumenos, deinde tertio exorcizamus, ſiue adiuramus ipſos, ter ſimul in faciem eorum & aures inſufflando. Et ſic eos catechizamus ſiue initiamus, & curamus vt longo tempore verſentur in Eccleſijs, & audiant ſcripturas; & tunc eos baptizamus.* Exiſtimat Binius hunc ordinem ad eos pertinere, qui proximè baptizandi ſunt; ſicque interpretatur: *Ipſos* (*Catechumenos Audientes*) *Chriſtianos facimus,* (*acceptis eorum nominibus inter Electos ad Chriſtianiſmum adſcribimus*) *ſecundo Catechumenos* (*Competentes intellige*) *tertio exorciſamus*, &c. Verum hoc ab ea primùm potiſſimumque me ſententia diuellit, quod Electi iſti non Chriſtiani, & Catechumeni fieri debent, ſed ex Chriſtianis & Catechumenis ſeligi. Deinde in extrema parte dicitur, Catechumenos longo tempore audire; quod certè non debet dici viginti quinque dierum tempus, quod interceſſiſſe idem eſt auctor, inter nominis profeſſionem, & baptiſmum. Itaque nonnihil amplius explicandum arbitror, & tres iſtos Catechumenorum gradus diſtinguendos. Græcos & Gentiles *qui rectæ fidei volunt adſcribi, primo die*, inquit iſtud Concilium, *Chriſtianos facimus:* (quando cruce communitos, & inuocato ſuper eos Chriſti nomine inter Audientes admittimus) *ſecundo Catechumenos*, (altero die, non quidem conſequente, ſed eo quo ſecundum inter candidatos religionis gradum conferimus, & Catechumenos propriè dictos facimus) *Deinde tertio exorcizamus*, (referendos denique in ſupremum Catechumenorum ordinem, ante omnia dæmone liberamus: Et ſic, cum omnibus argumentis nobis eorũ voluntas conſtat, eos Catechizamus accuratiùs quàm antea; *& curamus* tum hoc tempore, tum omni ſuperiore

*Concilij Conſtanti. canon. 7. explicatur.*

Binius in ep. 4. D. Leon. tom. 1. Concil.

ex quo Audientes fuerunt, *vt longo tempore verſentur in Eccleſijs:* vtrunque tempus ſimul coniungendo, *& tunc eos baptizamus*: poſt dies aliquot ab exorciſmo, ſed poſt plures annos aut menſes, ex quo facti ſunt Chriſtiani. Ab his, vt pote imperitis adhuc & imperfectis, requiſitum nihil exiſtimo, niſi vt ad ſacrarum ſcripturarum lectionem frequentes aduenirent, & ſe ad promerendum luſtralis gratiæ fauorem ſtudioſiùs compararent.

*Catechumeni in ima Eccleſiæ naui.*

At quoniam conceptus in vtero fœtus diutius confirmari debet, ab Audientium gradu tranſitur ad ordinem propriè & peculiariter dictorum Catechumenorum; quos in ima Eccleſiæ naui, intra Dominicum, & ipſo loco, quo tertij gradus Pœnitentes ſubſtrationi obnoxios ponimus. Hoc tamen diſcrimine, quòd Pœnitentium locus ille, multis varijſque afflictationibus ſit auſterus & difficilis; à quo deinde ad ſyſtaſin mitiorem deuenitur. At pacatior eſt Catechumenis eadem ſedes, vt expreſſam horum Pœnitentium imaginem Competentibus derelinquant.

*Quid ab hoc gradu requiſierit Eccleſia.* Cyrill. præfat. ad Catech. Concil. Eliberit. can. 45 In vita Pelagiæ c.

Vix enim quicquam Catechumenis iſtis impoſitum video, quàm exorciſmos primùm aliquos, adhortante Cyrillo, *Exorciſmos ſuſcipe, etſi inſpiratus iam ſis & exorcizatus.* Deinde rerum ſacrarum frequentiam; de qua tamen in Eliberitano Concilio ita decernitur. *Qui aliquando fuerit Catechumenus, & per infinita tempora* (hoc eſt diuturno admodum tempore) *nunquam ad Eccleſiam acceſſerit; ſi eum de Clero quiſque agnouerit eſſe Chriſtianum, aut teſtes aliqui extiterint fideles, placuit ei baptiſmum non negari, eò quòd in veterem hominem deliquiſſe videtur.* Quod in Pelagia reprehendit auctor vitæ Iacobus Diaconus, quamuis eſſet Catechumena, nunquam tamen Eccleſiam frequentaſſe, quæ negligentia S. Nonnum Epiſcopum à conferendo baptiſmo non retardauit. Et quoniam Eccleſiæ naui recepti aliquem ſacrorum ordinem, & fidelium cœtum ſpeculari poterant, id vt faciant hortatur Catechiſtes S. Cyrillus. *Permiſſum eſt tibi etiam contaminatam peccatis habenti animam, & ſordidam voluntatem, intrare; intraſti eo loco dignus habitus: nomen tuum inſcriptum eſt. Aſpice venerandum hoc Eccleſia inſtitutum, circumſpice ordinem & diſciplinam, ſcripturarum lectionem, canonicorum præſentiam, & doctrina ſeriem: reuerearis locum, & erudiaris ex his quæ apparent.*

Cyrill. præfat. ad Catech. *Eccleſiæ ordo venerabilis* Greg. Naz. orat. 40.

Quod monere non omiſit Nazianzenus, *quandiu in Catechumenorum numero es* (Audientes intellige) *in pietatis veſtibulo es. Intrare te oportet, atrium pertranſire, ſancta contueri, in Sancta Sanctorum proſpicere, cum Trinitate contingi.* Quibus verbis, & tota oratione, Audientes ſuos ad accelerandum Baptiſmum hortatur Theologus, multis ſanè & magnis rationibus eos incitans. Nam hoc in gradu diutius habitare licuit, remiſſo in aliud, atque aliud tempus baptiſmo: cum de ſe ipſo ſcribat S. Auguſtinus; *Decreueram tandiu eſſe Catechumenus in Eccleſia, cui traditus à parentibus eram, donec aut inuenirem quod vellem, aut mihi perſuaderem non eſſe quærendum.* Talis igitur fuit Auguſtinus in ſcholis, Martinus in militia, Ambroſius in præfectura, Theodoſius ſenior in purpura, Conſtantius in imperio.

*Nullum tempus petendo Baptiſmo præfixum.* Augu. l. de vtilit. credendi. c. 8

Inclinabant tamen eò voluntates Hierarcharum, ne diu inter Catechumenos profiterentur. Qua de re ad Marcianum, veterem amicum, iam Catechumenum, ſcribit idem S. Auguſtinus, *Exhortor grauitatem & prudentiam tuam, vt iam etiam fidelium Sacramenta percipias: decet enim ætatem, & congruit moribus tuis. Tua mereri ſcripta deſidero, & te nomen dediſſe inter Competentes, vel daturum eſſe iam iamque cognoſcere.* Ne Iudæis quidem longa permiſſa mora, licet eos recipi vetet Synodus ſeptima, *niſi pareat eos ex ſyncera fide conuerti.*

*Ad accelerandum Baptiſmum prauiores Epiſcopi.* Auguſt. ep. 155. Synod. 7. can. 8. apud Harm. ſect. 3. tit. 1.

Agathenſe

Agathenſe Gallicanum Concilium, iubet *octo menſibus Eccleſiæ limen introire, & ſi pura mente venire noſcuntur, tum demum baptiſmatis gratiam mereri*. Longè autem grauiſſima erat eorum incuria, qui prætextu ſalutis, tantopere rem ſalutis protelabant, vt non ante vltimam ægritudinem, gratiam luſtralem percipere vellent, clinici à Patribus per contumeliam dicti, & Conciliorum ſeueritate puniti.

Concil. Agat. c. 34. — *Clinici, contumelioſa vox.*

Iam Competentes, flos Catechumenorum delibatus, à petendo ſimul Baptiſmo ſic appellati, *quomodo conſedentes*, inquit S. Auguſtinus, *nihil eſt aliud niſi ſimul ſedentes; & colloquentes, nihil eſt aliud niſi ſimul loquentes; concurrentes ſine dubio non intelliguntur niſi ſimul currentes; ita & Competentes non poſſunt aliud intelligi, niſi ſimul petentes*. Datis nominibus ardens ſuſcipiendi baptiſmi deſiderium indicabant, vt in Marciano Auguſtini ſupra audiebamus; quod & S. Cyrillus non ſemel edocet, animando Catechumenos ad vitæ innocentiam, *Abſit*, inquit, *vt aliquis ex his qui nomina dederunt, audiat, amice quomodo huc intraſti?* & antea iam vberiùs dixerat, *Nomina iam in Chriſti militiam vocati dediſtis, & ſponſales lampades vobis donatæ, & regni cœleſtis deſiderium, bonumque propoſitum, & ſpes ſubſequens*. De lampadibus mox coniectura noſtra proferetur in Catechiſmo & exorciſmis: hæreo in nominibus, quæ data diebus ante ſolennem baptiſmum, quadraginta, vt ſacra illa tempeſtate ad diuinam regenerationem pararentur: primùm vt vberiore Catechiſmo imbuerentur per otium, iam olim ſcribente ad Ioannem Ieroſolymitanum S. Hieronymo, *Conſuetudo apud nos iſtiuſmodi eſt, vt iis qui baptizandi ſunt, per quadraginta dies publicè tradamus ſanctam & adorandam Trinitatem*: hoc eſt, auguſtiſſimum Trinitatis myſterium, & reliqua fidei capita illos edoceamus. Deinde vt innocentiæ fontem ampliore pœnitentia mererentur: admonente ſuos Cyrillo, in parabolam eiecti à conuiuio hominis intento, *Ego te admoneo priuſquam Ieſus animarum ſponſus ingrediatur, & amictum tuum videat: ſatis longum habes interuallum, cum pœnitentia dierum quadraginta tibi datur*. Et validiùs adhortante, *tot annorum circulos tranſegiſti, mundo fruſtra operam nauans, & quadraginta diebus non vacabis pro anima tua?* Stimulis opus fuit ad excitandam nonnullorum ſocordiam. Vt enim Lapſos aliquos ante ſpectabamus, horrore Pœnitentiæ ab ea refugientes; ſic non paucos metus quadrageſimalis illius laboris à dandis nominibus auertebat. Vnde Cyrillum audiſti pœnitentiam dierum quadraginta nuncupantem, non quòd illa ſcelus in Catechumenatu admiſſum ſequatur; ſed quòd vniuersè anteacta in infidelitate vita ea ſatisfactione purgetur, Deique clementia ad donandam baptiſmatis gratiam prouocetur. Eadem eſt Leonis Magni ſententia, *Baptizandos Electos ſecundùm Apoſtolicam regulam, & exorciſmis ſcrutandos, & ieiuniis ſanctificandos, & frequentibus eſſe prædicationibus imbuendos*. Quamobrem S. Auguſtinus eos negat *ad Sacramentum tantæ ſanctitatis admittendos, ſi per ipſos dies, quibus eandem gratiam percepturi, ſuis nominibus datis abſtinentia, ieiuniis, exorciſmiſque purgantur, cum ſuis legitimis & veris vxoribus ſe concubituros profiteantur, atque huius rei, quamuis alio tempore licitæ, paucis ipſis ſolennibus diebus nullam continentiam ſeruaturos*. Idem ipſum Carthaginenſi Concilio decretum intelligere debemus, *vt Baptizandi nomen ſuum dent, & diu ſub abſtinentia vini, & carnium, ac manus impoſitione crebra examinati baptiſmum percipiant*. De vxorum continentia ſequens Canon admonet, *vt Neophyti aliquandiu à lautioribus epulis, & ſpectaculis, & coniugibus abſtineant*. Nam ſi per hilaritatem recepti baptiſmatis, non licet ad coniuges ac-

*Competentes vnde dicti.* — Aug. ſerm. 116. de Tempore. — *Nomina dabant ad baptiſmum.* — Cyrill. Catech. 3. — Idem præf. ad Catec. — ὀνομάτων ἀπογραφή, καὶ στρατείας κλῆσις, νυμφαγωγίας λαμπάδες. — *Diebus quadraginta ante baptiſmum.* — Hieron. ep. 61. — Cyrill. Catech. 3. — Idem Catech. 1. — *Tempus illud pœnitentiæ auſterum & difficile.* — S. Leo ep. 4. — Augu. l. de fide & ope. c. 6. — Concil. Carth. 4. can. 85. — Ibid. c. 86.

Mi:rol. l. de Eccleſ. obſer. c. 7.

ſolennibus, *Per eum qui venturus eſt*,&c. cum Eccleſiaſticæ cæteræ terminentur vſitata clauſula, *Per Dominum noſtrum*, quia in his *Patrem vt nobis per amorem filij ſui ſubueniat, imploramus; in exorciſmo autem diabolum per Dei iudicium, vt aufugiat increpamus.*

*Modeſtia in exorciſmo ſeruanda.* Cyrill. præfat. ad Catech.

Denique vt hac in cæremonia pietatis diſciplina ſeruetur, monet ſuos Catechumenos S.Cyrillus, vt quanta poſſunt religione, modeſtiaque his interſint exorciſmis. *Ne imiteris illos qui nulli vacant meditationi, ac reuerentiam adhibe cum ſit exorciſmus, quouſque alij exorcizati aderunt, viri cum viris, & mulieres cum mulieribus. Tum aſſidentes viri librum aliquem vtilem habeant, & alius quidem legat, alius autem audiat; ſin autem deſit liber, alter oret, alter boni aliquid dicat. Conuentus porro virginalis ſic congregetur, vt vel pſallat, vel oret, vel legat, ita vt labia quidem loquantur, vox autem ad alienas aures non perueniat.*

## *DE CATECHUMENORUM INSTITUtione & Catechiſmo.*

## §. II.

*Quid ſit Catechiſmus.* Guil. Pari. tr. de ſacra. c. 3. de Bap.

HABET Catechumenus à catechiſmo vt operum præcipuo, & grandis laboris ſumma, appellationem: in quo proinde diligentiùs inueſtigando inutilem operam non ponemus. Catechiſmum aptè definit Guillelmus Pariſienſis *inſtructionem & præparationem ad baptiſmum*, Qui quoniam noſtris temporibus rarò admodum apud adultos Catechumenos auditur; generaliùs modò, & ad Græcæ vocis etymon accommodatiùs definiri poteſt, Chriſtianæ fidei rudimentorum pura & ſimplex explicatio, rudibus accommodata.

*Differt à Concione in modo tractandi apud rudes & ſimplices.*

Hac enim ſimplicitate differt à ſacris concionibus, quibuſcum ſatis in ſubiecta materia conuenit, ſed tractandi modo non item; oratore ſacro ſapientiam loquente inter perfectos, catechiſta cum pueris & ſimplicibus ſermocinante; vt ijs lac potum det, non eſcam. His dico ſimplicibus, qui iam Eccleſiæ cura, precibuſque nonnihil ſanctificationis acceperunt, & ad ſuſcipiendam Chriſtiani nominis perfectionem proximè comparantur.

*Catecheſes non communicandæ cum Audientibus.* Cyrill. præfat. ad Catech.

Quamobtem diligenter cauendum monet S.Cyrillus, ne catecheſes ad Catechumenos, id eſt Audientes transferantur. Quandoquidem *Catechumenus ſi audiat myſteria à fideli, phreneſim patitur: neſcit enim quid audierit; & tamen arguit rem ignotam, dictaque irridet. Iam ergo tu in finibus noſtris conſtitutus, caue ne quid effutias: non quòd digna non ſint narratione ea quæ ibi dicuntur, ſed quòd eſt indignus ille audire cui refertes. Fueras aliquando & tu Catechumenus, neque tamen propoſita myſteria tibi enarrabantur.*

Concil. Carth. 4. can. 84. *Ab ijſdem excluſi gentiles & Iudæi.* Cyrill. Catech. 6.

Quid eſt igitur quod olim ex Carthaginenſi Canone producebamus, nemini aditu Eccleſiæ ad audiendum Dei verbum interdici, non hæretico, non Gentili, aut Iudæo? iſtis-ne licet externis, ſæpe & hoſtibus, conciones audire, catecheſes non licet? Planè, vel Cyrillo ipſo docente. *Hæc myſteria Sacramentaque nunc patefacit Eccleſia ei qui ex Catechumenis excedit* (qui Audientium conditione relicta, ad Competentium & Electorum transfertur ordinem) *nec moris eſt Gentilibus exponere. Neque palam apud Catechumenos de myſterijs verba facimus, ſed multa ſæpe loquimur occultè, vt fideles qui rem tenent, intelligant, & qui non tenent, non lædantur.*

*Differt a.*

Aliud inter iſta diſcrimen eſt, in connexione catecheſeon, & continuata ſerie,

ſerie, tanquam catena, cum ſacræ conciones ſua ſingulæ argumenta inuicem non pendentia complectantur. Sic expreſsè Cyrillus, *Non exiſtimes inſtitutiones iſtas ſimiles eſſe homilijs, quamuis & illæ bona ſint, & fide digna: verùm ſi quid in illis hodie neglexerimus, cras diſcere poterimus. Hæc verò quæ de lauacro regenerationis per ordinem tradimus documenta, ſi hodie neglexeris, quando tandem corrigentur.* Pergit Chriſtianas haſce inſtitutiones cum ædificio conferre, in quo lapis lapidi apta commiſſura ſuperimponitur. *Ita ſi vel vnum ex his non perceperis, etiamſi primorum aut ſecundorum memineris, ædificator quidem benè ædificat, tu verò fluxum & debile habebis ædificium.* Quod exẽplo ipſe ſuo docuit magnus catechiſta, cuius doctrinam pluribus catecheſibus ordine collocatis plenam & integram adhuc verſamus manibus, & oſculamur. Cui diſpoſitioni ne incommodaret ipſe, & aliena in locum non ſuum intruderet, aliquando dicebat, *De his alias; non enim eſt ea audiendi tempus.* Eadem animaduerſio ad S. Gregorij Nyſſeni librum referri debet, qui Catecheticus maior inſcribitur, quo quibuſdam quaſi paſſibus progreſſus in doctrina, omnia Chriſtianæ fidei euoluit & explicat myſteria, Gentilium, Iudæorum, hæreticorumque erroribus repugnantia.

*In ſerie continuata doctrina.*

Cyrill. præfat. ad Catech.

Idem Catech. 3.

Greg. Nyſ. in Catech. maiori.

Differt tertio catecheſis à concione, quod cum neutra ſcripto tradatur, ſed apud auditores vtraque pronuncietur; pars tamen aliqua doctrinæ catechiſticæ & memoriæ commendetur, & exigenti catechiſtæ reddatur. Quare pars ea certa quadam verborum tanquam formula colligatur, vt facilius eam rudis, ſed ardens animus excipiat; dum in concione *de rebus ipſis ita diſſeritur, vt tamen non fiat verborum illa contextio, quæ tenenda memoriter Competentibus traditur,* inquit S. Auguſtinus. Duo autem maximè ſic reddenda traduntur, ſymbolum, & oratio dominica. *Symbolum nemo ſcribit vt legi poſſit, ſed ad recenſendum, ne forte deleat obliuio quod tradidit diligentia, ſit vobis codex veſtra memoria.* Et alibi, *audiendo ſymbolum, non in tabulis, vel in vlla materia, ſed in cordibus ſcribitote.* Ideoque admonet, *ſymbolum eſſe exiguum, vt memoriam non obruat, ſed diffuſum, vt intelligentiam ſuperexcedat.* Et Iſidorus in eo ait *pauca eſſe verba, ſed omnia contineri ſacramenta.* Qui & eo loco plures addit rationes, cur illud verbo non ſcripto exciperetur. Idem de oratione dominica dicendum videtur, quæ octauo poſt ſymbolum traditum die dabatur ipſa, & ſtata deinde die reddebatur. *Reddidiſtis,* inquit, *quod creditis; audiſtis quod oretis, oratio autem quam hodie accepiſtis tenendam, & ad octo dies reddendam.* In Gallijs Agathenſi Concilio definitum eſt, ſymbolum *ab omnibus Eccleſijs vna die, id eſt, ante octo dies dominicæ reſurrectionis publicè in Eccleſia Competentibus dari.* Vnde fortaſſe dies ille Palmarum, Paſcha Competentium appellatur, vt eſt in Ordine Romano; qui tamen in hoc poſtea mutauit; & feria quarta hebdomadæ tertiæ quadrageſimalis percipi admonet à Catechumenis, *orationem dominicam, & ſymbolum, ad reddendum in Sabbato ſancto Paſchæ.* Alcuinus hac in parte ſcrutinium collocat, & ab exorciſmo diuerſum facit. Vbi enim dixit, tradi Catechumeno *ſymboli Apoſtolici fidem*, poſt exorciſmum ſubiungit *fieri ſcrutinia, vt exploretur ſæpius, an poſt renunciationem Satanæ, ſacra verba datæ fidei radicitus corde defixerint.* Verùm ſi reddi tantùm debet Sabbato ſancto ſymbolum, quo ſeptimum & vltimum ſcrutinium celebratur, quomodo cenſeri poteſt præcedentibus ſcrutinijs exigi? Sed eſt obſcurius aliquid in Auguſtino quod quæram.

*Differt 3. in eo quòd recolantur apud catechiſtam.*

Auguſt. l. 2. retract. c. 17.

*Quænam illa recolantur.*

Augu. l. 1. de ſymb. ad Catec. c. 1.

Idem ſerm. 15 de temp.

*Symbolum non traditum ſcriptò.*

Iſid. l. 2. de Eccl. offic. c. 22.

Aug. ſerm. 135. de temp. c. 1.

Concil. Agat. c. 13.

*Paſcha Competentium.*

Ordo Roman. loco cit.

Alcui. l. de diuin. offi. io Sabb. S. Paſch.

*Refellitur.*

Cum verba tum Symboli, tum orationis dominicæ ſacroſancta ſint, ab ipſo Chriſto, aut eius Eccleſia concepta, vt de quibuſdam Symboli vocibus

*Explicatur S. Auguſt.* ſerm. 171. de temp.

ingens olim fuerit digladiatio, quomodo Catechumenis dicit S. Auguſtinus *Nec vt eadem verba teneatis vllo modo ſcribere debetis, ſed audiendo perdiſcere, & memoria ſemper tenere, atque recolere*; quaſi verba ipſa mutati, aut omitti ſine teligione poſſint? Reſpondeo aliam eſſe magni doctoris mentem; vt videlicet ſcripto ſymbolum excipete opus non ſit, quoniam ſua breuitate in memoriam facile illabitur: neque dubium quin pet hebdomadam fideles aliqui, puta Clerici, diligenti Catechumeno eſſent à memotia, & ſymbolum recolentem, velut quidam proſcholi adiuuarent. Dici etiam poteſt non inconcinnè, myſticis ſymboli verbis, breuem eorum elucidationem addi ſolitam à Catechiſta, vt in ipſo S. Auguſtino, & Ordine Romano videre eſt, cuius quidem explicationis eadem verba teneri neceſſe non fuerit, modò ne ſenſus animum effugeret: atque hanc ipſam enarrationem arbitror ex ore dicentis catechiſtæ ab antiquarijs exceptam, quod de S. Cyrilli catecheſibus extemporaneis cenſet interpres Grodecius, vt haberet repetitor ille, quo & memoriam diſcipuli ſui paſceret, & ingenium.

Grodec. Præfat. in ſcript. Cyrill. Ier.

*Catechiſmus à concione non differt ſubiecta materia. Subiectum & occaſio libri S. Auguſtini de fide & operibus.*

Fuerunt & ſancti Auguſtini æuo, qui alio etiam diſcrimine conciones à catechiſmis ſeiunctas volebant, cum dicerent inſtituendos de fide Catechumenos, de bonis moribus fideles; quaſi hoc tantùm agendum eſſet in catecheſibus, vt doceretur fides; in concionibus, vt vita corrigeretur. Quem errorem cum ferre non poſſit doctor vndecunque perfectus, libro de fide & operibus, multis diſputat, exuendum in baptiſmo veterem hominem, vt induatur nouus; agendam ab operibus mortuis pœnitentiam, vt prætetitorum remiſſionem in baptiſmo accipiant, *non vt peccare liceat, ſed vt peccaſſe non noceat; vt ſit facti remiſſio, non permiſſio faciendi.* Atque cum illi Apoſtolicarum literarum auctoritate ſe tegerent, in quibus videntur Apoſtoli priùs inſinuaſſe doctrinam fidei, ac deinde morum tradidiſſe præcepta. Reſpondet ſolertiſſimè, baptizatis, & non Catechumenis ſcriptas ab Apoſtolis litteras, neque vllum in ijs reperiri documentum, cur arbitremur baptizandos de ſola fide, baptizatos autem de moribus admonendos. *Quamuis enim illud prius, hoc poſterius, ſæpiſſimè tamen vna contextione ſermonis, vtrunque Catechumenis, vtrunque fidelibus, vtrunque baptizandis, vtrunque baptizatis, ſiue vt inſtruantur, ſiue ne obliuiſcantur, ſiue vt profiteantur, ſiue vt confirmentur, doctrina ſaniſſima & diligentiſſima prædicandum eſt.* Suos ſanè Catechumenos, deinde & Neophytos ſic inſtituit S. Cyrillus, vt fidem ſimul, moreſque commendet: & magnus ipſe Auguſtinus, in aurea prolixioris breuioriſque Catechiſmi forma, quam Carthaginenſi Diacono tradit libro de catechizandis rudibus, quam peritè, quam ſubtiliter in fidei doctrina mores inſinuat, ne fidem ſine operibus mortuam Catechumenus accipiat? Non differt igitur catecheſis à concione, ſubiecta materia; ſed eam explicandi modo.

c. 20.

*Apoſtoli ſcripſerunt baptizatis.*

c. 7.

*Baptiſmi ritus poſt baptiſmum expoſiti.*

Neque te moueat, quòd aliqua rituum ſacrorum myſteria recens baptizatis explicat S. Cyrillus, vt & S. Auguſtinus in ijs ſermonibus, quos noua P. Iacobi Sirmondi cura vitæ & luci reddidit. Non enim iſta ad ſublimes fidei noſtræ articulos referuntur, qui iam Competentibus expoſiti cenſentur: ſed ad luſtrales cæremonias, quas auguſtiùs religioſiúſque ſuſcipi ab ignorantibus iudicabant Antiſtites, quàm ab intelligentibus: ſiquidem non tantùm ex longinquo, ſed etiam ex obſcuro maior reuerentia eſt. Sic apertè qui citatur S. Auguſtinus. *Non autem mirari debetis, fratres cariſſimi, quòd vobis inter ipſa myſteria,*

*ſteria, de myſterijs nihil diximus: quòd non ſtatim ea quæ tradidimus, interpretati ſumus. Quod certè non negligentia, quæ in tam ſacris rebus atque diuinis ſacrilegium eſt, ſed religione fecimus; adhibuimus enim tam ſanctis rebus atque diuinis honorem ſilentij.*

August. in nouis ſer. in append. ſerm. 1.

Non eſt autem oſcitanter prætereundum, quod idem catechiſtarum princeps & magiſter admonet, audito ſtatim primo catechiſmo, *interrogandum Catechumenum, an hæc credat, atque obſeruare deſideret? Quod cum reſponderit, ſolemniter vtique ſignandus eſt, & Eccleſiæ more tractandus.* Hoc eſt, crux imprimenda, & danda Catechumenorum Sacramenta, per quæ aliquo modo in Eccleſiam admittitur & ſanctificatur. Sic enim alibi apertè: *Non vniuſmodi eſt ſanctificatio. Nam & Catechumenos ſecundùm quendam modum ſuum per ſignum crucis, & orationem manus impoſitionis puto ſanctificari.* Neque ſanctos veretur compellare: *Symbolum exponendum*, inquit, *ſuſcepimus ſanctitati veſtræ.* Et quod magis mirum videri debet, *Catechumenum Catholicum, in ipſa intus Eccleſia*, non ſolùm *hæretico baptizato*, ſed etiam *malo baptizato, vt fideliorem melioremque anteponere* non dubitat. Vt in S. Cyrillo noui nihil occurrere debeat, cum Catechumenos legimus *illuminatos & fideles* appellari, niſi quia nuncupationem vtranque magnificè extollit. Nam & non ſemel νυμφαγωγίας λαμπάδας deprædicat, quas in perfectioris Catechumenatus ingreſſu acceptas, toto catechiſmi tempore prælatas fuiſſe indicat non obſcurè, cum ait *qui fidei lampades nuper accendiſtis, nunc non extinctas eaſdem manu tenendo cuſtodite.* Et Fidelis nomenclationem magno æſtimat, collatam *ab ordine Catechumenorum ad fideles* tranſlatis, cum admonet illos diuino participare nomini quia ab Apoſtolo fidelis Deus, appellatur. *Deo fidelis nomine vocato, & tu eandem accipis appellationem. Cogita ergo in quantam proueheris dignitatem, cum diuinæ in poſterum eris particeps appellationis.* Longéque auguſtius hoc Apoſtoli dictum, cum Dauidico Pſalmo connectens alibi, *Fidelis Deus: Ego dixi dij eſtis: Fideles ipſos Catechumenos*, Deos eſſe gloriatur, *ad quos videlicet factus eſt ſermo Dei. Sed caue*, inquit, *ne ſit cognomen tantùm fidelis, infidelis autem voluntas.*

*In catechiſmo ſignati & ſanctificati Catechumeni.* Augu. l. de Catech. rudi c. 26. Idem l. 2. de peccat. merit. & remi. c. 26. Idem l. 2. de ſymb. ad Catec. c. 1. *Catechumenus Catholicus, melior malo baptizato.* Idem l. 5. de bapt. contra Donat. c. 21. Cyrill. præfat. ad Catech. *Catechumeni illuminati.* Idē Cat. 1. *Fideles & Dij* [illegible] Idē Cat. 5. Idem præf. ad Catech.

## *DE CATECHISTIS.*

### §. III.

His de Catecheſi explicatis, eam puto nos Catechiſtis debere gratiam, vt in tam miſericordi opere, Chriſtiana caritate occupatos, negligere non putemus. Non quòd præceptis onerandi ſint, cum quemque vnctio doceat, & nunquam ſatis laudandus ſummi Eccleſiæ doctoris liber de Catechizandis rudibus: ſed vt, quod inſtituto noſtro congruit, quinam olim Catechiſtarum officio functi fuerint, agnoſcamus. Hierarchas primùm ſancto illo nomine ſaluto, veros Chriſtianæ doctrinæ magiſtros, & antonomaſticè Hierophantas. Sic enim S. Dionyſius narrat, hominem fidei Chriſtianæ appetentem, *ad aliquem eorum qui initiati ſunt* adire debere, à quo ad Hierarcham deducatur. Qui ſtatim ſic Electo & Competenti, *exponat rationem perfectam qua ad Deum qui perfectus integerque ſit, accedendum eſt, explanataque eadem diuina vita, ex eo præterea quærat, num ita inſtituat viuere?* Apoſtolos certè nouam orbi vniuerſo doctrinam proponentes, Catechi-

*Primarij Catechiſtæ* [illegible] Dion. c. 2. Eccleſ. *Apoſtoli Catechiſtæ.*

Augu. l. de fide & ope. c. 1. & 10. 1. Cor. 14

catechiſtas agere ipſa neceſſitas adegit, vt non immeritò verticem Apoſtolorum S. Auguſtinus eo in officio laborantem nobis exhibeat, & doctorem gentium Paulum, cuius hæc vox eſt catecheſeos commendatrix, *in Eccleſia volo quinque verba meo ſenſu loqui, vt alios inſtruam:* κατηχήσω catechiſem. Quæ verò ſint illa, docet inferiùs, *Tradidi enim vobis in primis quod & accepi, quoniam Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris ſecundùm ſcripturas*, &c. Et quidem *non in ſublimitate ſermonis aut ſapientiæ, non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus & virtutis*, ne forma catechiſtica deeſſet materiæ. Et quamuis ſucceſſorum, hoc eſt, Epiſcoporum, non extent frequentes catecheſes, eas tamen ab illis traditas, nefas eſt dubitare. S. verò Gregorij Nazianzeni oratio quadrageſima quid eſt aliud, quàm adhortatio Catechumenorum ad ritè celeriterque ſuſcipiendum baptiſmum? S Gregorij Nyſſeni Catecheticus maior, quid aliud quàm Chriſtianæ ſcientiæ penus refertiſſima? In S. Auguſtino breues ſymboli & dominicæ orationis elucidationes, & longiores libri de ſymbolo ad Catechumenos adhuc leguntur. Eodem libens referam, par eius ingenio de Ciuitate Dei opus diuinum, quod omnibus fidei Chriſtianæ hoſtibus reuincendis, explicandis myſterijs, apud omnes veritatis aut obtrectatores, aut amantes impenditur. Ad quod reſpicere mihi videtur in oratione catechiſtica, libro de Catechizandis rudibus adiecta, *Neque tunc ſanè defuerunt iuſti, qui Dominum piè quærerent, & ſuperbiam diaboli vincerent, ciues illius ſanctæ ciuitatis, quos regis ſui Chriſti ventura humilitas per ſpiritum reuelata ſanauit.* Quæ ſi Catecheſeos ſpecies admittitur, Euſebij ſanè præparationem Euangelicam, & eiuſmodi opera, vt ab erudítiſſimis profecta Epiſcopis, in hunc numerum poterimus referre.

Ibid. c. 15. Ibid. c. 2.

*Opus de Ciuitate Dei cenſeri poteſt tanquā Catechiſmus.*

Augu. l. de Catech. rud. c. 19.

*Presbyteri Catechiſtæ.*

Auguſt. l. Retr. c. 17

Poſt hos, & ſub illis eo in exercitio claruerunt Presbyteri, quorum, quàm Epiſcoporum illuſtrior eſt memoria. Sic enim S. Auguſtinus adhuc Presbyter, imperio Epiſcoporum Hippone conciliantium, ſcripſit de fide & ſymbolo, librum Catechumenis profuturum. Sic illa nobilis Eccleſiæ Alexandrinæ ſchola, quàm celebres vidit Presbyteros, iam inde à S. Marco Euangeliſta Eccleſiaſticos doctores, & κατηχήσεων magiſtros? Quorum primum Pantænum nominat S. Hieronymus: cui ſucceſſit Clemens Stromateus, huic Origenes nondum Presbyter, iſti Heraclas, Heraclæ Dionyſius, Origenis inſignes auditores, & Epiſcopi deinde Alexandrini. Peperit ea nobis cura Clementis omni rerum ſententiarumque varietate picta Stromata, quibus Catechumenos inſtruit, vt fideles Pædagogo. Neque poſtremis his temporibus, licet alia occaſione, celebratum opus illud diuinæ caritatis intermittitur, cum orbis Chriſtiani omniumque Hierarcharum conſenſu, in Concilio Tridentino illius vſus commendetur: eodemque imperio & auctoritate ſcriptus emanarit catechiſmus ad Parochos. Quin & laudatiſſimas Sacerdotum ſodalitates in vnum coactas videt hoc ſeculo Gallia, quibus à tradenda Chriſtiana doctrina nomen eſt & officium. Glorioſum autem, & antiquæ ſanctitati ſimile fuit, annis ſuperioribus in Pariſienſibus exhedris Sorbonicis audire Doctores, de altiſſimis fidei myſterijs, Chriſtiana demiſſione ad tenues & imperitos diſſerentes. Quo ſic exercitio ſe iactabat olim facultatis Chriſtianiſſimæ Cancellarius, vt ſuperborum fannas cultare non potuerit: quibus eius ſtudia in alto ſita eſſe debere cauſſantibus, reſpondet appoſitè. *Neſcio prorſus ſi quicquam maius eſſe poteſt, quàm animas ab ipſis inferni portis eripere, & tales paruulorum*

*Alexandrina ſchola* κατηχήσεων.

Hier. l. de ſcript. Ecc.

*Commendatus à Concilio Tridens. Catechiſmi vſus.* ſeſſ. 24. c. 7 & 25. c. vlt.

*Sodalitas Doctrinæ Chriſtianæ.*

*Sorbonici Doctores catechiſmum celebrant. Gerſon eo gloriatur* l. de pueris ad Chriſtū trahendis.

*paruulorum animas, quaſi plantare aut rigare, partem non indignam horti Eccleſiaſtici. Sed aſſerunt me in prædicationibus publicis iſta magnificentiùs operaturum. Id quidem forte pompoſiùs, ſed meo iudicio non efficaciùs, neque fructuoſiùs: Nam quo ſemel eſt imbuta recens, ſeruabit odorem teſta diu. Venite ergo ad me paruuli, ego vobis doctrinam, vos mihi orationem impendetis: ſic Angelos noſtros viciſſim lætificabimus.* Noſtræ quoque Socieratis inſtituto, quàm alrè catechiſticæ eruditionis amor & cura inſideat, vel illud docet, quod à Profeſſis & Coadiuroribus ſpiritalibus, priuatum ea de re votum concipitur, & formulâ profeſſionis exprimitur, *vt ſancta hac exercitatio, peculiari modo ſit commendata, & deuotiùs curetur; propter ſingulare obſequium, quod Deo per eam in animarum auxilio exhibetur: & quia faciliùs obliuioni tradi poterat, & in deſuetudinem abire, quàm alia magis ſpecioſa, cuiuſmodi eſt prædicatio.* Quam in rem iubetut Rector ipſe Collegij *legere, aut docere Chriſtianam doctrinam quadraginta dies.* Hac inſtitutione & templorum noſtrorum parietes, & ſcholarum exhedræ, & quibuſdam in locis plareæ & compita circumſonant: ad eam fotmanrur primis rudimentis tirones, quibus inrer ſex probariones, quinra hæc imperatur, *doctrinam Chriſtianam, vel aliquam eius partem, pueros & alios rudiores publicè, vel priuatim, & proüt occaſio ſe obtulerit, & in Domino commodius viſum fuerit, & iuxta perſonarum proportionem, docere.*

*Societatis IESV cura in tradendo catechiſmo.* Conſt. P. 5. c. 3. § 3. in annot. Ibid. P. 4. c. 10. § 10. Exam. c. 4. § 14.

Idem à Diaconis factirarú demonſtrat & Philippus, primorum ſeptem non exrremus, qui rotam Samariam Chriſto addixit, & Candacis Eunuchum catechiſmo primùm, deinde baptiſmo imbuit. Sic enim S. Auguſtinus explicat, quod in Actibus Apoſtolicis ſcriptum eſt, *Euangelizaſſe Philippum* Spadoni Dominum, nulloque modo dubitandum aſſerit illa *in Catechiſmo dicta eſſe, quæ ad vitam moreſque pertinent eius qui credit in Dominum Ieſum.* Diaconus quoque Carthaginenſis ille eſt Deogratias, quem libro de Carechizandis rudibus inſtituir, ſolaturque, idem omnium Doctor Auguſtinus. S. Cyrillum adhuc Diaconum erudiendis Catechumenis præfectum iam olim diximus. In ordine tamen Romano Preſbyrer doctoris & magiſtri partes agir; Diaconus ſolum miniſterium exhibet, vocandis Catechumenis, aut emirtendis, imperandis genicularionibus, ſilenrio faciendo, Euangelijs recitandis, quæ deinde tractantur & explicanrur à Preſbytero.

*Diaconi Catechiſtæ.* Augu. l. de fide & morib. c. 9.

Poſtremò illud ipſum opus ad Laïcos deuolutum eſſe legimus in Conſtitutionibus Apoſtolicis. *Qui docet Catechumenos, etſi Laïcus ſit, modò peritus ſit in verbo, & honeſtis moribus, doceat. Erunt enim, inquit, omnes docibiles Dei.* Ex quo fortaſſe ſtaturo, piam ſumpſit audaciam Origenes octo & decem annorum puer, Eccleſiaſticæ apud Alexandriam ſcholæ, diſſipata ryrannorum perſecutionibus Eccleſia occupandæ, cóſulrius fore arbitrarus carecheſes vel ſic rudibus, quàm eos ipſos ſæuientium Erhnicorum tormenris, nudos & inermes exponi. Nec malè ceſſir felix temeriras: ſi quidem *poſtea à Demetrio eiuſdem vrbis Epiſcopo in locum Clementis Presbyteri confirmatus, per multos annos floruit.* Quem tamen ad conciones habendas euocarum deinceps, cum idem Demetrius indignarerur, factum Epiſcopi Palæſtini, aliorum exemplo confirmarunt, ſcripta pro eo ad Demetrium Apologia. *Nam vbi,* inquiunr, *idonei & habiles reperiuntur Laïci, qui fratribus in verbo Dei adiumento ſint, à ſanctis Epiſcopis rogantur, vt populum in verbo inſtituant. Sicut Larandis Euelpis, à Neone Iconij Paulinus, à Celſo, & apud Synados Theodorus ab Attica, qui omnes beati & pij fratres erant. At veriſimile eſt, quãuis nobis obſcurũ & minimè cognitũ ſit, illud item in alijs locis fieri.* Quæ ſi de có-

*Laïci Catechiſtæ.* Conſt. Apoſt. l. 8. c. 32. *Origenes catechiſta anno ætatis 18.* Hier. l. de Eccl. ſcrip. c. 64. Euſeb. l. 6. hiſt. Eccl. c. 13.

cionibus ad fideles dicũtur, quantò æquiùs de catecheſibus ad Catechumenos?

*Mulieres ad catechiſmũ an adhibē-da.* 1. Cor. 14. 1. Tim. 2.

Vlteriùs progredi, & à Laïcis ad mulieres deſcendere vetat interdictum Apoſtolicum, *Mulieres in Eccleſijs taceant. Turpe eſt mulieri loqui in Eccleſia. Mulier in ſilentio diſcat, cum omni ſubiectione: docere autem mulieri non permitto.* Quod adeo religioſè obſeruauit Eccleſia, vt ne Diaconiſſis quidem fas fuerit ſexum ſuum edocere publicè: & in Cyrillo vidimus viros viris, mulieres mulieribus adiungi in catechiſmo & exorciſmis, ſub vno catechiſta. Eſt tamen animaduerſione non indignum, id quod fieri videmus non vno loco, vt Sanctimoniales quæpiam ad catecheſes mulieribus rudioribus tradendas adhibeantur, expreſsè non prohiberi Concilio Carthaginenſi 4. in quo ſancitur, *vt mulier quamuis docta & ſancta, viros in conuentu docere non præſumat.* Mulieres enim ab ea doctrinæ ſusceptione non remouet conceptis verbis Concilium; maximè cum ſacris illis Virginibus inſtituendarum puellarum feceris Eccleſia poteſtatem.

Concil. Carthag. 4. can. 99.

## *DE MISSA ET SACRAMENTIS Catechumenorum.*

## §. IIII.

*Miſſa Catechumenorũ impropriè dicitur.*

MISSIONEM Catechumenis dabimus, vbi eorum Miſſam explicuerimus, quæ cum in omnium ore ſit, haud ſcio an etiam animo comprehẽdatur. Miſſam omnes Eccleſiaſticorum officiorum tractatores inde dictam volunt, quod ea cum inciperet, Catechumenorum miſſio, ſeu dimiſſio fieret. Quapropter impropriè Miſſa Catechumenorum appellatur ea pars, quæ Miſſam fidelium antecedit: imo ipſa fidelium Miſſa, non magis propriè dicitur, quæ non niſi fidelibus ſtantibus peragitur. Sed nimirum ſic vſus obtinuit, & nos cum multis loquentes, Miſſam Catechumenorum dicimus Epiſtola conſtare & Euangelio, re præterea nulla. Nam *officium Miſſæ* (hoc eſt Introitum) *addidit Cæleſtinus Papa, vt in geſtis Pontificalibus continetur; & conſtituit vt Pſalmi 150. ante ſacrificium pſallerentur antiphonatim ex omnibus; quod antea non fiebat, niſi tantùm Epiſtola Pauli recitabatur, & ſanctum Euangelium, & ſic Miſſa celebrabatur. Quod nos ita intelligimus,* (inquiunt Alcuinus, & Amalarius Fortunatus, iiſdem vterque verbis) *quia ex omnibus pſalmis excerperet antiphonas, quæ pſallerentur in officio Miſſæ. Nam antea inchoabatur Miſſa à lectione; qui mos adhuc retinetur in Vigilia Paſchæ & Pentecoſtes.* Ante Cœleſtinum igitur ſola fuit lectio cum Euangelio: hæc præſentibus Catechumenis cantata; & quidem à Diacono; vt paret in Monacho apud Caſſianum, *κενοδοξίας* tentato, qui *celebrabat velut Diaconus Catechumenis Miſſam.* Conqueritur idem Amalarius morem prauum ſeculo ſuo inoleuiſſe, vt Catechumeni ante Euangelium repellerentur: quod ea ratione ipſe improbat, quòd *procul dubio prædicatoribus gentium præceptum ſit, vt Euangelium eis prædicent.* Qui mos in Gallia vigebat ab antiquo, cum Arauſicanum Canonem legamus, *Euangelia deinceps placuit Catechumenis legi, apud omnes prouinciarum noſtrarum Eccleſias.* Hac recitatione finita, miſſi ab ima Eccleſiæ naui Catechumeni, ſolenni voce Diaconi, vt eſt in Cõſtitutionibus Apoſtolicis, *Ne quis Catechumenus; ne quis ex Audientibus, ne quis ex infidelibus, ne quis ex hæreticis: qui primam precationem feciſtis, exite.* Quod & ab Hypo-

*Quid ea ſit.* Alcuin. l. de Diuin. offi. in offi. Miſſæ. Amal. For. l. 1. de Ecc. offi. c. 5. Caſſi. l. 11. Inſt. c. 15. *Olim ante Euangelium emiſſi Catechumeni.* Amal. For. l. 3. de offi. Eccl. c. 36. Concil. Arauſic. 1. can. 18. Conſt. Ap. l. 8. c. 12.

Hypodiaconis factum lego in Concilio Laodiceno, vbi vetantur *fores relinquere*, quia inquit, Zonaras, antiquitus ad fores Eccleſiæ conſiſtere, & Catechumenos atque Pœnitentes, cum opus foret, emittere ſolebant, *Propterea nunc quoque illud. Quicunque eſtis Catechumeni, procedite, iſti pronunciant.* Quod expreſsè de Hypodiaconis Zonaras, hoc promiſcuè de Diaconis etiam Pachymeres; & quas ille fores Eccleſiarum, hic Adyti valuas explicat, epiſtolam Dionyſiacam ad Demophilum Monachum paraphraſi enarrans: quo loco negantur Monachi ad fores Adyti conſiſtere vt eas obſeruent; *id enim*, inquit, *muneris reſpicit qui foribus adſtant, ſed introrſum, nempe Diaconos, aut Hypodiaconos.*

Concil. Laod. c. 20. Zonar. in cum locũ. Pachy. ad epiſt 8 S. Dionyſ.

Ab eo tempore neſas Catechumenis ſpectare myſteria, *quia Sacramentis altaris intereſſe non poſſunt, qui nondum regenerati noſcuntur*, inquit Amalarius, & poſt eum Rabanus Maurus. Vnde putant Miſſam incipere ab eo loco *quo incipit Sacerdos ſacrificium offerre Deo, id eſt, ab offerenda, vſque ad, Ite, Miſſa eſt.* Plus aliquid ait Micrologus, *iuxta antiquos Patres, ſolos communicantes diuinis myſterijs intereſſe conſueuiſſe*, quare eiectos ante oblationem: Catechumenos & Pœnitentes, *vt qui nondum ſe parauerunt ad communicandum.* Meliùs diceret à communione fuiſſe extorres. Longè minùs vltimæ benedictionis cum fidelibus fuerunt participes; quem nouitium fuiſſe ſeculo ſuo morem, narrat idem Micrologus, *vt Presbyteri poſt finem Miſſæ benedicant, ne populum ita benedictione, vt Communione, priuatum diſcedere permittant:* quia publica & ſolennis benedictio Hierarchis reſeruata eſt. Quod beneficium tam fuit fidelibus proprium, vt Arauſicano eodem Concilio, de Catechumenis conſtitutum ſit, *à fidelium benedictione etiam inter domeſticas orationes, in quantum caueri poteſt, ſegregandos, informandoſque eſſe vt ſe reuocent, & ſignandos, vel benedicendos ſemotim offerant.*

*Catechumenis neſas ſpectare myſteria.* Amal. Fortit. l. 1. c. 36. Rab. Mau. l. 1. de Inſt. Cleri. c. 30. Microl. l. de Eccleſ. offi. c. 51. *Catechumenis ſolennis benedictionis non fuerunt participes.* Concil. Arauſic. 1. can. 20.

A Miſſa ad Sacramenta, in quibus operoſior eſt difficultas, tranſeo. Ampliſſima ea vox, & in Catechumenorum propoſito πολύσημος. Sacramentorum rationem appellat Iſidorus vniuersè *ordinem ad fidem venientium*, quorum tres gradus facit, Catechumenos, Competentes, Baptizatos, ſiue Neophytos. In Ordine Romano ante traditionem ſymboli, ſic animantur Catechumeni, *Accedite ſuſcipientes Euangelici ſymboli Sacramentum, à Domino inſpiratum, ab Apoſtolis inſtitutum.* Quod ante à D. Auguſtino ſcriptum. *Accepit ſymboli remedium contra antiqui ſerpentis venenum; vt ſi quando voluerit aduerſarius diabolus denuo inſidiari, nouerit redemptus cum ſymboli Sacramento, & crucis vexillo ei debere occurrere.* Salem, & ſimilia quæ Catechumenis in os inſeruntur, Sacramenta dici, notius eſt, quàm vt probetur. Quæ omnia illa eſſe puto, quæ eidem S. Auguſtino *prima Sacramenta vocantur*, & Catechumeni *Sacramentorum ſocietate deuincti.* Pro pueris etiam infantibus oblatum lac & mel, idque eorum eſſe Sacramentum, docet Canon Concilij Carthaginenſis apud Balſamonem: qui & iubet ea propria & peculiari benedictione ſanctificari, *vt à dominici corporis Sacramento ſeiungantur.*

*Sacramentum plura ſignificat.* Iſid. l. 2. de Eccl. offic. c. 20. Augu. l. 2. de ſymb. ad Catec. c. 8. *Sal Catechumenorum Sacramentum.* Augu. l. de Catech. rudib. c. 13. *Lac & mel ſacramentũ puerorum.* Concil. Carth. can. 40. apud Balſam. *De Eulogijs.*

Vna ſupereſt de Eulogijs difficultas, quæ cum Sacramenta & ipſæ appellentur, quæritur inter eruditos, ijs ne participarint olim cum fidelibus Catechumeni? Affirmare ſuadet S. Auguſtinus, vbi de Catechumenis, *quod accipiunt, quamuis non ſit corpus Chriſti, ſanctum eſt tamen, & ſanctius, quàm cibi quibus alimur, quoniam Sacramentum eſt.* Hic inſulſum fuerit ſalem intelligere, quo certè non alimur, ſed ea quibus alimur condimus: non lac & mel, quod infantium myſterium eſt: non communes cibos, qui ad alta-

*Argumenta quibus ſuadetur Catechumenos Eulogijs fideliũ participaſſe.* Auguſt. de pec. merit. & remiſſ. l. 2. c. 26.

cedere, quantò minùs in præcedente pœnitentia, cum remiſſionem præteritorum criminum, per cœleſte lauacrum magna cura & ſolicitudine ſtudent

Cyrill. præfat. ad Catechef.

emereri? Cyrillus ab cæteris negotijs auocatos, vult vni illi vacare totos, vt quàm perfectiſſimè inſtructi, ad fontem ſacrum perueniant. *Ceſſato iam hodierna die ab omni turpi negotio; non proferat lingua tua obſcœna verba; non peccet amplius oculus tuus, neque commoditatibus inhiet & inſiſtat. Feſtinent pedes tui ad Catecheſes audiendas; exorciſmos ſtudiosè ſuſcipe.* Quæ omnia coniecturam meam firmiorem efficiunt, fuiſſe ſolitos diebus illis Catechumenos in Catechumenijs Eccleſiæ habitare; quò eorum & inſtitutio commodior, & vita ſecurior, &

*Peccatorum eo tempore facta confeſſio.*

mens ardentior redderetur. Addi debuit & peccatorum confeſſio; non illa Sacramentalis, qua ſoli gaudent fideles; ſed qualem à Publicanis exigebat Ioannes Baptiſta: quod iam olim adnotatum Tertulliano, *Ingreſſuros baptiſmum* (Competentes intellige) *orationibus crebris, ieiunijs & geniculationibus, & peruigilijs orare oportet, & cum confeſſione omnium retro delictorum, vt exponant etiam baptiſmum Ioannis.* Quod ipſum deinde admonuit S. Gregorius Nazianzenus, in

Greg. Naz. orat. 40.

luculenta de Baptiſmo ad Catechumenos oratione. *Ne peccatum tuum confiteri graue ducas, ſciens quo pacto Ioannes baptizauerit: vt per huius vitæ pudorem, futuri ſeculi pudorem, ignominiamque fugias.* S. autem Cyrillus appoſitè ad ſuos,

Cyrill. Catech. 3.

*Cognoſcite, cognoſcite vos Ieroſolymitæ, quemadmodum illi qui exibant, baptizabantur ab illo confitentes peccata ſua; primùm oſtendebant vulnera, deinde ille medicamenta apponebat, & credentes liberabat ab igne æterno.* Hæc vniuersè de Competentium exercitijs, in quibus educendis tota parturientis Eccleſiæ vis fuit & ſolicitudo: vnde non ægrè agnoſcas, hunc gradum illi Pœnitentium gradui reſpondiſſe, qui ſubſtratio dicebatur. Nunc priuatim de præcipuis partibus, aliquid inueſtigandum eſt.

## *DE CATECHUMENORUM EXORCISMIS & ſcrutinijs.*

## §. I.

*Tres actus Hierarchici circa Catechumenos.*

TRIA expendo Hierarchicis actibus ſuo modulo reſpondentia, Exorciſmum purgationi, Catechiſmum illuminationi, Sacramenta perfectioni. De primis duobus magnificè ſcribit S. Auguſtinus,

Augu. l. de fide & operib. c. 6.

*Vt vel noſmetipſos non recordemur, quàm fuerimus attenti atque ſoliciti, quid nobis præciperent à quibus catechizabamur, cum fontis illius Sacramenta peteremus, atque ab hoc Competentes etiam vocaremur: vel non intueamur alios, qui per annos ſingulos ad lauacrum regenerationis accurrunt, quales ſint ipſis diebus quibus catechizantur, exorcizantur, ſcrutantur; quanta vigilantia conueniant, quo ſtudio ferueant, qua cura pendeant?* Sunt enim, vt loquitur Cyrillus, *adhuc in bilance aut conſequendi, aut non conſequendi baptiſmi.*

Cyrill. præfat. ad Catech.

*Exorciſmus non differt à ſcrutinio.*

Ac licet Catechiſmum priore loco recenſeat latinus Antiſtes; ab exorciſmo tamen ſumptum eſt initium; & quamuis exorciſmum à ſcrutinio differre indicet, vnum tamen atque idem opus duobus expreſſum nominibus eſſe exiſtimo. Nam ſuperiùs *exorciſmis ſcrutandos* dicebat S. Leo *Electos*, id eſt Competentes: & hic ipſe S. Auguſtinus *examen celebrari*, dicit alibi, cum de exorciſmo loquitur: & Ordo Romanus antea productus, *ſcrutinij diem* iubet denunciari Electis, *quo Diabolus cum ſua pompa deſtruitur, & ianua regni cœleſtis aperitur.* Quæ

S. Leo ſupra cit.

Augu. l. 2. de ſymb. ad Cat. c. 1.

Ord. Rom. in 3. hebd. quadrag.

ſit

ſit autem eius vocis ratio, docere mihi viſus eſt S. Cyrillus cum ſcripſit, *Tum ſi dignus eris, licebit tibi audire, Euge ſerue bone & fidelis: nempe cum nihil impuri, nihil ſimulati in tua conſcientia repertum fuerit. Caue ſimulatam mentem habere, ô homo, propter illum qui ſcrutatur corda & renes.* Idem eſt S. Gregorij Theologi ſenſus, cum exorciſmum lapidem vocat lydium, *ad quem exploratur, quàm ſyncero quiſque pectore ad Baptiſmum accedat.* Scrutatur igitur Eccleſia per exorciſmos, & quidem iteratos, vt exploret in mente baptizandi ſi qua impuritas, ſi qua lateat hypocriſis: quæ cum dæmonis artibus in nobis hæreant, ſacris ille exorciſmis abigitur, ne Competentis animum viſis, & ſolitis præſtigijs à propoſito auertat, ſuaque immunditia & ſimulatione contaminet; vt is extraneo ſpiritu liber, iam ſuo, iam ſciens & prudens, deliberatam exponat de ſuſcipiendo baptiſmate voluntatem; ad Apoſtoli mentem, *probate ſpiritus ſi ex Deo ſunt.* Qua rite expoſita, idoneus eſt percipiendæ cœleſtis doctrinæ, & diligenti Catechiſmo perpolitur: monente Conſtantinopolitano Canone ſuperiùs adducto, illos exorcizari primùm, deinde longo tempore catechizari.

*Vnde dicta ſcrutinium.*
Cyrill. Catech. 1.
Greg. Naz. ora. 40.

Vult igitur Ordo Romanus inchoari ſcrutinia hebdomada tertia quadrageſimali, atque inde ad Sabbatum ſanctum, ſeptem numero confici: (quorum maximum tertium eſſe notat in apertione aurium) vt per ea ſeptiformem Spiritus Sancti gratiam conſequantur. Hoc autem ritu ab antiquioribus video celebratos exorciſmos. Nocte; nudis pedibus, demiſſa ceruice, velata facie, in conſpectum omnium producti, & cilicio impoſiti fuerunt. Quod eleganter deſcribit S. Auguſtinus, *Quid eſt quod hac nocte circa vos actum eſt, quod præteritis noctibus actum non eſt? vt ex locis ſecretis ſinguli produceremini in conſpectu totius Eccleſiæ, ibique ceruice humiliata, quæ malè fuerat antea exaltata, in humilitate pedum* (nuditatem interpretor) *cilicio ſubſtrato, in vobis celebraretur examen, atque ex vobis extirparetur Diabolus ſuperbus, dum ſuper vos inuocatus eſt humilis altiſſimus Chriſtus?* Credo equidem non ſine aliqua veriſimilitudine, geſtatas ab eis faces, idque & in eodem S. Auguſtino, & in S. Cyrillo catechiſta videor deprehendere. Hic enim prior admonet, *Per ignem tranſi ad aquam, vt tranſeas & aquam. Propterea & in Sacramentis, & in catechizando, & in exorcizando adhibetur priùs ignis. Nam vnde plerumque immundi ſpiritus clamant, ardeo, ſi ignis ille non eſt? Poſt ignem autem exorciſmi, venitur ad baptiſmum, vt ab igne ad aquam, ab aqua ad refrigerium.* Poſterior autem ſponſales lampades non ſemel ei datas aſſerit, quem poſtea *exorciſmos ſtudioſè ſuſcipere* hortatur: & exorciſtas ait *in corpore tanquam in fornace animam accendere.* Et alio loco *ſimplex*, inquit, *exorcizantis afflatus, efficitur ignitus his qui non videntur.* Alibi demum *inſufflationes ſanctorum, & nominis Dei inuocatio, tanquam vehementiſſima quædam flamma vrit dæmones:* quæ licet metaphoricè dicantur, ea tamen metaphora, vt in myſterijs fieri amat, natiuo lumine potuit repræſentari. Velatum porro exorcizati vultum fuiſſe, diſcimus ex eodem Cyrillo, *Velatus eſt vultus tuus, vt mens tua vacet, neue oculus vagus efficiat vt & mens vagetur; clauſis verò oculis, aures minimè impediuntur ſalutaria ſuſcipere.* Longum autem fuiſſe carmen exorciſmorum, vel illud declarat in primis, quod Prælatorum & Catechiſtarum adhortationibus indigerent ad concipiendam eo tempore patientiam. Et ſignanter dictum à Nazianzeno. *Ne exorciſmi medicinam reſpuas, nec ab illius longitudinem animo concidas.* Nonnullas eius ritus orationes nobis adhuc ſuggerit Ordo Romanus; quas omnes iuſſit nos antea Micrologus notare, concludi verbis

*Nonnulli exorciſmorum ritus.*
*Septem exorciſmi.*
Augu. l. 2. de ſymb. ad Catec. c. 1.
*Faces manibus geſtabant.*
Augu. in Pſal. 65.
Cyrill. Præfat. ad Catech.
Idem Catech. 16.
Idem Catech. 2. Myſtagog.
*Velatus vultus exorcizati.*
Cyrill. Præfat. ad Catech.
*Longi exorciſmi.*
Greg Naz. ora. 40.

Microl. l. de Eccleſ. obſer. c. 7.

ſolennibus, *Per eum qui venturus eſt*, &c. cum Eccleſiaſticæ cæteræ terminentur vſitata clauſula, *Per Dominum noſtrum*, quia in his *Patrem vt nobis per amorem filij ſui ſubueniat, imploramus*; *in exorciſmo autem diabolum per Dei iudicium, vt aufugiat increpamus.*

*Modeſtia in exorciſmo ſeruanda.* Cyrill. præfat. ad Catech.

Denique vt hac in cæremonia pietatis diſciplina ſeruetur, monet ſuos Catechumenos S. Cyrillus, vt quanta poſſunt religione, modeſtiaque his interſint exorciſmis. *Ne imiteris illos qui nulli vacant meditationi, ac reuerentiam adhibe cum fit exorciſmus, quoü ſque alij exorcizati aderunt, viri cum viris, & mulieres cum mulieribus. Tum aſsidentes viri librum aliquem vtilem habeant, & alius quidem legat, alius autem audiat; ſin autem deſit liber, alter oret, alter boni aliquid dicat. Conuentus porro virginalis ſic congregetur, vt vel pſallat, vel oret, vel legat, ita vt labia quidem loquantur, vox autem ad alienas aures non perueniat.*

## *DE CATECHUMENORUM INSTITUtione & Catechiſmo.*

### §. II.

*Quid ſit Catechiſmus.* Guil. Pariſ. tr. de ſacra. c. 3. de Bap.

HABET Catechumenus à catechiſmo vt operum præcipuo, & grandis laboris ſumma, appellationem: in quo proinde diligentiùs inueſtigando inutilem operam non ponemus. Catechiſmum aptè definit Guillelmus Pariſienſis *inſtructionem & præparationem ad baptiſmum*, Qui quoniam noſtris temporibus rarò admodum apud adultos Catechumenos auditur; generaliùs modò, & ad Græcæ vocis etymon accommodatiùs definiri poteſt, Chriſtianæ fidei rudimentorum pura & ſimplex explicatio, rudibus accommodata.

*Differt 1. à Concione in modo tractandi apud rudes & ſimplices.*

Hac enim ſimplicitate differt à ſacris concionibus, quibuſcum ſatis in ſubiecta materia conuenit, ſed tractandi modo non item; oratore ſacro ſapientiam loquente inter perfectos, catechiſta cum pueris & ſimplicibus ſermocinante; vt ijs lac potum det, non eſcam. His dico ſimplicibus, qui iam Eccleſiæ cura, precibuſque nonnihil ſanctificationis acceperunt, & ad ſuſcipiendam Chriſtiani nominis perfectionem proximè comparantur.

*Catecheſes non communicandæ cum Audientibus.* Cyrill. præfat. ad Catech.

Quamobrem diligenter cauendum monet S. Cyrillus, ne catecheſes ad Catechumenos, id eſt Audientes transferantur. Quandoquidem *Catechumenus ſi audiat myſteria à fideli, phreneſim patitur: neſcit enim quid audierit; & tamen arguit rem ignotam, dictaque irridet. Iam ergo tu in finibus noſtris conſtitutus, caue ne quid effutias: non quòd digna non ſint narratione ea quæ ibi dicuntur, ſed quòd eſt indignus ille audire cui referres. Fueras aliquando & tu Catechumenus, neque tamen propoſita myſteria tibi enarrabantur.*

Concil. Carth. 4. can. 84. *Ab ijſdem excluſi gentiles & Iudæi.* Cyrill. Catech. 6.

Quid eſt igitur quod olim ex Carthaginenſi Canone producebamus, nemini aditu Eccleſiæ ad audiendum Dei verbum interdici, non hæretico, non Gentili, aut Iudæo? iſtis-ne licet externis, ſæpe & hoſtibus, conciones audire, catecheſes non licet? Planè, vel Cyrillo ipſo docente. *Hæc myſteria Sacramentaque nunc patefacit Eccleſia ei qui ex Catechumenis excedit* (qui Audientium conditione relicta, ad Competentium & Electorum transfertur ordinem) *nec moris eſt Gentilibus exponere. Neque palam apud Catechumenos de myſterijs verba facimus, ſed multa ſæpe loquimur occultè, vt fideles qui rem tenent, intelligant, & qui non tenent, non lædantur.*

*Differt 2.*

Aliud inter iſta diſcrimen eſt, in connexione catecheſeon, & continuata ſerie,

ſerie, tanquam catena, cum ſacræ conciones ſua ſingulæ argumenta inuicem non pendentia complectautur. Sic expreſsè Cyrillus, *Non exiſtimes inſtitutiones iſtas ſimiles eſſe homilijs, quamuis & illa bona ſint, & fide dignæ: verùm ſi quid in illis hodie neglexerimus, cras diſcere poterimus. Hæc verò quæ de lauacro regenerationis per ordinem tradimus documenta, ſi hodie neglexeris, quando tandem corrigentur.* Pergit Chriſtianas haſce inſtitutiones cum ædificio conferre, in quo lapis lapidi apta commiſſura ſuperimponitur. *Ita ſi vel vnum ex his non perceperis, etiamſi primorum aut ſecundorum memineris, ædificator quidem benè ædificat, tu verò fluxum & debile habebis ædificium.* Quod exẽplo ipſe ſuo docuit magnus catechiſta, cuius doctrinam pluribus catecheſibus ordine collocatis plenam & integram adhuc verſamus manibus, & oſculamur. Cui diſpoſitioni ne incommodaret ipſe, & aliena in locum non ſuum intruderet, aliquando dicebat, *De his alias; non enim eſt ea audiendi tempus.* Eadem animaduerſio ad S. Gregorij Nyſſeni librum referri debet, qui Catecheticus maior inſcribitur, quò quibuſdam quaſi paſſibus progreſſus in doctrina, omnia Chriſtianæ fidei euoluit & explicat myſteria, Gentilium, Iudæorum, hæreticorumque erroribus repugnantia.

[*In ſerie continuata doctrina.* — Cyrill. præfat. ad Catech. — Idem Catech. 3. — Greg. Nyſ. in Catech. maiori.]

Differt tertio catecheſis à concione, quod cum neutra ſcripto tradatur, ſed apud auditores vtraque pronuncietur; pars tamen aliqua doctrinæ catechiſticæ & memoriæ commendetur, & exigenti catechiſtæ reddatur. Quare pars ea certa quadam verborum tanquam formula colligatur, vt facilius eam rudis, ſed ardens animus excipiat; dum in concione *de rebus ipſis ita diſſeritur, vt tamen non fiat verborum illa contextio, quæ tenenda memoriter Competentibus traditur,* inquit S. Auguſtinus. Duo autem maximè ſic reddenda traduntur, ſymbolum, & oratio dominica. *Symbolum nemo ſcribit vt legi poßit, ſed ad recenſendum, ne forte deleat obliuio quod tradidit diligentia, ſit vobis codex veſtra memoria.* Et alibi, *audiendo ſymbolum, non in tabulis, vel in vlla materia, ſed in cordibus ſcribitote.* Idcoque admonet, *ſymbolum eſſe exiguum, vt memoriam non obruat, ſed diffuſum, vt intelligentiam ſuperexcedat.* Et Iſidorus in eo ait *pauca eſſe verba, ſed omnia contineri ſacramenta.* Qui & eo loco plures addit rationes, cur illud verbo non ſcripto exciperetur. Idem de oratione dominica dicendum videtur, quæ octauo poſt ſymbolum traditum die dabatur ipſa, & ſtata deinde die reddebatur. *Reddidiſtis,* inquit, *quod creditis; audiſtis quod oretis, oratio autem quam hodie accepiſtis tenendam, & ad octo dies reddendam.* In Gallijs Agathenſi Concilio definitum eſt, ſymbolum *ab omnibus Eccleſijs vna die, id eſt, ante octo dies dominicæ reſurrectionis publicè in Eccleſia Competentibus dari.* Vnde fortaſſe dies ille Palmarum, Paſcha Competentium appellatur, vt eſt in Ordine Romano; qui tamen in hoc poſtea mutauit, & feria quarta hebdomadæ tertiæ quadrageſimalis percipi admonet à Catechumenis, *orationem dominicam, & ſymbolum, ad reddendum in Sabbato ſancto Paſchæ.* Alcuinus hac in parte ſcrutinium collocat, & ab exorciſmo diuerſum facit. Vbi enim dixit, tradi Catechumeno *ſymboli Apoſtolici fidem*, poſt exorciſmum ſubiungit *fieri ſcrutinia, vt exploretur ſæpius, an poſt renunciationem Satanæ, ſacra verba data fidei radicitus corde defixerint.* Verùm ſi reddi tantùm debet Sabbato ſancto ſymbolum, quo ſeptimum & vltimum ſcrutinium celebratur, quomodo cenſeri poteſt præcedentibus ſcrutinijs exigi? Sed eſt obſcurius aliquid in Auguſtino quod quæram.

[*Differt 3. in eo quòd recolitur apud catechiſtam.* — Auguſt. l. 1. retract. c. 17. — *Quænam ita recolantur.* — Augu. l. 1. de ſymb. ad Catec. c. 1. — Idem ſerm. 15 de temp. — *Symbolum non traditum ſcripto.* — Iſid. l. 2. de Eccl. offic. c. 22. — Aug. ſerm. 135. de temp. c. 1. — Concil. Agat. c. 13. — *Paſcha Competentium.* — Ordo Roman. loco cit. — Alcui. l. de diuin. offic. io Sabb. S. Paſch. — *Refellitur.*]

Cum verba tum Symboli, tum orationis dominicæ ſacroſancta ſint, ab ipſo Chriſto, aut eius Eccleſia concepta, vt de quibuſdam Symboli vocibus

[*Explicatur S. Auguſt.* — ſerm. 171. de temp.]

ingens olim fuerit digladiatio, quomodo Catechumenis dicit S. Auguſtinus *Nec vt eadem verba teneatis vllo modo ſcribere debetis, ſed audiendo perdiſcere, & memoria ſemper tenere, atque recolere*; quaſi verba ipſa mutari, aut omitti ſine religione poſſint? Reſpondeo aliam eſſe magni doctoris mentem; vt videlicet ſcripto ſymbolum excipere opus non ſit, quoniam ſua breuitate in memoriam facile illabitur: neque dubium quin per hebdomadam fideles aliqui, puta Clerici, diligenti Catechumeno eſſent à memoria, & ſymbolum recolentem, velut quidam proſcholi adiuuarent. Dici etiam poteſt non inconcinnè, myſticis ſymboli verbis, breuem eorum elucidationem addi ſolitam à Catechiſta, vt in ipſo S. Auguſtino, & Ordine Romano videre eſt, cuius quidem explicationis eadem verba teneri neceſſe non fuerit, modò ne ſenſus animum effugeret: atque hanc ipſam enarrationem arbitror ex ore dicentis catechiſtæ ab antiquarijs exceptam, quod de S. Cyrilli catecheſibus extemporaneis cenſet interpres Grodecius, vt haberet repetitor ille, quo & memoriam diſcipuli ſui paſceret, & ingenium.

Grodec. Præfat. in ſcripta Cyrill. ler.

*Catechiſmus à concione non differt ſubiecta materia.*

*Subiectum & occaſio libri S. Auguſtini de fide & operibus.*

Fuerunt & ſancti Auguſtini æuo, qui alio etiam diſcrimine conciones à catechiſmis ſeiunctas volebant, cum dicerent inſtituendos de fide Catechumenos, de bonis moribus fideles; quaſi hoc tantùm agendum eſſet in catecheſibus, vt doceretur fides; in concionibus, vt vita corrigeretur. Quem errorem cum ferre non poſſit doctor vndecunque perfectus, libro de fide & operibus, multis diſputat, exuendum in baptiſmo veterem hominem, vt induatur nouus; agendam ab operibus mortuis pœnitentiam, vt præteritorum remiſſionem in baptiſmo accipiant, *non vt peccare liceat, ſed vt peccaſſe non noceat; vt ſit facti remiſſio, non permiſſio faciendi.* Atque cum illi Apoſtolicarum literarum auctoritate ſe regerent, in quibus videntur Apoſtoli priùs inſinuaſſe doctrinam fidei, ac deinde morum tradidiſſe præcepta. Reſpondet ſolertiſſimè, baptizatis, & non Catechumenis ſcriptas ab Apoſtolis litteras, neque vllum in ijs reperiri documentum, cur arbitremur baptizandos de ſola fide, baptizatos autem de moribus admonendos. *Quamuis enim illud prius, hoc poſterius, ſæpiſſimè tamen vna contextione ſermonis, vtrunque Catechumenis, vtrunque fidelibus, vtrunque baptizandis, vtrunque baptizatis, ſiue vt inſtruantur, ſiue ne obliuiſcantur, ſiue vt profiteantur, ſiue vt confirmentur, doctrina ſaniſſima & diligentiſſima prædicandum eſt.* Suos ſanè Catechumenos, deinde & Neophytos ſic inſtituit S. Cyrillus, vt fidem ſimul, moreſque commendet: & magnus ipſe Auguſtinus, in aurea prolixioris breuioriſque Catechiſmi forma, quam Carthaginenſi Diacono tradit libro de catechizandis rudibus, quam peritè, quam ſubtiliter in fidei doctrina mores inſinuat, ne fidem ſine operibus mortuam Catechumenus accipiat? Non differt igitur catecheſis à concione, ſubiecta materia; ſed eam explicandi modo.

c. 20.

*Apoſtoli ſcripſerunt baptizatis.*

c. 7.

*Baptiſmi ritus poſt baptiſmum expoſiti.*

Neque te moueat, quòd aliqua rituum ſacrorum myſteria recens baptizatis explicat S. Cyrillus, vt & S. Auguſtinus in ijs ſermonibus, quos noua P. Iacobi Sirmondi cura vitæ & luci reddidit. Non enim iſta ad ſublimes fidei noſtræ articulos referuntur, qui iam Competentibus expoſiti cenſentur: ſed ad luſtrales cæremonias, quas auguſtiùs religioſiùſque ſuſcipi ab ignorantibus iudicabant Antiſtites, quàm ab intelligentibus: ſiquidem non tantùm ex longinquo, ſed etiam ex obſcuro maior reuerentia eſt. Sic apertè qui citatur S. Auguſtinus. *Non autem mirari debetis, fratres cariſſimi, quòd vobis inter ipſa myſteria,*

*ſteria, de myſterijs nihil diximus : quòd non ſtatim ea quæ tradidimus, interpretati ſumus. Quod certè non negligentia, quæ in tam ſacris rebus atque diuinis ſacrilegium eſt, ſed religione fecimus ; adhibuimus enim tam ſanctis rebus atque diuinis honorem ſilentij.*

Auguſt. in nouis ſer. in append. ſerm. 1.

Non eſt autem oſcitanter prætereundum, quod idem catechiſtatum princeps & magiſter admonet, audito ſtatim primo catechiſmo, *interrogandum Catechumenum, an hæc credat, atque obſeruare deſideret? Quod cum reſponderit, ſolenniter vtique ſignandus eſt, & Eccleſiæ more tractandus.* Hoc eſt, crux imprimenda, & danda Catechumenorum Sacramenta, per quæ aliquo modo in Eccleſiam admittitur & ſanctificatur. Sic enim alibi apertè : *Non vniuſmodi eſt ſanctificatio. Nam & Catechumenos ſecundùm quendam modum ſuum per ſignum crucis, & orationem manus impoſitionis puto ſanctificari.* Neque ſanctos veretur compellare: *Symbolum exponendum*, inquit, *ſuſcepimus ſanctitati veſtræ.* Et quod magis mirum videri debet, *Catechumenum Catholicum, in ipſa intus Eccleſia*, non ſolùm *hæretico baptizato*, ſed etiam *malo baptizato*, *vt fideliorem melioremque anteponere* non dubitat. Vt in S. Cyrillo noui nihil occurrere debeat, cum Catechumenos legimus *illuminatos & fideles* appellari, niſi quia nuncupationem vtranque magnificè extollit. Nam & non ſemel νυμφαγωγίας λαμπάδας deprædicat, quas in perfectioris Catechumenatus ingreſſu acceptas, toto catechiſmi tempore prælatas fuiſſe indicat non obſcurè, cum ait *qui fidei lampades nuper accendiſtis, nunc non extinctas eaſdem manu tenendo cuſtodite.* Et Fidelis nomenclationem magno æſtimat, collatam *ab ordine Catechumenorum ad fideles* tranſlatis, cum admonet illos diuino participare nomini quia ab Apoſtolo fidelis Deus, appellatur. *Deo fidelis nomine vocato, & tu eandem accipis appellationem. Cogita ergo in quantam proueheris dignitatem, cum diuinæ in poſterum eris particeps appellationis.* Longéque auguſtius hoc Apoſtoli dictum, cum Dauidico Pſalmo connectens alibi, *Fidelis Deus: Ego dixi dij eſtis: Fideles ipſos Catechumenos*, Deos eſſe gloriatur, *ad quos videlicet factus eſt ſermo Dei. Sed caue*, inquit, *ne ſit cognomen tantùm fidelis, infidelis autem voluntas.*

*In catechiſmo ſignati & ſanctificati Catechumeni.* Augu. l. de Catech. rudi c. 26. Idem l. 2. de peccat. merit. & remi. c. 26. Idem. l. 2. de ſymb. ad Catec. c. 1. *Catechumenus Catholicus, melior malo baptizato.* Idem l. 5. de bapt. contra Donat. c. 21. Cyrill. præfat. ad Catech. *Catechumeni illuminati.* Idē Cate. 1. *Fideles & Dij.* ἀπὸ Κατηχουμένων τάγματος, εἰς τὸ τῶν πιστῶν μετατεθεῖσι. Idē Cat. 5. Idem præf. ad Catech.

## DE CATECHISTIS.

### §. III.

His de Catecheſi explicatis, eam puto nos Catechiſtis debere gratiam, vt in tam miſericordi opere, Chriſtiana caritate occupatos, negligere non putemus. Non quòd præceptis onerandi ſint, cum quemque vnctio doceat, & nunquam ſatis laudandus ſummi Eccleſiæ doctoris liber de Catechizandis rudibus : ſed vt, quod inſtituto noſtro congruit, quinam olim Catechiſtarum officio functi fuerint, agnoſcamus. Hierarchas primùm ſancto illo nomine ſaluto, veros Chriſtianæ doctrinæ magiſtros, & antonomaſticè Hierophantas. Sic enim S. Dionyſius narrat, hominem fidei Chriſtianæ appetentem, *ad aliquem eorum qui initiati ſunt* adire debere, à quo ad Hierarcham deducatur. Qui ſtatim ſic Electo & Competenti, *exponat rationem perfectam qua ad Deum qui perfectus integerque ſit, accedendum eſt, explanataque eadem diuina vita, ex eo præterea quærat, num ita inſtituat viuere?* Apoſtolos certè nouam orbi vniuerſo doctrinam proponentes, Catechi-

*Primarij Catechiſtæ Epiſcopi.* Dion. c. 2. Eccleſ. *Apoſtoli Catechiſtæ.*

Augu. l. de catechiſtas agere ipſa neceſſitas adegit, vt non immeritò verticem Apoſto-
fide & ope. c. 8. & 10 lorum S. Auguſtinus eo in officio laborantem nobis exhibeat, & doctorem
1. Cor. 14 gentium Paulum, cuius hæc vox eſt catecheſeos commendatrix, *in Eccleſia*
*volo quinque verba meo ſenſu loqui, vt alios inſtruam*: κατηχήσω catechiſem. Quæ
Ibid. c. 15. verò ſint illa, docet inferiùs, *Tradidi enim vobis in primis quod & accepi, quoniam*
Ibid. c. 2. *Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris ſecundùm ſcripturas*, &c. Et quidem *non in*
*ſublimitate ſermonis aut ſapientiæ, non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed*
*in oſtenſione ſpiritus & virtutis*, ne forma catechiſtica deeſſet materiæ. Et quam-
uis ſucceſſorum, hoc eſt, Epiſcoporum, non extent frequentes catecheſes, eas
tamen ab illis traditas, nefas eſt dubitare. S. verò Gregorij Nazianzeni oratio
quadrageſima quid eſt aliud, quàm adhortatio Catechumenorum ad ritè
celeriterque ſuſcipiendum baptiſmum? S. Gregorij Nyſſeni Catecheticus ma-
ior, quid aliud quàm Chriſtianæ ſcientiæ penus referti ſſima? In S. Auguſtino
breues ſymboli & dominicæ orationis elucidationes, & longiores libri de
*Opus de Ciuitate Dei* ſymbolo ad Catechumenos adhuc leguntur. Eodem libens referam, par eius
*cenſeri poteſt tanquã* ingenio de Ciuitate Dei opus diuinum, quod omnibus fidei Chriſtianæ ho-
*Catechiſmus.* ſtibus reuincendis, explicandis myſterijs, apud omnes veritatis aut obtrectato-
res, aut amantes impenditur. Ad quod reſpicere mihi videtur in oratione ca-
Augu. l. de Catech. rud. c. 19. techiſtica, libro de Catechizandis rudibus adiecta, *Neque tunc ſanè defuerunt in-*
*ſti, qui Dominum piè quærerent, & ſuperbiam diaboli vincerent, ciues illius ſanctæ ci-*
*uitatis, quos regis ſui Chriſti ventura humilitas per ſpiritum reuelata ſanauit.* Quæ ſi
Catecheſeos ſpecies admittitur, Euſebij ſanè præparationem Euangelicam,
& eiuſmodi opera, vt ab eruditiſſimis profecta Epiſcopis, in hunc numerum
poterimus referre.

*Presbyteri Catechiſtæ.* Poſt hos, & ſub illis eo in exercitio claruerunt Presbyteri, quorum, quàm
Auguſt. l. Retr. c. 17 Epiſcoporum illuſtrior eſt memoria. Sic enim S. Auguſtinus adhuc Presby-
ter, imperio Epiſcoporum Hippone conciliantium, ſcripſit de fide & ſym-
bolo, librum Catechumenis profuturum. Sic illa nobilis Eccleſiæ Alexan-
*Alexandrina ſchola* drinæ ſchola, quàm celebres vidit Presbyteros, iam inde à S. Marco Euange-
*κατηχητῶν.* liſta Eccleſiaſticos doctores, & κατηχητῶν magiſtros? Quorum primum Pan-
Hiero. l. de ſcript. Ecc. tænum nominat S. Hieronymus: cui ſucceſſit Clemens Stromateus, huic Ori-
genes nondum Presbyter, iſti Heraclas, Heraclæ Dionyſius, Origenis inſi-
gnes auditores, & Epiſcopi deinde Alexandrini. Peperit ea nobis cura Cle-
mentis omni rerum ſententiarumque varietate picta Stromata, quibus Cate-
*Commendatus à Concilio Trident. Catechiſmus.* chumenos inſtruit, vt fideles Pædagogo. Neque poſtremis hiſce temporibus,
licet alia occaſione, celebratum opus illud diuinæ caritatis intermittitur,
cum orbis Chriſtiani omniumque Hierarcharum conſenſu, in Concilio Tri-
Seſſ. 24. c. 7 & 25. c. vlt. dentino illius vſus commendetur: eodemque imperio & auctoritate ſcriptus
emanarit catechiſmus ad Parochos. Quin & laudatiſſimas Sacerdotum ſoda-
*Sodalitas Doctrinæ Chriſtianæ.* litates in vnum coactas videt hoc ſeculo Gallia, quibus à tradenda Chriſtiana
doctrina nomen eſt & officium. Glorioſum autem, & antiquæ ſanctitati ſi-
*Sorbonici Doctores catechiſmum celebrant.* mile fuit, annis ſuperioribus in Pariſienſibus exhedris Sorbonicos audire Do-
ctores, de altiſſimis fidei myſterijs, Chriſtiana demiſſione ad tenues & impe-
ritos differentes. Quo ſic exercitio ſe iactabat olim facultatis Chriſtianiſſi-
*Gerſon eo gloriatur* l. de pueris ad Chriſtũ trahendis. mæ Cancellarius, vt ſuperborum ſannas euitare non potuerit: quibus eius
ſtudia in alto ſita eſſe debere cauſſantibus, reſpondet appoſitè. *Neſcio pror-*
*ſus ſi quicquam maius eſſe poteſt, quàm animas ab ipſis inferni portis eripere, & tales*

parvulorum

*paruulorum animas, quaſi plantare aut rigare, partem non indignam horti Eccleſiaſtici. Sed aſſerunt me in prædicationibus publicis iſta magnificentiùs operaturum. Id quidem forte pompoſiùs, ſed meo iudicio non efficaciùs, neque fructuoſiùs. Nam quo ſemel eſt imbuta recens, ſeruabit odorem teſta diu. Venite ergo ad me paruuli, ego vobis doctrinam, vos mihi orationem impendetis: ſic Angelos noſtros viciſſim lætificabimus.* Noſtræ quoque Societatis inſtituto, quàm altè catechiſticæ eruditionis amor & cura inſideat, vel illud docet, quod à Profeſſis & Coadiutoribus ſpiritalibus, priuatum ea de re votum concipitur, & formulâ profeſſionis exprimitur, *vt ſancta hac exercitatio, peculiari modo ſit commendata, & deuotiùs curetur; propter ſingulare obſequium, quod Deo per eam in animarum auxilio exhibetur: & quia faciliùs obliuioni tradi poterat, & in deſuetudinem abire, quàm alia magis ſpecioſa, cuiuſmodi eſt prædicatio.* Quam in rem iubetur Rector ipſe Collegij *legere, aut docere Chriſtianam doctrinam quadraginta dies.* Hac inſtitutione & templorum noſtrorum parietes, & ſcholarum exhedræ, & quibuſdam in locis plateæ & compita circumſonant: ad eam formantur primis rudimentis tirones, quibus inter ſex probationes, quinta hæc imperatur, *doctrinam Chriſtianam, vel aliquam eius partem, pueros & alios rudiores publicè, vel priuatim, & proüt occaſio ſe obtulerit, & in Domino commodius viſum fuerit, & iuxta perſonarum proportionem, docere.*

*Societatis IESV cura in tradendo catechiſmo.*
Conſt. P. 5. c. 3. § 3. in annot.
Ibid. P. 4. c. 10. § 10.
Exam. c. 4. § 14.

Idem à Diaconis factitatū demonſtrat & Philippus, primorum ſeptem non extremus, qui totam Samariam Chriſto addixit, & Candacis Eunuchum catechiſmo primùm, deinde baptiſmo imbuit. Sic enim S. Auguſtinus explicat, quod in Actibus Apoſtolicis ſcriptum eſt, *Euangelizaſſe Philippum* Spadoni Dominum, nulloque modo dubitandum aſſerit illa *in Catechiſmo dicta eſſe, quæ ad vitam moreſque pertinent eius qui credit in Dominum Ieſum.* Diaconus quoque Carthaginenſis ille eſt Deogratias, quem libro de Catechizandis rudibus inſtituit, ſolatutque, idem omnium Doctor Auguſtinus. S. Cyrillum adhuc Diaconum erudiendis Catechumenis præfectum iam olim diximus. In ordine tamen Romano Preſbyter doctoris & magiſtri partes agit; Diaconus ſolum miniſterium exhibet, vocandis Catechumenis, aut emittendis, imperandis geniculationibus, ſilentio faciendo, Euangelijs recitandis, quæ deinde tractantur & explicantur à Preſbytero.

*Diaconi Catechiſtæ.*
Augu. l. de fide & morib. c. 9.

Poſtremò illud ipſum opus ad Laïcos deuolutum eſſe legimus in Conſtitutionibus Apoſtolicis. *Qui docet Catechumenos, etſi Laïcus ſit, modò peritus ſit in verbo, & honeſtis moribus, doceat. Erunt enim, inquit, omnes docibiles Dei.* Ex quo fortaſſe ſtatuto, piam ſumpſit audaciam Origenes octo & decem annorum puer, Eccleſiaſticæ apud Alexandriam ſcholæ, diſſipata tyrannorum perſecutionibus Eccleſia occupandæ, cōſultius fore arbitratus catecheſes vel ſic rudibus, quàm eos ipſos ſæuientium Ethnicorum tormentis, nudos & inermes exponi. Nec malè ceſſit felix temeritas: ſi quidem *poſtea à Demetrio einſdem vrbis Epiſcopo in locum Clementis Presbyteri confirmatus, per multos annos floruit.* Quem tamen ad conciones habendas euocatum deinceps, cum idem Demetrius indignaretur, factum Epiſcopi Palæſtini, aliorum exemplo confirmarunt, ſcripta pro eo ad Demetrium Apologia. *Nam vbi*, inquiunt, *idonei & habiles reperiuntur Laici, qui fratribus in verbo Dei adiumento ſint, à ſanctis Epiſcopis rogantur, vt populum in verbo inſtituant. Sicut Larandis Euelpis, à Neone Iconij Paulinus, à Celſo, & apud Synados Theodorus ab Attica, qui omnes beati & pij fratres erant. At veriſimile eſt, quãuis nobis obſcurū & minimè cognitū ſit, illud item in alijs locis fieri.* Quæ ſi de cō-

*Laïci Catechiſtæ.*
Conſt. Apoſt. l. 8. c. 32.
*Origenes catechiſta anno ætatis 18.*
Hier. l. de Eccl. ſcrip. c. 64.
Euſeb. l. 6. hiſt. Eccl. c. 13.

cionibus ad fideles dicūtur, quantò æquiùs de catecheſibus ad Catechumenos?

*Mulieres ad catechiſmū nō adhibita.*
*1. Cor. 14*
*1. Tim. 2.*

Vlteriùs progredi, & à Laïcis ad mulieres deſcendere vetat interdictum Apoſtolicum, *Mulieres in Eccleſijs taceant. Turpe eſt mulieri loqui in Eccleſia. Mulier in ſilentio diſcat, cum omni ſubiectione: docere autem mulieri non permitto.* Quod adeo religiosè obſeruauit Eccleſia, vt ne Diaconiſſis quidem fas fuerit ſexum ſuum edocere publicè: & in Cyrillo vidimus viros viris, mulieres mulieribus adiungi in catechiſmo & exorciſmis, ſub vno catechiſta. Eſt tamen animaduerſione non indignum, id quod fieri videmus non vno loco, vt Sanctimoniales quæpiam ad catecheſes mulieribus rudioribus tradendas adhibeantur, expreſsè non prohiberi Concilio Carthaginenſi 4. in quo ſancitur, *vt mulier quamuis docta & ſancta, viros in conuentu docere non præſumat.* Mulieres enim ab ea doctrinæ ſuſceptione non remouet conceptis verbis Concilium; maximè cum ſacris illis Virginibus inſtituendarum puellarum fecerit Eccleſia poteſtatem.

*Concil. Cartha. 4. can. 99.*

## *DE MISSA ET SACRAMENTIS Catechumenorum.*

### §. IIII.

*Miſſa Catechumenorū impropriè dicitur.*

MISSIONEM Catechumenis dabimus, vbi eorum Miſſam explicuerimus, quæ cum in omnium ore ſit, haud ſcio an etiam animo comprehēdatur. Miſſam omnes Eccleſiaſticorum officiorum tractatores inde dictam volunt, quod ea cum inciperet, Catechumenorum miſſio, ſeu dimiſſio fieret. Quapropter impropriè Miſſa Catechumenorum appellatur ea pars, quæ Miſſam fidelium antecedit: imo ipſa fidelium Miſſa, non magis propriè dicitur, quæ non niſi fidelibus ſtantibus peragitur. Sed nimirum ſic vſus obtinuit, & nos cum multis loquentes, Miſſam Catechumenorum dicimus Epiſtola conſtare & Euangelio, re prætetea nulla. Nam *officium Miſſæ* (hoc eſt Introitum) *addidit Cæleſtinus Papa, vt in geſtis Pontificalibus continetur; & conſtituit vt Pſalmi 150. ante ſacrificium pſallerentur antiphonatim ex omnibus; quod antea non fiebat, niſi tantùm Epiſtola Pauli recitabatur, & ſanctum Euangelium, & ſic Miſſa celebrabatur. Quod nos ita intelligimus,* (inquiunt Alcuinus, & Amalarius Fortunatus, iiſdem vterque verbis) *quia ex omnibus pſalmis exceperit antiphonas, quæ pſallerentur in officio Miſſæ. Nam antea inchoabatur Miſſa à lectione; qui mos adhuc retinetur in Vigilia Paſchæ & Pentecoſtes.* Ante Cæleſtinum igitur ſola fuit lectio cum Euangelio: hæc præſentibus Catechumenis cantata; & quidem à Diacono; vt paret in Monacho apud Caſſianum, *nerodigies* tentato, qui *celebrabat velut Diaconus Catechumenis Miſſam.* Conqueritur idem Amalarius morem prauum ſeculo ſuo inoleuiſſe, vt Catechumeni ante Euangelium repellerentur: quod ea ratione ipſe improbat, quòd *procul dubio prædicantibus gentium præceptum ſit, vt Euangelium eis prædicent.* Qui mos in Gallia vigebat ab antiquo, cum Arauſicanum Canonem legamus, *Euangelia deinceps placuit Catechumenis legi, apud omnes prouinciarum noſtrarum Eccleſias.* Hac recitatione finita, miſſi ab ima Eccleſiæ naui Catechumeni, ſolenni voce Diaconi, vt eſt in Cōſtitutionibus Apoſtolicis, *Ne quis Catechumenus; ne quis ex Audientibus, ne quis ex infidelibus, ne quis ex hæreticis: qui primam precationem feciſtis, exite.* Quod & ab

*Quid ea ſit*
Alcuin. l. de Diuin. offi. in offi. Miſſæ.
Amal. For. l 1. de Ecc. offi. c. 5.

Caſſi. l. 11. Inſt. c. 15.
*Olim ante Euangelium emiſſi Catechumeni.*
Amal. For l. 3. de offi. Eccl. c. 36.
Concil. Arauſic. 1. can. 18.
Conſt. Ap. l. 8. c. 12.

Hypo-

Hypodiaconis factum lego in Concilio Laodiceno, vbi vetantur *fores relinquere*, quia inquit, Zonaras, antiquitus ad fores Eccleſiæ conſiſtere, & Catechumenos atque Pœnitentes, cum opus foret, emittere ſolebant, *Propterea nunc quoque illud. Quicunque eſtis Catechumeni, procedite, iſti pronunciant.* Quod expreſsè de Hypodiaconis Zonaras, hoc promiſcuè de Diaconis etiam Pachymeres; & quas ille fores Eccleſiarum, hic Adyti valuas explicat, epiſtolam Dionyſiacam ad Demophilum Monachum paraphraſi enarrans: quo loco negantur Monachi ad fores Adyti conſiſtere vt eas obſeruent; *id enim*, inquit, *muneris reſpicit qui foribus adſtant, ſed introrſum, nempe Diaconos, aut Hypodiaconos.*

Concil. Laod. c. 20
Zonar. in eum locū.
Pachy. ad epiſt. 8 S. Dionyſ.

Ab eo tempore nefas Catechumenis ſpectare myſteria, *quia Sacramentis altaris intereſſe non poſſunt, qui nondum regenerati noſcuntur*, inquit Amalarius, & poſt eum Rabanus Maurus. Vnde putant Miſſam incipere ab eo loco *quo incipit Sacerdos ſacrificium offerre Deo, id eſt, ab offerenda, vſque ad, Ite, Miſſa eſt.* Plus aliquid ait Micrologus, *iuxta antiquos Patres, ſolos communicantes diuinis myſterijs intereſſe conſueuiſſe*, quare eiectos ante oblationem: Catechumenos & Pœnitentes, *vt qui nondum ſe parauerunt ad communicandum.* Meliùs diceret à communione fuiſſe extorres. Longè minùs vltimæ benedictionis cum fidelibus fuerunt participes; quem nouitium fuiſſe ſeculo ſuo morem, narrat idem Micrologus, *vt Presbyteri poſt finem Miſſæ benedicant, ne populum ita benedictione, vt Communione, priuatum diſcedere permittant:* quia publica & ſolennis benedictio Hierarchis reſeruata eſt. Quod beneficium tam fuit fidelibus propriū, vt Arauſicano eodem Concilio, de Catechumenis conſtitutum ſit, *à fidelium benedictione etiam inter domeſticas orationes, in quantùm caueri poteſt, ſegregandos, informandoſque eſſe vt ſe reuocent, & ſignandos, vel benedicendos ſemotim offerant.*

*Catechumenis nefas ſpectare myſteria.*
Amal. Fortu. l. 1. c. 36.
Rab. Mau. l. 1. de Inſt. Cleri. c. 30.
Microl. l. de Eccleſ. offi. c. 51.
*Catechumenis ſolennis benedictionis non fuerunt participes.*
Concil. Arauſic. 1. can. 20.

A Miſſa ad Sacramenta, in quibus operoſior eſt difficultas, tranſeo. Ampliſſima ea vox, & in Catechumenorum propoſito πολύσημος. Sacramentorum rationem appellat Iſidorus vniuersè *ordinem ad fidem venientium*, quorum tres gradus facit, Catechumenos, Competentes, Baptizatos, ſiue Neophytos. In Ordine Romano ante traditionem ſymboli, ſic animantur Catechumeni, *Accedite ſuſcipientes Euangelici ſymboli Sacramentum, à Domino inſpiratum, ab Apoſtolis inſtitutum.* Quod ante à D. Auguſtino ſcriptum. *Accepit ſymboli remedium contra antiqui ſerpentis venenum; vt ſi quando voluerit aduerſarius diabolus denuo inſidiari, nouerit redemptus cum ſymboli Sacramento, & crucis vexillo ei debere occurrere.* Salem, & ſimilia quæ Catechumenis in os inferuntur, Sacramenta dici, notius eſt, quàm vt probetur. Quæ omnia illa eſſe puto, quæ eidem S. Auguſtino *prima Sacramenta vocantur*, & Catechumeni *Sacramentorum ſocietate deuincti.* Pro pueris etiam infantibus oblatum lac & mel, idque eorum eſſe Sacramentum, docet Canon Concilij Carthaginenſis apud Balſamonem: qui & iubet ea propria & peculiari benedictione ſanctificari, *vt à dominici corporis Sacramento ſeiungantur.*

*Sacramentum plura ſignificat.*
Iſid. l. 2. de Eccl. offic. c. 20.
Augu. l. 2. de ſymb. ad Catec. c. 1.
*Sal Catechumenorum Sacramentum.*
Augu. l. de Catech. rudib. c. 13.
*Lac & mel ſacramentū puerorum.*
Concil. Carth. can. 40. apud Balſam.

Vna ſupereſt de Eulogijs difficultas, quæ cum Sacramenta & ipſæ appellentur, quæritur inter eruditos, ijs ne participarint olim cum fidelibus Catechumeni? Affirmare ſuadet S. Auguſtinus, vbi de Catechumenis, *quod accipiunt, quamuis non ſit corpus Chriſti, ſanctum eſt tamen, & ſanctius, quàm cibi quibus alimur, quoniam Sacramentum eſt.* Hic inſulſum fuerit ſalem intelligere, quo certè non alimur, ſed ea quibus alimur condimus: non lac & mel, quod infantium myſterium eſt: non communes cibos, qui ad alta-

*De Eulogijs.*
*Argumenta quibus ſuadetur Catechumenos Eulogijs fideliū participaſſe.*
Auguſt. de pec. merit. & remiſſ. l. 2. c. 26.

te offerri non ſolent. Panem igitur concipiamus neceſſe eſt, qui & offertur in altari, & Chriſti corporis ſpeciebus ſimillimus eſt, & benedictione in Eulogiam conuertitur. Præterea in Carthaginenſi Concilio, celebris eſt obſcuritate ſua Canon, *vt etiam per ſolenniſſimos dies Paſchales, Sacramentum Catechumenis non detur, niſi ſolitum ſal: quia ſi fideles per illos dies Sacramentum non mutant, nec Catechumenis oportet mutari.* Quodnam autem aliud Sacramentum Catechumenis dari potuit antea interdictum, quàm Eulogia? Neque aliter locum interpretatur Binius. Tertiò in Canone Pij Pontificis qui eſt de Eulogijs ita ſtatuitur. *Vt de oblationibus quæ offeruntur à populo, & conſecrationibus, quæ ſuperſunt: vel de panibus quos deferunt fideles ad Eccleſiam, vel certè de ſuis; Presbyter conuenienter partes inciſas habeat, in vaſe nitido & conuenienti, vt poſt Miſſarum ſolemnia, qui communicare non fuerint parati, Eulogias omni die dominico, & in diebus feſtis exinde accipiant, quæ cum benedictione priùs faciat.* Vmbratilis hæc Communio, cum in veræ perfectæque per Euchariſtiam Communionis vicem ſuccedat, vt inter Chriſtianos firma pax & caritas conſeruetur; quidni & ad Catechumenos peruenire poſſit, ita cum fidelibus coniunctos, vt & ipſi ſint Chriſtiani Catholici: ſic à myſterijs remotos, vt ſint tamen in veſtibulo ſalutis?

Concil. Carth. 3. can. 5.

Binius in eum locū.

Pius Papa ex Cod. 5. Librorum. l. 2. c. 127.

*Obiectio. Nihil Catechumenis commune cū fidelibus.*

Albat. l. 2. Obiect. 35.

*Reſponſio Nonnemini.*

Dices fortaſſe, quod in Illuſtriſſimo Aurelianenſi video, nihil illo æuo commune Catechumenis fuiſſe, cum fidelibus; nihil datum Catechumenis; quod à fidelibus oblatum non fuerit; quod verum agnoſco; ne ipſis quidem ſubſiſtentibus in pœnitentia, qui gradus fuit reconciliationi proximus, offerre licuiſſe, & oblationibus communicare: longè minùs Catechumenis. Erit tamen qui ad iſta reſpondeat, potuiſſe hac in parte ab Eccleſia ſeuerius aliquid in pœnitentes, quàm in Catechumenos decerni; & his nonnihil concedi, quo alij culpa ſua exciderint. Nam qui in Luctu erant pœnitentes baptizati, Audientibus: qui in Narthece & porticu, Catechumenis deteriores erant. Quis autem concedat Catechumenos fidelium rebus non participaſſe, cum eos in templo, ſignatos cruce, Sacerdotali benedictione locupletatos, publicis orationibus adiutos, ſua etiam miſſa dignatos frequenter legerit? Ad oblationes quod ſpectat, in Ordine Romano, ſeptem, pro exorciſmorum numero à parentibus lego dandas oblationes, in puerorum Catechumenorum gratiam. Atque vbi rationem Notarius regionarius Pontifici reddidit die Reſurrectionis dominicæ, quot heſterna nocte ſint baptizati, *ſolidum vnum à ſacellario* datum video, ſeu Notario ipſi, ſeu Pontifici. Sunt igitur in vſu etiam Catechumenorum oblationes.

*Catechumenis aliqua cum fidelibus communia.*

*Oblationes parentum pro filijs.*

*Vera ſententia, non participaſſe Eulogijs Catechumenos.*

Nihilominus, cum eodem eruditiſſimo Antiſtite, negandum puto Catechumenis Eulogiarum partes diſtribui ſolitas; idque vnica mihi ratio perſuadet, quod Eulogiæ ſunt oblationes, offerre autem nemini vnquam licuit, cui communicare Euchariſtiæ non licuit. Neque in tota antiquitate reperias Catechumeni vllius, non certè magis quàm pœnitentis admiſſam oblationem. Nam quæ de Ordine Romano dicta ſunt, non tam oblationes ſunt; quam grati animi ſignificationes, fiuntque à parentibus non vt in communionis vnitatem admiſſi filij demonſtrentur, ſed vt Deo gratiæ agantur, quod ad eam aſpirent, feliciterque ducantur. Nonne autem Eulogiæ diſtribuuntur expletis myſterijs, in eos qui & interfuerunt, & communicare debuerunt? ac ne in omnes quidem: nam quarti gradus pœnitentes ab eo numero excipiuntur.

*Refondetur obiectioni de oblationibus parentum.*

Atqui

Atqui hæc ipſa Sacramenta non ſpectant Catechumeni, & quemadmodum emittuntur ne penetrent ad myſteria, ſic excluduntur ne ad eos Sacramenta peruadant. Intuere autem Pij Pontificis decretum, ſi vult alios oblationum eſſe participes, quàm fideles? Vide ad quos fermentum ſuum, id eſt, panem fermentatum, & Eulogiam mittat Innocentius? Nonne ad Preſbyteros Titulorum, qui die illo plebi ſuæ debent incubare, vt *ſe à noſtra communione*, inquit, *maximè illa die non iudicent ſeparatos*. Vnquam-ne tam arcta neceſſitudine Catechumenos cum fidelibus coniunctos inueniemus?

*Reſpondetur decreto Pij Pontif. Innoc V. ep. ad Decenn. c. 5.*

Neque verò S. Auguſtinus, allegato ex altera parte loco, Catechumenorum Sacramentum Chriſti corpori ſimile eſſe dicit; ne cibum quidem; ſed aliquid Chriſti corpore minùs ſanctum, cibis communibus ſanctius, quod ad ſalem facile referatur, qui τῶν ἔξωθεν Catechumenorum Sacramentum appellatur. Neque in Carthaginenſi Canone tanta eſt obſcuritas, quantam ipſe ſibi fingit Aurelianenſis; modò ſimpliciter agnoſcamus, auguſtiſſima illa Paſchatis hebdomada, gratificatos Catechumenis nonnullos in Africa, Eulogiarum in partem eos vocaſſe; quod omnino fieri prohibet Concilium; & opinionem noſtram ſtabilit interdicto, quam aliquorum abuſus antea facto impugnabat: & cauſam addunt Patres argumentatione minorum. Si feſti ſolennitas auguſtius nihil, quàm ſolita Sacramenta fidelibus donare cogit, quare Sacramenti maioris vſum Catechumenis concedemus? maneant ergo ſale ſaliti, nec manus ad filiorum panem extendant, nondum cœlo & Eccleſiæ regenerati. Et quemadmodum ambitioſus religionis zelus, Catechumenos ad ſuperiorem illum communionis Eccleſiaſticæ gradum euehebat in Africa; ſic antea fideles in Aſia nimius pietatis ardor eò perpulerat, vt ſacram Euchariſtiam eodem feſto, Eulogiarum vice inuicem miſſitarent, quod Laodiceno Concilio vetitum. *Sanctas oblationes ad vicem Eulogiarum, per feſtiuitatem Paſchalem ad alias parochias mitti minimè oportere*. Interpretatur Binius, *Paſchalibus diebus interdictum fuiſſe fidelibus, Eulogijs communicare; quia iiſdem temporibus ad Euchariſticam communionem ſumendam obligati erant*. Id probabile, ſi alijs diebus Eulogia in eos tantum diſtributa, qui non communicabant. Quod inquirere non eſt huius loci. Hoc tantùm dico, fideles Sacramenta non mutaſſe, quia ſi communicarunt, corporis Chriſti participes fuerunt; ſi non communicarunt, Eulogiam ſimplicem, non autem Chriſti corpus Eulogiæ loco acceperunt: vnde ſequitur vt æquius fuerit cum ordinario ſuo ſale manere Catechumenos.

*Explicatur locus S. Auguſtini.*

*Explicatur Concil. Carth. can. allatus.*

*Albaſ. Notis ad Con. Carth.*

*Eulogia per abuſum Catechumenis data.*

*Simili abuſu Euchariſtia vice Eulogiarum data inter fideles.*

*Concil. Laod. c 14.*

*Binius in eum locũ.*

De quibus vt tandem agere deſinam, ad Petrum Aurelium oculos & mentem retorqueo, poſtuloque, vt edicat qua fretus ratione, Catechumenos *extra Eccleſiam fuiſſe; nec fidelium numero comprehenſos* aſſerat, quos Eccleſiæ doctores *in ipſa intus Eccleſia, in veſtibulo ſalutis, illuminatos, fideles, Catholicos, ſanctos, diuini nominis participes* eſſe aiunt, quos cruce munit Eccleſia, Sacramentis ornat, purgat ſcrutinijs. Cur Diaconos velit collocata in eos opera Hierarchiam promeritos, cum plurimi Laïci ex commiſſione, Preſbyteri ex officio, ordinariè illos catechiſmo illuminarint, Hierarchæ ipſi ſolenni baptiſmo perfecerint? Cur denique tres illos initiandorum ordines eijciat ab Eccleſia, quos totis viſceribus Eccleſia complectitur? Sed nimirum ad Patres & Concilia prouocat. Audiamus.

*Refellitur Petr. Aurelius.*

## AVRELIANA PATRVM ET CONCILIOrum teſtimonia explicantur.

### CAPVT XXVI.

*Poſitiones hæ duæ ab Aurelio confingenda.*

HABET Petrus Aurelius duo quæ præciſè probet: primum Diaconos olim *functiones Hierarchicas non niſi erga homines extra Eccleſiam poſitos exercuiſſe.* 2. Hos homines, eſſe *Catechumenos, Pœnitentes, Energumenos, extra Eccleſiæ communionem, nec fidelium membrorumque Eccleſiæ numero comprehenſos.* Vtrunque demonſtrare tacitis omnium iudicijs rogatus, ita reſpondet. *De Catechumenis nemo negabit. De Pœnitentibus Patrum & Conciliorum conſenſu alibi probabitur, nec difficilis probatio. De Energumenis denique clari ſunt Conciliorũ Canones, & Patrum teſtimonia.* Molem teſtium, & marginales citationes numero & mole infinitas expectabam: Ibi citantur Patres duo, Dionyſius & Cyprianus, & ex vtroque loci duo; Concilia item duo Eliberitanum, & Arauſicanum; vt hic ipſe binarius numerus imperfectior Hierarchico, neſcio quod *malum omen* auctori portendat. Libros conſulamus.

*Dionyſius Aurelianũ nihil iuuat.*

*ἐν ἐκείνῳ τῷ διαιρέσει τῇ πρώτῃ δὲ τῶν τελετῶν ἀποκαθαίρειν τοὺς ἀτελέστους.*

*ἡ λειτουργικὴ διακόσμησις ἐπὶ τὰς φανὰς τῶν ἱερῶν ἱερουργιῶν ἀνάγουσα τοὺς καθαρθέντας καὶ τοὺς ἀτελέστους ἀποκαθαίρουσα καὶ ἀφορίζουσα τοὺς ἀνιέρους ἀπὸ διαστέλλουσα. c. 5. Eccl.*

*Dionyſius Eccleſ. Hierarch. c. 5.* ne verbo quidem Aurelianam doctrinam indicat, de initiandis tantùm ijs qui ſint extra Eccleſiam. Imo Diaconorum ordinem ait, *ſacris myſterijs minùs perfectos expiare.* Itemque *eos qui expiati ſunt, ad illuminantia Sacerdotum ſacra deducere, nondum initiatos expiare, profanos à Sacerdotibus ſecernere.* Qui diſtinguuntur non iam à populo ſancto, ſed à Sacerdotibus, ideoque profani vocantur; qui iam initiati ſunt, qui minùs perfecti, ſunt-ne extra Eccleſiam ſimpliciter & abſolutè poſiti? Dionyſius idem eiuſdem libri *c. 3. ſect. 2.* nullo verbo negat ordines omnes initiandorum, *fidelium membrorumque Eccleſiæ numero comprehendi.* Tantùm hoc ait, *Catechumenos, & vnà cum eis Energumenos, & qui ſunt in Pœnitentia, extra templi ambitum collocari,* finita videlicet ſanctorum lectione librorum. Eius rei cauſas inferiùs proſequitur, quo non penetrauit Aurelius, ſuperficie contentus. Hoc vero de Pœnitentibus omnibus, de Energumenis omnibus nego intelligendum. Nam & hos Dionyſij Energumenos, vult eſſe D. Thomas Catechumenos, vt alibi monuimus: ac licet Pœnitentium aut Energumenorum nemo ad ſacram admitteretur ſynaxim, non inde tamen à Theologo Catholico negari poſſent *fidelium membrorumque Eccleſiæ numero comprehendi.* Nihil igitur habet Aurelius à Dionyſio, quem ſuum prædicat.

*ἔξω γίγνονται τῆς ἱερᾶς περιοχῆς οἱ κατηχούμενοι, καὶ πρὸς αὐτοῖς οἱ ἐνεργούμενοι, καὶ οἱ ἐν μετανοίᾳ ὄντες. c. 3. Eccleſ.*

*Explicatur Cypriani ſententia ep. 52.*

Sed facit pro eo Cyprianus. Audiatur. Quo loco? *Epiſtola 52. & 54.* Bene eſt: vtraque *libellatici & ſacrificati* ad pœnitentiam admittendi monſtrantur. Quando tandem? Poſt fletum diuturnum, ſi temporum mora permittit. *Maximè lapſorum mentes claſſico quodam noſtræ vocis animandæ, vt pœnitentiæ viam non ſolùm precibus & lamentationibus ſequerentur.* Vides nondum eſſe in pœnitentia qui ſunt in fletu. *Temperamentum ſalubri moderatione librauimus, vt nec in totum ſpes communicationis & pacis Lapſis denegaretur:* (ne aditus Eccleſiæ per pœnitentiam occluderetur, quod videlicet contendebat Nouatianus:) *Nec tamen rurſus cenſura Euangelica ſolueretur, vt ad communicationem temerè proſilirent;* (vt ſine legitima pœnitentia plenam reconciliationem importunè extorquerent;) *ſed*

*Pœnitentes in Eccleſia retinentur, contra Nouatianum.*

*traheretur diu pœnitentia, & rogaretur dolenter paterna clementia.* Pœnitentes hic video in Eccleſiæ ſinu, quos inde volebat Nouatianus auellere. Si enim ſunt Patres Epiſcopi, profectò filij lapſi Pœnitentes: ſi pœnitentia tantùm trahitur, hominis fidelis prærogatiua non perditur: ſi cenſura Euangelica colligatur, extra Euangelij ſepta & Eccleſiæ corpus non conſtituitur. De libellaticis deinde pronunciat, verendum ſi eorum pœnitentia reſpuatur, *ne cum vxore & liberis in hæreſin vel ſchiſma diabolo inuitante rapiantur.* Sentis-ne Aureli repugnantem tibi è diametro Cyprianum? Pœnitentes, inquis, non ſunt *in fidelium, & mẽbrorum Eccleſiæ numero:* at Cyprianus, niſi Pœnitentes facimus *è fidelium & membrorum Eccleſiæ numero* per hæreſin & ſchiſma rapientur. De Trophimo poſtea olim Epiſcopo, lapſo deinde, demum facti pœnitente, & admiſſo in Eccleſiam, amico ſuo ſatisfacit, *Quoniam cum Trophimo pars maxima plebis abſceſſerat, redeunte Trophimo & ſatisfaciente & pœnitentia deprecationis* (quemadmodum lugentes) *errorem priſtinum confitente, & fraternitatem quam nuper abſtraxerat cum plena humilitate, & ſatisfactione reuocante, auditæ ſunt eius preces, & in Eccleſiam Domini non tam Trophimus, quàm maximus fratrum numerus, qui cum Trophimo fuerat, admiſſus eſt, qui omnes regreſſuri ad Eccleſiam non eſſent, niſi cum Trophimo comitante veniſſent.* In Laïca communione conſtitutus eſt Epiſcopus Trophimus, comites autem Laïci ſine dubio in pœnitentia; quam cuiuſque culpa merebatur, & tamen omnes admiſſi dicuntur in Eccleſiam Domini, & regreſſi ad Eccleſiam: ergo apud S. Cyprianum Pœnitentes non ſunt extra Eccleſiam poſiti. *Nec putemus mortuos eſſe, ſed magis ſemianimes iacere eos, quos perſecutione funeſta ſauciatos videmus. Qui ſi in totum mortui eſſent, nunquam de eiſdem poſtmodum & Confeſſores & Martyres fierent.* Si tantùm ſemianimes, non mortui, cur extra Eccleſiam poſiti? Si deinde Martyres in ipſa Pœnitentia, cur fidelium membrorumque Eccleſiæ numero non comprehenſi? *Sed quoniam eſt in illis quòd Pœnitentia ſequente reualeſcat, ad fidem, & ad virtutem de Pœnitentia robur armatur:* (quomodo reualeſcit Pœnitentia, ſi ea ab Eccleſia eijcit?) *Quod armari non poterit, ſi quis deſperatione deficiat, ſi ab Eccleſia durè & crudeliter ſegregatus ad gentiles ſe vias & ſecularia opera conuertat, vel ad hæreticos & ſchiſmaticos reiectus ab Eccleſia tranſeat:* Segregatus ergo & reiectus ab Eccleſia non eſt, qui admiſſus ad Pœnitentiam, ſed qui de Pœnitentia conſequenda deſperat. Audis interim *duram & crudelem*, vt Nouatiani Pœnitentiam denegantis, ſic Petri Aurelij Pœnitentes ab Eccleſia ſeparantis, appellari ſententiam?

*Cyprianus Aurelio directè aduerſatur.*

*De Trophimo Epiſcopo lapſo.*

*Admiſſi ad Pœnitentiã, dicuntur regredi ad Eccleſiam.*

*Dura & crudelis Aurelij ſententia.*

Et hæc quidem ex epiſtola priore ſelecta. In altera quid ad propoſitum? *Neceſſitate cogente cenſuimus eos qui de Eccleſia Domini non receſſerunt, ſed Pœnitentiam agere, & lamentari, ac Dominum deprecari, à prima lapſus ſui die non deſtiterunt, pacem dandam eſſe.* Audis, Lector, non recedere eos ab Eccleſia, qui Pœnitentiam agunt, & Aurelius extra Eccleſiam poſitos dici ait à Cypriano. *Intereſſe debet, frater cariſſime, inter eos qui vel apoſtatauerunt, & ad ſeculum cui renunciauerant reuerſi, gentiliter viuunt, vel ad hæreticos transfugæ facti contra Eccleſiam parricidalia quotidie arma ſuſcipiunt: & inter eos qui ab Eccleſia limine non recedentes & implorantes iugiter ac dolenter diuina & paterna ſolatia, &c.* Reſponde Cypriano, frater cariſſime, quid inter *transfugas ad hæreticos & Gentiles*, & inter *Pœnitentes interſit*, ſi non minùs iſti, quàm illi ſunt *extra Eccleſiam poſiti, ne fidelium quidem numero comprehenſi?* Cur eos laudet Cyprianus ab Eccleſiæ limine

*Exponitur ep. 54 Cypriani, ab Aurelio producta.*

*Pœnitentes non recedũt ab Eccleſia.*

non receſſiſſe, qui etiam in Pœnitentiæ curſu, intra Eccleſiæ limina recepti ſunt, ſi verum eſt *extra Eccleſiam eſſe poſitos*? Scire igitur aueo quibus tandem ex verbis opinationem ſuam hauriat Petrus Aurelius. Non ex illis ſanè quæ vel præterit, vel diſſimulat, ſed ex præcedentibus fortaſſe: *vt qui ſupplantati ab aduerſario, & lapſi fuiſſent, & ſacrificijs ſe illicitis maculaſſent, agerent diu pœnitentiam plenam; & ſi periculum infirmitatis vrgeret, pacem ſub ictu mortis acciperent. Nec enim fas erat Eccleſiam pulſantibus claudi*, &c. Sic enim agere voluit acumen Aureli; qui pulſant Eccleſiam vt ingrediantur, ſunt extra Eccleſiam poſiti: qui verò pacem ſub ictu mortis poſtulant foris pulſant, extra conſiſtunt, non ſunt ergo fidelium numero comprehenſi. Reſponſio vel pueris expedita. Non ſunt intra Eccleſiam plena & perfecta communione, quam excludit Pœnitentia: ſunt tamen intra Eccleſiam ad communionem expiationum, & precum admiſſi, quam indulta Pœnitentia neceſſariò includit. Putat autem Aurelius in fletu & terribili illo anathemate ſemper extitiſſe Pœnitentes illos, quibus pax perfecta negabatur: quod eſt & Pœnitentiæ gradus ignorare, & Pœnitentiæ naturam non intelligere, quæ, vt diximus, cum horrenda illa excommunicatione non ſubſiſtit. Non fauet igitur Aurelio Cyprianus. Venio ad Concilia.

*Argumentum Aurelij.*

*Reſponſio.*

*Reſpondetur ad Concilium Eliberitanum. Canon & corrupta ſententia, & auctoritas non inuicta.*

Vide Baro. ad an. 57 n. 121. *qui & nimij rigoris vſque ad Nouatianos erroris limites coarguit.*

Rem tuam contra Energumenos agis Eliberitano antiquæ ſeueritatis Concilio, cuius & auctoritatem ſcire debes à multis in dubium reuocari, & Canones, ſi non aliunde, ſaltem vetuſtate corruptos, & ſententiam corruptione obſcuratam, & vt omnia ſalua claraque conſtiterint, tantùm prouinciale eſſe, à paucis Epiſcopis in orbis angulo coactum, à Baronio inter prouincialia antiqua non honoratum, qui tamen Ancyranum, Neocæſarienſe, Gangrenſe, Laodicenum, Arelatenſe plurimi facit. Hoc igitur Concilium, quod neque tu, neque ego ex aſſe intelligimus, tanquam parietinam è thermis, aut æquæ ductibus, quaſi naſo & auribus mutilatam è ruderibus ſtatuam, aut lectum in Carmentæ ſepulcro carmen magnificè oſtentare, eiuſque Canones *Eccleſiæ diſciplinam* vocare; eo citato imperitorum plauſus, & grande ſophos emereri, glorioſius eſſe quàm ſolidius, rerum peritus arbiter iudicabit: interque illas commendatæ antiquitatis reliquias recondet in muſæo, quæ ad hoſpitum venerationem, non ad dominorum vſus reponuntur.

*Explicatur Concilij Eliberitani can. 19.*

Id verò non eo à me dictum eſt, vt illius Hiſpanienſis Concilij auctoritatem eleuem, aut Canonis ſententiam defugiam, quem ſi quietis, & paulùm quàm ſolet acutioribus oculis inſpexerit Aurelius, ſibi nulla ratione fauere, mihi nulla in parte nocere perſpiciet. Sic enim habet, *Energumenus, qui erratico ſpiritu exagitatur, huius nomen neque ad altare cum oblatione recitandum, neque permittendum vt ſua manu in Eccleſia miniſtret.* Hunc ego Enurgumenum vel actu vexatum, vel ad Lugentes in Pœnitentia per excommunicationem retruſum eſſe dico. Nam de excommunicato intelligi probabile facit Canon 37. de danda communione in fine mortis: vel certè in Syſtaſi, cum honoratiſſimis Pœnitentium conſtitui, alienum quidem ab Euchariſtia, ſed in precibus cum omni populo fideli communicantem. Id igitur cum reſpondero, tu quid habes opponendum? quid hinc trahis in cæterorum Energumenorum præiudicium, ad percipiendam Euchariſtiam? Nam de ſuſcipiendis ordinibus ſacris non diſcepto. Idem-ne putas eſſe ab Euchariſtia, & ab Eccleſia repelli? non eſſe miniſtrum Eccleſiæ, & membrum? Ille ipſe arreptitius, *fuit*

*aliquando*

*aliquando particeps ſanctiſſimorum Sacramentorum*, ſi quando in infidelitatem incidit, ab Eccleſiæ fide excidit. Quod ſi non peccauit, qua ſua culpa extra Eccleſiam poſitus eſt? Hi nimirum ſunt Canones & Patres antiquiores, quibus opinionem tuam habes tueri.

Dion. c. 3. Eccleſ. in Contempl.

*Nam remittente ſenſim diſciplina, cum ijs mitiùs agi cœpiſſe notum eſt*, inquis. Vnde? ex *Concil. Arauſic. 1. can.* 14. quem citas: & hunc expendamus. *Energumeni baptizati* (vt Chriſtianos intelligas) *ſi de purgatione ſua curant* (ſeu à peccato vnde in hanc calamitatem inciderunt, ſeu ab inſeſſore ſpiritu) *omnimodu communicent*. Id cum imperant Patres Concilij, nonne eos à quibus prohibentur communicare, reprehendunt? Veteri autem legi, quod criminaris, non derogare, vel illud probat, quòd nullius interpolationis aut commutationis meminerunt, cum tamen nouum de chriſmatione baptiſmali decretum, priùs non protulerint antecedentibus Canonibus, quàm ſcriberent, *Placuit inter nos, non vt præiudicans quicquam*. Et de reconciliatione ſub vitæ exitum, *Secundum definitiones Patrum*: & inferiùs, *Deinceps placuit apud omnes Prouinciarum noſtrarum Eccleſias, Taurinatis Synodi ſententiam eſſe ſequendam*. Quæ præcedentium conſtitutionum mentio vel expreſſa, vel indicata in cæteris, in hoc autem omiſſa Canone, prorſus oſtendit nihil ab iſtis Patribus innouari, nihil *in Eccleſiæ diſciplina* remitti. Nam & de non ordinandis arreptitijs Canon mox ſubiungitur. Nihil ergo monſtrare potes; quod nouè ſanciant, nihil quod è veteri antiquare ſe oſtendant. Ac licet Arauſicanorum Conciliorum, & Canonum omnium vi & efficacia tandem extorqueres negatam antea; tum permiſſam Energumenis communionem fuiſſe; nunquam tamen id euincere poteris, aut *fidelium numero non eſſe comprehenſos* Eliberitanis temporibus; aut ſi comprehenſi verè non fuerunt, Arauſicano Concilio factum vt comprehenderentur. Neque enim hodie faciet Eccleſia, vt olim damnatus Arius aut Caluinus ſint fideles, quandiu id erunt, cuius cauſa ſunt habiti infideles.

*Concilium Arauſicanum 1. can. 14. nihil mutauit in Eccleſiæ diſciplina.*

Vbi eſt autem altera illa propoſitio de Diaconis aduersùs homines ſolos extra Eccleſiam poſitos laborantibus? Nam ſi conceſſero priores illos extra Eccleſiam eſſe, non tamen hanc theſim admittam. Quis hoc Cyprianus, aut Dionyſius attulit? quo Eliberitani, aut Arauſicani Concilij Canone legitur? Hoc eſt doctrinam habere in numerato, vt cum duo tantùm magna verborum ambitione promittas, in vno, ſatis quidem infeliciter, ſed tamen conatum exeras; aliud ne de limine quidem ſalutes? Sic illudis imperitis? ita ſperas ſemper defore vel aliquantùm eruditos, quibus lecto libro tuo videaris inter Theologos, quod olim Antigonus inter Reges, nomine Doſon, promiſſis magnificus, factis præparcus?

*Propoſitam Theſim non explenit Aurelius.*

# DE HIERARCHIA ET HIERARCHIS

## Liber Septimus.

## DE REGVLARIBVS IN HIERARCHIA ORDINIS.

### PRÆFATIO.

*QVA STATVS QVÆSTIONIS QVAM breuiſsimè proponitur.*

*Hierarchia non debet in anguſtum arctari.* Petr. Gala. l.4. de arc. c.8. NARRANT Iudæorum Magiſtri, de decem miraculis, quæ templum ſuum auguſtius faciebant, duo hæc fuiſſe non minima; primum, quòd *ſtantes anguſti erant, procidantes verò vt adorarent, ſpatioſi erant, licet à domo propitiatorij per vndecim vlnas remoti eſſent.* Alterum, quòd *nunquam dixit homo proximo ſuo, anguſtus eſt mihi locus manendi in Ieruſalem.* Quæ non penitus ex vſitatis eorum ſomnijs profecta eſſe, ſuadent quæ de immenſa populi multitudine Ieroſolymis admiſſa, non vno loco ſcriptura

1 Paral. 22. commemorat. Id verò non iam templum, quod & ipſum vrbem reddebat

2. Para. 17. anguſtam, ſed templi Dominus faciebat, vt eſſent *quaſi vir vnus*, & per ſingulas domos numerum quamlibet grandem concordia colligaret. Vt omnino dolendum ſit in Euangelica lege caritatis, in miniſtris ſanctuarij, nonnullos

Iſa. c. 49. reperiri, qui *dicant in auribus* Eccleſiæ *filijs ſterilitatis* eius, *Anguſtus eſt mihi locus*

*locus, fac ſpatium mihi vt habitem*: illiſque excluſis ſoli velint in templo reſidere. *O Iſraël, quàm magna eſt domus Dei, & ingens locus poſſeſſionis eius!* Quid *facimus inuicem anguſtias?* Poſtquam extuleritis in altum cornu veſtrum, & *primas cathedras* occupaueritis, nobis ſaltem dabitur recumbere *in nouiſſimo loco*, vbi & Deus eſt. Quis inuideat plures Deo miniſtros adſcribi, cui pauci ſunt homines omnes quot ſunt, & fuerunt? Nihil illis perit de parte Sacerdotali, quæ Regularibus conceditur; Dominum habemus *diuitem in omnes*; Permittite igitur decurſis ſacrorum Miniſtrorum Ordinibus, alteram inſtituti mei partem exequi, & neceſſarijs euincere rationibus, Religioſos quà Religioſi ſunt à numero Clericorum, à ſacro miniſterio, ab Hierarchia Ordinis non poſſe deïjci. Baruc. c. 3.

Propoſitionem hoc modo in ſe reductam, & vnius Religioſi ſtatus prærogatiuam ſpectantem, ſatis intelligunt aduerſarij, qui ſolam diuexant; quibus dubium non eſt quin Religioſus Sacerdos, aut Diaconus tam ſit in Ordinis Hierarchia, quàm ſecularis itidem conſecratus. Sed hoc Ordinis, non Religionis priuilegium eſſe volunt; ſemperque Religionem ſpectant, quam habent qui ſolam habent. Neque ego longam hoc loco hiſtoriæ Monaſticæ telam retexam, vt Religioſos Clericos à Monachis, Monachos à Mendicantibus diſtinguam: cum licet præcipuæ huius Hierarchiæ actiones Hierarchicum requirant Ordinem, ille autem Ordo in Religioſi ſtatus eſſentia defixus non ſit; vnum tamen nomen vbique mihi occurrat, commune omnibus, omnium Ordinum inſtar, Religio; cui Clericatum ſuum debent, qui ab ea præterea nihil acceperunt. Monachos igitur à Clericis Hierarchicæ Iuriſdictionis expoſitio diuiſerit; capaciorem ſinum explicat Ordinis Hierarchia, & ordinariſſima commixtione omnes in vnum coëuntes amplectitur. Quare pugna nobis eſt, non pro Thoma, vel Bonauentura, vel Vincentio Sacerdotibus: ſed pro fratre Laïco Ægidio, pro Iacopono, pro ſorore Catharina, & Agnete, & Genoueſa. Hos quia Religioni ſunt obſtricti votorum nuncupatione, Clericos ſuo modo eſſe & haberi aio, vos negatis; Laïcos ſimpliciter & abſolutè eſſe pernego, vos affirmatis. *Status quæſtionis exponitur.*

---

## RELIGIOSOS QVA TALES AD ORDINIS *Hierarchiam pertinere monſtratur.*

### CAPVT I.

CLERICORVM appellationem à ſorte deductam nemini ignotum eſſe poteſt. Sed eam ſortem à ſorte electi in Apoſtolum Matthiæ ſic dictam, non vno loco monet Iſidorus; & fortaſſe S. Dionyſius indicat, cum Hierarchæ cuiuſlibet electionem, ipſius primùm Aaronis in vetere teſtamento, in nouo deinde Chriſti & Apoſtolorum exemplo diuinitus fieri demonſtrat; ad Matthiæ demum Apoſtolatum deuoluitur, & eam de qua in Actis Apoſtolorum, ſortem interpretatur, ſeue- *Homo ſors Dei, Deus hominis.* Iſidor. Amal Fort. l. 2. de Ecc. offi. c. 4. Dion. c. 5. Eccleſ. in Contemp.

cionibus ad fideles dicũtur, quantò æquiùs de catecheſibus ad Catechumenos?

*Mulieres ad catechiſmũ nõ adhibitæ.*
1. Cor. 14
1. Tim. 2.

Vlteriùs progredi, & à Laicis ad mulieres deſcendere vetat interdictum Apoſtolicum, *Mulieres in Eccleſijs taceant. Turpe eſt mulieri loqui in Eccleſia. Mulier in ſilentio diſcat, cum omni ſubiectione: docere autem mulieri non permitto.* Quod adeo religioſè obſeruauit Eccleſia, vt ne Diaconiſſis quidem fas fuerit ſexum ſuum edocere publicè: & in Cyrillo vidimus viros viris, mulieres mulieribus adiungi in catechiſmo & exorciſmis, ſub vno catechiſta. Eſt tamen animaduerſione non indignum, id quod fieri videmus non vno loco, vt Sanctimoniales quæpiam ad catecheſes mulieribus rudioribus tradendas adhibeantur, expreſſè non prohiberi Concilio Carthaginenſi 4. in quo ſancitur, *vt mulier quamuis docta & ſancta, viros in conuentu docere non præſumat.* Mulieres enim ab ea doctrinæ ſuſceptione non remouet conceptis verbis Concilium; maximè cum ſacris illis Virginibus inſtituendarum puellarum fecerit Eccleſia poteſtatem.

Concil. Cartha. 4. can. 99.

## *DE MISSA ET SACRAMENTIS Catechumenorum.*

## §. IIII.

*Miſſa Catechumenorũ impropriè dicitur.*

MISSIONEM Catechumenis dabimus, vbi eorum Miſſam explicuerimus, quæ cum in omnium ore ſit, haud ſcio an etiam animo comprehẽdatur. Miſſam omnes Eccleſiaſticorum officiorum tractatores inde dictam volunt, quod ea cum inciperet, Catechumenorum miſſio, ſeu dimiſſio fieret. Quapropter impropriè Miſſa Catechumenorum appellatur ea pars, quæ Miſſam fidelium antecedit: imo ipſa fidelium Miſſa, non magis propriè dicitur, quæ non niſi fidelibus ſtantibus peragitur. Sed nimirum ſic vſus obtinuit, & nos cum multis loquentes, Miſſam Catechumenorum dicimus Epiſtola conſtare & Euangelio, re prætetea nulla. Nam *officium Miſſæ* (hoc eſt Introitum) *addidit Cœleſtinus Papa, vt in geſtis Pontificalibus continetur; & conſtituit vt Pſalmi 150. ante ſacrificium pſallerentur antiphonatim ex omnibus; quod antea non fiebat, niſi tantùm Epiſtola Pauli recitabatur, & ſanctum Euangelium, & ſic Miſſa celebrabatur. Quod nos ita intelligimus,* (inquiunt Alcuinus, & Amalarius Fortunatus, iiſdem vterque verbis) *quia ex omnibus pſalmis excerperet antiphonas, quæ pſallerentur in officio Miſſæ. Nam antea inchoabatur Miſſa à lectione; qui mos adhuc retinetur in Vigilia Paſchæ & Pentecoſtes.* Ante Cœleſtinum igitur ſola fuit lectio cum Euangelio: hæc præſentibus Catechumenis cantata; & quidem à Diacono; vt paret in Monacho apud Caſſianum, *καινοδιξίας* tentato, qui *celebrabat velut Diaconus Catechumenis Miſſam.* Conqueritur idem Amalarius morem prauum ſeculo ſuo inoleuiſſe, vt Catechumeni ante Euangelium repellerentur: quod ea ratione ipſe improbat, quòd *procul dubio prædicatoribus gentium præceptum ſit, vt Euangelium eis prædicent.* Qui mos in Gallia vigebat ab antiquo, cum Arauſicanum Canonem legamus, *Euangelia deinceps placuit Catechumenis legi, apud omnes prouinciarum noſtrarum Eccleſias.* Hac recitatione finita, miſſi ab ima Eccleſiæ naui Catechumeni, ſolenni voce Diaconi, vt eſt in Cõſtitutionibus Apoſtolicis, *Ne quis Catechumenus; ne quis ex Audientibus, ne quis ex infidelibus, ne quis ex hæreticis: qui primam precationem feciſtis, exite.* Quod & ab Hypo-

*Quid ea ſit*
Alcuin. l. de Diuin. offi. in offi. Miſſæ.
Amal. For. l. 1. de Eccl. offi. c. 5.
Caſſi. l. 11. Inſt. c. 15.
*Olim ante Euangelium emiſſi Catechumeni.*
Amal. For. l. 3. de offi. Eccl. c. 36.
Concil. Arauſic. 1. can. 18.
Conſt. Ap. l. 8. c. 12.

Hypodiaconis factum lego in Concilio Laodiceno, vbi vetantur *fores relinquere*, quia inquit, Zonaras, antiquitus ad fores Eccleſiæ conſiſtere, & Catechumenos atque Pœnitentes, cum opus foret, emittere ſolebant, *Propterea nunc quoque illud. Quicunque eſtis Catechumeni, procedite, iſti pronunciant.* Quod expreſſè de Hypodiaconis Zonaras, hoc promiſcuè de Diaconis etiam Pachymeres; & quas ille fores Eccleſiarum, hic Adyti valuas explicat, epiſtolam Dionyſiacam ad Demophilum Monachum paraphraſi enarrans: quo loco negantur Monachi ad fores Adyti conſiſtere vt eas obſeruent; *id enim*, inquit, *muneris reſpicit qui foribus adſtant, ſed introrſum, nempe Diaconos, aut Hypodiaconos.*

Concil. Laod. c. 20. Zonar. in eum locũ. Pachy. ad epiſt 8 S. Dionyſ.

Ab eo tempore nefas Catechumenis ſpectare myſteria, *quia Sacramentis altaris intereſſe non poſſunt, qui nondum regenerati noſcuntur*, inquit Amalarius, & poſt eum Rabanus Maurus. Vnde putant Miſſam incipere ab eo loco *quo incipit Sacerdos ſacrificium offerre Deo, id eſt, ab offerenda, vſque ad, Ite, Miſſa eſt.* Plus aliquid ait Micrologus, *iuxta antiquos Patres, ſolos communicantes diuinis myſteriis intereſſe conſueuiſſe*, quare eiectos ante oblationem: Catechumenos & Pœnitentes, *vt qui nondum ſe parauerunt ad communicandum.* Meliùs diceret à communione fuiſſe extorres. Longè minùs vltimæ benedictionis cum fidelibus fuerunt participes; quem nouitium fuiſſe ſeculo ſuo morem, narrat idem Micrologus, *vt Presbyteri poſt finem Miſſæ benedicant, ne populum ita benedictione, vt Communione, priuatum diſcedere permittant:* quia publica & ſolennis benedictio Hierarchis reſeruata eſt. Quod beneficium tam fuit fidelibus propriũ, vt Arauſicano eodem Concilio, de Catechumenis conſtitutum ſit, *à fidelium benedictione etiam inter domeſticas orationes, in quantùm caueri poteſt, ſegregandos, informandoſque eſſe vt ſe reuocent, & ſignandos, vel benedicendos ſemotim offerant.*

*Catechumenis nefas ſpectare myſteria.* Amal. Fort. l. 1. c. 36. Rab. Mau. l. 1. de Inſt. Cleri. c. 30. Microl. l. de Eccleſ. offi. c. 51. *Catechumenis ſolennis benedictionis non fuerunt participes.* Concil. Arauſic. 1. can. 20.

A Miſſa ad Sacramenta, in quibus operoſior eſt difficultas, tranſeo. Ampliſſima ea vox, & in Catechumenorum propoſito πολύσημος. Sacramentorum rationem appellat Iſidorus vniuersè *ordinem ad fidem venientium*, quorum tres gradus facit, Catechumenos, Competentes, Baptizatos, ſiue Neophytos. In Ordine Romano ante traditionem ſymboli, ſic animantur Catechumeni, *Accedite ſuſcipientes Euangelici ſymboli Sacramentum, à Domino inſpiratum, ab Apoſtolis inſtitutum.* Quod ante à D. Auguſtino ſcriptum. *Accepit ſymboli remedium contra antiqui ſerpentis venenum; vt ſi quando voluerit aduerſarius diabolus denuo inſidiari, nouerit redemptus cum ſymboli Sacramento, & crucis vexillo ei debere occurrere.* Salem, & ſimilia quæ Catechumenis in os inferuntur, Sacramenta dici, notius eſt, quàm vt probetur. Quæ omnia illa eſſe puto, quæ eidem S. Auguſtino *prima Sacramenta vocantur*, & Catechumeni *Sacramentorum ſocietate deuincti.* Pro pueris etiam infantibus oblatum lac & mel, idque eorum eſſe Sacramentum, docet Canon Concilij Carthaginenſis apud Balſamonem: qui & iubet ea propria & peculiari benedictione ſanctificari, *vt à dominici corporis Sacramento ſeiungantur.*

*Sacramentum plura ſignificat.* Iſid. l. 2. de Eccl. offic. c. 20. Augu. l. 2. de ſymb. ad Catec. c. 1. *Sal Catechumenorum Sacramentum.* Augu. l. de Catech. rudib. c. 13. *Lac & mel ſacramentũ puerorum.* Concil. Carth. can. 40. apud Balſam.

Vna ſupereſt de Eulogijs difficultas, quæ cum Sacramenta & ipſæ appellentur, quæritur inter eruditos, ijs ne participarint olim cum fidelibus Catechumeni? Affirmare ſuadet S. Auguſtinus, vbi de Catechumenis, *quod accipiunt, quamuis non ſit corpus Chriſti, ſanctum eſt tamen, & ſanctius, quàm cibi quibus alimur, quoniam Sacramentum eſt.* Hic inſulſum fuerit ſalem intelligere, quo certè non alimur, ſed ea quibus alimur condimus: non lac & mel, quod infantium myſterium eſt: non communes cibos, qui ad alta-

*De Eulogijs. Argumenta quibus ſuadetur Catechumenos Eulogijs fideliũ participaſſe.* Auguſt. de pec. merit. & remiſſ. l. 2. c. 26.

te offerti non ſolent. Panem igitur concipiamus neceſſe eſt, qui & offertur in altari, & Chriſti corporis ſpeciebus ſimillimus eſt; & benedictione in Eulogiam conuertitur. Præterea in Carthaginenſi Concilio, celebris eſt obſcuritate ſua Canon, *vt etiam per ſolenniſſimos dies Paſchales, Sacramentum Catechumenis non detur; niſi ſolitum ſal: quia ſi fideles per illos dies Sacramentum non mutant, nec Catechumenis oportet mutari.* Quodnam autem aliud Sacramentum Catechumenis dari potuit antea interdictum, quàm Eulogia?

Concil. Carth. 3. can 5.

Neque aliter locum interpretatur Binius. Tertiò in Canone Pij Pontificis qui eſt de Eulogijs ita ſtatuitur. *Vt de oblationibus quæ offeruntur à populo, & conſecrationibus, quæ ſuperſunt: vel de panibus quos deferunt fideles ad Eccleſiam, vel certè de ſuis, Presbyter conuenienter partes inciſas habeat, in vaſe nitido & conuenienti, vt poſt Miſſarum ſolennia, qui communicare non fuerint parati, Eulogias omni die dominico, & in diebus feſtis exinde accipiant, quæ cum benedictione priùs facias.* Vmbratilis hæc Communio, cum in veræ perfectæque per Euchariſtiam Communionis vicem ſuccedat, vt inter Chriſtianos firma pax & caritas conſeruetur; quidni & ad Catechumenos peruenire poſſit, ita cum fidelibus coniunctos, vt & ipſi ſint Chriſtiani Catholici: ſic à myſterijs remotos, vt ſint tamen in veſtibulo ſalutis?

Binius in eum locú. Pius Papa ex Cod. 5. Librorum. l. 2. c. 117.

*Obiectio. Nihil Catechumenis commune cũ fidelibus*

Albat. l. 2. Obſer. 35.

*Reſponſio veriſimilis.*

Dices fortaſſe, quod in Illuſtriſſimo Aurelianenſi video, nihil illo æuo commune Catechumenis fuiſſe, cum fidelibus; nihil datum Catechumenis; quod à fidelibus oblatum non fuerit; quod verum agnoſco; ne ipſis quidem ſubſiſtentibus in pœnitentia, qui gradus fuit reconciliationi proximus, offerre licuiſſe, & oblationibus communicare: longè minùs Catechumenis. Erit tamen qui ad iſta reſpondeat, potuiſſe hac in parte ab Eccleſia ſeuerius aliquid in pœnitentes, quàm in Catechumenos decerni; & his nonnihil concedi, quo alij culpa ſua exciderint. Nam qui in Luctu erant pœnitentes baptizati, Audientibus: qui in Narthece & porticu, Catechumenis deteriores erant. Quis autem concedat Catechumenos fidelium rebus non participaſſe, cum eos in templo, ſignatos cruce, Sacerdotali benedictione locupletatos, publicis orationibus adiutos, ſua etiam miſſa dignatos frequenter legerit? Ad oblationes quod ſpectat, in Ordine Romano, ſeptem, pro exorciſmorum numero à parentibus lego dandas oblationes, in puerorum Catechumenorum gratiam. Atque vbi rationem Notarius regionarius Pontifici reddidit die Reſurrectionis dominicæ, quot heſterna nocte ſint baptizati, *ſolidum vnum à ſaccellario* datum video, ſeu Notario ipſi, ſeu Pontifici. Sunt igitur in vſu etiam Catechumenorum oblationes.

*Catechumenis aliqua cum fidelibus communia.*

*Oblationes parentum pro filijs.*

*Vera ſententia, non participaſſe Eulogijs Catechumenos.*

Nihilominus, cum eodem eruditiſſimo Antiſtite, negandum puto Catechumenis Eulogiarum partes diſtribui ſolitas; idque vnica mihi ratio perſuadet, quod Eulogiæ ſunt oblationes, offerre autem nemini vnquam licuit, cui communicare Euchariſtiæ non licuit. Neque in tota antiquitate reperias Catechumeni vllius, non certè magis quàm pœnitentis admiſſam oblationem. Nam quæ de Ordine Romano dicta ſunt, non tam oblationes ſunt; quam grati animi ſignificationes, fiuntque à parentibus non vt in communionis vnitatem admiſſi filij demonſtrentur, ſed vt Deo gratiæ agantur, quod ad eam aſpirent, feliciterque ducantur. Nonne autem Eulogiæ diſtribuuntur expletis myſterijs, in eos qui & interfuerunt, & communicare debuerunt? ac ne in omnes quidem: nam quarti gradus pœnitentes ab eo numero excipiuntur.

*Reſpondetur obiectionis de oblationibus parentum.*

Atqui

Atqui hæc ipſa Sacramenta non ſpectant Catechumeni, & quemadmodum emittuntur ne penetrent ad myſteria, ſic excluduntur ne ad eos Sacramenta peruadant. Intuere autem Pij Pontificis decretum, ſi vult alios oblationum eſſe participes, quàm fideles? Vide ad quos fermentum ſuum, id eſt, panem fermentatum, & Eulogiam mittat Innocentius: Nonne ad Preſbyteros Titulorum, qui die illo plebi ſuæ debent incubare, vt *ſe à noſtra communione*, inquit, *maximè illa die non iudicent ſeparatos*. Vnquam-ne tam arcta neceſſitudine Catechumenos cum fidelibus coniunctos inueniemus?

*Reſpondetur decreto Pij Pontif.* Innoc V. ep. ad Decenn. c. 5.

Neque verò S. Auguſtinus, allegato ex altera parte loco, Catechumenorum Sacramentum Chriſti corpori ſimile eſſe dicit; ne cibum quidem; ſed aliquid Chriſti corpore minùs ſanctum, cibis communibus ſanctius, quod ad ſalem facile referatur, qui τῶν ἁλῶν Catechumenorum Sacramentum appellatur. Neque in Carthaginenſi Canone tanta eſt obſcuritas, quantam ipſe ſibi fingit Aurelianenſis; modò ſimpliciter agnoſcamus, auguſtiſſima illa Paſchatis hebdomada, gratificatos Catechumenis nonnullos in Africa, Eulogiarum in partem eos vocaſſe; quod omninò fieri prohibet Concilium; & opinionem noſtram ſtabilit interdicto, quam aliquorum abuſus antea facto impugnabat: & cauſam addunt Patres argumentatione minorum. Si feſti ſolennitas auguſtius nihil; quàm ſolita Sacramenta fidelibus donare cogit, quare Sacramenti maioris vſum Catechumenis concedemus? maneant ergo ſale ſaliti, nec manus ad filiorum panem extendant, nondum cœlo & Eccleſiæ regenerati. Et quemadmodum ambitioſus religionis zelus, Catechumenos ad ſuperiorem illum communionis Eccleſiaſticæ gradum euehebat in Africa; ſic antea fideles in Aſia nimius pietatis ardor eò perpulerat, vt ſacram Euchariſtiam eodem feſto, Eulogiarum vice inuicem miſſitarent, quod Laodiceno Concilio vetitum. *Sanctas oblationes ad vicem Eulogiarum, per feſtiuitatem Paſchalem ad alias parochias mitti minimè oportere.* Interpretatur Binius, *Paſchalibus diebus interdictum fuiſſe fidelibus, Eulogijs communicare; quia iiſdem temporibus ad Euchariſticam communionem ſumendam obligati erant.* Id probabile, ſi alijs diebus Eulogia in eos tantum diſtributa, qui non communicabant. Quod inquirere non eſt huius loci. Hoc tantùm dico, fideles Sacramenta non mutaſſe, quia ſi communicarunt, corporis Chriſti participes fuerunt; ſi non communicarunt, Eulogiam ſimplicem, non autem Chriſti corpus Eulogiæ loco acceperunt: vnde ſequitur vt æquius fuerit cum ordinario ſuo ſale manere Catechumenos.

*Explicatur locus S. Auguſtini.*

*Explicatur Concil. Carth. can. allatus.* Albaſ. Notis ad Con. Carth.

*Eulogiæ per abuſum Catechumenis datæ.*

*Simili abuſu Euchariſtia vice Eulogiarum data inter fideles.* Concil. Laod. c. 14. Binius in cum locum.

De quibus vt tandem agere deſinam, ad Petrum Aurelium oculos & mentem retorqueo, poſtuloque, vt edicat qua fretus ratione, Catechumenos *extra Eccleſiam fuiſſe; nec fidelium numero comprehenſos* aſſerat, quos Eccleſiæ doctores *in ipſa intus Eccleſia, in veſtibulo ſalutis, illuminatos, fideles, Catholicos, ſanctos, diuini nominis participes* eſſe aiunt, quos cruce munit Eccleſia, Sacramentis ornat, purgat ſcrutinijs. Cur Diaconos velit collocata in eos opera Hierarchiam promeritos, cum plurimi Laïci ex commiſſione, Preſbyteri ex officio, ordinariè illos catechiſmo illuminarint, Hierarchæ ipſi ſolenni baptiſmo perfecerint? Cur denique tres illos initiandorum ordines eijciat ab Eccleſia, quos totis viſceribus Eccleſia complectitur? Sed nimirum ad Patres & Concilia prouocat. Audiamus.

*Refellitur Petr. Aurelius.*

## AVRELIANA PATRVM ET CONCILIORUM teſtimonia explicantur.

## CAPVT XXVI.

*Ponitur theſis ab Aurelio conficienda.*

HABET Petrus Aurelius duo quæ præciſè probet: primum Diaconos olim *functiones Hierarchicas non niſi erga homines extra Eccleſiam poſitos exercuiſſe.* 2. Hos homines, eſſe *Catechumenos, Pœnitentes, Energumenos, extra Eccleſiæ communionem, nec fidelium membrorumque Eccleſiæ numero comprehenſos.* Vtrunque demonſtrare tacitis omnium iudicijs rogatus, ita reſpondet. *De Catechumenis nemo negabit. De Pœnitentibus Patrum & Conciliorum conſenſu alibi probabitur, nec difficilis probatio. De Energumenis denique clari ſunt Conciliorũ Canones, & Patrum teſtimonia.* Molem teſtium, & marginales citationes numero & mole infinitas expectabam: Ibi citantur Patres duo, Dionyſius & Cyprianus, & ex vtroque loci duo; Concilia item duo Eliberitanum, & Arauſicanum; vt hic ipſe binarius numerus imperfectior Hierarchico, neſcio quod *malum omen* auctori portendat. Libros conſulamus.

*Dionyſius Aurelium nihil iuuat.*

[illegible]

*Dionyſius Eccleſ. Hierarch. c.5.* ne verbo quidem Aurelianam doctrinam indicat, de initiandis tantùm ijs qui ſint extra Eccleſiam. Imo Diaconorum ordinem ait, *ſacris myſterijs minùs perfectos expiare.* Itemque *eos qui expiati ſunt, ad illuminantia Sacerdotum ſacra deducere, nondum initiatos expiare, profanos à Sacerdotibus ſecernere.* Qui diſtinguuntur non iam à populo ſancto, ſed à Sacerdotibus, ideoque profani vocantur; qui iam initiati ſunt, qui minùs perfecti, ſunt-ne extra Eccleſiam ſimpliciter & abſolutè poſiti? Dionyſius idem eiuſdem libri *c. 3. ſect. 2.* nullo verbo negat ordines omnes initiandorum, *fidelium membrorumque Eccleſiæ numero comprehendi.* Tantùm hoc ait, *Catechumenos, & vnà cum eis Energumenos, & qui ſunt in Pœnitentia, extra templi ambitum collocari,* finita videlicet ſanctorum lectione librorum. Eius rei cauſas inferiùs proſequitur, quo non penetrauit Aurelius, ſuperficie contentus. Hoc vero de Pœnitentibus omnibus, de Energumenis omnibus nego intelligendum. Nam & hos Dionyſij Energumenos, vult eſſe D. Thomas Catechumenos, vt alibi monuimus: ac licet Pœnitentium aut Energumenorum nemo ad ſacram admitteretur ſynaxim, non inde tamen à Theologo Catholico negari poſſent *fidelium membrorumque Eccleſiæ numero comprehendi.* Nihil igitur habet Aurelius à Dionyſio, quem ſuum prædicat.

c.5.Eccl.

c.3.Eccleſ.

*Explicatur Cypriani ſententia ep. 32.*

Sed facit pro eo Cyprianus. Audiatur. Quo loco? *Epiſtola 52. & 54.* Bene eſt: vtraque *libellatici & ſacrificati* ad pœnitentiam admittendi monſtrantur. Quando tandem? Poſt fletum diuturnum, ſi temporum mora permittit. *Maximè lapſorum mentes claſſico quodam noſtræ vocis animanda, vt pœnitentiæ viam non ſolùm precibus & lamentationibus ſequerentur.* Vides nondum eſſe in pœnitentia qui ſunt in fletu. *Temperamentum ſalubri moderatione librauimus, vt nec in totum ſpes communicationis & pacis Lapſis denegaretur:* (ne aditus Eccleſiæ per pœnitentiam occluderetur, quod videlicet contendebat Nouatianus:) *Nec tamen rurſus cenſura Euangelica ſolueretur, vt ad communicationem temerè proſilirent;* (vt ſine legitima pœnitentia plenam reconciliationem importunè extorquerent;) *ſed*

*Pœnitentes in Eccleſia retinentur, contra Nouatianum.*

*traheretur diu pœnitentia, & rogaretur dolenter paterna clementia.* Pœnitentes hic video in Eccleſiæ ſinu, quos inde volebat Nouatianus auellere. Si enim ſunt Patres Epiſcopi, profectò filij lapſi Pœnitentes: ſi pœnitentia tantùm trahitur, hominis fidelis prærogatiua non perditur: ſi cenſura Euangelica colligatur, extra Euangelij ſepta & Eccleſiæ corpus non conſtituitur. De libellaticis deinde pronunciat, verendum ſi eorum pœnitentia reſpuatur, *ne cum vxore & liberis in hæreſin vel ſchiſma diabolo inuitante rapiantur.* Sentis-ne Aureli repugnantem tibi è diametro Cyprianum? Pœnitentes, inquis, non ſunt *in fidelium, & mẽbrorum Eccleſiæ numero:* at Cyprianus, niſi Pœnitentes facimus è *fidelium & membrorum Eccleſiæ numero* per hæreſin & ſchiſma rapientur. De Trophimo poſtea olim Epiſcopo, lapſo deinde, demum facti pœnitente, & admiſſo in Eccleſiam, amico ſuo ſatisfacit, *Quoniam cum Trophimo pars maxima plebis abſceſſerat, redeunte Trophimo & ſatisfaciente & pœnitentia deprecationis* (quemadmodum lugentes) *errorem priſtinum confitente, & fraternitatem quam nuper abſtraxerat cum plena humilitate, & ſatisfactione reuocante, audita ſunt eius preces, & in Eccleſiam Domini non tam Trophimus, quàm maximus fratrum numerus, qui cum Trophimo fuerat, admiſſus eſt, qui omnes regreſſuri ad Eccleſiam non eſſent, niſi cum Trophimo comitante veniſſent.* In Laïca communione conſtitutus eſt Epiſcopus Trophimus, comites autem Laïci ſine dubio in pœnitentia; quam cuiuſque culpa merebatur, & tamen omnes admiſſi dicuntur in Eccleſiam Domini, & regreſſi ad Eccleſiam: ergo apud S. Cyprianum Pœnitentes non ſunt extra Eccleſiam poſiti. *Nec putemus mortuos eſſe, ſed magis ſemianimes iacere eos, quos perſecutione funeſta ſauciatos videmus. Qui ſi in totum mortui eſſent, nunquam de eiſdem poſtmodum & Confeſſores & Martyres fierent.* Si tantùm ſemianimes, non mortui, cur extra Eccleſiam poſiti? Si deinde Martyres in ipſa Pœnitentia, cur fidelium membrorumque Eccleſiæ numero non comprehenſi? *Sed quoniam eſt in illis quòd Pœnitentia ſequente reualeſcat, ad fidem, & ad virtutem de Pœnitentia robur armatur:* (quomodo reualeſcit Pœnitentia, ſi ea ab Eccleſia eijcit?) *Quod armari non poterit, ſi quis deſperatione deficiat, ſi ab Eccleſia durè & crudeliter ſegregatus ad gentiles ſe vias & ſecularia opera conuertat, vel ad hæreticos & ſchiſmaticos reiectus ab Eccleſia tranſeat:* Segregatus ergo & reiectus ab Eccleſia non eſt, qui admiſſus ad Pœnitentiam, ſed qui de Pœnitentia conſequenda deſperat. Audis interim *duram & crudelem*, vt Nouatiani Pœnitentiam denegantis, ſic Petri Aurelij Pœnitentes ab Eccleſia ſeparantis, appellari ſententiam?

*Cyprianus Aurelio directè aduerſatur.*

*De Trophimo Epiſcopo lapſo.*

*Admiſſi ad Pœnitentiã, dicuntur regredi ad Eccleſiam.*

*Dura & crudelis Aurelij ſententia.*

Et hæc quidem ex epiſtola priore ſelecta. In altera quid ad propoſitum? *Neceſſitate cogente cenſuimus eos qui de Eccleſia Domini non receſſerunt, ſed Pœnitentiam agere, & lamentari, ac Dominum deprecari, à prima lapſus ſui die non deſtiterunt, pacem dandam eſſe.* Audis, Lector, non recedere eos ab Eccleſia, qui Pœnitentiam agunt, & Aurelius extra Eccleſiam poſitos dici ait à Cypriano. *Intereſſe debet, frater cariſſime, inter eos qui vel apoſtatauerunt, & ad ſeculum cui renunciauerant reuerſi, gentiliter viuunt, vel ad hæreticos transfugæ facti contra Eccleſiam parricidalia quotidie arma ſuſcipiunt: & inter eos qui ab Eccleſiæ limine non recedentes & implorantes iugiter ac dolenter diuina & paterna ſolatia,* &c. Reſponde Cypriano, frater cariſſime, quid inter *transfugas ad hæreticos & Gentiles*, & *inter Pœnitentes interſit*, ſi non minùs iſti, quàm illi ſunt *extra Eccleſiam poſiti, ne fidelium quidem numero comprehenſi?* Cur eos laudet Cyprianus ab Eccleſiæ limine

*Exponitur ep. 54 Cypriani ab Aurelio producta.*

*Pœnitentes non recedũt ab Eccleſia.*

non teceſſiſſe, qui eriam in Pœnitenriæ curſu, intra Eccleſiæ limina recepti ſunt, ſi verum eſt *extra Ecceleſiam eſſe poſitos?* Scire igitur aueo quibus tandem ex verbis opinationem ſuam hauriat Perrus Aurelius. Non ex illis ſanè quæ vel præterir, vel diſſimular, ſed ex præcedentibus fortaſſe : *vt qui ſupplantati ab aduerſario, & lapſi fuiſſent, & ſacrificijs ſe illicitis maculaßent, agerent diu pœnitentiam plenam; & ſi periculum infirmitatis vrgeret, pacem ſub ictu mortis acciperent. Nec enim fas erat Eccleſiam pulſantibus claudi*, &c. Sic enim agere voluit acumen Aureli; qui pulſant Eccleſiam vt ingrediantur, ſunt extra Eccleſiam poſiti: qui verò pacem ſub ictu mortis poſtulant foris pulſant, extra conſiſtunt, non ſunt ergo fidelium numero comprehenſi. Reſponſio vel pueris expedita. Non ſunt intra Eccleſiam plena & perfecta communione, quam excludit Pœnitentia: ſunt tamen intta Eccleſiam ad communionem expiationum, & precum admiſſi, quam indulra Pœnitentia neceſſariò includit. Putat autem Autelius in fletu & rerribili illo anarhemare ſemper extiriſſe Pœnitenres illos, quibus pax perfecta negabatur : quod eſt & Pœnitentiæ gradus ignorare, & Pœ nirentiæ naruram non intelligere, quæ, vt diximus, cum horrenda illa excommunicatione non ſubſiſtit. Non fauer igitur Aurelio Cyprianus, Venio ad Concilia.

*Argumentum Aurelij.*

*Reſponſio.*

Rem tuam contra Energumenos agis Eliberitano antiquæ ſeueritatis Concilio, cuius & auctoritatem ſcire debes à multis in dubium reuocari, & Canones, ſi non aliunde, ſaltem vetuſtare corruptos, & ſententiam corruptione obſcuraram, & vt omnia ſalua claraque conſtirerint, tantùm prouinciale eſſe, à paucis Epiſcopis in orbis angulo coactum, à Baronio inter prouincialia antiqua non honoratum, qui tamen Ancyranum, Neocæſarienſe, Gangrenſe, Laodicenum, Arelarenſe plurimi facit. Hoc igitur Concilium, quod neque tu, neque ego ex aſſe inrelligimus, tanquam parietinam è thermis, aut æquæ ductibus, quaſi naſo & auribus mutilaram è ruderibus ſtaruam, aut lectum in Carmentæ ſepulcro carmen magnificè oſtentare, eiuſque Canones *Eccleſiæ diſciplinam* vocate; eo cirato imperitorum plauſus, & grande ſophos emereri, glorioſius eſſe quàm ſolidius, rerum peritus arbiter iudicabir: interque illas commendatæ anriquitaris reliquias recondet in muſæo, quæ ad hoſpitum venerationem, non ad dominorum vſus reponuntur.

*Reſpondetur ad Concilium Eliberitanum. Cuius & corrupta, ſententia, & auctoritas non munita.* Vide Baro. ad an. 57. n. 121. *qui & omnij rigoris vſque ad Nouatiani erroris limites coarguit.*

Id verò non eo à me dictum eſt, vt illius Hiſpanienſis Concilij auctoritatem eleuem, aut Canonis ſentenriam defugiam, quem ſi quietis, & paulùm quàm ſoler acurioribus oculis inſpexerit Aurelius, ſibi nulla ratione fauere, mihi nulla in parte nocere perſpiciet. Sic enim haber, *Energumenus, qui ab erratico ſpiritu exagitatur, huius nomen neque ad altare cum oblatione recitandum, neque permittendum vt ſua manu in Eccleſia miniſtret.* Hunc ego Enurgumenum vel actu vexatum, vel ad Lugentes in Pœnirenria per excommunicationem retruſum eſſe dico. Nam de excommunicato intelligi probabile facir Canon 37. de danda communione in fine mortis : vel certè in Syſtaſi, cum honoratiſſimis Pœnirenrium conſtitui, alienum quidem ab Euchariſtia, ſed in precibus cum omni populo fideli communicantem. Id igitur cum reſpondero, tu quid habes opponendum? quid hinc trahis in cæterorum Energumenorum præiudicium, ad percipiendam Euchariſtiam? Nam de ſuſcipiendis ordinibus ſacris non diſcepro. Idem-ne puras eſſe ab Euchariſtia, & ab Eccleſia repelli? non eſſe miniſtrum Eccleſiæ, & membrum? Ille ipſe arreptitius, *fuit*

*Explicatur Concilij Eliberitani can. 19.*

*aliquando*

*aliquando particeps ſanctiſsimorum Sacramentorum*, ſi quando in infidelitatem incidit, ab Eccleſiæ fide excidit. Quod ſi non peccauit, qua ſua culpa extra Eccleſiam poſitus eſt? Hi nimirum ſunt Canones & Patres antiquiores, quibus opinionem tuam habes tueri.

Dion. c. 3. Eccleſ. in Contemp.

*Nam remittente ſenſim diſciplina, cum iis mitiùs agi cœpiſſe notum eſt*, inquis. Vnde? ex *Concil. Arauſic. 1. can. 14.* quem citas: & hunc expendamus. *Energumeni baptizati* (vt Chriſtianos intelligas) *ſi de purgatione ſua curant* (ſeu à peccato vnde in hanc calamitatem inciderunt, ſeu ab inſeſſore ſpiritu) *omnimodis communicent*. Id cum impetant Patres Concilij, nonne eos à quibus prohibentur communicare, reprehendunt? Veteri autem legi, quod criminatis, non derogare, vel illud probat, quòd nullius interpolationis aut commutationis meminerunt, cum tamen nouum de chriſmatione baptiſmali decretum, priùs non protulerint antecedentibus Canonibus, quàm ſcriberent, *Placuit inter nos, non vt præiudicans quicquam.* Et de reconciliatione ſub vitæ exitum, *Secundum definitiones Patrum*: & inferiùs, *Deinceps placuit apud omnes Prouinciarum noſtrarum Eccleſias, Taurinatis Synodi ſententiam eſſe ſequendam.* Quæ præcedentium conſtitutionum mentio vel expreſſa, vel indicata in cæteris, in hoc autem omiſſa Canone, prorſus oſtendit nihil ab iſtis Patribus innouati, nihil *in Eccleſiæ diſciplina* remitti. Nam & de non ordinandis arreptitijs Canon mox ſubiungitur. Nihil ergo monſtrare potes; quod nouè ſanciant, nihil quod è veteri antiquare ſe oſtendant. Adde, licet Arauſicanorum Conciliorum, & Canonum omnium vi & efficacia tandem extorqueres negatam antea, tum permiſſam Energumenis communionem fuiſſe; nunquam tamen id euincere poteris, aut *fidelium numero non eſſe comprehenſos* Eliberitanis temporibus; aut ſi comprehenſi verè non fuerunt, Arauſicano Concilio factum vt comprehenderentur. Neque enim hodie faciet Eccleſia, vt olim damnatus Arius aut Caluinus ſint fideles, quandiu id erunt, cuius cauſa ſunt habiti infideles.

Concilium Arauſicanum 1. can. 14. nihil mutauit in Eccleſia diſciplina.

Vbi eſt autem altera illa propoſitio de Diaconis aduersùs homines ſolos extra Eccleſiam poſitos laborantibus? Nam ſi conceſſero priores illos extra Eccleſiam eſſe, non tamen hanc theſim admittam. Quis hoc Cyprianus, aut Dionyſius attulit? quo Eliberitani, aut Arauſicani Concilij Canone legitur? Hoc eſt doctrinam habere in numerato, vt cum duo tantùm magna verborum ambitione promittas, in vno, ſatis quidem infeliciter, ſed tamen conatum exeras; aliud ne de limine quidem ſalutes? Sic illudis imperitis? ita ſperas ſemper defore vel aliquantùm eruditos, quibus lecto libro tuo videaris inter Theologos, quod olim Antigonus inter Reges, nomine Doſon, promiſſis magnificus, factis præparcus?

Propoſitam Theſim non explenit Aurelius.

# DE HIERARCHIA ET HIERARCHIS

## Liber Septimus.

## DE REGVLARIBVS IN HIERARCHIA ORDINIS.

### PRÆFATIO.

*QVA STATVS QVÆSTIONIS QVAM breuiſſimè proponitur.*

*Hierarchia non debet in anguſtum arctari.* Petr. Gala. l.4. de arc. c.8.

NARRANT Iudæorum Magiſtri, de decem miraculis, quæ templum ſuum auguſtius faciebant, duo hæc fuiſſe non minima; primum, quòd *ſtantes anguſti erant, procidentes verò vt adorarent, ſpatioſi erant, licet à domo propitiatorij per vndecim vlnas remoti eſſent.* Alterum, quòd *nunquam dixit homo proximo ſuo, anguſtus eſt mihi locus manendi in Ieruſalem.* Quæ non penitus ex vſitatis eorum ſomnijs profecta eſſe, ſuadent quæ de immenſa populi multitudine Ieroſolymis admiſſa, non vno loco ſcriptura

1 Paral.12. commemorat. Id verò non iam templum, quod & ipſum vrbem reddebat

2.Para. 17. anguſtam, ſed templi Dominus faciebat, vt eſſent *quaſi vir vnus*, & per ſingulas domos numerum quamlibet grandem concordia colligaret. Vt omnino dolendum ſit in Euangelica lege caritatis, in miniſtris ſanctuarij, nonnullos

Iſa.c.49. repetiri, qui *dicant in auribus* Eccleſiæ *filijs ſterilitatis* eius, *Anguſtus eſt mihi locus*

*locus, fac ſpatium mihi vt habitem*: illiſque excluſis ſoli velint in templo reſidere. *O Iſraël, quàm magna eſt domus Dei, & ingens locus poſſeßionis eius!* Quid *facimus inuicem anguſtias?* Poſtquam extuleritis in altum cornu veſtrum, & *primas cathedras* occupaueritis, nobis ſaltem dabitur recumbere *in nouißimo loco*, vbi & Deus eſt. Quis inuideat plures Deo miniſtros adſcribi, cui pauci ſunt homines omnes quot ſunt, & fuerunt? Nihil illis perit de parte Sacerdotali, quæ Regularibus conceditur; Dominum habemus *diuitem in omnes*: Permittite igitur decurſis ſacrorum Miniſtrorum Ordinibus, alteram inſtituti mei partem exequi, & neceſſarijs euincere rationibus, Religioſos quà Religioſi ſunt à numero Clericorum, à ſacro miniſterio, ab Hierarchia Ordinis non poſſe deijci. Baruc. c. 3.

Propoſitionem hoc modo in ſe reductam, & vnius Religioſi ſtatus prærogatiuam ſpectantem, ſatis intelligunt aduerſarij, qui ſolam diuexant; quibus dubium non eſt quin Religioſus Sacerdos, aut Diaconus tam ſit in Ordinis Hierarchia, quàm ſecularis itidem conſecratus. Sed hoc Ordinis, non Religionis priuilegium eſſe volunt; ſemperque Religionem ſpectant, quam habent qui ſolam habent. Neque ego longam hoc loco hiſtoriæ Monaſticæ telam retexam, vt Religioſos Clericos à Monachis, Monachos à Mendicantibus diſtinguam: cum licet præcipuæ huius Hierarchiæ actiones Hierarchicum requirant Ordinem, ille autem Ordo in Religioſi ſtatus eſſentia defixus non ſit; vnum tamen nomen vbique mihi occurrat, commune omnibus, omnium Ordinum inſtar, Religio; cui Clericatum ſuum debent, qui ab ea præterea nihil acceperunt. Monachos igitur à Clericis Hierarchicæ Iuriſdictionis expoſitio diuiſerit; capaciorem ſinum explicat Ordinis Hierarchia, & ordinatiſſima commixtione omnes in vnum coëuntes amplectitur. Quare pugna nobis eſt, non pro Thoma, vel Bonauentura, vel Vincentio Sacerdotibus: ſed pro fratre Laïco Ægidio, pro Iacopono, pro ſorore Catharinà, & Agnete, & Genouefa. Hos quia Religiòni ſunt obſtricti votorum nuncupatione, Clericos ſuo modo eſſe & haberi aio, vos negatis; Laïcos ſimpliciter & abſolutè eſſe pernego, vos affirmatis. *Status quæſtionis exponitur.*

---

## RELIGIOSOS QVA TALES AD ORDINIS *Hierarchiam pertinere monſtratur.*

### CAPVT I.

CLERICORVM appellationem à ſorte deductam nemini ignotum eſſe poteſt. Sed eam ſortem à ſorte electi in Apoſtolum Matthiæ ſic dictam, non vno loco monet Iſidorus; & fortaſſe S. Dionyſius indicat, cum Hierarchæ cuiuſlibet electionem, ipſius primùm Aaronis in vetere teſtamento, in nouo deinde Chriſti & Apoſtolorum exemplo diuinitus fieri demonſtrat; ad Matthiæ demum Apoſtolatum deuoluitur, & eam de qua in Actis Apoſtolorum, ſortem interpretatur, reue- *Homo ſors Dei, Deus hominis.* Iſidor. Amal. Fort. l. 2. de Ecc. offi. c. 4. Dion. c. 5. Eccleſ. in Contempl.

*Qua fuerit ſors Mathia.*
*Act. c. 1.*
*Ioan. c. 15.*
*Hier. infra citandus.*

lationem cœlitus immiſſam in Apoſtolos eligentes, qua claré dignoſcerent vtrum è duobus ad ordinem Hierarchicum Deus allegeret. Vt intelligamus Clericatum non homini, ſed Deo eligenti deberi, & prius hominem Dei ſortem eſſe, quam Deus ipſe ſit hominis ſors: qui Clericis omnibus ex æquo dicit, *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos.* Quæ eſt expreſſa S. Hieronymi inferiùs producendi animaduerſio, *Vocantur*, inquit, *Clerici, id eſt ſorte electi: omnes enim Deus in ſuos elegit.* Non ait, Deum elegerunt, quaſi proprio iudicio, collatione Dei cum mundo, rerum ſpiritalium cum ſecularibus facta Deum ſortiri maluerint: ſed electi ſunt à Deo; quòd ea vocatio & ſors non ſit *currentis & volentis hominis, ſed miſerentis Dei.* Eius enim eſt Eccleſiæ ſuæ miniſtros ſufficere, qui ſacrificium dedit: eius, vitæ noſtræ rationes componere, qui & auctor eſt & arbiter vitæ, cumque omnes ad Eccleſiam & fidem vocare non deſinat, ex iis paucos circa ſacra myſteria occupari permittit; vt illo etiam ſenſu verum ſit Chriſti pronunciatum, *multos vocatos eſſe, ſed paucos electos.*

*Stricta Clericatus acceptio.*
*Baſil. c. 55. ad Amph.*
*Religioſi vt ſicco ſenſu Clerici non ſunt.*

Sors hæc, & iſte Clericatus preſsè acceptus, & vt vulgò ſcribunt & loquuntur qui res tractant Eccleſiaſticas, circa auguſtiſſimum Chriſtianæ legis ſacrificium occupatur; ſoloſque eius miniſtros ad id conſecratos, aut alios eodem initiali tonſura deſtinatos complectitur. Hi ſtrictè cenſentur in Canone; hi vel Sacerdotes ſunt, vel Sacerdotij miniſtri, aut candidati. Hos S. Baſilius propriè intra Eccleſiam eſſe ſignificat, cum opponit Laïcis qui ſunt extra Eccleſiam, id eſt, qui Eccleſiaſticis officijs deputati non ſunt, qui Eccleſiæ & altari ex ſtatu ſuo non ſeruiunt, quos nulla Dei ſors & electio, nulla Eccleſiæ per Hierarchas conſecratio ſacrificij miniſterijs dedicauit. Quæ ſignificatio in Clericis perquam anguſta, in Laïcis nimium fuſa & ampla, nullam admittit dubitationem, quin Religioſi homines eiuſmodi Clericis oppoſiti, ſine Ordine, ſine Tonſura, de ſe ab altaribus alieni, ſenſu illo Laïci ſint, Clerici non ſint. Quod cum hoc aditu volens libens concedam, reliqua diſputatione frequenter huc oculos reflectamus oportet, vt ſcriptorum ſententiam ad hunc ſenſum accommodari meminerimus, qui nobis in quæſtione non eſt.

*Fuſior Clericatus ſignificatio.*
*Iſid. l. 7. Etym. c. 12. habetur. diſt. 21. c. Cleros.*
*Hier. ep. 3. ad Nepot.*
*Franciſci Hallier retractatio.*

Itaque vt curſu ſuo feratur controuerſia, Clericatum hoc loco illis anguſtijs liberum extendi; Laïcalem autem ſtatum vagum & inerrantem, iuſtis limitibus coërceri poſtulo, vt perſonæ omnes cælitus ad Dei obſequium electæ, publica conſecratione Deo dicatæ, in Dei ſorte & hæreditate Hierarchica auctoritate poſitæ, Clerici & dicantur, & ſint. Qui autem ex aduerſo nulla eiuſmodi dedicatione ad peculiarem Dei cultum tranſlati, & ſanctis officijs mancipati fuerint, ij ſoli Laïcorum appellatione contineantur. Ad eam ſignificationem non ex meo ſenſu deptompram, manu nos ducit Iſidorus, ipſi Gratiano non prætermiſſus, qui Clericos hinc appellatos docet. *Cleros enim Græcè, ſors Latinè, vel hæreditas dicitur; Propterea ergò dicti ſunt Clerici, quia de ſorte Domini ſunt, vel quia Domini partem habent.* Siue S. Hieronymo latius explicante, *quia Dominus ſors, id eſt, pars Clericorum eſt. Qui autem vel ipſe pars Domini eſt, vel Dominum partem habet, talem ſe exhibere debet, vt & ipſe poſſideat Dominum, & poſſideatur à Domino.* Hæc diuiſio accuratam Doctoris Franciſci Hallier meditationem merita, palinodiam ab illo expreſſit, non ſine ſpe

ſecuturæ

ſecuturæ perſimilis, cæteris in partibus de quibus controuerſamur emendationis, cum ad eas animum, ſtudio partium vacuus volet intendere. Nam cum in Vindicijs, quod neceſſariò erit aperiendum inferiùs, pro Monachis Laïcorum numero aſſerendis ſtrenuè pugnarit, in poſteriore de Sacris Ordinationibus opere, vt ſuperiore libro monuimus, clarè pronunciat veréque, ſecunda iſta & latiori ſignificatione, *Monachorum & Virginum ordines Eccleſiaſticis etiam*, id eſt, eius ſententia initio libri ilius expreſſa, *Clericalibus adcenſeri poſſe.* Quam opinionem licet aduerſarij conceſſione tanquam à veritatis manu donatam habeamus, placet tamen in ea confirmanda ſolidiùs immorari.

Is de ſacr. ordinat. pag 363. Ibid. p. 4.

*Religioſi ad hunc Clericatum pertinent.*

Et verò vel ipſa eius ſenſus expoſitio, probatio eſt. Quis enim Catholicus; quantumlibet Antiregularium Anteſignanus, vnquam negauerit, aut Religioſos eximia præ vulgo Chriſtianorum vocatione & electione, per Hierarchicam conſecrationem, peculiari Dei obſequio, publicis orationibus, carnis afflictationibus, alijſque Chriſtianæ perfectionis operibus dicatos, in Dei ſortem, hæreditatem, & poſſeſſionem, à ſeculo & communi vita tranſire: aut Religioſos ſpretis terræ oblectamentis, omnia arbitranres vt ſtrecora Chriſtum lucrifacere, & Dominum poſſidere? Abſurdum fuerit pluribus probatum ire, homines illos qui *in quotidiano fidei & conſcientiæ martyrio verſantur*, teſte S. Athanaſio magno; *qui cuncta quæ mundi ſunt deſerunt, & totam mentem igne diuini amoris incendunt, omnipotenti Deo ſacrificium & holocauſtum facti*, auctore S. Gregorio: qui votiua caſtitate ſolitarij, tamen *ſine nuptijs non ſunt, nam & ipſi pertinent ad nuptias cum tota Eccleſia, in quibus nuptijs ſponſus eſt Chriſtus*, vt ſcribit S. Auguſtinus; quibus dicit S. Bernardus, *Vos dedicati eſtis Domino, vel elegit & aſſumpſit in proprios. Quicquid habere potuiſtis à ſeculo, ea nunc relinquendo, proprij eſſe meruiſtis auctoris ſeculi, & eum habere propriam poſſeſſionem, qui ſine dubio portio eſt, & hæreditas ſuorum.* Qua profectò oratione alludit ad verba tonſuræ, & ſuſcepti Clericatus ſolennia ex Dauidicis Pſalmis, *Dominus pars hæreditatis mea, & calicis mei.* Homines, inquam, illos ridiculum eſt multis demonſtrare, vel Dominum poſſidere, vel à Domino poſſideri, ſicque ad eius ſortem pertinere. *Enimuerò*, vt ait Petrus Damianus, *cum mundo renunciauimus, proprietatem noſtram Deum eſſe conſtituimus: & nos illius proprietas conſequenter effecti ſumus, vt & ille eſſet portio noſtra, & nos peculiariter hæreditas ſua. Dicimus enim, Portio mea Domine: & ille nobis, Opus manuum meorum tu es, hæreditas mea Iſraël.*

*Religioſi ſors Dei.* Athan. in vita S. Ant. Greg. hom. 12. in Eze. Augu. tr. 9. in Ioan. Bern. ſer. 1. in dedic. Eccleſ. Pete. Dam. opuſc. 12. de contem. ſecul. c. 4.

*Idem probatur à diuiſione Chriſtianorum.*

Si quid tamen amplius Theologi fortaſſe noſtri deſiderant, definitioni per ſe ſatis apertæ, diuiſionem ſubijcio, quæ fideles omnes in Clericos & Laïcos, nullo intermedio ſtatu partitur. Sic productus à Gratiano, & ab Doctore Hallier S. Hieronymus. *Duo ſunt genera Chriſtianorum.* Nihil magis præcisè dici potuit. *Eſt autem vnum genus, quod mancipatum diuino officio, & deditum contemplationi & orationi, ab omni ſtrepitu temporalium ceſſare conuenit, vt ſunt Clerici, & Deo deuoti, videlicet conuerſi.* Κλῆρος *enim Græcè, Latinè ſors. Inde huiuſmodi homines vocantur Clerici, id eſt, ſorte electi; omnes enim Deus in ſuos elegit.* Si quis dicendi artifex exquiſito verborum delectu Religioſos deſcribere conetur, quid aliud, quid clariùs, quid ad rem noſtram aptiùs efferre poterit? *Aliud verò genus eſt Chriſtianorum, vt ſunt Laïci.* Λαὸς *enim*

12. q. 1 c. Duo ſunt. Hallier in vin. p. 400.

*Græcè, eſt populus Latinè. His conceſſum eſt vxorem ducere, terram colere, inter virum & virum iudicare, cauſas agere.* His officijs tam Monachus abſtinere iubetur, quàm exercere ſuperiora; vel excluditur ergo à cœtu Chriſtianorum, vel in Clericorum albo cenſetur. Eadem Euſebio mens eſt ab eodem Hallier recognito. *In Eccleſia*, inquit, *duo etiam viuendi modi inſtituti ſunt: alter quidem naturam noſtram, & communem vitæ rationem excedens, non nuptias, non ſobolem, non ſubſtantiam*, &c. Plurima facundè congerit in vitæ Monaſticæ admirationem, à nobis alio loco proponenda. Subditque tandem: *Alter verò remiſsior, atque humanior, & talis qui à modeſto coniugio, à ſobolis procreatione demittendo ſe, impletur*, &c. qui non alius quàm Laïcus eſſe poteſt, Monaſtico oppoſitus: Monachus igitur Clericus ab Euſebio cenſetur, non Laïcus. Hunc hiſtorici locum, vt præmonui, Doctor Hallier ad vnguem exprimit pro aduerſarij ſui ſententia, idem quod nos conficientis, à ſorte Clericorum non eſſe Monachos repellendos: quo breuiter expenſo, Doctor colligit, *ideoque in mente Euſebij infero Clericos Monachis adnumerandos eſſe.* Id quidem non ad propoſitum aduerſarij, qui tantùm cupit Monachos adiungi Clericis, non Clericos Monachis: ſed ad Doctorem ipſum contradictione implicandum ſatis commodè. Nam ſi ex illo Euſebij loco, *Clerici Monachis ſunt adnumerandi*, vt cenſet Franciſcus, de Monachis primariò intelligendus eſt: idem tamen ad huiuſce loci obiectionem reſpondet, *nullam Euſebium Monachorum mentionem facere, nec Monachos, ſed Clericos nobis exhibere.* Sed leuior hæc eſt incogitantiæ Hallerianæ obſeruatio. Solidius aliquid poſtulo: Cur ad Monachos locus iſte non pertineat? Ad eos, inquit, *qui pro ſe, & pro alijs ſacrificium peragunt*, qui nimirum Clerici ſunt, non Monachi. Præclarè. De quo enim ſacrificio agit Euſebius? Vero & proprio in altari offerendo, an potiùs metaphorico *operum & verborum, quæ à virtute proficiſcuntur*, quo diuinitas ab omnibus placari poteſt, quo præter cæteros excellunt Monachi, vt alio loco monſtrabitur? Cætera autem perfectæ illius vitæ elogia, æquè Monachis, ampliùs nolo dicere, vt Clericis communibus, non conueniunt? *Modus alter*, inquit Epiſcopus, *naturam noſtram & communem vitæ rationem excedit*: Alius igitur eſt à Clericatu communi. *Non nuptias, non ſobolem, non opes requirit.* Nonnullis tamen Clericis hæc requirere conceſſum eſt, & veros Sacerdotes in coniugum ſinu videt adhuc oriens, cum Monachi verè *μονάζοντες* vbique & omnibus ſeculis fuerint. *Totus prorſus à communi vita abhorrens, & ſoli diuino cultui ex immenſo rerum cæleſtium amore addictus, ipſumque duntaxat corpus in terra gerens.* Eam ſublimitatem nec Hypodiaconus, nec Oſtiarius, neque Pſalmiſta aut Lector affectat: ne ipſi quidem maiorum gentium ſacrati, quos ipſa officij ratio, & ſalutis alienæ procurandæ neceſſitas in *communi vita* retinet. Quæ non profero, vt Clericalis vitæ perfectionem ab hoc Euſebij Panegyrice velim excluſam: ſed vt in eo ſuum Monachis locum tuear & aſſeram, contra Doctoris Hallier iniuriam, illos exturbare cupientis. Quanquam parum eſt ſi duobus tantùm nitor auctoribus: Patres reliquos & Concilia aduoco, in quibus, hac poſita diuiſione, monſtrare pronum eſt, Monachos à Laïcis ſeparari & Clericis adiungi. Duo polliceor, & vtrunque præſto.

Vſitata Canonum formula hæc eſt, quam è Chalcedonenſi haurio, quia porrigitur ab aduerſario: *ſi ſint quidem Clerici*, id eſt, ſacris ordinibus initiati,

*Margin notes:* Euſeb l. 1. demonſtr. Euan. c. 8. Hallier. p 399. — *De Monachis hunc locum intelligi probatur contra Hallier.* — pag 400. — *Hallier ſibi contradicit.* — pag 404. — *In Concilijs Monachi ſeparantur à Laicis.*

*canonum pœnis ſubijciantur: ſi autem Monachi, vel Laici ſint excommunicati.* Si Monachi verè Laïci ſunt, cur diuidunrur à Laïcis? Sed audi Balſamonem Canones explicantem. Trullani Concilij vnus Laïcum vetat *intra ſepta ſacri altaris ingredi.* Quærunt deinde à Synodo CP. Monachi, an ſimile interdictum Monachos comprehendat? Reſpondet Balſamo, ſi quis adhuc probatur triennio, quantumuis Monaſticis veſtibus inſignis, quia tamen *in ordinem Monachorum nondum relatus eſt, ſed adhuc Laicus*, huic nullo modo ad altare ingreſſum permitti: habitum vero illum non rectè aſſumi à tirone, vt quem abijcere poſſit, & habere ludibrio. *Non enim debet cum veſtibus Monaſticis probari; ſed cum habitu Laico. Et ideo omnibus qui ſacra veſte induti ſunt, erit abſque vllo præiudicio aditus ad ſanctum altare, vt qui ne in Laici quidem locum venire poſſint*, Innumera occurrent quibus chartam onerare non placet, cum ex his facillima iſta ſit collectio. Duo tantùm ſunt Chriſtianorum genera, Clerici & Laïci; Monachi ad iſtorum alterum reducendi, Laïcis opponuntur; ergo ſunt Clerici. Quod & fateri cogitur in priori opere Franciſcus Hallier, ante rem ſtudioſè perpenſam, cum pluribus & minimè neceſſarijs auctoritatibus, quibus & paginam implet & marginem, reſpondet denique, *Hac omnia teſtimonia probare dumtaxat, Monachos ſpeciali aliqua ratione Laïcos non eſſe: ſed Clericorum potius ordini affines videri: Non probare autem eos in ordine Hierarchiæ ſuperiori conſtituendos eſſe.* Hoc dicit, conuenire cum Clericis in ordine, vel potiùs propria conſecratione, non cum Hierarchis in Iuriſdictione: quod vnum hoc loco quærimus.

Concil. Chal. c. 7. quem 8. cit. Hallier in vindic. p. 403.

Concil. in Trullo can. 69.

Balſam. ad intergat. Monach. quæ habetur tom. 6. Bibl. P.

*Tirones probandi cum habitu Laïco.*

*Cogitur hoc agnoſcere* Hallier in vin. p. 402.

## *MONACHOS CLERICIS ADIUNGI, non Laïcis.*

§. Vnicus.

VERVM & hoc conceſſô, quaſi ſtipem Elephanto porrigere videatur, manum ſtatim retrahit, & nouâ quâdam, & quæſitâ diſtinctione philoſophiam ſuam corrumpit, vt efficiat ſi poteſt, in ea diuiſione Monachos ad Laïcorum membrum pertinere. Laïci, inquit, populi ſunr, qui à Sacerdotibus & Clericis regi debent. Sunt verò in duplici differentia: alij enim Deo conſecrari ſunt per ſpecialem pietatis & Euangelicorum conſiliorum profeſſionem; alij communem Chriſtianorum vitam viuunt, nec perfectioni ſpecialiter ſtudent. Vnde deducit poſtea, Religioſos in primâ illâ Laïcorum ſpecie habitare. Qua in doctrinâ, noua mihi videntur duo, Populi definitio, & diuiſio. Quis enim dixit hactenus, λαὸν eſſe eorum hominum collectionem qui regi debeant, quaſi aut regatur omnis è populo, aut prærer populum regatur nemo? Populum Romanum in profanis cum legimus, aut Arhenienſem, eum-ne ſignificarum volumus qui regebarur in ijs Rebuſpublicis, quæ popularem dominatum ſequebantur? Quid? in iſta Hierarchia non reguntur Tonſurati ſimplices? non minoribus Ordinibus initiari? non Diaconi ipſi & Sacerdotes? non Epiſcopi ab ſupremo Hierarcha? hic ergo ſo-

*Noua eius explicatio refellitur,* loco cit.

*Populum male definit.*

lus à populo exemptus eſt. Reguntur, inquis, à Sacerdotibus & Clericis. A Lectore & Exorciſta, vel Acolytho quanta cum auctoritate reguntur? cui illorum Iuriſdictioni ſubſunt? A quibus autem Sacerdotibus reguntur? Secularibus vt ſic? Non ita cenſes, cum Regulares etiam ad Eccleſiæ magiſtratus aſcendere poſſe fatearis. Da illum Abbatem, quem Canon tuus, de quo poſtea, ſubijcit Oſtiario, fac eius Cœnobium ab Epiſcopi poteſtate exemptum; Dic amabo, turma illa ſubditorum Monachorum à quo Sacerdote, quo-ve Clerico gubernatur? Non erit ergo populus: exclude ſi potes, & à Clericis, vt penitus neges Chriſtianos. Peccat igitur tua definitio.

*Contra diuiſionem regulas peccatu.*

Diuiſionis autem quæ ſit iſta noua methodus, equidem neſcio. Nam Platonica vetus, & Peripatetica, diuidi totum docet in membra oppoſita, quorum alterũ ob altero excludatur. Tu verò quid? Cõſtat à Patribus Chriſtianos ſecari in Clericos & Laïcos: medium nihil fieri. Quare ſi Monachos, tanquam animal amphibium, locas in medio, Patrum limites tranſilis. Alteri ergo membrorum applica. Sanè Clericis: neque vllus quantumcunque Theologus ſibi videatur, ſaluo colore dicere audeat, Monachos eſſe ſimpliciter Laïcos. Errorem hæc & ſcandalum pareret aſſertio; quæ faceret *rapinam in holocauſto*, & Deo conſecratos ſeculo reſtitueret. Imo quod mox videbimus, tu ipſe fateris, Monachos ob conſecrationem in priuilegijs, Clericis quodammodo coæquari; ſunt igitur Monachi, vel te ipſo teſte, Clerici. Iam eos diuide qui ſimpliciter Laïci appellantur. Alij, inquis, perfectioni vacant, vt Monachi: alij communem vitam viuunt, vt ſeculares. Non pudet labyrinthi? Quantò commodiùs, veriuſque ad veteris logicæ dioptram Chriſtianos ſubdiuidas, Clericos, in Seculares, & Regulares, Laïcos in ſanctum populum qui myſterijs participat; & minimè purum, qui ab ijs excluditur, quales in S. Dionyſio Pœnitentes, Catechumenos, & alios vidimus.

*Explicatur Rabanus Maurus. l. 1. de Inſt. Cleri. c. 2.*

Scio equidem aliam Rabano Mauro placere conuerſantium in Eccleſia diuiſionem, quam tres in Ordines diſſecat Laïcos, Monachos, & Clericos. Et licet Doctoris noſtri ſtudium promonere videatur; ei tamen manifeſtè repugnat, cum penitus Monachos ſecernit à Laïcis, cum profitetur eorum vitam, à ſeculari & populari conuerſatione remotam eſſe. Quos ſi vult auctor eodem modo, licet non eadem ex cauſa, ſeiungi à Clericis, vt membra diuidentia vtrinque opponat inuicem; hoc ego de ſtricto Clericatu libens intelligam, in quo deinde ſingillatim explicando totus eſt, non de illo ampliore & latiore, pro quo pugnamus: quem ſi mente concepiſſet, indubiè Monachos illi ſacratorum hominum parti adiunxiſſet. Quid enim reſponderet Rabanus quærenti, ſit-ne negandum Monachos de ſorte Domini eſſe, aut Dominum partem habere? Deum ſic hæreditate poſſidere, vt abſque vllo impedimento ſecuri Deo ſeruire ſtudeant? Hæc videlicet encomia Monachis aptanda diceret, in quibus tamen Cleri Eccleſiaſtici naturam conſtituit.

*Concilia Monachos Clericis adiungunt.*

Diuiſioni connexionem adnecto, & alteram poſitionis partem comprobo ex conſanguinitate, & cognatione quæ inter Monachos & Clericos ſemper Patribus viſa eſt intercedere. Semper enim inuicem ab ijs copulantur, iiſdem gaudent priuilegijs, rebus iiſdem abſtinere iubentur: vt iure meo dicturus videar, & Clericum omnem Religioſum, & Religioſum Clericum cenſeri. De Clericis id animi gratia demonſtro, primùm ex habitu. Nam Hierarcha ſe-

*Clerici aliquo modo Religioſi.*

cularem

culatem quando tondet, vt Clericum initier, ſe ait *habitum ſanctæ Religionis imponere*; & illum *ſeruitute ſecularis habitus emundari* : *ignominiam ſecularis habitus deponero*. [Concil. Carth. 4. can. 104. & vlt.] In Carthaginenſi autem Concilio *viduas* lego (atque eadem eſt Virginum velatarum conditio, quarum conſecrationem tanti ſemper fecit Eccleſia) *quæ ſe deuouerunt Domino, & veſte laïcali abiecta, ſub teſtimonio Epiſcopi, & Eccleſiæ, religioſo habitu apparent*. Quamobrem Matiſconenſi Gallicano edicitur, vt [Concil. Matiſcon. can. 5.] *nullus Clericus ſagum, aut veſtimenta, aut calceamenta, niſi quod Religionem deceat, induere præſumat*. Deinde id ipſum conficio ex vitæ inſtituto. Quod ex Grariano, & Halleriano communi loco petere Lector non grauabitur. [12 q. 1. tota. Hallier in Vind. a p. 673. ad 679.] Quibus id tantùm addo, de præſtanda Epicopis obedientia. In Vernenſi ſiquidem Gallicano Concilio Canon hic legitur. [Concil. Verneuſ. can. 11.] *De illis hominibus qui dicunt, quòd ſe propter Deum tonſuraſſent* (ne ſacros hic rantùm ordines cogites) *& modò res eorum vel pecunias habent, & nec ſub manu Epiſcopi ſunt, nec in Monaſterio regulariter viuunt: Placuit vt in Monaſterio ſint ſub ordine regulari, aut ſub manu Epiſcopi ſub ordine Canonico. Et de Ancillis Dei velatis, eadem forma ſeruetur*. In Capitulari quoque Caroli Magni præcipitur primùm, [Capitul. Carol. M. c. 73.] *vt omnes vbicunque, qui ſe voto Monaſtica vita conſtrinxerunt, Monaſticè & regulariter omnimodis ſecundùm votum ſuum viuant*. Deinde, *ſimiliter qui ad Clericatum accedunt, quod nos nominamus canonicam vitam, volumus vt illi Canonicè ſecundùm ſuam regulam omnimodis viuant, & Epiſcopus eorum regat vitam, ſicut Abba Monachorum*. Quapropter in Concilio [Concil. Cabilo. 2. can. 40.] Cabilonenſi mentiò fit duplicis *Monaſterij, Canonici & Regularis* : & vniuersè in Concilijs Græcis, nihil frequentius legimus, quàm eos qui ſunt in Canone, id eſt, Clericos. [*Monachorũ cum Clericis affinitas.*]

Regulares è diuerſo quanta Clericos affinitate contingant, multa demonſtrant. Nam *quibus ſolitaria vita eſt, quique Sacerdotalem elegerint*, menſæ etiam cum mulieribus accumbere vetantur à Concilio ſeptimo. [Concil. sept. c. 22. Concil. in Trullo can. 24.] *Neque ijs qui Sacerdotali ordine cenſentur, neque Monachis* licere volunt Patres Trullani, Circenſes & ludós ſcenicos ſpectare. [Canon. Apoſt. 54.] Canon Apoſtolicus Clericos arcet à caupona : eodem poſtea decrero *Exercitatorum ordinem*, ſiue Monachos implicat Laodicenus. [Concil. Laod. c. 24] Clericos, & Monachos, Diaconiſſas, Monaſtrias, Aſcetrias à foro profano ad ſacrum, & Epiſcopi iudicium transfert Iuſtinianus Imperator, apud S. Gregorium. [Greg. l. 11. ep. 64. Ind. 6. Habetur 11. q. 1. c. de perſona.] Neque poteſt diffiteri Doctor Hallier *in priuilegijs pariter Monachos, ob profeſſionis ſanctitatem, Clericis quodammodo coæquari*. Præcisè definit Guillelmus Pariſienſis, [Hallier in Vin. p. 403.] *Ordinem Clericorum apud nos continere ordinem ſecularium, & ordinem Clauſtralium, & in vtroque eorum multos eſſe ordines*. [Guil. Pari. 2. P. de Vniue. p. 2. c. 141.] Faſtidio ſim ſi pluta perſequar eius conſanguinitatis exempla, quæ inter Clericos & Monachos intercedit. Eos inquam, quos Laïcales perſonas S. Bonauentura nuncupat, qui ſpiritu vanæ elationis impugnari creduntur à Caſſiano, ſi ad Clericatus gradum aſpirent, id eſt, ordinum ſacrorum deſiderio teneantur. [Caſſi. l. 11. Inſt. c. 14. & 15.]

## MONACHOS A S. DIONYSIO IN LAICOrum claſſem non reijci, apertè demonſtratur.

### CAPVT II.

*Dionyſij ſententia iudicium terminari volunt aduerſarij.* Pet. Aurel. p.445. Halliet in vin. p.391.

NON medicorum ſolùm, ſed etiam Iudicum numerus ſæpe nocuit. Sumamus igitur vnum de hac controuerſia iudicem, & quidē ſine prouocatione. Vultis ex Areopago Dionyſium? Quem vnum libentiùs, inquiet Aurelius, cum *conſtet ſcriptorum Ieſuitarum conſentientibus teſtimonijs, Monachos à S. Dionyſio Hierarchiæ Eccleſiaſticæ finibus pulſos eſſe.* Si iam lata ſententia eſt, exulemus. *Quid Dionyſium vrgeo*, inquit Hallier, *cuius mens abunde patet? Omittere tamen non poſſum egregiam illius ſententiam quæ palmaria eſt, & controuerſiam ſi quæ ſupereſt, dirimere poteſt.* Bene habet, conſenſu partium, delectus eſt iudex, quodque amplius eſt, qui pronunciatam à multis ſeculis ſententiam ſcripto omnibus propalauit. Eius igitur ſcriptum conſulatur.

*Nuſquam Dionyſium Monachos Laïcis accenſuit.*

Lege Halliet totum ad vmbilicos; lege Aureli Græcè, Latinè, Gallicè qualem citas, non iam bilinguis, vt falsè Ieſuitam vocas alicubi; ſed trilinguis, quales aiunt eſſe ſerpentes. Date in toto Dionyſio locum, vel angulum vnum, date verbum, literam, apicem, quo Monachi dicantur ijdem eſſe cum Laïcis. Id ex eius dictis exprimi facilè, & deduci poteſt, inquiet Aurelius. At ego voces expreſſas ab eo iure meo poſtulo, qui conſecutionum beneficio, Catholicis doctoribus vſitato, iamdudum renunciauit. Fatentur, inquit, interpretes Ieſuitæ, Lanſſelius, Fulienſis. Mihi cum interpretibus nulla res, loquatur Iudex. Nam vt omittam cæteros; quo tu iure Aureli producis Lanſſelium, cuius ais *interpretationem totam alio rurſus interprete plus indigere, quàm vel ipſum Dionyſij Græcum ſermonem* cum tamen eius illa non ſit interpretatio, ſed Ioachimi Perionij, vt vel pueri legendo peruidere poſſunt, & ipſe præfatione ad Lectorem fusè tradit: atque hic locus qui deridetur, totus ſit à Perionio? Ita non iudicio, ſed odio cæcus eſt Aurelius. Sed ne quid diſſimulando videat eleuare, fatendum eſt omnes quos legi Hierarchiæ Dionyſiacæ interpretes, Monachos ad populum reiicere; ſed eum ſine dubio populum intelligunt, qui ampliſſima ſignificatione Clericis miniſtrantibus Eccleſiæ opponitur, qui cum Monachos confundi principio diſputationis agnoui. Eſt enim Dionyſius totus in actuali, vt ſic loquar, Eccleſiæ miniſterio, miniſtriſque deſcribendis occupatus, quò propiùs Monachis aſpirare non licet. Verùm vbi digreſſus ab altari, vitam & conditionem ſingulorum contemplatur, quanto Monachos à Laïcis ſeparet interuallo, ſequenti capite reuoluemus; iſto quod decurrimus, mihi monſtrari peto conceptis verbis ſententiam illam, quam ex eo probare ſe dicunt aduerſarij, Monachos eſſe Laïcos.

*Fœda Aurelij hallucinatio in Dionyſij interprete* p.450.

*Explicantur interpretes Dionyſij.*

*Rationes è Dionyſio propoſitæ ab aduerſarijs.* Hallier in vin. p.390. 391. Aurel. p. 445. & ſeq.

Id ſi non dicit, inquiunt, certè ſignificat euidenter, cum illos extra ſacrum Adytum collocat, vbi populus orat: cum initiandorum in numero ponit, ſupremos quidem, ſed tamen initiandos: cum negat Monachorum ordinem eſſe adductiuum aliorum, ideoque ipſos non ab Hierarcha vt Clericos, ſed à

Sacer-

Sacerdote conſecrari. Sic iſti diſputant, coacti priùs agnoſcere, non dici à S. Dionyſio quod dicunt, ſed ſignificari quod cupiunt. Ea verò ſignificatio qualis tandem ſit, inſpiciamus.

Ordiuntur à loco. Extra chorum Monachus orat. Verè. Addo etiam mor- *Singillatim expenduntur. Ac 1. de loco in quo Monachus orat.*
tui Monachi corpus eodem loco poni, ad valuas Adyti, cùm exceſſit è viuis.
Non enim miniſtrat Monachus, non canit, non legit Scripturas. Quid igitur
faciat in Sacrario? Adytum ingrediuntur ordinati ſoli, atque ij fortaſſe non
omnes, nam ad Oſtium excubare debet Oſtiarius: ego verò Monachum or- Diony. ep. 8. ad Demoph. Item c. 7. Eccleſ.
dinari non peto; ſed & ſolum eſſe Clericum qui ſit ordinatus, hoc pernego.
Quod ſi contenditis eos omnes qui extra Adytum orant, eſſe ἱερὸν λαὸν; erunt ergo pari iure, ſanctus populus, Pœnitentes, qui ἐν στάσει; erunt fidelis populus, Catechumeni, qui orant & in ima naui intra Baſilicam. Denique oſtendite in S. Dionyſio, omnes eos qui extra Adytum orant, populum ſanctum, aut fidelem eſſe. *Ijs*, inquit Hallier, *ſacrarij portæ occludi dicuntur, vt à Clericorum ordine arceri ſe norint, in Laïcorum ſcilicet claſſem* (hæc ſunt Doctoris aduerſarij, non Iudicis noſtri verba) *ita quidem, vt reliquum populum præcedant, cui tamen magis, quàm Clericorum ordini affines eſſe ſe agnoſcere debeant.* Parum tibi fauet, ſi hoc tantùm ſcripſit Dionyſius. At ne hoc quidem ſcripſit. Quid igitur? *Peruersè citatur Dion. ab Hallier.*
Monachos aſſiſtere ad valuas, *non vt eas cuſtodiant* (eſt enim ὑπηρετῶν) *ſed vt agnoſcant, quid ſi, & ordinem ſuum.* Sapienter, ſed & hoc Presbyteris, & Diaconis præceptum in Concilijs vidimus. Quid igitur deinde? *Propiuſque ad populum, quàm Eccleſiaſtici ordinis homines accedunt.* Aut, vt interpretatur Pachymeres, *propiùs ad populum; quàm ad ordines Eccleſiaſticos.* Quocunque iſta modo accipias, quòd ego magis, quàm tu, ad populum accedam; vel quàm ad te: neutrum tibi tradit quod poſtulas. Magis enim tu ad populum accedis, quàm Epiſcopus: magis Diaconus, quàm tu. Magis Oſtiarius, quàm vel tu; vel ad te: nemo tamen veſtrum Laïcus eſt. Progredior. *Epiſt. 8. ad Demoph.* *Pachy. in paraphr.*

Inter initiandos Monachi recenſentur, ergo ſunt Laïci. Antecedens infe- *2. Quod Monachus ſit inter initiandos.*
riùs explanabitur. Lubet modò in conſecutione immorari. Vbi dicit S. Dionyſius initiandos, & populum ſanctum, pro iiſdem haberi? Tres docet eſſe
ordines τῶν τελουμένων, Purgandos, Illuminandos, Perficiendos. Purgati eos, qui Dion. c. 6. Eccleſ.
arcentur à ſacris, illuminari ſanctum populum, perfici Monachos. Et vt Purgatio, Illuminatio, Perfectio, diuerſæ ſunt officij Hierarchici partes, varioſque & nonnunquam repugnantes actus Hierarchicos continent; ita, qui purgantur non ijdem cum illuminatis, & qui illuminantur, alij ſunt ab ijs qui perficiuntur. Nam ſpecies quæ genus diuidunt, contrahuntque, ſibi inuicem, ſi quid me logica docet, opponuntur. Monachi ergo non poſſunt eſſe Laïci, quibus opponuntur: neque vniuersè; omnes initiandi ſunt Laïci. Sunt hæc infirma præſidia quæ in te contorquentur. Videamus Achillem, *palmariam ſententiam, quæ ſola controuerſiam dirimat.* Parum hoc eſt. *Ex qua re* inquit Aurelius, *perſpicuum argumentum elicitur Monachos ab Hierarchia abeſſe, non tantùm Dionyſij, ſed etiam totius Eccleſiæ veteris auctoritate, ac ſenſu.* Quod illud tandem eſt?

Monachorum conſecratio non fit ab Hierarcha, ſed à Sacerdote; quia eo- *3. Quod Monachus non conſecretur ab Hierarcha.*
rum non eſt, alios deducere, ſed in ſe, ac per ſe ſtare in ſingulari ſanctoque ſtatu. Ergo Monachi, ſunt Laïci. Sic enim concludendum arbitror, quia quæſtionem continet. Atqui conſequentia hæc tam præter antecedentis expecta-

tionem appoſita, frigidam mihi injicit. Conferuntur enim minores ordines, non à ſolis Epiſcopis, ſed à nonnullis Abbatibus, qui in aduerſariorum noſtrorum Canone non ſunt Hierarchæ, ij-ne ſunt Laïci? Acolythus, Pſalmiſta, Tonſuratus, Laborans quem deducunt, quem purgant, aut illuminant? ergo Laïci. Sacerdos ſola in reale Chriſti corpus poteſtate præditus, Iuriſdictionis omnis expers, neminem deducit, ad Laïcos ergo deportandus eſt. Vrgebit Aurelius ex Dionyſio ſaltem hic ſuo. Hierarchica conſecratio *graduum Eccleſiaſticorum* eſt; ea verò priuatur Monachus; non eſt igitur conſors Hierarchiæ. Lubet primùm cum Aurelio grammatico grammaticari. Non dicit Dionyſius *gradus Eccleſiaſticos*, ſed Sacerdotales, ἱερατικὰς τάξεις, vltra quos protendi etiam Clericatum, cum res ipſa, tum Laodicenus Canon declarat, qui Hieraticos vel Clericos magicis artibus vetat eſſe deditos: & in Actis Apoſtolicis, præter eos *qui erant de genere Sacerdotali*, minores alij Leuitæ cenſebantur. Itaque quamuis propria Sacerdotibus vel Diaconis benedictione non donetur Monachus, ſtatim ideo extra Clerum non eijcitur. Deinde Aurelio Theologo reſpondeo, Monachi conſecrationem Hierarchicam non eſſe, vt ab Hierarcha immediatè profectam, ſed eſſe Hierarchicam, vt eius auctoritate à Sacerdote factam: qua ratione Diaconi Baptiſmus, Sacerdotis concio, Lectoris publica ſcripturarum recitatio, Exorciſtæ labor aduerſus Energumenos Hierarchica ſunt. Obſeruauit autem S. Dionyſius Hierarchicæ conſecrationis differentiam ab Hierurgica, vt Monachum oſtenderet ad altaris miniſterium, in quo deſcribendo totus erat, non conſecrari.

[illegible] c. 6. Eccle. *Idem verbum antea malè transferebat Hallier.* [illegible] Concil. Laod. c. 36 [illegible] Act. c. 4. *Monachi conſecratio Hierarchica eſt.*

Non acquieſcunt aduerſarij, Demophilum in ius vocant, eius obiurgationem in S. Dionyſio, noſtram eſſe volunt condemnationem. Mirum quod in eius nomine, populare nihil deprehendant grammatici. Quid autem commiſit Demophilus, quamobrem Monachi omnes gradu Clericali moueri debeant, & in cæritum tabulas referri? Sacerdotem officio ſuo fungentem, minor ipſe reprehendit; hoc ne Diaconus quidem audeat. Ingreſſus eſt in Adyta, vnde ſacrorum lege arcetur. Quid enim tempore ſacrificij agat in ſacrario non miniſter? cur ingrediatur in Diaconicum, vbi ſoli verſantur Sacerdotes, & λειτουργῶν ἱερέων; Sanctiſſimam Euchariſtiam manibus attrectauit. Facinus hoc eſt, ſed omnibus infra Diaconum initiatis prohibitum. Peccatorem hominem criminum veniam à Sacerdote ſuppliciter poſtulantem, calce abegit. Indignè factum, ſed quod ne in alio quidem Sacerdote probari debeat. Inde colligant ipſi, aut tam opportuno loco à S. Dionyſio dictum oſtendant, Monachos à Laïcis non differre.

*Facinus Demophili Monachi*, apud S. Diony. ep 8.

Atque rem profectò lepidam tres omnes agimus, quam tu, Lector, ſpectas tanquam in podio. Circumſtant latus meum infeſtis animis & armis oppugnatores duo, ſed qui vel aërem confodiunt, vel ſi me petunt, armant, non vulnerant: meum interim curſum teneo, fortior quàm cum arenam ingreſſus ſum. Nam aduerſarijs concedo quod poſtulant: quod autem poſtulo, faciunt ipſi vt impetrem. Negas Franciſce Hallier Monachos apud S. Dionyſium reponi in Iuriſdictionis Hierarchiâ: nego & ego; idque amplius, Hierarchiam Iuriſdictionis in S. Dionyſio non legi. Affirmas Aureli rerum ſacrarum adminiſtrationem, hoc eſt, altaris miniſterium, Monachis vt ſic non committi: Affirmo & ego. Sed hæc non quærimus. Nodum tangite: tu Aureli, perſonas ſacras rebus ſacris addictas ab Eccleſia, de κλήρῳ & ſorte Domini non eſſe,

*Aduerſariorum argumenta nõ ipſos, ſed nos potiùs iuuant.*

ſi alta,

ſi altaris miniſterium non faciunt; Tu Franciſce, neminem qui Eccleſiaſtici fori externi Iuriſdictione careat, ad Hierarchiam Ordinis pertinere: Vterque iunctis ingenijs & viribus hanc mihi è Dionyſio propoſitionem eruite, *Monachi ſunt Laici.* Hæc tria ſi non agitis, nihil agitis. Addidi ab aduerſarijs habere me quod poſtulo; id enim ex eorum obiectionibus facilè conficio. In S. Dionyſij doctrina Monachi orant ad valuas Adyti, populus inferiore loco; Monachi accedunt ad populum: Monachi oppoſitam Laïcis initiandorum ſpeciem conſtituunt: Monachi conſecrantur ſaltem à Sacerdote, populus à nemine: Monachi ergo in S. Dionyſij doctrina, non ſunt Laïci.

---

## MONACHOS A S. DIONYSIO EXPRESSE *ſeparari à Laicis clarè & ſolidè comprobatur.*

## CAPVT III.

VLTVM irati Iudicis pertimeſcere me cogebat Demophili factum inſolens: verebar enim ne ſimilis Aurelio Dionyſius, vnius Monachi crimen in omnium pœnam ignominiamque traduceret: qui licet manſuetudinem magnopere commendet, ea tamen virtute non inuita ſcribere poterat. Tu tuique, Laïci cum ſitis, cur auſus es in Adyta ingredi, & increpare Sacerdotem? Id non dixit Dionyſius, quia verum non putauit. Sed iſtud verius, *Nefas eſt Sacerdotem, à miniſtris qui te ſuperiores ſunt, aut à tui Ordinis Monachis corrigi & reprehendi.* Sententiam igitur in Monachos Iudex non tulit, qua ipſi ad Laïcos ablegarentur: ſed manifeſto ſemper diſcrimine Monachos à Laïcis ſeparauit. Eius tria iam capita extorſi ab aduerſarijs: alia quædam enumerare pergo. *In cauſa Demophili contra Monachos nihil ſtatuit Dionyſius.*

I. Inter initiandos ordo eſt, vt exprimit S. Dionyſius, & agnoſcit Hallier, dum Religioſorum ordinem potiſſimum & nobiliſſimum Hierarchiæ initiandorum eſſe, paginis quatuor probat, quod nemo negat. Scimus autem ordinem niſi inter paria & imparia, inter ſimilia & diſſimilia non reperiri: ergo inter diuerſa, & ſæpe diuiſa. Monaſticus Ordo & medius pares ſunt, quia initiantur; diſpares in ipſa initiationis ratione: ijdem ergo dici non poſſunt. *1. Diſcrimen quod ſine ordines diſtincti.*

II. Iſta autem ratio in eo conſiſtit quod infimi purgantur, Laïci illuminantur, Monachi perficiuntur. Longè autem aliud eſt, inquit Pachymeres, initiari, aliud perfici: Ducit enim initiatio ad purgationem, æquè vt ad illuminationem: perfectio autem vna propriè dicta eſt, eaque Monachos à ſimpliciter initiatis, purà purgatis, & illuminatis diſtinguit. Nam initiandi verbum perficiendi verbo vniuerſalius eſt, quique perficiuntur Monachi, qui omnimoda puritate debent eſſe præditi, purgationem & illuminationem vt inferiores gradus complectuntur. *Quod initiatione differant.*

III. Quamobrem non à Sacerdotibus, ſed ab ipſis Hierarchis immediatè perfectionem illam accipiunt Monachi, cum illuminentur à Sacerdotibus Laïci. Quæ propoſitio licet vulgò ab omnibus admittatur, quia tamen eam aliqui reuocant in dubium, eoque Areopagitæ noſtri Iudicis trahunt ſententiam, de ea dicendum videtur paulò accuratius, ne quid minùs exploratum *Quod initiatores diuerſos habeant.*

Explicatur locus Dio. c. 6 Eccleſ.

pro certo venditare videamur. Locus ergo ſic habet, quantùm à nobis exprimi poteſt græca dictio. *Summus autem omnium qui initiantur Ordinum, eſt ſanctus Monachorum ſtatus, ſecundum purgationem omnem, tota vi ſua & omnigena ſibi propriarum actionum puritate mundatus: in omnis myſterij, quantùm ipſi fas eſt contemplari, ſpiritali intelligentia, & participatione poſitus: & perfectiua Hierarcharum poteſtati, quaſi per manum traditus, ac diuinis eorum illuſtrationibus, Hierarchicisque traditionibus ſacrorum myſteriorum actiones quas inſpexit, quæque ad ipſum pertinent edoctus; & pro ſancta eorundem Hierarcharum ſcientia proportionaliter ad ſummam perfectionem euectus.* Hoc dicit magnus Hierophanta, Hierarchicum etiam inter initiandos ſeruari ordinem, vt ſuperiora inferiorum dotibus & virtute prædita ſint. Cum ergo Monaſticus ſtatus omnium ſupremus ſit, perfectam habet quam à Diaconis accipiunt Catechumeni purgationem; abſolutam in genere ſuo illuminationem, ad quam à Sacerdoribus euehitur ſanctus Populus: ac præterea ſibi peculiarem perfectionem, & Hierarchicæ ſcientiæ cognitionem, quæ in myſterijs & ritibus, eorumque aperta explicatione, qualem in Contemplatione myſteriorum tradit S. Dionyſius, conſiſtit; quæ quidem cognitio ab Hierarchis ipſis donatur, cuius ſolius Ordinis eſt perficere. Ac proinde, vt addit Georgius Pachymeres, congruè Ordo Monaſticus quod ſummum eſt habere dicitur, quando tres initiandorum ordines in ſe vno complectitur.

Eius explicationis confirmatio.

Huius explicationis, præterquam quòd probus & facilis ductus eſt, natiua confirmatio in ipſo auctoris textu reſidet, ex Ioachimi Perionij verſione, quæ ait, *tradi Monachos perficienti Pontificum ordini*, quod eſt Hierarchico gradui valdè conſentaneum. Nam cum ſingulis agentium ordinibus, patientes ordines ſinguli, ſint immediatè ſubiecti, Catechumeni Diaconis ad purgandum, ſanctus Populus Sacerdotibus ad illuminandum: pari iure ſubeſſe debent Epiſcopis Monachi ad perficiendum: idque eò magis neceſſarium eſt, quòd ſolus Hierarcharum ordo perfectiuus eſt. Huc facit & Pachymeris expoſitio, quam modò ſtringebamus, qui poſteaquam τὸ τέλειον diſtinxit ἀπὸ τοῦ τελειωτικοῦ, & illud communius, adeoque vilius, inferioribus ordinibus initiandorum conuenire, hoc ſtrictius & nobilius, ad ſolos perficiendos attinere dixit, in his Monachos Dionyſij verbis reponens, eos addit, Hierarchicæ poteſtati tradi, & ſecundùm eam diſponi atque ornari; proque rata portione ad ſummam illam ſacræ ſcientiæ perfectionem perduci. Neque abludit elegans & accurata Fulienſis interpretatio Gallica, quæ mentem eam diuini ſcriptoris eſſe demonſtrat.

Lanſſelij verſio non improbāda.

11 Verùm Petrus Lanſſelius, etſi fateatur reliquos eodem ſenſu interpretes accepiſſe Dionyſium, vertere tamen mauult, *Perficientis Pontificum ordinis ſtatum exprimere conari Monachos:* idque nec inuito textu, nec veritate repugnante, ſi nuda ſpectamus verba. Hæc enim verſio cum antiquiore Perionij verſione quadrat optimè, altera cauſam, altera effectum complectente. Traditur enim Pontifici Monachus, ab eoque inſtituitur, vt eorum quæ in ipſo viderit, & ab eo didicerit imitatione, Pontificum perfectionem exprimat: quemadmodum ipſe ſe magiſter diſcipulis, & Chriſtus Apoſtolis offerre ſolet in exemplum. Hoc quidem conſilium ſi tantùm in corrigenda Perionij verſione ſequeretur Lanſſelius, probandus omnino eſſet, qui ſuppoſitum immediatè Hierarchæ Monachum, & ab eo ipſo perdoctum, quod volumus, ſignifi-

caret;

caret. Verùm alia omnia cogitat, & hac omiſſa ſubiectione, nouam terit orbitam in explicanda illa ſimilitudine Hierarchici ordinis, quam ordo Monaſticus in ſe ſe conatur exprimere. Hanc autem in eo collocat, quòd hic ſit initiandorum primus, quemadmodum ille, myſtarum ſupremus: quòd hic ordinum inferiorum vt Catechumenorum & ſancti Populi, quemadmodum ille Diaconorum & Sacerdotum virtutes contineat: quòd illis aliquem perfectionis cumulum vterque ſtatus adijciat.

*Quomodo mentem Dionyſij explicet, in hunc locum n. 170.*

Quæ quidem omnia cum vera eſſe conceſſero, illam tamen quam requirimus ſimilitudinem, in illis ſitam non eſſe, & hanc interpretationem à ſancti Patris mente diſcedere ex ipſa interpretis verſione demonſtro. Cur enim *perficientem ordinem* nominat, cum vis perficiendi, ad ſuperiora neceſſaria non ſit? Nunquid habet Sacerdotalis gradus Diaconi perfectionem, & tamen perficiens non eſt? Auctus eſt ſanctus Populus Catechumenorum dotibus, & tamen *perficientem ordinem* non imitatur? Cur autem dicit *Conari*, cum eò ſine conatu, ipſa ſui natura perueniat? Nimirum quo Monachus momento cõſecratur, eodem ſtatus ſui eſſentiam aſſequitur: eſt autem talis eius eſſentia, vt qui ſupremus eſt perficiendorum, inferiorum perfectiones complectatur: Quemadmodum in ſua conſecratione Hierarcha, ſine labore ſuperaddito, cum Epiſcopali poteſtate, ſubditorum ordinum poteſtatem excellenti prærogatiua ſuſcipit. Aliquod igitur obiectum aſſignari oportet, in quod aſſequendum Monachus conatũ exerat, eoque comparato perficiẽti ordini ſimilem ſe faciat. Illud verò eſt, vt optimè Gallicus interpres, Hierarchica de myſterijs & Sacramentis ſcientia, & fortaſſe priuatarum virtutum cognitio atque vſus.

*Confutatur ex ipſa quã eligit verſione.*

Sed obijcit Lanſſelius. Monachi expreſsè dicuntur à Sacerdotibus, non à Monachis conſecrari: ergo & ab ijſdem perficiuntur. Expeditam facit reſponſionem, conſecutionis vanitas. Non enim qui conſecrant, ijdem etiam perficiunt: Hierarcham conſecrant Epiſcopi, nonnunquam & cum Epiſcopo Abbates; at is perfectionem ſuam à Deo immediatè percipit, vt monet S. Dionyſius. Diaconus poſtquam inſtitutum fidei principijs Catechumenum ipſe baptizauit ex officio, iam grauioribus illuminandum myſterijs Sacerdoti tradit, atque hic, vt expreſsè idem Hierophanta docet, *ſpectatores eos qui accedũt efficit, & in ſanctorum myſteriorum ſocietatem communionemque admittit: ſed ad Pontificem remittit eos, qui diſciplinæ myſteriorum quæ aſpexerunt, cupiditate ducuntur:* quales ſine dubio ſunt Monachi, qui poſtea dicuntur, vt patet in textu quem exponimus, *diuinis Hierarcharum illuſtrationibus, & Hierarchicis traditionibus edoceri.* Accipit ergo conſecratus à Sacerdote Monaſticum ſtatum, ab Hierarcha ſtatus perfectionem; admittitur ad myſteriorum aſpectum Monachus à Sacerdote, plenam eorum cognitionem ediſcit à Pontifice; Sacerdotalis illuminationis apex eſt, ſub Hierarcha Monachum facere, nobilem operi tam præclaro colophonem addere, perficientis Pontificis eſt.

*Reſpondetur obiectioni.*

Dion. c. 3. Eccleſ. in Contemp. Ibid. in Myſterio.

In ea Magiſtri expoſitione, & immediata Monachorum ſub Epiſcopis demiſſione, conſentientem habeo Doctorem Hallier; cuius hæc eſt oratio, *Monachos reliquis ex plebe ordinatis anteponi, quòd pietatem ac ſtrictiorem vitæ Chriſtianæ obſeruantiam profiteantur; & quòd nobilioribus actionibus Hierarchicis, & Hierarchiæ Principibus præſertim ſubſint: in quantùm ſcilicet perficiendi ſunt ab Epiſcopis, & Chriſtianæ vitæ perfectio debet eis Epiſcoporum ſcilicet beneficio innoteſcere. Hoc autem licet nullum maiorem in Hierarchia agentium locum tribuat, in Hierarchia tamen pa-*

*Franc. Hallier hoc in propoſito ſententia. in vindic. p. 412.*

*tientium, profeſsio ſanctitatis maiorem & nobiliorem locum tenuit: ſicut olim virginibus ante nuptias digniorem in Eccleſia locum datum fuiſſe colligitur.* Horum pleraque veriùs quàm cautiùs à doctore noſtro dicuntur, dum ſuo ſibi ſe gladio iugulat, vt qui de Laïcis ſimile nihil poſſit effari, quo manifeſtè declaratur, magno dignitatis interuallo ſeparatos eſſe à Laïcis Monachos. Neque in eo tantùm ſe vulnerat, homo petendo auidior, quàm cauendo prudentior, ſed cum totus hic locus in rem noſtram ritè aduocetur, & propoſitum confirmet, limam tamen exigit vt euadat perfectior, & meditationem inuitat, vt cum Hierarchica doctrina conſentiat. Quæ enim cauſa eſt cur ſcribat Franciſcus, *Monachos ordinatis ex plebe anteponi?* Sanctum Populum in Dionyſio legimus; *plebem* quæ pars populi viliſſima eſt, non legimus. Sed *facem populi* nominabat olim hic ſcriptor, cum Monachos inſinuaret. Qui ſunt autem *ordinati ex plebe*, quibus anteponuntur Monachi? Nam in S. Dionyſio Populus conſecrationem habet nullam, & *τελούμενοι* ſunt qui initiantur, Catechumeni & ſanctus Populus, non autem qui ordinem ſacrum ſuſcipiunt. Hoc nimirum vult à nobis Doctor intelligi, eſſe aliquos ex plebe qui ordinentur & conſecrentur, præter Monachos; vt hi nulla re à plebe, ſeu Populo, ſeu Laïcis in ſtatus ſui conditione, ſed tantùm leui aliqua & accidentali perfectione differre cenſeantur. Deinde cur *Hierarchiæ Principibus præcipuè ſubeſſe* dicit Monachos? Quibus enim alijs? Curatis videlicet ſubditos olim fuiſſe Monachos, *κοινὴ δόξα* huius auctoris eſt; quam S. Dionyſio repugnare cum hoc loco ſentit, fateri cogitur, immediatè Hierarchis ipſis eſſe ſubiectos: ſed ne alios etiam excludat, ſeque contradictione implicet, minuentem addit particulam *præſertim*, prouida contra oppugnantes cautione. Veram hanc eſſe Dionyſiacæ ſententiæ corruptelam, res ipſa proclamat. Præterea *in Hierarchia patientium* eminere dicit, & probat Monachos. Non queror eos ab Hierarchia agentium excluſos. Non hic pono Hierarchiam patientium agnoſci à Doctore, eandem que eſſe, cum ea, quam olim Petrus Aurelius tanto ſtyli acumine fodicabat, Hierarchia Hierarchizata, cum pars Hierarchiæ patiens, & Hierarchizata, caſtigatione grammatica dici debuerit. Vnum annoto *Pietatis ſtatui* datam hoc loco Hierarchiam, quem VVicleffo errorem antea tribuebat. Denique profeſſionem Religioſam, liberæ ante nuptias puellarum caſtitati æquiparat Franciſcus Doctor. Immeritò ſanè, cum hæ non ſint in ſtatu, cum nullo ritu conſecrentur, cum nulla re ſupra ſanctum Populum emineant, ipſæ pars eius, ſola viri expectatione continentes. Locus autem ille dignior in Eccleſia, non iſtis primariò, ſed velatis, conſecratis, voto adſtrictis virginibus aſſignatus eſt: quod ijs locis animaduertiſſet facilè quos citat, ſi votiuam amaret profeſſionem. Conſtitutiones enim Apoſtolicæ *adoleſcentulas* (ſunt hæ *virgines ante nuptias*) aut ſeorſum à pueris, aut pone mulieres collocant: *Virgines autem, viduas, & anus, primas omnium ſtare iubent, aut ſedere.* Quas *Virgines* ab *adoleſcentulis* diſtinctas, viduis priores, non niſi ſacratas intelligere poſſumus & debemus. S. quoque Ambroſius virginem lapſam luget *nobilem, dicatam Chriſto*, cui poſſit dicere, *oblita domum patris tui, vt ſcriptum eſt, ad Monaſterium virginale tranſiſti.* Si quid ergo gratificati ſunt antiqui *adoleſcentulis* viros affectantibus, id ſecundariò, & in priorum gratiam feciſſe videntur. Quare cum his non erant conferendi Monachi, ſed cum illis, quarum cœtus Monachorum ſodalitatibus antiquiores in Eccleſia extitiſſe, falsò credit

*Expenduntur quædam eius dicta.*

*Hierarchia patientium.*

*Quibus Virginibus datus in Eccleſia locus.*

Conſt. Apoſt. l. 2. c. 57.

S. Amb. ad Virg. lapſam, c. 1. Ibid. c. 7.

credit Aurelius. Quamobrem directus ad amuſſim noſtram, & lima perpolitus Franciſcus Halliet, verè ſcribit, Religioſos ab Hierarchis immediatè perfectionem accipere, nobiliſſimis Hierarchicis ſubeſſe actionibus, maiorem inde & nobiliorem in Hierarchia locum occupare. Progrediamur in Magiſtro.

*4. Quòd Sacerdotibus non æquè ſint ſimiles*

IV. Hæc myſteriorum inſpectio, & perfectior cognitio, Monachicum ordinem ad Sacerdotalem maximè adiungit: quod de Laïcis nemo vnquam dixerit. Eſt enim ei ordini ordo ille ſimilis in multis, & vnus ex omnibus initiandorum ordinibus, ad eum proximè accedit. Hinc eſt quod in conſecratione, oſculo ſalutant inuicem *propter ſanctam, eorum qui diuinitatem imitantur, ſocietatem.* Quod & diuinis myſterijs ſimul participant, non modò quia ſanctiſſimorum myſteriorum perceptio, caput eſt & ſumma ſacræ cuiuſcunque communionis: ſed maximè quia diuiniſſimi illius doni ſacri ordines participes ſunt omnes, pro ratione initiationis ſingulorum, ait Pachymeres. Vbi clarè ſcholiaſtes ſacris ordinibus Monachos adiungit, quod de Laïcis eodem modo non dicat: addit enim, per hæc Monachum in ſacrà illà politià conſiſtere.

Μὴ μόνον ὅτι πάσης ἱερᾶς ἀναξίοις ὅ... μυστηρίων μεταλ... τὸ μοναχικόν, ἀλλ' ὅτι καὶ αὐτοῖς τῆς κοινωνίας, καὶ θειοτάτης δωρεᾶς αἱ ἱεραὶ μετέχουσι τάξεις κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς ἀναγωγῆς αὐτῶν. Pachy. in eum locū.

*5. Quod loco & ordine diuerſo communicent.*

V. Atque ea ipſa communio non fit à Monacho *ritu medij ordinis, ſed cum Sacerdotum ordinibus, in ſanctis eorum conſecrationibus, ad extremum ſanctiſſima Euchariſtia communicatur à Pontifice qui eos conſecrauit.* In hoc communionis diſcrimine duo ſunt obſeruanda, locus & ordo. Intra altaris ſepta *in ſanctuario* communicate *ſolis ſacratis* licet: Extra ſacrum locum, Laïcorum communio eſt. Sic expreſsè Toleranus Canon *vt Sacerdos & Leuites ante altare communicent* (qui videlicet altari miniſtrarint) *in choro Clerus, extra chorum populus.* Neque alia communio Laïca eſt, quàm quæ extra ſacros cancellos populo data, quæ & pœna, vt ante vidimus, peccantium miniſtrorum. Itaque ſi Monachus cum Laïcis non communicat, Laïcus non eſt: ſi cum *Sacerdotum ordinibus* in choro, ad Clerum pertinet. Ordinem vero in illà tradendà neglectum non fuiſſe, etiam extra chorum, docet verè Chriſtiana illa mulierum de Martyrio concertatio apud Homeritas, quam ſuo loco protulimus. Et diſtinctiùs gradus omnes exponunt Apoſtolicæ Conſtitutiones. *Sumat Epiſcopus, deinde Presbyteri, & Diaconi, & Hypodiaconi, & Lectores, & Cantores, & Aſcetici.* Vide Monachos inter ſacras perſonas. *Et ex fœminis Diaconiſſæ, & Virgines, & Viduæ. Poſtea pueri, & deinde cunctus populus.* Quanto hic interuallo Aſceticos ante ſe videt? Subtiliter hoc loco Halliet. *Poſt Lectores & Cantores, id eſt, poſt vniuerſum Clerum, Monachi ad communionem accedunt.* Quis tibi ſuggeſſit lepidum illud, *id eſt?* aut cur non addis, poſt Clerum miniſtrantem? cum cauſa cur Monachis multi è Clero præponantur, ſit ipſum miniſterium.

Concil. Laod. c. 19.

Concil. Tolet. 4. can. 17.

*Ordo percipienda Euchariſtia.*

Conſt. Apoſt. l. 8. c. 13.

## EADEM DISTINCTIO CONFICITUR EX *comparatione vitæ & inſtituti Monachorum cum Laïcis, ſecundum mentem S. Dionyſij.*

## CAPVT IIII.

*6. Quod moribus & inſtitutis ſint diſtincti.*

*Hallier in vin. p. 591.*

*Claudius Seguenotus paupertatem Religioſam mendicitati Laicorum poſtponit.*

*Notis in l. de S. Virgi. p. 97.*

MORES & inſtituta Monachorum à Laïcis toto cœlo diuerſa, quod eſt ſextum differentiæ Dionyſiacæ caput, in hanc ſectionem confero, quoniam priuata animorum contentione, & recens fabricatis eam in rem arietibus impetuntur. Franciſcus Hallier in omnem deprimendi ſtatus Religioſi occaſionem intentus, propoſitam theſim de Monachis ad Laïcos redigendis confecturus, in vtrorumque vitam excurrit, & ſanctum ait Chryſoſtomum *paruam inter Laïcos ſeculares ac Monachos, nec eam quæ inter Clericos, & Laïcos, differentiam agnoſcere.* Idque duplici loco Antiſtitis eloquentiſſimi demonſtrat. Claudius Seguenotus contra auctoris ſui mentem, non ſolùm cælibes & virgines coniugatis exæquat, vt olim vidimus: verùm etiam, vt aliud Religioſi ſtatus fundamentum conuellat, paupertatem ait Euangelicam à Chriſto commendatam, non eſſe voluntariam illam à Religioſis voto promiſſam; ſed aliam vulgarem, quæ neceſſaria dici poteſt: illam hominum, hanc Dei opus eſſe; in ea multa reperiri ad virtutem præſidia, quibus voluntaria qualibet inferior non reddatur.

*Contra mentem Auguſtini Serm. 110. in illud Tibi derelictus eſt pauper.*

*Bon. Apol. Paup. Reſ. 3. c. 3.*

Cui antequam cumulatiùs ſatisfiat, Auguſtinum illi ſuum impingo, hanc eſſe Euangelicam & Chriſtianam paupertatem apertè negantem. *Sunt pauperes non habentes pecuniam, victum quotidianum vix inuenientes, alienis opibus inſidiantes, miſericordia ſic indigentes, vt etiam mendicare non erubeſcant. Sed ſi de his dictum eſt, Tibi derelictus eſt pauper, nos quid facimus qui hoc non ſumus? ergo nos qui Chriſtiani ſumus, non ſumus Deo derelicti? Diſcite ergo eſſe pauperes & Deo relinqui, e compauperes mei.* Sanè Clericos ſuos Regulares alloquens Auguſtinus *compauperes* ſuos appellabat, non vilia mendicabula, in quibus Chriſtianæ virtutis nihil agnoſcebat. De voluntaria autem Religioſorum paupertate, multa præclarè differens S. Bonauentura, cum ex alijs Eccleſiæ doctoribus, magnus ipſe Doctor, tum maximè ex eo qui nobis opponitur D. Ioanne Chryſoſtomo, quę hic deſcribere neceſſarium non videtur, in hæc verba concludit, *ac aureum ignitis, fulgidis, & pretioſis eloquijs voluntariæ paupertatis quæ penuriam rerum habet annexam, admirabilem celſitudinem, pulchritudinem, pretioſitatemque commendat.* Hæc in promulſidem propinamus, ex ijs cellis quæ aduersùm nos recluduntur.

*Aduerſariæ ſententiæ tria capita.*

Nunc theſim aduerſariorum ſic pono, & mentem explico. Tribus potiſſimùm rebus ſupra vulgum Laïcorum eminere ſe Religioſi gloriantur & prædicant, vitæ perfectione, caſtitatis merito, & tolerantia paupertatis: hæc in Laïcis æqualia ſunt; nihil habent igitur Religioſi quo ſe illis anteferant, imo quo ſe differre ab illis iactitent.

*Vita Religioſa communis perfectior.*

*Matth. 19. Luc. c. 18.*

Verùm huius argumenti robur, nemo certiùs aperiat, quàm veritas ipſa, quæ legem tulit Euangelicam. Adoleſcenti enim viam ad cœlum ſciſcitanti, mandata primùm proponit: hæc eſt, ni fallor, communis Laïcorum omnium perfectio, quæ cum ſedulò à ſe ſemper obſeruata, verè reſpondiſſet,

ſubiungit

ſubiungit Chriſtus. *Adhuc vnum tibi deëſt, ſi vis perfectus eſſe, vade, vende,* &c. Cœcus eſt qui voluntariam hic paupertatem conſuli non perſpiciat; eam ſimplici mandatorum obſeruationi *deeſſe*, & ad perfectionem conſequendam ſuperaddendam ſuaderi: illam ergo qui profitetur, id aſſumit quod vulgari ſanctitati *deeſt*, & perfectionem quærit in conſilio, quàm à mandatis abeſſe Chriſtus aſſeuerat. Quod ſi æquali vterque paſſu in viæ cœleſtis perfectione progrederentur, qui ſancto per mandatorum cultum adoleſcenti, dixit *vade & vende*, æquè dicere debuiſſet, *vade & poßide*. Quod rectè S. Bonauentura *Antichriſtianum dogma* nuncupat. Falsò igitur, & contra Chriſti Legiſlatoris ſententiam, ſcribit Doctor Hallier, *paruam eſſe inter Laicos ſeculares & Monachos differentiam*, qui tota perfectionis natura differunt.

*Antichriſtianum dogma.*
Bona. loco cit.

Præterea Chriſtus à Sadducæis tentatus ſuper muliere nupta, reſpondet, *Filij huius ſeculi nubunt, & traduntur ad nuptias* (hæc eſt Laïcorum vita, quam in S. Hieronymo, & Euſebio Clericatui oppoſitam nuper legebamus) *in reſurrectione neque nubent neque nubentur, ſed erunt ſicut Angeli Dei in cœlo.* Quibus verbis Chriſtus Virgines & cælibes à coniugatis tanto diſcriminat interuallo, quantum inter Angelos & homines, inter cœlum & terram, huius ſeculi fluctus, & portum ſecuritatis æternæ concipi poteſt; vt ſummo Patrum omnium conſenſu probare facile eſt. Quòd ſi animo deliberatæ virginitatis ea eſt prærogatiua, quantam votiuæ eſſe cenſebimus, quæ hoc etiam ad Angelicam propiùs accedit, quòd inconcuſſam in bono conſtantiam, & inflexibilem virtutis amorem profitetur? Plus addo, ipſum in ſeculo virginitatis votum quod Agnetes, Cæcilias, Dorotheas, Virginum gemmas miſit ad Martyrium, longiùs ab Angelica firmitate diſtare, quàm Religioſam caſtitatem; ſi quidem hoc, non illo voto impeditur ac dirimitur matrimonium. Itaque cum Religioſi cælibes ſint omni ex parte, quantùm in hac vita ius faſque eſt, *ſicut Angeli Dei in cœlo*, coniugati autem *filij huius ſeculi*, Angelis oppoſiti, & longè inferiores: falsò & contra diſputantis Chriſti auctoritatem ſcribit Seguenotus *Cælibes & coniugatos eſſe æquè ſanctos & perfectos, æquè puros & caſtos.*

*Religioſi ob caſtitatem Angelis ſimiles.*
Matth. 22. Luc. c. 20.
*Caſtitas Religioſa, caſtitate Laica perfectior.*

Deſcendo ad S. Dionyſium, & ex eo *non paruam eſſe inter Laicos ſeculares & Monachos differentiam* in vitæ perfectione demonſtro. Illud habet cum ſupremis Ordinibus commune Monachus, quòd conſecratione propria & peculiari, licet ignobiliore, Deo deuoueatur: vnde & Θεραπευτὴς ſancto nomine à diuinis præceptoribus inſignitus eſt, quoniam Hierarchica dedicatione Dei ſeruus, ſors & poſſeſſio efficitur. In ea autem nuncium remittit *non ſolùm diuiduis diſtinctiſque vitis* (quibus coniugatos implicari, & inde diuiſos eſſe monet Apoſtolus) *verùm etiam imaginationibus*, vt tam animo quàm corpore ſanctitatem excolat. Hoc certè ſolenni nuncupatione votorum exſequitur, quibus ſuperflua quæque reſecat, vt capitis comas; vetera abijcit deſideria vt veſtimenta, à ſanctis oſculo conſalutatur, vt admiſſus *in eorum ſocietatem qui diuinitatem imitantur.* Non certè Laïcorum, à quorum conditione cæremonijs illis exemptus in ſtatum ſuperiorem recens traducitur. Diuinè S. Gregorius in Nazaræorum ritibus. *Deuotione completa caput Nazaræus radere, capilloſque in igne ſacrificij ponere iubetur, quia tunc ad perfectionis ſummam pertingimus, cum ſic exteriora vitia vincimus, vt etiam cogitationes ſuperfluas à mente reſecemus. Quas nimirum igne ſacrificij concremare, eſt flamma diuini amoris incendere, vt totum cor in Dei amore ardeat, & cogitationes ſuperfluas concremans, quaſi Nazaræi capillos*

*Probatur Monachorū perfectio ex S. Dionyſio.*
c. 6. Eccl. per totum.
1. Cor. 7.
Greg. l. 2. Moral. c. 16.

## *SOLVVNTVR OBIECTIONES ADVERSARIA ex S. Chryſoſtomo.*

§. I.

POST aſſertum partibus Monachorum, inſtitutorem Hierarchiæ S. Dionyſium, ordo traditæ ab aduerſarijs diſputationis exigit, vt & S. Chryſoſtomi ſententiam exquiramus, ijs locis quos Franciſcus Hallier, prætermiſſis infinitis in eo doctore Monachorum encomijs, excernit, & exhibet; ea tamen cautela, vt eum fateatur *parumper excedere, & per exaggerationem loqui.*

*S. Chryſoſtomum nimiæ exaggerationis malè reprehendit Hallier.*

Agnoſcat deinde eorum locorum altero rem ſuam *clarius & fuſius exponere*: vt eorum dictorum explicationem iure meo præterire potuerim, qui non ad veritatem, ſed ad pompam rhetoricam exaggerati ſunt: aut ſi ad eos accedendum eſt, in illo *clariori & fuſiori* laborem ponere ſatis fuerit, vnde alius & lucem, & ſolutionem ſit accepturus. Ego verò neque alterum altero clariorem iudico, neque in vllo ſuperatos *per exaggerationem* oratoriam veritatis limites arbitror, ſed omnia Chriſti & Apoſtolorum doctrinæ, id eſt, Chriſtianæ Catholicæ veritati conſentanea dici ab oratore ſacro; ex ijs tamen monaſticæ vitæ depreſſionem & contemptum malè à Doctore Franciſco Hallier, tanquam corollarium deduci, infeliciuſque probari *paruam eſſe inter ſeculares Laicos & Monachos differentiam.*

*Locus Chryſoſtomi ex Hom. 7 in ep. ad Heb.*

Prior locus educitur ex *Homilia 7. in epiſt. ad Hebræos*, vbi in parte morali vir diſertus, poſteaquam improbos & proteruos ſenes reprehendit; adijcit homini adhuc iuueni non deeſſe adiumenta ad virtutem, quibus aſſumendis ferendiſque corporis vires ſint idoneæ. *Quænam ea ſunt? Labores, lectiones, vigiliæ, ieiunia.* Tum ipſe ſecularium lingua locutus ſibi obijcit: *Cur autem hæc nobis dicis, qui non ſumus Monachi?* Qui, quæ Dei gratia eſt, modus adhuc ſentiendi & loquendi apud ſeculares tum Clericos tum Laïcos perſeuerat, oſtenditque nullo non ſeculo communem fuiſſe omnium ſenſum; Chriſtianæ perfectionis ſtudium Monachis ſolis competere, ab ea longiùs abeſſe reliquis in communi vita licere: vt ſi alia deſint omnia; hæc vna tam diuturna, tam conſtans, tam altè inſita in Chriſtianorum omnium animis opinio manifeſtè demonſtret *non paruam eſſe inter ſeculares & Monachos* in vitæ perfectione *differentiam.* Quid autem ad ea ſanctus orator? *Hæc mihi dicis? dic Paulo cum dicit, vigilantes in omni patientia & oratione: cum dicit, carnis curam ne feceritis in concupiſcentijs. Non enim hæc ſolùm ſcripſit Monachis, ſed omnibus qui erant in vrbibus.*

*Communis ſecularium de Religioſorum perfectione opinio.*

Diceret nunc Paulus, illa ſe Chriſtianis ſcripſiſſe; qui primitias ſpiritus acceperant, qui ſancti & appellabantur & erant, qui facultates ſuas ad pedes Apoſtolorum abijciebant, forma futurorum Monachorum, & primi ſub Apoſtolis Religioſi, quibus ſeculum erat pro Monaſterio, Euangelium pro regula, exilium pro miſſione, martyrium pro mortificatione. Omnibus igitur illa ſcripſiſſe, non Monachis, quia omnes pro Monachis & ſanctis habebantur. Tepeſcente autem illo ſanctitatis ardore, duas in partes diſceſſiſſe Chriſtianos, Seculares & Monachos; illos multis vitijs legem Euangelicam commaculaſſe, hos fugientem eius integritatem retinuiſſe, in ſtatu perfectionis acquirendæ poſitos, eorum imitatores quibus priora illa ſcribebat Apoſtolus. Pergit

*Chriſtiani quibus ſcribit Apoſtolus, ſimiles Monachis.*

Chryſo-

Chryſoſtomus. *Num enim ſecularis homo debet amplius aliquid habere Monacho, quàm cum vxore cohabitare tantum? hic enim habet veniam, in alijs autem nequaquam, ſed omnia æquabiliter ſicut Monachi agere debet.* Cæcutire in ſole oportet eum, qui non peruideat ſecerni hoc loco à præceptis conſilia, & in illis quidem æquari Laïcum Monacho, in iſtis autem à Monacho multis partibus ſeparari. Cum enim vxoris cohabitationem condonari Laïco ſcribit Antiſtes, educationem liberorum, rei familiaris curam, moderatum dignitatis & honoris ſecularis deſiderium, liberum ſuæ voluntatis vſum, quæſtuoſos labores, vno verbo, eoque Hierarchico *diuiduas diſtinctaſque vitas & imaginationes* illi permiſſas admonet: quarum rerum ſpontanea priuatione per conſecrationem publicam conſignata, Monachus vitam mediam ſuperat ac tranſilit: eademque opera ſolitudinem, regulares obſeruantias, & alia conditioni ſuæ conſentanea complectitur, quæ nemo vnquam *æqualiter ab homine ſeculari* exegerit. Ad cætera autem, id eſt, mandatorum obſeruationem, & ſimilia ſtatui illi non propria, non magis quàm ſecularis quilibet ſeu Clèricus ſeu Laïcus adſtringitur. Atque hæc ipſa velle Chryſoſtomum, docet ſubdita Beatitudinum à Chriſto prædicatarum mentio. *Iam verò & beatitudines quæ à Chriſto dictæ ſunt, non ſunt dictæ ſolum Monachis, nam periiſſet totus orbis terræ, & crudelitatis Deum accuſaremus.* Hæc igitur oratio Chryſoſtomi alia omnia, quàm quæ Franciſcus Hallier colligit, apertè ſignificat, *non paruam eſſe inter ſeculares Laïcos & Monachos differentiam.*

*Conſilia à Chryſoſt. diſtinguit à præceptis.*

Poſterior locus eruitur ex opere *aduersùs vitæ Monaſticæ vituperatores.* Graue conuicium eſt Franciſce, præuaricationis accuſare non iam Antiocheni fori cauſſidicum Ioannem, ſed ampliſſimi Patriarchatus Antiſtitem Chryſoſtomum. Eſt autem præuaricatus, ſi ſuſcepto Monachorum patrocinio, illos nihilominus Laïcis coæquauit. Quis verò non malit Franciſcum Hallier corrupti iudicij, quàm S. Ioannem Chryſoſtomum Patriarcham Conſtantinopolitanum, & Eccleſiæ vniuerſæ Doctorem præuaricationis arguere, in eo tractatu, quo Monachorum aduerſarios licet *pios ſe videri velint, & Chriſtianos appellari; plurimi autem ex his iam etiam initiati ſint*, vereri ſe dicit, ne gentiles exiſtiment *ne homines quidem eſſe, ſed feras belluas, ac portenta horrenda humanæ formæ lineamentis adumbrata, dæmoneſque noxios atque naturæ communis inimicos.* Quo illos cum Nerone comparat, Epulone diuite crudeliores & immaniores facit: *Ipſe enim etſi nihil ex ſuis communicauit Lazaro, non tamen eos qui id agere vellent, prohibuit, aut afflixit, aut repulit.* Imo etiam *nonum à primo crudelitatis & malitiæ gradum tranſcendere* queritur. Quo librum ſecundum totum [illegible], in perſuadenda vitæ Monaſticæ vtilitate præſtantiaque, non homini Chriſtiano, ſed Gentili occupat. Cum igitur illa Monachorum contemptio in hunc Hierarcham, in hoc opus cadere non poſſit, in ipſo aduerſarij ſenſu ex verbis quibuſdam malè perceptis quærenda eſt.

*S. Chryſoſtomum præuaricationis arguit Hallier.*

*Religioſorũ aduerſarij ſuos belluas, portenta, dæmones.* Chry. l. 1. adu. vitup. vitæ Mon. c. 2. Ibid. c. 4. & 5. Item l. 3. c. 3. Item l. 2. per totum.

Verba profert è 3. libro, quo toto Chriſtianum parentem hortatur, ne filium è ſeculi fluctibus ac tempeſtatibus, ad Monaſticæ vitæ portum recipere ſe cogitantem, aut impediat aut remoretur. Interque multa quæ ſolent obijci, illud etiam tritum frequenter rogat, Num quis inter ſeculi curas, ſalutem ſuam in tuto collocare poſſit? Reſpondetque, ſi poteſt id fieri cum vxore, liberis, & re familiari; longè commodiùs tutiuſque faciendum ſine tot rerum impedimentis: ſi qui vrbem habitat ſine dubio ſaluari poteſt, multò ſanè

*Profertur locus citatus ab Hallier* ex l. 3. c. 11.

magis poſſe qui ſe ad ſolitudinem Monaſticam recipiat. Tum continenter obijcit ſecularis, quod ita producit Hallier. *At inquies eiuſdem criminis non eſt, eum qui ſeculo addictus ſit, peccare, & eum qui ſemel ſe ac penitus Deo deuouerit, Religionis propoſito excidere. Neque enim ambo ex eadem altitudine decidunt.* Malè concipitur hæc obiectio, quaſi culpas ſecularium, cum Religioſi apoſtaſia conferat diſceptator, cui facilè ſatisfaceret S. Chryſoſtomus, verè illud ſacrilegium peccatis Laïcorum præponderare, ſed paucorum eſſe, & non ampliùs Monachorum. Strictiùs igitur, & ad auctoris mentem propriùs, quodque notari velim, ad reſpondendum operoſiùs, exponi debet obiectio, ſublato Religionis egreſſu, in hunc ſimpliciter ſenſum: grauiora eſſe Monachi, quàm ſecularis peccata, vt qui ex eadem ambo altitudine non decidant.

οὐ γὰρ ἔστιν ἴσον, ἴσον βιωτικοὺς ὄντας διαμαρτεῖν, καὶ τοὺς ἅπαξ ἀναθέντας ἑαυτοὺς τῷ Θεῷ. οὐ γὰρ ἀπὸ τοῦ αὐτοῦ ὕψους ἀμφότεροι καταπίπτουσι.

*Locus qui obijcitur vtriuſque vitæ diſcrimen apertè enunciat.*

Hoc primum, ſecularis ille quiſquis cum S. Chryſoſtomo diſputat, doctore noſtro ſapientior eſt, qui longè diſpar perfectionis culmen, in quo per vota & conſecrationem collocatus eſt Monachus, à ſeculari vita agnoſcit. In quo propriè non reprehenditur à S. Chryſoſtomo: quin potiùs eius opinionis anſam è ſuperiori diſputatione accepiſſe videtur, cum S. Chryſoſtomum ſuum ſic audiuit orantem. *Nihil horum penitùs in Monaſterijs inuenies: verùm quanquam procella tanta, tantique fluctus deſæuiunt* (in ſeculo) *ſoli in tranquillo portu & ſecuritate ſumma reſidentes, veluti ex cælo ipſo cæterorum naufragia proſpectant. Namque conuerſationem planè cœleſtem elegerunt, nihilque deteriùs Angelis effecti ſunt.* Cum ad illud culmen Monachos ſæpius eduxiſſet S. Chryſoſtomus, diuerſam amborum altitudinem hoc ſenſu non poterat oppugnare. Quid ergo reſpondet obijcienti? *Fallis teipſum prorſus, ac decipis, ſi putas aliud à ſecularibus viris, aliud à Monachis requiri. Eſt enim inter eos ſola in matrimonio & cælibatu differentia, in omnibus, iiſdem rebus ſunt obnoxij.* Nam legiſlator pœnam ſceleribus indicens, Monachum à ſeculari non diſtinxit, ſed omnes ex æquo illis adſtrinxit vinculis; quemadmodum in enunciandis beatitudinibus, *nec Monachi, nec ſecularis nomen adiunxit, ſed ex hominum æſtimatione hæc diſtinctio introducta eſt*, qui falsò ſibi perſuaſerunt Chriſtianæ vitæ perfectionem ſolis Monachis eſſe propoſitam.

Ibid. c. 10.

*Religioſi pares Angelis.*

οὐ γὰρ διαφορεῖ τι τοῖς ἐν τῷ γάμῳ, καὶ μοναχοῖς, πλὴν τοῦ γάμου· ἐν δὲ τοῖς ἄλλοις ἅπασι ταῦτα ὑπέχουσι τοῖς ἐν βίῳ.

Qui locus eandem penitùs habet cum ſuperiori expoſitionem, in præceptorum & conſiliorum diſtinctione, neque Monachis, quàm Clericis omnibus moleſtior eſſe debet. Subdit enim poſt multa ex Apoſtolo Chriſtianis benè viuendi documenta expoſita. *Conſtat profectò ipſum non minorem à nobis vitæ diligentiam requirere, quàm requirat à Diſcipulis Chriſtus. Cum itaque non Monachos tantùm, vel Apoſtolos; ſed ipſum etiam Chriſtum imitari nos iubeat, eiſque qui non imitantur, ſupplicia maxima intentet, qua tu tandem ratione illam dicis eſſe maiorem altitudinem?* Eam nimirum, non in qua conſiſtit ob vitæ ſtatum Monachus, ſed ad quam conſcendere nititur ex acquirendæ ſtudio perfectionis. *Eandem enim omnibus hominibus aſcendere propoſitum & imperatum eſt*: non maiorem Clericis, inferiorem ſecularibus; quia omnibus perfecta charitas, & mandatorum obſeruatio æquè commendata, inque illa non Monaſticæ, ſed Chriſtianæ vitæ perfectio collocata, doctore primùm S. Dionyſio, deinde S. Thoma. Longam denique diſputationem ſic concludit. *Itaque quod ad eandem vitæ diligentiam, ſupremumque perfectionis faſtigium, per diuinas leges ſeculares pariter & Monachos cogantur, quodque ambo ſi ceciderint, æqualia ſint accepturi vulnera, neminem iam, quantumlibet ille ſit contentioſus & impudens, contradicturum exiſtimo.* Atque hunc ipſum

*Reſponſio de præceptorum & conſiliorum diſtinctione.*

*Mandatorum obſeruatio Chriſtianæ perfectio eſt.*

Dion. c. 1. Eccleſ.

S. Th. 2. 2. q. 184. a. 3.

ipſum lapſum in ſecularibus quàm Monachis, longè frequentiorem grauioremque eſſe probare pergit diuinus orator. Diſtinctiùs idem; & Theologico more, preſſiùs explicat D. Thomas; ita tamen vt culpas quæ contemptu & ſcandalo careant, ſi voto non repugnant leuiores æſtimet in Religioſis, quàm in ſecularibus. Viſum idem S. Anſelmo rem duplici ſimilitudine duorum ſeruorum & villicorum explicahri: vbi concludit, maiorem Laïco miſericordiam conſequi Monachum; licet vterque eadem peccet, quoniam *hunc Deus mitiùs iudicat, vt ex toto proprium; illum ſeueriùs, vt minùs ſibi priuatum.* Quæ doctrina quomodo ijs faueat qui perfectionem Religioſam, cum Laïca Religione volunt æquatam, viderint ſi qui illam obijcient.

Chry. Ibid. c. 13. *Culpa Religioſi non ſunt grauiores, quam ſecularis.* D. Th. 2. 2. q. 186. a. 2. Anſ. l. ſim. c. 82. 83.

Finge igitur animo prærupti montis arduum cacumen; in quo Regina caritas, & Hierarchica deiformitas ad ſe aduenientes excipiat & coronet. Huc tota Chriſtianorum natio aſpirat; ſecularis à radice montis viam ingreditur per dumeta curarum, honorum lubrica, voluptatum voragines, theſauris & domibus oneratus, implicitus coniugiò, liberis retardatus. Monachus in ſtatus ſui colle iam erectior, liber obicibus, oneribus expeditus, non graditur ſed euolat ad brauium. Vterque in eodem monte verſatur; ſed non eodem gradu; retardat vtrunque mortalitas, ſed illum periculoſiùs: neuter firmo ſemper hæret veſtigio, ſed ille frequentiùs, hic rariùs; labitur iſte, ille præcipitat. Eodem in ſtadio currit Monachorum parens S. Baſilius, ſermone de Abdicatione rerum, quo poſt aliqua diſputata, concludit: *atque hæc quidem quaſi per tranſennam; eorum tamen cauſa memorata ſunt à nobis, qui propterea quòd ſe matrimonij vinculis obſtrinxere, licere ſibi arbitrantur Chriſti præceptorum obſeruationem impune negligere.* Etiam ipſa præcepta negligentes iſti in Monachos deonerant, quæ omnibus ex æquo imperata eſſe contendit magnus Antiſtes. Atque cum votiuæ obſeruationes à Religioſis ſuperadduntur, non alia ab illis perfectio, ſed diuerſa eius conſequendæ media exquiruntur. Fatetur enim S. Bonauentura votum Religionis aſſumi *tanquam adminiculum ad perfectæ virtutis exercitium.* Plura non addo, cum hæc propoſito ſufficiant.

*Explicatur hypotypoſi doctrina S. Chryſoſtomi.* *Probatur ex S. Baſilio* ſerm. de Abdicat. rerum.

Poſt quæ tam illuſtria, remittit nos Doctor Hallier, ad ea *quæ Chryſoſtomus in libris de Sacerdotio, pro dignitate miniſtrorum Eccleſiæ ſupra Laïcos, eorumque præ illis obligatione ſcripſit.* Quæ ſanè ſi ſacrificium & quæ illò referuntur; ſi curam item animarum excipis, alia eſſe non poſſunt, quàm quæ hic legimus. Non enim aliud perfectionis culmen, non aliam à præceptis & conſilijs viam, non alia pericula quàm à ſeculi vitijs, non excellentius ad imitandum exemplar poteſt exponere, quàm Chriſti & Apoſtolorum. Quæro autem, libris omnibus ſuis, dicat-ne vſpiam à Clericis maiora, quàm à Monachis requiri; peccantes vtroſque non ex eadem altitudine decidere, eadem vulnera non ſuſcipere, ijſdem pœnis non eſſe obnoxios? Non probat igitur aduerſarius quod propoſuit, *paruam inter ſeculares Laïcos & Monachos, nec eam quæ inter Clericos & Laïcos differentiam agnoſci à Chryſoſtomo.*

*Leuior diſcurſus Fratris Hallier.*

## *PAVPERTATIS RELIGIOSÆ CVM SECVlari collatio.*

## CAPVT V.

*Seguenotus Religioſam caſtitatem oppugnat.* Notis in l. de S. Virg. p. 111. *Errore pridem in Eccleſia damnato.*

De toto vitæ genere pugnabat Franciſcus Hallier ex S. Chryſoſtomo; caſtitatem & paupertatem nobiliſſimas partes aggreditur Claudius Seguenotus, nullo ſtipatus auctorum teſtimonio: qui tamen pro ſe Religioſam caſtitatem matrimonio exæquante, Vigilantium, Iouinianum, & totam hæreticorum factionem appellare potuit. Quibus ego S. Hieronymum, S. Auguſtinum de ſancta virginitate ſcribentem, Patres cæteros, & Concilia facilè opponerem; niſi iam hæc eſſet ab Eccleſia & Catholicorum mentibus proſcripta & eiecta opinio. Potuit & Voluntariam, Neceſſariæ paupertati, alieno fultus ſuffragio ſubijcere: verùm rationum ſuarum arma ſatis habuit aliunde mutuari; quæ parum intereſt Saülis ſint, an Ionathæ, certè Dauidi non conueniunt. Huic integras acies Dei viuentis, quibus exprobrat, obijcere poſſum, ſed vno è ducibus contentus ſum, quod is eam præcisè pugnam ineat: Apologiam pauperum dico, & Bonauenturam, Religioſum quidem, ſed Doctorem Pariſienſem, & ſanctum.

*Idem Paupertati voluntariæ aduerſatur.* Ibid. p 96. 97. *Paupertas neceſſitatis ſeu coacta mendicorum.* *Paupertas philoſophica.*

Sic autem differit aduerſarius. In Euangelio quidem Matthæi *legitur* Chriſtus dixiſſe *Beatos pauperes ſpiritu*, verùm in Luca *Beatos pauperes* ſimpliciter appellat: quia non votiuam Religioſorum paupertatem, quæ Voluntaria inde vocatur, ſed aliam, quæ non quæſita vltro inuenitur, quæque Neceſſitatis poteſt nuncupari, commendare Chriſtus inſtituit. Hæc enim vilis, deſpecta, omni deſtituta ſolatio, durior laborioſiorque eſt, quàm Voluntaria, mollis, honorata, pluribus recreata ſubſidijs. Cumque à Patribus Religioſa profeſſio Chriſtianæ Philoſophiæ titulo decoretur, in philoſophicam paupertatem ſubdolè inuehitur, quæ videlicet diuitias, & imperfectiorem ſtatum, & ipſam Neceſſariæ paupertatis vilitatem deſpicit & faſtidit: triumphat, ſibique falſa gloriolæ vmbra plaudit in libris, non Senecæ tantùm, ſed eorum etiam à quibus Euangelicum ſpiritum haurire debebamus. Quare de hac vnum id dico; *Tres ſpecies odiuit anima mea, Pauperem ſuperbum*, &c. De illa autem, ſtatum eſſe in quo exaggeratæ cuiuſdam perfectionis exercitia & actiones reperiuntur. Ita Seguenotus.

*Refellitur in eo quod Paupertatem ſpiritu non agnoſcat.*

A quo primùm poſtulo, cur *Pauperes ſpiritu* nolit agnoſcere, cum eos in Matthæo legat? An *diuiſus eſt Chriſtus* qui modò iſtud, modò aliud, mutato conſilio enunciarit? An ſibi repugnant inuicem Euangeliſtæ, vt vni potiùs, quàm alteri credamus? Eodem-ne iure Beatitudines ad quaternarium numerum arctabimus, quia ſic apud Lucam legunrnt, licet in Matthæo duplicentur? Cur autem expungi vult illam vocem, quæ vna pretium dat cuilibet paupertati? Nam illi ſeu voluntate, ſeu neceſſitate pauperes, niſi ſint *Pauperes ſpiritu*, poſſunt non eſſe philoſophis meliores, diuitibus humiliores, latronibus ſanctiores. Quæro deinde qualis quamque proba ſit illa Paupertatis diuiſio, in Voluntariam, Neceſſitatis & Philoſophicam? Nam Voluntaria per votum

*Peccat in diuiſione Paupertatis.*

tum Religioſum in tantam ſe neceſſitatem induit, vt eam etiam præ libertate ſcriptor iſte vituperet. Neceſſaria autem, niſi de manu fortunæ, vel Dei potiùs ſuſcepta, prona voluntate ſubeatur, ad virtutem minimè conducit, dicente ſcriptura *propter inopiam multos deliquiſſe*. Philoſophica autem vel reuocatur ad voluntariam vt in Thebano Cratete, Diogene, Ariſtide; vel ad neceſſariam, vt in Æſchine Socratico, Cleanthe, & alijs. Quod ſi faſtum & ſuperbiam, tanquam characterem, illi dicit impreſſum, exquiram continuò, num vtraque ſuperior eadem ſignari nota poſſit: cur eiuſdem vitij non obſcurè inſimuletur ſola Voluntaria? Sed eſto, perfecta cenſeatur illa diuiſio; & veræ germanæque ſpecies generi attributæ: peto vlterius, quam obrem à paupertate per Chriſtum laudata, Voluntariam excludat? Nam quia ſimpliciter & vniuerſè dictum eſt *Beati pauperes*, huic generis beatitudini, quemadmodum alijs dotibus ſpecies participare oportet, vel omnia Logicorum pronunciata fallunt. Præterea explicari mihi volo paupertatem, quam vocat *Neceſſitatis*. Eam ſi vult à communi Religioſa diſtingui, affirmet oportet illam eſſe, quæ actu & reipſa caret rebus ad vitam ſuſtentandam neceſſarijs, Gallico meliùs, quàm latino expreſſa idiomate; cum Religioſis ex Monaſterio ſuppeditentur alimenta, & quibus tegantur, illiſque contenti ſint, ex Apoſtolico præcepto. Quòd ſi mauult opponi Volūtariæ, ſiue Religioſæ, ſiue Philoſophicæ, illa profectò eſt quam quis inuitus & coactus patitur, qualis eſt viliſſimorum mendicorum. Et certè ſi totus locus attentè conſideratur in auctore, hæc vna laudibus onerari deprehendetur. Id cum ita ſit, cur coactā illam paupertatem, quæ omni qua poteſt via, etiam perdita & infami, diteſcere affectat, ſtatum vocat, in qua miſeri tantùm conſiſtunt, quia inde non poſſunt ad lucella erepere?

*Eccl. c. 27.*

*Malè negat paupertatem voluntariā à Chriſto laudari.*

*Paupertatē neceſſitatis non benè explicat.*

Obteſtor etiam vt ſyncerè & apertè pronunciet, qui ſint illi ſcriptores quos negat Euāgelicum ſpiritum nobis rectè tradidiſſe. Illi certè qui paupertatem Voluntariam laudarunt. Atqui laudauit ſcriptura ſacra, laudarunt Patres & Concilia, laudarunt ſanctitatis doctrinæque Principes, quibus aut Euangelici ſpiritus ignorantiam, aut diſſimulationem & mendacium effingere, ſacrilegium eſt. Sic autem laudarunt, vt illi primùm neceſſariæ, deinde etiam regnis & imperijs anteferrent, quod intolerabili ſuperbiæ auctor aſſignat. Quis ab eo tutum ſe præſtabit, qui Patres & Concilia ignorantiæ, mendacij, ſuperbiæ incuſet? Non hos, inquiet, ſed Religioſos ſcriptores, ſui ſtatus nimiùm amantes. Quos enim? Bernardum, Petr. Damiani, Tho. Aquinatem, Bonauenturam, Bedam Venerabilem, Thom. VValdenſem? Si & hos non audet, recentiores malignè notat. Quid autem recentiores iſti proferunt, quod illi non ante dixerint? aut quid attulerunt vtrique, quod à Concilijs & Patribus non acceperint? Qui riuos fluere turbidos indignatur, iratus eſt fonti.

*Paupertatē voluntariā à ſcriptoribus laudari moleſtè fert.*

Hæc in auctoris mente perueſtigata ſint; de quæſtione modò agendū; cuius ſtatum in vulgaribus mendicis poni vidimus, eò aptioribus ad virtutem, quò apud homines viliùs deſpectiuſque verſantur. Hoc igitur ait, & probare conatur Claudius Seguenotus, Mendicos illos è triuijs, qui habeant pro vectigali, hominum non ardentem caritatem; pro cubili, terram ſub dio; pro veſte, nuditatē; pro obſonio, famem; querulos cum mendicāt, iracundos cum repelluntur, inſolentes cum peculium corrogarunt; modò marcidos & ebrios, ſi fauit Mercurius; modò languidos & ſatiſcentes, ſi fortuna non riſit; prouocata ſcabie horridos, ſtrophis infames, furtis obnoxios, periurijs execrandos; perfectiùs

*Explicatur Seguenoti ſententia, de paupertate voluntaria & coacta.*

Euangelicam paupertatē colere, quàm cum votis omnibus ſuis Religioſos, qui ex ditibus inopes, ex beatis in ſeculo, laborioſi, egentes, anguſtiati in clauſtro, Chriſti ſolius cauſa & amore fiunt; qui non opes ſolùm, ſed etiam ipſarum ſpem, cupiditatem, voluntatemque omnem in perpetuum abiecerūt, vt quotidie Chriſto dicant *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te.* Aſſertionem probat tribus ex capitibus. 1. Quia omni humano ſubſidio illa Neceſſitatis paupertas deſtituta, pendet abſolutè à Deo. 2. Quia vulgò deſpicabilis eſt, & de egeſtate præter abiectionem & incommoda, nihil habet. 3. Quia hæc ipſa incommoda grauiſſima ſunt, & pœnitentiæ cruciſque poſt Chriſtum portatæ deſideria. Dicas in illa paupertate tot Lazaros tibi, quot mendicos occurrere, cum vnum ſolummodò Lazarum tot ſeculis pepererit. Inde autem ex aduerſo ſequitur, inferiorem perfectione eſſe Voluntariam paupertatē, cui pauca deſunt, quæ à populis honoratur, & laboribus corpore toleratis minùs fatigatur.

*Ea opinio in tria capita distribuitur.*

## *EXPOSITÆ OPINIONIS CAPITA ſingula refelluntur.*

### §. Vnicus.

*Paupertatis Voluntariæ laudes, & coacta vilitas, ex Patribus.*

NOVVM hoc perfectionis ſimulacrum aggredior à diuiſione, vnde & incipit. Vis illam à S. Ioanne Chryſoſtomo, vnde alij Religioſorum contemptionem educunt? Is Matthæum explicans in illud *Beati pauperes ſpiritu, Spiritum hic, animum & electionem dicit. Quoniam*, inquit, *ſunt multi humiles, rerum neceſsitate coacti: relinquens illos (neque enim erat illa laus) eos qui ex electione ſeipſos humiliant & conſtringunt, beatificat primos.* Hoc ait Doctor eloquens, duo eſſe paupertatis genera, ſpiritus, ſeu electionis, ſeu Voluntariæ; & Neceſſitatis, ſeu coactionis. Huic laudem deberi nullam, ideo nōn fieri eius à Chriſto mentionem: illam ſolam beatam prædicari, quia ſola laude digna eſt. Poteſt-ne quicquam dici contradictoriè magis oppoſitum Seguenoto? Mauis fortaſſe à S. Bernardo? *Diligenter attende quòd non ſimpliciter pauperes nominauit, propter plebeios pauperes, neceſsitate miſerabili, non laudabili voluntate. Spero equidem profuturam eis apud diuinam miſericordiam hanc ipſam afflictionis ſuæ miſeriam: ſcio tamen Dominum hoc loco, non de huiuſmodi fuiſſe locutum, ſed de his qui poſſunt dicere cum Propheta; Voluntariè ſacrificabo tibi.* Duo igitur ſunt paupetes; voluntate, neceſſitate: hi Deo accepti eſſe poſſunt, ſed ad hunc Chriſti ſermonem non pertinēt: illi beati dicuntur, quia voluntariè ſacrificant. Pergit lumen Galliæ. *Attamen nec Voluntaria quidem paupertas omnis, laudem habet apud Deum. Nam & Philoſophi ſua omnia reliquiſſe leguntur, vt expediti mundialibus curis ſtudio vanitatis poſſent vacare liberiùs, & nolebant cenſu abundare terreno, vt abundarent magis in ſuo. Hoc diſcernit quod dictum eſt, ſpiritu, id eſt, ſpiritali voluntate. Beati ergo pauperes Spiritu, intentione ſpiritali, propter ſolum beneplacitum Dei, & animarum ſalutem.* Voluntaria ſubdiuiditur in ſpiritalem, & philoſophicam. Hæc ex vanitate ſuſcepta, illa ex Dei amore & ſalutis ſtudio. Illa igitur ſola paupertas ſpiritus laudatur ab Euangelico legiſlatore, non philoſophica, non neceſſaria. Quàm piè excluſam à Seguenoto vocem, *Spiritu*, ponderat S. Bernardus? Quàm doctè philoſophicam à cæteris ſpeciebus diſcernit, quam cum illis confuſam vidimus in Seguenoto? Quàm præciſè ſpiritalem Voluntariam à Chriſto commendatam affirmat, cui nullum in Chriſti ſermone locum relinquit Seguenotus? S. Bonauenturam promiſi: quid ille? *Duplex eſt*, inquit, *impia,*

*Chryſoſt. hom. 11. in Matth.*

*Bern ſerm. de omnib. ſanctis.*

*quadam*

*quædam voluntaria, & quædam inuoluntaria.* (neceſſitatis vocat Seguenotus.) *Inopia inuoluntaria inducit defectum mentis, & pronitatem, & occaſionem inducit ad peccandum.* Illa ipſa eſt in qua Seguenotus ſublimis perfectionis ſegetem, & exercitium peruidet. *Inopia autem ſeu paupertas voluntaria, diſponit ad iuſtitiam perfectam, quia mentem facit ad omne bonum idoneam.* Si noſtris mereret Bonauentura ſtipendijs, quid ampliùs efficaciuſque contra Seguenotum ſcriberet? Idem eodem opere mendicitaris tres facit ſpecies, ex neceſſitate naturæ, vt Lazari; ex vitioſitare culpæ, vt hypocritatum illorum, in quos ſtylum exerit D. Auguſtinus libro de opere Monachorum, *qui tanquam conſeruatricem Euangelij prædicantes erant pigritiam*, & ex ſuperogatione iuſtitiæ; *& hoc eſt cum quis mendicat pro Chriſto imitando, vel pro Euangelizando, vel vtroque modo. Pro Chriſto, inquam, imitando quantùm ad contemptum ſui, affectum proximi, & cultum Dei.* Aliorum ſi rogo ſententiam, qui vel de Chriſtiana paupertate ſcripſerunt, vel hunc Euangeliſtæ Matthæi locum elucidarunt, eodem omnes conſenſu Voluntariæ paupertatis encomia reſpondebunt: in primiſque nunquam ſatis laudatus, ſatis amatus Guillelmus Pariſienſis, veræ & religioſæ paupertatis encomiaſtes fideliſſimus: quam vbi *bonum* appellauit *ſine calumnia*, non credidit vllum fore Catholicum, qui has illi lites intentaret.

Bona. l. de paupert. Chriſti contra M. Guill. a. 2. ad 2.

Ibid. a. 2. ad 7.

Augu. l. de opere Mon. c. 21.

Guil. Pari. l. de Mor. c. 9.

*Paupertas bonum ſine calumnia.*

Maior eſt, inquit, neceſſariorum priuatio in mendico, quàm in Religioſo. Hoc mecum, Lector, conſidera. Religioſi votum ſimplex, purum, integrum; nulla temperatum conditione eſt: Non vouet paupertatem, modò nihil ei deſit: non promittit mendicitatem ea lege, vt omnia ipſi neceſſaria ex Cœnobio ſubminiſtrentur: In ſuperiorum arbitrio corpuſculi ſui curam omnem deponit, quantùm illi libuerit eſurire, non aliter quàm iuſſerit indui, non priùs quàm permiſerit, calfieri; reddere quo vtebatur commodè, carere quo indigeat, in morbis deſeri, in morte abijci de ſe paratus. Nemo tam egenti egeſtate natus eſt, qui ſuum aliquid non videat, nihil Religioſus. Mendico illi, quem deſpicabilem putas, pannos ſi eripis, vt Diogeni dolium, facies iniuriam, non Religioſo. Quos pauper vnde vnde obolos extricauit, poteſt arbitrio ſuo dare, perdere, ludere, in veſtes, in cibos commutare, quod Religioſo denegatur. Denique veſtito Religioſo nihil eſt magis nudum.

*Veri pauperi plura deſint, Religioſo, an mendico?*

Honoratur, inquit, Religioſa paupertas, Neceſſaria deſpicitur. Ergo virtutem contemptu æſtimas. At ego illam ex vera gloria deprehendo, vt ex odore balſamum, ignem è fumo, reginam ex aſſecla, corpus ex vmbra. Illa lux mundi eſt, ciuitas in alto ſita, lucerna in candelabro. Cæcos eſſe cupis omnes qui domum ingrediuntur, ne lumen videant. Latet ipſa per ſe, at omnium iudicijs extollitur. Humano generi virtutem exprobras, ſi honeſtam paupertatem ab omni æuo apud omnes populos in admiratione fuiſſe quereris. Gaudent nonnullos tantùm ſupra homines eminere, quantùm ipſi ſe deprimunt, & neſcio quo intelligentiæ cogentis impetu, quod magnopere amant aurum, amant ab alijs non amari. Inde norunt opes eſſe impedimenta ſpontanea, quòd aliqui ſe illis extricant. Diſcunt eos verè diuites eſſe, non qui theſauris adijciunt, ſed qui cupiditatibus detrahunt. Chriſtiani verò ſuũ in illa imagine Chriſtum agnoſcunt: eum qui ſe mendicum appellat in Pſalmo, quem VViclefſus ipſe, Religioſæ paupertatis hoſtis perpetuus, fatetur mendicaſſe: qui duodennis triduo illo quo ſe parentibus ſurripuit, manum porrexit ad ſtipem: qui aquam à Samaritana muliere mendicatò rogauit: qui nunquam habuit

*Paupertas voluntaria cur ſit in honore apud homines.*

Vide Wal. t. p. doctr. fid. l. 4 a. 1. c. 3. 4.

*deuotionis perfectione conſumat.* Quæ de Religioſis dicta, credere nos iubet Gregorius alius è Græcia, dum Monachos *Nazaræos noſtrates* appellat. Hoc ſcilicet facto, Monacho Sacerdos confectans *perfectiſſimam vitam exponit, dicens eum mediam vitam ſuperare, ac tranſilire oportere. Eſt enim non medij eorum qui initiantur ordinis, ſed ſummi omnium*, ipſaque *prioris veſtis detractio, & alterius inductio, ſignificat à media ſancta vita, ad perfectiorem traductionem.* Inde fit vt Laïcis permulta liceant, Monachis interdicta, vt admonet S. Maximus Scholiaſtes; & nos aliqua ſuperiùs è Canonibus proferebamus. Euenit etiam vt ordo ille ſanctorum Monachorum *Hierarchicis traditionibus pro modo ſuo ad ſummam perfectionem ſit euectus.* Confer, amabo Lector, totam hanc S. Dionyſij contemplationem cum Halleriana propoſitione. Sic enim Apoſtolus Hierophanta: Monachus renunciat vitis diuiduis Laïcorum; non eſt medij ordinis, ſed ſummi; à media vita in qua verſatur cum Populo ſancto, ad perfectionem traducitur, cum in Monachum conſecratur; tradita Hierarchiæ ſcientia ad ſummam perfectionem euehitur; à qua medius Laïcorum ordo ſemper abſtinet.

Greg. Naz.

Inuectiua Franc. Hallier l. de ſacr. ordin. p. 93 9.

His vel lectis vel neglectis, concludit Doctor Hallier, S. Dionyſium *expreſſè Monachos Laïcis annumerare, & eam mentem ex prædictis abundè patere.* Caperet hic locus vnam de amplificationibus Aurelïanis, aut ijs ſimilem quas Hallier ipſe in poſteriori opere, appendice exotica de Regularibus, ſtringit in Ieſuitas, niſi mihi certum eſſet, tum vita tum ſcripto euidenter oſtendere, *non paruam eſſe inter ſeculares, & Monachos differentiam.*

*Conſecratio Religioſa Hierarchica eſt.*

Manum hinc nondum moueo, cum profundiore meditatione digna mihi videatur *Conſecratio*: quæ ſi cætera ſint paria, perfectionis tamen palmam Religioſis addicit. Ponamus enim caſtitatis votum à ſeculari æquè ac Monacho nuncupari: iam tu mihi intuere aliam eſſe priuatam caſtitatem, vnius tantùm hominis deuotione promiſſam: aliam verò publicam ex Eccleſiæ inſtituto, ab illius Hierarchis in certo ſtatu perfectionis ordinatam: adeoque hanc eſſe Hierarchicam, non illam; huic Eccleſiæ conſecrationem dari, non illi hanc, non minùs quàm preces, ieiunia, eleemoſynas, reliqua opera ab Hierarchis conſtituta, publicam eſſe, & quaſi Eccleſiæ nomine præſtari. Quapropter vt horæ Canonicæ ſunt vox Eccleſiæ, ſic Religioſa profeſſio, non autem priuata, votum Eccleſiæ poteſt appellari. Supereſt & quod vlteriùs contemplemur.

*Religioſa obedientia perfectio.*

Cum in ea conſecratione nuncium diuiduis vitis remittit Monachus, ſeipſum inter cætera voluntatemque ſuam abdicat, & obedientia, qua carent Laïci, mediam vitam tranſilit. Eſt autem obedientia merum holocauſtum, ſacrificio quolibet præſtantius, quæ actionibus Religioſis omnibus vt precibus, ieiunijs, macerationi corporis, energiam quandam imprimit, perque totam Religioſi vitam, vt grandis quædam anima, cum illa ſua efficacitate peruadit. Quapropter D. Bonauentura obedientiã ſcribit eſſe *ſummam in merito, vicinam Deo, proximam cælo.* Atque inter alia elogia *nobile martyrij genus* appellat *& palmam triumphalem, quia decollat hominem, & amputat ei propria voluntatis caput.* Cum autem in Chriſtiana Religione martyrio nihil grandius agnoſcamus, quanta eius vitæ ſupra Laïcam dignitas eſſe cenſebitur, quæ in ipſa ſui eſſentia martyrium ex ſtatu perpetuum includit?

Vide Waldenſ. li. 3. doct. fid. a 2. c. 19. Bonau. in diæt. ſal. tit. 3. c. 2.

*Communio meritorum in Religione.*

Per hanc denique conſecrationem diuinorum hominum ſocietas initur, atque operibus illis Religioſis ex conuictu & communione plurium, accreſcit

meriti

meriti modus, fitque inter fratres ex arcta ſocietate Religionis, quod inter fideles in Eccleſia, idque maiori efficientia, ingens meritorum theſaurus, ſingulis in commune pauca conferentibus, & infinita reportantibus.

Quibus magni Dionyſij enarrationibus, feret Lector à me adiungi Petri Bleſenſis, hominis non Monachi, de ſtatus Religioſi, ſupra ſecularem quemlibet excellentia, teſtimonium, ex eo ſumptum libro, quo pluſculum animo ſuo indulget, offenſus à Canonico Regulari, quem non ſine acerbitate reprehendit. De ſtatu igitur interim hæc omnia. *Habebas in clauſtro ſecretum ſolitudinis, locum pœnitentiæ, pacem animæ, contemplationis arcanum, gaudium in Spiritu Sancto; conſilium in hæſitatione, in tentatione remedium, & in omnibus efficax remedium medicinæ. Ibi virtutum ſchola eſt, ſummus ibi modeſtiæ vſus, morum regularitas, legendi libertas, fraternitatis affectio, omnium communicatio, vinculũ caritatis, & mutua obſequela.* Id abſolutè dictum; iam collatione cum cæteris facta, *Vitã Religioſorum, quorum diuerſæ ſunt ſpecies, tota cordis affectione veneror, ipſorumque pedes brachijs deuotiſſimæ humilitatis amplector. Scio enim quia præ cunctis ſecularibus & Clericis & Laïcis tantò differentiùs virtutum titulos referunt, quantò impreſſioribus veſtigijs Apoſtolorum regulis adhæſerunt.* Deinde cum aduerſarij illius ſui teporem, & irreligioſam vitam, ſeculari feruentiori poſtpoſuit, (vltro enim fatemur ſingulares in ſeculò perſonas, Religioſis non paucis eſſe ſanctiores, ſed de ſtatu nobis quæſtio eſt) ne ſtatum Religioſum male concoctis verbis lædere videatur, hæc iterum de eo ſubijcit, *Non præfero Religioni, quæ ad Deum via recta & directa eſt, noſtræ ſecularitatis incertum. Non dico cum Naaman Syro, meliores eſſe fluuios Damaſci Abana & Pharphar, omnibus aquis Iſraël. Non dico cum Gedeone, quia meliores ſunt racemi Ephraïm, vindemijs Abiezer: neque homines Angelis, neque comparo terrás cælis.* Ità de Religioſis cum Laïcorum vita comparatis Archidiaconus Bathonienſis, Petro Aurelio, & Franciſco Hallier amicus ſcriptor, & aduersùs Religioſos ab eis non ſemel aduocatus.

*Petri Bleſ. ſis, encomium Religioſæ perfectionis. l. in deprauatorum operum*

*Religioſi Apoſtolorum imitatores ſupra Clericos & Laïcos.*

*Non eſt comparanda ſecularitas cum Religione.*

Age modò causâ apud Iudicem Dionyſium, vel potiùs ex iudice perorata, contrahamus in ſummam litis noſtræ firmamenta. Nunquam Dionyſius, nè in ira quidem, cum res maximè poſceret, Monachos populi nomine appellauit: imo ex aduerſo, Monachos dicit à populo ſeiunctos orare, communicare in choro, accedere ad Sacerdotes, conſecrari à Sacerdotibus, perfici à Pontifice, initiandorum ſummum eſſe ordinem, Laïcos medium; veſtes à populo diuerſas induere, vitam coniunctam viuere, Laïcos diuiſam: multis abſtinere quæ ijs liceant: In ſacris perfici Monachos, ſpectare Laïcos; oſculum à Sacerdotibus accipere, & inuicem reddere, cum illud Laïci ſibi tradant. Poſt hæc & ſimilia quæ mecum legitis, Aureli & Hallier, ſi pro vobis pronunciatum creditis à Iudice, Monachos eſſe Laïcos, viuite hac opinione felices & beati.

*Collectio rationum ex Dionyſio ductarum.*

## SOLVVNTVR OBIECTIONES ADVERSARIA EX S. CHRYſOſTOMO.

§. I.

POST aſſertum partibus Monachorum, inſtitutorem Hierarchiæ S. Dionyſium, ordo traditæ ab aduerſarijs diſputationis exigit, vt & S. Chryſoſtomi ſententiam exquiramus, ijs locis quos Franciſcus Hallier, prætermiſſis infinitis in eo doctore Monachorum encomijs, excernit, & exhibet; ea tamen cautela, vt eum fateatur *parumper excedere, & per exaggerationem loqui.* Agnoſcat deinde eorum locorum altero rem ſuam *clarius & fuſius exponere*: vt eorum dictorum explicationem iure meo prætetire potuerim, qui non ad veritatem, ſed ad pompam rhetoricam exaggerati ſunt: aut ſi ad eos accedendum eſt, in illo *clariori & fuſiori* laborem ponere ſatis fuerit, vnde alius & lucem, & ſolutionem ſit accepturus. Ego verò neque alterum altero clariorem iudico, neque in vllo ſuperatos *per exaggerationem* oratoriam veritatis limites arbitror, ſed omnia Chriſti & Apoſtolorum doctrinæ, id eſt, Chriſtianæ Catholicæ veritati conſentanea dici ab oratore ſacro; ex ijs tamen monaſticæ vitæ depreſſionem & contemptum malè à Doctore Franciſco Hallier, tanquam corollarium deduci, infeliciuſque probari *paruam eſſe inter ſeculares Laicos & Monachos differentiam.*

*S. Chryſoſtomum nimia exaggerationis malè reprehendit Hallier.*

Prior locus educitur ex *Homilia 7. in epiſt. ad Hebræos*, vbi in parte morali vir diſertus, poſteaquam improbos & proteruos ſenes reprehendit; adijcit homini adhuc iuueni non deeſſe adiumenta ad virtutem, quibus aſſumendis ferendiſque corporis vires ſint idoneæ. *Quænam ea ſunt? Labores, lectiones, vigiliæ, ieiunia.* Tum ipſe ſecularium lingua locutus ſibi obijcit: *Cur autem hæc nobis dicis, qui non ſumus Monachi?* Qui, quæ Dei gratia eſt, modus adhuc ſentiendi & loquendi apud ſeculares tum Clericos tum Laïcos perſeuerat, oſtenditque nullo non ſeculo communem fuiſſe omnium ſenſum, Chriſtianæ perfectionis ſtudium Monachis ſolis competere, ab ea longiùs abeſſe reliquis in communi vita licere: vt ſi alia deſint omnia; hæc vna tam diuturna, tam conſtans, tam altè inſita in Chriſtianorum omnium animis opinio manifeſtè demonſtret *non paruam eſſe inter ſeculares & Monachos* in vitæ perfectione *differentiam.* Quid autem ad ea ſanctus orator? *Hæc mihi dicis? dic Paulo cum dicit, vigilantes in omni patientia & oratione: cum dicit, carnis curam ne feceritis in concupiſcentijs. Non enim hæc ſolùm ſcripſit Monachis, ſed omnibus qui erant in vrbibus.* Diceret nunc Paulus, illa ſe Chriſtianis ſcripſiſſe, qui primitias ſpiritus acceperant, qui ſancti & appellabantur & erant, qui facultates ſuas ad pedes Apoſtolorum abijciebant, forma futurorum Monachorum, & primi ſub Apoſtolis Religioſi, quibus ſeculum erat pro Monaſterio, Euangelium pro regula, exilium pro miſſione, martyrium pro mortificatione. Omnibus igitur illa ſcripſiſſe, non Monachis, quia omnes pro Monachis & ſanctis habebantur. Tepeſcente autem illo ſanctitatis ardore, duas in partes diſceſſiſſe Chriſtianos, Seculares & Monachos; illos multis vitijs legem Euangelicam commaculaſſe, hos fugientem eius integritatem retinuiſſe, in ſtatu perfectionis acquirendæ poſitos, eorum imitatores quibus priora illa ſcribebat Apoſtolus. Pergit Chryſo-

*Locus Chryſoſtomi ex Hom. 7. in ep. ad Heb.*

*Communis ſecularium de Religioſorum perfectione opinio.*

*Chriſtiani quibus ſcribit Apoſtolus, ſimiles Monachis.*

Chryſoſtomus. *Num enim ſecularis homo debet amplius aliquid habere Monacho, quàm cum vxore cohabitare tantum? hic enim habet veniam, in alijs autem nequaquam, ſed omnia æquabiliter ſicut Monachi agere debet.* Cæcutire in ſole oportet eum, qui non peruideat ſecerni hoc loco à præceptis conſilia, & in illis quidem æquari Laïcum Monacho, in iſtis autem à Monacho multis partibus ſeparari. Cum enim vxoris cohabitationem condonari Laïco ſcribit Antiſtes, educationem liberorum, rei familiaris curam, moderatum dignitatis & honoris ſecularis deſiderium, liberum ſuæ voluntatis vſum, quæſtuoſos labores, vno verbo, eoque Hierarchico *diuiduas diſtinctaſque vitas & imaginationes* illi permiſſas admonet: quarum rerum ſpontanea priuatione per conſecrationem publicam conſignata, Monachus vitam mediam ſuperat ac tranſilit: eademque opera ſolitudinem, regulares obſeruantias, & alia conditioni ſuæ conſentanea complectitur, quæ nemo vnquam *æqualiter ab homine ſeculari* exegerit. Ad cætera autem, id eſt, mandatorum obſeruationem, & ſimilia ſtatui illi non propria, non magis quàm ſecularis quilibet ſeu Clericus ſeu Laïcus adſtringitur. Atque hæc ipſa velle Chryſoſtomum, docet ſubdita Beatitudinum à Chriſto prædicatarum mentio. *Iam verò & beatitudines quæ à Chriſto dictæ ſunt, non ſunt dictæ ſolum Monachis, nam periiſſet totus orbis terræ, & crudelitatis Deum accuſaremus.* Hæc igitur oratio Chryſoſtomi alia omnia, quàm quæ Franciſcus Hallier colligit, apertè ſignificat, *non paruam eſſe inter ſeculares Laïcos & Monachos differentiam.*

*Conſilia S. Chryſoſt. diſtinguit à præceptis.*

Poſterior locus eruitur ex opere *aduersùs vitæ Monaſticæ vituperatores.* Graue conuicium eſt Franciſce, præuaricationis accuſare non iam Antiocheni fori cauſſidicum Ioannem, ſed ampliſſimi Patriarchatus Antiſtitem Chryſoſtomum. Eſt autem præuaricatus, ſi ſuſcepto Monachorum patrocinio, illos nihilominus Laïcis coæquauit. Quis verò non malit Franciſcum Hallier corrupti iudicij, quàm S. Ioannem Chryſoſtomum Patriarcham Conſtantinopolitanum, & Eccleſiæ vniuerſæ Doctorem præuaricationis arguere, in eo tractatu, quo Monachorum aduerſarios licet *pios ſe videri velint, & Chriſtianos appellari; plurimi autem ex his iam etiam initiati ſint*, vereri ſe dicit, ne gentiles exiſtiment *ne homines quidem eſſe, ſed feras belluas, ac portenta horrenda humanæ formæ lineamentis adumbrata, dæmoneſque noxios atque naturæ communis inimicos.* Quo illos cum Nerone comparat, Epulone diuite crudeliores & immaniores facit: *Ipſe enim etſi nihil ex ſuis communicauit Lazaro, non tamen eos qui id agere vellent, prohibuit, aut afflixit, aut repulit.* Imo etiam *nonum à primo crudelitatis & malitiæ gradum tranſcendere* queritur. Quo librum ſecundum totum [illegible], in perſuadenda vitæ Monaſticæ vtilitate præſtantiaque, non homini Chriſtiano, ſed Gentili occupat. Cum igitur illa Monachorum contemptio in hunc Hierarcham, in hoc opus cadere non poſſit, in ipſo aduerſarij ſenſu ex verbis quibuſdam malè perceptis quærenda eſt.

*S. Chryſoſtomum præuaricationis arguit Hallier.*

*Religioſorũ aduerſary ſunt belluæ, portenta, dæmones.* Chry. l. 1. adu. vitup. vitæ Mon. c. 2. Ibid. c. 4. & 5. Item l. 3. c. 3. Item l. 2. per totum.

Verba profert è 3. libro, quo toto Chriſtianum parentem hortatur, ne filium è ſeculi fluctibus ac tempeſtatibus, ad Monaſticæ vitæ portum recipere ſe cogitantem, aut impediat aut remoretur. Interque multa quæ ſolent obijci, illud etiam tritum frequenter rogat, Num quis inter ſeculi curas, ſalutem ſuam in tuto collocare poſſit? Reſpondetque, ſi poteſt id fieri cum vxore, liberis, & re familiari; longè commodiùs tutiuſque faciendum ſine tot rerum impedimentis: ſi qui vrbem habitat ſine dubio ſaluari poteſt, multò ſanè

*Profertur locus citatus ab Hallier* ex l. 3. c. 11.

magis poſſe qui ſe ad ſolitudinem Monaſticam recipiat. Tum continenter obijcit ſecularis, quod ita producit Hallier. *At inquies eiuſdem criminis non eſt, eum qui ſeculo addictus ſit, peccare, & eum qui ſemel ſe ac penitus Deo deuouerit, Religionis propoſito excidere. Neque enim ambo ex eadem altitudine decidunt.* Malè concipitur hæc obiectio, quaſi culpas ſecularium, cum Religioſi apoſtaſia conferat diſceptator, cui facilè ſatisfaceret S. Chryſoſtomus, verè illud ſacrilegium peccatis Laïcorum præponderare, ſed paucorum eſſe, & non ampliùs Monachorum. Strictiùs igitur, & ad auctoris mentem propriùs, quodque notari velim, ad reſpondendum operoſiùs, exponi debet obiectio, ſublato Religionis egreſſu, in hunc ſimpliciter ſenſum: grauiora eſſe Monachi, quam ſecularis peccata, vt qui ex eadem ambo altitudine non decidant.

[illegible]

*Locus qui obijcitur vtriuſque vitæ diſcrimen apertè enunciat.*

Hoc primum, ſecularis ille quiſquis cum S. Chryſoſtomo diſputat, doctore noſtro ſapientior eſt, qui longè diſpar perfectionis culmen, in quo per vota & conſecrationem collocatus eſt Monachus, à ſeculari vita agnoſcit. In quo propriè non reprehenditur à S. Chryſoſtomo: quin potiùs eius opinionis anſam è ſuperiori diſputatione accepiſſe videtur, cum S. Chryſoſtomum ſuum ſic audiuit orantem. *Nihil horum penitùs in Monaſterijs inuenies: verùm quanquam procella tanta, tantique fluctus deſæuiunt* (in ſeculo) *ſoli in tranquillo portu & ſecuritate ſumma reſidentes, veluti ex cælo ipſo cæterorum naufragia proſpectant. Namque conuerſationem planè cæleſtem elegerunt, nihilque deteriùs Angelis effecti ſunt.* Cum ad illud culmen Monachos ſæpius eduxiſſet S. Chryſoſtomus, diuerſam amborum altitudinem hoc ſenſu non poterat oppugnare. Quid ergò reſpondet obijcienti? *Fallis teipſum prorſus, ac decipis, ſi putas aliud à ſecularibus viris, aliud à Monachis requiri. Eſt enim inter eos ſola in matrimonio & cælibatu differentia, in omnibus, iiſdem rebus ſunt obnoxij.* Nam legiſlator pœnam ſceleribus indicens, Monachum à ſeculari non diſtinxit, ſed omnes ex æquo illis adſtrinxit vinculis; quemadmodum in enunciandis beatitudinibus, *nec Monachi, nec ſecularis nomen adiunxit, ſed ex hominum æſtimatione hæc diſtinctio introducta eſt*, qui falsò ſibi perſuaſerunt Chriſtianæ vitæ perfectionem ſolis Monachis eſſe propoſitam.

Ibid. c. 10.

*Religioſi pares Angelis.*

[illegible]

*Reſponſio de Præceptorũ & conſiliorum diſtinctione.*

Qui locus eandem penitùs habet cum ſuperiori expoſitionem, in præceptorum & conſiliorum diſtinctione, neque Monachis, quàm Clericis omnibus moleſtior eſſe debet. Subdit enim poſt multa ex Apoſtolo Chriſtianis bene viuendi documenta expoſita. *Conſtat profectò ipſum non minorem à nobis vitæ diligentiam requirere, quàm requirat à Diſcipulis Chriſtus. Cum itaque non Monachos tantùm, vel Apoſtolos; ſed ipſum etiam Chriſtum imitari nos iubeat, eiſque qui non imitantur, ſupplicia maxima intentet, qua tu tandem ratione illam dicis eſſe maiorem altitudinem?* Eam nimirum, non in qua conſiſtit ob vitæ ſtatum Monachus, ſed ad quam conſcendere nititur ex acquirendæ ſtudio perfectionis. *Eandem enim omnibus hominibus aſcendere propoſitum & imperatum eſt:* non maiorem Clericis, inferiorem ſecularibus; quia omnibus perfecta caritas, & mandatorum obſeruatio æquè commendata, inque illa non Monaſticæ, ſed Chriſtianæ vitæ perfectio collocata, doctore primùm S. Dionyſio, deinde S. Thoma. Longam denique diſputationem ſic concludit. *Itaque quod ad eandem vitæ diligentiam, ſupremumque perfectionis faſtigium, per diuinas leges ſecularis pariter & Monachus cogantur, quodque ambo ſi ceciderint, æqualia ſint accepturi vulnera, neminem tam, quantumlibet ille ſit contentioſus & impudens, contradicturum exiſtimo.* Atque hunc ipſum

*Mandatorũ obſeruatio Chriſtiana perfectio eſt.*

Dion. c. 1. Eccleſ.

S. Th. 2. 2. q. 184. a. 3.

ipſum lapſum in ſecularibus quàm Monachis, longè frequentiorem grauioremque eſſe probare pergit diuinus orator. Diſtinctiùs idem; & Theologico more, preſſiùs explicat D. Thomas; ita tamen vt culpas quæ contemptu & ſcandalo careant, ſi voto non repugnant leuiores æſtimet in Religioſis, quàm in ſecularibus. Viſum idem S. Anſelmo rem duplici ſimilitudine duorum ſeruorum & villicorum explicanti: vbi concludit, maiorem Laïco miſericordiam conſequi Monachum; licet vterque eadem peccet, quoniam *hunc Deus mitiùs iudicat, vt ex toto proprium; illum ſeueriùs, vt minùs ſibi priuatum.* Quæ doctrina quomodo ijs faueat qui perfectionem Religioſam, cum Laïca Religione volunt æquatam, viderint ſi qui illam obijcient.

Chry. Ibid. c. 33.
*Culpa Religioſi non ſunt grauiores, quàm ſecularis.*
D. Th. 2. 2. q. 186. a. 2.
Anſ. l. ſim. c. 82. 83.

Finge igitur animo prærupti montis arduum cacumen; in quo Regina caritas, & Hierarchica deiformitas ad ſe aduenientes excipiat & coronet. Huc tota Chriſtianorum natio aſpirat; ſecularis à radice montis viam ingreditur per dumeta curarum, honorum lubrica, voluptatum voragines, theſauris & domibus oneratus, implicitus coniugio, liberis retardatus. Monachus in ſtatus ſui colle iam erectior, liber obicibus, oneribus expeditus, non graditur ſed euolat ad brauium. Vterque in eodem monte verſatur; ſed non eodem gradu; retardat vtrunque mortalitas, ſed illum periculoſiùs: neuter firmo ſemper hæret veſtigio, ſed ille frequentiùs, hic rariùs; labitur iſte, ille præcipitat. Eodem in ſtadio currit Monachorum parens S. Baſilius, ſermone de Abdicatione rerum, quo poſt aliqua diſputata, concludit: *atque hæc quidem quaſi per tranſennam; eorum tamen cauſa memorata ſunt à nobis, qui propterea quòd ſe matrimonij vinculis obſtrinxere, licere ſibi arbitrantur Chriſti præceptorum obſeruationem impune negligere.* Etiam ipſa præcepta negligentes iſti in Monachos deonerant, quæ omnibus ex æquo imperata eſſe contendit magnus Antiſtes. Atque cum votiuæ obſeruationes à Religioſis ſuperadduntur, non alia ab illis perfectio, ſed diuerſa eius conſequendæ media exquiruntur. Fatetur enim S. Bonauentura votum Religionis aſſumi *tanquam adminiculum ad perfectæ virtutis exercitium.* Plura non addo, cum hæc propoſito ſufficiant.

*Explicatur hypotypoſi doctrina S. Chryſoſtomi.*
*Probatur ex S. Baſilio* ſerm. de Abdicat. rerum.

Poſt quæ tam illuſtria, remittit nos Doctor Hallier, ad ea *quæ Chryſoſtomus in libris de Sacerdotio, pro dignitate miniſtrorum Eccleſiæ ſupra Laïcos, eorumque præ illis obligatione ſcripſit.* Quæ ſanè ſi ſacrificium & quæ illò referuntur; ſi curam item animarum excipis, alia eſſe non poſſunt, quàm quæ hic legimus. Non enim aliud perfectionis culmen, non aliam à præceptis & conſilijs viam, non alia pericula quàm à ſeculi vitijs, non excellentius ad imitandum exemplar poteſt exponere, quàm Chriſti & Apoſtolorum. Quæro autem, libris omnibus ſuis, dicat-ne vſpiam à Clericis maiora, quàm à Monachis requiri; peccantes vtroſque non ex eadem altitudine decidere, eadem vulnera non ſuſcipere, ijſdem pœnis non eſſe obnoxios? Non probat igitur aduerſarius quod propoſuit, *paruam inter ſeculares Laïcos & Monachos, nec eam quæ inter Clericos & Laïcos differentiam agnoſci à Chryſoſtomo.*

*Leuior diſcurſus Franciſci Hallier.*

## *PAVPERTATIS RELIGIOSÆ CVM SECVlari collatio.*

## CAPVT V.

*Seguenotus Religioſam caſtitatem oppugnat.* Notis in l. de S. Virg. p. 121. *Errore pridem in Eccleſia damnato.*

DE TOTO vitæ genere pugnabat Franciſcus Hallier ex S. Chryſoſtomo; caſtitatem & paupertatem nobiliſſimas partes aggreditur Claudius Seguenotus, nullo ſtipatus auctorum teſtimonio: qui tamen pro ſe Religioſam caſtitatem matrimonio exæquante, Vigilantium, Iouinianum, & totam hæreticorum factionem appellare potuit. Quibus ego S. Hieronymum, S. Auguſtinum de ſancta virginitate ſcribentem, Patres cæteros, & Concilia facilè opponerem; niſi iam hæc eſſet ab Eccleſia & Catholicorum mentibus proſcripta & eiecta opinio. Potuit & Voluntariam, Neceſſariæ paupertati, alieno fultus ſuffragio ſubijcere: verùm rationum ſuarum arma ſatis habuit aliunde mutuari; quæ parum intereſt Saülis ſint, an Ionathæ, certè Dauidi non conueniunt. Huic integras acies Dei viuentis, quibus exprobrat, obijcere poſſum, ſed vno è ducibus contentus ſum, quod is eam præcisè pugnam ineat: Apologiam pauperum dico, & Bonauenturam, Religioſum quidem, ſed Doctorem Pariſienſem, & ſanctum.

*Idem Paupertati Voluntariæ aduerſatur.* Ibid. p 96. 97. *Paupertas neceſſitatis ſeu coacta mendicorum.* *Paupertas philoſophica.*

Sic autem differit aduerſarius. In Euangelio quidem Matthæi legitur Chriſtus dixiſſe *Beatos pauperes ſpiritu*, verùm in Luca *Beatos pauperes* ſimpliciter appellat: quia non votiuam Religioſorum paupertatem, quæ Voluntaria inde vocatur, ſed aliam, quæ non quæſita vltro inuenitur, quæque Neceſſitatis poteſt nuncupari, commendare Chriſtus inſtituit. Hæc enim vilis, deſpecta, omni deſtituta ſolatio, durior laborioſiorque eſt, quàm Voluntaria, mollis, honorata, pluribus recreata ſubſidijs. Cumque à Patribus Religioſa profeſſio Chriſtianæ Philoſophiæ titulo decoretur, in philoſophicam paupertatem ſubdolè inuehitur, quæ videlicet diuitias, & imperfectiorem ſtatum, & ipſam Neceſſariæ paupertatis vilitatem deſpicit & faſtidit: triumphat, ſibique falsâ gloriolæ vmbra plaudit in libris, non Senecæ tantùm, ſed eorum etiam à quibus Euangelicum ſpiritum haurire debebamus. Quare de hac vnum id dico; *Tres ſpecies odiuit anima mea, Pauperem ſuperbum*, &c. De illa autem, ſtatum eſſe in quo exaggeratæ cuiuſdam perfectionis exercitia & actiones reperiuntur. Ita Seguenotus.

*Refellitur in eo quod Paupertatem ſpiritus non agnoſcit.*

A quo primùm poſtulo, cur *Pauperes ſpiritu* nolit agnoſcere, cum eos in Matthæo legat? An *diuiſus eſt Chriſtus* qui modò iſtud, modò aliud, mutato conſilio enunciarit? An ſibi repugnant inuicem Euangeliſtæ, vt vni potiùs, quàm alteri credamus? Eodem-ne iure Beatitudines ad quaternarium numerum arctabimus, quia ſic apud Lucam leguntnr, licet in Matthæo duplicentur? Cur autem expungi vult illam vocem, quæ vna pretium dat cuilibet paupertati? Nam illi ſeu voluntate, ſeu neceſſitate pauperes, niſi ſint *Pauperes ſpiritu*, poſſunt non eſſe philoſophis meliores, diuitibus humiliores, latronibus ſanctiores. Quæro deinde qualis quamque proba ſit illa Paupertatis diuiſio, in Voluntariam, Neceſſitatis & Philoſophicam? Nam Voluntaria per votum

*Peccat in diuiſione Paupertatis.*

tum Religioſum in tantam ſe neceſſitatem induit, vt eam etiam præ libertate ſcriptor iſte vituperet. Neceſſaria autem, niſi de manu fortunæ, vel Dei potiùs ſuſcepta, prona voluntate ſubeatur, ad virtutem minimè conducit, dicente ſcriptura *propter inopiam multos deliquiſſe*. Philoſophica autem vel renocatur ad voluntariam vt in Thebano Cratete, Diogene, Ariſtide; vel ad neceſſariam, vt in Æſchine Socratico, Cleanthe, & alijs. Quod ſi faſtum & ſuperbiam, tanquam characterem, illi dicit impreſſum, exquitam continuò, num vtraque ſuperior eadem ſignari nota poſſit? cur eiuſdem vitij non obſcurè inſimuletur ſola Voluntaria? Sed eſto, perfecta cenſeatur illa diuiſio; & veræ germanæque ſpecies generi attributæ: peto vlterius, quamobrem à paupertate per Chriſtum laudata, Voluntariam excludat? Nam quia ſimpliciter & vniuersè dictum eſt *Beati pauperes*, huic generis beatitudini, quemadmodum alijs dotibus ſpecies participare oportet, vel omnia Logicorum pronunciatá fallunt. Præterea explicari mihi volo paupertatem, quam vocat *Neceſſitatis*; Eam ſi vult à communi Religioſa diſtingui, affirmet oportet illam eſſe, quæ actu & reipſa caret rebus ad vitam ſuſtentandam neceſſarijs, Gallico meliùs, quàm latino expreſſa idiomate; cum Religioſis ex Monaſterio ſuppeditentur alimenta, & quibus tegantur, illiſque contenti ſint, ex Apoſtolico præcepto. Quòd ſi mauult opponi Volũtariæ, ſiue Religioſæ, ſiue Philoſophicæ, illa profectò eſt quam quis inuitus & coactus patitur, qualis eſt viliſſimorum mendicorum. Et certè ſi totus locus attentè conſideratur in auctore, hæc vna laudibus onerari deprehendetur. Id cum ita ſit, cur coactá illam paupertatem, quæ omni qua poteſt via, etiam perdita & infami, diteſcere affectat, ſtatum vocat, in qua miſeri tantùm conſiſtunt, quia inde non poſſunt ad lucella erepere?

*Eccl. c. 27.*

*Malè negat paupertatem voluntariã à Christo laudari.*

*Paupertatẽ neceſſitatis non benè explicat.*

Obteſtor etiam vt ſyncerè & apertè pronunciet, qui ſint illi ſcriptores quos negat Euágelicum ſpiritum nobis rectè tradidiſſe. Illi certè qui paupertatem Voluntariam laudarunt. Atqui laudauit ſcriptura ſacra, laudarunt Patres & Concilia, laudarunt ſanctitatis doctrinæque Principes, quibus aut Euangelici ſpiritus ignorantiam, aut diſſimulationem & mendacium effingere, ſacrilegium eſt. Sic autem laudarunt, vt illi primùm neceſſariæ, deinde etiam regnis & imperijs anteferrent, quod intolerabili ſuperbiæ auctor aſſignat. Quis ab eo tutum ſe præſtabit, qui Patres & Concilia ignorantiæ, mendacij, ſuperbiæ incuſet? Non hos, inquiet, ſed Religioſos ſcriptores, ſui ſtatus nimiùm amantes. Quos enim? Bernardum, Petr. Damiani, Tho. Aquinatem, Bonauenturam, Bedam Venerabilem, Thom. VValdenſem? Si & hos non audet, recentiores malignè notat. Quid autem recentiores iſti proferunt, quod illi non ante dixerint? aut quid attulerunt vtrique, quod à Concilijs & Patribus non acceperint? Qui riuos fluere turbidos indignatur, iratus eſt fonti.

*Paupertatẽ voluntariã à ſcriptoribus laudari moleſtè fert.*

Hæc in auctoris mente perueſtigata ſint, de quæſtione modò agendũ; cuius ſtatum in vulgaribus mendicis poni vidimus, eò aptioribus ad virtutem, quò apud homines viliùs deſpectiuſque verſantur. Hoc igitur ait, & probare conatur Claudius Seguenotus, Mendicos illos è triuijs, qui habeant pro vectigali, hominum non ardentem caritatem; pro cubili, terram ſub dio; pro veſte, nuditatẽ; pro obſonio, famem; querulos cum mendicãt, iracundos cum repelluntur, inſolentes cum peculium corrogarunt: modò marcidos & ebrios, ſi fauit Mercurius; modò languidos & fatiſcentes, ſi fortuna non riſit; prouocata ſcabie horridos, ſtrophis infames, furtis obnoxios, periurijs execrandos; perfectiùs

*Explicatur Seguenoti ſententia, de paupertate voluntaria & coacta.*

Euangelicam paupertatẽ colere, quàm cum votis omnibus ſuis Religioſos, qui ex ditibus inopes, ex beatis in ſeculo, laborioſi, egentes, anguſtiati in clauſtro, Chriſti ſolius cauſa & amore fiunt; qui non opes ſolùm, ſed etiam ipſarum ſpem, cupiditatem, voluntatemque omnem in perpetuum abiecerũt, vt quotidie Chriſto dicant *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te.* Aſſertionem probat tribus ex capitibus. 1. Quia omni humano ſubſidio illa Neceſſitatis paupertas deſtituta, pendet abſolutè à Deo. 2. Quia vulgò deſpicabilis eſt, & de egeſtate præter abiectionem & incommoda, nihil habet. 3. Quia hæc ipſa incommoda grauiſſima ſunt, & pœnitentiæ cruciſque poſt Chriſtum portatæ deſideria. Dicas in illa paupertate tot Lazaros tibi, quot mendicos occurrere, cum vnum ſolummodò Lazarum tot ſeculis pepererit. Inde autem ex aduerſo ſequitur, inferiorem perfectione eſſe Voluntariam paupertatẽ, cui pauca deſunt, quæ à populis honoratur, & laboribus corpore toleratis minùs fatigatur.

*Ea opinio in tria capita distribuitur.*

## *EXPOSITÆ OPINIONIS CAPITA ſingula refelluntur.*

### §. Vnicus.

*Paupertatis Voluntariæ laudes, & coactæ vilitas, ex Patribus.*

*Chryſoſt. hom. 11. in Matth.*

NOVVM hoc perfectionis ſimulacrum aggredior à diuiſione, vnde & incipit. Vis illam à S. Ioanne Chryſoſtomo, vnde alij Religioſorum contemptionem educunt? Is Matthæum explicans in illud *Beati pauperes ſpiritu, Spiritum hic, animum & electionem dicit. Quoniam*, inquit, *ſunt multi humiles, à rerum neceßitate coacti: relinquens illos (neque enim erat illa laus) eos qui ex electione ſeipſos humiliant & conſtringunt, beatificat primos.* Hoc ait Doctor eloquens, duo eſſe paupertatis genera, ſpiritus, ſeu electionis, ſeu Voluntariæ; & Neceſſitatis, ſeu coactionis. Huic laudem deberi nullam, ideo non fieri eius à Chriſto mentionem: illam ſolam beatam prædicari, quia ſola laude digna eſt. Poteſt-ne quicquam dici contradictoriè magis oppoſitum Seguenoto? Mauis fortaſſe à S. Bernardo? *Diligenter attende quòd non ſimpliciter pauperes nominauit, propter plebeios pauperes, neceßitate miſerabili, non laudabili voluntate. Spero equidem profuturam eis apud diuinam miſericordiam hanc ipſam afflictionis ſuæ miſeriam: ſcio tamen Dominum hoc loco, non de huiuſmodi fuiſſe locutum, ſed de his qui poſſunt dicere cum Propheta; Voluntariè ſacrificabo tibi.* Duo igitur ſunt pauperes; voluntate, neceſſitate: hi Deo accepti eſſe poſſunt, ſed ad hunc Chriſti ſermonem non pertinẽt: illi beati dicuntur, quia voluntariè ſacrificant. Pergit lumen Galliæ. *Attamen nec Voluntaria quidem paupertas omnis, laudem habet apud Deum. Nam & Philoſophi ſua omnia reliquiſſe leguntur, vt expediti mundialibus curis ſtudio vanitatis poſſent vacare liberiùs, & nolebant cenſu abundare terreno, vt abundarent magis in ſuo. Hoc diſcernit quod dictum eſt, ſpiritu, id eſt, ſpiritali voluntate. Beati ergo pauperes Spiritu, intentione ſpiritali, propter ſolum beneplacitum Dei, & animarum ſalutem.* Voluntaria ſubdiuiditur in ſpiritalem, & philoſophicam. Hæc ex vanitate ſuſcepta, illa ex Dei amore & ſalutis ſtudio. Illa igitur ſola paupertas ſpiritus laudatur ab Euangelico legiſlatore, non philoſophica, non neceſſaria. Quàm piè excluſam à Seguenoto vocem, *Spiritu*, ponderat S. Bernardus? Quàm doctè philoſophicam à cæteris ſpeciebus diſcernit, quam cum illis confuſam vidimus in Seguenoto? Quàm præciſè ſpiritalem Voluntariam à Chriſto commendatam affirmat, cui nullum in Chriſti ſermone locum relinquit Seguenotus? S. Bonauenturam promiſi: quid ille? *Duplex eſt*, inquit, *inopia*,

*Bern. ſerm. de omnib. ſanctis.*

*quadam*

*quædam voluntaria, & quædam inuoluntaria.* (neceſſitatis vocat Seguenotus.) *Inopia inuoluntaria inducit defectum mentis, & pronitatem, & occaſionem inducit ad peccandum.* Illa ipſa eſt in qua Seguenotus ſublimis perfectionis ſegetem, & exercitium peruidet. *Inopia autem ſeu paupertas voluntaria, diſponit ad iuſtitiam perfectam, quia mentem facit ad omne bonum idoneam.* Si noſtris mereret Bonauentura ſtipendijs, quid ampliùs efficaciuſque contra Seguenotum ſcriberet? Idem eodem opere mendicitatis tres facit ſpecies, ex neceſſitate naturæ, vt Lazari; ex vitioſitate culpæ, vt hypocritarum illorum, in quos ſtylum exerit D. Auguſtinus libro de opere Monachorum, *qui tanquam conſeruatricem Euangelij prædicantes erant pigritiam*, & ex ſupererogatione iuſtitiæ; *& hoc eſt cum quis mendicat pro Chriſto imitando, vel pro Euangelizando, vel vtroque modo. Pro Chriſto, inquam, imitando quantùm ad contemptum ſui, affectum proximi, & cultum Dei.* Aliorum ſi togo ſententiam, qui vel de Chriſtiana paupertate ſcripſerunt, vel hunc Euangeliſtæ Matthæi locum elucidarunt, eodem omnes conſenſu Voluntariæ paupertatis encomia reſpondebunt: in primiſque nunquam ſatis laudatus, ſatis amatus Guillelmus Pariſienſis, veræ & religioſæ paupertatis encomiaſtes fideliſſimus: quam vbi *bonum* appellauit *ſine calumnia*, non credidit vllum fore Catholicum, qui has illi lites intentaret.

Bona. l. de paupert. Chriſti contra M. Guill. a. 1. ad 1.
Ibid. a. 2. ad 7.
Augu. l. de opere Mon. c. 21.
Guil. Pariſ. l. de Mor. c. 9.
*Paupertas bonum ſine calumnia.*

Maior eſt, inquit, neceſſariorum priuatio in mendico, quàm in Religioſo. Hoc mecum, Lector, conſidera. Religioſi votum ſimplex, purum, integrum; nulla temperatum conditione eſt: Non vouet paupertatem, modò nihil ei deſit: non promittit mendicitatem ea lege, vt omnia ipſi neceſſaria ex Cœnobio ſubminiſtrentur: In ſuperiorum arbitrio corpuſculi ſui curam omnem deponit, quantùm illi libuerit eſurire, non aliter quàm iuſſerit indui, non priùs quàm permiſerit, calfieri; reddere quo vtebatur commodè, carere quo indigeat, in morbis deſeri, in morte abijci de ſe paratus. Nemo tam egenti egeſtate natus eſt, qui ſuum aliquid non videat, nihil Religioſus. Mendico illi, quem deſpicabilem putas, pannos ſi eripis, vt Diogeni dolium, facies iniuriam, non Religioſo. Quos pauper vnde vnde obolos extricauit, poteſt arbitrio ſuo dare, perdere, ludere, in veſtes, in cibos commutare, quod Religioſo denegatur. Denique veſtito Religioſo nihil eſt magis nudum.

*Viri pauperi plura deſint, Religioſo, an mendico?*

Honoratur, inquit, Religioſa paupertas, Neceſſaria deſpicitur. Ergo virtutem contemptu æſtimas. At ego illam ex vera gloria deprehendo, vt ex odore balſamum, ignem è fumo, reginam ex aſſecla, corpus ex vmbra. Illa lux mundi eſt, ciuitas in alto ſita, lucerna in candelabro. Cæcos eſſe cupis omnes qui domum ingrediuntur, ne lumen videant. Latet ipſa per ſe, at omnium iudicijs extollitur. Humano generi virtutem exprobras, ſi honeſtam paupertatem ab omni æuo apud omnes populos in admiratione fuiſſe quereris. Gaudent nonnullos tantùm ſupra homines eminere, quantùm ipſi ſe deprimunt, & neſcio quo intelligentiæ cogentis impetu, quod magnopere amant aurum, amant ab alijs non amari. Inde norunt opes eſſe impedimenta ſpontanea, quòd aliqui ſe illis extricant. Diſcunt eos verè diuites eſſe, non qui theſauris adijciunt, ſed qui cupiditatibus detrahunt. Chriſtiani verò ſuũ in illa imagine Chriſtum agnoſcunt: eum qui ſe mendicum appellat in Pſalmo, quem VVicleffus ipſe, Religioſæ paupertatis hoſtis perpetuus, fatetur mendicaſſe: qui duodennis triduo illo quo ſe parentibus ſurripuit, manum porrexit ad ſtipem: qui aquam à Samaritana muliere mendicatò rogauit: qui nunquam habuit

*Paupertas voluntaria cur ſit in honore apud homines?*
Vide Wal. t. p. doctri. fid. l. 4. a. 2. c. 3. 4.

vbi caput reclinaret, qui triumphali palmarum die, in vrbe non reperit apud quem hoſpitaretur. Audiunt Euangelicæ prædicationis primitias eorum laudibus dedicatas *Beati pauperes ſpiritu*; cum illud ex ore diuino primum prodiret, quod medullitùs adamabat. Sciunt iudiciariam illis promitti poteſtatem, eo die quem ſine horrore cogitare nemo poteſt. Cur ergo non ſic ab illis

*Cur fideles in Religioſos ſint munifici.*

honoretur *quem Rex honorare voluerit?* Caritate autem eos libenter ſubleuant, quia ex virtute pauperes ſunt: quia in die iudicij merces æterna promittitur egentes quoſlibet eleemoſyna recreantibus, quantò magis iudices ipſos largitione conceſſa conciliantibus? Quia exemplo, precibus, ſacrificijs, tocionibus, cæteriſque pijs laboribus ipſos adiuuant: iuſtitiæ autem ſpeciem eſſe autumant, à quibus ſpiritalia accipiant, illis carnalia non negare: pendunt illud Deo quaſi tributum: quum per ſe non poſſint orationibus & ieiunijs peccatorum ſatiſdationem exequi, *meliores pro ſe reſponſales conſtituunt*, vt loquitur Guillelmus Pariſienſis. His atque eiuſmodi ſe tuentur rationibus, vt iure à ſe coli, & leuari Chriſti pauperes perſuadeant.

1. Cor. 9.

*Paupertati meritum nō accedit ex incommodis purè materialibus.*

Maiora ſunt, inquit, incommoda Neceſſariæ paupertatis, duriores labores, quàm Voluntariæ. Nimirum noua hæc Theologia ab obiecto materiali naturam dignitatemq; virtutis arceſſit. Quis contemplatiuus aratore, quis Epiſcopus baiulo, quis Concionator præcone coëmptionali, quis Parochus vincto ad triremes plus laborat? Et tamen ſine blaſphemia pretium & amplitudinem actionum illarum conferre inuicem non poſſumus; quantò minùs viliſſimos labores præferre honeſtiſſimis: Sedentem profectò Mariam, ſatis agenti Marthæ Chriſtus antepoſuit, non corpore, ſed animo virtutem dimenſus. Innumeri Martyres qui truncato capite cœlum redemerunt, ſi laborem & dolorem ſpectas externum, quantò militibus infinitis, quantò cruciarijs latronibus ſunt inferiores? Adde in virtutis exercitio triplicem, ſi D. Bonauenturæ credimus, reperiri difficultatem. *Prima eſt proueniens ex arduitate & nobilitate generis operis, ſicut omni ſe caſtrare concubitu, omni abrenunciare poſſeſſioni, & omnino ſe alienæ propter Deum ſubijcere voluntati. Et hæc abſque dubio auget meritum, iuxta illud Matthæi, Intrate per anguſtam portam.* Vides acutam Religioſæ virtutis epitomen. *Altera veniens ex vitioſitate agentis per ſe: vt difficilius eſt diuiti mendicare minuta, quàm largo maiora; & ſuperbo ſe alteri ſubdere; & guloſo ieiunare: & hæc non auget meritum, ſed miſeriam.* Ita mente, non opere; habitu, non labore; fine & instituto, non actu meritum æſtimatur. S. Chryſoſtomus vbi multis magniſque rationibus confecit, magnam conſequendæ ſalutis eſſe in ſeculo difficultatem, pari quæſtione pulſatus, Num ea difficultas maiorem mercedem illuſtrioremque coronam pareret? Sine cunctatione reſpondet, *minimè gentium: ſibi enim ille hanc neceſſitatem conſciuit, cum liceret effugere ſi vellet.* Quæ demonſtrat oratio non accreſcere præmium pro rata cuiuſlibet difficultatis portione. *Tertia difficultas ex circumſtantijs extrinſecus annexis trahens originem; ſicut difficilius eſt abſtinere cum apponuntur delicata cibaria: & hæc difficultas per accidens & indirectè auget aliquando meritum, cum virtus hæc inter illaſa triumphat; ſed directè & per ſe eſt magis via ad ruinam, & ideò fugienda.* Quales eiuſmodi circumſtantias illa mendicandi neceſſitas inuehit, in malum pronior, neque tamen eam ob cauſam ab hominibus velis remiſque vitata. Quamobrem nullo ex capite verè & ſolidè colligit Claudius Seguenotus, mendicabulorum paupertatem Religioſæ paupertati anteſtare.

*Triplex difficultas in virtutis exercitio.*

Bon. Apo. pauper. reſp. 1. c. 3

Chry. l. 3. aduer. vitæ Mon. vitu. c. 13.

RELI-

## *RELIGIOSOS OMNES LAICORUM FACINOroſiſſimis à Petro Aurelio per ſummam calumniam æquari monſtratur.*

## CAPVT VI.

POSTVLAT à nobis hunc etiam apologeticum Religioſus ſtatus; non ſolùm vt Laïcorum abiectiſſimis pretioſior, ſed etiam perditiſſimis ſanctior eſſe monſtretur. Horret animus ac refugit immanem Petri Aurelij calumniam retractare, qua, nomine quidem Monachos, ſenſu autem ſuo Religioſos omnes, omnium flagitiorum reos facit, in clauſtra quaſi in carceres & ergaſtula compingi docet: in ijs tanquam latunijs præteritæ vitæ libidines luere affirmat: vt ſi Petro Aurelio creditur, ad Monachi aſpectum, velut ad monſtri alicuius occurſum homines contremiſcere, ac viribus totis fugere debeant. Hoc obſcurius, & nondum corroborata audacia ſubindicat, cum R. P. Carolum à Lotharingia Virdunenſem olim Epiſcopum, à ſummo Pontifice licentiam ineundi noſtri ordinis impetraſſe ait, quia *Principes ijs plerumque rationibus Epiſcopale culmen aſcendunt, quibus priſcorum Canonum, & antiqua Eccleſiæ normæ deſcendere cogerentur, niſi neceſſaria interdum cauſa, ijs pluſculum indulgere compellerent.* Id eſt, ſi quid concipio, Religioſum illi ſtatum ob ea flagitia conceſſum, propter quæ fuiſſet olim ſacro magiſtratu motus, & ad Laïcam communionem eiectus. Sic innocentiſſimi Principis, & religioſiſſimi Antiſtitis famæ, etiam poſt mortem ſanctè obitam, detrahere non veretur. Illa deinde pagina quæ beſtiæ numero ſignatur, rem eandem quam à ſola Beſtia potuit accipere, paulùm expreſſiùs repetit. *Eſt enim Regularis ſtatus non innocentiæ, ſed Pœnitentiæ ſtatus quidam, vt ſancti Patres docuerunt.* Tertiò denique totum virus euomit, cum facta Sacerdotij & Monaſtici ſtatus comparatione, *qualibet vinculi caſtitatis infractione perimi Sacerdotium* ait, *ſecus quàm Monaſticum ſtatum, qui nullis magis conuenit, quàm lapſis & facinoroſis, quibus ideo à Patribus ſæpiſſimè pœnæ loco imponitur. Eſt enim Pœnitentiæ ſtatus, vt ante diximus, non puræ integræque virtutis.* In hac oratione diligentet attendes Lector, non de Monaſterij externa habitatione, ſed de ipſo Monaſtico ſtatu quæſtionem eſſe: illum dici eſſe Pœnitentiæ ſtatum ſolummodò, non etiam innocentiæ: ſæpiſſimè demum imponi ſolitum à Patribus pœnæ loco: vt inter Monachos & Pœnitentes, ſtatum Monaſticum & ordinem Pœnitentium minimum intereſſe videatur. Qui ſenſus idem eſt Doctoris Hallier, cum profitetur à S. Hieronymo *Monachos eſſe Pœnitentibus annumeratos* ijs verbis, *Quid facit ſub tunica Pœnitentis (id eſt Monachi,) regius animus?* Iam tribus illis Aurelij locis, oppono tria pronunciata. Petri Aurelij verba ab animo & ſenſu hæreticorum & infidelium aduersùs Monachos non procul diſcedere: Aurelium Theologum in Theologia imperitè labi, cum negat Religioſum ſtatum eſſe innocentiæ: Aurelium Grammaticum in hiſtoria turpiter hallucinari, cum ſcribit Religioſum ſtatum pœnæ loco fuiſſe facinoroſis impoſitum.

*Petrus Aurelius Religioſos omnium ſcelerum reos facit.*

Aurel. in vin. p. 550.

Ibi. p. 666.

Ibi. p. 678.

*Explicatur Aurelij ſententia.*

*Idem ſentit Hallier in vin. p. 394.*

*Tria capita reſponſionis oppoſita.*

De externorum hominum, hoc eſt Gentilium & hæreticorum aduersùs Monachos animo, fidem faciunt eorum ſcripta plena calumnijs, quibuſcum non malè Aureliana conferatur oratio. Pelagiani veteres, Epiſcopos & Imperatores, qui Eccleſiaſtica ſeculari-ve dignitate pollerent, vaſa miſericor-

*Gentiles & Hæretici non aliter Monaſticum ſtatum calumniantur, quàm Aurelius.*

*Pelagiani Monachos vaſa contumeliæ appellarunt.*

diæ, Monachos autem vaſa contumeliæ appellabant. Quis autem magis vas contumeliæ dici poteſt, quàm qui *lapſus & facinoroſus*, & ob id in Monaſterij cataſtam datus? Nonne Pœnitentes, quibus annumerari dicuntur Monachi, vaſa contumeliæ in Eccleſia poſſunt appellari? Sed quomodo illud dictum inſectatur B. Fulgentius? *Quis vſque adeò diuinæ fidei, & caritatis inimicus, vt Paulum, Antonium, Ioannem, Hilarionem, Macarium, alioſque ſimilis vitæ Monachos, in quibus & rectæ fidei veritas, & ſanctæ conuerſationis refulſit integritas, vaſa contumeliæ non metuat appellare? Abſit ab omnibus Chriſtianis, vt tales de bonis ſeruis Dei credant: quotquot ſpiritu Dei aguntur hæc indignè non ſolùm de Monachis, qui ſe ipſos caſtrauerunt propter regnum cælorum, ſed & de Laicis coniugatis rectè credentibus, rectèque viuentibus, ſuſpicantur.* Hoc quiſquis ſuſpicatur de Monachis, ait Ruſpenſium Antiſtes, indignè facit, ſpiritu Dei non agitur, diuinæ fidei & caritatis inimicus eſt. O nobiles Aurelianæ ſententiæ notas! Nonne propius eſt vt Pelagianorum par & ſocius putetur Aurelius, quàm Monachi *vaſa contumeliæ, lapſi, facinoroſi, pœnitentes*? Magdeburgenſibus Centuriatoribus placuit Monachos & Anachoretas, *Hominum monſtra execranda, & inimicos humanæ ſocietatis* appellare. Eunapio vero Gentili Philoſopho dicere, Monachos *homines quidem ſpecie eſſe, ſed vitam turpem, more pecudum exigere.* In eo differt ab iſtis Aurelius, quòd Religioſos quoſlibet ante religioſam profeſſionem hominum monſtra fuiſſe, & pecudum more vixiſſe velit: illi tales in ipſo Monaſtices inſtituto eſſe calumnientur; diuerſis temporibus eandem calumniæ orbitam terentes. At Rutilius Numatianus, & ipſe Ethnicus, Poëta quidem, ſed ex Philoſophicis delirijs, animas in corpora Monachorum infuſas, cenſet illa vitæ aſperitate præteritorum ſcelerum pœnas expendere. Tolle delirium illud *μετεμψυχώσεως*, & in eo quod conſequitur, iudica quantùm diſtet Aurelius à Rutilio, is qui ſe Theologum dicit, ab hoſte Chriſtianæ religionis acerrimo? Non abludit igitur ab Ethnicorum & hæreticorum calumnijs Aureliana doctrina, quod primum caput eſt eorum quæ monſtranda ſuſcepi.

*Fulg l. 1. de verit. Prædeſt.* — *Magd. cen. 10. c. 4.* — *Eunap. l. de vitis Sophi. in Ædeſio.* — *Rutili. l. 1. Itiner.*

*STATUM MONASTICUM NON MINUS innocentiæ, quàm Pœnitentiæ eſſe probatur.*

§. I.

*Status Monaſticus non præcedit peccatum.*

ASSERENDA hic eſt Religioſo ſtatui ſanctitas, & cum Aurelio Theologo preſſiùs diſputandum. Neque Religioſus ſtatus, qui eſt acquirendæ perfectionis, neque vota, ex quibus eſſentialiter conflatur, vlla neceſſitate peccatum præcedens requirunt, ſed poſſunt ab eo concipi qui neque in eorum materia, aut vlla alia vnquam antea grauiter lapſus fuerit, neque poſtmodum labi decreuerit: ſtatus ergo Religioſus ex natura ſua pœnitentiæ & ſatisfactionis Aureliano ſenſu non eſt, ſed non minùs *puram integramque virtutem*, quàm *lapſos & facinoroſos* ex eſſentia ſua admittit. Antecedens ex eo ſtabilio, quòd vota natura ſua non opponuntur peccato; & multi viri ſanctiſſimi ea priùs nuncuparunt, quàm ab earum honeſtate virtutum deliraſſent. Nam vt alios omittam, B. Virginem voto virginitatem Deo conſecraſſe, in Auguſtino ſuo legit votorum aduerſarius Seguenotus. Neque id à Theologo

*Augu. l. de S. Virgin. c. 4.*

Theologo Catholico negari puto poſſe; poſt hæc eius verba *Virum non cognoſco:* poſt eorum verborum interpretationem communiter à Patribus ad hoc votum relatam; poſt Gratiani decretum ex eodem ſancto Auguſtino, antequam Ioſepho deſponſaretur, votum virginitatis in corde propoſuiſſe, deinde poſt partum *quod corde conceperat ſimul cum viro labijs expreſſiſſe, & vtrunque in virginitate manſiſſe.* De Apoſtolis quos in caritate radicauerat & fundauerat Spiritus Sancti plenitudo, pauci item dubitant, votum aliquod vouiſſe, vt alibi oſtendimus: nemo certè mihi negauerit aut hos, aut illos vouere potuiſſe, licet actu negentur vouiſſe: vnde concludo votum ex eſſentia ſua neque præteriti peccati remedium eſſe, neque cautionem futuri. 27. q. 2. c. B. Virgo.

Eandem aſſertionem illud etiam validè conficit, quòd nulla vnquam extitit, aut modò eſt inſtituta in Eccleſia Dei Religio, quæ *Pænitentia ſtatus* eſſet, non etiam *innocentiæ, lapſis & facinoroſis maximè conueniens, non puræ integræque virtuti.* Luſtremus ſecula omnia, ordines & auctores omnes. Hoc Apoſtoli in illa credentium multitudine quæ poſt illos inſtituto Religioſo dedit initium, non requiſierunt. *Nullius vnquam Religionis inſtitutio innocentiam excluſit.* Hoc in S. Dionyſio conſecratio Monaſtica non inuehit, in qua Monachus tantùm renunciare iubetur vitis diuiduis, hoc eſt, curis & ſolicitudinibus ſeculi, non flagitijs præteritis: nomen habet vel ab vna eademque perfecta vita, Monachi; vel à puro Dei famulatu, Therapeutæ; *Monachi apud Dionyſium ſanctitate inſignes.* adiuncto autem perpetuo *Sanctorum Monachorum ordo* appellatur, ſancto Populo ſanctior, ad cancellos Adyti ſacra ſpectat, in Adyto ipſo Sacramentis participat, quanta intercapedine ſeiunctus à Pœnitentibus? Vt tota via erret Franciſcus Hallier, ſi affirmare contendit à S. Hieronymo *annumeratos Monachos Pænitentibus* Dionyſiacis ſeu Eccleſiaſticis, de quibus multa nos ſuperiore libro; ſi quidem cœlum à terra non diſtat longiùs, quàm hi ab illis in S. Dionyſio, apud quem Chriſti figuram Monachus exprimens, graphicè nobis apparet *ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus,* & Pœnitentibus, vt Chriſtianæ legis Phariſæus, *qui non habet neceſſitatem quotidie priùs pro ſuis delictis hoſtias offerre,* & Deo hominibuſque ſupplicare, *hoc enim fecit ſemel ſeipſum offerendo,* & in Dei familiam inter Therapeutas tradendo. Heb. c. 7.

Quid cæteri ſanctiſſimorum Ordinum Patriarchæ? Soliſ-ne *facinoroſis & lapſis* aſylum in Religione, quemadmodum Romæ olim Romulus & Remus aperuerunt? *Idem fuit ſenſus Patriarcharum omnium.* Baſilius quantus vir quamque innocens, cuius regulam etiamnum vnam è cardinalibus habet Eccleſia? Chryſoſtomus qui Monachis *decreta & ordinem omnis bonæ exercitationis Monaſticæ* ſcripſiſſe dicitur? Pachomius qui leges Monaſticas accepit *in diſpoſitione Angelorum?* Antonius qui Thebæas ſolitudines Angelorum choris impleuit? Benedictus, Bernardus, Bruno ipſe Dei nutu profugus, & in ſolitudinem metu fugaque vitiorum abditus? Metaph. in vita S. Chry. apud Sur. 27. Ian. Franciſcus in ſeculo vir minimè malus, Dominicus virginitatis lilium ad mortem corpore animoque circumferens. Franciſcus alter è Calabria virorum modeſtiſſimus; Clara Mendicantium ſanctimonialium auctor, nuper Thereſa virginum aliarum mater altera? Taceo domeſtica, Ignatium ſola in ſeculo laudis ambitione vitioſum, Franciſcum Xauerium incorrupto poſt mortem corpore primæ ætatis temperantiam diuino teſtimonio demonſtrantem; cæteros eorum ſocios in luce Pariſienſis Academiæ *innocentiam & puram integramque virtutem* probantes. Hi Chriſtianæ Philoſophiæ principes, alijque innumerabiles, ſeu ante edictum de confirmandis à Sede Apoſtolica

ordinibus, ſeu poſt illud exorti, quo conſtituto, qua regula, qua forma Eccleſiæ declararunt, ſe ordinem velle inſtitutum, qui *non innocentiæ ſed Pœnitentiæ, non puræ integræque virtuti*, ſed *lapſis & facinoroſis conueniret*? Imo verò ex iis aliquos indicare poſſum, qui *lapſis & facinoroſis*, ſaltem publicis, & in Pœnitentium numerum referendis, aditu ordinum ſuorum interdicant. Eſt enim, referente Ioanne Rouſſerio, in Minorum ordine ſtatutum, ex Sixti V. decreto, non eſſe in eum admittendos, qui ſint aliqua in ſeculo notati infamia, & criminibus famoſi, qualia ſunt homicidia, furta, latrocinia, aut his grauiora. In ipſo noſtræ Societatis aditu rogatur qui Ordinem poſtulat, vnquam-ne publica iudicis vllius ſententia ſit damnatus hæreſeos? An aperto ſchiſmate ab Eccleſia receſſerit, aut Eccleſiaſticæ excommunicationis gladio ſit icuulſus? Vtrum homicidio ſuas vnquam manus cruentarit? An publica ſcelerum aliquorum infamia laborarit? Excludendus profectò ſi quid in eo tale fuerit deprehenſum.

*Grauium ſcelerum rei in ordinem Minorum non admittuntur.*

Ioan. Rouſ. in Reg. Min. ad c. 3. q. 2. Exam. Gener. c. 2. §. 1. 2.

Quòd ſi Fundatorum mens ea non fuit; neque profectò ipſius Eccleſiæ, leges illas & ſtatus admittentis, in qua nullo vnquam tempore vſurpatum eſt quod fingit Aurelius: quin potiùs *puram & integram virtutem*, id eſt, primam, & adhuc innocentem ætatem probauit ingredi Monaſteria, & Religionem profiteri. Nam iure antiquo ad votorum Religioſorum profeſſionem, ſola pubertas neceſſaria fuit, anni videlicet ætatis quatuordecim in viro, duodecim in puella. Nouum autem Tridentini, ſedecim completos vtrique ſine diſcrimine aſſignat. Quo ſatis apertè declaratur, conſueuiſſe fideles ab ineunte pene rationis crepuſculo *valde mane, orto iam ſole* ad Chriſti monumentum accurrere: cui feſtinationi ſic impoſuit modum Eccleſiaſtica diſciplina, vt tamen adultam lucem non deſideret: longè minùs æſtum adoleſcentiæ, aut veſperam ſenectutis, quo tempore *lapſus & facinora* aut frequentiſſima ſunt, aut maximè vindicanda. Laude dignum etiam D. Thomas eſſe putat, pueros impuberes, qui parentum voto ad Religionem deſtinantur, in ea feliciter educare, tanquam in arte, quam ſint aliquando profeſſuri. Quod S. Ioannis exẽplo in deſerto ætatem agentis, & B. Benedicti Romanorum prætextatos admittentis, & Ieremiæ dicto *Bonum eſſe viro cum portauerit iugum Domini ab adoleſcentia ſua* probat, ipſe illo probatus experimento, & ex alumno Religionis, lux & ornamentum factus Eccleſiæ. Hi ſunt quos Nutritos appellari, & ſub Conuerſis, non religioſa ſatis æmulatione, deprimi olim ex S. Anſelmo docebamus. Vſus quoque idem apud Cluniacenſes, apud S. Baſilium in Oriente à nobis alibi monſtratus eſt.

*olim admiſſa ad Religionem ætas innocens.*

c. 15. Qui Monaſterium, in 6. de ſtatu Regular. Concil. Trid. ſeſſ. 25. c. 15. de Regular.

D. Th. 2. 2. q. 189. a. 5.

Huc adde communem Patrum omnium ſenſum, populi Chriſtiani vocem publicam, veterum philoſophorum, id eſt, naturæ ipſius inſtinctum, pueros in virtutis diſciplinam prius tradendos aſſerentium, quàm peſtilenti libidinis aura afflentur: primam eamque optimam vitæ partem Deo dicandam, in eius flexu metuendum vitiorum omnium naufragium; quibus corroboratis & frequenti vſu, tanquam cibo paſtis, tanquam fomite inflammatis, vix ac ne vix quidem ad virtutem patere regreſſum. Hoc experiuntur omnes Religioſi ordines, in prouecta ætate formanda plus laboris eſſe, minùs frequenter ſpei & frugis. Ipſa denique docet ratio, cui à teneris aſſueueris, id retineri tenaciùs, faciliùs exerceri: ſola delectare quæ noueris, ignota & inexperta ſegniùs irritare. Primum eſſe, mala mentis, & mundi gaudia neſcire,

*Prima ætas ad virtutem informanda.*

alterum

alterum relinquere. Et infinita eiuſmodi, quæ doctores omnes & viri aſcetici perpetuò ingerunt, quæ ſapientes & politici ſcriptores ſedulò monent, quæ ſcriptura ſacra ſumma cum auctoritate tradit: *Ne tardes conuerti ad Dominum. Bonum eſt viro cum portauerit iugum Domini ab adoleſcentia ſua.* Vnum ſi placet ex omnibus audiamus S. Chryſoſtomum; hanc Religioſorum cauſam diſertè ſapienterque perorantem. Eccl.c.5. Ierem. Thet.c.3.

Interrogatus enim, Num quis meliùs ſolutus matrimonio, ſuſceptis liberis in ſenectute, quàm in primo ætatis flore Monaſticam vitam amplexetur? Reſpondet primùm, homini nemini certam eſſe ſenectutem, aut in ſenectute ſanctiſſimi illius deſiderij conſtantiam. Deinde paria facere eos, qui liberos adoleſcentes ab illo propoſito reuocant, quod poſtea maturiori ætate exequantur, iis qui hominem ſanum ac valentem, imminente aduerſario, pugna excedere & quietè agere iuberent, ne hoſti ſuccumberet: at eundem multis confoſſum vulneribus, exhauſtum viribus, ſemianimem, iacentem, tum demum exurgere, armari, repugnare hoſti cogerent. Stant enim in pugnæ gradu etiam pueri decennes, inſtat diabolus, quem certè in poteſtate non habes, vt eum adoleſcentem oppugnare permittas cum velis, prohibeas cum nolis. Nunc verò cum tu illum pugnare, me autem vulnerari ſinas, ſi mihi vel quieſcendum penitus, vel turpiter ſuccumbendum eſſe ſtatuas, *quid hac iniquitate & abſurditate poßit eſſe deterius, cum hoſte inſtante furioſo, eum qui oppugnatur armis exuas, & in eius poteſtatem dedas? Iuuenis eſt, & imbecillus? Ideo maiore & cautione, & ſecuritate illi opus eſt.* Præterea qui prouecta ætate ſtadium huius philoſophiæ ingreditur, totus eſt in veteribus peccatis delendis, & vulneribus obligandis; at qui primam in eo pueritiam ponit, vulnera non habet curanda, *ſed ab ipſis iam tirocinij ſui rudimentis meretur, atque accipit palmas*: ille pugnas quibus victus proſtratuſque fuit, repetita dimicatione peruincit; hic ab ipſo pueritiæ aditu feliciter pugnat, victorias victorijs adiungit, ac velut nobilis olympionices, per palmas & coronas ad ſenectutem peruenit: ille poſtquam mundi impedimentis ſe ægrè extricauerit, vt ſummum extremos ordines in ſpiritali hac acie tenebit; hic in ipſa phalangis fronte perpetuò dimicans triumphabit. Potuit-ne magnus Monachorum pater & patronus, *innocentiam Pœnitentia, lapſis & facinoroſis, puram integramque virtutem* illuſtriùs anteferre? Poſt hæc, & id genus ſexcenta, quæ breuitatis cauſa prætermitto, pergetne Petrus Aurelius in deprimendo Monaſtico ſtatu, & eius ſanctitate conſpurcanda, ſcripturæ diuinæ conſilijs, Pontificum & Conciliorum decretis, Patrum adhortationibus, Eccleſiæ inſtitutis, Theologorum receptis opinionibus, fidelium omnium vſui & conſuetudini, veterum etiam philoſophorum placitis repugnare: ſolos hæreticos, & aliquot in Ethnicis capitales Chriſtianorum hoſtes imitari?

*Chryſoſtomi ſenſus in hoc propoſito.* l.3. adu. vitæ Mon. vitup.c.15.

[illegible]

Ibid.c.16.

## RELIGIOSA VITA QVOMODO STATVS *pœnitentiæ dicatur & ſit.*

§. II.

*Laudanda Religio ex eo quòd ſit ſtatus Pœnitentiæ.*

Hier. Plat. l. 1. de bono ſtat. Relig. c. 14.

Ioan. Petr. Cam. in Petron. l. 5. & in Melit.

QVOD ad ſtatus Religioſi dedecus ignominiamque traducunt aduerſarij, vt eum pœnitentiæ ſtatum eſſe proclament, hoc nos libentes agnoſcimus, & in eius ſumma laude ponimus: atque is qui Religioſi ſtatus bona feliciſſimè perſecutus, iſtis antiregularibus, antequam naſcerentur, ruborem iniecit Hieronymus Platus, non ſemel ab Illuſtriſſimo Bellicenſi, etiam in Petronilla, nec immeritò laudatus, inſignem illum Religioſæ aſperitatis fructum decerpere non veretur. Id autem quomodo intelligamus neque inutile, neque iniucundum fuerit recenſere.

*Omnibus neceſſaria Pœnitentia.*

Rom. c. 3.

Tertu. l. de Pallio Minut. Felix in Octau.

Omnibus æquè hominibus, licet non æqualiter, neceſſariam eſſe pœnitentiam tum naturæ imbecillitas, illecebrarum frequentia, tum diaboli pertinax odium nimis apertè proloquuntur. *Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei.* Sed eam aut norunt, aut agunt ſoli, qui Deum offenſum norunt, & placant Chriſtiani, quorum ab antiquo vita quid aliud eſſe debuit, quàm perpetua pœnitentia, etiam cum ſannis conuicijſque gentilium, & palliatos, & fraudato genio lucifugas Chriſtianos irridentium? Contemnebat hos cachinnos vera philoſophia, imo miſerta eorum hominum liberè pereuntium, illis pœnitentiam aureo ſeculo ſuadebat; donec labentibus moribus, laxatus eſt vitio temporum rigor ille diſciplinæ, & à Chriſtianorum vniuerſitate, ad certam aliquam conditionem; à toto vitæ tempore, ad aliquod eius ſpatium arctatus, Pœnitentiæ Sacramentum, & actus internos externoſque iuſſit vſurpare, ipſos etiam officij ſanctitate conſpicuos. Nam & Hierarcha quilibet *circumdatus eſt infirmitate, & propterea debet quemadmodum pro populo, ita etiam & pro ſemetipſo offerre pro peccatis.* Id cum exequitur ſe peccatorem profitetur: *Siquidem omnis pœnitentia, confeſſio eſt delicti; quia locum non habet, niſi in delicto* Sed hæc priuata eſt, & breuior pœnitentia: publicam & diuturniorem in illa de qua dixi conditione, conſtituit Eccleſia; & eam duplicem, honorabilem in Monachis, ignominioſiorem in Pœnitentibus. De his diu diſputatum antea; de illis in quæſtione ſumus. Pro quibus iam olim querebatur D. Hieronymus, ſecularium ſcommata ſe meritum. *Nos quia ſerica veſte non vtimur, Monachi iudicamur: quia ebrij non ſumus, nec cachinno ora diſſoluimus, continentes vocamur & triſtes*; tam obnoxij ſecularium ludibrijs, quàm Chriſtiani Ethnicorum; tantò miſeriùs deriſi, quantò à coniunctioribus Deo & nobis. Quæ ſit autem Monaſticæ pœnitentiæ ratio & natura, nuſquam meliùs, quàm in Eccleſiaſticorum Pœnitentium collatione diſcemus.

Heb. c. 5.

Tertu. l. de carne. Chriſti c. 8.

*Pœnitentia diuturna duplex.*

Hier. ep. ad Marcell.

*In quo conueniat Pœnitentia Religioſa, cum vetere publica.*

In qua, vt à ſimilitudine ducatur exordium, publicam & ſolennem vtranque eſſe dico, cum non niſi Eccleſiæ auctoritate, per Hierarchicam benedictionem ineatur. Benedictionem dico, ſi de Pœnitentibus; conſecrationem, ſi de Monachis loquor. Hæc duo fruſtra replicem, quia nihil non ſatis in ſuperioribus de vtroque dictatum. Vtranque deinde vnitate ſua pretioſam eſſe video: nam Eccleſiæ legibus vna Pœnitentia ſolennis eſt, natura ſua vna Religionis profeſſio: & illa quidem *ampliùs nunquam*, ſecundùm Tertullianum,

lianum, *quia proximè fruſtra*; hæc verò *amplius ſemper, quia nunquam fruſtra*. Idem vtrique propoſitum, flere commiſſa, & veniam à diuina pietate lacrymis extundere, aut ſibi, quod præſtat Eccleſiaſtica; aut alijs præterea, quod Religioſa. In vtraque *proſternendi, & humilificandi hominis diſciplina* reperitur, per Exomologeſes in Eccleſiaſtica olim demonſtratas, in Religioſa notas inter eos, *qui carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs & concupiſcentijs*, qui delicijs omnibus & voluptatibus vitæ abdicatis, cum infinita ſui ipſorum & rerum ſuarum abnegatione, cruce in humeros ſublata, per aſperrimos viarum amfractus, & *colles ſolis ibicibus peruios*, Chriſtum ducem ſequuntur. Vtriuſque demum vnus effectus eſt, quemadmodum *vnus titulus, ſalus hominis, criminum priſtinorum abolitione præmiſſa*. Non aliam ob rem Baptiſmo comparatæ ſunt, Eccleſiaſtica, vt ante vidimus; Religioſa vt fusè & grauiter ex antiquis Patribus oſtendit Platus, quem fruſtra hic deſcribam, cum ſit ipſe per ſe illuſtris, & aduerſarijs non ignotus. Lepidum eſt quod addit Caietanus, facta profeſſione Religioſa, incipere *nouum librum de actibus Religioſorum*, qui ſit, *futuræ innocentiæ liber*, & ſimul *plenè caſſari præteritorum librum*. Præcipua, ſi quid memini, ſunt hæc capita, in quibus mutuo quodam nexu, duæ illæ Pœnitentiæ ſpecies copulantur.

Tertu. l. de Pœn. c. 2.

Plat. l. 2. de bono ſtat. Relig. c. 13.

*Liber futuræ innocentiæ.*

Caiet. in 3. p. D. Th. q. 189 a. 3.

## POENITENTIA RELIGIOSA QVO AB ECcleſiaſtica vetere differat:

### §. III.

IN pluribus autem & longè grauioribus differunt. Ac I. in natura, cum Eccleſiaſtica tantùm ſit ordo, Religioſa ſtatus. Mutatur enim ordo ille per gradus laborum, per lapſus temporum, per vices Exomologeſeon, tum perfectiſſimus, cum deſinere incipit. Status autem perpetuus eſt, Religioſum Chriſto configens cruci, à qua ne latum quidem vnguem diſcedere votorum obligatio patitur. Non enim Pœnitens in S. Dionyſio nuncium remittit *diuiduæ vitæ*, ſed Monachus; non conſecratur ad Pœnitentiam ordo ille purgandus; ſed Monachus ad vitæ vnitatem: non ſortitur nomen à puro Dei famulatu Pœnitens; ſed Therapeuta Monachus. Quamobrem quod diſcrimen eſt inter eum, cui pars aliqua laboris & operæ committitur, atque illum qui ex officio, & conditionis ſuæ debito laborem totum complectitur, illique exantlando immoritur; idem penitus eſſe inter Pœnitentem, & Religioſum exiſtimandum eſt.

*1. Diſcrimē in natura vtriuſque.*

II. In cauſa differunt, ſeu occaſionem malis dicere. Nam fundamentum Eccleſiaſticæ, peccatum eſt, & quidem graue, & publicum; nulla niſi atroci pœna expiandum: *vti quicquid error vetus inquinauit, quicquid in corde hominis ignorantia contaminauit, id Pœnitentia verrat, & radat, & foras abijciat*. Hi ſunt quos Petrus Aurelius verè *lapſos & facinoroſos* appellat: qui poſſunt quidem tractandæ Pœnitentiæ cauſa, ſtatum amplecti Religioſum; ſed ad cum minùs apti, quàm candidæ puerorum mentes, quos *pura virtus & integra* commendabiles reddit, antea monſtrati ſunt. Itaque Religio, licet mundos aut accipiat aut faciat, commodiùs tamen accipit: quemadmodum igni ſtupam admoueas aut lignum, vtrunque abſumetur, ſed illa citiùs; Iudam Chriſtus

*2. Diſcrimē in cauſa.*

Tertu. l. de Pœn. c. 2.

éluat aut Petrum, vterque mundabitur, ſed hic faciliùs : iuſtum aut impium tentatione Deus excoquat, vterque purgabitur, ſed ille certiùs perfectiuſque.

*Pœnitentia virtus non prærequirit peccatum.*

Huc adijce, quod audito pœnitentiæ nomine, non ſtatim *lapſus & flagitia* horrere debeamus, quando ipſa Pœnitentiæ virtus, quæ in Religione crebrò exercetur, innocentiam amat, cumque illa perbellè conuenit. Nam quia ſupernaturalis & diuini ordinis eſt, infuſam illam cum cæteris in Baptiſmi luſtratione nemo infans non accipit; licet vſu libero iudicij, voluntatiſque adhuc per imbecillitatem priuatus, actum eius vllum vetetur producere. Beati

S. Tho. in Supp. q. 16. a. 1. 2.

quoque qui ſanctitate fruuntur ſempiterna; etiam in cœlo habitum Pœnitentiæ conſeruant, licet ex eo non eundem quem in viuis olim actum exprimant : non enim plangunt commiſſa peccata, ſed de condonatis, Deo gratulantur. Intet adulros autem, ſi rectam Theologiam conſulimus, *ſubiectum remotum virtutis Pœnitentiæ*, inquit Sorbonicæ Theologiæ decus Gamachæus,

Gamac. in 3 p. tr. de Pœn. c. 2.

*ſecundum ordinariam Dei legem, eſt homo iam reipſa iuſtus, & ſanctus, ſi intelligas Pœnitentiam perfectam actu inhærentem : alioquin homo etiam mortali peccato inquinatus, ſi intelligas ſolam attritionem, aut Pœnitentiam imperfectam.* Cumque communi ſententia ſit adeo ſpecialis virtus, vt ab ipſa Iuſtitia diſtinguatur, neque ad eam alio, quàm generali partis poteſtatiuæ nomine pertineat, repertus eſt ta-

Caietan.

men qui eam Religioni accenſeret Caietanus, Doctor omnium confeſſione ſolertiſſimus. Quæ omnia demonſtrant cum *innocentia* & perfecta caritate ſtare poſſe Pœnitentiæ habitum : adeoque ſi conceſſero eius vſurpandi proprium ſtatum & locum eſſe Religionem, nullus inde Theologus continuò deducet, non eſſe illam *puræ integræque virtutis*. Quid quòd ipſum Pœnitentiæ Sacramentum, quod frequentiſſimè in Monaſterio iteratur, quodque pro materia ſaltem remotiore peccata deſiderat, non illa lethalia & grauiſſima requirit, quæ *lapſos & facinoroſos* homines nuncupent, ſed leuioribus contentum eſt culpis, ſine quibus à iuſtis non viuitur : quicquid contra Theologus Aurelius, communi Theologorum omnium opinioni contrarius, in ſecretiore doctrina tradat aſſeclis, *occultè propter metum Iudæorum*. Eſt ergo humano ſenſu *puræ integræque virtutis*, aut omnes quotquot ſunt, & fuerunt homines *lapſi & facinoroſi* nuncupandi ſunt.

*3. Diſcrimẽ in cenſuris Eccleſiaſticis.*

III. Diſcrimen eſt & in cenſura. Nam excommunicatione grauiori, aut leuiori, pro diuerſitate graduum irretiti ſunt Pœnitentes Eccleſiaſtici, qui non ante ſoluuntur ex toto, quàm perfectæ communioni reſtituantur. Quare extra templi ſepta amandantur, aut cum Catechumenis procul ab Adytis vel vt ſummum cum ſancto Populo, ſed ſine oblatione orare iubentur. At ſanctus Monachorum ordo Adytum tangit, proximè ſacra ſpectat, cum viris ſacratis communicat, non execratione vt illi, ſed Hierarchica conſecratione deuotus.

*4. Diſcrimẽ in fine.*

IV. Ipſo fine diſcriminantur. Si quidem Pœnitens ab Eccleſia pœnæ addicitur, vt ſuis & proprijs peccatis veniam emereatur : at Religioſus non ſuis tantùm, ſed maximè alienis ſatisfactionem impendit ſuàm, & offenſas ſecularium æquali, quantùm hominibus fas eſt, ſupplicio in ſemetipſo vindicat.

16. q. 1. c. Monachus. *Religioſi pro aliorum culpis Deo ſatisfaciunt.*

Id clarè affirmat S. Hieronymus, pronunciato ab iſtis decantato magis quàm expenſo: *Monachus non docentis, ſed plangentis habet officium, qui vel ſe, vel mundum lugeat, & Domini pauidus præſtoletur aduentum.* Eius Pœnitentiæ formam in Iobo Deus dedicauit, qui cum polleret innocentia, filiorum peccata holocauſtis redimebat.

redimebat. Parum hoc erat, niſi & eam in archetypô innocentiæ Chriſto Domino conſecraret, *qui ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata. Propter quod Ieſus vt ſanctificaret per ſuum ſanguinem populum, extra portam paſſus eſt.* Quod exemplum imitati Religioſi, ſecularibus delicijs renunciant, humanæ conſuetudini valedicunt, in ſolitudinem Monaſteriorum ſe ſe abdunt, Apoſtolica exhortatione confirmati. *Exeamus igitur ad eum extra caſtra, improperium eius portantes*: quo nos ſtrenuè onerant Antiregulares noſtri, eum nobis receſſum, & vitæ humilitarem improperantes. Itaque cum omnis Religioſi actio Hierarchica ſit, & publico Eccleſiæ facta nomine, non contemplatio tantùm, & horarum perſolutio & ſacrificium, gratiam diuinam meretur omnibus, ſed etiam ipſe operum labor, & vitæ durities, quædam publica ſatisfactio eſt pro ſecularium virijs, acceptatione congrua, diuinæ pietati oblata. Quare Religioſum ſilentium, pro mundanorum loquacitate linguarium eſt; paupertatis aſperitas, locupletum ſordibus; rigor caſtitatis, perditorum libidinibus; animus obedienria ſubactus, prauo libertatis vſui; ieiuniorum pallor, neporum ingluuiei medicinam facit, & reſipiſcendi gratiam promeretur: vt quandiu ſtabunt in Eccleſia Religioſi ordines, (ſtabunt autem Deo ſuſtinente, vſque ad conſummationem ſeculi, licet ætatibus ſingulis eos aut hæretici, aut qui alij labefactare & euertere conentur) nunquam de his Euangelicæ legis prophetis conqueratur Deus, *Non aſcendiſtis ex aduerſo, neque oppoſuiſtis murum pro domo Iſraël, vt ſtaretis in prælio in die Domini.* Hoc ſenſu Religioſorum publica Pœnitentia eſt, & ſcutum diuinæ vindictæ in impiorum perniciem exardeſcenti oppoſitum. Hoc conſilio eos laudat Guillelmus Pariſienſis, qui debitam peccatis ſuis pœnam, erogata in Religioſos eleemoſyna redimunt. *Meritò eis parcitur à pœnitentialibus laboribus, & afflictionibus, quia meliores pro ſe reſponſales conſtituerunt; videlicet viros ſanctos, quibus opera illa ſeruiunt, vel beneficia, & Deo magis acceptos labores, quàm proprij Pœnitentiales eſſent, per alios reddunt.*

Heb. c. 9. Ibid. c. 13. Ezec. c. 13. Guil. Pari. l. de Sacr. in Ordine, c. 11.

V. Aliam ponunt Doctores in efficacitate differentiam. Demus enim Pœnitentiam Eccleſiaſticam baptiſmi puritatem & candorem aliquo modo reſtituere, de Religioſa tamen confidenter pronunciat D. Thomas, eam *excedere genus omne ſatisfactionis, etiam publicæ Pœnitentiæ, ſicut holocauſtum excedit ſacrificium.* Idque probat indicato iuris Canonici loco, in quo Stephanus Papa vxoricidæ Aſtulpho, ad peccati expiationem conſulit Religionis ingreſſum, vbi humilietur ſub manu Abbatis, & multorum Fratrum precibus adiuuetur. Id quia liberi eſt arbitrij, ſubijcit: *Sin autem publicam Pœnitentiam permanens in domo tua, vel in mundo vis agere, omnibus diebus quibus pœnitere debes, vinum & ſiceram non bibas, carnem nullo unquam tempore comedas, præterquam in Paſcha, & in die Natalis Domini: in pane & aqua & ſale Pœnitentiam age; in ieiunijs, & vigilijs, & orationibus, & eleemoſynis omni tempore perſeuera,* &c. Et poſt eius tenoris quamplurima, ſubiungit. *Sunt & alia multa quæ tibi nimis duriùs, & ſatis acriùs erant, iuxta magnum peccati pondus, infelix, adijcienda.* Vides in alteram lancem Monaſticum ſtatum, in alteram ſolennem Pœnitentiam, cum omni ſuo horrore, & Exomologeſeon acerbitate imponi: atque illum huic præponderare, non aſperitate, ſed merito.

5. Diſcrimẽ in efficacitate. D. Th. 2. 2. q. 189. a. 3. ad 3. 33. q. 3. C. Admonere.

VI. Perſonarum etiam conditione variantur. Nam Eccleſiæ legibus Epiſ-

6. Diſcrimẽ in perſonis.

copus aut Clericus *ad pœnitentiam non degradantur*, ſed vt ſummum, in Laicam communionem reijciuntur. At Religionem ſuſcipere agendæ cauſa Pœnitentiæ, ijs ſemper licere voluerunt Canones, vt manifeſto vſu comprobatum eſt. In quo propoſito Innocentij III. erudiriſſimi Pontificis obſeruanda doctrina eſt, qui factum ex Epiſcopo Monachum, ad Epiſcopatum iterum temere aſſumi poſſe non iudicat, obſtante Conſtantinopolitano Canone, *vt quicunque de Pontificali dignitate ad Monachorum vitam, & Pœnitentiæ locum deſcenderit, nequaquam vlteriùs ad Pontificatum reſurgat.* Quem ſic admonet explicandum, *Cum propter aliquod crimen Epiſcopatum quis deſerens, ad vitam Monaſticam pœnitentiæ cauſa deſcendit.* De Clericis, quocunque animo ſtatum Monaſticum appetant, eius illis aditum occludi non debere, Concilio Toletano præcipitur, non tacita cauſa decreti. *Clerici, qui Monachorum propoſitum appetunt (quia meliorem vitam ſequi cupiunt) liberos eis ab Epiſcopis in Monaſterijs largiri oportet ingreſſus, nec interdici propoſitum eorum qui ad contemplationis deſiderium tranſire nituntur.* Hac te parentheſi, tanquam circulo, Franciſce Hallier, concluſum volo, quam in Gratiano tuo, quicquid diſſimulaueris, ignorare non potes, vt edicas vere-ne pœnitentibus Eccleſiaſticis annumeratos putes Religioſos, & eo probare poſſis argumento, vel *adnumeratos expreſſè Laicis Monachos*, vel *paruam inter eos & reliquam plebem ſtatui differentiam?* procul demum abeſſe Monachos à Clericorum perfectione?

Extra. de Renun. C. Poſt tranſlationem.

Concil. Tolet. 4. c. 49. habetur 19. q. 1. C. Clerici.

*Ex hoc Canone Hallier confutatur.*

*7. Diſcrimẽ in exitu.*

VII. Differre video & exitu. Eccleſiaſtica enim Pœnitentia vulnus eſt, cum curatur, cicatricem imprimit: medicata potio eſt, ſanitatem quam facit, deterit. Ignis eſt, lignum quod ſiccat, inficit fuligine: ita gratiam & communionem meretur Eccleſiæ, vt hominem relinquat ad ſecularem militiam ineptum; quod habet cum Monaſtica vita commune: vt irregularitate vinciat, & ſacrorum Ordinum ſuſcipiendorum omnem adimat poteſtatem. Religioſus è diuerſo ſtatus, & aliquas irregularitates obliterat, & plenam atque expeditam ad ſacros ordines viam ſternit, contractis etiam in profeſſionis gratiam interſtitijs, dicente Pontifice Gelaſio, *Quod annorum interſtitia fuerant collatura, ſancti propoſiti ſponte ſuſcepta doceatur præſtitiſſe deuotio.* Qui locus à Franciſco Hallier producitur, vt ingenuè fateatur *aliquam inter Clericos ſeculares & Regulares ſecundùm antiquos Canones eſſe differentiam, & cum his faciliùs diſpenſatum fuiſſe, vt quàm citiſſimè ad Sacerdotium aſcenderent, quàm cum Laicis.*

Diſt. 77. C. Monachus.

Hallier l. de ſac. ord. p. 94.

### *RELIGIONEM NON ESSE COACTÆ Pœnitentiæ ſtatum aduerſus Petrum Aurelium probatur.*

§. III.

*8. Diſcrimẽ in cauſa determinante.*

OCTAVAM eandemque poſtremam differentiam in cauſa determinante colloco. Pœnitentiam enim publicam *lapſis & facinoroſis* imponit & imperat Eccleſia; ac niſi matrem illi ſuam infami rebellione dehoneſtatam volunt, obtemperare coguntur. At Monaſticum ſtatum ſuſcipere, Religioſis votis

votis adſtringi quamlibet facinoroſum & ſacrilegum nunquam coëgit Eccleſia. Sanè ſi Tertulliani & S. Cypriani *Lapſos & Pœnitentes* volumus recordari, reperiemus ſuſceptam ab illis Pœnitentiam, fuiſſe, vt loquuntur, inuoluntariam ſimpliciter, voluntariam autem ſecundùm quid, quatenus alia ratio nulla ſupererat perſoluendæ pœnæ, & ſalutis aſſequendæ. At Religioſa profeſſio ſimpliciter & omni ex parte voluntaria eſſe debet, aut profeſſio non eſt. Catholica hæc aſſertio repugnat Aurelianæ, quæ hanc dicit *lapſis & facinoroſis à Patribus ſæpiſſime pœnæ loco imponi.* Id ego nunquam factum aſſero; neque imperium, ſed conſilium; non vim & coactionem, ſed nudam perſuaſionem à viris ſanctis adhibitam fuiſſe contendo. Catholicum dogma appello in voti & Religionis eſſentia fundatum, poſt tot Patrum oracula, decreta Conciliorum, reſponſa Canoniſtarum, Theologorum placita, qui omnes ore vno clamant, voto nihil eſſe liberius. *Nullum quippe bonum niſi voluntarium,* inquit Nicolaus Papa, *& conſultiùs agetur, ſi pijs ſuaſionibus contemptum mundi, & amorem Dei prædicando, quàm violentiam inferendo ad cæleſtem amorem illum accenderis.* Quòd *ſi matrimonium carnale, gaudet libertate indulta,* (vt loquitur Petrus Bleſenſis, quis ſæpe nobis opponitur) *ſpiritale matrimonium priuilegiatum eſt pleniore gratia libertatis; nam vbi ſpiritus, ibi libertas.* Cum ergo Religionis ſubſtantia conſiſtat in votis, vota autem non ſint, quæ perfectæ libertatis vſu, & pleno ſui dominio careant, apertum eſt pœnam illam non poſſe herili violentia, & imperio ſuperioris imponi.

*Error Petri Aurelij de coacta Religione.*

*Refellitur ex voti eſſentia.*

20. q. 3. C. Præſens Clericus.

Petr. Bleſ. ep. 54.

At opinionem quam ſine riuali amat, probare ſe marginalibus notis ſignificat Petrus Aurelius, quibus ad Concilia duo remittimur. *Toletanum* 8. *c.* 5. *Cabilonenſe* 2. *c.* 40. &c. Ad hæc ego tria habeo quæ reſpondeam, glorioſiorem quàm ſolidiorem citatorem eſſe Aurelium: Non id dicere Concilia quod dicit Aurelius: Ex ijs quæ decernunt Concilia, mentem Aurelij non poſſe deduci. Primùm caput ex eo conficio, quòd cum Eccleſiaſticæ diſciplinæ, & veteris Eccleſiæ ſæpe meminerit Aurelius, atque hoc ipſo loco *antiquum Eccleſiaſticæ diſciplinæ ius* alleget, Concilia producat non antiquiſſima, vt Toletanum 8. ſub Martino Papa anno Chriſti 653. Et Cabilonenſe 2. ſub Carolo Magno, anno Chriſti 813. quo tempore iam ſic obſoleuerat mos antiquus publicæ Pœnitentiæ, vt reuocari iubeatur Cabilonenſi, & quod capite Toletano decernitur, id in Canonibus antiquis nemo legere ſe profitebitur.

*Aurelius pro ſe Canones citat.*

*Canones illi non ſunt admodum antiqui.*

Cabilo. 2. can. 25.

Hoc decretum capitis noſtri partem facit alteram. Nam coërcendæ perditorum Sacerdotum libidini, conſtituunt Patres Hiſpani ſuas ab illis mulierculas modis omnibus ſeparari, & Monaſterio tradi, *vt vlteriùs ad conſcios ſui criminis reuertendi omnem habeant aditum denegatum. Illos verò, ſi omnino coërceri nequiuerint, vſque ad exitum vitæ ſuæ, Monaſterijs deputatos, Pœnitentiæ diſciplinis manere omnino ſubiectos.* Quæ pœna ſequentibus capitibus in voluptarios Subdiaconos, & Clericos ad ſeculum redeuntes decernitur. *Vt ſub Pœnitentiæ oneribus, vſque ad extremum vitæ, Monaſterijs religandi ſint, vt tanquam Apoſtatæ à ſanctæ Eccleſiæ liminibus & ſocietate fidelium, habeantur prorſus excluſi, Monaſterij clauſtris donec aduixerint, ſub Pœnitentia retrudendi.* Sic Toletanum. Cabilonenſe autem ita ſtatuit, *Dictum eſt nobis, Presbyteros propter ſuam negligentiam Canonicè degradatos, ſeculariter gradu amiſſo viuere, & Pœnitentiam agendæ bonum negligere. Unde ſtatuimus vt gradu amiſſo, agendæ Pœnitentiæ gratia in Monaſterio aut Canonico aut Regulari mittantur. Si verò hoc fieri cauſa qualibet prohibuerit, vbicunque*

*Canon Toletan. non tradit opinionem Aurelij.*

Concil. Tolet. 8. c. 5.

Ibid. c. 6. 7.

Cabilo. 2. c. 40. habetur diſt. 81. C. Dictum eſt nobis. citatus ex Mogunt.

*ſint, Pœnitentiam agere non deſiſtant.* His & ſimilibus decretis, quorum aliqua leges in Gratiano, Aurelianam aſſertionem aio non probari, *antiquo Eccleſiaſticæ diſciplinæ iure, pœnæ loco à Patribus imponi ſolitum Monaſticum ſtatum.* Nam antiquo Eccleſiaſticæ diſciplinæ iure nuſquam videas Clericos ſceleratos in Monaſteria detruſos ad Pœnitentiam, ſed tantùm ad Laïcam communionem damnatos. Eodem antiquo iure, ſeu in Eccleſia vetere Aureliana, nunquam legas Apoſtatas excommunicatos Monaſterio addictos: erát enim tum Monaſteria ſanctitatis adyta, non ſcelerum ergaſtula. Antiquo item iure Preſbytero gradu moto licebat ſeculariter viuere, id eſt, more Chriſtianorum Laïcorum, neque vlla vlterior exigebatur ab eo pœnitentia: quam tamen Cabilonenſe à ſuis facinoroſis poſtulat. In Eccleſia vetere vni peccato, putà adulterio, vna publica imponebatur Pœnitentia; relabentibus nulla: in Toletano pœna repetitur, quando poſt cæteras coërcitiones, Monaſterium irrogatur. In Eccleſia vetere inter Clericos acta non eſt Pœnitentia, in Cabilonenſi *ad Canonicum Monaſteriū* reus amandatur. Quare citata Concilia rem Aurelij non probant, quod ſuſceperam demonſtrandum.

*Malè im illud antiquum appellas Aurelius.*

*Aliud eſt deputari Monaſterio, aliud Monachum fieri.*

Sed iſtud vlteriùs addo, quod omnem penitus euellat ſcrupulum, ſua locis iſtis omnibus deſtitui Aurelium Grammatica, cum putat *detrudi in Monaſterium, deputari Monaſterio, tonderi in Monachum*, id eſt more Monachi, & ſi quæ ſunt aliæ narrandi formulæ, idem eſſe, quod Monachum fieri, ſtatum Monaſticum profiteri, votis Religioſis ſe illigare. Hoc qui ſibi perſuadeat, næ multos & leget, & videbit Monachos ſine veſte, ſine regula, ſine votis, quod fortaſſe Aurelij votum eſt. Illud fateor reis imponi, inuitis imperari, nolentes adigi, tanquam ad triremes & metalla: hoc autē liberum eſſe contendo, & nunquam coacta voluntate ſuſceptum. Illud ſupplicij genus in Occidente vulgare fuit, tum vt *lapſi & facinoroſi* diuinæ humanæque iuſtitiæ per actus Monaſticis ſimiles, ſatiſdarent; tum vt peccandi illecebris erepti, puriores manus ad cœlum tollerent. Id clarè eloquitur Concilij Toletani exemplum, quo vtriuſque ſexus rei Monaſterijs addicuntur. Merouerum quoque rebellem filium à patre ſuperatum, narrat S. Gregorius Turonenſis *ad Monaſterium Cenomanicum directum, vt ibi Sacerdotali erudiretur regula.* Audis? non vt Religionem profiteretur. Scribit quoque præciſè de Romano Clerico adultero Pelagius Pontifex: *In Monaſterio hic in vrbe Romana, ad agendam pœnitentiam, ex noſtra iuſſione detruſus eſt.* Et Concilium Aurelianenſe de adultero item Clerico decernit, vt *depoſitus ab officio, communione conceſſa, in Monaſterio toto vitæ ſuæ tempore detrudatur.*

*Detrudi in Monaſteriū ſupplicij genus.*

Greg. Tur. l. 5 hiſt. c. 14.

Diſt. 81. C. Romanus.

Ibid. C. ſi quis Clericus.

Concil. Aurel. 3. can. 7.

Monaſtici verò ſtatus profeſſionem, etiam ab reis illis non niſi liberè initam, oſtendit & Aſtulphi vxoricidæ cauſa, ſuperiùs adducta, & Innocentij III. oratio in Conſtantinopolitani Canonis explicatione. *In eo,* inquit, *caſu loquitur Concilium, cum propter aliquod crimen, Epiſcopatum quis deſerens, ad vitam Monaſticam pœnitentiæ cauſa deſcendit.* Non deuoluitur, non impellitur, ſed ſponte *deſcendit.* Eſt autem aliquorum ſententia; loqui Patres in eo caſu, *cum quis de crimine, de quo conuictus fuerat, vel confeſſus*, ab Epiſcopali *dignitate depoſitus, in Monaſterio extitit ad pœnitentiam agendam incluſus.* Vis hæc coërcitiua eſt, & iudicis interpoſita ſententia. *Vel cum aliquis propter graue crimen, pro quo Epiſcopatū retinens, pœnitentiā dignè agere non valebat, cedendi obtenta licentia, vitā Monachalem elegit. Electio* hæc dominum non agnoſcit externum: *obtenta licentia,* voluntarias preces

*Monaſtica profeſſio nunquam coacta.*

Extra. de renunc. C. poſt tranſl.

*Explicatio Canonis CP.*

preces manifeſtat. Sequitur in Gratiano. *Quidam cedendi licentiam cum inſtantia poſtulantes, ea obtenta cedere prætermittunt: eos ad cedendum decernimus cōpellendos.* Quia interim ludificatione tempus extrahunt, neque hic neque illic Pœnitentes: ad Monaſterium adigendi quod poſtularunt, ne inutili tergiuerſatione animi ſui leuitatem publicè demonſtrent. Ea voluntatis libertate vſus eſt Imperator Ludouicus Pius, cum factione exauctoratus, *iuſſus eſt ire in Monaſterium, & ibi eſſe omnibus diebus vitæ ſuæ: quod ille renuens non conſenſit voluntati eorum:* maluitque publicam ſubire Pœnitentiam, & quidem iteratò, ne quid in ea rebellione deeſſet ad iniuriam. Ex hac electionis libertate, procedit decretum aliud huius ipſius Cabilonenſis Concilij in quo habitamus. Epiſcopi quidam & Abbates, ſtolidos quoſdam & bardos homines, vanis perſuaſionibus *illectos circumueniendo tondebant*, vt eorum bonis potirentur: illos vult Concilium Canonica coërceri Pœnitentia; qui autem *comas depoſuerunt, in eo quod cœperunt, cogi perſeuerare*: quandoquidem non inuiti, non coacti ſunt attonſi. Non probat igitur Petrus Aurelius Monaſticum ſtatum; ſed tantùm ipſius Monaſterij, velut ergaſtuli ingreſſum, pœnæ loco fuiſſe impoſitum: in quo ſemel detonſis *lapſis & facinoroſis*, vna ſupetfuit libertas, amplecti Religioſam profeſſionem, aut ea abſtinere.

Ibi. c. quidam.

Vide Baron. ad an. 833.

Concil. Cabilo. 2. c. 7.

Neque magis ex hiſce Concilijs, mens Petri Aurelij colligi poteſt, quod eſt tertium propoſiti mei caput. Ea enim eſt, Religioſam ſanctitatem, Sacerdotij ſanctitati poſtponere, quòd Sacerdotium ſit ſtatus innocentiæ, neque cum infractione caſtitatis poſſit ſubſiſtere: ſtatus autem Monaſticus facinoroſis, putà adulteris & homicidis pœnæ loco imponatur. Cui ego argumentationi reſpondeo, *lapſos & facinoroſos* prioribus ſeculis, non minùs ad Sacerdotium pœnæ loco, quàm ad Monaſterium adactos: hac igitur ex parte nullam Sacerdotio ſupra Monachatum conciliari prærogatiuam. Id videor in Toletano noſtro diſpicere, quod decernit aduerſus *quoſdam aut euentu neceſſitatum, aut metu periculorum adeptos Eccleſiaſticarum officia dignitatum.* Clariùs in Merouei perduellis pœnitentia: apertiſſimè autem in Orientaliū Imperatorum motibus, qui rerum in Imperio nouatum appetentes, atque adeò perduellionis reos, ad Sacerdotium capeſſendum adigere ſolebant. Hoc faciendum ſibi putauit Irene, cum viri ſui Leonis IV. fratres iam Cæſares, & nobiliſſimos, Sacerdotes fieri, & in Natali Domini Euchariſtiam populo præbere coëgit. Hoc modo Clericatu initiati ſunt Gallus & Iulianus adhuc adoleſcentes; ille ſponte, hic *ficta pietatis ſpecie animi prauitatem occultans*; quos idcirco cum Abele & Caino pulcherrimè confert S. Gregorius Nazianzenus. Quanquam & hic ſponte in hanc ordinationem ſpecie tenus conſentire potuit, ne quam moueret Conſtantio ſuſpicionem, dum is illa ratione ſe omnem Nepotibus ſuis imperandi ſpem amputare ſperaret.

*Ex his Concilijs non poteſt colligere Petr. Aurelius depreſſionē ſtatus Monaſtici ſub Sacerdotio.*

*Rei ad Sacerdotium adacti.*

Concil. Tolet. 8. c. 7.

Theophil. in Annal.

Greg. Naz. or. 1. in Iul.

Lepidum eſt hac in materia, quod narrat Procopius de Ioanne Cappadoce Præfecto Prætorio, ſub Imperatore Iuſtiniano. Hic quàm perditus motibus, tam ambitioſus, neſcio quo vaticinio acceperat ſe induendum veſte Auguſti. Continuò imperium mente concipit, in ſumma poteſtate ſummam nequitiam exercitus: quo in conatu opprimitur ab Imperatore, deijcitur magiſtratu, ad Sacerdotium compellitur, illudque ſuſcipit *non ſacrificandi animo.* In ea tumultuaria inauguratione, cum nulla eſſet veſtis qua amiciretur, Preſbyter quidam, qui tum aderat, Auguſtus nomine, ſuam illi vtendam dedit.

*Ioannis Cappadocis hiſtoria.*

ex Proc. l. 1. de bello Perſico.

Qui cum ne ſic quidem oraculorum, & ambitionis ſuæ vanitatem animaduerteret, exilia ſubinde mutans, per Otientem; velut trophæum ſcelerum, Sacerdotio coacto punitotum circumlatus eſt. Scio equidem Baronium id factum ſpeculantem ſcribere, non potuiſſe inuitum ordinari Sacerdotem: ſed conditionem ipſi oblatam, vt vel Sacerdotio initiaretur, vel capite plecteretur, illud elegiſſe *minimè cogendum ſi renuiſſet.* Quod & ipſum de ineundi aut Monaſterij, aut Monaſtici ſtatus impoſita neceſſitate cenſeri poteſt. Quanquam cum Concilij noſtri Toletani hypotheſi, Baroniana non ſubſiſtit explicatio. Nam Hiſpani ſic ordinati *cum hæc illis imponerentur, id ſibi fieri noluiſſe teſtati ſunt*, eoque prætextu *ad priſtina pertentant coniugia moreſque redire*, tanquam vitio creati Sacerdotes. Quod in poſterū fieri prohibent Patres Concilij, & ordinationem, licet inuitis factam, ratam habent, exemplo Baptiſmatis; *quod ſæpe non ſolùm volentibus, verum etiam (quod maius eſt) neſcientibus impartitur*. Poſſunt igitur homines ex illotum opinione, nonnunquam ad Sacerdotium cogi: ad Monaſticam profeſſionem non poſſunt. Non eſt ergo illa in patte defœcatior Sacerdotij, quam ſtatús Monaſtici ſanctitas, quod Aurelius volebat euincere.

Baron. ad an. 548.

*Inuitis etiā collatum Sacerdotiū*

Sic aſſetta Religionis ſanctitate, patete me Lector, *exultare coram te, ſicut exultant victores capta præda*, & Petrum Aurelium Tertulliani dicto conuenire, *Eam tu peccator* quiſquis es Pœnitentiam, fraternæ caritatis tanquam homicidio, pollutæ Monaſticæ ſanctitatis, tanqnam adulterio nimis emeritam, *ita inuade, ita amplexare, vt naufragus alicuius tabulæ fidem. Hæc te peccatorum fluctibus merſum perlauabit, & in portum diuinæ clementiæ protelabit.* Excipient te ambabus vlnis Monachi, & quidem, ſi mauis, veteres: induent cucullo caput, colobio humeros, mafotte corpus, pedes caligis. *Alius cinget te, & ducet quò tu non vis.* Ibi *tria ſcoparum millia vnum Pœnitentiæ annum regulariter implebunt, & viginti pſalteria cum diſciplina decantata, centum annorum Pœnitentiam peragent.* Poſt hæc duobus paximacijs, & frigida è fonte longè petita, frugaliter paſtus, pſiathio corpus fatigatum, & embtimio caput molliter impones; Tum pro peccatis, ſi voles, licebit ſatisfacere.

*Concluſio diſputationis ad Aurelium.*

Tertull. l. de Pœnit. c. 4.

Petr. Dam. l. 2. ep. 19.

---

## *AN VETERIS ECCLESIÆ CONCILIA ABbates & Monachos Laicis annumerent.*

### CAPVT VII.

DIONYSIVM ab aduerſarijs extorſimus, citata temerè à Petro Aurelio Concilia monſtrauimus; nunc de Canone cum vno Franciſco Hallier lis eſt, qui ab antiquitate auctoritatem, à Roma & Syluestro ſanctitatem, à Synodo inconcuſſam firmitatem obtinuiſſe dicitur. Eum tibi Lector Doctoris noſtri verbis omni fide repræſento. Hic probaturus Monachos à Patribus & Eccleſia Laïcis connumerari, ſic loquitur. *Synodus Romana ſub Sylueſtro, ordinem in Eccleſia ſuo tempore obſeruatum, decreto confirmans, ſtatuit vt Pontifici Presbyter, Presbytero Diaconus, Diacono Subdiaconus, Subdiacono Acolythus, Acolytho Exorciſta, Exorciſtæ Oſtiarius, Oſtiario (qui omnium Eccleſiaſtico munere fungentium infimus eſt) Abbas, Abbati Monachus,*

*Canon antiquus verbis & interpretatione Franciſci Hallier citatur.* in Vindic. pag. 392.

*Monachus, in omni loco repræſentent obſequium.* Citatur ad marginem *Synod. Rom. c.7 habetur diſt.93. cap. A Subdiac.* Et quoniam Lector in ea pompa prætermiſſus eſt, poſteriori opere correctiùs omnes enumerans ordines, & hunc ipſum iterum Canonem repræſentans, qui animo valdè arridet, Exorciſtæ Lectorem, Lectori Oſtiarium ſubijcit, *cui Abbatem*, inquit, *obtemperare debere ſubiungit, quemadmodum Abbati Monachum.* Erant hæc parerga nomina, ſi numeri Ordinum ſeptenarij ſola fuit habenda ratio; ſed non erat tam boni aduersùs Monachos verbi facienda iactura. Hinc verò corollaria duo deducit. 1. Monachos & eorum Præpoſitos inferioris ordinis Clericis per decreta Eccleſiaſtica ſubijci. 2. *Monachos & Abbates, qui poſt Oſtiarium recenſentur, infra omnium Clericorum claſſes, in Laïcorum ſcilicet ordinem reijci, iiſdem cum reliquis Laïcis ad præſtandum Clericali ordini obſequium legibus conſtringi.* Nos ad illud *obſequium* ſine lege, nullius apparituræ coactu venimus: noſtrum nullus dominationem ſpernit, aut Hierarchicam maieſtatem blaſphemat. Itaque de Chriſtianæ humilitatis effectu non diſceptamus. Res tantùm eſt de Canone antiquo, & eius ſignificatione. Is tribus mihi locis legendus proponitur: in Doctore & aduerſario Franciſco; in Codice Gratiani; in ipſo fonte Concilij.

Idem l. de ſacr. ordin. p 367.

*Corollaria ex eo Canone deducta Hallier.*

Primum, etſi recuſare licet, tamen liberaliter accipio, & iure meum, non Franciſci, eſſe aio. Nam ſi *Abbas & Monachi* ad Clerum non pertinent, quare cum Clericis nominantur? Cur in ea diſtinctione, in qua Laïcorum ad hoc propoſitum tenuis tantùm eſt mentio, cum illis Diaconi præferuntur, *Abbatem & Monachos* appellat? Quæ eſt iſta corollarij ſecundi conſecutio; Recenſentur poſt templi miniſteria Monachi, ergo Laïci ſunt? Quo enim loco Tonſurati numerantur? Eſt-ne hic repetendum, non omnes Clericos ad certum altaris miniſterium ſemper eligi? Quid autem mea refert quo loco memorentur in Cleri catalogo Abbas & Monachi, modò memorentur? In ſchola Chriſti ſi poſtremi reijciuntur ab ordine, ad Phariſaïcam primatus ambitionem reuoluemur. Vnde verò deducitur eiuſdem corollarij dictum, *Monachos cum reliquis Laïcis obſequium præſtare ordini Clericali?* Quæ eſt in Canone Laïcorum memoria? quod tandem *obſequium* in templo, *Laïci* præſtant *Clericis*? Perperam igitur ab aduerſario productus Canon, explicatione corrumpitur. Accedo ad alios codices, quos ſi non legit Hallier, quare citat? Si legit, cur infideliter citat? Nam omittit è Gratiano quæ fuerant addenda; addit è Concilio quæ fuerant omittenda: in vtroque vel fallit, vel fallitur.

*Canon vt citatur ab Hallier nobis fauet.*

*C. Legimus, dicitur Diaconum, eſſe Laïcis maiorem: nulla alia tota illa diſtinctione Laïcorum eſt mentio.*

Nam Gratiani textui, cuius partem Doctor fideliter repræſentauit, ſubijciunt iſta notæ. *Caput hoc & apud Gratianum, & in ipſius Synodi editionibus videtur valdè mendoſum.* Quæ eſt igitur vel fides, vel fiducia Doctoris, tam infirmo tibicine ſuam illam opinionem ſuſtentare? *Burchardus & Iuo ſic habent.* Quorum in hiſce canonibus cenſeri non poteſt leuis auctoritas. *Pontifici vero Preſbyter, Diaconus, Subdiaconus, Acolythus, Exorciſta, Lector, Abbas, Monachus, in omni loco repræſentent obſequium, ſiue in publico, ſiue in gremio Eccleſiæ.* Vbi eſt in iſtis *Oſtiarius* in quo magnam Hallier ponebat energiam, tanquam in *omnium Eccleſiaſtico munere fungentium infimo?* Vbi replicata illa Gratiani gradatio, quæ Doctori perſuaſit *Monachos Clericis inferioribus per decreta Eccleſiaſtica ſubijci?* Simplex enim iſtorum ductus, Ordines non inuicem ſibi, ſed ſimul omnes Epiſcopo ſubditos eſſe demonſtrat. Idque magis ad Gratiani facit inſtitutum, qui tota illa diſtinctione id ſolùm oſtendit, obediendum ab Epiſcopis

*Vt habetur in Notis Gratiani, non ſauet Franciſco Hallier.*

*Corruptus Canon eſt: ab alijs aliter legitur.*

*Inſtitutum Gratiani ea diſtinctione*

omnibus, Romano Pontifici; ab inferioribus ordinibus, Epiſcopo, à Diaconis æquè Sacerdoti ac Epiſcopo. Neque vnius Gratiani meutem, ſed & veritatem ipſam Burchardi & Iuonis textus adiuuat. Non enim cum ſuo corollario primo, mihi Doctor oſtendet vſpiam, Abbatem aut Lectori aut Oſtiario ita ſubeſſe, vt hic illi quicquam imperet; cum fateatur ipſe plurimos Abbatos borum Clericorum ordinandotum frui poteſtate: nullius auctoritate probabit Lectorem Oſtiario, Exorciſtam Lectori, Acolythum Exorciſtæ imperare, vt per eos gradus imperium à Sacerdotibus ad Abbates deuoluatur. Nam in ipſa Cœleſti Hierarchia ne Deus ipſe quidem eiuſmodi ordinem ſibi ſemper obſeruandum præfixit. Diaconum quidem è Conſtitutionibus Apoſtolicis ante monſtraui, diſtribuendis in templo ſedibus cum poteſtate præpoſitum: ſuo etiam modo Laïcos obedire Diaconis: ſacra aliqua enunciare Diaconum Monachis & Laïcis, extra chori cancellos ſtantibus; & obedientibus lego in Dionyſio: ſed inferiores ordines quicquam imperare ſolitos, aut alios alijs, aut illis Monachos obſequium præſtitiſſe non lego. Vis aliquid Gallicanæ diſciplinæ illi addi Concilio, quo elucidetur? Francofordienſe ſub Carolo Magno, iubet vt *ſi non obedierit aliqua perſona Epiſcopo ſuo, de Abbatibus, Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus, Monachis, & cæteris Clericis, vel etiam alijs* (Laicis) *in eius Parochia, veniant ad Metropolitanum ſuum.* Non ignorauit hunc Canonem aduerſarius, ſed prætetiit, quia Presbyteris Abbates præponit; quia Monachos Clericis apertiſſimè adiungit; quia eoſdem Oſtiario non ſubijcit. Quamobrem & veritas, & Gratiani codex diſſimulando magna ex parte ſuppreſſus, Franciſci Hallier mentem aperit, non promouet inſtitutum.

*Abbates aliqui, minores ordines conferunt.* Hallier l. de ſac. ord. p. 644.

Conſt. Apoſt. l. 2. c. 57. Ibid. c. 30. Dion. ep. 8. ad Dimo.

Concil. Franco. ſub Carolo M. can. 6.

Addunt autem Notæ eædem, *de Abbate & Monacho in Synodi editionibus nullam eſſe mentionem.* Quare ad primum Conciliorum tomum, qui tertius codex eſt mihi propoſitus, & ad ſecundam ſub Sylueſtro Romanam Synodum mihi tranſeundum eſt. Fontem hic Canonis video, ſed Deus bone! quàm turbidum. In viginti totis capitibus eius antiquiſſimi Concilij, vix caput & pedes mihi apparent. Profectò inopem oportet eſſe à rationibus, Canonibus, Concilijs, auctoritatibus, qui ſe hoc putet Concilio ſtabiliri. Videamus tamen quid pro ſe tandem poſſit Hallier expiſcari. Capitibus omnino tribus accuratè ſatis commemorantur Eccleſiaſtici ordines, C. 3. Ne inuicem ſibi litem moueant; C. 7. quod noſtrum eſt, *Vt repræſentent obſequium tantùm Pontifici.* C. 11. Vt ſtatutis temporibus in quoque gradu miniſtrent, antequam ad ſuperiores euehantur. Hinc parer agi tantùm in Concilio de Clericorum miniſtrantium ordinibus. Deinde illos inuicem non ſubijci, cum climatis à Gratiano inuecti nullum ſit veſtigium. Præterea Oſtiarij minimam haberi rationem, cum vix niſi perfunctoriè & rariùs nominetur. Denique, quod potiſſimùm ſpectamus, de Abbate & Monachis, ne γρῦ quidem. Et verò illis temporibus Monachos in Eccleſia Latina, & Abbates nominatos, nuſquam quod ſciam oſtendet aduerſarius, vt Romæ in Latina Synodo quicquam de illis præcipi neceſſarium foret. Qui ſi fidem Aurelio ſuo habere dignabitur, cum illo credet ſerò admodum Monachos ab Oriente in Occidentem tranſijſſe, cum Athanaſius exularet.

*Vt in ipſa Synodo legitur, horum nihil deeſt.*

*Monachi ſeriùs in Occidentem tranſierunt.* Aurel. p. 504.

Quæ cum vel ad oculum pateant, obſecro te, Franciſce Hallier, quo alio conſilio, quàm Lectoris in fraudem inducendi, ſcribis à Synodo Romana *Monachos & Abbates Oſtiario ſubijci*, eo capite quo neque Oſtiarij, neque Abbatum,

*Mala fides Franciſci Hallier.*

batum, neque Monachorum nomina leguntur; quo cæteri ordines ex æquo omnes ſine gradatione iubentur ſubditi eſſe, *in Eccleſia quidem Diacono Cardinali, in omni autem loco Pontifici tantùm.* Qua fronte, qua-ve conſcientia, ex eo Canone, qui nullus ſit in Synodo à te allata, ſeruatum in Eccleſia Syluestri tempore ordinem illum fuiſſe, vt imperanti Oſtiario pareret Abbas, populo velis perſuadere? Quem enim eius ordinis teſtem aduocas? Syluestrum? id ne per ſomnium quidem dicit. Gratianum? at Syluestrum citaſti; at aliud à Syluestro dicere Gratianus non debuit; at Gratiani textus *valdè mendoſus eſt*. Decreta igitur Eccleſiaſtica? quæ? qualia? quo tempore, quibus verbis, qua occaſione edita? è qua vel Syluestri, vel Gratiani tui formâ loquendi, elicis *Abbates & Monachos in Laicorum ordinem reijci*? Non eſt quòd hunc locum diutius premam, cum qui eo vtitur non ægrè poſſit deprehendere, ſe cauſam ſuam prodere, & quicquid in poſterum attulerit, malæ fidei ſuſpectum reddere?

## RELIQVORVM CONCILIORVM SENSVS *exquiritur.*

### §. Vnicus.

NEQVE verò feliciùs tibi ſuccedit, quod de Concilio Arelatenſi tertio ſubijcis, in quo tamen admirabilem quandam vidiſti efficacitatem, quam ego non intelligo. Auertat autem Deus vt *Religioſiſſimi & doctiſſimi* (ſic enim appellas tu ipſe, quicquid oblatret Aurelius) P. Iacobi Sirmondi clariſſimis laboribus aduersùs Religioſorum dignitatem abutare. *Legimus*, inquis, *in epiſtola Concilij Arelatenſis 3.* Iam hoc peruersè; adeo citationum fidem negligis; non id in Epiſtola, ſed in *Inſtitutione*, id eſt decreto Epiſcoporum congregatorum legimus, *omnem Laïcam multitudinem dictam, quæ ad Abbatis curam pertineret.* Quis enim hoc negat, inter Monachos eſſe Clericos, eſſe & Laïcos? id eſt alios tonſura, vel ordinibus initiatos, qui ad Sacerdotium deſtinentur, alios autem minime? Qui proinde iſtorum reſpectu Laïci ſint, vt etiamnum in aliquibus Religioſorum ordinibus nuncupantur: ſed cum addito *Fratres*; quod verbum non omiſit Epiſtola à te producta. An verò cum iſta ſcriberes, ſciebas te deinde inferiùs notaturum, Monachos qui alio quàm Monaſterij titulo ordinarentur, relicto Monaſterio ad titulum ſuum conuolare debuiſſe? Et alio præterea loco, fuiſſe *infrequens in Monaſterijs plures Sacerdotes ordinari: conceſſum autem tanquam priuilegium, vt eſſent aliqui ex ipſorum cœtu, qui Sacerdotes ordinati, ſacra ipſi adminiſtrarent?* Hæc cogitare te oportet & animaduertere, Fauſtum Lirinenſem Abbatem omnia ſibi in Monachos, etiam Epiſcopalia munera vſurpantem, chriſma conficere, Neophytos confirmare, Clericos ordinare voluiſſe. Quod cum Patribus indignum videretur, Epiſcopo Theodoro dignitatem atque poteſtatem Hierarchicam aſſeruri, omnem Monachorum multitudinem in duo genera diſtinguūt, Clericos, & Laïcos, id eſt, ordinatos, & non ordinatos; decernuntque vt Monachi in Clericos euehantur ab Epiſcopo, illique ſubſint; nimirum qui tunc egredi debeant è Monaſterio. *Laïca vero omnis Monaſterij congregatio*; hoc eſt, qui nondum ordinati Monaſterium adhuc incolunt, *ad ſolam & liberam Abbatis proprij*, *quem ſibi*

*Alia eiuſdem Halliér obiectio ex Concil. Arelat. 3.* Hall. l. de ſacr. ordin. p. 504. *Concilium non ſatis fideliter citat.*

*Cui ſatisfit ex ipſius principijs* in Vind. p. 483. ibi. p. 479.

Legendum videtur *ipſis*.

*ipſa elegerit, ordinationem diſpoſitionemque pertineat.* Hinc collige, Sunt ergo Monachi omnes Laïci, hoc eſt, perſonæ Deo ab Eccleſia non conſecratæ: & viciſti.

*Tertia obiectio è forma pœnitentia Clericorum.*

*Hallier in vin. p. 405.*

Poſſem equidem tuo vſus priuilegio, diſſimulatione nonnihil obnubere: ſed hæc fraudis ac diffidentiæ ſpecies in bona cauſa tolerari non poteſt. Addam igitur tertium è Canonibus argumentum, maioris, ſi quid ſentio, quàm priora difficultatis; quod alicubi tantùm ſignificas: adeò delectum etiam tuum contentionis æſtus euertit. In Canonibus tria reorum genera plectuntur, Clerici, Monachi, Laïci: primi depoſitione, & ad Laïcam communionem retruſione: vlteriùs in eos nihil decernitur, propter ordinis dignitatem: poſtremi duo, vno & eodem inuoluti ſupplicio, excommunicari & ſegregari iubentur. Cur ita? quia Clerici non ſunt; quia gradu vno deſcendere non poſſunt, quin penitus à ſancti Populi conſortio deuoluantur ad ordinem inordinatè agentium & Pœnitentium. Quæ res ſi quicquam aliud, manifeſtè Monachos adiungit Laïcis, & Laïca tantum communione dignatos oſtendit.

*Reſponſio.*

Reſpondeo, iſtud ipſum, ſi quicquam aliud, Monachos à Laïcis ſeiungere. Nam cum omnes communi nomine Clericos, Canones comprehendant, licet ingens ſit inter Sacerdotem & Oſtiarium vel Tonſuratum intercapedo; quidni oppoſitos communi pariter nomine Laïcorum complexa eſt Eccleſia? Cur perpetua formula legitur, *ſi ſunt Monachi, vel Laïci*, disiungente particula, ſi Monachi ſunt Laïci? Cur ergo parem cum Laïcis pœnam ſubeunt, ſi Laïci non ſunt? Memineris ex ijs quæ ſupra prolixè diſputauimus, duplicem eſſe communionem, alteram precibus tenus, alteram in ſacræ ſynaxeos perceptione. Vtranque Clericus miniſter ſeiunctam habet à populo; ſatiſque pœnæ viſum eſt, ſi ad Laïcos detruderetur, ſuperiore gradu deiectus. Orationem verò Monachus proximè populum nullo velo ſeparatus; ſacrorum participationem, cum Clero communem habet: neque ſi peccet, iuſta videtur pœna in ſola ſynaxi eum à Cleri conſortio, in Laïcorum ſocietatem compellere, quibuſcum orare ſolet. Fuit igitur ſpectabilior animaduerſio adhibenda, & penitus à ſacris remouendus: quo ſupplicio quia maius nullum eſt, idem in Laïcum decernitur, non ordinis æqualitate, ſed pœnæ magnitudine. Hoc tamen notabimus, in Concilio Romano ſub Felice III. in cauſa lapſorum Africanorum, id ptiuilegium ſolis Epiſcopis, Preſbyteris, Diaconis concedi; reliquis inferioris ordinis Clericis, cum Monachis, ſacris Virginibus, & ſecularibus ad Audientes, & Pœnitentes, & Communionem ſine oblatione ex æquo amandatis, vt habetur in Synodica eiuſdem Felicis epiſtola; quod argumento eſt, illa pœnitentiæ forma probari non poſſe, Monachos à numero Clericorum excludi.

*Seiunguntur Monachi à Laïcis.*

*Cur Monachi eadem pœna afficiantur, qua Laïci.*

*Ea non probatur Monachos excludi à numero Clericorum.*

*Concil. Rom. ſub Felice 3.*

*Vltima obiectio è forma loquendi Canonum.*

Poſtremò ſi vrgetur importuniùs Conciliorum omnium, & totius Eccleſiæ ſenſus, eos qui ſunt in Canone, qui in Clero, qui in catalogo, nomine vno Clericos ſæpe nominantis, abſque vllo ad Monachos reſpectu; quod in Canonum lectione verſatis manifeſtum eſt: vnde facilè deducitur, publica Eccleſiæ voce Monachos Cleri ſignificatu non inuolui. Fatebor ego Canones vt plurimùm ſcribi Clero miniſtranti, rariſſimè Monachis; quoniam ipſi ab hominum ſocietate diuulſi, vrbanas non frequentabant Eccleſias, nec iiſdem peccádi illecebris, vel opportunitatibus irretiebantur. Eos ergo non reſpectabant boni Præſules, quoniam in vita ſimplice & innocenti, nihil erat, quod

*Reſponſio.*

cenſura feriret: communes autem Clericos in officio ſuo continere fragilitas humana cogebat. Quod cum frepuentiſſimè alijs ſuper alia decretis fieret, euenit vt occupata phantaſia, totam ſe in illorum Clericorum ſignificatione defixerit, quæ ſola iterabatur. Eam autem ſi mihi creditis, ratio corriget & auctoritas. Nam cum in S. Dionyſio duplicem legatis conſecrationem, primariam, eorum qui ſanctitatem in alios refundunt: alteram, eorum qui ſeipſos diuinis contemplationibus perficiunt, alienam ſalutem externis actionibus minimè promouentes: ſciatis autem quod tu, Hallier, ex S. Hieronymo producis, quod omnes in Gratiano legimus, homines omnes diuino mancipatos obſequio, deditos contemplationi, Clericos eſſe, Dei ſortem; & ſorte Deum poſſidentes, quis cæcitatis & inuidiæ poterit crimen auertere, ſi præfractè tueri pergitis, prima tantum conſecratione, non ſecunda Clericos fieri; iſtos non eſſe de ſorte & hæreditate Domini, inter illos & Laïcos non magis intereſſe, quàm inter perfectos, & imperfectiores Laïcos? Cumque Religioſos ordines, quos factitios appellatis, inſtituere potuerit Eccleſia Contemplatiuos, actuoſos, mixtos, militares, xenodochijs, captiuis recreandis natos: edicite amabo cur tanto opere reformidetis agnoſcere, conſecrari ab Eccleſia duas Clericorum ſpecies, alteram ſibi, alteram alijs præterea vacantem? Proferte rationem à ſtudio contentionis diuerſam, cur Oſtiarius & Pſalmiſta, & Pollinctor, & linguæ Græcæ in Latinam Interpres, eo ipſo quòd ad id officij ab Eccleſia & Hierarcha conſecrati ſunt, Clerici dicantur, & ſint: Monachi autem ad contemplationem, ad pœnitentiam pro fidelium peccatis, ad preces publicas pro Eccleſiæ communi bono, ritu ſolenni, Hierarchica auctoritare conſecrati, à gradu & nomine Clericorum diſturbentur?

*Duplex in Dionyſio conſecratio.*

*Duæ Clericorum ſpecies.*

---

*RELIGIOSOS CLERICORVM ORDINES EX inſtituto ſuo ad Hierarchiam Ordinis pertinere, fatentur Aduerſarij.*

## CAPVT VIII.

CLERICORVM Regularium & inſtituta & ius ad Hierarchiam, libro huius operis quinto fusè explicata, inutilem nobis repetitionem offerunt, & diſſertationem ſuperuacuam, ad ante dicta remittendam. Vt tamen ſaltem ex veſtigio, nobilem huius diſputationis partem agnoſcamus, pauca in curſu libanda ſunt in hunc locum reſeruata, quibus aduerſariorum ipſorum conſentiente voluntatè vtimur.

Profitentur enim liberè, Clericos Regulares, inſtituti ſui virtute, nomen ſuum implere, vt omnes Clerici & habeantur & ſint. Certè aduersùs illos non pugnabit Hallier, quãdo multis, quod neceſſe non erat, monſtrauit, iam à primis temporibus *Clericali ordini aduexam fuiſſe vita regularis obſeruantiam, imo & veluti debitam.* Hoc eſt enim fateri Clericos, & Canonicos, eſſe Regulares: atque adeò Clericos Regulares eſſe Clericos, & vt ſic, in Hierarchia Ordinis collocandos.

*Clerici Religioſi ad Clerum pertinent.*

Hallier in vih. p. 468. Ibid. 471.

Aurelius autem veritus ne in re perſpicua minimè ſibi credatur, duorum *De Canoni-*

*cis Regularibus Aurelius pag. 345.*

Idem pag. 409. *vbi in citando praeceps.*

locupletiſſimorum teſtimonio Hugonis Victorini, & S. Thomæ, declarat *Ordini Canonicorum Regularium per ſe competere, vt ſint Clerici Religioſi.* Auctoritate etiam ſummi Pontificis, probat eoſdem *natura & inſtitutione ſuâ iam Clericos eſſe debere, quando vitam regularem profitentur.* Pontificem illum in textu Pium II. verè nominat: in margine autem Sixtum præcipitanter ſcribit, & *Bullam* 72. numerat, quæ reipſa eſt 75. Sed id in homine iſto leue eſt, niſi Ieſuitas aliqua deturpet calumnia, non incommodè hoc loco reuincenda. Suarem enim ſubſannat, *qui Canonicos, à Canonicatu, ſeu præbenda dictos putauit.* Quem & in margine citat *Tom. 4. de Relig. l. 1. de variet. Relig. c. 9. n. 6. & 7.* & ſubiungit inſultans, has eſſe *ſupinas hallucinationes, quas homini huiuſmodi rerum vel mediocriter callenti, diſijcere nihilò grauius eſſe poteſt, quàm paleas ſtipulaſque difflare.* Indignum eſt, Lector, à perſonato iſto Grammatico, patientiam tuam modis omnibus tentari, & quod vel oculis falſi poſſis arguere, tanta verborum arrogantia venditari. *Paleas* ſine dubio, & *ſtipulas* præ ſe homines omnes putat, à prophetico Behemoth inſpiratus, qui *reputat quaſi paleas ferrum, quaſi ſtipulam æſtimat malleum, & deridet vibrantem haſtam.* Quid? tam eſt tatus Suaris ille tomus, vt reperiri non poſſit? tam nos cæci omnes, vt notatum tam accuratè, tam diſtinctè locum claro ſaltem meridie legere non poſſimus? Ad oculos enim prouoco, & ſi quid mihi Lector, ſi veritati, ſi iuſtitiæ amas concedere, oro te atque obteſtor, vel ad momentum temporis librum ſume in manus, locum cònſule, vtrunque numerum, ſanè breuem percurre, & poſtquam frontem tuam indignatus percuſſeris, infamem literam in fronte ſycophantæ, charactere nunquam obliterando imprime. Leges enim hæc in Suare.

*Inſignis Petri Aurelij in Suarem calumnia. p. 407.*

Iob. c. 41.

*Suaris ipſius verbis reuincitur.*

*Si primam originem & vſum huius vocis, Canonicus, ſpectemus, nihil aliud à principio ſignificaſſe videtur, quàm Clericum ſub regula viuentem, & communem vitam, Apoſtolorum more, cum alijs in Eccleſiaſtico collegio obſeruantem, vt notant Couarruuias. Nam Canon Græcè, regulam ſignificat, vnde Canonicus dictus eſt Clericus regularem vitam ſequens.* Vides nominis etymon, & rei definitionem, ſine vlla *præbendæ* mentione. Deinde Clericos ait, alios priorem ſtatum retinuiſſe, qui ad priorum differentiam Canonici dicti ſint. *Poſtea verò ipſi etiam Canonici vitam illam communem relinquere cæperunt, & proprias Canonias, & præbendas inter ſe diuidere, Canonicorum nihilominus retento nomine.* Hoc qui dicit, putat-ne Canonicos à præbenda vocatos? Sed pergit. *Et ideo illi Canonici, qui in Religioſa & communi vita permanſerunt, Canonici Regulares dicti ſunt, non propter ambitionem, vel ignorantiam, vt calumniatus eſt Ludouicus Viues: ſed propter neceſsitatem determinandi ambiguitatem vocis, Canonicus.* Vbi eſt Aureliana calumnia Canonicos Regulares à Cánonicatu dictos? Addit ſcriptor. *Iam enim abſolutè ſumpta, non ſignificat Regularem aut Religioſum, ſed quemcunque habentem Canonicatum ſeu Canoniam.* Et tamen auctore Aurelio *Canonicos Regulares à Canonicatu dictos putauit Suares.* Faxit Deus vt multas eiuſmodi ineptias, quod promittis, patefacias, quæ in caput tuum & infamiam recidant.

*Male ab Aurelio mens Pontificis explicata.*

Vnum hoc etiam in tranſitu moneberis, te Pontificis mentem Pij IV. in ſuperiore de Canonicis Regularibus dicto, neutiquam aſſecutum. Vis enim illos Clericos iam eſſe debere, quando vitam regularem profitentur; hoc eſt, iam Clericos factos ad regularia vota accedere. Id non dicit Pontifex: ſed ſtatim ab emiſſa profeſſione ad Clericalem tonſuram & ordines Eccleſiaſticos eſſe admouendos. Nos enim ipſi nouimus pium & venerabilem eius inſtituti

Religioſum,

Religioſum, nunc Sacerdotio inſignitum, qui priùs ſolennia profeſſus eſt vota, quàm ipſa Epiſcopi chriſmatione fuiſſet in fronte ſignatus. Hunc ſi putas extra inſtituti ſui naturam vota nuncupaſſe, ſi cæteros qui nondum in Clericos attonſi fuerint, ex natura & inſtitutione Clericorum Regularium, negas vitam regularem profiteri poſſe, vide reparator antiquarum patientinarum, Aureli, quàm vaſto hiatu noua Religionis clauſtra patefacias, quàm facilem apoſtatis exitum præbeas.

---

## *RELIGIONES QUÆ AD DOCENDUM ET prædicandum inſtitutæ ſunt, ab Hierarchia Ordinis excludi non poſſe monſtratur.*

## CAPUT IX.

NIMIS facilem de ſe victoriam dent Antiregulares, ſi in Clericis & Canonicis Regularibus perſpicua veritate conuicti arma ponant, & ab animo ſuo impetrent, ne ſint nobis in poſterum importuni. Cæteros igitur recentiotis in Eccleſia originis objiciunt, Ordines Mendicantium, quos cum ad docendum & prædicandum inſtitutos fatentur, mira cæcitate non vident hoc ipſum à ſe affirmari, quod negant. Sic enim pro eis diſputo. Ordines ij qui ab Eccleſia, eiuſque Principibus ad eum finem eriguntur, inſtituuntur, ordinantur, vt ſalutem aliorum per actus Hierarchicos ſacris ordinibus adiunctos procurent, ſunt per ſe, ex inſtituto & fine ſuo in Ordinis Hierarchia: Eiuſmodi ſunt Mendicantes, præcipuéque Ordo ſeraphicus S. Franciſci, & Apoſtolicus Prædicatorum: Ex fine igitur & inſtituto ſuo ab Eccleſia in Hierarchia Ordinis conſtituuntur. Quid hic vobis dubium, ô boni? Aſſumptum? lumina Theologiæ D. Thomam, & D. Bonauenturam conſulite: ego quid deſcribam ex toto, vel quam ex illis partem ſeligam, cum omnes vos crucient & cruentent?

*Religiones Mendicantium pertinent ex inſtituto ſuo ad Hierarchiam Ordinis.*

De propoſitione autem quid? Nam io ea finem cum annoto, rerum moralium naturam totam & eſſentiam profero: hunc ab eiuſmodi Ordinibus finem tolle, illos in particulari Ordines ſuſtuleris, qui non tantùm commune id habent quòd Religioſi ſint, ſed illud etiam priuatum, quòd ad talem finem ordinati. Ac licet eum actu non efficiant proximè, ad eum tamen actu ſemper ordinantur, & remotè ſaltem efficiunt, quatenus ſe ad efficiendum diſponunt. Actus ipſos Hierarchicos mihi conſidera, proüt ab Hierarcha proficiſcuntur, vt Baptiſmum, frontis Chriſtianæ conſignarionem, verbi diuini prædicationem, nonne ij natura ſua, & tota eſſentia ad aliorum perfectionem ordinantur, ſiue quis illos actu exerceat, ſiue reſideant, vt ſic dicam, otioſi? Idem puta de Ordinibus qui ad eum ſcopum collineant. Niſi forte ridiculè dixeris, quod ego noui qui credat hominem inficetum, id genus Religioſos tum temporis ſolùm eſſe in Hierarchia, cum actu ſacta celebrant, cum autem pœnitentibus reipſa commodant, in ipſo ſacræ concionis exercitio: nempe vt eò ſublimiùs in Hierarchiam euadant, quò ſuggeſtum excelſius, aut altare conſcenderint. Nam volatica hæc & deſultoria ſi admittitur

*Ad finem Hierarchicum inſtituta ſunt.*

*Ridicula explicanda Hierarchia ratio.*

Hierarchia, eadem ſanè lege neque Papa ſi dormit, neque Epiſcopus ſi conuiuatur, neque Parochus ſi pila ludit, eo temporis puncto eſſe in Hierarchia cenſebuntur. De his tamen Religioſis, aueo ſcire quid cenſeat Franciſcus Hallier.

*Hallier ipſe ſibi contradicit. in vin. p. 413*

*Nulla Religiones*, inquit, *etiam ex qua ad prædicandum, & docendum inſtitutæ ſunt, poteſtatem tribuunt ſacra obeundi, aut ius aliquod ad Eccleſiæ gubernationem concedunt.* De cane reſpondes, rogabam de gallo. Non dant, inquis, actu poteſtatem Iuriſdictionis; quis hoc vnquam fieri ſomniauit? Dic idem de ordine, ſi potes: Non dant actu ius ad Ordines? medium ad inſtituti ſui finem, non habent Ordines ſacros, & ea quæ illos vel per ſe, vel ex commiſſione ordinariè conceſsâ ſequuntur? Audi te ipſum, & titulum tuum conſule. *Religiones*, inquis, *quæ ad docendum, aut ſimiles actus inſtituuntur*; iam fateris inſtitutum & finem, quid deinde? *Non pertinent ad Hierarchiam ſacrarum actionum.* Heus quid ais? Sunt inſtitutæ ad actus Hierarchicos, & tamen non pertinent ad Hierarchiam actionum? Terebra facta eſt ad perforandum, ſecuris ad ſecandum fabricata; & tamen inter ea quæ perforant aut ſecant non reponuntur, ius ad inſeruiendum tali in officio factori ſuo abrogas, actu idoneam eſſe ad actum ſcindendi, aut perforandi, quando ab operante mouebitur, inficiaris? Purgationis Hierarchicæ actus inſtituuntur ad ingenerandam in aliorum animis puritatem; ipſi tamen in eorum numero non ſunt, quæ puritatem efficiunt? Docere & prædicare ſunt actiones ſacræ, ad quas Religiones ordinantur, quæ tamen in illarum actionum Hierarchia non ſunt? Feliciter ſanè: perge ſodes.

*Religiones ad actus Hierarchicos inſtitutæ, ſunt Hierarchicæ.*

*Religiones illa aunt ius ad ordines ſacros.*

*Nec profeſſores ſuos*, ordinatos ad docendum & prædicandum, *in ea Hierarchia quæ eſt myſtarum collocant.* Qui ſunt illi *myſtæ?* quid iſtud *collocant?* Ais-ne eo ipſo quod Religioſum ſtatum profitentur, non eſſe actu Pontifices ſummos, Antiſtites, Parochos, Archidiaconos, qui ſunt Myſtæ Iuriſdictionis? Quæſo te, ne nos ad Hierarchiam reuoca iam ante euolutam; illa nobis ampliùs in quæſtione non eſt. Hoc ergo mauis, ipſam meram profeſſionem Religioſi ſtatus, Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos, & minores ſacrorum miniſtros, qui ſunt Myſtæ Hierarchiæ Ordinis, non efficere. Quis enim id affirmat? nam hoc ſi ſit, omnes Religioſi ordinibus illis præditi forent, & ad eos noua Epiſcoporum conſecratio non requireretur. Id ergo dicas oportet, cum myſticis tuis *myſtarum collocatorum* nominibus, ſolam & nudam per ſe Ordinis aut Clericalis, aut certè ad docendum & prædicandum ordinati Religionem, non exigere, non dare ius *profeſſori ſuo* ad ſuſcipiendos ſacros ordines, & illis perceptis ad efficienda & exercenda ea, quæ ipſis neceſſariò comitantur. Ego penitus contrarium contendo; tu quantumcunque gyres & rotes, negare non potes. Nam vt res naturales ſuopte pondere in finem inclinant, & quantùm licet, feruntur: vt corpus quod mouetur, non priùs quieſcit, quàm terminum attigerit; ſic Ordines iſti naturali, vt ſic dicam, impetu, in eum finem ad quem ſunt conditi, & naturalia media tendunt: & ſi quidem interiectis obicibus prohibentur, vis ea eſt naturæ contraria, præter eorum eſſentiam, & inſtituentis Eccleſiæ voluntatem. Neque mihi concites inuidiam ex Myſtæ nomine, & actibus Hierarchicis. Ego Iuriſdictionem non appeto, ad quam rapis omnia: horas dico Cano-

nicas

nicas, publicas priuataſque preces, incruenti ſacrificij celebrationem, & eiuſmodi cum ordine coniuncta, ad quæ Clericales ordines per Ordinem deſtinat Eccleſia.

*Cur Eccleſia Religiones ad prædicandum inſtituerit.*

Velim namque mihi explicari hoc loco, ſi tota noſtri libri quinti diſputatio iam fugit memoriam, quid illa conſilij ceperit, vt præter Monachos aliam ſtatus Religioſi formam induceret, niſi vt vtrinque Regulares haberet, qui ex inſtituto ſuæ, qui & alienæ perfectioni non minùs ex inſtituto inuigilarent? Illis ergo ſolitudinem, his communiorem inter homines conuictum; illis agitationem mentis circa diuina, his cum contemplatione actionem; illis vitam aliquando ab altari remotam, his ordinum ſacrorum miniſterium ſapientiſſima moderatrix indulſit. Et quemadmodum illis accidentarium eſt (vt aduerſarijs iam conceſſimus) ad ordines promoueri Eccleſiaſticos; quia ij propriæ perfectioni acquirendæ neceſſarij non ſunt: ſic ex aduerſo iſtud ipſum his eſſentiale eſt, vt vocant, quia ad curandam aliorum ſalutem neceſſarium. Itaque habent hi ex inſtituto, quo illos carere volunt ex inſtituto: vtrique Religioſi, quos ſi præciſè ſic inſpicis, neque ad ordines deſtinas, neque ab eis abducis: ſed prout hunc vel illum Religionis ſtatum amplexantur.

*Alia obiectio ex Hallier in vin. p. 414.*

Clypeus hic eſt quo Halleriana tela ſine ictu reddantur, alia tamen iaculatur, ſatis imbellia. Quod ſtatus, inquit, Religioſus profeſſoribus ſuis tribuit, omnibus tribuere debet: at eſſe de Hierarchia Hierarchizante; non omnibus concedit Religio etiam Clericalis; nam in ea fratres Laici & Moniales reperiuntur, quibus ſacris ordinibus interdictum eſt; imo neque Sacerdotes ipſi ad prædicandum, vel confeſſiones audiendas indifferenter omnes à Prælatis adhiberi debent, vt monet D. Thomas. Eſſe igitur de Hierarchia Hierarchizante Religio ipſa non concedit. Eandem incudem bis tundit Aurelius, modò nobis illos ingerens, qui *multis annis emiſerunt vota, priuſquam Clericalem gradum, tonſuram-ve ſuſceperint*: modò noſtros cum illis *Laicos ſeu Coadiutores* coniungens *qui eandem cum alijs eſſentiam Religionis poſſident*. Quò minùs appareat tolerabilis hominis iſtius iniuſtitia, qui ſibi non ſemel, qui ſocio ſuo Halliet licere velit eadem vti argumentatione ad euertendam Clericalium ordinum dignitatem: nos autem rideat, qui in eadem aſſerenda eandem inculcemus rationem à fine ductam: cui quia nihil habeat ſolidi quo ſatisfaciat, ad contumelias more ſuo digreditur. Quibus non conceſſis,

*Et Petro Aurel. pag. 409. & 470.*

*Reſponſio: In Religione Clericali omnes ſunt Clerici.*

Reſpondeo ad argumentum à Theologo formatum. Religionem Clericalem alumnis ſuis omnibus Hierarchiam ordinis Hierarchizantem donare, ſed non æquè omnibus, ſecundum analogicos gradus, quos in Hierarchia ſcimus numerari. Nam ad eam præcipuè pertinent Epiſcopi, minùs præcipuè Preſbyteri, minùs etiam Diaconi: ſic deſcende ad vſque Tonſuratum, & Pſalmiſtam, & Laborantem: quibus tamen per Eccleſiam licet eſſe Clericis. Cumque illa ordinatiſſima diſpoſitio, ad Sacerdotium ſeu ſacrificium, tanquam ad centrum lineæ, perducatur: nemo cogat Clericos omnes Sacerdotes eſſe, aut qui Sacerdotes non fuerint, nihil ad ſacrificium conferre cenſeat: ſuo enim modulo iuuat Oſtiarius, ſuo Acolythus, licet ad altare cum Sacerdotibus & Diaconis facienti Pontifici non aſſiſtant. Idem puta de Religioſis, de quibus modò certamus; vnum agunt omnes,

ad vnum tendunt, ſed vijs medijſque diuerſis. Fratres Laïci Canonicorum Regularium, Canonici Regulares ſunt, non quà obeunt Eccleſiaſtica munia, ſed quà obeuntes adiuuant. Sic Diaconi Hierarchiam eandem cum Apoſtolis tenebant, quatenus menſarum & egenorum ſolicitudine Apoſtolos ſubleuabant. Sanctimoniales Canonicæ, Canonicæ ſunt, orant, pſallunt, caſtimoniam ſeruant, licet inter eas nullæ Diaconiſſæ conſecratæ ſint. Sic Laïci noſtri, & Scholaſtici approbati, veri ſunt Religioſi, vt fatetur Aurelius, & non vagè, vt ex Lunæ concauo, ſed huius priuatim Ordinis. Et alij quidem Hierarchizantes adiuuant, alij vel ad id muneris ſe comparant, vel etiam ſuo illud modulo exequuntur: docent, concionantur, etiam prima tantùm tonſura inſigniti, ex Pauli III. & Gregorij XIII. conceſſione. Non abſimili modo monſtrauimus antea ex Emmanuele Roderico, in hac eadem Societate noſtra, omnes eſſe Mendicantes; licet ſolæ Profeſſæ domus, & Profeſſi in eis mendicato viuant. Quis autem mirari ſatis valeat noſtrorum anguſtias ingeniorum, quibus ad Hierarchiæ nomen, tantùm obuerſatur concionandi, & confeſſionum audiendarum officium; & quidem ordinarium, quaſi actus Hierarchicos prætetea nullos habeamus: aut in Religioſis ordinibus ad aliorum ſalutem inſtitutis, qui concionari neſciunt, aut pœnitentibus aures præbere non poſſunt, ad eas Religiones minimè pertineant? Equidem exercitum cum concipio, Duces, Tribunos, Centuriones, milites, machinarios, foſſores, lixas, calones cogito: & iſti licet arma non tractent, ita tamen exercitum complent, & victoriam faciunt, vt ſine ipſis pugnari non poſſit.

*Paul. 3. Bulla, Cū inter. ann. 1545. Gregor 13. Bulla, Vigore priuilegii. an. 1584.*

*Aduerſary ad Hierarchiam iuriſdictionis trahunt omnia.*

*Tertia obiectio ex eodem Halliero.*

Deinde ſic obijcit Theologus. Nullus ſtatus acquirendæ perfectionis pertinet ad Hierarchiam agentem, ſed tantùm ad patientem: atqui cuiuſlibet Religionis ſtatus eſt acquirendæ perfectionis; nullus igitur eſt in Hierarchia Hierarchizante, ſed tantùm in Hierarchizata.

*Reſponſio.*

Ezechielis animalibus facies quatuor Deus indidit, Religionibus iſtis duas Eccleſia, quas nullus aduerſariorum obſcurabit. Aliam in ſe, aliam obuertunt ad proximum: quà ſibi ſtudent, patiuntur; quà cæteris, agunt. Nam in perfectionis mercatu non ſunt tam inopes, vt nihil acquiſierint; hoc alijs erogant; futuri liberaliores, cum plura poſſederint. Diſcipulum & magiſtrum, patrem & filium, dominum & famulum, Principem & ſubditum diuerſo reſpectu vidiſti neminem? Deus ſancte quid agimus: De ipſis Hierarchiæ principijs adhuc diſputamus. Da Hierarcham qui non patiatur vt agat. Supremi Angelorum à Deo, infimi à ſuperioribus, homines ab Angelis, Preſbyteri ab Epiſcopis, Diaconi à Preſbyteris: Centurionem Euangelicum nobis S. Bernardus exhibet, *qui dedit priùs honorem præpoſitis, vt iam à ſubditis iuſtè reciperet, ſciens ſe à ſuperioribus accipere quod impenderet inferioribus*: Et hæc ipſa eſt Hierarchiæ ſeries ordinaria, perfici à ſuperiore, vt inferiorem perficias. Sed agere debet, inquis, qui Hierarchizat, poſtquam paſſus fuerit: Religioſus autem nunquam. Quis Religioſus? Clericus-ne qui ordinatus eſt & *inſtitutus ab Eccleſia ad docendum & ſimiles actus?* Quò igitur poteſtas illa ſi vti non debet? Quò Eccleſiæ inſtitutio, ſi eſt inutilis? Quid denique grammaticis omnibus iudicibus, eſt *inſtitui ad docendum & ſimiles actus*, ſi ex inſtituto nihil poteſt agere? Pace dicam tuâ, perturbas hic multa Theologe, Poteſtatem in actu exercito, cum potentia ad actum, aptitudinem cum actu, debitum cum exercitio

*Omnes in Hierarchia patiuntur, vt agant.*

*Bernar. ep. 42. ad Henric. Senon.*

citio, Religioſum in genere ſtatum, cùm hac peculiari Religioſorum ordinum ſpecie commiſces. Quæ omnia ſic euoluo, & ſententiam tibi meam explico, quam in confutatione hinc hauries, quemadmodum ego tituli tui verba ipſa percenſui.

Religiones dico quæ ad docendum, & ſimiles actus inſtitutæ ſunt ab Eccleſia, non habere actualem Iuriſdictionem ex ſe, & ſine delegatione: ſed eſſe aptas proximè, & habere actu ius ad eam delegationem, & eos ordines quos illa requirit: & ſi quando illos ordines, & illam delegationem actu exercent, id facere ex inſtituto, non vt Religiones, ſed vt tales, & ad talem finem ordinatas. Vnde vlteriùs concludo, eas per ſe, & ex inſtituto ſuo ad Ordinis Hierarchiam pertinere.

*Colligitur ex dictis vera ſententia.*

---

## *PRIVATA CVM PETRO AVRELIO DE Societate Ieſu velitatio.*

## CAPVT X.

OFFENDIT Aurelium auctor Spongiæ quòd *de Societate Ieſu ſeorſum egerit: ſatis enim ſuperiori de Regularibus ad docendum inſtitutis paragrapho continebatur.* Is ſi Ieſuita eſt, non Canonicus: dedit hoc caritati in ſuum ordinem, vt minimùm tolerandæ: ſi Canonicus eſt, non Ieſuita; cepit eum illius ordinis commiſeratio, qui potiſſimùm impetitur. Quiſquis autem ille eſt, & nobis, & Aurelio plurimùm commodauit: huic quidem, vt in *familiam ſingularem & principalem*, *in Ieſuiticam vanitatem* declamaret: nobis verò vt commotum ſpectaremus Aurelium, & ad Romæ nomen, & *Romani Prælati teſtimonium* renidentem. Me autem quo ſupercilio excepturus ſit non quæro, de Societate noſtra ſeorſum agentem; idque ipſe fortaſſe ſibi magis moleſtum, quàm mihi neceſſarium iudicabit. Quanquam erit vt ſpero ſedatior, ſi ſuis eum verbis alloquar.

*Petr. Aurelius ægrè fert tractari de Soc. Ieſu. pag 464.*

Scis Aureli, *ab Synodo Tridentina dictos eſſe Religionem Clericorum*; *à quodam etiam Pontifice in priuata Bulla, Clericos Regulares.* Ille *quidam Pontifex* Gregorius XIII. eſt, quem mox nominas paulò vrbaniùs: *Priuata Bulla* incipit *Ex ſedis Apoſtolica.* Et iucundum eſt audire Tridentinum. *Per hæc tamen ſancta Synodus non intendit aliquid innouare aut prohibere, quin Religio Clericorum Societatis Ieſu, iuxta pium eorum inſtitutum, à ſancta Sede Apoſtolica approbatum, Domino & eius Eccleſiæ inſeruire poſſit.* Vbi eras Aureli, quod non interceſſeris cum hæc ſcriberentur? Sed, *quæ à Concilijs obiter, & in capitulis referuntur*, inquit, *fidem vt Canones non faciunt.* Vmbram fugit ſuam hic homo: timet ne fide diuina credere cogatur Ieſuitas eſſe, *Religionem Clericorum*, eorum *inſtitutum pium, approbatum*, *Eccleſiæ & Deo inſeruire.* Hanc ego diſputationem miſſam facio, & in humana credulitate hæreo. Id quod retuli dicunt Eccleſiæ Principes, ex Europa vniuerſa in Spiritu Sancto legitimè congregati, quibus de hominum doctrina & moribus iudicium ferendi ſuprema auctoritas eſt: qui omnes huius ſeculi hæreſes ingenij ſolertia deprehenderunt, ſcientiæ magnitudine damnauerunt, fidem Catholicam Sancti Spiritus afflatu exi-

*Societas Ieſu Religio Clericorum.*

Aurel. p. 408.

Gregor. 13. Bulla Ex ſedis Apoſtol. ann. 1573.

Concil. Trid. ſeſſ. 25. c. 16. de Regul.

*Petr. Aurel. Concilio Trident. timet credere.*

miè declarauerunt. Ex aduerſo vnus quidam Petri Aurelij Theologi ementito nomine, Ieſuitas *hereticos, ſchiſmaticos, coniuratos, perfidos, ambitioſos, Luciferi æmulatores*, *lucri appetentes* vocat. Patieris, virorum optime, pluris à nobis fieri plures, Deus immortalis, quales viros!

*Societas Ieſu ad Eccleſiaſtica munia deſtinatur.* Aurel. pag. 464. Sciſetiam *Societatem Ieſu ex inſtituto ſuo ad Eccleſiaſtica munia deſtinari.* Non eſt igitur vnde miteris eos Monachorum nomen ſibi non atrogare, contentos Religioſorum Clericorum nuncupatione, qui diuerſum à Monachis ſequuntur inſtitutum. At profectò neſciebas cum ea ſcriberes, quanta in aduerſarios liberalitate vtereris. Vide enim quid ſit *ex inſtituto ad Eccleſiaſtica munia deſtinari.* Id ſignificat, & concedis, eſſe Religionem ordinatam & factam ad Eccleſiaſticas functiones obeundas: hanc eſſe eius ordinis eſſentiam, & naturam: ſublata illa deſtinatione eam Religionis ſpeciem ab Eccleſia exterminari. *At non proprio iure, ſed poteſtate ab Eccleſiæ Prælatis humaniter & indulgenter accepta.* Verè quidem poteſtatem actualem ab Hietarchis accipiunt, nonnunquam & à *minoribus Epiſcopis*, qui Parochi appellantur: ius ad poteſtatem, ab inſtituto per Hietarchas approbato. Quod licet ſubtiliùs ſit dictum, quàm vt Grammaticus Aurelius percipiat, eſſe tamen Theologo non debet obſcurum.

*Societas Ieſu ad Clericatum voto obligatur.* Aurel. p. 4'9. Scis prætetea illos *ad Clericatum, aut Sacerdotium votis obligari.* Votorum igitur ſuorum obligationi non priùs ex omni parte ſatisfecerunt, quàm ſint actu Clerici, aut Sacerdotes. Votis igitur ſuis, hoc eſt, *ipſo ſtatu, & ipſa inſtituti ſui profeſſione,* perfecta & numeris ſuis abſoluta, *ſunt reipſa tales*: quod tamen negas: & qui *reipſa tales* non ſunt, quales ij *qui nondum Clericalem gradum, tonſuram-ve ſuſceperint*, nondum ad ſtatus & inſtituti ſui perfectionem peruenerunt, quod obijcis. Nam Scholaſticorum approbatorum gradus apud nos, eſt quædam ad ſuperiores ordines probatio: in qua quandiu verſantur, non dicunt ex Societate ſe eſſe, videlicet completè & perfectè: atque in ſimplicium votorum nuncupatione (*per quam veri Religioſi fiunt, non ſecus quàm ij qui poſtrema vota emiſerunt, vt auctor eſt Bulla Gregorij XIII. Pontificis*) quarto ſe voto adſtringunt, *eandem Societatem ſe ingreſſuros, vt vitam in ea perpetuò degant.*

Conſt. P. 4. c. 4. in Decla. liter. E. Exam. Gener. c. 4. § 17. Aurel. p. 420. Conſt. P. 5. § 4.

Quod autem dico de Scholaſticis noſtris ad Sacerdotium, aut profeſſionem tendentibus, idipſum Sacerdotij reſpectu *ad Mendicantes omnes pertinet, vt Prædicatores & Minores: cum nihilo minus quàm Ieſuitæ ad Clericalem gradum, & ad functiones Eccleſiaſticas inſtituti ſint, vt ex D. Thoma patet, & ipſa Spongia fatetur.* (Aurel. p. 410.) Nam quemadmodum Chriſtiani ante Confirmationem *non vſque eò perfecti dicendi ſunt, vt nulla eorum perfectioni fieri poſſit acceſſio:* quia *nonnihil intereſt inter rem & rei perfectionem, neque quoſcunque homines dicimus, homines perfectos dicimus, vt infantes in maternis vteris, in cunis, in puerilibus annis.* Et vniuerſe loquendo, *eſt ipſiſſimus error Pelagianorum, & multò poſt Beguinarum, & Beguardorum, poſſe videlicet quempiam in hac vita tantùm perfectionis aſſequi, vt non ſit alius modus vlterioris perfectionis.* Sic is de quo diſputamus Clericus, aut Mendicans *Religioſus, qui non eſt adhuc Sacerdos, nondum venit ad perfectionem ſuæ vocationis. O rem ridiculam Cato, & iocoſam!* Theologus Aurelius incidit in foueam quam fecit. Hæc enim concluſio ex eius doctrina euidenter educta, ſimilitudinibus explicata, auctoritate confirmata, verbis expoſita, eſt ipſiſſima Anglorum propoſitio, damnata per cenſuram, ab eo ſuperiùs relata, ab ſocio Hallier impugnata.

Idem p. 50. Pag. 56. Pag. 49.

*Vnai damnatis à Sacult. Pariſ propoſitionibus, deducitur ex doctrina & verbis Petri Aurelij.*

Cæterùm

Cæterùm quod de Societate noſtra interpoſui, non tantùm eſca fuit vt hamum latentem degluberet Aurelius, ſed etiam argumentum non inefficax ad Spongiam à nobis abiudicandam. Id enim quod protuli, Ieſuitæ nemini obſcurum eſt, quo proinde vti debuiſſet Floydus ad propoſitionem damnatam *abſolutè*, ſaltem in noſtro priuatim ordine comprobandam. Itaque qui ignorauit, qui prætetijt, Loëmelius eſt.

Redeo ad te, Petre Aureli; pauca quæ tibi obtuli, veritas à te expreſſit: alia duo quæ diſſimulaſti, ex Suare audies, cuius te accuratum Lectorem profiteris. Alterum eſt, Societatem noſtram prout à Paulo III. erecta eſt & approbata, eſſe Religionem, non tantùm Clericorum, ſed etiam Preſbyterorum: atque adeo illi eſſentiale eſſe Sacerdotium. Nam cum is Pontifex primis Bullis Ignatium, & ſocios eius, Preſbyteros eſſe dixiſſet, in eoque ſtatu Religioſos feciſſet: *Quarta deinde ſpecialiter concedit facultatem & licentiam, recipiendi in Societatem ſeculares, ſeu Laïcos, in temporale adiutorium. Quod eſt indicium primam approbationem & facultatem Societatis, per ſe ad hoc fuiſſe, vt ex ijs Clericis, ſeu Preſbyteris conſtaret.* Quid igitur appendicem nobis obijciebas antea, vt corpus integrum diſturbares? Idem exprimit Iulius III. *Socij autem omnes cum Presbyteri eſſe debeant.* Hoc indicat ſæpe Gregorius XIII. qui *Presbyteros Societatis Ieſu* appellat. Hoc nos ipſi agnoſcimus, cum Profeſſos votorum quatuor, qui ſummus & præcipuus eſt noſtrorum ordo, dicimus *in vita ac moribus diu probatos, & omnes ante profeſſionem Sacerdotes eſſe oportere.* Docent autem Philoſophi, quos Theologia tua deſpicit, ſummum in vnoquoque genere, eſſe menſuram cæterorum; & totius cuiuſlibet appellationem, à nobiliori parte ſumendam.

*Societas Ieſu eſt Religio Presbyterorum.*
Süar. tom. 4. de Reli. tr. 10. l. 1. c. 5.
Exam. Gener. c. 1. § 8.

Alterum tibi trado, non tantùm in fine inſtituti noſtri, qui tendit ad proximum, ſed maximè in vno ad illum medio, quod ſtomachum tibi mouet, voto Miſſionum ad arbitrium ſummi Pontificis obeundarum: quod nondum concoquere potuiſti. Nam crudum euomis, cum Ieſuitas *legatos quodammodo per totum orbem Pontificios, Epiſcoporum non iam adiutores, ſed collaterales* vocas ſannio faceti ſſimus, licet *nulli ante ipſos natos Religioſi Catholici fuerint, qui gloriari auderent, ſe non eſſe ex inſtituto Opitulationes, niſi Summi Pontificis, ei ſoli, non Epiſcopis, ſubſeruire in Eccleſiæ regimine.* Vides Lector hominis ingenium. Laudabat Loëmelius eas Religiones *quæ ſunt ex inſtituto Opitulationes, & ſubſeruiunt Summo Pontifici in regimine vniuerſalis Eccleſiæ.* Addit hic de ſuo *ſoli*, vt Epiſcopos excludat. Nonne Caluinizat? Nam cum profitentur Catholici fidem iuſtificare, ſubijciunt Caluini aſſeclæ, *ſolam*, & bona opera abijciunt. Id quomodo fiat paucis accipe, ex ijs quæ olim fuſiùs diſſeruimus.

*Votum Miſſionum in Societ. Ieſu deridet Aurelius* pag. 368. 369.

Qui primi Societatem coïerunt, decem numero, ex diuerſis Europæ nationibus collecti, Pontifici Romano *ſuam, & reliquorum operam ad Apoſtolicas præcipuè functiones, citra ſpecioſa tamen honorum vocabula; & dignitates obtulerunt.* Rogabant mitti omnes quolibet. Quis id vnus ex priuatis Antiſtitibus potuiſſet? quis in varias eos ſparſiſſet regiones ad hæreticos, infideles, ſchiſmaticos, niſi qui olim Europæ toti, & maximæ terrarum parti præcones Euangelij tradidit Petri ſucceſſor, & Chriſti Vicarius? Oportuit igitur illos hac in re ab eo pendere, vt Gallus Conſtantinopoli, Germanus in Hiſpania, Luſitanus in Indijs, Italus in Braſilia ex ſupremæ poteſtatis commiſſione poſſent operari. Ac licet omnibus pene à Chriſto nato ſeculis, è clauſtris Religioſis, præcones Euangelicos, ad barbaras nationes Petri ſedes miſerit: nemo tamen

*Quæ ſit eius voti cauſa & neceſſitas.*

eam miſſionem voti Religione publici conſtrictus obire ſe putauit. Quid enim propriè noſtrum eſt, niſi votum, & cæca periculoſaque parendi neceſſitas? Mittimur ad Canadenſes; ſi reluctamur, obſiſtimus, tu fortaſſe obedientiæ, ego voti ſacramento. Mittimur ad Iapones, id eſt, ad certum vitæ diſcrimen. Nemo te volentem eò adigat, contra naturæ ſeipſam conſeruantis formidinem: ego iuri meo ceſſi; eundum eſt etiam ad palum & ſarmenta.

*Votum Miſſionum non ſubtrahit ab Ordinariorum poteſtate.*

Atque hoc Pontificis votum ab Ordinariorum poteſtate me non ſubtrahit, quæ vt profeſſus ſum, naturalis & inſita mihi eſt. Vt enim Religioſa profeſſio & Sacerdotij inauguratio, ita me ſuperioribus Regularibus & Eccleſiæ Prælatis ſubijcit, vt tamen à Regni legibus, & Regis obedientia non reddat immunem; quia perficit naturam gratia, non corrumpit. Sic illud quod ex mera pietate concepi vniuerſali Epiſcopo votum, non impedit quò minùs in particularis Hierarchæ leges tranſeam, niſi quis eximat aliundè. Quare & ab eo approbationem poſtulabo ad excipiendas Exomologeſes, & ad alienas Parœcias, niſi ab eo miſſus non proficiſcar prędicationis Euãgelicæ gratia, & omnibus ordinibus per eum conſecrari curabo. Et id ſciebam antequam Aurelius Concilium mihi Tridentinum citaret ad marginem, quia nunquam alio nos modo geſſimus. Itaque ſupremo Hierarchæ pareo, quantùm ad miſſiones, ex voto; quantùm ad cætera, ex communi fidelium, aut ſi mauis, Religioſorum obſeruantia. Epiſcopo autem & ad miſſiones, & ad alia omnia, ſine voti Religione obedio, prout Clericum & Religioſum decet. Vide igitur Aureli vtrum ea nos obedientia faciat *Epiſcoporum collaterales*, an *ſoli* nos *Pontifici*, ac non etiam *Epiſcopis in Eccleſiæ regimine* moneat *ſubuenire?*

*Votum illud Socios ad Sacerdotium adigit.*

Sic ego paratum iſtud votum incipies concoquere, dum nos ex eo Lectori probabimus, ex inſtituti noſtri peculiari ratione eſſe Sacerdotium. Quis enim illud requiri non videt ad inferendam in ignotas terras religionem, ad Eccleſiaſtica munia ibi exercenda, vbi vix aurea humanitatis veſtigia videbantur? Triginta & amplius leucas ſpiritali regimine tenebit aliquando miſſionarius vnus, ſine opitulatione, ſine vllo laboris ſocio, quomodo pœnitentes Dei gratiæ reddere, reſtitutos ſacro altaris myſterio cibare, morituros extremo inungere oleo poterit non Sacerdos? Eſt igitur tam altè in ordine noſtro inſitum Sacerdotium, quàm votum miſſionum quod ſupremam & ſelectiſſimam Societatis partem facit. Hoc verò det ne nobis ius aliquod in Ordinis Hierarchia, viderint Iudices: negante Hallier *Religioſorum in infidelibus conuertendis & iuuandis animabus operam, ius illis acquiſiuiſſe.* Quamobrem fruere, mi Aureli, Hierarchia: reſide in ſublimi poteſtatis tuæ throno Franciſce Hallier, ex quo humiles Religioſos deſpicias, dum nos contempti, ab Hierarchia exterminati, veſtra peripſemata, Hierarchicos actus per Americam totam ſecundùm votum exercebimus; dum ipſam Barbariam Ieſu nomine, quaſi oleo effuſo, molliemus. Hoc votum Orienti Xauerium dabit, Sinas recludet, regna Iaponum generoſis Chriſti Athletis implebit. Hoc votum Abaſſinos Romano capiti reſtituet, Polonos antiquæ fidei reddet, Græcos Latinis reconciliabit, Anglorum reliquias in Petri nauem coget. Hoc votum glorioſos vbique terrarum Martyres Deo & Eccleſiæ pariet: quod deinde ſi terrenam non merebitur Hierarchiam, cœleſtem, vt ſpero, non inuidebit.

Hallier in-vin.p.494.

## RATIONES OMNES NUMERO DECEM ET *octo, quibus Doctor Hallier probare ſe putat, nulli Regularium ordini deberi Sacerdotium, inutiles, & ad rem minus apta eſſe demonſtrantur.*

## CAPVT XI.

EI HOMINI qui feram in amphitheatrali venatione immiſſis decies iaculis ne attigiſſet quidem, præmium datum ferunt ab Imperatore, quia tam ſæpè errare difficile eſt. Eandem illis puto fuiſſe mentē, qui tuum, Franciſce, opus qua indicas mercede compenſarunt. Nam argumenta, quibus tanquam ſpiculis, aduerſariorum opinionem configere deſtinas, aut a ſcopo longiùs aberrant, aut extremam vt ſummum cutem ſtringunt: vt mirabile ſit aut te tam ſæpe non ferire, aut nihil ferientem adeo pertinaciter in iaculando hærere. Do eius importunitatis in paragrapho vno ſpecimen, & te veſtigijs conſequor: ita tamen vt lapſiones indicare contentus, longiorem alijs explicationem permittam, quæ ſola librum impleret. Ex his enimuerò cognoſces, quid toto in opere dici potuerit. Atque vt in ipſo conflictu breuior ſim; primùm te ſemel remittam, Lector, ad R.P. Coëffetæum pro ſacra Monarchia, aduersùs Antonium de Dominis Spalarenſem Archiepiſcopum dimicantem, vbi plurima noſtri Doctoris argumenta in oratione ſchiſmatici deprehendes. Deinde pauca tantùm velitandi gratia in memoriam tibi reuocabo.

*Turpe eſt à Theologo multas eaque inutilia omnia proferri argumenta.*

Coëffet. adu. Anto. de Domin. diſcuſſ. 12. c. 1. 2.

Itaque rogo te, atque obſecro memineris ſcriptori quidem omni, ſed maximè Theologo, qui preſsè diſputet, ad titulum ſuum oculos ſemper eſſe reflectendos, vt omnium quæ proferuntur argumentorum perpetua & communis concluſio, ſit Titulus. Quiſquis enim aliter diſſerit, extra chorum ſaltat, & à quæſtione propoſita in vanos & inutiles amfractus egreditur. Quamobrem ex omnibus & ſingulis Doctoris rationibus, tanquam præmiſſis, hæc ſemper educi debet conſecutio. *Ergo nulli Regularium ordini debitum eſt Sacerdotium*: quæ eſt paragraphi longioris Epigraphe, rationibus euincenda.

*Ad titulum ſemper reſpectandum eſt.*

Deinde memorem te volo, duplici in differentia Regulares ab ipſo, vt & ab Aurelio agnoſci; alios Clericos, alios Monachos: illos cum Apoſtolis & in Apoſtolis initium ſumpſiſſe; quod licet Aurelius vrbanitate ſua rideat, prolixè tamen loco ſuo monſtratum eſt. Quod igitur de omnibus in Franciſci titulo Regularibus negatur, illud æquè ab vtriſque alienum eſſe debet. Sunt enim Clerici & Canonici Religioſi, non minùs Regulares, quàm Monachi. Quare ſi nulli, certè neque Clericorum & Canonicorum Regularium ordini debitum eſt Sacerdotium. Quod ambigo ſit-ne conceſſurus Aurelius, qui Clericos Regulares tales eſſe actu, ipſa vitæ profeſſione aſſeuerat, & quidem, quod mirum eſt, ſuo meoque ſenſu, veriſſimè.

*Regularium duo genera Clerici & Monachi.* Aurel. p. 406.

Præterea ab eodem Doctore Halliet repetes, Religiones eſſe aliquas ad docendum & prædicandum inſtitutas & ordinatas, quarum proinde, vt & cæterarum natura ex fine pendeat, cui adiuncta ſint media, vt vocant, eſſentialia. Fallor autem tota via, niſi medium illud neceſſarium, quod ex antiquo

*Religiones habent finē & media eſſentialia.*

Eccleſia vſurpauit, ad ſacram doctrinam populo, imo etiam ſacratis hominibus explicandam, eſt Clericatus aut Sacerdotium: cum ea inſtitutio non nudam doctrinæ in concionibus expoſitionem, ſed quorumdam etiam Sacramentorum adminiſtrationem complectatur. Et quamuis in vna prædicatione diuinorum fidei myſteriorum ea conſiſteret inſtitutio, Laïcos tamen homines, nulla Clericatus nota inſignes, ad eam vulgò & communiter admitti, nonne fuerit indecorum?

*Inter Religionem & Eccleſiam mutuum eſt contractum.* Simul etiam & potiſſimùm illud recoles quod dicebamus, pactum inter Religionem approbatam, & approbantem Eccleſiam initum, vt hæc illi finem præſtituat, media ſubminiſtret, illa ijs vtatur, vt ad eum feliciter deueniat. Monuit autem me ſupra Aurelius *votis ad Sacerdotium obligari*. Cur hoc? niſi quia ſine illo ad finem mihi ab Eccleſia præſtitutum peruenire *aduuabo* eſt? Cum ergo talem votorum formam approbauit Eccleſia, Sacerdotium mihi reciproco cõſenſu promiſit. Quod cum non intelligeret admirabilis Theologus idem Aurelius, negauit alibi *vllis votis vel obligationibus ante initis, Antiſtitum Eccleſiæ, aut Eccleſiaſticorum Canonum iura mutari*. Ius enim nulli ereptum, de nouo donat Eccleſia, cum Clericalem inſtituit Religionem, quæ ex natura ſua alios ad ſalutem deducat.

*Aurelius ſibi contradicit. pag. 409 Pag. 344.*

*Non agitur de Iuriſdictione, ſed de Ordine.* Denique illud ſemper animo retinebis, non eſſe modò de Iuriſdictione contentionem, quam nullam habent ordinariam debitam Regulares: ſed de Ordine, ſeu Sacerdotio, ijſque quæ Ordini comitantur. Nam ex mea ipſe lege, ad libri huius titulum reſpecto, inque eo verba hæc video, *de Regularibus in Hierarchia Ordinis*. Iam ergo pedem conferamus.

## *TRES PRIMÆ DOCTORIS RATIONES DE indignis non admittendis expenduntur.*

§. I.

*Habentur hæc argumenta in Vindic. a p. 491. 1. obiect. Indignos repelli à Sacerdotio. Reſponſio.*

SIQVIDEM primus Gallorum impetus pluſquam Deorum eſt, prima ratione proſterni nos, & atteri oporter.

Nullus vnquam Regularis eo iure quòd Religioſus eſſet, Sacerdotium ſibi vindicauit: imo *liberum ſemper fuit Epiſcopis, quos iudicarent indignos ob mores, ob fidem prauam, ob imperitiam, ob Clericorum exuberantem multitudinem, à Sacerdotio repellere*. De quibus loqueris? Clericis Regularibus, an Monachis? Collige: Nulli ergo vnquam Clericorum, aut Canonicorum Regularium Ordini debitum fuit Sacerdotium. Iam cum Aurelio tuo pugnas. *Epiſcopis liberum eſt indignos repellere*. Quos? Ordinem vniuerſum? Cui id Epiſcopo venit in mentem? Quis fecit, quis factum ſcripſit? De priuatis loquor, inquis. At ego in titulo videbam, *Ordinem*. De priuatis indignis quis controuertitur? Quæ eſt hæc conſecutio ab indiuiduo ad ſpeciem; à ſpecie ad genus? Quis ita diſſerat, Priuato indigno non debetur Sacerdotium, ergo nec Ordini? Secularis indignus repellitur à ſuperioribus Ordinibus, ergo & ſeculares omnes Clerici. Permitti non debet indigno Presbytero ſanctiſſimorum conſecratio myſteriorum, igitur & nemini. Vide quantò meliùs mea minerua, tuis pene verbis diſputem. Nullus Epiſcopus dignos vnquam repulit; ergo debetur omnibus. Aut ſi tuo genio neceſſarium fuit argumentum texere, ſic, niſi fallor, ſcribere debuiſti. Nulli

*Malè argumentatur ab indiuiduo ad ſpeciem.*

Ordini

Ordini deberur Sacerdotium, ergò nee priuaro indigno. Sed neſcio quo conſilio conturbare malueris, niſi forre illud à nobis amas intelligi, omnes vulgò in ordine indignos videri.

Quid illud autem eſt, *quos indicent indignos ob Clericorum exuberantem multitudinem*, quod poſteriori opere non vnis tibi querelis locum præbet? Quis Canon, quæ lex, quod reſcriprum Imperaroris, quod ſapientum reſponſum, tale indignitaris genus inuexit? Si tum *exuberans* fuiſſet Pariſienſium Doctorum *multitudo* cum ſacrum pileum expoſtulaſti, ea ne te reddidiſſet *indignum*? Si qua copiæ illius lege fores excluſus à Licentiæ brauio, dixiſſes profectò de illo legiſlatore, quod Tertullianus de Deo deifico Ethnicorum, *Properauit opinor, & cælum ſemel cluſit, & nunc vtique melioribus apud inferos muſſitantibus erubeſcit.* Audio te tamen Franciſce; vbi deſunt aliæ cauſæ, velles Religioſos omnes à Prælatis repelli, prærextu multitudinis: cui enim vſui modo poſſunt eſſe Regulares, qui neceſſarias olim operas suppleuerunt? Crederes id iure, ſi ad ſolam prædicarionem Sacerdotum multitudo conſecraretur. Incruenti ſacrificij, precum publicarum, contemplationis cœleſtis, diuinæ ſcripturæ ſtudij quantum puras eſſe pretium? quantopere his actibus verè Sacerdotalibus Dei gloriam & Eccleſiæ ſanctitatem promoueri? Si omnes quotquot vſpiam ſunr homines, ſi mulieres ipſæ, ſi brutæ animantes, ſi corpora vita & ſenſu carentia, in Sacerdotes mutari, & auguſtiſſimam Euchariſtiam facere poſſent, diceres-ne diuino illi Dei colendi modo infinitos illos miniſtros eſſe ſuperfluos?

*Multitudo Clericorum alios à Clericatu non excludit.*

Tertull. in Apol. c. 11.

Sed nimirum ex antiquo tuo errore, ſolum ſpectas prædicandi, & excipiendarum confeſſionum officium. De illo eriam habeo in S. Bonauentura quod reſpondeam: is à Gregorio magno accipit, vnde Sacerdotum quos quæſtimus raritarem demonſtret. Et ſi vtriuſque ſeculi vitium illud fuit, non ſumus fortaſſe meliores, quàm patres noſtri. *Tanta erat*, inquit, *in aduentu huiuſmodi pauperum prædicantium raritas, vt illud Euangelicum videretur impleri, Meſſis quidem multa, operarij autem pauci. Quod pertractans Gregorius ait. Ecce mundus Sacerdotibus plenus eſt, & tamen in meſſe Dei rarus inuenitur operarius. Nam etſi ſunt qui bona audiant, deſunt qui dicant; quia officium quidem Sacerdotale ſuſcipimus, ſed opus officij non implemus.*

*Multi ſunt Sacerdotes, pauci operarij.*

Bonau. in Apol. Pau. Reſp. 4. c. 3. ex Greg. hom. 17. in Euang.

Do etiam ſi vis, eſſe longè plures modò, quam S. Gregorij, aut S. Franciſci ætare operarios. Vbi tandem *exuberat* illa *multitudo*? Lutetiæ, opinor; nam ca nonnullis eſt totus orbis terrarum. Putas-ne ſuperare viginti tria millia octingentos octoginta, quot Leuitas vni Tabernaculo, vni ſacrificio, vni populo addictos Moſes receņſuit? Poſt hæc quatuor terræ partibus prouidendum eſt. Diffundatur ergo illa quæ Pariſijs *exuberat multitudo* in Canadenſes, Braſilos, Taupinambuceios, Abaſſinos, Sinenſes, Iaponios, Cafres, Mauros, Græcos, Turcas, Perſas, Ægyptios, vt verè & penitus *exuberet*: quantùm poſt tot riuos aquulæ ſupererit in alueo? Ex Iaponia ſcribebat ſuperiore ſeculo S. Xauerius. *Si vulgò exploratum eſſet atque perſpectum, quàm parati ſint Iaponum animi ad Euangelium accipiendum; nimirum & viri docti permulti ſuis ſtudijs finem imponerent, & Canonici Sacerdotes, ipſique Antiſtites, ſua quamuis ampla atque opima Sacerdotia relinquerent*, &c. Et priuatim de ſacra veſtra Facultare; à qua doctrinam hauſerat theurgicam, & Hierarchicorum munerum effectricem. *Complures his locis, ob id vnum modò Chriſtiani non ſiunt, quod deſint qui eos faciant Chriſtianos.*

*Non exuberat Sacerdotum multitudo.*

Ioſeph. l. 3. Antiq. c. 11.

Fr. Xauer. l. 4. ep. 2.

Idem l. 2. ep. 5.

*Mihi verò perſæpe venit in mentem circum Europæ Academias, ac præcipuè Pariſienſem curſare, & inſani ritu paſſim vociferari, eoſque qui doctrinæ plus habent quàm caritatis, his compellare verbis. Heu, quàm ingens animarum numerus veſtro vitio excluſus cœlo, deturbatur ad inferos! Malè meetuo, ne qui tandiu in gymnaſijs ad bonarum artium ſtudia incumbunt, inania honorum ac Sacerdotiorum inſignia magis ſpectent, quàm ipſa munera atque onera, quæ illis ornantur inſignibus. Teſtor Deum, propemodum me deliberatum habuiſſe, quoniam mihi in Europam redire non liceat, ad Pariſienſem Academiam, nominatimque ad Doctores noſtro Corneum & Picardum literas dare, quibus oſtenderem, quàm multa Barbarorum millia ad Chriſti cultum, nullo negotio adduci poſſent, ſi copia eſſet hominum qui non ſua quærerent, ſed quæ Ieſu Chriſti.* Audis Franciſce? Te & Aurelium puta nominati. Quid hic vobis animi eſt? Si tantus in hæreticos ſchiſmaticoſque Ieſuitas zelus eſt, exuberet & in Ethnicos. Nullæ ſunt illic Abbatiæ, Prioratus nulli. Credo. Sed cœlum eſt, non Cleri, ſed Chriſti penſionibus viuitur: ingens *patientium Hierarchia*, pene ſine *agentibus*. Eia fidei vindices: quid hic ſcriptitamus, diſputamus, nugamur? Laboremus. Iam mihi ſi dignamini vel comiti vel aſſeclæ veſtro, votum eſt pro viatico, baculus pro vehiculo, petaſus contra æſtum, Breuiarium pro ſupellectile. Non aliter Xauerius ad mercimonium ſanctitatis Lutetia primum, deinde Roma exijt. *Surgite eamus.*

2. obiect. Dignos eligi.

II. Altera tua ratio hæc eſt. Religioſi ſuperiores ad Sacerdotium ex ſuis Epiſcopo ſemper quos placuit obtulerunt. Non ergo debetur omnibus. Adde non debetur Ordini: nam ſingulis ſine diſcrimine deberi nemo dixit: cum multi in ijs indigni eſſe poſſint, vel ob imperitiam, vel alias ob cauſas. Dignos accipe: his ego deberi cõtendo, neque tam ſuperiores eligere, quàm offerre. *Eſt enim inter Religionem & Religioſum contractus quidam*, vt ait Leſſius, *per quem ille ſe tradit in poteſtatem Religionis ad obſequium Ordinis, & viciſſim Religio ſe illi obſtringit ad illum tractandum tanquam filium.* Quandiu igitur ſe filium exhibebit, patrem ſuperior præſtare tenebitur. Id verò ſimili exemplo confirmari poteſt Concilij Lateranenſis, in quo vetatur, ne quis *docere quenquam* (*qui ſit idoneus*) *petita licentia interdicat.* Nam ſi prohibet Eccleſia repelli quenquam ab officio docendi *qui ſit idoneus*, quis audeat idoneum à ſacerdotio repellere? In Societate noſtra cum gradus qui Sacerdotium, quique poſtrema vota præcedit, ſit ad ea quædam veluti probatio: Ordinis autem perfectio ſit poſſe docere, prædicare, mitti; putas-ne ſi me illis rebus dignum pro virili præſtitero, poſſe ſuperiorem pro arbitrio illam inſtituti mei conſummationem mihi in perpetuum eripere? Non arbitror, conſentiente S. Bonauentura, qui poſt ennumeratas dotes, quas in eo qui ad prædicationis & confeſſionis officium in Religione aſſumatur, neceſſarias eſſe indicat, ſubiungit ἀδιαλυπτῶς, *His donis ornato, ſi gratia affuerit, poteſt & debet imponi officium prædicationis, & confeſſionis in Ordine, vbi fuerit neceſſarium.*

Inter Religionem & Religioſum contractus eſt.

Leſſ. l. 2. de Iuſt. & Iure c. 41. dubit. 7 & 8.

Extra. de Magiſtris C. Quoniam.

Bonau. l in eos qui Ordin. Min. aduer. q. 4.

3. obiect. Monachos veteres non fuiſſe Sacerdotes.

III. *Longo*, inquis, *tempore Monachi à Sacerdotio repulſi fuerunt.* Ad titulum Franciſce. Ergo *nulli Regularium Ordini*, ne Clericis quidem *debetur*. Quid eſt autem *repelli*? Cur illud à te ſelectum vocabulum? Nego dignos vnquam qui ſe obtulerint *repulſos*. Imo probat Goffardus, & nos alibi explicuimus, eam eſſe mentem Eccleſiæ, vt Regulares ſacris initientur. Tuum modo eſt vnum, ita dico, vnum nominare, probitate, & peritia dignum, qui repulſam iure ſit paſſus.

Goffard. in vin. p. 222.

*SEX QVÆ*

### SEX QVÆ CONSEQVVNTVR ARGVMENTA *leui negotio refelluntur.*

### §. II.

A DIGNITATE quam Religioſi ad Sacerdotium adferunt, ad inſtituta quædam Monaſtica deducimur. Abſurdè id quidem, cum vniuersè de omnibus Religioſorum Ordinum ſpeciebus inquiramus. Audiatur tamen Doctor.

I. *Qui ex Monachis ad Sacerdotium olim eligebantur, ij Monaſticam exercitationem maxima ex parte deſerebant.* Non vota Religionis eſſentialia, ſed Regulares quaſdam, vt vocant, obſeruantias paſtorali officio minimè congruentes: quod in Epiſcopis modò videmus, qui ex Religionibus aſſumuntur. Non reſpicis autem ad Gratianum tuum, apud quem Innocentius ita decernit. *De Monachis qui diu morantes in Monaſterijs, ſi poſtea ad Clericatus Ordinem peruenerint, ſtatuimus eos non debere à priore propoſito diſcedere.* Certè eò ſemper veteribus inclinabat animus; & fecerunt plurimi, quod de B. Fulgentio legimus, eum ſingula ita diſpoſuiſſe, *ne ſuſcepta regendorum ſarcina Clericorum, conſolationem perderet Monachorum: quippe qui nec ita factus eſt Epiſcopus, vt eſſe deſineret Monachus.* Cæterum Sacerdotij nomine amphiboliam implicas. Scis enim ſumi ſæpiſſimè pro Ordine, cum adiuncta paſtorali cura, id eſt Iuriſdictione, quæ in propoſito noſtro non eſt. Scis & accipi pro mero Ordine, quale modò conſideratur à nobis, quod nulli *Monaſtica exercitationi* per ſe ſe repugnat. Quid autem exiſtimas de Monachis qui Sacerdotio ornabantur vt Monaſterijs præficerentur? Quam illi *partem exercitationis Monaſticæ deſerebant?* Certè nullam. Non debes igitur vniuersè ponere, Monachos in Sacerdotio Monaſticas obſeruantias deſeruiſſe: ſed eos tantùm qui educebantur è Monaſterijs, & quidem illas quæ cum noua Iuriſdictione ſtare non poterant.

*4. obiect. Monachi poſt ordinationem, Monaſticas exercitationes deſerebant.*

16. q. 1. C. de Monac.

*Cum Epiſcopatu ſeruata virtus Monaſtica.*

In vita Fulg. c. 18. 19. apud Sur. 1. Ian.

II. *Monachi niſi paſtoratu fruerentur, ab omnibus Hierarchicis functionibus abſtinebant.* Iis quibus alij adducuntur, quæ Iuriſdictionem inuoluunt, quæ curæ animarum ſunt adnexæ. Hoc vis dicere, non fuerunt Paſtores, adde etiam, igitur nec Sacerdotes. Perge. Ergo nulli Ordini debetur Sacerdotium. Subtiliter!

*5. obiect. Monachi nõ erant Paſtores.*

III. *Monachis Sacerdotium diſſuaſum, vt Religioſo ſtatui periculoſum ac pernicioſum.* Voculæ vnius defectus argumẽtum corrumpit. Dic *Religioſo ſtatui ſolitario.* Non eſt enim Monachatus Religioſus omnis ſtatus, de quo concludas opotter, ergo nulli Ordini debetur; ne Clericis quidem, & Canonicis Regularibus. Miſeros cum hæc cogito, vel ſi cogitauit Aurelius, Ieſuitas! qui *votis ad Sacerdotium obligantur*, rem periculoſam ac pernicioſam Religioſo ſtatui. Et tamen à Theologis audio, votum ad meliora ſemper tendere; neque eam fuiſſe puto mentem Eccleſiæ, cum inſtituit aut approbauit inſtitutum noſtrum, vt *pium & Eccleſiæ Deoque inſeruiens*, vt nos votis publicis & Religioſa profeſſione ad *periculum & perniciem Religioſi ſtatus* adſtringeret. Si tu aliter cenſes edoceri poſtulo. Replicare autẽ de ſuperioribus omitto, qui qualeſque fuerint Orientales illi, atque Ægyptij Monachi, quibus erat à Sacerdotio periculum; quorum exemplum ad Occidentales Monachos, ad Mendicantes, ad Clericos Regulares traducere, eſt Lectoris abuti patientia.

*6 obiect. Monachis periculoſum Sacerdotiũ.*

*7. obiect. In Monaſterijs non adminiſtrabātur Sacramenta.* Luc. c. 9.

IV. *In Monaſterijs plebium conuentus olim vetitus, & Sacramentorum adminiſtratio interdicta.* Colligis hinc, non deberi Sacerdotium, quod ſine his poteſt conſiſtere. Perdidiſti bona verba: paulò ſubtiliùs latere debueras. Quid timetis? in cœlo locus eſt & pluribus aſtris. *Nolite prohibere* eum qui eijcit dæmonia, *licet non ſequatur vobiſcum: qui enim non eſt aduerſum vos, pro vobis eſt.* Vtinam poſteaquam Regulares omnes Sacerdotes cum *exuberanti multitudine* ſecularium ſe impenderint, & ſuperimpenderint in animarum ſalutem, nulla ſuperſit Deo, & æternitati reconcilianda!

*8 obiect. Nouum est Religioſorū Sacerdotiū.*

V. *Non niſi à quibuſdam ſeculis Religioſi in ſubſidium Paſtorum miſſi ſunt: quare nullo antiquo iure vt debitum ſibi Sacerdotium Regulares vendicare poſſunt.* Si nouo iure debetur, vt indicas, quid requiramus antiquum? vis-ne ſic titulum tuum explicari? *Nulli Ordini debitum* olim & antiquo iure *Sacerdotium?* Negas-ne poſſe ab Eccleſia nouas *Regularium Ordinum* ſpecies ab antiquis ſine inſtitutoque diuerſas erigi & confirmari? Collige ſis in vnum varios Religioſorum Ordines; tum ego illa *quadam ſecula* eſſe dicam Apoſtolica, & illis proxima, in quibus Paſtores omnes Regulares erant, vt tute fateris: Eſſe tempora Conciliorum Generalium, à tertio quod Epheſinum eſt, in quibus Monachi in negotijs Eccleſiaſticis frequentiſſimi viſuntur. Eſſe omnes Eccleſiæ ætates, quibus Monachi non quidem prædicando, aut peccata remittendo, ſed alijs actibus Hierarchicis in ipſa ſolitudine Prælatos adiuuerunt, vt alibi audies. Profer *ius antiquum* pro Clericis ſecularibus.

*9. obiect. Nullum ius nouum habent.* De Statu Monacho. §. ad ampliationem.

VI. *Nullum ius ipſis accreuit diuinum, aut Eccleſiaſticum.* Imo Religioſis Clericis diuinum eſt, & ab ortu Eccleſiæ, non minùs quàm ſecularibus, Monachis Eccleſiaſticum. Lege in Gratiano Clementinam, quæ iubet vt *Monachi quilibet ad monitionem Abbatis ſe faciant ad ſacros Ordines promoueri.* Pergit Theologus. *Approbatio inſtitutorum ipſarum Religionum, indicat tantùm Eccleſiam approbaſſe, vt aliqui ſe ad ſubſidium animarum deuouerent, ſi quando eos Rectoribus Eccleſiæ mittere placeret: ex ea tamen approbatione, non ſequitur aliquam auctoritatem illis collatam, aut ius Sacerdotij obtinendi.* Quæ nos alio libro, & hoc ipſo capite ineunte iecimus fundamenta, de eſſentiali & neceſſario ad finem medio, hanc impetunt ſententiam. Iudicabis Lector vtra pars ſoliditatem adepta ſit.

*Confirmatio ex ſimilitudine ventilatur.*

Confirmat deinde Regis exemplo, qui licet promptam alicuius voluntatem gratam habeat ſe ad ducis officium offerentis, non tamen ideò ius illi confert ad eam obtinendam. Verùm ſecularem Clericum ſimplicem graphicè depingit hoc exemplum, ſed à Regulari eſt alienum. Huic enim, non illi fidem ſuam obligauit Eccleſia; illum acceptat, huic promittit; illi Iuriſdictionem quando viſum fuerit conferet, quia Sacerdotio præditus eſt, huic confert Sacerdotium, quando iam antea illum ordinauit, & ius dedit ad ſuſcipiendam Iuriſdictionem. Perſimile eſt Aurelij exemplum, niſi quòd eo ſocium iugulat, & aduerſario prodeſt, vir non ſemper conſideratæ ſubtilitatis.

*Franc. Hallier repugnat Aurelius pag. 347. Quædam in Aurelij ſententia probantur.*

*Quantumuis quiſpiam,* inquit, *ſtatum Religioſum vouerit, eum Religioſi à ſe deberi non putant, niſi Religioſum animum præ ſe ferat. Ita quantumuis Religioſi, alij-ve vouerint Sacerdotium, hoc eis ab Eccleſia deberi non poteſt, niſi animum Clericalem, & Eccleſiaſticum exhibeant, aut quouis alio modo rectè dari iudicetur.* Arrident hic mihi duo: tum, quòd Clerici ſecularis, & Religioſi eandem facit cōditionem, quod Franc. Halliet non videtur æquum: tum, quòd animi Clericalis meminit:

Si pro-

Si propoſitum ipſius ſpectas, ſuperfluè admodum. Nam ei qui ſe vltro ad Sacerdorium offerat, qui ſe illi Religioni addicar, in qua ſit *actu & ipſa vitæ profeſſione* Clericus, qui *votu ad Clericatum aut Sacerdotium obligetur*, Clericalem ineſſe animum dubitari non poteſt. Si diſputationem cum ſocio Hallier noſtram inſpicis, perquam commodè; illis enim verbis agnoſcit, ijs deberi qui *Clericalem animum exhibeant*, ſiue, vt poſtea loquitur, *aptis ad eum Ordinem*. Quod ipſum ægrè ab aduerſatio extorquemus. Sed vt nihil eſt vndecunque perfectum, alia duo ſe mihi objiciunt, minimè probanda. Vult enim primò tecuſari Sacerdotium, aut Religionis ingreſſum, ei qui *Religioſum & Clericalem animum* præ ſe non ferat. Poteſt-ne talis eſſe qui vtrunque vouerit, qui ſe ad vtrunque offerat, qui prenſet, qui ambiat? Meliùs dixiſſet Grammaticus, ei recuſandum vtrunque, qui non ſit idoneus. Eſt enim plurimos reperire ardenter eò aſpirantes, ad quod minimè ſint apti. Deinde non peruidet quid inter candidatum Religionis, & eiuſdem Ordinis nouitium interſit. Poteſt enim ſine iniuria externus homo quantumuis probus & idoneus, qui Religionem vouit, repulſam in ea petitione pati, quia nullum cum eo pactum inijt Religio; nouitius autem probus & idoneus contraria ex cauſa debet ad profeſſionem admitti: Religioſos autem cum eiuſmodi nouitijs Franciſcus noſter compatauit: qui proinde ius habent poſtulandi ex pacto Sacerdotij.

*Alia quædam improbantur.*

Hallier p. 416.

*SEX RATIONUM EX CONCILIIS DUCTArum iniqua & inutilis oppoſitio aperitur.*

§. III.

FIDEM tibi, Lector, non faciam hæc quæ ſequuntur argumenta produci à Theologo, quia vix oculis ipſe meis credo: adeo illa ſunt ab omni ratione derelicta, & paginam implent inutiliter, & iniuſtè Religioſis conuicium faciunt. Putauir nos terreri Doctor Conciliorum & Canonum nomine, notis marginalibus, hæreticorum appellatione. Libens Aurelianam roſam huc tranſtulerim, eſſe rationes eiuſmodi *quas probi horrent, faceti rident, ſemidocti ſuſpiciunt*. De Monachis agunt omnes: quid ad Religioſos alios Clericos, aut Canonicos Regulares? De improbis, vel hæreticis; quid ad pios, doctos, Catholicos? Sufficiet aliquas deſcribere ſolummodò; ipſæ ſe produnt, & perdunt. Vellem omnibus poſſe abſtinere, ne dedecus viro Theologo quærere videar.

*Non debuerunt eiuſmodi rationes à Theologo proferri.*

*Confirmatur*, inquit, *quia contraria ſapit hæreſin VVicleffi & Ioannis Hus, docentium pietatis ſtatus Sacerdotium, & Hierarchicam poteſtatem deberi*. Crede mihi ſapor ille perquam obtuſus eſt, vt ſi potes expectare, ſequenre mox libro perſpicies. Et perfectò non fuit ea quam adfers illorum propoſitio hæreticorum: & bono ſenſu dixit S. Chryſoſtomus à Grariano tuo citatus, *Non omnis Sacerdos, ſanctus eſt; ſed omnis ſanctus, Sacerdos.* Verum eſto, fuerit; conclude: *Nulli* ergo *Regularium Ordini debetur Sacerdotium.* Quis enim ius illud in ſola pietate fundauit?

10. *obiect. Contraria ſententia ſapit Wicleffum.*

Chryſoſt. hom 43. in Matth. habetur diſt. 40 C. Multi.

11 *Obiect.*

II. *Damnatur etiam hæc opinio in Concilio Lateranenſi, in quo ij reprobantur, qui ſub ſpecie pietatis virtutem ſibi vendicant prædicandi.* Arguta & inenodabilis con-

*Hypocritæ prædicatores damnantur.*

ſecutio! Hypocritis, pietatis ſimulatoribus prædicare non licet, ergo nullis Regularibus debetur Sacerdotium. Hæc honorum nomina relinquenda fuerant Aurelio, quæ in Ieſuitas impenderet.

*12. obiect. Item nonnulli hæretici.*

III. *In Concilio Gangrenſi reprobantur quidam hæretici, qui ſolitario habitu degentium ſimpliciores decipiebant, & ſanctitatu quam mentiebantur titulo, quæ Clericalis Ordinis forent, inconſultis Epiſcopis, vſurpare temerè præſumebant.* Adeſdum, Lector, paucis te volo; totum à capillo ad vnguiculum videas hominem oportet ex hoc compendio. Euſtathiani, ſeu Eutactiani hæretici nouitium neſcio quem, & inuſitatum habitum induebant, quo virili etiam feminas vti volebant. Eum doctor vocat *ſolitarium* ſimpliciter, vt *Monachos* intelligas. Atqui ne Eutactum quidem malè ordinatum hominem, ordinis Religioſi vel alumnum vel ducem fuiſſe, probari ſolidè poteſt, vt olim monuimus: cur igitur eius aſſeclæ ab aduerſarijs Monachi aut nominantur, aut fuiſſe ſignificantur? Iidem ergo hæretici Eccleſijs & ritibus Catholicorum contemptis, conuenticula ſua & myſteria à veris diuerſa celebrabant. Hæc appellat Doctor *quæ Clericalis Ordinis forent*, vt Sacerdotium, & Sacramentorum adminiſtrationem cogites. Nullum ad ea Presbyterum ab Epiſcopo conſecratum adhibebant: Eccleſiam ipſam, id eſt, domum & cœtum fidelium, eiuſque Principes deſpiciebant. Id in Doctoris vocabulario ſignificat *inconſultis Epiſcopis*, vt de Priuilegijs accipias. Fructus Eccleſiæ oblatos, neglectis Epiſcopis & Clericis, ad ſe ſolos deriuabant, ſibi ſolis tanquam ſanctis offerri debere iactabant; Id nudè poſuit Doctor *primitias fructuum & oblationes ſibi arrogare*, vt ad Mendicantium ordines reſpicias. Deinde ita nos iubet argumentari: *hæretici Monachorum ſpecie ſimplicioribus illudentes decipiebant, mentiebantur; inconſultis Epiſcopis temerè præſumebant*. Ergo nulli Regularium Ordini debetur Sacerdotium. Pro Dei atque hominum fidem! Hæc ne eſt Theologi diſputatio, an circulatoris præſtigiæ? Audet etiam poſt hæc de alio aliquo dicere, *Ex his omnibus quis non videt auctoris ſcopum eſſe, vt Lectori ſuo imponat?*

*Ad explicationem Concilij Gangrenſis confers Epiphan. hær. 40.*

*Aduerſariy malitia detegitur.*

*Potiuhs fanos & veſpa, faciunt Eccleſias & Marcionita. Tertull. l. 4. contra Marc. c. 5. Quod in Euſtathianis notatum ad Religioſos conuertit Hall. in vin. p. 587*

IV. *In Cæſaraugustano Monachis Priſcillianiſtis docendi munus ſine legitima miſſione, quod ſibi temerè vſurpabant, interdicitur.* Quis hic apex, quæ literula concluſionem hanc continet, ergo *nulli Ordini debetur?* niſi fortaſſe Religioſi omnes Priſcillianiſtæ ſumus huic ſcriptori, & vt falſi prophetæ, currimus quò nemo mittit.

*13. obiect. Item Monachi Priſcillianiſtæ.*

V. *Ex Apoſtolo, nemo aſſumat ſibi honorem*; Adde ſis, igitur Eccleſia dare nulli debet. *Sed qui vocatur à Deo.* A quo vocantur homines ad Religionem, à Deo an à Diabolo? A quo Religioſi *vocantur* ad Sacerdotium legitimè percipiendum? à Deo an à Diabolo? A quo inſtitutæ & erectæ ſunt Religiones, quæ pro *vocatione* habent munia cum Sacerdotio coniuncta? à Deo an à Diabolo? *Tanquam Aaron; nempe ad Paſtoratum ordinarium.* Putabam te in titulo de mero Sacerdotio loqui, Quid? ſoli Paſtores vocātur ad Sacerdotium? *Vel ab Aarone, id eſt proprio Paſtore illud conſecutus ſit.* Quis Ordo Regularis ſeipſum inſtituit? quis à ſe ſibi ius arrogauit? Non Pontifices dederunt? non probauit Eccleſia? non agnouerunt Concilia? Non accipiunt Religioſi à proprio Paſtore Sacerdotalem conſecrationem? *Quale nullum Religioſi nondum ordinati conſecuti ſunt.* Permiſces actuale Sacerdotium, cum iure ad illud obtinendum. *Qui nondum ad Sacerdotium ſunt deſignati.* Mirabilis grammatica, vt *deſignatos* accipias pro conſecratis. Nam ſi Ordinem totum ab Eccleſia deſignari ad Sacerdotium proba-

*14. obiect. Ex Apoſtolo.*

probauimus, omnes profectò qui in illum admitrunrur, qui ſe illo dignos exhibenr, eodem deſtinari,& *deſignari* mônſtrauimus.

IV. *S. Leo ſcribens ad Theodoretum, ait ſe propter improbitatem quorundam Monachorum (qui nempe non promoti ſibi indebitum prædicandi officium aſſumebant) ſpecialiter ſtatuere, vt præter Domini Sacerdotes, nullus audeat prædicare, ſiue Monachus, ſiue Laicus ſit.* Ergo *nulli Regularium Ordini debetur Sacerdotium.* Rides Lector; Ego irerum ribi hominis ingenium aperio. Hæc S. Leonis ad Theodoretum epiſtola, priorem aliquam conſequirur ad Maximum Anriochenum Patriarcham, quâ illud primùm vetat, eoque remirrit Theodoretum. Sed quoniam in illa Maximi epiſtola, non legebanrur hæc verba, *Propter improbitatem quorundam Monachorum*: epiſtola Theodoreti qua conrinentur, potior viſa eſt ad creandam Monachis inuidiam. Sed defendet ſe Doctor, quòd verba hæc non in fonre, ſed in Gratiani riuulo hauſerit. Scio; nam & epiſtolam citar, vr Gratianus 61. *al.* 63. cum, ſi Leonem ipſum conſuluiſſet, duas ad diuerſos datas, 61. ad Maximum, 63. ad Theodoretum deprehendiſſet. Verùm rriuialis doctrinæ foret nudum afferre Grarianum, & marginalibus noris verſiculi duo ſurriperentur. Sed vlrerius aliud poſtulo, *Improbitatem Monachorum* vnde ſcit eam fuiſſe, *quod non promoti, prædicandi officium aſſumebant?* Non à Leone, non à Gratiano: à Minerua igirur, à Mnemoſyne ſua. Quæ tamen meminerit, eorum plurimos Chalcedonenſi Synodo in Eutycheris gratiam, & odium Neſtorij fuiſſe aduerſaros, itáque populis perſuaſiſſe: & huic eorum *improbitati* frenum à Pontifice inijci debuiſſe. Quanquam igirur non promoti fortaſſe, quiddam ſibi indebitum arrogabanr, maius tamen erar in hæreſi proſeminanda detrimentum. Sed quid iſtud ad promotos? quàm neceſſaria Sacerdotij cum prædicandi officio commiſſura? Cur *improbitas quorundam Monachorum* citatur in cauſa omnium ſimul Regularium Ordinum?

*15. obiect. Ex S. Leone.*

*Iterum dicteria maligna.*

## TRIUM QUÆ SUPERSUNT RATIONUM *imbecillitas breuiter percurritur.*

### §. IIII.

RES ad rriarios redijt: in quibus video haſtas, contos, ſariſſas, præſens periculum, ſed prudenti minùs rimendum. Placet hic pauciſſima de meo dicere; quin potiùs vos conſulere Franciſce, Aureli, veſtroſque approbatores; qui ſi baculum accipiatis & annulum, poteſtis eſſe Concilium. Certè noſtri ducis exemplo, me Lector iuueniet *in medio Doctorum, audientem illos, & interrogantem eos.*

I. *Si debitum eſſet Sacerdotium iſtis Religioſis*, qui in eadem ſerie poſt hæreticos, hypocritas Priſcillianiſtas, Eutactianos, Eutychianos, improbos Monachos, tanquam ſimillimi ſubijciuntur; *iure ſuo ea quæ Ordinem non neceſſariò ſupponunt, nondum ordinati poſſent exercere: verbi gratia prædicationis officium*, &c. Quomodo facient *nondum Ordinati*, qui quamliber *Ordinati* niſi mirranrur, niſi actu Iuriſdictionem accipiant, facere non poſſunt? Quare Curarorum & Epiſcoporum quod adfers exemplum fallir, & redundat. *Hoc autem praxi Eccleſiæ repugnat.* Cur hoc, ſi mirtere vult tanrùm Clericatu initiatos Regulares? *Quia ſequeretur Eccleſiam eis facultatem recipiendi Ordinis, aut poteſtatem*

*16. obiect. Poſſent ante ordinationem exercere.*

*prædicandi, & Sacramenta adminiſtrandi adimere non poſſe, abſque iniuſtitia.* Ratio hæc quàm bene propoſitum tuum conficiat, equidem non video, cui tamen vt ſatisfaciam dico, poſſe qui finem ordinat, illum tollere: eius autem naturam media conſequi. Puras-ne iuſtam fuiſſe Iſraëlitarum querimoniam? *Paleà non dantur nobis, & lateres ſimiliter imperantur: en famuli tui flagellis cædimur, & iniuſtè agitur contra populum tuum.* Proſequitur Theologus. *Licet Eccleſia omnia reducere ad ius antiquum:* Eorum etiam ſeculorum quibus Clerici omnes Regulares erant? *Et quæ ſolis priuilegijs innituntur*, vt penitus neceſſarijs ad finem inſtrumentis, *vniuerſim loquendo ſine iniuſtitiâ irrita facere poteſt.* An exigendo nihilominus ab Ordine finem ad quem inſtitutus eſt? Quid videtur Franciſce?

*Sublato medio neceſſario, finis tollitur.*
*Exod. c. 5.*

*Neque verò Religioſorum in Infidelibus conuertendis, & animabus iuuandis opera ius illud acquiſiuit.* Didiciſſe me in ſimili arbitror, principium meriti non cadere in meritum. Ius ad rem, & rem ipſam, legitimamque poteſtatem ante habuerint oportet, ni fallor, quàm infideles conuerterent. Non eſt igitur infidelium conuerſio iuris illius cauſa efficiens meritoria, ſed effectus, & finis. Neque hos Ordines cum illa poteſtate naſci miraberis; cùm & ipſi, & eorum priuilegia velut gratiæ ab Eccleſiâ datæ, in alienam vtilitatem ſalutemque refundantur.

*Anglos Martyres indignum modum deridet Halliert in Vindic. admon ad lect. p. 11.*

Quæro autem vnum ὡς παρέργῳ, inter iſtos *Infideles*, Anglos-ne referas Puritanos? Quidni? cum hæretica infidelitate nulla ſit capitalior. Cur ergo nunquam ſatis laudatam Religioſorum *operam in talibus infidelibus conuertendis*, & conſtantiam in fide ad martyrium vſque, & exquiſita ſupplicia, derides in libri tui veſtibulo? *Homines*, inquis, *iſti, tanquam retiarij in arena, dum fidei profeſſores audire volunt & Martyres, tam pretioſo ſcilicet ſanguini exugendo, vulneribus ſuis applicuerunt Spongias.* Crudele eſt tempeſtate iactatos ſubſannare: impium Catholicis laborantibus inſultare: quid in perpetuo conflictu Confeſſores, in ſuppliciorum acerbitate Martyres, ludos facere? conferre cum viliſſimis gladiatoribus, quod nullus vnquam Iulianus fecit aut Porphyrius? Chriſtiani ſanguinis pretium eleuare Theologum illum; qui ſe videri velit *modeſtum monitorem, Regularibus coniunctiſſimum, à pijſſimis parentibus inſtitutum?* Non ita Sanctiſſimus Dn. N. Vrbanus VIII. cui librum offerre auſus es, eius ſenſui in pleriſque contrarium, & ab eo non quo ſperabas vultu exceptum, Anglos compellat in ea Bulla, qua tranquillitatem in commotum Oceanum reducit. *O decus Eccleſiæ, ô trophæum Religionis, non gladius, non perſecutio, non anguſtia ſeparauit vos à caritate Chriſti, & ab obſequio Pontificis. Horruerunt hoſtes conſtantiam veſtram, & qui Religionem auerſabantur, admirati virtutem, fateri identidem coacti ſunt, Catholicos Anglos non homines videri è mulieribus natos, ſed Angelos in humanis corporibus hoſpitantes.* Deus magne, quantùm intereſt inter Pontificem & Doctorem, inter patrem & æmulum!

*Nos è contrario laudat Vrbanus VIII. Bulla, Britannia non mons.*
9. Maii 1631.

*Veretur Halliert ne Religioſi ſchiſmatici fiant.*

Redeo ad verba Doctoris, educta non ex argumento, ſed ex ſaturâ. *Hinc ergo inobedientia & ſchiſmatis occaſio in Religioſis oriri poteſt.* Quid enim ſupereſt, quando hæreticis, improbis, hypocritis pares ſunt, niſi vt apoſtatæ fiant & ſchiſmatici? *Si quando à Sacerdotio vel functionibus Hierarchicis remoueantur, quæ adimi non poſſe cauſabuntur, & repulſi Hierarchica tamen munia, ſine legitima miſſione vſurpabunt.* Heus Franciſce *propheta es tu?* Vnde malum iſtud omen occentas, vt ſiniſtra cornix? quem putas mouere plumea iſta formidine, & terroribus minùs quàm panicis? Nihil hinc metue, nunquam à nobis ſchiſma incipiet.

piet. A tot ſeculis, inter tot procellas hæreticorum, improborum, æmulorum, cauſa priuilegiorum tam ſæpe, tanto cum ardore agitata, Pontificibus hæc aut illa pacis redimendæ gratia reuocantibus, nullus vnquam Ordo, quid Ordo? nullus quod ſciam priuatus, voce vel ſcripto de iniuria queſtus eſt; nullus ſine miſſione prædicauit, nullus in functionibus Hierarchicis *induſtriam* vſurpauit: & Caſſandra hæc timere ſe fingit in futurum. Sed vanum non eſſe metum oſtendit exemplo.

*Sicut, pro dolor! multos iam ſcimus à caſuum omnium reſeruatione abſoluere*; quaſi foret *reſeruatio* ipſa peccatum, aut cenſura Eccleſiæ. Libens equidem vnum hominem è *multis* illis videro, qui *caſus omnes* Papæ Epiſcopiſque reſeruatos, ipſamque cum illis *reſeruationem* ſoluat; qui parem cum Epiſcopo Epiſcoporum poteſtatem habeat: Is ſi Gallus eſt, malè de patria ſua meretur, quod ſe in publicum non dederit, vt tranſalpinis ſumptibus parcat, & ſcelerum quorumuis condonationes, votorum quamlibet ſolemnium diſpenſationes, matrimoniorum in gradibus minimè legitimis contractus, maiorum minorumque cenſurarum abſolutiones exerceat in Gallia. Sed inconceſſum iſtud eſſe facinus Doctor grauiter admonet, *A qua abſolutione* (& caſuum omnium, & *reſeruationis*) *eos præter antiqua iura*, in quibus nunquam leges vetitam à *reſeruatione* abſolutionem, *Congregationis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium decretum inceſſum remouit*. Hæc eſt rebellio in viris ad obedientiam voto adſtrictis, non toleranda. Equidem quis quid agat, non inquiro: Deo reſte laborant ſinguli. Caritas quæ *non cogitat malum*, credere ſuadet neminem ſuam & aliorum conſcientiam gratis ire perditum. Decretum obijcis. Quod? quale? quo anno datum? Meminiſti in cauſa Confirmationis commiſſæ Presbyteris, ſic à te ſcriptum. *Diſpenſationis verò Gregorij tertij, aut Adriani nulla veſtigia apparent. Quare quicquid de ijs dicitur, confictum credi poteſt.* Muto *diſpenſationem* Pontificum, in *decretum Cardinalium*; & tuo me ſcuto defendo.

*Quòd ſi hoc forte non vſurpent*. Bene eſt, ipſe ſe propheta corrigit: de Religioſorum virtute paulò mitiùs ſentire videtur: *habitum ſtatumque Religioſum ex eo ſibi licitum eſſe deſerere contendent*. Proſpicit in futurum vir prudens, licet exemplo præteriti careat: & metuere videtur ne Religiones ipſæ concidant dilabentibus alumnis; quod tamen optabile eſt, ſi ritè conuenienterque Religioſi cum hæreticis, ſchiſmaticis, hypocritis comparantur: ſi ab illis rebelliones, apoſtaſiæ, ſchiſmata metuuntur. *Iuxta Nicolai Smithæi conſilium, qui vota omnium Religioſorum, quibus ſacras functiones ex priuilegio obire conceſſum eſt, eo adempto ceſſatura temerè & falsò docuit.* Mirum nouum dicis hoc in *modeſta diſſertione* prolatum. Quæ autem id illi ratio potuit imponere? An quia Religioſus ſe Eccleſiæ per vota non vniuersè, ſed in hac particulari Ordinis ſpecie obligat? An quia mutuus qui eſt inter Ordinem & Eccleſiam approbantem contractus, conditione nititur, qua ſublata reſcindatur? An quia eſſentialis eſt Ordini finis, eſſentiale medium vnicum quod ad finem deducit; quo fine quo-ve medio ex Eccleſia amoto, tolli Ordinem neceſſe ſit? Iuua ſi quid habes melius, quo probabilis hæc reddatur opinio. Sed pecco, *temerè & falsò docuiſſe* aſſeris, & quidem ſolus: nam hunc locum cenſura non tetigit.

*Quaſi verò abſoluta non emitterentur vota, quæ demptis quibuſlibet priuilegijs, ſuam tamen retineant firmitatem.* Studeo mi Doctor, ex te hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſcientiſſimo diſcere, quid factum ſit Templarijs, qui tum viuebant, cum eorum

Criminatur eos à caſibus reſeruatis abſoluere, contra veritatem.

Hallier in vin. p. 208.

Timet Apoſtaſiam Religioſorum.

Sint-ne vota ab omni conditione abſoluta

Ordo ab Eccleſia proſcriptus eſt? Addis exemplum. *Sicut adimantur licet officium, beneficium, vel dignitas Eccleſiaſtica, quæ aliquem ad ſacrorum ordinum ſuſceptionem impulerint, non deſinit tamen ille emiſſo caſtitatis voto conſtringi.* Hoc etiam interrogo, ſi quo caſu vel modo poſſet in te deleri Sacerdotalis character, vt à te poteſt Prioratus auferri, vel penſio, putes-ne te ſic exauctoratum voto caſtitatis adſtringi? Dum cogitas reſpondere, tranſeo ad nouum argumentum, in quo gloſſas tuas metuo, quæ marginem longo tractu, imo paginam coarctant. Verùm nihil affirmo, ne putes, nihil definio, tibi tantùm Magiſtro noſtro cogitata propono mea, quæ opiniones tuas altiùs in animum peruadere non ſinunt.

*17. obiect. Priuilegium non debetur.* II. *Natura priuilegij eſt vt non iure naturali, ac neceſſariò* debeatur. Etiam-ne ſi neceſſariò cum fine coniunctum eſt Priuilegium? ſi contractus in priuilegij conceſſione fundatur? *Tum quia reuocari poteſt ab eo qui dedit.* An facilè quod alteri fauet? An quod multis magniſque meritis redemptum eſt? Sed eſto, reuocet, obtemperabitur. Tunc verò idem-ne finis amputato eſſentiali medio perſeuerabit? Doce autem, amabo, de Indultis quid ſentiat Senatus Pariſienſis? quæ cauſa ſit cur Tridentinum & Lateranenſe Concilium ſub Leone X. non omni ex parte admiſerint Franci Antiſtites? *Tum quia Priuilegio conceſſo abutentes priuandi ſunt.* Priuentur, per me licet; hinc-ne colligis tuum, ergo *nulli Regularium Ordini debetur Sacerdotium? Tum quia vel ab ipſo ſummo Pontifice impetratum Priuilegium, quando incipit eſſe nociuum Eccleſiæ, ſine vlla mora eſt reuocandum.* Eia Franciſce, rem tangere incipis: tectorium tenue ſupereſt, tranſpares: ſacramentália ſunt hæc, *Priuilegium à Pontifice, nociuum, reuocandum.* Eſto, fatemur; non eſt opus longa citatione. Iam aſſume.

*Monet Pontificem vt priuilegijs temperet.* *Viderit autem Summus Pontifex, ne quid ex immenſa Priuilegiorum conceſſione Reſp. Chriſtiana detrimenti capiat.* Tandem aliquando ad operis finem peruenimus: tandem inſtitutum ſuum Doctor aperuit. Virgilium Poëtam ferunt illud Æneidos ſextæ epiſodium de Æneæ ad inferos deſcenſu, eo tantùm inueniſſe conſilio, vt leniter & ſponte caderet in tria verba, *Tu Marcellus eris.* Sic Franciſci Hallier Doctoris Theologi ſtudium omne, longum opus, loci communes, immenſæ ſectiones, refertæ paginæ, plenæ Gratiano fimbriæ, Epiſtola dedicatoria, aditialis admonitio, tria hæc verba parturiunt, ad illa tendunt, in ijs terminantur, *Viderit Summus Pontifex.* Quia nemo ante vidit Pontifex quod monet Hallier, non Innocentius III. non Bonifacius IX. non Benedictus XII. non cum toto Viennenſi Concilio Clemens V. non in Generali item Concilio Leo X. Neque aliunde ſapientius conſilium capere potuerunt Summi Pontifices, quàm à ſapientiæ Theologicæ floſculo Franciſco Hallier: qui & alio in opere ad Pontificis conſilium non accerſitus accedit.

*Conſilium das Summis Pontificibus l. de Sacr. Ordin. p. 878.* *Meminerint quæſo,* inquit, *Summi Pontifices, Eccleſiaſticas leges ipſorum auctoritati, fidei, ac prudentiæ eſſe creditas, non meræ voluntati ſubditas eſſe: cauendumque ipſis ne ſic factitando probent ſe habere amplitudinem poteſtatis, iuſtitiæ forte non ita.* Bernardum credás Eugenio ſcribere, ſuo quondam ſubdito: vel Petrum Bleſenſem ferrei nonnunquam ſtyli hominem: aut ſi mauis nouum ſeculi noſtri Achitophelem ſapientiſſimi Principis conſiliarium. Deus immortalis! quantùm *Reſp. Chriſtiana detrimenti cepit,* quod Vrbanus noſter VIII. ad quem ſcribit, eum in conſilio non habuerit, cum diſſidia hæc Anglicana ſopiturus, non reuocatione Priuilegiorum, ſed eorum vſus certa approbatione, Regula-

tes

res confirmauit, his verbis. *Ne autem ambigentis conſcientiæ fluctibus iactentur, & cæca ſuſpicionis tormento vexentur iudicia fidelium, declaramus confeßiones à Regularibus Sacerdotibus hactenus auditas, validas fuiſſe, & in poſterum fore. Cum enim eos auctoritate Apoſtolica exceperint, excepturique ſint, ordinaria facultas vel approbatio eis nec fuit, nec futura eſt neceſſaria. Porro autem ſinguli miſſionarij ſuis facultatibus ac priuilegijs vtantur eademmet ratione, quibus ante has controuerſias, & temporibus felicis recordationis Gregorij XV. & Pauli V. gauiſi ſunt.*

*Regularium Anglicanorum confeßiones approbat Vrbanus 8. Bulla ſuprà cit.*

III. Octauadecima eademque poſtrema ratio colophonem addit imbecillitati, calliditatique cæterarum. Nulli Religionum vllarum Conuerſi & Moniales ius poſſunt prætendere ad Sacerdotium: nam feminis occluſum eſt, *& contrarium abuſum in Quintillianis, Pepuzianis, Priſcillianiſtis, Artotyritis tanquam hæreticum damnauit Eccleſia.* Totus contremiſco ad hæc nominum portenta: quibus ſi addidiſſet Cataphrygaſtas, Montaniſtas, Taſcodrugitas, pe rierant Conuerſi omnes & Moniales. Omnia tamen hæc vocabula duas vt ſummum hæreſes nominant; eaſque germanas, & paucis quibuſdam titibus differentes. Adeo iſti dilatant phylacteria, & magnificant fimbrias cum aduersùs Religioſos certatur. Et hoc tamen nimis eſt, duas hæreſes contra illos produci. Vide igitur Lector, qnid probent; Hæretici feminis per abuſum Sacerdotium dederunt, Moniales ad Sacerdotium prætendere non poſſunt: Ergo *nulli Regularium Ordini*, ne Clericis quidem & Canonicis; ne ijs quidem qui ſunt ad docendum & prædicandum inſtituti *debetur Sacerdotium.* Ita me Deus amet, facilis & plana eſſet Sorbonica, ſi Pilei candidatum tales aduerſarij impugnarent.

*18 obiectio.*
*Conuerſi & Moniales non poſſunt ſeri ſacerdotes.*
Epiph. hæ. 48 49.

Metas hic mihi figo. Nam quæ ſequitur propoſitio Anglorum eſt, quos non tueor; improbata eſt à cenſura, quam non retracto; reperta in Aurelij doctrina, quam non repeto. Cæterum rationes ſex quibus eam tentat euertere Theologus, tam ſunt futiles, vt nihil magis eam mihi reddat probabilem. Duæ priores cum ſuperioribus proſtratæ iacent. Tertia relìquarum omnium validiſſima videtur. Ordinum ſanctiſſimi fundatores vt Benedictus, & vterque Franciſcus ſine dubio ad vocationis ſuæ perfectionem peruenerunt, non tamen ad Sacerdotium: Ergo verum non eſt Religioſum qui necdum Sacerdos eſt, ſuæ vocationis apicem necdum attigiſſe. Facilis reſponſio, communes à Deo vulgaribus hominum ingenijs ad ſanctitatem vias præſtrui: quibus tamen Deus ipſe ita ſe non alliget, vt extraordinarijs medijs, & aliarum vbertate gratiarum idem efficere non poſſit. Nam vita Chriſtiana ad apicem caritatis tendit per inferiorum actus virtutum ſæpius repetitos: illum tamen Deus Catechumeno per martyrium concedit. Humana ſapientia ſtudio & tempore comparatur, quam vno momento in Salomonis animum idem Doctor infudit. Ita Franciſcos & Benedictos compendio viarum duxit ad culmen virtutis: futuros tamen ſine dubio perfectiores, ſi reliqua Dei dona, etiam Sacerdotio cumulaſſent: & iſtud omnino facturos, niſi priuato quodam inſtinctu prohiberentur. Quis autem trahat in exemplum, quod Deus in omnipotentiæ ſuæ theſauris recondidit?

*Altera obiectio, poſſe ad perfectionem vocationis ſine Sacerdotio perueniri.*
*Reſponſio.*

Maneat igitur feliciter à nobis probatum, per ſe & vi Religioſi ſtatus, omnes quidem Regulares in Hierarchia eſſe Ordinis, ſeu inter Clericos recenſeri: ſed eos præcipuè qui ad aliorum ſalutem nati ſunt, ex inſtituto ad ſacros

*Concluſio diſputationis.*

Ordines, & actuum Hierarchicorum exercitium tendere, donec reipſa ab Hierarchis eorum vſurpandorum poteſtatem accipiant.

## DICTA QVÆDAM EIVSDEM FRANCISCI *Hallier aduerſus priuilegia Regularibus in Ordinum ſuſceptione conceſſa, aqua lance penduntur.*

## CAPVT XII.

*Religioſa vita, compendioſa ad Ordines ſacros via.*

VSQVE adeo ſanctos Religioſorum Ordines ſacris Ordinibus arctiùs ſacratiuſque deuincire Clericatui ardet Eccleſia, vt cum Laïcis ad diuinam militiam aſpirantibus, certa quædam temporum interualla deſcripſerit, quæ priùs decurrere cogantur, quàm ſingulos Clericatus gradus conſcendant: Regulares ipſa viros illo onere maximam partem leuarit, & hæc temporum interſtitia, benigna Canonum interpretatione contraxerit. Hoc erudirè probat idem qui nobis nominatiſſimus eſt Hallier, è Gratiano ſuo, apud quem Gelaſium audit ita loquentem. *Si quis etiam de Religioſo propoſito, & diſciplinis Monaſterialibus eruditus, ad Clericale munus accedat, in primis eius vita præteritis acta temporibus inquiratur, &c. Vt ſi ijs omnibus quæ ſunt prædicta fulcitur, continuò Lector, vel Notarius, aut certè Defenſor effectus, poſt tres menſes exiſtat Acolythus, maximè ſi huic ætas etiam ſuffragetur: ſexto menſe Subdiaconi nomen accipiat: ac ſi modeſtæ conuerſationis, honeſtæque voluntatis exiſtit, nono menſe Diaconus, completo anno ſit Presbyter: Cui tamen quod annorum interſtitia fuerant collatura, ſancti propoſitei ſponte ſuſcepta doceatur præſtitiſſe deuotio.* De Laïcis è diuerſo ita pronunciat idem Pontifex. *Si verò de Laicis quiſpiam Eccleſiaſticis eſt aggregandus officijs, tantò ſolicitiùs in ſingulis, quæ ſuperiùs comprehenſa ſunt, huiuſmodi decet examinari perſonam, quantùm inter mundanam, Religioſamque vitam conſtat eſſe diſcriminis.* Quam Gelaſij conſtitutionem longè ante idem Doctor in eadem cauſa produxerat: vt eandem paginam grandi S. Auguſtini loco, aduersùs malos Monachos Clericatum ambientes implere curauit, non admodum tempeſtiuè, quem non ſemel alio in opere decantauerat. Quanquam erat ei verendum ne ex tanti Pontificis & dicto & facto colligeremus, *non paruam eſſe inter reliquam plebem, & Monachos differentiam.*

Hallier l. de ſacr. Ord. pag. 884. ex Grat. diſt. 77 C. Si quis. & C. Monach.

Idem repetitus Hallier eod. lib. p. 92.

*Ex ijs locis refellitur.*

Et olim quidem eas temporum intercapedines adeo religioſè ſeruatas volebat Eccleſia, vt pœnis etiam præproperam aliquorum ordinationem coërceret. *Quod tamen eatenus ſeruatum eſt,* (inquit Doctor noſter) *vt tamen quouis ſeculo ex Epiſcoporum diſpenſatione graues & proficuos Eccleſiæ viros è Laïcali ſtatu emergentes, Eccleſiæ laboranti ſuppetias tuliſſe, & ad dignitates Eccleſiaſticas ſalubriter ac prudenter euectos fuiſſe legamus. Medijs autem temporibus impune paſſim temporum interſtitia neglecta ſunt, nec vllum ex eorum omiſſione cenſuræ, vel culpæ ſubeundæ periculum naſci docuit Fulbertus Carnotenſis.* Patrum autem noſtrorum memoria, Tridentinum *Epiſcopi prouidentiæ diſpenſationem iſtam reliquit, vt confeſtim aliquis vel ſuſceptis Ordinibus initiari, vel Presbyteratu breui poſt Diaconatum ſuſceptum donari poſſit. Quamobrem vix ac ne vix quidem Epiſcopus legem iſtam tranſiliens de præuaricatione damnabitur. Iudicauitque Concilium vel nullam prioribus Canonibus*

*Interſtitia non ſemper obſeruata.*

Halli eod. l. p. 888.

*Epiſcopus in eis diſpēſat.*

Concil. Trid. ſeſſ. 23. c. 11. de Reform.

*nibus ſtatutam eſſe pœnam, qua ipſo iure contraheretur, vel deſuetudine obſoletam, nec ſua lege viſam eſſe renouandam.* Hæc ipſa ſunt Doctoris verba, quibus cum Laïcos ſine certis temporum interuallis ordines Eccleſiaſticos affectantes, verè ac prudenter excuſet: potiori profectò iure eadem aduersùs Religioſos mente eſſe debet, ſi opinionem ſuam veritati conſentaneam conſtanter & feriò tenere vult.

Id verò non permittit conceptum in ſtatum Regularem, eiuſque priuilegia odium: quippe qui ne bello in Religioſos abſtinere credatur, ipſe ſibi atrociſſimum malit indicere. Quid enim ait illa longa, & ſuperuacanea de Regularibus ordinandis appendice? Multa profectò quæ limam noſtram examenque deſiderant.

Ad Ordinationes Regularium alia iure diuino & naturali prærequiri, alia iure tantùm poſitiuo, & Eccleſiæ decretis. Prioris eſſe generis teſtimonium probitatis, diſciplinæ Eccleſiaſticæ, & functionum cuiuſque Ordinis Epiſcopo præbere. Poſterioris, ætatem à iure præfixam attigiſſe, dimiſſorias à proprio Epiſcopo literas, ad alienum Epiſcopum Ordines collaturum afferre. Ad illa ex lege diuina generali, & ex natura ipſa Ordinationis adſtringi: & ſi quod priuilegium hac de re furtim impetraretur, eius tanquam contra bonos mores obtenti, nullam rationem eſſe habendam. Ab iſtis autem, quæ iuris poſitiui ſunt, ſi quæ priuilegia Regulares eximant, omnia Tridentini Concilij legibus fuiſſe abrogata. *Proponitur doctrina Hallier l. de ſacr. Ordin. p. 87.*

Teſtimonium porro illud à ſuperioribus conceſſum non temerè admittendum; neque adeò ſuperiorum Regularium fidei credendum eſſe, vt quos illi tanquam dignos obtulerint, abſque alio examine ad Ordines recipiantur: *cum notum ſit totius Monaſterij intereſſe, vt quamplurimos Ordinibus ſacris initiatos habeat, & facilè probi etiam & boni, inſita omnibus hominibus cupiditate Ordinis ſui gloriam promouendi, qua Regulares præ cæteris maximè flagrant, leuiùs de ſuis cenſeant, quàm par ſit, & in pondere & pondere iudicent, ſuorum induſtriam ac dotes magnificè, Sacerdotij & reliquorum Ordinum Eccleſiaſticorum dignitatem tenuiter æſtiment.* Sequitur & grandis declamatio aduersùs *plures hocce tempore, qui regularis vitæ ſtudioſi; conſtitutionum ſui Ordinis ſupra modum zelatores, obſeruantiſſimi ſuæ Regulæ, Eccleſiaſticas tamen Clericis omnibus impoſitas leges flocci-faciunt, interſtitia inter ſacros Ordines à Tridentino Concilio ſtatuta, nihili ducunt; functionum ſacrorum Ordinum exercitium diuinitus inſtitutum contemnunt. Ab ijs Eccleſiam nihil vtilitatis accepturam, niſi diſciplinæ excidium, Ordinis quo ipſa ſtat ſubuerſionem, legum omnium ſtragem.* *De teſtimonio ſuperiorum. pag. 92. 93.*

Atque cùm in Sacerdotij collatione fidem obedientiamque Epiſcopus exigat, *Abbates & Monachos obedientiæ Antiſtitibus Eccleſiarum debitæ iuratam promiſſionem euitare conatos fuiſſe diſcimus, dicentes nimirum ſibi iuxta regulam B. Benedicti iurare minimè conceſſum fuiſſe: eaque ſuperſtitioſa excuſatione obedientiæ iugum auerſatos fuiſſe. Quæ quidem ſuperſtitio, vel ſuperſtitionis ſimulatio, adeò vel apud ipſos aliquando inualuit, vt ſummo ipſi Pontifici eo prætextu obedientiam iurare aliquando renuerint.* Denique (quid enim plura vitia ſimul colligam?) cum Ordinationis ſuſceptæ literas ab Epiſcopo accipiant ſeculares, non eſt quod immunitates ſuas & exemptiones Regulares obtendant. Quid enim eos grauat literarum iſtarum obtentio? *Niſi fortè eos grauat id omne quo inferiorem Epiſcoporum gradu ſuum Ordinem eſſe recognoſcant.* Arguté ſane philoſophatum, vt cum in *De obedientia Epiſcopis conſecrantibus promiſſa. pag. 247.* Ibid. p. 97.

ipſa Ordinum ſuſceprione miris modis, iofinitis riribus, omnium corporis, membrorum, animique ipſius ſubmiſſione, me publico ac parente loco ſubiecerim Epiſcopo, ſi facti illius ſignum priuarim, Norarij vnius manu accipere omiſero, ſtarim Hierarchæ meo ſuppar, &, vr cum Aurelio loquar, collateralis videri affectem. Sed hoc leue, quod prodendo tantùm veneno productum eſt: alia loogè grauiora replico.

## *DE PRIVILEGIO CIRCA interſtitia.*

§. I.

*Interſtitia & functiones inferiorum Ordinũ non ſunt iuru diuini.*

IVRIS, inquit, diuini, & natutalis eſt vt teſtimonio probem me Ordinum ante ſuſceprorum munia exercuiſſe. Quid vocas ius diuinum & naturale? Opinor quod ex Deo & natura orrum, non arbitrio hominis inductum, vbique & ſemper immutabili neceſſitate obligar: quod ſi non conſulis, peccas; ſi non adhibes, exerras; ſi diſpenſatione eludis, eluderis: quòd *neceſſarium immutabile*, D. Bernardus appellar, *non ab homine traditum, ſed diuinitus promulgatum, niſi à Deo qui tradidit, mutari omnino non patitur*: In quod proinde nemo homo, non vniuerſa Eccleſia, non omnes quot ſunr, quor erunt, aut fueruot Pontifices vel hilum iuris propriè habenr, non plus certè quàm in Deum vel naturam. Eſt enim vt alibi fateris *immutabile*. Quamobrem ſi iuris diuini eſt, vt omoes Ordines priùs exerceam, quàm ad ſuperiores gradum faciam, idque à me perfectum fuiſſe ſuperiotis teſtimonio comprobem; hoc neque ſine ſcelere omitti à me poteſt, neque ſi omittatur valida eſt alterius Ordinis collatio; neque eam collarionem ſine graui peccato facere poteſt Epiſcopus, oeque rolerare aur permirrere Ponrifex aut Eccleſia. Atqui conrraria omnia vbique terrarum, ab omnibus locorum omnium Antiſtiribus, in conſpectu ſolis huius, ſpectanre, permirtente, probante Eccleſia fieri videmus, in minorum Ordinum collatione, quorum ſinguli neque priùs exercenrur, quàm ad ſuperiorem deueniatur, neque id lirerarum teſtimonio probatur, neque hoc exigunt Epiſcopi, qui vno die, vna hora, continenter omnes quatuor tradere ſoleot. Illorum igirur Ordinum functio vel iuris diuini & oaturalis non eſt, vel peccar cum ſuis omnibus Hierarchis Eccleſia quæ id illis permittit, & per eos facit, imo quæ nihil facit, & fideles decipit, quos ad Ordines ſe fingit aut putat euehere.

*Bern. l. de præ. & diſpenſ. c. 5.*

*Ius diuinum & naturale eſt immutabile.*

*Hallier in vin. p. 492.*

*Se ipſe confutat Hall. l. de ſacr. ord. p. 855.*

Hanc alibi Doctor agnoſcit, nec improbat in minoribus Ordinibus, eorumque functionibus prætermiſſionem, *Cum in Gallia præſertim inſolitum ſit*, inquit, *in ſingulis minoribus Ordinibus gradatim aſcendendis tempus terere, nec Epiſcopos hac in re negligentiæ, nec ordinatos temeritatis incuſare debemus.* Audis Lector, *Tert tempus* in eorum Ordinum functione, quam diuino & naturali iure præceptam anrea declamauerat? Cum iam minorum Ordioum, *functiones aliquæ tantùm in vſu ſint, diſciplinia circa initiatos ijs Ordinibus aut nulla, aut longè minor vigeat, obligatio eorum fere nulla ſit*, &c. Quid air? *Nulla diſciplina, nulla obligatio viget* in Eccleſia, earum functionum quas Deus & narura imperauir? ram eſt negligens miniſterij ſponſo amantiſſimo debiri, ab eo demandati, eius gloriam magnificè promouentis Eccleſia, vr eius *diſciplinam & obligationem* ſine

*Eccleſiam accuſat negligentia. pag. 894.*

ſcelere

ſcelere & ſacrilegio, vel excidere penitus, vel optima parte minui permiſerit? A quibus autem lethale illud vulnus accepit Ius diuinum & naturale? An à Regularibus? an ab omnibus vniuersè Clericalem militiam affectantibus? an ab Epiſcopis & Summis Pontificibus, ſacra ſua actione, & Ordinum illorum collatione mucronem altè in ſanctiſſimarum legum, iugulum demittentibus? Habemus igitur Doctoris confeſſione alios præter Regulares, qui coniurent in Eccleſiaſticæ *diſciplinæ excidium*, *ordinis ſubuerſionem*, *legum omnium ſtragem*.

*Ordinum functiones minimi momenti eſſe dicit p. 895.*

*1. Tim. 3.*

*Concil. Bracar. 2. c. 38.*

Dices fortaſſe minorum minimam haberi rationem, & de maiorum functionibus, eſſe à Deo legem naturæ inſitam. Cur nouam hanc inter Ordines inducis diſtinctionem, cum vnam Apoſtoli pro omnibus conſtitutionem ipſe agnoſcas, *Probentur primum, & ſic miniſtrent*: vna omnes ratio complectatur, vt ordinatus in officio ſuo *diſciplinam Eccleſiaſticam diſcat, & ſic per ſingulos gradus eruditus ad Sacerdotium veniat?* Sed eſto, admittatur diſtinctio: aſcendamus ad maiores. Quos tandem hoc dignatis nomine? Opinor Subdiaconatum & Diaconatum, in quibus vt ais *celibatus & Clericalis vitæ iucunda profeſſio emittitur*, & corroboratur. De ijs igitur quid cenſes? Quid ſcribis eo loco quem manibus verſamus? *Cum omnium Ordinum, præterquam Sacerdotij, functiones*, agnoſcis tua verba? ego te in illis, *tam minimi momenti ſint, quantùm ad ſalutem animarum populi ſpectat, & Eccleſiaſtico regimini Diaconi iam non æquè ac prioribus temporibus immiſceri ſoleant*, &c. Tuam hic fidem Lector, tuum arbitrium obteſtor, vter noſtrum ſcribendo viuendoque demonſtret apertiùs, quantùm *Eccleſiaſticas legis Clericis omnibus impoſitas flocci-faciat, interſtitia inter ſacros Ordines nihili ducat, functionum exercitium diuinitus inſtitutum contemnat?* Hanc tu nobis irrogas calumniam, eo quo ſcribis libro functiones Subdiaconatus & Diaconatus *minimi eſſe momenti? In ijs gradibus, minorem eſſe probationis ordinandorum neceſſitatem?* Et hæc ſcribis poſtquam diu declamaſti, Regulares *functionum Ordinis ſui teſtimonia proferre debere ex lege diuina, & natura ipſa ordinationis, neque vllum priuilegium adferre poſſe, quo ab hoc onere eximantur*: onere inquam quod *minimi momenti* eſſe iudicas?

*In quo ipſe ſibi repugnat.*

*Poteſt in ijs Eccleſia diſpenſare.*

*Concil. Trid. ſeſſ. 23. de Ref. c. 11. 13.*

*Vt fatetur ipſe Hallier lib. cit. p. 888.*

Sed vlteriùs progredior. Si functio ſingulorum ſaltem maiorum Ordinum, iure naturali prærequiritur, putas-ne in eo diſpenſare propriè poſſe Eccleſiam? Non arbitror. Et tamen permittente Tridentino poteſt Epiſcopus ob *Eccleſiæ vtilitatem ac neceſſitatem* interſtitiorum legem prætergredi, quod tu ipſe non ſemel profiteris. Permittunt etiam non rarò Summi Pontifices, vt extra ſolennia tempora, tribus continuis diebus ordines ſacri ſuſcipiantur. Cui peccatum hîc imputas? Pontifici permittenti? Epiſcopo ordinatori? Clerico Ordinato? Reuoco te ad tua ſcripta; Eum qui ſine legitima cauſa, neglectis temporum interſtitijs aliquem ordinarit, præuaricationis non eſſe damnandum: illum qui ijs omiſſis abſque diſpenſatione ordinatus fuerit, nullam ſuſpenſionem ipſo facto incurrere. Ratam ergo ſi habet Eccleſia talem, cum aliquo etiam contemptu, ordinationem, pergiſ-ne dicere interſtitia temporum, & Ordinum in ijs functiones, iuris eſſe diuini?

*Idem docet antiquum Eccleſiæ ius ex ipſo Hallier pag 892.*

Hic iterum te conſulo, & ad vſum Eccleſiæ reduco. Origenem & S. Felicem ex Lectore, Martinum illum magnum ex Exorciſta, Coſmam & Auſtregiſilum ex Subdiacono Preſbyteros cenſes creatos. Litem in hoc tibi non

Ggg

intendo, quia mihi aduerſùm te faues. Poſſum enim affirmare ſic factos Preſbyteros, vt tamen inferiorem gradum nullum omiſerint; quod ab ijs factum negare non potes, qui ex Subdiaconatu, aut Diaconatu ad Epiſcopatum aſſumpti ſunt. Nemini enim dubium eſſe poteſt, quin priùs Preſbyteri, quàm Epiſcopi ſint conſecrati, licet tu aliud ſentire videaris. Hanc tibi remitto actionem, & te tuis telis vulnero. Ordines, vt fateris, minores maioreſque magni olim Chriſtianæ Eccleſiæ heroës ſuſcipere omiſerunt, cum hac omiſſione, non tantùm veri & legitimi Sacerdotes, & Pontifices agniti ab omnibus, ſed etiam inter ſanctos ab Eccleſia relati: tali ergo omiſſione neque peccarunt, neque de characteris ſui robore & firmitate quicquam perdiderunt. Ordinis igitur præcedentis functio ante ſuperiorem, non prærequiritur iure naturali, cum tute ipſe doceas poſſe non ſuſcipi. Sed ne obſitam antiquitatem, & Canones in damnum Religionis exoletos ſemper eloquar: nunc temporis abſque priuilegio vllo, quid receptum conſuetudine docet Rebuffus nobilis Curiæ Pariſienſis Patronus? Id nimirum, vt poſſit quilibet eodem die, minores quatuor, & Subdiaconatum accipere; modò non ſine examine, & ſcientia Epiſcopi: quam S. Antonino, Cardinali, & alijs antea placuiſſe lego ſententiam: quibus addit Sanchez, neque à Tridentino, neque à Sixto V. neque vlla alia ratione vſum illum eſſe antiquatum. Quid quòd ipſa non rarò neceſſitas Ordinum illorum exercitio cogit abſtinere? Luſtra Galliæ, Hiſpaniæ, Italiæ ipſius pagos & villas; quàm multos in ijs reperies Parochos, qui nunquam Ordinum minorum, nunquam Diaconi & Subdiaconi functiones obire, ſi maximè vellent, potuerunt? Eoſ-ne tu grandis piaculi reos perages? eoſ-ne veros & legitimos Sacerdotes, paſtoreſque negabis? Et tamen contra ius tuum naturale & diuinum, functiones Ordinum à ſe peractas literis & teſtimonio ſuperiorum, Epiſcopo nunquam demonſtrarunt. Quod igitur illi ſine vllo priuilegio quotidie faciunt, id Regulares auctoritate Summorum Pontificum conſequi non poſſunt? Quod illis concedit ſola & nuda neceſſitas, hoc Hierarchæ ſupremi gratia Religioſis multas iuſtaſque ob cauſas promeritis donare non poteſt? Quid? peccat Pontifex, & bonis Eccleſiæ moribus officit, hoc ſi permittit Regularibus priuilegio, quod vicanis Sacerdotibus eripere non poteſt? Quid? *Eccleſiaſticæ diſciplinæ excidium, ordinis ſubuerſionem, legum omnium ſtragem*, per inauditum ſeculis omnibus ſacrilegium moliuntur Religioſi, ſi datis à ſupremo Eccleſiæ Principe gratijs, ſine cuiuſquam inuidia, vſu nemini incommodo perfruantur, quas ruſticanis hominibus, quas perſonis è ſecularis habitus ignominia vixdum emergentibus, priuati quilibet Epiſcopi, ſi videtur, poſſunt concedere? Quæ tandem iſta eſt in Religioſos Ordines contumelia, vt priuilegijs ſuis ius diuinum & naturale peſſundare cenſeantur eo facto, quod ab alijs ſine priuilegij ſpecie, ſine illo bullarum apparatu, liberè liciteque vſurpatur?

*Idem modò vſu receptum eſt.* Rebuff. Prax. Ben. tit. de Clemaiè Ord. Gloſſa 1. n. 18. Anto. 3. P. tit. 14 c. 16 §. 16. Sanch. Conſil. l. 7. c 1. dubio 51. n. 7. & 9.

DE

## *DE TESTIMONIO QVOD ORDINANDI Regulares Ordinarijs offerre debent.*

§. II.

EXTERNVM & ignotum hominem ciuitate donare abſque diligenti examine, nulla vnquam prudentia politico magiſtratui permiſit; quantò igitur accuratior eſſe debet Princeps Eccleſiæ in Clericis admittendis, quorum & auguſtior dignitas, & diuturnius beneficium, & ſanctior auctoritas eſt? Ad apicem illum ordine certo deducantur oportet, & quod in Iudaïco templo vetitum fuit, id in Euangelica conſecratione neceſſarium, vt ad altare gradibus aſcendatur. Accedunt ad Hierarcham, aut vicarium ab illo conſtitutum homines de facie non noti, quamquè ipſi de ſe fidem facere non poſſunt, alieno teſtimonio eloquuntur. Id teſtimonium ab Ordinario conceſſum eſt. Quis autem ille ſit Ordinarius; qui habere debeat præuiam de Ordinando quæſtionem, in quæſtione modò ponimus. Ordinarium ſeu Epiſcopum, à quo quiſquis ad Clericatum aſpirat, in eum catalogum admittitur, triplicem faciunt ſacri Iuris enarratores, Originis, Domicilij, Beneficij. Primum natura dedit non optanti; alterum tribuit libera voluntatis electio; in tertio beneficium voluntati ſuperadditur: à quolibet trium dignus & idoneus ſacram rogaueris Ordinationem, impetrabis. Transfer hanc diuiſionem ad literas, quas vocant, teſtimoniales, illas tibi gratificari poteſt Ordinarius vel cui te ortus & natiuitas ſubdidit; vel quem diuturna commoratione delegiſti; vel is ad cuius Diœceſin poſſidendo beneficio miſſus es. Ita quidem vir ſecularis Ordinum appetens.

*Neceſſarium in Ordinante petitione teſtimonium.*

*Ordinarius triplex.* Rebuff. Prax. Bene. de Cleric. à quib. & quomodo creantur. n. 32. Canoniſtæ ad C. Cum nullus, de tempor. Ordi. in 6.

Religioſus autem quid? Quem notorem adducet? Si Franciſco Hallier credimus, vt omnes aditus exemptioni Regularium obſtruat, Teſtimonium illud quod iure diuino & naturali prærequiſitum falsò & imprudenter aſſerit, ab Regularibus Superioribus accipi prohibet. Atqui Regularium hac in re Ordinarios, eſſe illos ipſos qui à Doctore reijciuntur, Superiores, docent vulgò Canonici iuris Antiſtites, atque in primis Emmanuel ille Rodrigues, quem cupidè nobis opponit, vt infra videbimus. *Cum Prælati Regularium*, inquit, *ſint in concedendis dimiſſorijs ſuis ſubditis veri Ordinarij, ſufficit quòd eorum mores & probitas in dictis literis commendentur.* Sixtus V. in Regularium priuilegijs non nimius, *ſuam mentem eſſe declarauit* (vt refert Capucinus) *Ordinarium non teneri nouam facere diligentiam ſuper requiſitis: ſed in dimiſſorijs de iiſdem fieri debere certificationem, quæ dimiſſoriæ dantur à Prælatis Regularium.* Et eoſdem Prælatos Regularium illic dici Ordinarios, ex communi ſententia docet Suares, à quibus dimiſſorias dari poſſe aſſerit, non Religioſis tantùm Profeſſis, ſed ipſis etiam Nouitijs.

*Regularium ordinarij ſunt Superiores contra Hallier.*

Emman. Rodr. tom. 3. qq. Reg. q. 34. a. 1 & tutè tom. 1. q. 18. a. 5. Capuc. in addit. ad tit. Ordin. ſacr. p. 283. Suar. tom. 4. de relig. l. 3. c. 12. n. 22.

Addo & iſtud ad demenſum, Conciliorum decreta ambitioſiùs citari, quàm diligentiùs examinari ab eodem Doctore Franciſco. Si quidem Regulares intra Domicilij ſui fines volens conſtringere, ab ſolo eius loci Epiſcopo petendos Ordines allegat ex Tridentino; illamque eius Conſtitutionem, vt per omnes orbis Chriſtiani partes ſeruatam eſſe demonſtret;

*Franciſci Hallier oſcitantia in citandis Concilijs.* Pag 641.

in Italia Nucetinam & Arretinam Synodos citat, quarum illa Regulares ad Epiſcopum domicilij, hæc verò ad Epiſcopum originis mittit: vt neceſſariò productam à nobis Ordinariorum diuiſionem agnoſcere debeat. Leuius peccatum eſt in Tridentini allegatione alio loco, cum ſeſſionem ſeptimam producit, vbi ſextam nominare debuit, & ſeſſionis viceſimæ tertiæ caput ſextum, quod reipſa octauum eſt. Vbi iubet Concilium *vnumquenque à proprio Epiſcopo Ordinari*, explicatque Barboſa, Epiſcopum originis ſufficere, idque *non procedere in Regularibus; qui à quocunque Catholico Epiſcopo poſſunt ordinari.* Sequitur in Concilij decreto: *Quod ſi quis ab alio promoueri petat* (quæ verba non producit Hallier, quo animo, ipſe viderit) *nullatenus id ei etiam cuiuſuis generalis, aut ſpecialis reſcripti, vel priuilegij prætextu, etiam ſtatutis temporibus permittatur, niſi eius probitas ac mores Ordinarij ſui teſtimonio commendentur.* In quem locum Cardinalium Congregatio declarat, ſic petenti *concedendam eſſe licentiam; tum infra facta probatione probitatis & morum tantùm.* Hic verò teſtis ordinarius, quis tandem eſſe debeat, idem Conſiſtorium Romanum decernit ſub Clemente VIII. prout ab ipſo aduerſario Doctore refertur, qui ſe ipſe ſolens & more ſuo lædit, dum in alia intentus eſt: *Congregatio Concilij cenſuit Superiores Regularium poſſe ſuo ſubdito item Regulari, qui præditus qualitatibus requiſitis Ordines ſuſcipere voluerit, literas dimiſſorias concedere.* Quo decreto nihil poteſt eſſe expreſſius ad conficiendum vtrunque quod agimus, & dimiſſorias literas à Prælatis & Superioribus Regularium concedi, & eis non exercitatarum in præcedentibus Ordinibus functionum, ſed *probitatis & morum tantùm* teſtimonium contineri. Sed de propoſitione hactenus.

*Pag. 99. Barboſa Remiſſ. in Concil. Trident. ſeſſ. 23. c. 8.*

*Congreg. Cõcilij ad eum locũ.*

*Eadẽ Congreg. citata ab Hallier pag. 642.*

Nunc volupe eſt rationes percurrere, quibus eam Doctor comprobat. Non eſt, inquit, Superiorum Regularium fidei credendum. *Quia teſtimonium ab ijs qui foris ſunt habere debent Regulares, auctoritate Pauli vniuerſim id ſtatuentis.* Acutè dictum! id in Epiſcopo quærit Apoſtolus, interprete S. Ambroſio, vt ipſi Gentiles etiam probitatis teſtimonium perhibeant, & de Regularibus examinandis ab Epiſcopo decerni ſcribit Hallier. Nimirum & *ſi qui foris ſunt* quiqui ſint illi, penitiùs noſſe virum illum poſſunt, quàm qui noctes & dies in illius ceruicibus imminent Superiores, vt paulò ante viderat, minimè ſibi conſtans Hallier, in Abbatis mentione.

*Soluuntur rationes Hallier. Apoſtoli auctoritate abutitur. pag. 92. Ambro. in 1. Tim. c. 3. Sibi contrarius Hallier pag. 92.*

*Quia nemini, vt iure Canonico cautum eſt, in propria cauſa credendum eſt, nec teſtes domeſtici, ſeu ex eadem familia, idonei ad teſtificandum creduntur.* Quo id loco ius Canonicum definit? *Can. ſi teſtes. 4. quæſt. 2.* Quid ibi refertur quod in rem tuam veniat? Aliud ego diuinare non poſſum, quàm hæc verba, *Teſtium fides diligenter examinanda eſt: ideoque in perſona eorum exploranda erunt, in primis conditio cuiuſque, an honeſta & inculpata vita, an locuples vel egens ſit, vt lucri cauſa quid facile admittat. Vel an ei inimicus ſit aduerſus quem teſtimonium fert, vel amicus ei pro quo teſtimonium dat.* Pronunciatum hic tuum non lego, ſed animum peruideo, qui, niſi me coniectura fallit, vis intelligere Lectorem, eiuſcemodi teſtimonia ob egeſtatem domeſticam *lucri cauſa* tradi ſolere, *cum notum ſit*, inquis, *totius Monaſterij intereſſe, vt quamplurimos Ordinibus ſacris initiatos habeat.* Dicas nihil niſi quæſtum in Ordinibus ſequi Regulares.

*Teſtes domeſtici poſſunt admitti.*

*Calumnia Hallier aperitur.*

*Non fauet Franciſco*

Vnde ergo diſcere me iubes in propria cauſa credendum eſſe nemini? Ab oraculo

oraculo videlicet Gratiani; quem vnum ſuſpicis ac veneraris. Quid igitur *Hallier*
ille? *In criminali cauſa non licet teſtem de propria domo produci: in ciuili autem Prælatis Eccleſiæ licet.* *Gratianus 4. q. 2. C. Super.*
Quod Paſchalis ſecundi auctoritate probat compilator, ita ſcribentis. *In criminibus ſiquidem, accuſatorum & teſtium illa diſtinctio obſeruanda eſt, ne qui ad probationem domeſtici aſſumantur. Cæterùm in poſſeſſionum, vel huiuſmodi negotijs, hi potiſſimùm aſſumendi ſunt, qui eadem negotia tractauerunt, de quorum auditu & viſu haſitatio eſſe non debeat.* Ad quam verò cauſam reuocas ordinum ſuſceptionem; ad criminalem, an ciuilem? Addis & *Caput Super eo. 22. de Teſtibus.* Ibi tamen legis Alexandrum VI. definire, *Matre etiam ſola teſtante* *Alex. 6. C. Super eo. 22. de Teſtibus.*
*conſanguinitatem contra filiam ſuam, & eum qui vult nubere, matrimonium contrahi poſſe.* Quis eſt magis domeſticus, quàm Mater filiæ? Illius tamen non ſolùm admittit, ſed etiam ſequitur teſtimonium Pontifex. Producis & *Caput 3. de Procuratoribus*, in quo contra te militat ſtatutum; ſi Archidiaconus iuret factam à ſe reuocationem coram duobus teſtibus, quorum alter iam fato functus ſit, alterius ſuperſtitis & Archidiaconi teſtimonio, litem dirimi debere, ſecundùm eundem Archidiaconum. *Clem. 3. c. 3. de Procurationibus.*
Vult igitur Clemens III. in propria cauſa credi Archidiacono. Alia de meo non proferam exempla; cum te tuis vrgeam. Domeſticos teſtes, idoneos eſſe ex iure tantùm ciuili confirmo, & quidem ex vno Petro Gregorio (quid enim omnes compilem, & grandibus notis anguſtiores faciam margines?) qui cum hoc verè poſuit, *non eſſe idoneos teſtes quos quis de familia ſua produxit, qui & dicuntur domeſtici.* Poſt multa ſic loquitur. *Pari modo probant domeſticum teſtimonium iura, in rebus domeſticis probandis, quæ aliunde probari non poßint, quæ inter priuatos fiunt, & in eo idonei ſunt. Et ſi de controuerſijs Domeſticorum agatur, videtur par affectio Domeſticorum teſtium in Domeſtico; ſiue agatur de criminibus, aut de vita Domeſticorum. Aeque probari innocentiam alicuius poſſe per ſuo Domeſticos, docent interpretes.* Qui locus ſi rationem tuam non euellit & extirpat radi[illegible]tus, Latinitati mox omni renuncio. *Petr. Greg. Synta. Iur. l. 48. c. 13. n. 22.*

Quemadmodum [illegible] ipſe in tertia producenda vim omnem iudicij prudentiæque tuæ tetu[illegible]i, *Cupiditate Ordinis ſui gloriam promouendi, leuiùs de ſuis cenſent.* Imo grauiùs cenſere debent, ſi veram & ſolidam, non vanam & adumbratam gloriam cupiunt, ſi dignos Sacerdotio, quàm Sacerdotes efficere malunt, ſi populis, ſi Hierarchis, ſi Eccleſiæ per ſummam impudentiam nolunt imponere, vt quem omnes leuioris armaturæ eſſe ſciant, eius ſoli *induſtriam ac dotes magnificè æſtiment, Sacerdotij autem dignitatem tenuiter.* Quid ais Franciſce? Superiores Regulares quamplurimos è ſuis, ſacris Ordinibus initiari *ad Ordinis ſui ampliationem & ornamentum, ad Dei gloriam & Eccleſiæ vtilitatem ſpectare arbitrantur*, & iidem *Sacerdotij & Ordinum Eccleſiaſticorum dignitatem tenuiter æſtimant?* Odio & cupiditate traducendorum Regularium, eò te abripi non ſentis, vt contraria loquaris & ſentias, vt tecum ipſe pernicioſiùs, quàm cum illis decertes? Cedo autem quo dicto, quo exemplo, quo ſcripto Sacerdotij dignitatem eleuent Regulares? Percurre ingentia illorum volumina; audi eorum ſacris in exhedris conciones, immiſce te in eorum familiare colloquium, & vnum ex omnibus nomina qui vel leui dicto Sacerdotij amplitudinem violarit. *Sacerdotij dignitatem*, inquis, *tenuiter æſtimant Regulares.* Qui? vetuſtiſſimi illi Monachi, qui munus Angelicis humeris formidandum, ipſi Angelorum vitam in humanis corporibus imitati lacrymis, fuga, membrorum mutilatione, morte etiam diuinitus impetrata *Sibi contradicit Hallier & calumniatur.*

vitabant? Qui? Benedictus, Franciſcus, & ſimilis ſanctitatis alij, quos profundiſſima animi demiſſio tanti miniſterij maieſtatem capere non ſinebat? Qui? Monachi illi quos in Viennenſi & Treuerenſi Concilijs, à te citatis, merum Abbatis mandatum *excuſatione legitima ceſſante ad omnes Ordines ſacros* pene cogit promoueri? Eos enim qui recuſatunt à me adduci oportet, cum nemo mihi perſuaſurus ſit, alios qui Sacerdotium cupidè ambiunt, qui illud ad Ordinis ſui ornamentum pertinere arbitrantur, *eius dignitatem tenuiter æſtimare*. Et quando in hæc tua Concilia incidi, memineris eodem loco Moguntinum à te produci, quod *Prælatos Regulares exhortatur vt Eccleſiæ aliquos ex ſuis commodent, qui operam diligentem in promouenda Religione & pietate impendant*. His precibus inuitati Regulares illi Superiores, veniam vt arbitror mererentur, *ſi quamplurimos è ſuis Ordinibus ſacris initiari, ad Dei gloriam & Eccleſiæ vtilitatem ſpectare arbitrentur*.

Hallier p. 90.

## *DE CLERICALI DISCIPLINA CUM REGULARIBUS obſeruantijs comparata.*

### §. III.

*Alia calumnia refellitur.*

IN EADEM incude fabricata eſt pars illa grandis & verboſæ quæ ſequitur declamationis in Regulares, quòd ij *conſtitutionum ſui Ordinis ſuprà modum zelatores, Eccleſiaſticas leges Clericis omnibus impoſitas flocci-faciant, Clericalem diſciplinam veluti ſe indignam oderint*. Id qua tu libertate obijcis, eadem pernego, & Regulares aſſero vita, moribus, inſtitutis, ad Eccleſiam *non habentem maculam, neque rugam*, & ſanctiſſimos eius Canones, propiùs, quàm ſeculares Clericos accedere: in Religioſorum clauſtris, diſciplina, conſtitutionibus, aio veteris Eccleſiæ ſanctitatem, Canonum obſeruantiam, Concilijs donatum cælitus ſpiritum puriùs nobiliuſque, quàm apud reliquos in ſeculo Clericos cuſtodiri. Meus hic campus eſt: expecto ſi quid contra audes. Neque ſubſidio tibi accedent Hieronymus & Gregorius, Religioſi ipſi & Religioſorum fautores, quaſi cenſeant vniuersè Monaſticas regulas, Clericalibus inſtitutis, & miniſterio Eccleſiaſtico aduerſari: quaſi velint *neminem poſſe Eccleſiaſticis obſequijs deſeruire, & in Monaſtica omni Regula ordinatè perſiſtere*.

*Hieronym. & Gregor. malè ab Hallier intellecti.* p. 93 94.

Hoc de Gregorij magni decréto, quod tanquam triumphi tui ferculum, & iſto loco, & in Vindicijs tuis circumfers, mihi tecum Franciſce res eſt: illudque aio ad rem tuam nullo penitùs modo conducere. Id tu in vno Gratiano legis, ego in Gregorio; tu riuulum ſectaris, ego fontem: ab hoc igitur ordiamur, Gratianum poſtea conſulturi.

Greg. l. 4. epiſt. 1. ad Ioan. Rau. *Quem ex Gratiano citas Hallier & ad Vindicias remittit. Sententiam Hallier non confirmat.*

Locus S. Gregorij à te producitur, vt Lectori probes Clericalem vitam & regulam eſſe Monaſticæ præferendam, ex eo quòd ipſe Gregorius factum ex Monacho Clericum, legibus Monaſticis ſoluendum eſſe pronunciet. Lege Gregorium loco à te producto. Ad Ioannem Rauennatem ſcribit Pontifex epiſtolam, cui præfixus eſt titulus, *Monaſterium Monachorum non per Clericos nec Laïcos ordinandum*. Quid hoc? poſtponi & ſubijci Monachos Clericis expectabam, & alia omnia frons epiſtolæ pollicetur. Exploremus interiora. *Dumque hi qui ſunt in Eccleſijs, fingunt ſe Religiosè viuere, Monaſterijs præponi appetunt, & per eorum vitam Monaſteria deſtituuntur*. Audis? de Clericis loquitur, & ſui

dicti

dicti rationem ſubiungit. *Nemo etenim poteſt & Eccleſiaſticis obſequijs deſeruire, & in Monachica regula ordinatè perſiſtere; vt ipſe Monaſterij diſtrictionem teneat, qui quotidie in obſequio Eccleſiaſtico cogitur permanere.* Quid ait Pontificum æuo ſuo maximus, & religioſiſſimus? Monaſticæ regulæ labem & perniciem creari à Clericis non Monachis, qui Monachorum tegimen ambiant: quia cum abeſſe à Monaſterijs, & in templo diuinis vacare officijs aſſiduè debeant, fieri non poteſt vt inſtitutis Monachorum ſanctè & ſeuerè conſeruandis inuigilent. *Proinde fraternitas tua, hoc quolibet in loco factum ſit, emendare feſtinet, quia ego nullo modo patior loca ſacra vt per Clericorum ambitum deſtruantur.* Rides ad hæc verba Lector, cum cogitas ex hac pharetra telum educi ab Doctore Franciſco Hallier, quo Monachos confodiat, quaſi ij priuatarum legum obſeruantia, publica Eccleſiæ inſtituta peſſundent: huc enim grauis illa quæ immediatè præcedit exaggeratio collineat.

*Per Clericorum ambitum Monaſteria deſtruuntur.*

Aliam, inquit, in rem Pontificis verba Gratianus aduexit. Quid ergo tu me S. Gregorij nomine & auctoritate vis obruere, cum iſte non ſit Gregorij ſenſus, ſed Gratiani, decerpta è Gregorio verba ſuam ad mentem & ingenium contorquentis? Quid Gregorium alienis oculis vides, aliena fide producis? Cur ex eo conficere ſtudes metuendam eſſe à Monachis Eccleſiaſticarum legum ſtragem, cum è contrariò à Clericis ſecularibus Monaſticarum regularum perniciem imminere profiteatur Pontifex, quod ipſa Gratiani quam adnotas Gloſſa teſtatur?

*Non S. Gregorij, ſed Gratiani auctoritas citari debuit ab Hallier.*

Quid autem Gratianus ipſe? Magni Pontificis decreto abutitur, vt oſtendat, eadem Gloſſa interprete, Monachum Eccleſiæ Præfectum non teneri ſeruare Monaſticam regulam accuratam in ieiunijs, orationibus, & vigilijs. Diſtinguis-ne animo Franciſce mi, duûm generum in Regularium clauſtris inſtituta? Alia videlicet Clericorum occupationibus non ſatis conformia, alia autem cum horum regulis arctiſſima cognatione coniuncta. Nam vt exploratum eſt cuiuis ſilentium, ſolitudinem, clauſtralem diſciplinam, nonnulla etiam ieiunia, & eiuſmodi alia quæ plangenti Monacho conueniunt, ad functiones Eccleſiaſticorum Ordinum non poſſe transferri, quæ ſine dubio Gratianus intellexit: Ita nemini obſcurum eſſe debet, quin aliqua votorum obſeruatio, qua regularis eſſentia continetur, pietatis publicus priuatuſque cultus, virtutum penè omnium, vt animi demiſſionis, vt patientiæ, vt fraternæ caritatis, aliarumque iuge, & vt ſic dicam, pertinax exercitium, cui imperando promouendoque Religioſæ conſtitutiones ſcriptæ ſunt, ita cum Clericalibus inſtitutis conſentiant, vt penè inuicem pendere, & mutuas dare operas videantur. Earum conſtitutionum ſi nos *ſupra modum zelatores* poſſe eſſe putat Hallier, aut tales eſſe arguit, aliam libens rationem ex eo accipiam, qua ſecundùm Hieronymi mentem, *ſic agam & viuam in Monaſterio, vt Clericus eſſe merear.*

*Gratiani ſenſus explicatur.*

*Regulares obſeruantiæ duplicis generis.*

Hier. ep. 4. ad Ruſtic. *ſæpè cit. ab Hallier.*

Obedientiam tango, gratum nomen, & finio. Eam Antiſtiti & conſecratori ſuo ſpondet & promittit Religioſus, & tota vita, ſi Religioſus eſſe pergit, religioſiſſimè exhibet, in ijs omnibus, à quibus ſpeciali iure priuilegiorum exemptus non eſt; quæ quàm multa, quamque grauia ſint, metiri ex Epiſcopali poteſtate debemus, cuius immenſam amplitudinem non niſi exigua parte ius Canonicum, & expreſſa ſupremi Hierarchæ voluntas terminat & reſtringit. Vt mihi ſæpenumerò ridere libeat ad illos Doctoris noſtri cla-

*Obedientiā Epiſcopo promittit & exhibet Religioſus conſecratus.*

Ridicula amplificatio Halleri.

mores pro Canonibus contra priuilegia, quæ *diſciplinæ excidium*, *Ordinis ſubuerſionem, legum omnium ſtragem* minantur: quas *leges omnes* ad duas reducit auctor amplificationis, interſtitiorum & functionum in ſingulis ordinibus omiſſam obſeruantiam.

Alia calumnia in Monachos S. Benedicti.

Quo eodem genio, Regulares omnes obedientiam Prælatis debitam ſubterfugere indicaturus, id in Abbatibus & Monachis S. Benedicti conatur oſtendere: quaſi in eorum verba cæteri omnes cuiuſcunque Ordinis & conditionis Religioſi iurare iurauerint. Eius autem argumentum hoc eſt, quia *ſuperſtitione, aut ſuperſtitionis ſimulatione*. (myſterium ſonant hæc verba) *apud ipſos inualeſcente, ipſi Summo Pontifici obedientiam iurare aliquando renuerint*. Ingenuum hic nihil video, niſi quòd ad fontem intendit digitum, & rem geſtam à Chronico Caſſinenſi monet ediſcere, vndè manifeſtæ calumniæ reus peragatur. Nam cum Pſeudopapam Anacletum fouerent Caſſinenſes Monachi, neque in Sacramentum Innocentij legitimi Pontificis, pendente adhuc lite, & dubia controuerſia iurare in animum inducerent: quis non videt Religionis prætextu abuſos, parum modeſtè Innocentij legatis reſpondiſſe. *Sibi neque per Euangelium, neque per B. Benedicti regulam fas eſſe iurare, idque item à ſua, maiorumque abhorrere conſuetudine: ac per idem ne fidem quidem ſuam cuiquam iuramento promiſſuros: quippe cum ſibi ipſis fideles eſſe non poſſent, ſi quæ Deus vetuit, facerent, & ea committerent quæ D. Benedictus obſeruari præcepit.* Quæſitum autem hunc peruicaciæ colorem rei poſtea euentus edocuit. Nam cum in iſtam pacificationem Lotarius optimus Imperator ſe immiſcuiſſet, & Pontificem ab ira, Caſſinenſem Abbatem à peruicacia feliciter abduxiſſet; hic *deductus ad tentorium Papa* (addit hiſtoricus) *iurauit in hunc modum. Ego Rainaldus refuto & anathematizo omne ſchiſma, & omnem hæreſim extollentem ſe aduerſus ſanctam & Apoſtolicam Eccleſiam*, &c. Idem ab ſuis Monachis exegit, vt obedientiam & fidem, quam D. Benedicto, ſibique exhibuerant, eam in manu Pontificis promitterent. Qui non tantùm Summo Pontifici Innocentio, perpetuo ſe Sacramento adſtrinxerunt; verùm hoc etiam addere voluerunt, vt ſi qui Abbas Romano Pontifici minus eſſet obediens, eo deſerto ad Cathedram Petri, & Eccleſiæ columnam adhæreſcerent. Vides Lector, fidem Doctoris, rei geſtæ narrationem optima parte delumbantis, quia prior ad demonſtrandam ſuperſtitionem & concitandam inuidiam ſufficiebat. Sic enim nouo quodam modo ratiocinari nos iubet. Monachi Caſſinenſes Innocentium, nondum ab omnibus Catholicis pro legitimo Pontifice agnitum, cum admittere ipſi recuſarent, *ſuperſtitionis ſimulatione* ſunt abuſi, quò iuramentum ipſi debitum ſubterfugerent: quod tamen ſibi poſtea, & Eccleſiaſticæ paci reſtituti ſanctiſſimè præſtiterunt. Ergo Abbates omnes & Monachi, ergo Religioſi omnes vbique terrarum degentes, nulla non arte, nullo non dolo malo, etiam *ſuperſtitione* ſi opus eſt, aut *ſuperſtitionis ſimulatione*, ad negandam Eccleſiæ Prælatis, & Hierarchis ſuis obedientiam graſſantur. O verè nouitatis amatorem, qui ſic argumentari exemplo vel arte perdoceat!

Refellitur rei geſtæ narratione ex Chron. Caſſin. l. 4. c. 109.

Ibid. c. 116.

Enormis paralogiſmus.

SOCIE-

## *SOCIETATIS IESU PRIVILEGIA CIRCA Ordinum ſuſceptionem aduerſus Franciſcum Hallier propugnata.*

§. IIII.

VENIAM dabit iterum Lector non iniquus, ſi quid in mea cauſa eloquor, ſi ordinem propugno cuius caput potiſſimùm petitur, per cuius latus alij vulnerantur. Id vt procedat ordine, rem ipſam quæ oppugnatur expono. Priuilegium eſt à Pontificibus Summis Ordini noſtro conceſſum Paulo III. optimo Societatis Ieſu patente, & Gregorio XIII. eximio fautore & patrono, quod ſemper cum ſumma grati animi ſignificatione præ nobis feremus, quo licere volunt magni Hierarchæ, Ordines ſacros ſuſcipere *à quibuſcunque voluerint* Superiores noſtri *Antiſtitibus Catholicis, & quidem abſque vlla functione in Ordinibus ipſis, interſtitiorumque ad illos ſuſcipiendos obſeruatione, aut inquiſitione de cantu, officijs, & caremonijs Eccleſiaſticis.* Cauſam facti proferunt Pontifices, quia *dicta Societatis ac diſciplinæ alumni, nulli Eccleſiæ, nulli-ve certo loco mancipati ſunt; ſed veluti viatores omni tempore parati, expectanteſque diem & horam, qua vel ad extremas orbis regiones, cum veniæ vſus, emittantur: & in ipſa Societate idoneos tantùm & comprobatos ad ſacros Ordines promoueri intellexerunt.* Prius diploma Paulus III. Tridentini Concilij auctor & promotor, anno Chriſtianæ æræ 1549. conceſſit: Poſterius Gregorius XIII. (quem Emmanuel Rodericus vt *nimium obſeruatorem decretorum Concilij Tridentini* ſugillat) anno 1582. longè poſt abſolutum Concilium, cuius & mentionem facit his verbis. *Nonnulli tamen Antiſtites, poſt Concilij Tridentini decreta, eos ſic præſentatos, priùs in cuiuſque tam minorum, quàm ſacrorum Ordinum huiuſmodi præſcripto munere exercitatos, &c.* His primæ Sedis beneficijs ſine cuiuſquam iniuria, beneuolentibus Antiſtitibus tot iam annis perfruimur, ipſa præſcriptione ſecuri, vt minimè timendus eſſe videatur impetus Doctoris noſtri, nos ab antiqua poſſeſſione exturbare conantis.

*Priuilegia Societ. Ieſu conceſſa à Paulo 3. Bulla, Licet debitũ, & à Greg. 13. Bulla, Pium & vtile.*

*Cauſa talium priuilegiorum.*

Emman. Rodr. tom. 1. qq. Reg. q. 18. a. 6.

Sic enim agit, hoc priuilegium cauſam habere *vel falsò ſuppoſitam, vel certè iam ceſſantem.* Siquidem priuilegiorum *aliqua conficta eſſe non dubium; cætera apud quoſdam tantùm collectores, qui de ſuis vt lubet decidunt, mutila nec integra vt plurimùm reperiri: aliqua importunis precibus extorta, alia per obreptionem conceſſa.* Quare neque illi habendam fidem, neque vim & robur permanere, præſertim cum *hoc priuilegium à Sixto V. reuocatum eſſe, in Bulla contra malè promotos, doceat Emmanuel Rodericus.*

*Contra hæc priuilegia quædam opponit Hall.* l. de ſacr. ord. p. 55. & repetit pag. 644.

Huic Pontificiorum diplomatum examini priuſquam ſatisfaciam, mentem mihi ſuam aperiat Doctor poſtulo, agnoſcat-ne, an neget datum eiuſmodi beneficium? Nam ſi conſtat *aliqua eſſe conficta*, ſi eius cauſa *falsò ſuppoſita eſt*, nunquam verè valideque conceſſum fuit; *ſi precibus importunis extortum eſt*, aut ſi *iam cauſa ceſſauit*, fuit aliquando & conceſſum & vſurpatum, non ſine cauſa: quæ quia ceſſaſſe iam dicitur, euanuiſſe putatur priuilegium, quod olim certa ratio ratum ſanctumque faciebat. Quid ais Franciſce? veritati remotis ambagibus litandum eſt. Vis eſſe *confictum*? Næ perditæ mentis & conſcientiæ Ieſuitas, qui *conficta* priuilegia pro veris *iactitent*! qui Eccleſiæ toti,

*Reſponſio non eſſe conficta.*

eiuſque Hierarchis illudant! qui Romæ in oculis Summorum Pontificum, in proſpectu Cardinalium omnium adulterinas Bullas quæ nuſquam dictatæ, viſæ, lectæ, ſignatæ fuerunt, Cameræ Apoſtolicæ typis tradant excudendas! O facinoroſos iterum & ſacrilegos homines, qui ſuppoſititijs priuilegijs ad capeſſendos Ordines contra ius omne faſque abutantur! Vbi Vaticana fulmina in publicos illos falſarios & impoſtores? Quid dicam de cæteris apud omnes gentes ſcriptoribus, quorum tantus ſtupor eſt & ignorantia, vt commentitias Bullas admittant, venerentur, explicent, in quibus argutæ naris Doctor Hallier vnus in orbe vniuerſo falſitatem olfaciat? Mauis vt arbitror eſſe *per obreptionem, & cauſam falsò ſuppoſitam, conceſſum.* Bene eſt, reperimus criminis noſtri conſortes. Peccant Ieſuitæ calliditate & vafritia, Summi Pontifices ſtoliditate: graſſantur malis artibus in fidelium deceptionem Ieſuitæ, Romani Antiſtites mentis imbecillitate, qui ſibi ab ijs tam crebrò ſinant os ſublini, quodque admirabilius eſt, & exempli in omnem poſteritatem pernicioſiſſimi, ſimplicitatem Pauli III. Patroni ſui de ſe modis omnibus benemerentis, dolo iſto malo, & iniquiſſima fraude circumuenit Ignatius, quem ſanctum ſequuti Pontifices appellarunt, & Eccleſiæ toti ſupremis honoribus colendum propoſuerunt. Quis igitur cauſam illam *falsò ſuppoſitam* in Conſtitutiones noſtras immiſit? Quis ad eam, tanquam ad finem media quamplurima decreuit? Cur in ipſa prima noſtri inſtituti approbatione verbis grandibus, & magnificis ſententijs exponitur?

Conſt. P. 4. c. 2 §. 4. & P. 6. c. 3. §. 5. Paul. 3. Bulla, regimini militantis Eccleſiæ. an. 1540.

Fuerit hæc olim, inquis, vera minimeque fucata ratio: iam certè *ceſſauit.* Si verè fuit aliquando, cur criminatis *ſuppoſitam?* Cur eius occaſione priuilegia *conficta, extorta, obreptitia* commemoras? Cur in hanc potiſſimùm ſedem inuidioſas haſce voces intruſiſti? Peruideri à nobis animum tuum non ſentis? Ad priuilegiorum recognitionem verba illa non collineant? Illam recognitionem ad quam tanta te cura & ſtudio comparas, quam ardenter affectas, cui totis animi viribus inhias, & iam gloriaris tanquam vngues digitoſque tibi nota eſſe legitima, & adulterina Regularium priuilegia. Nondum eò res proceſſit, ne ſpera: tibi iam hinc quieto eſſe per nos licet: certamen hoc neque ſine Apoſtolica auctoritate, neque à nobis inibitur: hoc ſcito, & interim dum illa ſcribis, Pontificia execratione te deuotum eſſe memineris, vt iuſtior te cauſa, quàm examinandorum priuilegiorum cum ſodalibus tuis Aurelijs Romipetam faciat, vbi vos Pœnitentiarius cum vindicta ſua expectat. Audite Pontificem. *Vt contradicentium audacia coërceatur, præcipimus in virtute ſanctæ obedientiæ, nec non inhabilitatis ad quæuis officia, & beneficia ſecularia, & quorumuis ordinum regularia, eo ipſo abſque alia declaratione incurrendis, quarum abſolutionem nobis & ſucceſſoribus noſtris reſeruamus, ne quis cuiuſcunque ſtatus, gradus, & præeminentiæ exiſtat, dictæ Societatis inſtitutum, Conſtitutiones, vel etiam præſentes, aut quemuis earum, vel ſupradictorum articulum, vel aliud quid ſupra dicta concernens, quouis diſputandi, vel etiam veritatis indagandæ quæſito colore, directè vel indirectè impugnare, vel eis contradicere audeat.* Quod vos cōfidentiſſimè pertinaciſſimeque facitis, dum eius inſtituti finem, dum vota, dum officia & munia lancinatis. Succinit huic Gregorio, Gregorius alter, & eius Conſtitutionem cum omnibus & ſingulis in ea contentis approbat, & innouat, *Vt,* inquit, *perturbatorum & contradicentium audacia coërceatur, ac ne ipſi, vel pernicioſo eorum exemplo alij in poſterum, quæ ab hac Apoſtolica ſede ſemel ſtabilita ſunt, præcipuè circa*

*Verum pr Hallier, ſed uanum & ſimile conſi lium aperis mr.*

*Hallier & Aurelius excommunicationem latæ ſententiæ incurrerunt.*

Gregor. 13. Bulla, Aſcendente Domino. an. 1584.

Grego. 14. Bulla, Eccleſiæ Catholicæ. an. 1591.

*ea Regularium Ordinum inſtitutionem & confirmationem, impugnare, aut eneruare impunè præſumant.* Quibus decretis ex pœnæ, quas alij ante Pontifices comminati fuerant, reipſa irrogantur, ijſque ſe, otio ſuo, dum æſtus ſcribendi reſederit, noſtri vindices vindicabunt; Redeo in viam.

Ceſſat, inquit, cauſa priuilegij. Quamobrem? Quia ordinandi *vltimum profeßionis votum, vt plurimùm, non emiſerunt.* Quàm malè tibi notus eſt ordo quem labefactare conaris! quanta te Conſtitutionum ignorantia tenet in quas machinæ tuæ arietant! Rem tuam ab aduerſario promoueri oportet, & diſcere, neminem ordinandum vnquam vltimum profeſſionis votum emiſiſſe, quia nemo ante Sacerdotium ad illud admittitur. Quid inde deducis? *Ad longinquas* proinde *profectiones non obligari*: certè ex voto: *Nec ad eas mitti ſolitos.* Id quàm falsò proferatur, docet quotannis renouata ſub muſæi tui feneſtris Canadenſis nauigario, ad quam Pariſienſes non pauci, probatæ virtutis iuuenes è Claromontano Collegio educti ſunt. *Imo neque ex vltimò profeßis, niſi paucißimos, & ſtatis ſolùm temporibus.* Vellicandi libidine dicuntur iſta, non diſputandi neceſſitate, quæ rem non tangunt, quæ ordinum ſuſceptionem præteruolant, quæ magna temeritate confidentiaque proferuntur. Quis enim tibi certus vates renunciauit è Belgio in Hollandiam & Britanniam, ex Italia & Gallia vniuerſa in Aſiam, è Luſitania in Indiam, ex India ad Siuas & Iapones, ex Hiſpania ad Braſilos & Mexicanos *paucißimos è Profeßis, & ſtatis ſolum temporibus* ſoluere? Si pauci Profeſſi Pariſijs tibi forte non ignoti, verno ſolùm tempore cum mare aperitur ſemel quotannis ad Barbaros Canadenſes traijciunt; ideone minùs reliqui tota Societate profeſſi *veluti viatores* eſſe debent, *omni tempore parati expectanteſque diem & horam, qua vel ad extremas orbis regiones, cum venit vſus, emittantur?* An ij tantùm parati ſunt, qui emittuntur? An ſi *paucißimos* nauigationis neceſſitas *ſtatis temporibus* illigat, cæteros omnes *cum venit vſus* inopinatus, repentinus, vrgens, *omni tempore diem & horam* prohibet *expectare?*

*Cauſa priuilegij non ceſſauit.*

*Exam. c. 1. §. 4.*

## *ILLA PRIVILEGIA NON ESSE REVOCATA monſtratur.*

### §. V.

SED infirmum hunc arietem, alia machina ſuſtinet & corroborat. Priuilegium agnoſcit; ſed reuocatum à Sixto V. Pont. Max. ex ſententia Emmanuelis Roderici. De huius ſcriptoris nobiliſſimi opinione non controuerſabor: ſcio à nonnullis ipſum in contrariam penitus adduci partem; ſed tibi vt aſſentiar, faciunt apertiſſima illa verba, circa *magnum*, vt vocat, *priuilegium* à Gregor. XIII. conceſſum, *Et licet poſt dictum Concilium* (Tridentinum) *habeant Regulares priuilegium Societatis ſuperiùs allegatum, hoc tamen priuilegium eſt reuocatum à Sixto in Conſtitutione contra malè promotos.* Id tamen neque tibi, neque Emmanueli Roderico concedam, vt reuocatum eſſe profitear. Nam ſi Doctorum auctoritate vis agere, cum nudè & abſolutè credere nos iubeas reuocatum eſſe, quia ſic cenſuit Rodericus; vni illi ſcriptori, agmen aliter ſentientium tibi oppono, Flauium Cherubinum, Hieronymum Rodrigues, Villalobos, Ioannem à Cruce, Ledeſmam, Dianam, & ſi domeſticos teſtes non

*Priuilegium Gregorij 13. non eſt reuocatum.*

*Probatur auctoritate.*

Flau. Cher. a. P. Cōp. Bulla 77. Grego. 13.

Hier. Rod. Compend. reg. qq. reſp. 116. n. 1. *Affirmat id iuuum eſſe, & lectum.* Villa. Summa

teijcis, Thomam Sanchez, & Gaſparem Hurtado, & alios communi omnes voce, vnoque conſenſu. Quòd ſi tam ſanctam eſſe placet vnius auctoritatem, vt in eius verba iurare nos adigas, de interdicto Pontificio, quod vos Cenſurarum vinculis implicat, vt modò demonſtrabam, audi quid ſentiat, & time quod edocet. Poſt Gregorij XIII. graue decretum, quo prohibetur *diſputatio de concernentibus ad Societatem, ſi proponitur ad ipſam impugnandum, vel contradicendum, etiamſi hoc fiat ad indagandam veritatem, & mente ſyncera*, in ea diſputatione verſari, licere Catholico nemini. Quoniam ea *nec eſt neceſſaria, nec vtilis; imo parit diſcordias, inuidias incitat, inimicitias gignit in animis. Sicut etiam in primordijs Ordinum Prædicatorum, & Minorum ordinauit Alexander IV. Pontifex Maximus contra quendam Guillelmum de ſancto Amatore, & alios Vniuerſitatis Pariſienſis, ſtatum harum ſacrarum Religionum damnantes.* Ipſis auctoris tui te verbis conuenio, exemplo prouoco, excuſatione verbero. *Vnde ego articulo ſuperiori, diſputans de ipſa ſacra Religione & ſtatu, ſolùm rationibus & iuribus ipſam à contrariorum argumentis defendere ſum conatus.* Quod ſi in hac Pontificiarum Bullarum cauſa, ipſum etiam patrocinium pene periculoſum videtur viro ſapienti; quid toties vellicata inſtituti mentio, toties intruſa Pontificiorum beneficiorum ſugillatio, tam animosè ſuſcepta ab Aurelio Religioſi noſtri Ordinis euerſio, ruinæ ſpiritalis debet adducere?

tom. 1. tr. 21 diffi. 12. n. 8. Ioan. à Cruce Direct. Cō. P. 2. dub. 2. concluſ. 2. Ledeſ. tom. 2. Summæ. c. 8 rel. 112. Sanch. l. 7. Conſil. c. 1. dub. 54. n. 7. Gaſpar. Hurta. l. de Sacr. tr. de ord. diſ. 25. Emm. rod. qq. Regol. tom. 1. q. 1. a. 5.

*Reuocatio nō valet niſi expreſſa.*

Emm. rod. tom. 3. qq. Reg. q. 23. a 8. Nau. tom. 1 l. 3. tit. de Reg. conſi. 1 & tom. 2. l. 5. tit. de Priu conſi. 7. ex Decio conſi. 165. n. 5.

Rationem ſi mauis, tuo iam propugnaculo deiectus, illam ego à Sixti V. quæ affertur Conſtitutione non hauriam, cum ingenuè fatear nunquam à me lectam, vt quæ nec apud Emmanuelem ipſum Rodericum in eius Bullario, nec in alijs in quæ incidere potui Bullarijs reperiatur: pars enim illa quam explicat Rodericus, rem noſtram non attingit. Intereſt autem ſcire quibus verbis in ea reuocatione vtatur Pontifex, cum Nauarri, Decij, aliorumque Canoniſtarum communis ſit opinio, vbi ad reuocationem requiritur expreſſa mentio, & ea non fit, non valere reuocationem, quarum vix vlla, illam quæ requiritur continet.

*Sequentes Pontifices illud priuilegium approbant.*

Gregor. 14. Bulla, Eccleſiæ Catholicæ. an. 1591. Paulus 5. Bull. Quātùm relig. an. 1606.

Ac licet ijs beneficijs à Pontifice Sixto derogatum eſſe concedam, erit mihi tamen adhuc perfugium in Sixti ipſius ſucceſſoribus, Gregorio XIV. & Paulo V. qui emortua illa, ſi Emmanueli & Hallier fides, priuilegia vitæ nobiſque reſtituunt, dum *laudabile Societatis inſtitutum, Conſtitutioneſque omnes ac ſtatuta & decreta, ac quæcunque alia eius priuilegia, facultates, exemptiones, immunitates, gratias, & indulta à prædictis, ſeu etiam ab alijs prædeceſſoribus, approbant & confirmant*: & quidem non ſine honorifico laboris noſtri teſtimonio, dicente Paulo. *Quantùm Religio Societatis Ieſu in Eccleſia ad fidei, pietatis, & Religionis augmentum profecerit, & in dies magis proficiat nos ipſi ſcimus, & Chriſtiana Reſp. nouit vniuerſa.*

*Saltem probabilis noſtra ſententia eſt.*

Emm. rod. tom. 1. qq. Reg. q. 18. a. 6. Pariſius l. 1. conſi. 61. n. vlt. Alciat. reſ. 19. tr. 4. Diana 4. P. tr. 3. reſ. 28. Diana ibi. tr. 4. reſ. 4.

Quæ rationes omnes, vt modeſtiſſimè dicam, probabilem, vt minimùm reddunt noſtram defenſionem: quam illi probabilitatem nec Emmanuel quidem Rodericus negat, eo ipſo loco vbi contrariam ſequitur. *Ac licet*, inquit, *ſupradicta ſint probabiliter dicta.* Atqui in dubio (quantò magis in probabili?) priuilegium non præſumitur reuocatum, ait Pariſius, Alciatus, & alij. Sic dubius de ſua Iuriſdictione, poteſt confeſſiones audire, inquit Diana. In ſacramentis quoque licere ſequi probabilem ſententiam, deſerta probabiliori, & à Papa, vel Eccleſia tunc ſuppleri Iuriſdictionem, docent idem Diana, Bonacina, Malderus, & plures alij.

Conteſtatam

Conteſtatam vt arbitrot litem habes, Lector, quam nobis ſatis infelicitet mouit Halliet. Addo iſtud in cauſa communi, nihil quàm prædicta efficaciùs, aduersùs ptiuilegia omnia quorumcunque ordinum, è Tridentini auctoritate ab eodem Doctore depromi. Vult enim non ſemel nobis perſuadere, à ſanctiſſimo, vt verè appellat, prudentiſſimoque Concilio priuilegia iſta videri teuocata. Ad hæc duos producit locos, quorum priote, neque Regularium, neque priuilegiorum fit vlla mentio. Poſteriore autem, hæc verba leguntur, *cuiuſuis generalis aut ſpecialis reſcripti, vel priuilegij prætextu*. Ea verò voce ſignificari volunt auctotes, non omnia, ſed conficta ſolùm priuilegia reuocari. Hæc eſt Gonzalis expoſitio dictionis *prætextu*, quam ait idem ſignificare, *quod ſub velamine, vel colore alicuius rei quæ non eſt, vel iam deſijt eſſe, ſeu falſa eſt*. Ad eum modum (vt hanc hypotheſin alterius ſimilitudine confitmemus) auctores habeo non paucos, qui negent Bulla Cænæ priuilegia Regularium reuocari, quia hoc vnum vetat, ne abſoluant *prætextu priuilegiorum*. Eadem eſt illorum ſententia, qui eadem Cænæ Bulla non obſtante, práxim vbique eſſe profitentur eam, vt virtute Bullæ Cruciatæ, reſeruata in Bulla Cænæ peccata relaxentur, quia hæc tantùm teuocat poteſtatem abſoluendi *prætextu priuilegiorum*. Sic Bulla Iobelæi, & Cruciata, non ſuſpendi priuilegia Regularium, quia ſolùm vetant abſolui *prætextu quarumuis facultatum*: Sic denique priuilegia Principibus à Summo Pontifice conceſſa, reipſa non antiquari per Bullam Cænæ, quia reuocat tantùm facta *prætextu priuilegiorum*, docent qui inutilitet citari poſſunt Canonici iuris interpretes. Huc adijce & Rodericum illum mihi oppoſitum, vt alios omittam, qui cum illo docent, Tridentini Concilij decretis Regularium priuilegia non eſſe reuocata, pro foro, vt vocant, interno. Omitto nubem teſtium, quibus non videtut Tridentinum priuilegijs Regularium vllam reuocationis notam inuſſiſſe. Iam quod diſputationis neceſſitas exigit, dicta hæc omnia in ſummam colligo, cui vni Doctor Hallier, ſine ſtomacho reſpondebit.

*Bonac. in Decal. diſ. 2.q.4.p.9. n.19.*
*Mald. 1. 2. q.19.a.5. diſp.86.*
*Priuilegia Regularium à Trident. non ſunt reuocata.*
*Hallier pag.55. malè citat Trid. ſeſſ. 23.c.17. Ibid. c. 8. de reform.*
*Quid ſit prætextu priuilegiorum aliquid reuocari.*
*Gonzal. in Reg. 8. Concell. Gloſſa 57. n.2.*
*Emm. Rod. tom.1.qq. Reg.q.8. a.9.*

Priuilegia ſemel ita conceſſa vt ijs generali aliarum Bullarum formula, ſine expreſſa mentione non derogetur, neque ſequentes Pontifices, neque Concilia, ſi illa non exprimunt, reuocare cenſentur. Atqui priuilegium Societari noſtræ à Paulo III. conceſſum, à Gregorio XIII. confirmatum, vt ſine temporum legitima intercapedine, & prætermiſſis Ordinum ſingulorum functionibus, ad Ordines promoueri poſſint ſocij, & aduerſarius ipſe datum agnoſcit, & ſine expreſſa mentione reuocari non poſſe conſtat ex ipſis Bullis, nuſquam autem in Bullis aliorum detogatorijs nominatim ſignificatum eſt: ergo hoc magnum priuilegium, vt vocat Rodriguez, neque ſequentes Pontifices, neque Tridentinum Concilium reuocarunt. Et quoniam alibi luget Zelotes noſter, eorum Regularium audaciam, qui reuocatis priuilegijs abutuntur, cum alia non ſit illa reuocatio, quàm quæ à Doctore fingitur, hoc iterum ſyllogiſmo conueniri ſe permittet. Quæ ſententia nonnullis probatis doctoribus placet, ea non tantùm dubia, ſed etiam probabilis eſt, & tuta conſcientia in praxim reducitur: Atqui priuilegium iſtud neque à Tridentino Concilio, neque à Sixto V. reuocatum eſſe quamplurimi graues & docti viri aſſerunt: imo qui vnus contrarium ſenſiſſe dicitur Emmanuel Rodrigues, à multis pro noſtra opinione producitur: ergo noſtra hæc aſſertio probabilis,

*Summa diſputationis.*

& tuta eſt. Dolorem ergo ſuum, & lacrymulas alteri, ſi quis erit, abuſui Doctor Hallier reſeruabit.

## DE ALIO PRIVILEGIO CVM EODEM *Doctore diſputatum.*

## §. VI.

*Conſilium nobis attributis priuilegium, de non alendis iis qui dimittuntur à Societate. pag. 97.*

HABET neſcio quid iucundi pugna, maximè cum hoſte glorioſiore, quàm cautiore: ita laceſſitus improuidè, à repetendo Doctore noſtro abſtinere non poſſum, quia frequenter latus nudat, & ferrum recipit. Promouendis ad ordines priuilegium adſtruxi ſuum, aliud in promotis comminiſcitur. Eorum commiſeratione permotus qui ſacræ Religioni nuntium, etiam per ſummam in Deum perfidiam & apoſtaſiam remittunt, vult Monaſteria & Conuentus adſtringi *ad alimenta ex ſuis reditibus danda, ne in opprobrium Cleri ſtipem corrogare cogantur.* Et ne nos hic etiam intentatos relinquat, ſubdit. *Scio Religioſos Societatis Ieſu, quædam in contrarium iactare priuilegia, ſed nec ea apparent, nec contra prædicta directè militant.* Ea priuilegia contineri monent margines *Compend. Priuileg. Societ. Ieſu. l. Ordo.* §. 1. Sic enim locus citatur.

*Aduerſarij conſilium aperitur.*

Ego verò Religioſus Societatis Ieſu hæc *iactari priuilegia* neque lego, neque credo; cum expreſſum in eam rem habeamus omnino nullum, cum productus Compendij locus nullo verbo, nullo apice priuatim illud annotet; cum nos hactenus ab iniquiſſima eiuſcemodi hominum poſtulatione non priuilegio, ſed iure defenderimus. Multa dico, cum hæc dico, & ſuppoſitum à Doctore dico priuilegium iſtud, vt cum de eo rogati, nullum diploma Pontificium producere poterimus, eandem falſitatis ſuſpicionem, ad cætera quibus fruimur, ignari aut maleuolentes traducant.

*Nulla Religio deſertores, nos alere tenetur.* Emm. Rod. tom. 1. qq. Reg. Reg. 4. q. 30.

Hunc igitur cuniculum vt euentilem, Aſſero in primis nulli Religioſo Ordini hanc eſſe impoſitam neceſſitatem, vt ſuos deſertores, ſeu vitio illorum, ſeu quo alio caſu id eueniat, extra Monaſterium alere teneatur. Nam cum omnium Regulis communiter decretum ſit, vt aliqui ob grauia quædam delicta, vel ſi emendari nolunt ter quater-ve conuicti, puniti, excommunicatione percuſſi, poſſint ac debeant eijci, atque hanc conſtitutionem probarint Pontifices Maximi, admiſerint populi, iura canonum agnouerint: nulla tamen vnquam ab inſtitutionis ſuæ exortu, ſacra profanaque lege, nullo Senatuſconſulto, nullo diplomate Pontificio ad illud penſionum genus adacti ſunt. Quis igitur nouus deſertorum apoſtatarumque patrocinator illi iugo Religiones adſtringat? Conſulantur omnes Iuris Monaſtici conſulti, qui fugitiuorum, eiectorum, apoſtatarum cauſam in quæſtiones & articulos digerunt, ſi quis ex omnibus difficultatem hanc in medium proponit, à quo illæ Religionum vomicæ ſint alendæ? Exquiratur vſus ipſe, qui nonnunquam iure legis obligat, ſi vel in perditorum gratiam ſuis ſe bonis exuant Monaſteria, vel illi vulgò id fieri ſperent, obtendant, poſtulent? Ad rationis tribunal ea cauſa deducatur, ſit-ne æquum bona ſanctorum, pretia peccatorum, crucifixi poſſeſſionem, in rebelles & decoctores homines profundi, panem filiorum

mitti

mirri canibus, vota fidelium in vſus non dicam profanos, ſed pene ſacrilegos conuerti, egeſtate confici piorum cœtus, dum impietas & apoſtaſia de iuſtorum ſimplicitate in luſtris rriumphat & ganeis? Sit-ne iuſtum hoc infligi Religionibus vulnus, has apoſtaſiæ bifores valuas aperiri, his præmijs ſacrilegia compenſari? Hoc ſi ſuadeat velirque fieri, num eodem iure Ordinum Regularium perniciem diſſolutionemque opret & expetat?

Obijcit tamen decreta nonnulla Conciliorum Prouincialium, Mediolanenſis ſub S. Carolo Borromæo, & Burdigalenſis ſub Eminentiſſimo Cardinale de Sourdis: quorum altero ſtrictè cauetur ne Clericus Regularis priùs ordinetur, quàm is ſe profeſſum eſſe iuratus affirmarit, manuque propria ſignarit: altero etiam vt Ordinati ſi quo ſe crimine conſtrinxerint, ne poſſint habitu Religionis priuari, ſed intra monaſteriorum ſepta puniri & ſuſtentari. Sed hi Canones cum priuati ſint, publico iuri derogare non poſſunt: cumque id quod in quæſtione eſt, non definiant, extra propoſitum afferuntur. Quæro autem ex eo quòd recens Burdigalenſis Synodus vetet incorrigibiles habitu Religionis priuari, continuo-ne conſtitutiones omnes Religioſæ, indulta Pontificum, vſus immemorialis, rationum maximarum momenta euaneſcere debeant, & ius nouum à Synodo Burdigalenſi latum, Europam, Aſiamque totam poſſit conſtringere? Non arbitror, inquies. Quam igitur in rem noua Synodus, temporum vetuſtati; priuatum decretum, iuri communi; conſtitutio vſu non recepta, diuturnæ conſuetudini opponitur? Idem à me reſponſum puta recenti quam allegas comitiorum Eccleſiaſticorum declarationi, cuius ne eadem quidem eſt quæ Synodi Prouincialis auctoritas, neque vſquam reducta in praxim: Siquidem ab eo tempore nullus Epiſcoporum Gallicanorum, aut Religioſos Ordines ad eam promiſſionem impulit, aut recuſantibus Religioſis Hierarchicam manuum impoſitionem denegauit.

*Obiectio à Concilijs Mediola. & Burde.*

*Reſponſio.*

Obijcit quoque decretum Concilij Tridentini, quod vt occurrat malo Regularium Ordinatorum, *Ne abolita poſtea profeſſione, abſque titulo vllo quis ordinatus remaneat*, ſi ab Ordine diſceſſerit, *& ita cum Ordinis dedecore mendicare, aut ſordidum aliquem quæſtum exercere cogatur*, *impoſitam Ordinandis hanc legem firmauit, vt ſine titulo beneficij, vel cenſus ad victum ſufficientis promoueri nemo poſſet.* Multa hic queror confundi, & in alienum locum intrudi. Nam quis illo Tridentini conſtituto Religioſos reſpectari, vel per vmbram ſomniet? cum expreſſa ſit *Clericorum ſecularium* mentio, declarationes autem & Pij V. & Cardinalium, *Regulares non Profeſſos* eadem lege obligent, de Profeſſis autem ne mutiant quidem? Quo verbo, vel apice vereri ſe demonſtrat Concilium, ne Regulares *abolita profeſſione abſque titulo remaneant?* Quomodo poteſt à Regularibus Profeſſis exigere Tridentinum titulum beneficij vel cenſus, quos non poteſt ignorare rebus illis pene omnes renunciaſſe, & titulo votiuæ paupertatis ordinati? Edicat nouæ huius expoſitionis auctor & inuentor, quam medinam apparet Concilium, Religioſorum deſertorum mendicitati, decernendo vt *Clerici ſeculares ſine beneficio, patrimonio, penſione* non ordinentur? Demonſtret qua ſeſſione, quo capite, qua reformatione vereatur Synodus eadem, ne Regularis poſt egreſſum à Religione *cum Ordinis dedecore mendicare, aut ſordidum quæſtum exercere cogatur?* Hæc enim in ſecularibus, qui abſque bene-

*Altera obiectio à Concil. Trid. ſeſſ. 21. c. 2. Quem locum malè citat Hallier ſeſſ. 22.*

*Reſponſio.*

*Concilij mentem peruerſè ad Regulares detorquet.*

Nau. Cōment. 2. de Reg. n. 37 Azor. Inſt. Mora. l. 12. c. 16.

ficio vel cenſu ordinentur, timeri dico: de Regularibus autem deſertoribus ſic agere Canoniſtas, vt eiecto Monacho licere velint mendicatò potiùs, quàm labore victum quærere, idque ad Ordinis dedecus redundare non putent. Quis igitur non videat longè aduocatum, & ingratijs obtruſum eſſe hunc locum in propoſita de Regularibus quæſtione?

*Ius commune, cum cæteris Ordinibus habet Societas Ieſu.*

Gregor. 14. Bulla, Eccleſiæ Catholicæ. an. 1591.

Aio deinde Religioſos Societatis Ieſu, in ius illud cum reliquis Religioſis commune conuenire: cum nulla extet priuata lex quæ ipſos onere illo grauiſſimo implicet; imo potiùs argumento negante demonſtramus, Pontificijs Conſtitutionibus id à nobis non exigi. Sic enim Gregorius XIV. *Poteſtatem à Societate dimittendi quoſuis non profeſſos ab Sede Apoſtolica ſæpius approbatam, tanquam rem magni momenti ad Societatis puritatem & conſeruationem retinendam, omnino ratam, intactam, & illibatam eſſe volumus.* Cum enim dimittere labes illas permittit Pontifex, & id quidem; vt paulò ante dixerat, iuxta *modum in Conſtitutionibus præſcriptum, & hactenus in ipſa Societate ſeruatum*, neque vllam nobis earum fouendarum nutriendarumque neceſſitatem imponit, nunquid negatiua ſaltem conſecutione deducimus, nobis choragij illius debitum non eſſe impoſitum? Ea certè mens ſemper fuit Patriarchæ noſtri ſanctiſſimi &

Ribad. in vita Ignat. l. 5. c. 11.

prudentiſſimi, qui *ſi quis apoſtata, vel Religionis deſertor eſſet (quod diaboli conatibus aduerſandum diceret, non ſuffragandum) eum ne obolo quidem iuuandum putabat, niſi fortè vt ad ſanitatem rediret.* Ius illud ipſum prætendit Congregatio noſtra

2. Congr. Gen. Decr. 64 poſt elect.
Emm. Rod. tom. 3. qq. Reg. q. 23. a. 3. & alibi.

ſecunda, cum negat Epiſcopos alere teneri expulſos à Societate, *qui cum ordinantur ex Societate noſtra, ceſſerint ſuo iuri in ordinatione:* (vt ab Epiſcopis alerentur, ſi aliunde nihil ſuppeteret) *ordinantur enim ad titulum voluntariæ paupertatis:* vt expreſſiùs deinde Gregorius XIII. declarauit, quod in Emmanuele Roderico non ſemel poterit Doctor agnoſcere. Sed longè vberiùs nobiliuſque explicat ſeptima Congregatio, cum cauſas iuſtiſſimas grauiſſimaſque adducit, quæ nihil hac in re mutandum ſuadeant, neque priuilegio vllo à

*Diuerſæ rationes ob quas ad deſertores alendos non adigitur Societas.*

7. Congr. Gen. Decr. 9.

iure communi diſcedendum. Pauciſſimorum primùm cauſam agi allegat ab ijs, qui alimenta eiectis efflagitarent, cum omnes qui tum Romam conuenerant Prouinciales è tota Societate, omnibuſque eius prouincijs, in tam infinito ſociorum numero, vix decem deſignare poſſent, quibus ſi ſtatum mutarent, vitæ ſubſidia non ſuppeterent. Atque inter paucos illos, & omnino inter eos qui dimittuntur, vix quemquam repetiri, qui natura, ſtudio, exercitatione, & honeſtis laboribus vitam ſuſtentare non poſſit. Quæ quidem exercitia in Societate, maximis eius ſumptibus didicerunt, vt aduersùs eos etiam nihil dando, Societas liberaliſſima meritò iudicetur. Cumque ad eam perniciem nemo deuoluatur, niſi grauiorum delictorum conſcientia, vel nimia animi leuitate, aperiret profectò hæc alimentorum ſuppeditatio, viam ad cogitationes de deſerenda Religione ſuſcipiendas, complureſque traheret ad ſeculum, in quos proinde Collegia, quæ ægrè admodum operarios ſuos ſuſtentant, magnam neceſſariæ ſuæ dotis partem effunderent, non ſine graui Fundatorum & benefactorum ſuorum offenſione. Nihil hic à nobis præter aliarum Religionum inſtituta fieri: hunc in iudicijs etiam Eccleſiaſticis morem ſeruari, cum nullus iudex eos quos ob manifeſtum delictum beneficio, aut Clericali titulo priuauit, alere teneatur. Hoc negotium iam olim examinatum à Clemente VIII. & Congregatione ſancti officij,

officij, & rem integram Societati relictam. Extare hac ipſa in cauſa Toloſani Parlamenti nobiliſſimam deciſionem, qua ſic petentem alimenta à Societate, iudicauit iniquum poſtulare. Hæc Patres grauiſſimi, flos Societatis delibatus. Neque mirandum tanti fieri Gallicanum Senatuſconſultum ab hominibus etiam non Gallis, cum Emmanuel Rodericus Hiſpanus homo, declarationem quandam Parlamenti Pariſienſis aſſumat, vt probet in Ordine Minorum, qui quatuor commiſit apoſtaſias, eum iure optimo expelli poſſe, tanquam membrum putridum & incorrigibile. Quamobrem Religioſorum omnium iure ſtamus Religioſi, neque peculiare quicquam nobis imperatum conceſſum-ve agnoſcimus.

Emm. Rod. tom. 1. qq. Reg. q. 30. a. 15.

Vnde affirmo tertiò Franciſcum Hallier calumniari, cum ſcire ſe dicit *Priuilegia quædam in contrarium* à nobis *iactari*. Turpem lapſum non cauit Theologus, ſtudio criminandi. Nam cum ius Religioſis Ordinibus commune illud eſſe monſtrauerimus, vt onere illo ſint liberi, inque priuatis occaſionibus totis viribus à ſe auertere ſatagant; ſtolidos oportet eſſe *Patres* illos *Societatis Ieſu*, qui peculiari priuilegio id ipſum onus impetrarint: aut ſi neſcientibus inuitiſ-ve impoſitum eſt, calamitatem ſuam glorioſa iactantia deprædicent. Atqui contrariam Societatis congregatæ ſententiam, ius Religionum pro ſe allegantis modò expoſui. Poſtulo nunc à Doctore priuatos è Societate ſcriptores, publico illi ſenſui repugnantes citari. Putà Ludouicum Molinam, Franciſcum Toletum, Henricum Henriquez, Thomam Sanchez, & ſimiles, viros ſine controuerſia, eruditos. Vis Azorium qui Pontificias Bullas inſtituti noſtri explicatrices deſcribit? Vide ſi quid de priuilegio illo ſcripſerit, cum egit de fugitiuis, eiectis, & Apoſtatis Regularibus. Vis Suarem qui multus eſt in exponendo Inſtituti noſtri iure? Probat ille non priuilegio, ſed rationibus, Religioſum Societatis poſt ſimplicia vota dimiſſum, repetere non poſſe à Religione bona, ſi quæ ipſi aliquando donarit, licet eum Religio in nouo ſtatu conſtituat, in quo talibus bonis indiget. Quia abſoluta & ab omni parte independens eſt ea donatio, & in dimiſſionis legitimæ caſu Religioſo ipſi, non Religioni euentus infelix imputandus eſt. Quod idem aliter tractat inferiùs, concluditque, *ipſam educationem in Societate, quamuis temporalem, & ſemina virtutum ac doctrinæ quæ in eo tempore comparari ſolent, maiora eſſe bona, maioriſque æſtimationis, quàm temporalia illa incommoda quæ timeri poſſe dicuntur.* Quos igitur illius priuilegij adducis auctores? Audio, *Compendium Priuilegiorum*, in margine malè notatum. Quid enim ait, quomodocunque indicatus ille locus? Audi Lector. *Poteſt Præpoſitus Generalis præſentare noſtros cuicunque Catholico Antiſtiti, gratiam & communionem Sedis Apoſtolicæ habenti: iſque ſit præſentatos abſque omni promiſſione, vel obligatione ipſorum Ordinandorum, ad omnes ſacros Ordines promouere:* & additur concedentis nomen, *Paul. 3. pag. 36.* Vt nemini dubitare liceat, quin hæc obligatio & promiſſio, ea ſit quam Pontifex diplomate ſuo intellectam voluit, quæ *Ordinandos ipſos* erga Antiſtites reſpicit, non Societatem erga illos.

*Nos iactare priuilegia calumniatur Hall.*

Azor. Inſt. Mor. tom. 1. l. 13. Ibid. l. 12. c. 16. 17.

Suar. tom. 4. de Relig. tr. 9. l. 3. c. 14 n. 21.

Ibid. tr. 10. l. 3. c. 2. n. 12.

Compend. Priuilg V. Ordin. §. 1. malè citat. ab Hallier l. Ordo.

Sic enim Societatis noſtræ parens. *Et quia eiuſdem Societatis fratres, & ſocios, de locis ad loca transferri contingit, propter quod ſtabilem & continuam in certis & determinatis domibus manſionem habere non poſſunt, & in ipſa Societate idoneos tantùm & comprobatos ad ſacros Ordines promoueri intelleximus, eidem Præpoſito Genera-*

Paul. 3. Bulla, Licet debitū an. 1549.

*li, quòd Ordinandos ſocios & fratres huiuſmodi Societatis, quibuſcunque maluerit Catholicis Antiſtitibus gratiam & communionem ſanctæ ſedis habentibus, præſentare, ipſique Antiſtites præſentatos huiuſmodi abſque omni promiſſione vel obligatione ipſorum ordinandorum fratrum, & ſociorum ad omnes etiam ſacros & Presbyteratus Ordines promouere.* Vbi eſt igitur alimentorum mentio? Vbi proſcriptorum illorum menſis & coquinæ miniſtrandi obligatio? Vbi eius obligationis per ſpeciale priuilegium exemptio? Itaque qui neque auribus quenquam accepit; neque oculis ſcriptorem vllum legit de tali priuilegio diſputantem, dubium cuiquam eſſe poteſt quin ea in re ſenſibus omnibus fallatur, & aberret? Qui Religioſorum ius commune illud eſſe vult, quod iure communi à ſe alienum clamant Regulares omnes, num videtur ille in cauſa Regularium ſenſu communi eſſe deſtitutus?

---

*CALVMNIA IN RELIGIOSORVM CLERO adſcriptorum fidem, ab eodem Doctore Hallier profecta, ventilatur.*

## CAPVT XIII.

*Monachos Hæreticorũ principes fuiſſe calumniatur Hall. in Vindic. admon. ad Lect. p. 52.*

QVASI perfunctus periculo gaudebam in ſinu, & triumphanti ſimilis longam diſputationem claudebam: cum eiuſdem Franciſci Hallier principia reſpectanti, calumnia turpis occurrit, quæ & querelæ meæ monſtrat æquitatem; & Doctoris animum magis ac magis patefacit, & ſine præuaricationis ſuſpicione diſſimulari non poteſt. Nam in illa nobili ad Lectorem Vindiciarum ſuarum Admonitione, tanquam certum illud ponit, *ab eo tempore quo Monachi in Clerum adſciti ſunt, nullam fere hæreſim Eccleſiam Dei deuaſtaſſe; quæ non Monachos vel auctores, vel fautores habuerit.* Tum plures nominat *Neſtorianorum, Eutychianorum, Origeniſtarum, Pelagianorum, Semipelagianorum, Monothelitarum, aliorumque hæreticorum Principes & Anteſignanos, qui omnes Monachi fuerunt, & ſub habitu Monachi inter Catholicos latuerunt.* Fœdam etiam Mahumetis ſectam à Pſeudomonacho inſpiratam; neque omiſſus Lutherus *nouatorum noſtrorum Princeps, qui ſuas hæreſes diu diſſeminauit, antequam cucullum abijceret.* Qua in oratione tria maximè verba mihi notanda videntur. *Monachi hæreticorum principes; Monachi ex quo in Clerum adſciti ſunt; Lutherus antequam cucullum abijceret.* Hoc enim illa myſterium continent, Eccleſiæ pernicioſam ab antiquo extitiſſe Monachorum doctrinam: non ſine periculo in Clerum adſciſci; ſub habitu Monaſtico latere hæreſes, ideoque Catholicis illum ſuſpectum eſſe debere: mala omnia quibus conflictata eſt Eccleſia à Monachis Clericis profecta. Quo ex animo promanant perpetuæ illæ quas vidimus, Regularium cum hæreticis, hypocritis, ſchiſmaticis comparationes: & illud ex tripode, *Viderit Summus Pontifex, ne quid Reſp. Chriſtiana detrimenti capiat.* Cui ſuccinunt Antiregulares alij, palam & pubicè nonnunquam profeſſi, plus Eccleſiam Catholicam à Regularibus, quàm à Caluinis & Lutheris detrimenti paſſuram.

*Refellitur ex ſenſu Eccleſia.*

Quæ omnia ſi verè dicuntur, ſi iure timentur, audacter dico, neque vllius

reprehenſionem vereor, errauit olim, & etiamnum errat Eccleſia, quæ veterum Ordinum inſtituta probauit, nouos erexit, & ijs ornauit legibus & priuilegijs, quæ perniciem, & tantùm-non exitium orbi Chriſtiano, Chriſti ſponſæ & regno allatura ſint. Nam vt primis ſeculis, quibus verè *Philoſophi hæreticorum Patriarchæ* à Tertulliano vocabantur, ſecularem philoſophiam vix & cautè recipiebat Eccleſia, edicente Apoſtolo, *Videte ne quis vos decipiat per philoſophiam, & inanem fallaciam, ſecundùm traditionem hominum, ſecundum elementa mundi, & non ſecundum Chriſtum.* Sic quo tempore Monachi fuerunt *hæreticorum principes & anteſignani*; hoc ſeculo quo maior ab illis calamitas, quàm ab hæreticis funeſtiſſimis expectatur, errauit iterum dico, & errat Eccleſia, ſi tantum malum per medullas ſuas ſerpere, ſuis etiam beneficijs corroborari permittit: ſi peſtem in commune orbis incendium aliquando erupturam, ſciens, volens ab Franciſco Hallier Doctore, grandi volumine admonita è baſilica non eijcit, ex rebus humanis non exterminat. Verum ſi contrario ſe aduersùs Regulares modo gerit Eccleſia, quam Spiritus Sancti afflatu regi certum eſt: ſi Religioſos vt *dominici gregis primitias, columnas, fidei coronas, precioſas margaritas, templi illius lapides, cuius fundamentum & lapis angularis eſt Chriſtus*: ſi vt *florem Eccleſiaſtici germinis, decus atque ornamentum gratiæ ſpiritalis, imaginem Dei reſpondentem ad ſanctimoniam Domini, illuſtriorem portionem gregis Chriſti*, ſemper amplexata & diſſuauiata eſt Eccleſia; quis dubitet ab Eccleſiæ ſenſu in Regularium cauſa longiùs diſcedere Doctorem; & licet eos aliquando laudare videatur, ſeque illis *caritate coniunctiſſimum* eſſe dicat, ad exemplum Ioabi, fratres appellare & oſculari, vt ſica latente confodiat?

Colloſſ. c. ij.

Greg. Naz. or. 1. in Iulian.

Cypr. l. de habitu Virgin.

Ne verò excuſet ſe priuatis ſolùm infamiam irrogare nominibus, ſtatum ipſum Religioſum ſuſpicere & venerari. Aliud enim prolixi operis ſeries, aliud argumentorum ante relatorum delectus, aliud ſparſæ in communem Regularium omnium ignominiam calumniæ ſignificant. Scribendum erat ſi quid priuatim notatum volebat, aliquos, aut etiam non paucos Monachos hæreſes promouiſſe, fauiſſe hæreticis, falſa dogmata procudiſſe, vt in paucis infamiæ nota ſubſiſteret: non vniuersè ponendum, nullam fere hæreſim ſine Monachis auctoribus, vel fautoribus extitiſſe. Quibus verbis è priuato, crimen commune facit, & hominum aliquorum perduellionem in omnium traducit inuidiam. Dic eos qui Religionem induunt, hominem non exuere, peccare, decipi, errare poſſe; fatebor equidem vt in Apoſtolis Iudam, in Diſcipulis Nicolaum, in Samaritanis Simonem, apud Epheſios Hymenæum, Philetum, Diotrephem, homines Apoſtolico lacte nutritos. Sed eam ob rem vel Apoſtolos, vel eorum Religionem in ius & crimen vocari debere, quis æquus iudex æſtimet? Aureliana hæc eſt iniquitas, vni libro, vni opinioni Ieſuitæ perſonam affingere, & eo prætextu in omnes bacchari & furere Ieſuitas. Quaſi omnes ego præſtare debeam quotquot vbique viuunt ſocios, & quod vſpiam terrarum à Catholico peccatur, in me cæteroſque omnium gentium fideles religionis ſocietate redundet. Sed hæc hactenus, pedem confero.

*Iniurioſus eſt in ſtatum ipſum, non in priuatos.*

Quis horumce verborum ſenſus eſt, *ab eo tempore quo Monachi in Clerum aſciti ſunt, nulla fere hæreſis Eccleſiam Dei vaſtauit, quæ non Monachos habuerit.* Quam neceſſaria eſt adoptionis huius mentio? Nulla antea hæreſis, nulla deinde ſine Monachis obſtetricantibus nata eſt? Non forent *auctores vel fautores hæreſum*,

*Iniurioſus eſt in ſtatum clericalem.*

niſi *aſciſcerentur in Clerum?* Hæc enim adiectio & Monachos ſignificat citra Clericalem dignitatem hæreticos non fore, & quiqui hæreſeon auctores vel fautores extiterint, Clericos eſſe debere. Quæ autem adeò arcta eſt *principum & anteſignanorum hæreſeos* cum Clero neceſſitudo? Niſi forte pictorem Hermogenem, & Magum Simonem, & Manem mancipium, & Elpidium cum Agape ſua Clericos vocas; Niſi ruo ſenſu Cleticas facis Philumenam Apellis, Priſcillam & Maximillam Montani, Quintillam Pepuzianorum, Senatorij ordinis feminas Eutacti, Simonis Helenam: & quæ hæreſis ſine Helena, cum ea ipſa ſit Helena? Scio aliam eſſe recentis ſcriptoris opinionem, eo libro quem æquè muliebris ſexus, vt B. Virginis enconium dixeris: cuius ea vox eſt, in hæreſeon fabricatione nullam mulierum fieri mentionem, quia ad ſolos viros pertinet eſſe & dici hæreſiarchas, cum ſoli mitram capite geſtent, ſoli paſtoralibus thronis inſideant. De propoſitione nihil dico, quæ manifeſtè & D. Hieronymo, & hiſtoriæ repugnat, vt è paucis productis videre eſt; & auctor ipſe diſſimulando prætetire non poteſt. Rationem tantùm, ſi ratio dici poteſt, denoto, ſanè nouam & Eccleſiæ principibus iniurioſam: quaſi dignitas Hierarchica ſit hæreſeon officina, neque illas quiſquam poſſit procudere, niſi cui mitræ ferendæ & paſtoralis officij ius fuerit; vt non tantùm ex illius ſententia Clericum, ſed etiam Cleri principem & caput eſſe oporteat, ad res fidei nouandas. Sed hæc obiter: aduerſarium repeto. Hoc profectò vis, Franciſce, non nocituros Eccleſiæ Monachos, niſi adſciſcantur in Clerum: ab aſcitis in Clerum Monachis ortam Eccleſiæ perniciem: eſſe igitur omni iure & ſtudio exrerminandos à Clero. Sapienter, Perge porro.

L'Archeueſque li. Des grandeurs de la V. Marie. 15 c. 2. §. 5.

*Fraudulenta Doctoris oratio.*

*Nulla flere hæreſis Eccleſiam Dei deuaſtauit, quæ non Monachos vel auctores vel fautores habuerit.* Iam malignè diminuentem adhibes particulam, vt cum tria tibi ſecula hæretici lolij feraciſſima ſine Monachis hæreticis replicauetimus, neges à te vniuersè pronunciatum: cum Vigilantium, Priſcillianiſtas, Donariſtas, Iconoclaſtas, Luciferianos, VValdenſes, Albigenſes, Berengarianos, VVicleuiſtas, Bohemos, Lollardos, Lampetianos, & ſexcenta eiuſmodi portenta, ſine Monachis *auctoribus vel fautoribus* nominauerimus, ad tuum illud *fere* recurras, eò pernicioſior, quò modeſtior. Demo ego tuam *μόνον*, & propoſitionem in contrarium ſenſum commuto, vt quod ad Religioſi ſtatus infamiam temerè produxiſti, in eiuſdem decus & gloriam traducatur. Aio namque ab eo tempore quo Monachi in Clerum adſciti ſunt, nullam hæreſin Eccleſiam Dei deuaſtaſſe, quæ non Monachos impugnatores, expugnatoreſque habuerit. Id demonſtro decurſis breuiter Conciliorum Generalium temporibus.

## *MONACHORUM PRO FIDE TUENDA labor & ſtudium.*

### §. Vnicus.

*Monachi in Arianos* Atha. l. de vita Anto.

ATHANASII, hoc eſt Concilij Nicæni ſeculo, nullum Ægypti Ariani poſt Patriarcham, capitaliorem hoſtem S. Antonio habuerunt. Is enim Epiſcopis rogantibus Alexandriam deſcendit, & publica concione Deo infeſtam hæreſin refellit. *Quæ tanti viri prædicatio, dici non poteſt quantùm ad fidem*

*populos*

*populos roborauerit. Lætabantur quippe hoſtilem, & Chriſto inimicam hæreſin anathematizari ab Eccleſia columna.* Monachos quoque in comitatu ſemper habuit S. Athanaſius, à quibus è Syriani in Eccleſiam irrumpentis manibus abſtractum & ereptum ſe fuiſſe teſtatur. Lucium autem Arianorum anteſignanum, narrat hiſtoria Eccleſiaſtica ſolitudines & antra ipſa, furore, & hæreticis ſpiculis ſcrutatum, totam Monachorum nationem infra mortuos amandare voluiſſe. Valenti Ariano Imperatori mens eadem, qui præter immanem in eos perſecutionem, etiam lege lata omnes aut arma ſumere, aut armis trucidari decreuit. Quid de ſanctiſſimis Monachis Acacio & Aſterio dicam, qui venerabili vita miraculiſque Iuliano perſuaſerunt, vt relicta ad tempus ſolitudine *veniret, & ferret auxilium tot millibus, qui fraude interibant, & rore ſui aduentus extingueret flammam Arianam?*

Idem l. de fuga ſua.
Socr. l. 2. hiſt. Eccl. c. 17.
Hier. in Chron.
Theod. in Phil. c. 2.

Quid de ijs Monachis qui conclamatam duobus Concilijs, Ariminenſi & Seleucienſi Nicænæ fidei profeſſionem, cum orbis Chriſtianus Arianum ſe eſſe ingemuit, cum pauciſſimi ex tam infami naufragio Epiſcopi euaſerunt, primi, & penè ſoli ſuſtinuerunt vindicaueruntque? At quibus id verbis, qua eloquentia lugens S. Gregorius Nazianzenus, calamitatem illam Eccleſiæ, & Monachorum virtutem proſequitur? *Si perpaucos exceperis, qui vel ob nominis obſcuritatem contemptui habiti fuerunt, vel propter virtutem reſtiterunt, omnes temporis iniquitate abrepti ſunt.* (de Epiſcopis loquitur in fraudem inductis) Iam de Monachis quid os illud aureum? *Ego verò terræ motum hunc noſtra tempeſtate coortum, nullo eorum qui iam extiterunt, inferiorem eſſe exiſtimo, per quem omnes Monaſticæ philoſophiæ ſectatores, Deique amore præditi, atque ante tempus in cælu ciuium munere fungentes, à nobis dimouentur.* Epiſcopos ſecuti Preſbyteri, Diaconi & omne genus Clerici horrendo illo terræ motu ſpiritali abſorpti ſunt: vrbes integræ, prouinciæ, Diœceſes, Epiſcoporum errantium hæreſi furorique fauerunt: hanc ruinam lacrymabili oratione non proſequitur orator, ſed Monachorum defectionem ab eorum Societate qui errore ignorantiaque peccabant. Tanti erat Monachos habere in partibus! At quo Monachi zelo, qua Dei caritate fidem Catholicam aduerſus hæreſim ferro facibuſque armatam propugnabant? *Qui tametſi alioqui pacis ſtudioſi ac moderati ſunt, hac tamen in re leues & faciles eſſe non ſuſtinent, cum per ſilentium & quietem Dei cauſa proditur: verùm hic admodum bellaces ſunt, atque in confligendo acres & feroces (huiuſmodi enim zeli æſtus eſt) citiuſque aliquid quod non oporteat euomuerint, quàm quod ex officio ſit prætermiſerint.* Potuit-ne graphicè magis Monachorum zelus per totam Eccleſiaſticorum temporum hiſtoriam fuſus, orationis penicillo in arctum contrahi? potuit-ne fidei ardor in ſanctiſſimis pectoribus exæſtuans prolixiùs laudari? *Eodem motu non minima quoque populi pars abrumpitur, velut in auium grege cum his qui priùs auolarant auolans.* Magna in populos Monachorum auctoritas, vt Epiſcopi hæretici per Synodos & Concilia diſcurrentes, fidei profeſſionem quotannis pene refingẽtes, Catholicos omni ſuppliciorum acerbitate vexantes, deſererentur a pleriſque, inter tot metus & minas, Monachi amarentur & colerentur. Quod iure factum optimo Sozomenus admonet, cum furente Lucio Epiſcopo Monachi omnes opinionem Arij deteſtabantur. *Quorum teſtimonijs etiam populus obſecutus, eandem quam illi doctrinam amplexatus eſt, qui de dogmatis Religionis diſſerere, aut inaniter garrire, neque voluit neque nouit: ſed veritatem credidit penes illos eſſe, qui virtutem factis declarabant.* Hæc de hæreſi hæ-

*Memorabile Monachorum encomium, apud* Greg. Naz. or. in laud. Athan.
*Status Monaſtici encomium.*
*Prudens Monachorum Zelus.*
*Populi Monachorum doctrinam ſequuti.*
Sozo l 6. hiſt Eccl. c. 19.

reſeon omnium principe Megæra. Da mihi Monachum eo tempore Arianum, quo tempore virtutes cœlorum motæ ſunt, & ſtellæ de cœlo ceciderunt.

*Hæreſibus in 2. Concilio damnatis contrarij Monachi.*

Eunomium & Macedonium Spiritui Sancto diuinitatem abrogantes, impugnarunt tres viri Baſilius magnus, & Gregorij duo Nazianzenus & Nyſſenus; quos Monaſticam vitam coluiſſe, Aurelio, ſi fieri poteſt, perſuadebimus. Atque hic in Conſtantinopolitano centum quinquaginta Epiſcoporum Concilio Symbolum ſcripſit, quo etiamnum Eccleſia vtitur: Ille vero in eodem Concilio tanquam princeps aduersùs eoſdem hæreticos & Apollinarem decertauit. Primus autem trium, & maximus ſcriptis ea occaſione poſteritati conſignatis, Græcos peruersè de Spiritu Sancto ſentientes, multis poſt ſeculis, in Concilio Florentino conuincere non deſtitit. Nomina eo tempore Monachum Eunomij ſectatorem.

*Eph. ſinæ Synodi 1. liberatores.* S. Leo ep. 8. Flau. ep. ad Leo. c. 4. Tom. 2. Concil. Ephe. c. 19. *Diodorus Tarſenſis Catholicus fuit.* Theo. l. 4. hiſt. Eccl. c. 23.

Epheſinam Synodum primam, Eutychetis Archimandritæ contra Neſtorium zelus & ardor à Leone Pontifice, & Flauiano Patriarcha laudatus commendauit. Eandem hæreticorum factione, & aulicorum potentia, tanquam carcere clauſam Dalmatij Archimandritæ ſanctiſſimi, cæterorumque CP. Monachorum audax & Chriſtiana philoſophia dignum facinus liberauit. Huic tu Religioſorum legioni, duos opponis ex Monachis Epiſcopos, Neſtorium auctorem hæreſis, & Diodorum Tarſenſem. Atqui iſtius inuictos pro fide labores, adiuncto Aphraate Monacho, enarrat Theodoretus. Vixit enim Catholicos inter, carus Flauiano, laudatus Baſilio, Nectarij in Epiſcopatu CP. ſuffragator: nominatus à Theodoſio ſeniore in eorum albo, quorum fides aliorum regula cenſebatur. Non igitur ipſe turbauit Eccleſiam, ſed prauas de Chriſti diuina natura opiniones, nondum proſcriptas, in eius libris repertas, poſtea ſuas fecit Neſtorius. Hunc autem adhuc è Monaſtica recentem

*Egregia vox Neſtorij.* Cæleſt. ep. ad Neſtor. Tom. 1. Concil. Ephe. c. 17.

diſciplina, ineunte officio paſtorali, glorioſam pro concione ad Theodoſium vocem protuliſſe ſcimus. *Mihi ô Imperator, terram hæreticis tu purgatam tribue, & ego tibi cœlum tribuam.* Virus autem illud aliunde quàm à Monaſterio exuiſſe conſtat Pauli Samoſateni nepotem, Theodori Mopſueſteni deſertoris diſcipulum.

*Turbarunt in Chalcedonenſi, ſed non omnes.* Liberat. in Breu. c. 11. Concil. Chal. act. 1.

In Concilij Chalcedonenſis cauſa mirum non eſt Archimandritas & Monachos quoſdam reperiri, cum parens erroris Eutyches Monachus *Tomos direxerit per Monaſteria cum ſuis dogmatibus ad Abbates, vt ſubſcriberent ea.* Quid autem potuiſſent omnes illi cum ſuo Principe, ſine Dioſcoro Patriarcha tyranno? Sunt autem ij Monachi, quorum *improbitatem* & hæreticas conciones decreto compeſcuit S. Leo, vt antea Doctorem noſtrum monuimus. Quibus tamen idem Leo Pontifex ſcribens, à laudibus abſtinere non poteſt. *Vt memores*, inquit, *ſanctæ profeſſionis veſtræ, quæ propriè in fide & caritate conſiſtit, omnia ſcandala quæ contra pacem Eccleſiæ orta ſunt a veſtris cordibus repellatis.* Et paulò

*Illos reuocãdo laudat* S. Leo ep. 28.

poſt; *in conſortium vos patientiæ paternis exhortationibus aduocamus, vt per dilectionem veſtram, omnibus Deo ſeruientibus quæ ſcripſimus innoteſcant, & inimicis Euangelij reſiſtentes, nec Paſtoris veſtri dilectionem, nec vnitatem Catholicæ fidei deſeratis.*

*Acephalis Monachi reſtiterunt in 5. Synodo.*

Si quem Acephali parabatam Monachum anteſignanum habuerunt, is profectò reſiſtere non potuit Conſtantinopolitanis, Ieroſolymitanis, Sinaitis, Syris Monachis, quorum maximè impulſu in Concilio CP. ſub Menna

condemnati ſunt. Synodus autem V. in Trium Capitulorum cauſa, quid aliud eſt quàm præcedentium appendix? Hydram verò illam in ortu ſuffocate quis generoſiùs tenuit, quàm Theodoſius Cœnobiarcha Palæſtinus, cũ Anaſtaſio Imperatori ſcriberet, *Aduerſus hæc & ignis accendatur & enſis acuatur, & mors quoque nobis acerba adferatur: imo verò, ſi fieri poſſit, pro vna innumerabiles; nos verò nunquam prodemus veram Religionem.* Qui deinde ſurente tyranno, publicè in templo ſtupentibus omnibus anathema in eos dixit, qui Synodos quatuor priores, ſanctis Euangelijs non æquarent. Atque ea ſecta cum ſub Zenone, ad perfidiam corroboraretur, Acacio Conſtantinopolitano, & Petro Moggo Alexandrino nemo ſe fortiùs oppoſuit Monachis: cum hic dicatur *ab Abbate Amone, & ab Abbatibus Monachorum inferiorũ Ægypti bella paſſus*: ille cum Imperatoris impotentem impietatem in Catholicos, ipſoſque Romanæ ſedis Legatos Miſenum & Vitalem armaret, neque reperiretur qui latam à Romano Pontifice in illum ſententiam denunciaret, coacti ſunt eius latores, Monachi cuiuſdam Achimetenſis manum implorare, qui religioſa conſtantia auſus eſt *ipſam chartam damnationis, dum ingrederetur ad celebranda ſacra, ſuſpendere in eius pallio, & diſcedere.*

*Theodoſij Monachi conſtantia. Cyrill. in eius vita c. 59. Apud Sur 11. Ian. Ibid. c. 41. Audax Monachi facinus. Liberat. in Breu. c. 18.*

De Monothelitis vnum Pyrrhum nominat Hallier è Monaſterio profectum. Cui obijcio Pontificem Agathonem ſextæ Synodi auctorem, *Religioſos ſeruos Dei Monachos* ab eo miſſos, Romanos, Siculos, Conſtantinopolitanos, Antiochenos Monachos in ea ſubſcribentes. Sophronium Monachum poſtea Ieroſolymorum Patriarcham; qui Monothelitas primus ſcripto aggreſſus eſt. Quis ſe Iſaurico Leoni & Iconomachis animoſiùs oppoſuit murum pro domo Iſraël, quàm Monachi, vt Plato, vt Theodorus Studita, vt Ioannes Damaſcenus, vt Stephanus martyr, & innumeri athletæ traditionum fortiſſimi? Octauæ Synodo cauſam dedit à Photio eiectus Ignatius ſanctiſſimus Monachus, Michaëlis primùm Imperatoris, tum deinde Monachi filius, vt dubitari non poſſit, quin Monachi omnes exornatori amplificatorique ſuo propenſiſſima voluntate fauerint. Albigenſibus exterminandis non Abbates tantùm qui Lateranenſi 3. ſub Alexandro III. interfuerunt & ſubſcripſerunt; ſed Dominicus etiam cum tota ſua nobiliſſimorum Chriſti pugilum legione incubuerunt. Berengarium hic omitto, quia tantùm generalia Concilia perſequor; ipſe tamen ab eruditiſſimis Monachis Lanfranco, Guitmundo, Algero fortiter repreſſus eſt. Lateranenſi 4. ſub Innocentio III. ijdem iterum Albigenſes, & Almaricus Carnotenſis Doctor, à pluribus Abbatibus & Prioribus, quàm ab Epiſcopis ſunt damnati. Nam cum quingentorum numerum Epiſcopi non implerent, Religioſi Prælati octingentos ſuperabant. Et fortaſſe Franciſcum Hallier tanta ex inde ciuis ſui cepit miſeratio, vt Regularibus vitiis poſt damnatum Carnotenſem Theologum, & eius cadauer exhumatum amicus eſſe non poſſit. Quid aduersùs Græcorum errores in Lugdunenſi 2. Concilio Regulares egerint, ex eo colligi poteſt, quod ex ſolo Fratrum Minorum Ordine, legationem ad Græcum Imperatorem Michaëlem Palæologum Pontifex Gregorius inſtruxerit. VVicleffum in Conſtantienſi Synodo à multis Abbatibus Religioſiſque viris, præter Epiſcopos damnatum, quanta vi doctrinæ, quanta ingenij ſolertia, quo philoſophiæ Theologiæque acumine profligarit Thomas VValdenſis, diſſimulare conantur Hallier & Aurelius; qui noſtræ in eo cauſæ legunt firmamenta. Contra Bohemos in Baſi-

*Monothelitas in 6. Concilio profligarunt. Iconoclaſtas in 7. Synodo. Photium intruſum in 8. Albigenſes in Lateranenſi 3. Berengarium ſcriptis confutarunt. Albigenſes iterum damnarunt in Lateran. 4. Græcorum errores in Lugdun. 2. VVicleffum & Huſſium in Conſtantienſi. Thomas VValdenſis.*

*Adhemos in Baſileenſi. Græcos in Florentino.* Concil. Florent. act. vlt.

leenſi, contra Græcos in Florentino diſputant *nonnulli Monachi præclari Theologi*, vt Andreas Coloſſenſis, Ambroſius Camaldulenſis. Neque alium puta fuiſſe Ioannem illum Eccleſiæ Larinæ Theologum *in philoſophia & dialectica præclariſſimum*, licet cum Abbaribus ſubſcripti non legantur, quia *mos in Concilijs minimè eſt, vt in Prioratus ordine conſtituti, vel Fratres Magiſtri, vel Iuriſperiti in decretis ipſorum Conciliorum ſubſcribant.* Luthetum denique & Caluinum, cæteroſque ſuperioris ſeculi nouatores, Religioſorum maximè opera attritos & perdomitos eſſe, tum ſcriptorum illuſtria monumenta, tum recens glorioſiſſimorum de hæreticis triumphorum memoria proclamat.

*Refellitur Hallier ex ys ipſis quos nominat.*

Concilia ipſa, eaque generalia tantùm attigi: quid de Prouincialibus, quid de ijs qui extra Concilia diſputarunt afferri poteſt non omnibus cognitum, Eccleſiæ vtile, Religioſis glorioſum? Quid quòd illi ipſi *Eccleſiæ Dei deuaſtatores Monachi* à Doctore nominati, Monachos habuerunt aduerſarios, ruinarum, ſi quæ fuerunt, reparatores? De Diodoro Tarſenſi iam ſatisfecimus, niſi quod in eius ignominiam, peruersè citatur à Franciſco Theodore-

*Falsò citatur ab Hallier Theodoretus* l. 5. hiſt. Eccl. c. vlt.

tus eo loco, vbi *virum excellentiſſimum & ſpiritualia eius fluenta* nuncupat. Video de mente Theodoreti quid poſſit objici: ſed tantùm nunc ago, non dici à Theodoreto citato Diodorum Tarſenſem *auctorem vel fautorem hæreſeos fuiſſe qua Eccleſiam Dei deuaſtarit.* Neſtorio Dalmatium, Eutychetem, Conſtantinopolitanos oppoſui, & è Gallia Caſſianum; & ſi vis Cyrillum ipſum Alexandrinum, quem nonnullis placet Religionem Montis Carmeli profeſſum.

Habetur act. 1. Concil. Chalced.

Eutycheti objicio tres &, viginti Archimandritas qui in CP. Prouinciali Synodo in eius depoſitionem cum Epiſcopis ſubſcripſerunt. Origeniſtas Rufinum, & Nitriæ Monachos, quàm bellè tractauit Hieronymus? Iouinianum & Pelagium, cum hic etiam Epiſcoporum Synodo illuſiſſet, quàm fortiter aggreſſus eſt idem Hieronymus, improborum omnium malleus? Pelagio eidem eiuſque conſorti Cœleſtio, quis negotij plus faceſſiuit, quàm Auguſtinus

*Caſſiani benigna defenſio.*

in Africa? Collatorem Caſſianum, Proſperi Aquitanici Theologa eloquentia quàm vehementer infregit? Quanquam non deſunt viri alias ſapientiſſimi defenſores, non qui Semiplagianiſmum tueantur; ſed qui Chriſtianum illum Anacharſim non ex ſua, ſed alterius collationem illam celebrantis ſen-

Sidon. Apollin. l. 9. ep. 9. Baron. ad an. 490.

tentia id retuliſſe affirment. Fauſtum vero Regienſem à Sidonio Epiſcopo laudibus in cœlum euectum; & verò ineunte Epiſcopatu, & calente adhuc in eius pectore Monachatu laudandum, vt qui Lucidi Preſbyteri errores duobus in Concilijs damnauerit; poſtea declinantem à fide non tulit Cæſarius ex Monacho Arelatenſis Antiſtes. Pyrrhum denique Monothelitam longa diſputatione S. Maximus ad ſanam mentem ſtuduit reuocare. Ita nullum vnquam in Religionis paradiſo aconitum oriri permiſit Deus, quin ex eodem horto antidotum præpararit. Quid tu igitur Antiregularis Hallier, paucorum amentia & errore, ad omnium infamiam abuteris? Quid innocentes tam multos accuſas, vbi optabile eſt nocentem eſſe & videri neminem?

ALTERA

### *ALTERA PETRI AVRELII CALVMNIA in Religioſos omnes ad Eccleſiæ gubernacula admotos exploditur.*

### CAPVT XIIII.

MINOR quidem eſt hoc in propoſito Petri Aurelij, quàm Franciſci Halliet aduersùs Regulares calumnia, ſed maioribus tibijs proclamatur: grandi nimirum, qui genius hominis eſt, exaggeratione, qua neſcio plus Monaſtico ſtatui, an Eccleſiæ noceat. Certè Religionem aperta vi oppugnat, illudit antiquitati, Patribus imponit, hiſtoriam euertit, Adeò præceps eſt inuldia, vt nihil ſanctum habeat! Neque aliud eſt eius quàm commilitonis inſtitutum. Affirmauit ille à Monachis in Clerum aſſumptis turbari Eccleſiam, hic negat ab ijs benè gubernari; vterque Religioſos à Clericatu arcendos pugnat, & manus manum fricat. Itaque qui neceſſariam Eccleſiæ in profligandis hæreticorum copijs Regularium doctrinam ſemper fuiſſe monſtraui Doctoti Hallier; num eodem iure ſum Aurelio declaraturus, laudabilem, atque vtilem eotundem operam in regendis fidelibus ſemper extitiſſe? Et quoniam Ordinis Hierarchiam claudit hoc caput, nonne hinc conſequetur, Regulares non tanrùm generali Clericorum nomine, quod perſonis omnibus Deo ſacris competit, impertiendos, ſed etiam Eccleſiam Dei inſtinctu, ſapientiſſimo conſilio, æquiſſimo iudicio; ſelectam ex illis partem ad ſtrictum Clericatum, qui obſtruitur ab aduerſarijs, ſemper adſciuiſſe? *Animus Petri Aurelij idem qui Franc. Hallier.*

Aurelius igitur tanquam ex Parrum ſyngrapha pronunciat, *Monachos parum idoneos ad Eccleſiæ munera videri, & paucos admodum illorum memoria extitiſſe, qui ea feliciter adminiſtraſſent.* Probat id paradoxum Sulpitij Seueri, Chryſoſtomi, Auguſtini & Hieronymi teſtimonio. Hæc quaſi iuris eſt aſſertio. Sequitur facti altera, eademque ex hiſtoriæ monumentis confirmatio. *Quarto illo celeberrimo ſeculo, vel nullos, vel pauciſſimos vixiſſe Epiſcopos, qui Regulares fuiſſe dicantur.* Id conficit delectu inſigniorum eius æui Antiſtitum, qui Monachi, Regulares-ve non fuerint. Expendo ſingula, & in illis eum eſſe Aurelium demonſtro, qui toto opere, Regularibus omnibus, ſub Ieſuitatum nómine & pallio, infenſiſſimum. *Proponitur Aurelij ſententia pa 503 504.*

Tres enim hic deprehendo calumnias. Prima eſt, parum idoneos eſſe Monachos: quam excipio Franciſci Hallier auctoritate, tanquam Achillis ſcuto. Qui hoc ipſo in propoſito *tantùm abeſſe* dicit, *vt Regularis ſtatus obeſſe debeat cuiuſcunque hominis dignitati, cum priuato vniuſcuiuſque hominis ſit ornamento: cum multos quos è ſeculari vita ad Clericalem non reciperet, Monachiſmo priùs expiatos, Eccleſia ad Clerum recipiat.* Quem ſenſum & ex alia eius opinione non ægrè deduco, cum eos improbat, qui aditum ad Eccleſiaſticas dignitates ſibi voto intercludunt, quaſi Eccleſiæ viros vtiles negent, & inuideant, pluſque Ordinis ſui, quàm rei Chriſtianæ conſetuationem amplexentur. Tam frequentet autem votum illud modeſtum impugnat, vt nemini noſtrum fas ſit ignorare, eum qui ſic agat, ab Epiſcopatus dignitate ſuſcipienda, nulla *Refellitur Monachos eſſe parum idoneos. Contrarium Aurelio docet Hall. in Vindic. pag. 431.*

vori Religione prohiberi. Sed vt ad Aurelium redeam, age amabo, cur ad capeſſendam Eccleſiam Monachi, ſunt *parum idonei?* vnde? qua ex cauſa? quid habet Eccleſiæ adminiſtratio, quod Religioſi explere non poſſint? Vouet perfectionem Epiſcopus; perfectionis ſtudium Monachus. Ab Epiſcopo actus Hierarchici manant in ſubditos; in Religione exercentur à Prælatis. Epiſcoporum officium eſt *pro ouibus ſuis ſacrificium offerre, verbique diuini prædicatione, Sacramentorum adminiſtratione, ac bonorum operum exemplo paſcere, pauperum aliarumque miſerabilium perſonarum curam paternam gerere*: quæ omnia à Religioſorum, præſertim qui ad docendum & prædicandum inſtituti ſunt, conſuetudine quantùm abſunt? Quid quòd ad Sacerdotij dignitatem ſuſcipiendam, aptiores à Pontificibus Religioſi, quàm Laici iudicantur? Audi Bonifacium Aureli, teque in eius decreto inſpice. *Sunt nonnulli nullo dogmate fulti, audaciſſimè quidem Zelo magis amaritudinis, quàm dilectionis inflammati.* Fuit hic profectò vates Pontifex, aut iam tum vixerunt Aurelij, *aſſerentes Monachos quia mundo mortui ſunt vt Deo viuant* (quæ vox per Aurelianum *parum idoneos* reddi debet) *neque pœnitentiam, neque Chriſtianitatem largiri, neque abſoluere poſſe per Sacerdotalis officij diuinitus ſibi iniunctam poteſtatem* (id eſt *ad Eccleſiæ munera* non eſſe admouendos) *Sed omnino labuntur*, &c. *Omnino præcipimus vt ab huiuſcemodi nefandis auſibus reprimantur in poſterum*: Tu-ne igitur, Aureli, iubente Pontifice *auſus* tuos *nefandos*, an quis alius inuito te *reprimet in poſterum?* Papæ oraculum digna ratione firmatur: *quia quantò quiſque eſt celſior, tantò & in his potentior.* Peto ab Aurelio, ſuum vt illud *parum idoneos*, cum Pontificio *quantò quiſque eſt celſior, & tantò potentior*, componat; ſi fortaſſe quadrare poterit.

Concil. Trid. ſeſſ. 23. c. 1. de Reform.

*Ea ſententia reprehenditur à Bonifacio Papa.* 16. q. 1. C. Sunt nonnulli.

Gelaſius autem eorundem pietati, & aſceticæ vitæ, condonat ſpatium illud temporis, quod inter ſingulorum ordinum ſuſceptionem antiqui Canones intereſſe volebant. Quod decretum licet ſuo antea loco protulerimus, hic tamen repetere diſputationis neceſſitas adigit. *Si quis de Religioſo propoſito, & diſciplinis Monaſterialibus eruditus, ad Clericale munus accedat*, &c. per minorum Ordinum gradus concedit, *vt completo anno ſit Presbyter: cui tamen*, inquit, *quod annorum interſtitia fuerant collatura, ſancti propoſiti ſponte ſuſcepta doceatur præſtitiſſe deuotio.* De Laïcis autem decernit, *Examen tantò diligentius faciendum, quantò inter mundanam Religioſamque vitam conſtat eſſe diſcrimen.* Additque pro interuallis temporum, ſex menſes ad annum ſolidum, *quoniam, ſicut dictum eſt, diſtare conuenit inter perſonam diuino cultui deditam, & de Laïcorum conuerſatione venientem.* Audiat Hallier diſtinctos ab antiquo Pontifice Monachos à Laïcis: diſcat Aurelius non eſſe *parum idoneos* ad Clericatum Monachos, quorum vita compendioſum ad Sacerdotium iter eſt. Quanquam non hic Pontifici tantùm, ſed etiam ſibi obſtrepit, & pugnantia loquitur, cum controuerſiam à DD. Thoma & Bonauentura olim diſputatam aduersùs Regularium hoſtes, in eo verſatam ſcribit, *ne Religioſi ad opus animarum admoti, iniurioſi aut ſuperflui habeantur*: ſeque pedibus in ſanctorum ſententiam ire aſſerit: cum tamen hoc loco, non quidem *ſuperfluos*, ſed ineptos, & *parum idoneos*, quod iniurioſius eſt, *ad opus animarum* Religioſos eſſe probare contendat.

*Diſpenſat Eccleſia cum Monachis pro ordinum interuallo.* Gela. ep. 9.

*Aurelij contradictio hoc loco & pag.* 415.

PATRUM.

## *PATRVM AB AVRELIO CITATORVM verus ſenſus oſtenditur.*

§. I.

MIRVM foret ſi Patres in Religioſorum dedecus fauerent Aurelio, mirabilius ſi eos fideliter citaret Aurelius. Qui enim ex Patribus *parum idoneos ad Eccleſiæ munera* dicunt eſſe Regulares? Non trecenti decem & octo magni Concilij Nicæni, qui Chorepiſcopum volunt eligi *ex bonis Religioſis qui habitant in deſerto, aliquem qui ſi doctus & optimis moribus.* Non S. Epiphanius qui *Sacerdotium ex virginum ordine præcipuè conſtare dicit; aut ſi minùs è virginibus, certè ex Monachis.* Non S. Athanaſius qui Gregorium ab Arianis miſſum Alexandriam, vt Epiſcopatu fungeretur, inter cetera reprehendit, quod ſtudioſiùs magiſtratuum quàm Monachorum amicitiam ſectaretur. Non Theodoretus, qui Lucio item Ariano datum vitio teſtatur, quòd ſecum Monachos non haberet. Non Cæſarius Arelatenſis, qui de Lirinenſis Inſulæ Monachis magnificè dixit: *hæc eſt quæ eximios nutrit Monachos, & præſtantiſſimos per omnes prouincias erogat Sacerdotes: ac ſi quos accipit filios, reddit Patres, & quos nutrit paruulos, reddit magnos.* Hi enim, (& quid plures afferam?) Monachis ni fallor, Eccleſiaſtica quædam munera committi poſſe cenſuerunt. Quinam igitur contrarium opinantur? Aurelij marginales quatuor, primæ notæ. Videamus.

*Patres non fauent Petro Aurelio.*
Concil. Nicæn. c. 54. Arab.
Epiph. l. de hæreſ. in fine.
Athan. ep. ad vitam ſolit. agentes.
Theo. l. 4. hiſt. Eccl.
Cæſar. Arelat. hom. 25.

Seuerus Sulpitius producto loco, ſancti cuiuſdam Monachi admirabilem animi demiſſionem enarrans, in minùs perfectorum Monachorum vanitatem & ambitionem inuehitur: concludis inde, Aureli, *Monachos parum idoneos ad Eccleſiæ munera* videri. O dialecticam! Quid autem de illo exiſtimas, cum in vita S. Martini, Monaſterij Maioris inſtituta, & Monachorum eximias ſub tanto Aſceta virtutes, vbi deſcripſit, *Plures ex his*, inquit, *poſtea Epiſcopos vidimus. Quæ enim eſſet ciuitas aut Eccleſia, quæ non ſe de Martini Monaſterio cuperet habere Sacerdotes?* Hoc cum de Gallia diceret *Galliæ decus*, illam *fimbriarum dilatationem*, qua libri tui marginem contrahis, non vitæ Monaſticæ, ſed priuatorum hominum vitia eſſe demonſtrabat.

Seuerus Sulp. Dial. 1 c. 14. iouitiliter citatur.
*Aurelio contraria ſcribit in vita S. Martini.* c. 7.

Sequitur S. Chryſoſtomus, qui adductis ab Aurelio capitibus, rem Aurelij non auget. Nam cum modeſtia ſingulari onus Epiſcopale ſuis ab humeris excuteret, conſilij ſui cauſas vndecunque corrogatas, amico non ſine rhetorica qua pollet plurimùm amplificatione, explicat, Monachumque ex vmbraculis & otio ad humanæ conſuetudinis tumultus tempeſtateſque perferendas idoneum videri negat. Sed alia ex parte nihilò digniorem Sacerdotio ſecularem virum, qui illis negotiorum æſtibus agitetur. Epiſcopum igitur colligit, omni ex parte fore abſolutum, qui & turbas illas conſtanti animo ſuſtineat, & Monachorum virtutibus, puritate videlicet mentis, & conſtantia ſit inſignis. Quid hæc propoſitum tuum adiuuant? Audi verò illum pro meo magnificè orantem, eo libro quo Monachorum vituperatores confundit, quorum numerum ſtudetis amplificare. Monachum probat regendorum aliorum potentem eſſe, primùm virtutis exemplo, quæ nihil non docet

Chryſ. l. 6. de Sacerd. c. 7. 8. *nihil iuuat Aurelium.*
*Pro noſtra ſententia magnificè diſputat* l. contra Vituper. vitæ Monaſt. c. 9.

& perſuadet. Deinde quòd rerum humanarum deſpicientia confirmatus, Reges ipſos cum opus fuerit admonere audeat, & increpare; eiuſque ipſi voces, tanquam non ab homine profectas ſoleant reuereri. Tum quod laboris tolerantia ſubactus ipſe, per ſe ſuis conſulturus ſit. Tandem denique quòd in caſibus qui humaniratem conſequuntur, & carorum morte, ad ſe accedentes ſit diuino quodam ſolatio recrearurus. Hæ-ne tibi facultates *minus idoneæ* videntur ad Eccleſiæ munera?

Augu. epi. 76. *alia dicit quàm quæ fingit Aurelius*

Placet & Aurelij Auguſtini, ad Aurelium, gratum nomen, epiſtola. Quid ait? quæ eſt eius epiſtolæ materia ſubiecta, qui titulus? *Monachos qui ſponte de Monaſterijs receſſerunt, in numerum Clericorum recipi non debere.* Iam hoc à cauſa noſtra perquam alienum. Quæ autem affertur ratio? Quia *& ipſis facilis lapſus; & ordini Clericorum fit indigniſſima iniuria, ſi deſertores Monaſteriorum ad militiam Clericatus eligantur.* Rides, Lector, Aurelium hæc pro ſe afferentem. Quod ſequitur propiùs rem tangit: ſed alio libro eſt à nobis diligenter expenſum, vbi & Doctoris Hallier argumentum vidimus, ex hac D. Auguſtini epiſtola probare contendentis, ad maiorem virtutem Epiſcopos obligari, quàm Monachos, quia ex Monacho, cui déſit inſtructio neceſſaria, víx fieri poteſt bonus Clericus. Cæterum ille qui contra nos teſtis profertur Auguſtinus, is ipſe eſt qui *factus Presbyter Monaſterium intra Eccleſiam mox inſtituit, & cum Dei ſeruis viuere cœpit, ſecundum modum & Regulam, ſub ſanctis Apoſtolis conſtitutam.* Putauit igitur ſtatũ Monaſticum ab Eccleſiæ muneribus alienum non eſſe. Neque id ſolùm, ſed *ex Monaſterio, quod per illum & eſſe & creſcere cœperat, magno deſiderio poſcere atque accipere Epiſcopos & Clericos pax Eccleſiæ atque vnitas & cœpit primò, & poſtea conſecuta eſt.* Atque vt tanti Patris exemplo quantùm deferrent, facto aliquo ſimili declararent, *& ipſi ex illorum ſanctorum propoſito venientes, Domini Eccleſijs propagatis, & Monaſteria inſtituerunt, & ſtudio creſcente ædificationis verbi Dei, cæteris Eccleſijs promotos fratres ad ſuſcipiendum Sacerdotium præſtiterunt.* Sed quid inde præpoſterè accidit? *Atque hinc, vt ſcriptum eſt, peccator videns iraſcebatur, dentibus ſuis frendebat, & tabeſcebat: ſerui autem Chriſti cum his qui oderant pacem, erant pacifici, & cum loquerentur, debellabantur gratis ab eis.* Putas Lector, apertiùs quicquam ſcripturum, ſi Petrum Aurelium noſſet Poſſidius?

*Auguſtinus facta dictis Aurelij contraria.* Poſſid. in vita Augu. c. 5. Ibid. c. 11.

*Hieronymus Monachos perpetuò laudat* l. 2. ep. 8. ad Marcell.

Hieronymum etiam nominare audes, qui totus meus eſt? Num illi *flos quidam, & pretioſiſſimus lapis inter Eccleſiaſtica ornamenta Monachorum & Virginum chorus eſt?* Quales verò flores ſunt, ſi tantùm in fructus præcoces formantur? qui lapides, ſi ad Eccleſiæ ſtructuram & ædificationem perpoliri vix poſſunt? Num Hieronymus Monachus perpetuus Monachorum aut laudator, aut ad virtutem & perfectionem incentor eſt? Num ſtrenuè eorundem patrocinium ſuſcipit aduersùs calumniatores quoſdam Clericos, *quaſi & ipſi ſint aliud quàm Monachi, & non quicquid in Monachos dicitur, redundet in Clericos, qui Patres ſunt Monachorum?* At Monachos perfecta virtutis ætate, Patres è filijs fieri, docuit ante Cæſarius.

*In Epiſt. ad Ruſticum non fauet Aurelio.*

Sed Epiſtolam citas ad Ruſticum. Tam tu nos, non dicam ruſticos, ſed omnis doctrinæ putas expertes, vt intelligere non poſſimus, ne vllo quidem verbo tota illa epiſtola id Hieronymum indicare quod quæris? Da vel vnum quo, non dicam exprimat, ſed obſcurè, dubiè, malignè ſubnotet, quod certò aſſeueras. Ruſticum monet quomodo ſit in Monaſterio viuendum, *vt etiamſi*

*Clericatus,*

*Clericatus*, inquit, *te titillat deſiderium, diſce quod poßis docere; ne miles antequam tyro, ne priùs magiſter ſis, quàm diſcipulus.* Eſt igitur Monaſterium ſchola, & meditario Clericatus. Multis deinde interiectis; *Ita age, & viue in Monaſterio, vt Clericus eſſe merearis.* Audi amabo quid dicat, *merearis*, vt virtutis tuæ præmium ſit Clericatus: vt tuæ in Monaſterio vitæ, debeatur Sacerdotium: fac te vnum ex illis *probabilioribus & melioribus* qui in Clerum aſſumi ſolent. *Cum ad perfectam ætatem veneris* non hominis tantùm, ſed etiam Religioſi, *& te vel populus, vel Pontifex ciuitatis in Clerum elegerit, agito quæ Clerici ſunt, & inter ipſos ſectare meliores; quia in omni conditione & gradu optimis mixta ſunt peßima.* Hæc oratio in lingua, non Latina, ſed Aureliana, cum gloſſa ipſi ordinaria, ſignificat *Monachos ad Eccleſiæ munera parum idoneos videri.* Quinam autem ex allatis, qui ex alijs omnibus, vniuersè dicunt, quod ab ijs dictum calumniaris *paucos admodum ſua memoria extitiſſe, qui ea feliciter adminiſtraſſent?* Quibus id verbis extulerunt, qua ornarunt metaphorâ, obſcurarunt allegoria? Quis vnus hoc ſcripſit? Nam quos tu nominas quatuor, quos explicui, ne per ſomnium quidem. Reliqui ergo latent illo generali inuolucro quod adpingis, *&c.* Scito autem tibi cum reſpondebis, neceſſitatem illorum verè & genuinè proferendorum incumbere. O intolerandam Patrum corruptelam! ô ſingularem hominis! diceret totum Aurelius.

Refertur 16.q.1.

*Nullum ex patribus pro ſua ſententia verè citare poteſt.*

## RELIQVÆ HVIVS LOCI CALVMNIÆ EX *hiſtoria ducta expenduntur.*

### §. II.

QVAM multos Patres attulit, tam multas prima calumnia peperit calumnias. Tranſeo ab auctoritate ad hiſtoriam. Tres & hic næui, vt videas amantem Hierarchiæ virum; qui numero peccare velit Hierarchico.

*Primis*, inquit, *ætatibus, quibus Eccleſiam perſecutiones infeſtarunt, non ſine difficultate reperiuntur Regulares, qui vel in ſolitudine latuerint, nedum qui ſuper candelabrum in Eccleſia thronis conſpicui fulſerint.* Bene eſt quod non iam Monachos, ſed communiore vocabulo Regulares appellas, vt ſemel tibi reſpondeam, primis illis ætatibus, ab Apoſtolicis temporibus Clericos omnes fuiſſe Regulares; quamobrem neceſſum eſt vt qui *ſuper candelabrum in Eccleſiæ thronis conſpicui fulſerunt*, vixerint Regulares. Interim de antiquitate Monachorum dubitas, tum his verbis quanquam obſcuriùs, tum exeunte pagina altera, cum affirmas *in Africa nullum Monachorum, aut Monaſticæ vitæ veſtigium ad tempus vſque S. Auguſtini viſum.* Imperij Romani partitionem vt ſequaris, liberaliter concedo: poteram enim iure meo à te quærere an Ægyptus & Thebaïs in Africa non ſit? Vel S. Marcus Euangelij ſcriptor S. Auguſtini tempora non præceſſerit? Vel quæ de Alexandrinis Supplicantibus & Therapeutis ſcripſit Philo fabuloſa ſint? Vel malè Therapeutas illos putauerit S. Hieronymus eſſe Chriſtianorum primitias à Marco inſtitutas? Adijcis, ne quid abſurdi reticeas, *Virginum cœtus in Eccleſia antiquiores eſſe, quàm Monachorum:* idque ridiculè probas ex Apoſtolo Corinthios de virginibus edocente, quaſi Corinthias virgines in cœtum coijſſe ſignificet; quaſi & Actuum Apoſtolicorum hiſtoria cœtus viduarum commemoret, quia *Græcorum viduæ* in ea le-

*De Monachorum antiquitate malè philoſophatur Aurelius pag 504.*

*Virginum cœtus, Monaſticis priores eſſe malè probat ex* 1. Cor. 7. Act. c. 6.

1. Timot. 5. guntur : & quia Timotheo præcepit Apoſtolus vt *viduas honoret*, *viduam eligat ſexaginta annorum*, admirabili, & omnino tuâ Logicâ inde deducis, fuiſſe viduarum cœtus in vnum coactos ad eam Monaſterij formam, quam Monachi deinde ſint imitati. Velim autem ex te ſcire, quàm recentem & nouam in S. Dionyſio putes eſſe Monachorum inſtitutionem? Monachorum inquam certis ritibus initiatorum, ſanctos Ordines ſacientium, certum in Eccleſia locum occupantium? Quid de S. Iacobi liturgia cenſeas, in qua ſupplicatum legis pro ijs qui in virginitate, & caſtitate, ac Monaſterijs degunt: Sed hæc in tranſcurſu.

*Non pauci Monachi Eccleſiam feliciter gubernarunt.* Næuus alter hic tuus eſt, primis illis ætatibus paucos è Monachis Epiſcopos, reipsâ Eccleſiam feliciter adminiſtraſſe: vnde ſequitur, vt infeliciter omnes alij. Expectas fortaſſe vt ſanctiſſimorum è Monaſterijs Antiſtitum ſeriem tibi contexam: aliter diſputo, & vel meo, vel Lectoris tempori parco. Da mihi vnum infelicem è Monacho Epiſcopum, putà Neſtorium, aut Fauſtum Regienſem, ab Hallier nominatos, vel quem alium à hoc ego ſi decem alios *συγχρόνους* ſanctiſſimos, optimos, feliciſſimos è Regularibus Præſules non poſſum opponere, viciſti. Quapropter dum ephemerides tuas conſules, vnam ego cum Lectore meo S. Athanaſij ad Dracontium conſecratum ex Monaſterio Epiſcopum, elegantiorem, quàm prolixiorem percurram Epiſtolam, quæ cauſæ noſtræ vel præiudicium, vel præſidium afferet.

*Vnius S. Athan. ad Dracontium epiſtola omnes Petr. Aurelij calumnia conuelluntur.* Hic, inquam, ſummo omnium conſenſu delectus, & à Patriarcha ordinatus, Monachorum ſuaſu in ſolitudinem iterum ſe abdiderat, ne tantum, tamque periculoſum onus ſuſcipere cogeretur. Dixiſſet tum aliquis de Aurelij ſchola miſomonachus. Bonum factum quòd ſe ipſe *parum idoneum* iudicat *ad Eccleſia munera*: ſic ſe habent omnes Monachi, & *pauci admodum noſtrâ memoriâ feliciter adminiſtrarunt*: alium, me, mei ſimilem elige. Quid hic Athanaſius? Quo fugis Draconti, quod Eccleſiæ ſcandalum creas? Tua illa fuga electionis tuæ concordiam diſſipat, Epiſcopatum prædæ obijcit, Gentiles qui *Monachi adminiſtratio vtilis.* conuerſionem te Paſtore promiſerant in errore continet, Populos fruſtraris, qui dum te expectant, doctrinæ ſacræ eſuriem patiuntur. Quid fugis? Vim Iudæorum, labores Eccleſiæ, temporum iniquitatem? Vir eſto, non temporibus, ſed Deo ſeruitur. Epiſcopalem Ordinem vt inutilem, & minimè neceſſarium deſpicis? Caue Chriſtum & Apoſtolos arguas: caue contemnas eos ſine quibus ne Chriſtianus quidem fores: ſequere Paulum peregrinantem, laborantem, euangelizantem. Vereris fortaſſe ne de virtutis gradu excidas in *Pericula timere non debet.* Epiſcopatu? Euge: Moſes & Ieremias iniunctum ſibi officium principio quidem refugiebant, infirmitatis ſuæ conſcij, ſed diuino tandem imperio confirmati, quàm ſanctè quamque perfectè propheticum munus implerunt? Tu *Multi ad Epiſcopatũ euecti.* vnus ex Monachis ad infulas traductus es? Neſcis Serapionem, Apollonium, *Id primùm ab Athanaſio exequatum ſcribit Hallier, ſed perperam.* Agathonem, Ariſtonem, Ammonium, Cuen, Paulum, & *quamplurimos alios hanc curam ſuſcepiſſe, neque propterea ſeipſis factos eſſe deteriores? Quot enim ab idolis conuerterunt? Quot à furioſa & diabolica conſuetudine ſua admonitionibus compeſcuerunt? Quot adduxerunt Chriſti ſeruos? Adeò vt qui iſta ſigna conſpiciant, admirentur.* Magna mihi crede merces Epiſcopo ſeruatur in cœlo. Sed & ſi Epiſcopatum *Monachi vitam in Epiſcopatu retinere poteſt.* cauſam eſſe peccandi arbitraris, omnino falſus es. Licebit tibi in Epiſcopatu eſurire & ſitire, ſicuti Paulo: licebit vinum non bibere ſicut Timotheo; & ieiunare frequenter, vt Paulus ſolet: vt ita ſecundùm illum ieiunans, alios

ſermonibus

ſermonibus enutrias. Hæc & ſimilia dum ex animo ſcribit S. Athanaſius, ille fidei columna, ſcutum Eccleſiæ, Catholicorum portus, Doctor orbis Chriſtiani, contradicit Aurelius homo ignotus: vtri credimus? In D. certè Athanaſij partes tranſit eruditiſſimus Annalium ſcriptor, rerum Eccleſiaſticarum ſi quis alius ſcientiſſimus, qui hunc ipſum locum acie mentis contemplatus, grauiter & aptè ſubiungit. *Negari quidem non poteſt fuiſſe Monachiſmum ſeminarium in Eccleſia Dei ſanctiſſimorum Epiſcoporum, ex quo Baſilij, Gregorij, Chryſoſtomi, & alij tam in Oriente, quàm in Occidente viri ſpectatiſſimi prodiere.* *Monachiſmum ſeminarium Epiſcoporum.* Baron. ad an. 328. n. 25.

Verùm quod ab alijs negari non poteſt, negat buccis concrepantibus Petrus Aurelius, & (quæ tertia calumnia eſt) ſcribere audet, quarto *illo & celeberrimo ſeculo vel nullos, vel pauciſſimos eſſe Epiſcopos, qui Regulares fuiſſe dicantur.* Hic ego non poſtulo cur è tot ſeculis *quartum* ſelegerit. Non repeto Clericos tunc omnes ſtrictiore regula fuiſſe conſtrictos; vt iure optimo Regulares dici debeant, licet Monachatum omnes non profiterentur. Non queror ab homine Religionis ignaro, Clericales Monaſticoſque Ordines confundi: vel potiùs Clericales nullos agnoſci. Sunt enim iſta communium locorum diuerticula, ijs concedenda, quibus moleſta eſt hypotheſis. Pedem propiùs confero, & nonnullos ex *illuſtrioribus* quos adducit illi eripio, vt ſuam ipſe horreat ignorantiam, nos miremur audaciam, qui plurimos è Monachorum catalogo eradat, quos vel mediocriter eruditi vixiſſe ſciunt inter Monachos. *Quarto ſeculo Regulares non pauci fuerunt Epiſcopi.*

Itaque vt oſtendat paucos admodũ Monachos Epiſcopatum geſſiſſe, tyrannica tempora, & quartum ſeculum paulò pacatius replicat, & *illuſtriores Epiſcopos* nominat, quos nemo *Regulares fuiſſe iactauit.* In ijs Dionyſium adducit Romanum, diſertiſſimè repugnante libro Pontificali, qui ſic perbreuem eius vitam exorditur. *Dionyſius ex Monacho, cuius generationem reperire non potuimus, ſedit*, &c. Cuius libri fidem hac ipſa in re Doctor Hallier eleuare maluit, quàm ignorare: *Dionyſium*, inquit, *Summum Pontificem, vnumque præterea, aut alterum* (omiſſos ab Aurelio) *ex libro Pontificali Damaſi, ex Monacho ad ſummum Pontificatum euectum legimus: ſed id rarum exemplum, ſi tamen verum eſt.* Debuit afferri *ipſius* huiuſce cauſa, neque ſanctiſſimorum Præſulum vt Teleſphori, & aliorum nomina memoriæ poſterorum inuideri. Reſpondebit fortaſſe, quod alicubi Aurelius, libri illius *exiguam auctoritatem eſſe*, quem *Bellarminus à Damaſo ſcriptum negat, ab Anaſtaſio Bibliothecario aſſerit.* Et Bellarminum citat *l. 16. de ſcript. Eccleſ. in Anaſtaſio Biblioth.* Quæ vera Bellarmini ſententia, tribus prauis citationibus ab docto iſto, lectorum omnium contemptore corrumpitur. Quis enim non rideat citari *lib. 16.* eius operis quod in libros non diuiditur? Quod ſectum per ſecula, Damaſum in quarto, Anaſtaſium in nono, non autem *decimo ſexto* collocat? Quis non miretur citari *in Anaſtaſio Biblioth.* quod ibi tantùm ſtringit Bellarminus, in Damaſo magis expreſſum? Ita neque Pontificalem, neque Bellarminum legit Aurelius, & tamen Lectorem præfidenter alloquitur. *In Dionyſio Romano lapſus Aurelij.* *Hallier ipſi contrarius* in Vindic. pag 473. *In citando Bellarmino ter peccat Aurelius* pag 87.

Petrum Alexandrinum qui additur, equidem Monachum fuiſſe non aſſero: ſed in Epiſcopatu tamen Monaſticos mores æmulatus eſt, ſcribente Euſebio vitam eo tempore duriore *exercitatione*, & magis *ſeuera traduxiſſe.* Vt qui ante Epiſcopatum Monachus non fuerat, cœleſtem certè Monachorum vitam in ipſo magiſtratu deguſtaret; ſimulque oſtenderet exercitationem illam cum vigilantia paſtorali non pugnare. *De Petro Alexandrino.* [illegible] Euſeb. l. 7. hiſt. in fine.

*Aurelij error chronologicus.* In *quarto ſeculo* Cyrillum Alexandrinum, & Leonem Magnum nominas: Quo auctore? Quis tibi antiquitatis promptuario *αἰσνελας* illam condonet? Et Trithe. l. de ſcript. Ecc. de Cyrillo quæris quis eum Regularem fuiſſe dixerit? Certè Trithemius *Montis Carmeli quondam decus, & cultorem inſignem* vocat: quàm certò, id non diſputo, ſatis modò mihi eſt habere qui dicat.

*Aurelij audax impoſtura.* Stuporem inijcit quod ſequitur, quod pro certo & conſtanti audacter aſſeueratur, quod contra ſcriptam ſolaribus radijs veritatem Lectori ſuadetur, *Gregorios Nazianzenum, & Nyſſenum, Baſilium ipſum Monachorum inſtitutorem* *Cui contradicit Hall. in Vindic. pag 473.* *& patrem Monachos non fuiſſe.* Os hominis conuicio verberare poteſt ſocius Hallier, ſi cætera deſint teſtimonia. Quid autem ad Socratem dicet Aurelius, qui Baſilium in duplici vitæ genere narrat exercitatum, aſcetico, & Socr. l. 4. hiſt. Eccl. c.21. actuoſo ad populum docendum? Vtrunque duos fratres æmulatos, Petrum, Monaſticum; Gregorium Nyſſenum, docendi rationem. Hic enim ex Religioſa diſciplina, tranſijt ad Epiſcopatum: ille in quiete & otio conſenuit? Ἐν ἐπισκόποις, οἱ μὲν ἐν ἀσκηταῖς καὶ τῆς ἀρετῆς φροντισταῖς, ὕστερον κατ᾽ ἐκκλησίας διέλαμψαν ... Γρηγόριος ὁ τῆς Ναζιανζοῦ, καὶ ὁ Νύσσης. Quid ad Theodoretum, cuius diſerta hæc eſt oratio, *ex Epiſcopis, & ijs qui vita Monaſtica, & ſacra diſciplina viuendi, ſtudioque virtutis operam nauarunt, Gregorium vtrunque Nazianzenum & Nyſſenum tuliſſe principatum.* Plura non addo, cum ea res ex hiſtoria, ex eorum vita, ex ſcriptis tam ſit aperta, vt qui contra pugnet, non rationibus, ſed contemptu confutandus eſſe videatur.

Theo. l. 4. hiſt. Eccl. c.28. Verecundior eſt in S. Auguſtino aduerſarius & tectior, *Vt*, inquit, *de Auguſtino nihil dicam.* Quid enim potes dicere, niſi quod ipſe locis pluribus, quod in eius vita Poſſidius, quod ingens ſcriptorum cohors, quod tu aliqua ex parte fateri cogeris, eum vitæ Regularis inſtitutum in Africam intuliſſe, vixiſſe *Aurelij de Auguſtino cõtradictio.* ad Apoſtolorum morem, omnes ad illud amplexandum cohortari ſolitum? Ne quid hunc in locum referam eorum, quæ libro quinto ex ipſius Auguſtini ſcriptis & vita monſtrata ſunt. Hic ego fidem à te non exigo: ſed vnum quæro ſi noſti, quàm multos ex ijs quos recenſes, minùs beneuolos Monachis fuiſſe exiſtimes? Quàm paucos ex omnibus numerare poſſis, qui non eos coluerint, fouerint, laudarint, omni ope patrocinioque ſeruarint? Itaque ſi vel Regulares & Monachi fuerunt ipſi, vel Monachos ornarunt præconijs, amicitia dignati ſunt, paſtorali vigilantia, vt præcipuam gregis ſui partem gubernarunt; quid ex eorum appellatione conſequeris ad Monaſticæ dignitatis diminutionem, quam adeò vehementer affectas?

*Innumeri ex Religioſis Antiſtites.* Adde quod tuus ille delectus paucorum quos nuncupas, cæteris iniurioſus eſt, quos prætermittis: Nam cum *inſigniores* appellare promittas, cur Epiphanium, cur Ioannem Chryſoſtomum, Paulinum, Eucherium, Martinum, Fulgentium, Euſebium Vercellenſem, Sulpitium, Cæſarium magni nominis Epiſcopos, Monachos omnes ab *inſigniorum* numero excludis? Cur Moyſem illum Monachum & Saracenorum ſub Mauia Regina Apoſtolum, & Socr. l. 4. hiſt. Eccl. c.29. Lucij Ariani congreſſu famoſum, & parta Imperio Romano Saracenorum amicitia fideque commendabilem inter *inſigniores* non computas? Qui Cyrillum Alexandrinum ad quartum reuocas ſeculum, cur illi pene æquales Gregorium magnum, Eutychium CP. Anaſtaſium Sinaïtam, Theodorum Siceotan, Ildefonſum Toletanum, alioſque innumerabiles ab *inſignioribus* ad plebem, vt ſic loquar, Antiſtitum amandas? Progredere verò ab illis ſeculis, ad noſtris viciniora. Audebis-ne dicere tum etiam temporis Monachos parum idoneos ad Eccleſiæ munia viſos eſſe Gregorios, Benedictos, Bonifacios,

Leones

Leones, Adrianos? Et ne morer in ſingulis, triginta ſex, aut ſi alios audimus, quatuor & quinquaginta, qui annos quingentos, aut circiter octingentos, vniuerſam Eccleſiam è Romana Petri ſede rexerunt. Cardinales bis mille, quingentos ſexaginta ſeptem; Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates pene infinitos è ſanctiſſimo Canonicorum Regularium ordine? Pergeſne ſcribere paucos admodum extitiſſe, qui Eccleſiam fideliter adminiſtrarint, poſt Pontifices Romanos ex vna D. Benedicti familia quinque ſupra viginti, Purpuratos Patres ducentos, Patriarchas quinquaginta, Archiepiſcopos mille ſexcentos, Epiſcopos quater mille: quos à religioſiſſimis illis Patribus numerari, tu quidem ignoras, at non dubito quin ſocius Hallier certum habeat, vir *Regularibus caritate coniunctiſſimus, & prioribus ex ſingulis ordinibus amiciſſimus*. E ſanctorum Dominici & Franciſci ſanctiſſima regula, quàm multi ad purpuram, & infulas Pontificales aſcenderint, præter ea quæ olim narrabamus, docet è probatis auctoribus Hieronymus Platus, deque tota iſta quæſtione in Religioſi ſtatus honorem pulcherrimè diſputat. Quòd ſi eo fato nati ſunt Regulares, vt parum feliciter Eccleſiam adminiſtrare poſſint, quis Petri nauiculam non miſerabitur imperitis gubernatoribus tandiu commiſſam? Aut quis vectorum prudentiam non requiret, quibus infelicium Pontificum delectus ita placuit, vt ad ſimiles ſæpe recurrerent? Auſim hic iterum dicere, vel hac in te peccaſſe Eccleſiam, vel falſa Petrum Aurelium criminari.

Pennot. in hiſt. Tripi Cler. Can. Præfat. ad l. 2. Serclier in Nazareno Euang. 1 P. tr. 3. n. 2.

Platus l. 2. de bono ſtatus Rel. c. 29. & ſeqq.

# DE HIERARCHIA ET HIERARCHIS ECCLESIAE.

## Liber Octauus.

## DE SVPREMA HIERARCHIÆ ECCLESIASTICÆ SPECIE quæ eſt Chariſmatum ſiue Gratiarum.

### PRÆFATIO.

### DE PRÆSTANTIA HUIUS HIERARCHIÆ.

*Hierarchia & Eccleſia fundamenta in montibus ſanctis.* Pſal. 86. Apoc. 21.

VT ſanctæ ciuitatis, vt Eccleſiæ, cuius ea figura fuit, ſic Hierarchiæ noſtræ *fundamenta in montibus ſanctis* ſapiens Architectus poſuit: nihil vt in rebus humanis ſacrum perfectumque eſſet, quod è cœlo profectum, ſuam cum illo cognationem non retineret. Fundamenta certè & ſtructore, & ædificio digna: quæ Ioannes *omni lapide pretioſo ornata* cum narrauit, non pro rei maieſtate, vel ſui ſenſus altitudine, ſed ex humani ſermonis inopia loquutus eſt. Qualem enim oportet eſſe Baſilicam, cuius ciuem vnum Propheta omni lapide pretioſo decoratum ſcribit? Illum ciuem qui *Cherub extentus & protegens, & poſitus in monte ſancto Dei, in medio lapidum ignitorum* dicitur *ambulaſſe?* Quid quòd & *fundamenta & montes ſancti,* (Ezech. 28.)

ſunt

ſunt illi ipſi ciues Throni ſapphirini, Cherubim ſmaragdini, Seraphim igniti carbunculi, qui ſuum quocunque cœlum vehunt, ſibique ipſis poſt Deum & cum Deo ſunt boni omnis cœleſtiumque deliciarum regia? Quò ſane auguſtior noſtra cenſeri debet Hierarchia, quæ ad eam formam extruitur, & nobiliſſimos diuinæ dactylothecæ lapides, dona, inquam, naturam omnem ſuperantia, iacit in fundamenta; eaque montibus, quos ipſa Gratiarum ſanctitas conſecrat, Apoſtolis nimirum, Apoſtoliciſque viris imponit. Ea ſunt quæ modò ſcrutari aggredior, & hactenus defoſſa, in ſolem & omnium conſpectum educere. Chariſmata quidem quibus ab omni æuo ſuam Eccleſiam locupletauit Deus, nemo ignorat: ſed quotuſquiſque ea eſſe Hierarchiæ principia, licet hoc clamaret Apoſtolus, intellexit? Principia dico & fundamenta, quia talium infuſione donorum, ſuam ad Ordinem & Iuriſdictionem vocationem, declarare ſolet Hierarchiæ omnis moderator, *rigans montes de ſuperioribus ſuis*, eaque donatos Hierarchia, vocat & præparat ad cæteras. Quod vnum magni quondam Abbatis Euthymij dictum manifeſtè declarat, qui Anaſtaſium tunc temporis ſacrorum adhuc vaſorum cuſtodem, & Chorepiſcopum, diuinitus agnoſcens Ieroſolymitanum aliquando Patriarcham fore, *ſunt enim eius*, inquiebat, *chariſmata minimè pœnitenda.*

*Hierarchiæ hæc præcedentium fundamentum.*

In vita Euthym. apud Sur. 20. Ian.

Quæret aliquis, ſi fundamenta ſunt illa, cur ab ijs Hierarchiæ fabricam non inchoauerimus, cur in imo non collocentur, cur ad ſupremos & diuinæ maieſtati citimos Angelorum Ordines reducantur? Id ego factum reſpondeo ad D. Auguſtini doctrinam, tanquam ad amuſſim accuratè, cui cœleſtis fundamenta ciuitatis in cœlo quærere viſum eſt, contra quàm in materialibus iſtis ſubſtructionibus contingere videmus. *Ergo fundamentum lapis Angularis ipſe* (Chriſtus) *eſt ab imo ſurgens, ſi tamen ab imo. Etenim origo fundamenti huius ſummitatem tenet: & quemadmodum fundamentum corporea fabricæ in imo eſt, ſic fundamentum ſpiritalis fabricæ in ſummo eſt. Si in terram ædificaremur, in imo nobis ponendum erat fundamentum: quia cæleſtis fabrica eſt, & ad cælos præceſſit fundamentum noſtrum. Ipſe ergo Angularis lapis, monteſque Apoſtoli, Prophetæ magni portantes fabricam ciuitatis, faciunt viuum quoddam ædificium.* Quod & antea vberiùs explicans, demonſtrauerat quomodo Chriſtus & caput noſtrum & fundamentum ſit, cum ſoleat eſſe fundamentum deorſum; caput autem ſurſum. Lapides enim, & ligna, & cætera compactioris, magiſque terrenæ ſubſtantiæ, ad terram vergunt, tanquam in centro quietem repertura: oleum vero, & ignis æthereæ naturæ magis affinia, ſurſum tendunt, & vilioribus corporibus ſupereminent. *Rebus ergo ad ima tendentibus in imo ponitur fundamentum: Eccleſia verò Dei in imo poſita, tendit in cælum. Fundamentum ergo noſtrum ibi poſitum eſt, Dominus noſter Ieſus Chriſtus, ſedens ad dexteram Patris.*

*Poſtremo loco tractatur ob præſtantiam.*

*Eccleſiæ fundamentum in cælo.*

Augu. in Pſ. 86.

Idem in Pſal. 29. enarr. 1.

Quam contemplanti celſitudinem, moleſtum vt ſpero non erit, quòd Hierarchiam iſtam ſupremam in titulo appellaui, quòd in editis ſupra vulgi capita hominibus, tanquam montibus collocaui. Nam & ſupremæ Angelorum Hierarchiæ reſpondet, & magnos facit verè *montes Dei*, & ea ſola ſatis eſt, ſine qua nulla alia ſufficit. Diſcede hinc *ſuperbia & iudicium Diaboli*: nemo apud ſe vilior, quàm qui Deo coniunctiſſimus. *Cecidit de cælo Lucifer, mons peſtifer* qui cœlum & *vniuerſam terram corrumpit, datus in montem combuſtionis, de quo non tollent lapidem in fundamenta*; quia *in veritate non ſtetit.* Ioannes autem Baptiſta vnus de primis huius Hierarchiæ Principibus, ab Chariſmatum ſuo-

*Cur hæc Hierarchia ſuprema vocetur.*

Iere. c. 51.

Aug. ſerm. 23. de Sanctis. rum admiratoribus *Chriſtus putari potuit, & noluit:* verè magnus, ſed *in paruo Chriſto minimus: ſi enim quod non erat fallaciter putaretur, ab illo qui erat veraciter amputaretur.* O iucundum Dei erigentis in montem, hominis ſe ſe in vallem deprimentis certamen! O felicem eum qui factus *mons coagulatus, mons pinguis, mons in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo*, tot bonis præuentus, hoc vnum agit, vt de fructu operum ſuorum & ipſe in terra ſatietur! Denique ô dignum *nouiſſimis diebus* ſpectaculum! vt ſit Hierarcha *præparatus mons domus Domini, in vertice montium, & eleuetur ſuper colles, & fluant ad eum omnes gentes,* Iſa. c. 2. dicantque *Venite*, & duce Epiſcopo, *aſcendamus in montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias ſuas*, & Doctores prouidente nobis Hierarcha, *ambulabimus in ſemitis eius.*

## QVÆ SIT RATIO HVIVS HIERARCHIÆ *cæteris adiungenda, quibuſque illa nominibus appellari poſſit.*

## CAPVT I.

*De neceſſitate huius Hierarchiæ dictum l. 3.*

QVAM commoda, quamque neceſſaria ſit Hierarchiæ noſtræ triplicis diſtinctio, tertius iam olim liber oſtendit, ſiue vbi Hierarchiam ipſam in ſuas ſpecies partitus eſt, ſiue vbi ſic diuiſam, ſingulis ſupernorum ciuium Hierarchijs applicuit. Et tum quidem, imo in reliquo curſu operis, aliquos ſacræ actionis conſortes eſſe frequenter vidimus, qui neque ab Ordine Sacerdotij, neque à Iuriſdictione poteſtatem ſortiantur, quorum contemplatio ad hunc locum pertinet. Id etiam ſimpliciter poſui, ſupremam Hierarchiam ab Apoſtolo Paulo fuiſſe deſcriptam; quod mox accuratè tractandum erit. Itaque cum hæc ſtabilita ſatis Hierarchia diuidendo videatur, hoc aditu neque præterita replicare, neque futuris anteuertere oportet, vt in eius inueſtigando nomine vtilius opera collocetur.

*Nuncupari poteſt Hierarchia Chariſmatum.* Hierarchiam appello Chariſmatum, & Gratiarum, Apoſtoli ipſius nomenclatione. Nam ſiue Gratias, Miniſtrationes, Operationes eodem concludat ſignificato, ſiue diſtincto; id certè conſtat, Gratiæ nomen commune & genericum eſſe, eaque complecti dona quæ modò quærimus, quibus Spiritus Sanctus nonnullos fidelium inſtruit ad Eccleſiæ ædificationem, & aliorum ſalutem procurandam. *Gratia gratuita.* Gratias gratis datas, ſeu gratuitas appellant ſcholæ; quarum prima quidem vis & efficientia, ſi ritè exerceantur, intima eſſe debet ei cui donantur, ne fiat *velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens*: ſed finis præcipuus eaſdem exteriùs protrahit ad ſalutem proximorum; vt non tam exiſtimari debeant illi datæ qui vtitur, quàm iis in quorum gratiam conferuntur. Eo ſenſu claues Petro datas, non Petri ipſius, ſed Eccleſiæ perpetuò vocat S. Au- Augu. tr. 50. in Ioan. guſtinus, quia *quando claues accepit, Eccleſiam ſanctam ſignificauit*: adeoque in eius perſona dabantur Eccleſiæ. Sunt autem gratuitæ, quia nemo homo vlla condignitate priuilegia eiuſcemodi promereri poteſt: imo neque ſanctitatem exigunt, cum Balaamum & Caïpham prophetaſſe legamus, & Saülem ipſum inter Prophetas prouerbium poſuerit. Quamobrem ſtolidiſſimæ arrogantiæ

gantiæ

gantiæ eſt, id oſtentare, quod aliunde nullo tuo merito acceperis, cuiuſque vſu cum alios ad Dei cognitionem amoremque deduxeris, te ipſe in vltimum exitium præcipites. Sunt ea tamen dona ſemper omni veneratione digna, quæ lege communi ſanctitatem operantis aperiunt: vt cum ad contactum cinerum Eliſæi mortuus reuixit; cum S. Martinus ante conſortium Hiſpanorum Epiſcoporum in numerato habebat miracula, quæ deinde illorum communione fœdatus, ægrè perpetrauit. Sumo enim ex his exempla, quia illuſtriora ſunt dona, quæque quoties gratuitarum Gratiarum fit mentio, ſtatim in hominum animos incurrunt: non quòd illorum anguſtijs Hierarchiam Chariſmarum velim contineri, aut nihil habere propriæ ſanctitatis.

4. Reg. 13. Sulpit. l. 1. Dial. de virtut. S. Martini.

Quare non veto quin appelles Hierarchiam donorum Spiritus Sancti: quandoquidem ea conſtituitur, prout à Deo donatur illis prærogatiuis ſcientiæ & caritatis, quibus intelligentia, & voluntas perficiuntur.

*Hierarchia donorum Spiritus S.*

Hierarchiam diuinæ, ſeu ſpecialis vocationis per me licet indigites. Nam cum in alijs cœleſti, vt vidimus, voluntati humanum miniſterium, & Hierarcharum conſenſus addat ſuffragium, illa Dei ſolius opus eſt, qui ſacra ſcientia, & amore diuino noſtros animos perfundit. Eam vocationem ſpecta in Vrbani Pontificis doctrinâ, apud Gratianum, *Lex*, inquit, *priuata eſt, quæ inſtinctu Spiritus Sancti in corde ſcribitur, ſicut de quibuſdam dicit Apoſtolus, qui habent legem Dei ſcriptam in cordibus ſuis. Si quis horum, &c. afflatus Spiritu Sancto in aliquo Monaſterio vel regulari Canonica, ſaluare ſe voluerit, quia lege priuata ducitur, nulla ratio exigit vt à lege publica conſtringatur.*

*Hierarchia ſpecialis vocationis.*

*Lex priuata Spiritus S.* 19. q. 2. c. duæ ſunt.

Dic, ſi lubet, Hierarchiam ſanctitatis ſeu perfectionis, neque VVicleffi metue hæreſim, quod præſto. Vides enimuerò ad perfectionis apicem quaſi manu ducere ipſam caritatem: neque mihi optauerim ſacrorum Doctorum ſcientiam, ſi ea me Deo non magis adiungit. Quis autem non videt, cui plus datum fuerit plus ab eo repetendum, & maximè reum eſſe, qui vulgari perfectione contentus ſit, licet non vulgaribus à Deo gratijs exornetur? Quis donorum illorum virtute non ſentit ad maiorem ſe perfectionem, certè vt ſe *præbeat bonorum operum exemplum* obligari? Vis hoc etiam è S. Dionyſio myſterium? Primam ait Angelorum Hierarchiam (cui hæc noſtra reſpondet) *tanquam bonitatis Hierarchiam*, Theologicam ſcientiam inferioribus ordinibus communicare: vnus autem communicandi modus, quod ſuo loco monſtrauimus, immanens eſt, per exemplum, quod & terreſtris hæc *bonitatis Hierarchia* nihilò ſegniùs, quantùm mortali naturæ fas eſt, imitatur.

*Hierarchia ſanctitatis & bonitatis.*

[illegible] Dion. c. 7. cœleſt.

Fortaſſe neque nomen ei deneges Dignitatis & Excellentiæ, non aliarum quidem Hierarchiarum reſpectu, nihil vt inuidioſum afferamus; ſed fidelium reliquorum. Siquidem per ea quæ in hac Hierarchia collocati conſequuntur, à vulgari hominum conditione eximi clarum eſt, neque ex S. Dionyſio abnuit Aurelius: per quæ fiunt digni qui ab Eccleſia primùm in ſecunda, deinde etiam aliquando in tertia collocentur, vt copioſè diſſeruimus.

*Hierarchia dignitatis.*

Affinis eſt Perfectionis nomenclatio, quæ huic, vt cui optimo iure conuenit. Hoc ſenſu notum eſt è tribus hiſce partialibus Hierarchijs communem vnam & totalem coagmentari, quæ totum Hierarchizandi officium,

*Hierarchia Perfectionum.*

*Singulis Hierarchijs pars vna officij Hierarchici propriè applicatur.*

omni qua fieri poteſt, perfectione expleat. Singulæ igitur, licet in omnibus Hierarchicis actibus verſentur, vnum tamen velut principem & primarium poſſident, in quo ſæpiùs perfectiúſque occupentur. Quemadmodum in auguſtiſſima Trinitate fuſas per omnes æqualiter perſonas virtutes & perfectiones, vni ſpecialiter applicamus, potentiam Patri, Filio ſapientiam, Spiritui ſanctitatem. Quapropter in Iuriſdictione, quæ admittendi in Eccleſiam per Baptiſmum, reconciliandi Deo per Pœnitentiam, continendi in officio per cenſuras, tranſmittendi ad Deum per Extremam Vnctionem poteſtate perfruitur, regnat Purgatio. In Ordine qui totus vel Sacerdotum eſt, vel tendit ad Sacerdotium, ordinem Illuminatiuum, dominatur Illuminatio. Relicta eſt igitur Hierarchiæ tertiæ Perfectio ab hominibus doctrina illuſtribus, caritate ardentibus procurata, eò nobiliùs, quò longiùs à rebus iſtis terrenis remoti, ſpiritales Dei actiones ſanctiùs imitantur, & exprimunt. Non enim hæc Hierarchia, vt cæteræ, aſpectabilia ſigna corporibus imprimit, quæ de ſe formaliter neque Ordinem, neque Iuriſdictionem tradit; ſed eminentiore quodam, magiſque à ſenſibus defæcato modo, ad cognitionem amoremque Dei rapit & inflammat. Quod magnificè Dionyſiaca opinione declaratur, cum apud Hierophantam, Iſaiæ Seraphica purgatio, non ab ipſo Seraphino, ſed ab inferiore Angelo, cui munus ille ſuum commiſerat, carbone ſacro labijs applicato effecta ſit. Non enim aliter quàm materiali ſigno purgari Prophetam oportebat; id autem immediatè fieri per ſupremæ Hierarchiæ nobiliſſimum ordinem, eius iudicio, non decebat.

*In hac regnat perfectio.*

*Dion. c. 13. cœl.*

*Hierarchia ſcientia diuinæ.*

Mauis Hierarchiam diuinæ Scientiæ nuncupari? Eſto ſanè. Nam Theologia triplex eſt, tribus eius Hierarchiæ ordinibus ex æquo reſpondens Myſtica, Speculatiua, Practica: in eius comparationem ordine deuenitur; habet ſuos Myſtas & Hierarchas. Neque moueat quòd voluntati inflammandæ nullus hic appareat locus: ſiquidem *Scientiam ſanctorum* volo, quæ ad dirigendam & promouendam voluntatem reſeratur: quæ nomen Hierarchiæ dabit eo iure, quo infima ſpecies ſub generis nomine latere ſolet.

*Hierarchia ſtatus.*

Sit illa denique ſi vis, Statûs Hierarchia, nuncupatione à vitæ & conditionis profeſſione deducta, in qua Hierarcham videbis in ſtatu acquiſitæ, Religioſos in acquirendæ perfectionis: Doctores in ſtatu acquiſitæ perfectionis quoad intellectum, qui veritatis principijs adeo conſtanter inniti debent, *vt iam non ſint paruuli fluctuantes, & circumferantur omni vento doctrinæ.* Vnum petebas Hierarchiæ iſti nomen, quàm multa profero? Sed in Apoſtolico, ſi me audis, moremur, & eius de illa ſenſum penitus perſcrutemur, poſteaquam more noſtro, Hierarchiæ, quam vt aduectas ex nouo quodam orbe merces ſuſpicient aduerſarij, definitionem tradiderimus.

*Ephes. c. 4.*

HIERAR.

## *HIERARCHIÆ SUPREMÆ DEFINITIO tradıtur & explicatur.*

## CAPVT II.

PARVM eſt Hietatchiam noſtram noſſe de nomine, niſi ad inti- *Definitio*
mam eius naturam, & eſſentiam penetres, quod definiendo aſſe- *Hierarchia*
queris. At quis id melius efficiat, quàm qui S. Dionyſij veſtigia re- *Chariſmatum.*
leget, & quod in alijs factum Hierarchijs, eius verba ad tem hanc doctrinamque teuocabit? Eſto igitur ſuprema Hietarchia, *Ordo ſacer in Eccleſiâ per Chariſmatum & Gratiarum gratuitarum vſum homines ad Dei ſimilitudinem adducens, & ad eam prorata & proportionaliter aſcendens.*

Ordo, inquam, & quidem quàm aliæ ſtrictiùs. Nam cum è triplici Diony- *Quomodo*
ſiaco vocabulo Scientiam Ordini, Actionem Iuriſdictioni accommodaueri- *dicatur ordo.*
mus; qui ſupereſt Ordo ſupremam tenere debet Hietarchiam, vt ſe ſe alijs communicet, & hominem ponat in ordine, quia iam ante diuinitus ordinem accepit. Quod ſi cui philoſopho minùs commodum videbitur; quaſi infimæ ſpeciei, genericum nomen ſemper conueniat: meminerit inter logicos diuidi qualitatem, in qualitatem patibilem, & paſſionem, genericâ nomenclatione perfectiori ſpeciei attributa. Quod exemplum eò quadrat in materiam noſtram aptiùs, quòd hæc Chariſmata cupio non leui quadam paſſione, quaſi cute tenus ſubiectum ſuum tingere, ſed altè in eo imprimi, & duratione perſe-
uerantiâque ſuâ patibilem facere qualitatem. Quis igitur inquies hic ordo *Quis ſit ille*
eſt? Profectò qui pares inter & impares, Principes & ſubditos, ſummos, me- *ordo.*
dios, & infimos gradus. Omnes enim conueniunt in receptis Chariſmatum beneficijs: in ipſorum forma, numero, dignitate plurimùm differunt. Principes Apoſtolos videbimus, quibus vnis auctoritate publica & exercere, & exercenda committere Chariſmata cœlum conceſſit. Subditos appello, quibus ea poteſtas conceditur, non eos in quos vſurpatur. Nam illorum plerique, quod diligenti obſeruatione dignum eſt, actionem habent in alios, imperium & iu-
riſdictionem non habent. Neque verò neceſſe eſt, omnes & ſingulos Hierat- *Superiores*
chiæ gradus Principatum obtinere, ſed in tota vniuersè Hietarchia Principes *in hac Hierarchia non*
ineſſe & ſubditos: quod decurſa proximè Hierarchia Ordinis declarat, cum *habent iuriſdictionem*
miniſtris ſuis, & ſimplicibus Clericis. Tres autem iſtius Hietatchiæ gradus, *in ſubditos.*
alio infra loco exponemus: vbi & ſpectabimus non eſſe in illa hunc ordinem,
vt infimi nihil à ſummis, niſi per interpoſitos accipiant. Nam & illud in Hie- *Supremos in-*
ratchia ſuperiore fallere deprehendet, cui notum erit Populum ſanctum, & *fimos immediatè Hie-*
Monachos non opera Diaconorum, ſed per ipſos immediatè Sacerdotes illu- *rarchizant,*
minari: eoſdem Monachos non à Sacerdotibus, ſed ab Hierarchis perfici. Et in cœleſti, ſupremi ordinis Seraphinum vices ſuas vltimi gradus Angelo legare, eumque Hierarchizare ſcribit S. Dionyſius, vt Iſaiæ linguam diuino purget calculo. Et hæc de genere dicta ſint.

Differentiam in fine non colloco, qui vnus omnibus communis eſt: ſed
in medijs quæ ad illum diuina manu perducunt. Nam Chariſmata & Gratias *Differentia*
gratuitas habet iſta, & in ijs ſubſiſtit, cum aliæ Ordinem Eccleſiaſticum, *eſt in medijs.*
vel Iuriſdictionem ſacram illis ſuperaddant. Sunt igitur actiones Hierarchi-

cæ, vſus Chriſmatum: is certè qui à ſtatu eſt, qui Hierarchica auctoritate probatur, qui fit publico Eccleſiæ nomine. Non enim Hierarchicam dixeris opitulationem, quæ ægro domino à famulis impenditur: aut Hierarchicam interpretationem doctorum virorum, qui Græcorum Eccleſiæ Patrum eruditas & pias lucubrationes latinè reddunt, aut vernaculè; ſed Marcum interpretem Petri, & Agabum Prophetam Hierarchicum vocabis, quia in eo gradu & ſtatu ab Eccleſia per Hierarchas conſtituti ſunt. Quod autem ad Gratiarum gratuitarum nomen attinet & virtutem, vim earum & efficaciam in alios totam prodire ne æſtima. Leges enim inferiùs; ſibi per eas prodeſſe homines, in ſeipſos agere, ſe virtutibus cumulare, augere gratia gratum facientе; atque adeò non omnes huius Hierarchiæ actiones omni neceſſitate in alios tranſire.

*Non omnes actiones Hierarchicæ, ſunt tranſeuntes.*

Quæ ſint autem illæ diſces à Paulo. Quomodo Hierarchicum Perficiendi, Illuminandi, Purgandi officium exequantur, ſi quæris; Reſpondebo id facere doctrina, exemplo, merito. Nam docet ſermo ſapientiæ, verbi gratia; mouet exemplo Diaconia & Opitulatio; meretur qui linguis loquitur, qui proximum oratione & voluntarijs afflictationibus adiuuat. Imperij, & ſacrificij Hierarchici nulla hic mentio, vt vel hinc agnoſcas non poſſe cum alijs Hierarchiis commiſceri. Quæ omnia quoniam tractatus huiuſce vocabulis tincto homini ignota eſſe non poſſunt, perſtrinxi breuiter, vt ad Paulum alacrior peruenirem.

*Quomodo Hierarchiæ officium explicant.*

## CHARISMATUM HIERARCHICORUM EX

*Apoſtoli Pauli mente diuiſio: cuius prior locus ex Epiſtola ad Corinthios literali explicatione panditur.*

### CAPUT III.

*Cur ab Apoſtoli explicatione tractatus hic incipiat.*

EX Apoſtoli prædicantis ore nonnulla de fidei noſtræ myſterijs Angelos didiciſſe S. Chryſoſtomi effatum eſt: quis ergo nos vetet ſapientiam inter perfectos loquentem audire, & Chariſmatum quæ in Regina Hierarchiarum quærimus, ſaltem nomina ab eo accipere, qui audiuit in cœlo arcana verba, ſapientiam in myſterio abſconditam retinentia? Decebat profectò diuinum hominem, cœlo lapſum, vel vnicum, vel principem huius Hierarchiæ cognitionem nobis tradere, & cæteris beneficijs quibus Eccleſiam obſtrinxit vniuerſam, addere Chriſmata, tanquam diuina Chriſtianæ perfectionis inſtrumenta. Scholam hanc igitur ſacri horroris plenam, corpore animoque in omne argumentum demiſſionis & modeſtiæ compoſiti adeamus, & quàm attentiſſimè fieri poterit, eius voces omnes apiceſque perſcrutemur. Succus cortice continetur, & ſub literæ cineribus, igneus latet ſpiritus, fulgores aliquando ſeraphicos emiſſurus. Eſt autem neceſſarium Lector, hunc à nobis iniri ordinem, priùs vt mentem Apoſtoli expendamus, quàm ex eo noſtram ſtabiliamus Hierarchiam: faciliùs enim à te obtinebo, vt Paulum Apoſtolum credas Hierarchiam tradere, antequam illud comprobem; quàm tu à me perſpicuam diſputationem impetres, ſi non expoſita ſubſtrata materia, ſtatim illam demonſtrare aggredior de Hierarchia eſſe capiendam.

Porrò

Porro diligenter in ſenſu literali perueſtigando morari me poſſe rei ſuadet vtilitas, quia verus Apoſtoli ſenſus aduerſarijs incognitus eſt, & in allegorico ſe verſant tanquam genuino, & [illegible]citer eum turbas excitant, quas literalis intellectus facillimè ſedauerit. Scio equidem veteres Hebræos literalem ſcripturæ ſenſum, cum viliſſima candela, quæ ſit vſui ad margaritum immenſi pretij per tenebras quærendum contuliſſe: atque *aurea* Prouerbiorum *mala in lectu argenteu, verbum dictum ſecundùm ambas facies ſuas*, intimum & ſpiritalem ſenſum interpretatos eſſe, qui literali, vt exteriore vagina conderetur: pretioſa illa quidem, & quæ per ſe ſola poſſit expeti, minimè tamen ad latentis metalli pretium & naturam accedat. Suos nimirum homines non acutiſſimos, ad litteræ corticem nimis pertinaciter adhæreſcentes, ad altiora ſtudebant erigere, in quibus nos Chriſtiani ſæpenumerò nimij ſumus, & niſi fides & prudentia prohibeat, Origenem & Philonem ſtudio ſubtilitatis imitamur. Sed nos meliore conſilio, feliciore vt ſpes eſt conatu, mediam inimus viam, & ſubſtrato in primis hiſtoricæ veritatis, quaſi fundamento, ſenſuum deinde noſtrorum, imo veterum Patrum, ſolidum & conſtans ædificium conſtruimus. Quod vt in duobus, quos aggredior, Apoſtoli locis ſecutius exequar, hunc ipſum literalem ſenſum ſcrupuloſitate pene grammatica perueſtigo, eumque ex auctoribus quos ad manum habeo eruere contentus, reconditiores alios conſulere ſuperuacaneum exiſtimo. Eos tibi, Lector, ad marginem deſcribo, non oſtentationis gratia, ſed vt ſcias nihil hic proferri, quod non eorum aliquis me docuerit.

*Cur litera. in ſenſum exquiratur.*

Prou. c. 5.

Petr. Gala. l. de Arc. 6.

Nihil antiquius caritate mutua Chriſtianis omnibus vult eſſe Apoſtolus; quod vtinam ſeculo huic etiam noſtro perſuaſiſſet! Illam igitur ijs ipſis tebus ſolui & violari, quibus arctiùs colligari debuerat, æquo animo ferre non poteſt. Erant enim qui Chariſmata diuinitus accepta in inſolentiæ ſuæ cibum & fomentum verterent, qui grauiore ſupercilio minores ijs non præditos deſpicerent. Erant quibus inferiora dona non ſatisfacerent, & audacia non ferenda in illuſtriorum vſum ſe intruderent. Neque deerant quibus ſuum pulchrum videretur, & qualecunque illud foret præferrent cæteris, non humili gratiarum actione, ſed vaniſſimæ ambitionis oſtentatione. Denique id faciebant inſtructi gratijs illis, quod nos hoc ſeculo, minùs à Dei donis, magis à vitijs parati, ſtrenuè perficimus. Quid hic Paulus? Romanos & Corinthios ad concordiam reuocat, triplici potiſſimùm ratione: dona hæc omnia eundem habere auctorem Spiritum Sanctum à quo proficiſcantur: Omnia in eundem finem conſpirare, ad Eccleſiam vnam conflandam, ſicut diuerſa membra heterogeneum vnum corpus: Omnia mutuam ſibi præſtare operam, cum nullum eorum ſit ἀυτάρκης. Quapropter non eſſe vnum de Chariſmatibus illis ſic affectandum, vt præ illo cætera contemnantur. Cuius culpæ conuicti maximè Corinthij, ad linguarum donum obſtupeſcebant, vnum illud ambiebant, in eo fidei ſuæ & religionis ſummam conſtituebant. Peruerſè id quidem, inquit Apoſtolus; nam & magna donorum illorum varietas eſt, vos ad vnum aſpiratis: & caritas in proximum eiuſmodi gratijs gratuitis omnibus præferenda eſt, quam vos ambitione læditis: & ſi quod Chariſmatum expetendum eſt, Prophetia linguis anteſtat, quam deſpicere videmini. Hoc duodecimi capitis ad Romanos, & trium à duodecimo capitum ad Corin-

*Qua occaſione Apoſtolus de Chariſmatibus egerit. Qua aſſeruntur hoc loco explicationes, ex probatis auctoribus deſumpta ſunt, quos ſemel colligere præſtat, quàm identidem in textum intrudere. Sunt autem hi præcipui.* Commen. Ambroſio aſſignatus. S. Chryſ. & ſequaces. S. Hieron. Theodore. S. Anſel. S. Tho. Gloſ. Ordin. & e recentioribus [illegible] nulli, Caiet. Salme. Iuſtinian.

Eſtius, Cornel. à Lapide, Gagnæ. & quidã alij, Primadiui-ſio in pro-phetiam & miniſterium. Rom.c.12. 1. Tim.3.

thios argumentum eſt, quibus Chariſmatum diuerſas enumerat ſpecies, non vtrobique eaſdem, aut eodem ordine, ſed proüt aut res exigit, aut Deus inſpirat. Hunc igitur qui in Apoſtolo loquitur audiamus.

Ad Romanos quidem Chariſmata omnia duobus confundit c[illegible]ibus, Prophetia, & Miniſterio: atque ad illam omnia docendi munera, ad hoc externa Eccleſiæ munia reuocat. Quod & præſtat ad Timotheum, ex omnibus Eccleſiæ miniſtris ſolos Epiſcopos & Diaconos appellans. Quis enim non ſentit eo loco ſub Epiſcopis, Presbyteros, & Parochos: ſub Diaconis inferiores omnes adminiſtros & Clericos comprehendi? Aut quis doctrinam [illegible] Prophetiam Epiſcopis; Miniſterium, & operationes ex[illegible] Diaconis [illegible]tat conuenire? Prophetiæ duas tantùm ſubiungit ſpecies, Doctrin[illegible]m, & [illegible]tationem. Miniſterio ſeu Diaconiæ tres, tribuere, præeſſe, mi[illegible]ereri. Se[illegible] curatiùs ad Corinthios tria diſtinguit genera, Gratias ſiue Chariſmata, Mi[illegible]ſtrationes, & Operationes; ad quæ capita ſpecies omnes gratiarum grat[illegible]arum, quas deinde connumerat, referendas eſſe ſignificat. Sic autem vniuerse à generico ſignificatu incipit.

2. Diuiſio in gratias, miniſtrationes, operationes. 1. Cor 12. Chariſmata quæ: Conſt. Apoſt. l.8. c.1. Similis cum hoc loco argumenti,

IV. *Diuiſiones Gratiarum ſunt*, differentes, & in plures diuiſæ gratiæ g[illegible]itæ: *habentes donationes ſecundùm gratiam quæ data eſt nobis differentes.* Vt[illegible]b[illegible]que χαρίσματα, genericum nomen, cuius ſpecies deinde producturus eſt. Tot[illegible] verò illius ſignificationem exhauriunt Apoſtolicæ Conſtitutiones, vbi Chariſmatum diuinorum duo genera diſtribuuntur: alia quæ gratum faciunt recipientem, vt fides; alia quæ in proximorum ſalutem cedunt, vt miraculorum effectio, Apoſtolatus, Epiſcopatus: qui noſter hoc loco ſenſus eſt. Rurſus horum Chariſmatum tres ſunt ſpecies, hoc Apoſtoli textu diſtinctæ, Gratiæ, Miniſtrationes, Operationes. Gratias, χαρίσματα, generis nomine ad ſpeciem contracto, gradus ſupremos Eccleſiaſticos eſſe volo, ijs Chariſmatis inſtructos, quæ ſunt ad explendum officium neceſſaria. Sic enim Apoſtoli producto ex Conſtitutionibus loco, Magiſtratus Eccleſiaſticos, putà Apoſtolos, Epiſcopos, Presbyteros, τοὺς ἀξιωθέντας χαρισμάτων, ἢ ἀξιωμάτων appellant. Et in mea quidem, aiunt, poteſtate eſt Chriſtianum eſſe, Apoſtolum autem aut Epiſcopum, non item, ſed in Dei arbitrio, cuius eſt Chariſmata diſtribuere. Deus autem explicatiùs Apoſtolo Paulo, eſſe dicitur *Spiritus* ſanctus, Eccleſiæ ſponſus & gubernator, cui primam in creatas Hierarchias bonitatis effuſionem iam à principio aſſignauimus.

A Spiritu ſancto.

Apoſtolatum donum gratiæ Dei. Epheſ. c.3. Refellitur Petrus Aurelius pag. 622. Augu. l. de grat.& lib. arb.c.6.

Atque ea eſt germana cauſa, cur Paulus Apoſtolatum ſuum *donum gratiæ Dei* vocet: non illa quam Aurelius non tradit, ſed implicat. *Apoſtolus*, inquit, *ſæpe Apoſtolatum ſuum gratiam & miſericordiam vocat, quia videlicet eum per copioſam & ſummam gratiæ Apoſtolicæ plenitudinem accepiſſet.* Non enim de gratiæ copia & plenitudine, ſed de merito ad eam conſequendam intel[illegible]i vult Apoſtolus; qui ad Apoſtolatum electus eſt, *ſine vllis meritis bonis, imo cum multis meritis malis*, vt loquitur D. Auguſtinus, non ex ſe ſe, & vitæ ſuæ merito, ſed ex pura Dei gratia, & miſerentis Dei bonitate factus Apoſtolus, vt non ſibi tantùm, ſed & alijs vtilis foret. *Omnia enim*, inquit, *propter vos*, quia hæc eſt gratia gratis data, *vt gratia abundans per multos* quò diffunditur in plures,

2. Cor 4.

*in gratiarum actione* quò plures Deo propter illam gratiam gratias agunt, *abundet in gloriam Dei*, diuinam gloriam magis magiſque adaugeant. Hic eſt prior

ab Aurelio

b Aurelio notatus locus; poſterior nihilò meliùs *Apoſtolicæ gratiæ plenitudinem* Ephe. c. 3.
ſignificat. *Per Euangelium, cuius factus ſum miniſter, ſecundùm donum gratiæ Dei quæ data eſt mihi ſecundùm operationem virtutis eius.* Apoſtolum eſſe me voluit, non quia ipſum elegerim, ſed quia ipſe me elegit, atque illi Apoſtolatui efficientiam indidit, ne talentum in terra defoderem, ſed vt illum in Gentium conuerſione occuparem. Quod cum cæteris Apoſtolis habuit commune Gentium Doctor. Quæ vero ſtatim conſequuntur verba, Aurelianam Gloſſam profligant. *Mihi omnium ſanctorum minimo data eſt gratia hæc.* Nam cum Paulus quò maior eò demiſſior, nullam abijciendi ſe prætermittat occaſionem, hoc loco *minimum Apoſtolorum*, alibi *indignum qui vocetur Apoſtolus*, alias *abortiuum*, nonnunquam etiam *peccatorum primum* ſe appellet, quis credat de *gratiæ Apoſtolicæ plenitudine & copia ſæpiſſimè* gloriari? quis exiſtimet illam *plenitudinem & copiam, gratiæ & miſericordiæ* nominibus ſignificare, quibus explendis ſatis fuerit peccatorum veniam accepiſſe à Deo, plus ſatis ad qualemcunque Apoſtolatum perueniſſe? Hæc curſim accipiet Petrus Aurelius; repeto inſtitutum.

V. *Diuiſiones Miniſtrationum ſunt.* διακονιῶν, *miniſteriorum*, quod nomen in Epiſtola ad Romanos interpres adhibuit, & alterum Gratiarum genus facit. *Quid miniſtrationes.*
Sunt diuerſa, inquit, miniſteria, variè per Eccleſiam diſtributa, *per quæ varijs modis fideles miniſtrant Deo, dum pro eius amore famulis ſuis ſubſeruiunt, & neceſſaria tribuunt*, vt explicat S. Anſelmus. *Idem autem Dominus*, Ieſus Chriſtus à quo *A Deo filio.*
vt Deo, & per quem vt hominem omnia illa conferuntur: ipſe Diaconorum omnium primus & forma, qui *non venit miniſtrari, ſed miniſtrare:* & Diſcipulorum præcipuos admonuit, vt magnitudinem ſuam in miniſtrando, non in imperando ſitam eſſe putarent: qui & externa miniſteria ſunt executi, donec maioribus potioribuſque oſſecerunt. Tunc ordinati Diaconi ſeptem, & cæteri ad eorum formam propagati. Pertinet autem ad decorem & perfectionem Eccleſiæ, vt in ea diuerſa miniſteria ſint, qualia in Salomonis palatio Regina Saba mirabatur. Tertium genus ſequitur. Matth. 20.

VI. *Et diuiſiones Operationum ſunt.* ἐνεργημάτων, *inoperationum*, vt ad S. Hilarij exemplum, vocem effingamus. Nam *ſpiritus inoperans* illi eſt, qui Paulo ἐνεργῶν: Deus videlicet in homine inſidens, & hominem poſſidens, eum incitat & impellit ἐνθουσιασμῷ quodam, ad opera naturæ humanæ captum facultatemque ſuperantia: vt ea non tam homo, quàm Deus in eo inhabitans agere cenſeatur. Quare ſequitur, *Idem verò Deus* Pater, cui vt in diuinis aſſignatur potentia, ſic is eſſe dicitur *qui operatur*, ſicut prima cauſa, creans omnes operationes, & effectiuè cum cauſis ſecundis concurrens, *omnia* quæ indicaui gratis data, *in omnibus* fidelibus: quamobrem ea illi, non veſtris, ô Corinthij, meritis accepta referenda ſunt. Hic ſenſus Apoſtolo vſitatus eſt; ad quem ſimiles quædam voces reducendæ ſunt: *Vt inhabitet in me virtus Chriſti*, vt Chriſtus in me habitans, virtute ſua meipſum animet, & corroboret. *Experimentum eius qui in me loquitur Chriſtus*, cum propriè non ego, ſed Chriſtus in me, & per me loquatur. Et clarè de ſe Chriſtus. *Verba quæ ego loquor vobis, à meipſo non loquor, Pater autem in me manens, ipſe facit opera.* Eſt igitur ἐνέργημα Paulo, actio ſic ab homine profecta, vt tamen magis inhabitanti & inoperanti Deo aſſignetur. Vt apud Tertullianum *Philumenes energema*, obſidentis præſtigiæ Dæmonis, & quaſi numinis afflatu editæ prophetiæ, quæ Apellem de-

*Quid operationes.* Hilar. l. 8. de Trinit. *A Deo Patre.* 2. Cor. 12. 2. Cor. 13. Ioan. c. 10. *Quid ſit ἐνέργημα.* Tertull. l. de Præſcr. c. 30.

Act.c.16. mentarunt. Talis illa Pythoniſſa eiuſdem Pauli, & Gentilium Mænades, & Phœbades plenæ Deo.

*Chariſmatū omnium ad ſua genera reductio.*

Sunt igitur tria iſta Chariſmatum genera, *Gratiæ*, inquam, *Miniſtrationes*, *Operationes*, quò ſingulæ ſpecies referri debent: non eæ tantùm quæ Corinthijs, ſed & quæ Romanis antea, & deinde Epheſijs enumerantur. Nam ſub ea ſpecie, cui generis nomen aſſignauit, collocari poſſunt Apoſtoli, Prophetæ, Doctores, Euangeliſtæ, Paſtores, ſermo ſapientiæ, ſermo ſcientiæ, fides, diſcretio ſpirituum, interpretatio ſermonum. Ad Miniſtrationem autem pertinent Opitulationes, Gubernationes, qui tribuit, qui præeſt, qui mi[illegible]etur. In Operationibus denique recenſentur genera ſanitatum ſeu curationum, operatio virtutum, ſeu virtutes, genera linguarum, & ſi mauis, Prophetia & Prophetæ, quatenùs à ſe abducti loquuntur diuina. Ex qua diſtributione, vel me tacente, nemò facilè non intelligat, tribus hiſce vocibus diuerſas ſignificationes meliùs aſſignari, quod fit à Latinis interpretibus, quam in vnam omnes commiſceri, vt plerique Græcorum explicare maluerunt.

## SINGULARUM SPECIERUM EX EODEM loco literalis explicatio.

## CAPUT IIII.

PROPOSITIS generibus ad ſpecies deſcendit; quæ quoniam in opus externum ſæpenumero tranſire debent, & proximum ferire, vt trahant ad Deum, videantur oportet ab omnibus, & tangantur, externâ per ſigna declaratione.

*Manifeſtatio Gratiarum.*

VII. *Vnicuique autem datur manifeſtatio ad vtilitatem*, non ad vanam oſtentationem, non ad eorum qui illis fruuntur gloriam, quaſi ſola ex ijs ſperari debeat admirabilitas: ſed ad publicam Eccleſiæ, nihilò etiam minùs ad priuatam ipſorum ædificationem. *Quia & ſibi & alijs*, vt loquitur D. Anſelmus, *ex accepto dono prodeſt, dum vitam ſuam benè gubernans, exemplum bonæ conuerſationis oſtendit, vel etiam voce prædicat.* Quod ex Ambroſiano commentario traductum videtur. *Hoc enim donum accipit, vt diuinis retinaculis vitam ſuam gubernans, & ſibi & alijs vtilis ſit, dum exemplum bonæ conuerſationis oſtendit.*

*Exemplo vel voce.*

*Omnia Chariſmata Spiritui Sancto aſſignantur.*

VIII. *Alij quidem per ſpiritum datur.* Sequitur ſeries, & quidem indiſcreta, Chariſmatum, Miniſteriorum, Operationum, quæ omnia vni & eidem Spiritui Sancto attribuit, licet antea tres auguſtiſſimæ Trinitatis perſonas appellauerit, quia verè communiter à tribus omnia proficiſcuntur. Et licet *Gratias* tantùm commemorare cenſeri poſſit; ipſarum tamen manifeſtationem, vt acutè docuit S. Hilarius, non omiſit, quando illa finem, quem Deu ſibi propoſuit, efficit.

*Sermo ſapientiæ.*

*Sermo ſapientiæ.* Sapientia eſt rerum diuinarum, & myſteriorum fidei per altiſſimas cauſas cognitio. Ingens Dei donum, ſed priuatum, niſi accedat *Sermo*, & facultas diſertè explicandi quæ animo conceperis. Eam ſibi deeſſe querebatur Moſes, nec ſine Aarone magnæ legationis conſorte, voluit exequi: ſummam verò Barnabas accepit à Deo, *dux verbi* eam ad rem exiſtimatus: licet in ſocio Paulo eſſet ſingularis, quam eo fortaſſe tempore, in Barnabæ

Act.c.14.

comitatu

comitatu non niſi verecundè promebat; qui tamen poſtea profitetur ſe *loqui ſapientiam inter perfectos*; quàm in Epiſtola ad Romanos, & ad Epheſios videre eſt: & in hac maximè, quia auctor eſt S. Hieronymus, nullam aliarum tanta habere myſteria, tam reconditis ſenſibus inuolutam eſſe. Sic totum S. Ioannis Euangelium, omnia S. Dionyſij opera, diuerſæ S. Auguſtini, Hilarij, Athanaſij, Gregorij Nazianzeni lucubrationes, ſunt *ſermo Sapientia.*

*Alij autem ſermo Scientia.* Scientia eſt, quantùm ad res agendas, & ad mores informandos. *Sermo ergo Scientia* tribuitur, *vt loquendo quis alios doceat de bis qua in tempore facta ſunt hiſtorialiter, & de his quæ facienda, vel cauenda ſunt moraliter, id eſt de virtutibus & vitijs.* Sic Anſelmus. Itaque libri quos Sapientiales & hiſtoricos in vetere teſtamento vocamus, & illa Pauli ad Athenienſes concio *ſermonem Scientia* continent: vt ſanctorum Chryſoſtomi, Gregorij Magni, Leonis item magni, Bernardi, & ſimilium opera, Deo plena. *Sermo Scientia.*

*Alij Fides.* Non Theologica, quæ fidelibus omnibus communis eſt; non *Fides.* conceſſa auditoribus ad aliorum prædicationem; quia & hæc Theologica eſt, & gratia gratum faciens, & in alio quàm in prædicante: non conſtantia profitendæ fidei, quia cum dono fortitudinis incidit, & in ſupellectile voluntatis eſt: non miraculorum, quia mox ſequitur, *gratia Sanitatum.* Sed vis quædam & facultas diuina, qua tum perfectè diſtincteque fidei dogmata comprehenduntur; tum alijs dilucidè abſque vllo ſapientiæ aut ſcientiæ ornatu tradi poſſunt. Quod ab imperitis nonnunquam hominibus, à Deo illuſtratis fit perfectiùs, quàm à ſubtiliſſimis Theologis: quam Chriſtus fidem habuiſſe dicitur à S. Auguſtino, in quo certè Theologica eſſe non potuit. Talem *Chriſtus illam habuit.* nobis S. Athanaſius repræſentat S. Antonium, literarum humanarum rudem, *Aug. ep.* ſed in explicandis fidei myſterijs omni philoſophiâ ſuperiorem. Quid autem *57. ad Dardan.* melius hac in materia ipſo Athanaſio? quid Alexandrino Cyrillo, Gregorio Theologo, Baſilio magno? quid pulchrius apud Latinos S. Auguſtino, Leone Papa, Hilario, Hieronymo deſiderari poteſt?

IX. *Alij gratia Sanitatum.* Minora quædam miracula in morbis curandis *Gratia Sanitatum.* operandi, per quæ non tantùm propter facti magnitudinem, ſed etiam ob beneficium acceptum, homo ad Dei amorem deducitur. Quod de S. Laurentio, de SS. Coſma & Damiano, aliiſque Martyribus legimus.

X. *Alij operatio Virtutum.* Grauiorum miraculorum, vt ſciſſi maris rubri, *Operatio Virtutum.* ſolis in ſtatione ſolo imperio retenti, ſuſcitatorum mortuorum, expellendorum dæmonum, & eiuſcemodi, quæ ſua magnitudine hominibus admirabilitatem, indeque Dei inoperantis cognitionem pariunt. A quo Chariſmate Gregorius Neocæſarienſis Thaumaturgi nomen ſortitus eſt, cui & S. Nicolaum Myrenſem, & S. Martinum Turonenſem, & Franciſcum de Paula poſſumus adiungere.

*Alij Prophetia.* Simpliciter & genuinè, futurorum prædictio, quæ quia à *Prophetia.* ſolo Deo cognoſci poſſunt, ideò eius ſpiritu agi Prophetas oportet.

*Alij Diſcretio ſpirituum.* Vt prauitatem cordis humani ſcrutetur, neque ſe *Diſcretio* per imprudentiam ab hypocritis in errorem induci permittat. Sicut Petrus *ſpirituum.* ſtatim Simonis Magi ſimulationem agnouit, & redarguit, quam Philippus *Act. c. 8.* Diaconus non deprehenderat. Præterea vt malorum ſpirituum inſtinctus à bonis diſcernatur ineunte tentatione. Nam eius ſophiſmata deprehendere facile eſt, cum ad peccandum perduxerunt; non autem principio afflatus, cum

Sulp. dial. de vita Matt.

adhuc Satanas transfiguratus eſt in Angelum lucis. Hoc donum eximiè Patriarchæ noſtro S.Ignatio conceſſit Deus. Narrat & in magno Martino Sulpitius,diuinam fuiſſe prudentiam, quâ dæmonem ſenſibus illudentem retegeret.

*Genera linguarum.*

*Alij genera Linguarum.* Quod donum per ſe ſatis notum, in hunc ordinem ab Apoſtolo reijcirur, vt Corinthij diſcerent in poſtremis eſſe numerandum. Hoc de Chariſmare duo mihi ex c. 14. notanda occurrunt Apoſtoli dicta, 1. *Qui loquitur Lingua ſemetipſum ædificat:* ſibi vni prodeſt,non aliis à quibus non poteſt intelligi, ſed barbarus videtur: & tunc *ſibi loquitur & Deo*, cum Deo ſolo cor intuente, & eius ſuſcipienre pietatem, gratiâ dara in ſuum commodum,bene atque ex virtute vtitur. Vnde accidit vt doni Linguarum præcisè ſpectati minor ſit habenda ratio, inter ea quæ ad Eccleſiæ ędificationem reducuntur. 2. *Si orem Linguâ, ſpiritus meus orat, mens autem mea ſine fructu eſt.* Quod ſic explicat D. Thom. *Orans vtor dono Linguarum, ita quòd proferam aliqua quæ non intelligo.* Vnde deduco fuiſſe qui per miraculum Lingua peregrina vterentur, quam tamen ipſi non intelligerent. Hinc antea monuit, *qui loquitur Lingua, oret vt interpretetur.* Et hoc loco, Linguarum dono, eaſdem interpretandi prerogatiuam ſubijcit. Hoc facto qui orabit *Lingua*, non tantùm *ſpiritu* orabit, id eſt affectu in Deum eleuato: ſed etiam *mentem* ſiue intelligentiam *fructu* proprio, qui eſt intelligere, & intelligendo refici, recreabit, ea quæ exteriùs proferet, interiore aſſecutus intelligentia.

*Qui loquitur linguis, ſibi prodeſt.*

*Non ſemper linguam intelligit qua loquitur.*

*Interpretatio ſermonum.*

*Alij Interpretatio ſermonum.* Maius donum, quia vtilius Eccleſiæ. Nam *qui prophetat, hominibus*, non ſoli Deo *loquitur ad ædificationem & conſolationem.* Propheta ille eodem c. 14. inferiùs *interpres* dicitur, & *habere interpretationem.* Nimirum qui peculiari Dei afflatu occulta & ſublimia myſteria explicat, qui ſcripta dictaque ex ignora lingua in popularem transfert, & interpres ſimul & propheta eſt. Ira viſi S.Auguſtino Seniores 70. Interpretes,non minùs Prophetæ, quàm illi ipſi quos interpretabantur; *Quia quicquid apud vtroſque reperitur, per vtroſque dicere voluit vnus atque idem Spiritus: ſed ita vt illi præcederent prophetando, hi ſequerentur prophetice illos interpretando.* Ex illo Interpretum officium in vetere fluxit Eccleſia, vt eſſent qui Linguas interpretarentur, qui alta Dei myſteria à ſapientibus propoſita elucidarent, qui Apoſtolorum & Pontificum Epiſtolas diuerſis linguis redderent; qui illas ipſas exponerent omnibus publicè ad legendum. Facit autem ad hæc poſtrema Chariſmata ſubtilitas S. Auguſtini, rerum corporearum ſimilitudinem diuinitus immiſſam, ab earundem interpretatione diſtinguentis: quarum illa in phantaſia, hæc in intellectu reſideat; illa prophetiæ velut materia ſit, hæc forma & perfectio: illam ſolam etiam ijs dari qui Prophetæ non ſint, vt Pharaoni, vt Nabuchodonoſori; hanc ſolam nonnullis prophetis, vt Ioſepho. *Maximè autem illum eſſe Prophetam qui vtraque excellat, vt & videat in ſpiritu corporalium rerum ſignificatiuas ſimilitudines, & eas viuacitate mentis intelligat. Sicut Danielis excellentia tentata & probata, qui Regi & ſomnium quod viderat dixit, & quid ſignificaret aperuit.* Illud ipſum Linguarum dono, & earum Prophetiæ, ſeu Interpretationi ſi aptaueris, meo iudicio à ſcopo non aberrabis.

*Septuaginta Interpretes, Propheta*

Aug. l. 18. de ciuit. c. 42.

*Interpretes Eccleſiaſtici.*

*Duplex quaſi Prophetia.* ex Aug. l. 12. de Geneſ. ad lit. c. 19.

*Daniel excellens Propheta.*

CHA-

## *CHARISMATVM CVM HVMANO CORpore comparatio.*

§. I.

SEQVITVR in Apoſtoli textu Eccleſiæ cum humano corpore elegans *In Eccleſiâ*
ſimilitudo: quam ne ſingillatim expendam, in ea deprehendo nonnulla *cum corpore*
Theologi conſideratione non indigna, neque a propoſito noſtro extranea. *comparatione quædam*
1. Multa eſſe membra, & in vnum tamen corpus conflandum coïre omnia *notantur.*
cum admirabili decore, & ordine. Neque minùs Eccleſia *circumamicta varietate ex diuerſis ordinibus conſtituitur. Unde & deſcribitur Cantic. 6. terribilis vt Caſtrorum acies ordinata*, inquit D. Thomas. 2. Illa membra non naturâ, ſed officio tantùm eſſe diuerſa. Quare nemini curandum eſt in qua parte locatus ſit, dum omnes vno ſpiritu animentur, & in vno corpore coaptentur. *Neque verò vllius quaſi deſpecti perſona contemnenda, aut vllius quaſi perfecti præferenda eſt, quando in omnibus vnus atque idem eſt Deus glorioſus*, ait S. Anſelmus. Ipſum quoque locum & ſitum non propriè dignitas, ſed officium facit. Si enim manibus ingredi deceret, pedes terram non tangerent: ſi oculi eminere non deberent in ſpecula, poterant in pedibus collocari. 3. Omnia omnibus, ſingula ſingulis, omnia & ſingula totius decori, integritati, vtilitati, eſſe neceſſaria, & ex illa ad vniuerſi bonum conſpiratione,
tum ipſorum priuatam, tum communem totius ſalutem exiſtere. Notus Liu. Dec. 1. l. 2.
quippe Menenij Agrippæ apologus apud Titum Liuium: euidens Chriſti ad- Luc. c. 11.
monitio apud Lucam. *Omne regnum in ſeipſum diuiſum deſolabitur.* Et in anima-
lis formam exercitus inſtruuntur, vt mutuam bene compoſita membra ſibi Iulius Afric. l. 2. de
præſtent operam, opera faciat inuictos. 4. Ea omnia vnum eſſe Chriſtum. Bell. appa.
Nam in corpore quidem naturali caput non eſt totum corpus; at in Eccleſia & c. 71.
Chriſtus caput, & membra omnia ſunt Chriſtus, dicente Paulo, *vnum corpus* *Chriſtus caput & totum corpus.*
*ſumus, ita & Chriſtus. Et inde videmus quanta gratia pertineamus ad Deum, vt ipſe voluerit nobiſcum eſſe vnus, qui eſt cum Patre vnum*; vt notat S. Anſelmus. Quod confirmari non abſurdè poteſt S. Auguſtini meditatione, qui Chriſtum
vnum omnia eſſe demonſtrat, fundamentum, ianuam, lapidem angularem, Augu. in
Paſtorem. *Quæ eſt ergo ianua qua tu intras Paſtor bone? Ego ſum ianua. Quomodo* Pſal. 86.
*ergo tu omnia? Quomodo ergo per te omnia?* Et inferiùs de Apoſtolis; in eadem ſpiritalis ædificij allegoria. *Ne putetis alia eſſe fundamenta, alias portas. Quare ſunt fundamenta Apoſtoli & Prophetæ? Quia eorum auctoritas portat infirmitatem noſtram. Quare ſunt portæ? Quia per ipſos intramus ad regnum Dei: prædicant enim nobis, & cum per ipſos intramus, per Chriſtum intramus. Ipſe enim eſt ianua. Et cum dicuntur duodecim portæ Ieruſalem, & vna porta Chriſtus, & duodecim portæ Chriſtus, quia in duodecim portis Chriſtus.* Quod notari cupimus, vt intelligamus hac in Hierarchia non diuerſitatem perſonarum, ſed officiorum varietatem, quæ noſtræ intelligentiæ vi poſſumus iiſdem applicare, potiſſimùm eſſe ſpectandam.
Pluribus autem expoſita comparatione, apodoſin ita ſubijcit Apoſtolus. *Membra*
XXVII. *Vos autem eſtis corpus Chriſti, & membra de membro*, μέλη ἐκ μέλους, *pendent inuicem.*
inuicem nexa & pendentia, *ſinguli alter alterius membra*, in vno corpore commembres; & propterea mutuis operis, atque officijs inter vos variè diſtribu-

tis adiuuandi. Et ſicut in membris corporis vnum ex altero naſci videtur, brachium ex humero, manus è brachio, atque per illud influxus & inſtillationes à ſummis & præcipuis membris recipit: ſic in Eccleſia infimi per medios, medij per ſummos, quando res ita exigit, influxu Hierarchico deducuntur. Legunt Græci μέλη ἐκ μέρους, quod optimè Syrus, *in loco veſtro*, pro ſe quiſque: veſtri ſingulis ordines & gradus aſſignati ſunt, quos tueri pro virili debetis.

*Membra perpetuò ſubſiſtunt.* XXVIII. *Et quoſdam quidem poſuit Deus*, in formam humani corporis, Eccleſiæ membra dedit alia nobiliſſima, alia minoris dignitatis. Sunt autem *poſita* & permanentia perpetuò, ea certè quæ ad integritatem requiruntur: tum quia illa iam inde ab initio *poſuit* ad ædificationem corporis Chriſti; ſemper autem aliqua parte augetur, & vndique conſeruatur Eccleſia: tum quia nunquam Chriſti corpus illâ parte mancum eſſe poteſt. Qui ſint autem illi *poſiti* à Deo, magiſter enumerat, dignitatis & neceſſitatis ordine non neglecto.

*Apoſtoli caput corporis Chriſti.* *Primò Apoſtolos.* Vt caput ſub Chriſto capite, vt fundamenta ſub fundamento fundamentorum: Non tantùm principes illos duodecim, ſed etiam alios, vt Paulum ipſum, Silam, Barnabam; & recentiores vt Bonifacium Baioariorum, Auguſtinum Anglorum, Xauerium Iaponum Apoſtolos: Illis autem primis ſucceſſerunt Epiſcopi *pro Patribus nati Filij*, & ipſi Chriſtianorum Patres.

*Propheta, oculi. Scripturæ interpretes.* *Secundò Prophetas* vt oculos, noui Teſtamenti Prophetas, veteribus ſuppares, vt Agabum, vt Ioannem Euangeliſtam, vt eos de quibus in Actis Apoſtolicis, vt filias Philippi Diaconi. Quibus aliquo modo ſucceſſit frequens diuinæ ſcripturæ meditatio, & interpretatio per eos facta, qui peculiari vocatione ad id officij à Deo deſtinantur, & ab Eccleſia dedicantur. Quem locum apud veteres dandum Origeni, & Alexandrino Clementi, & Hieronymo arbitror. Apud nos ijs qui ſacras literas in Theologia quæ poſitiua dicitur explicant. Siquidem & in inſtrumento vetere prophetandi vocabulum pro interpretatione ſcripturarum non ſemel reperies. Notabis autem hoc genus Chariſmatum tantæ eſſe & neceſſitatis & dignitatis in Eccleſia, vt in fundamento cum Apoſtolis ſubſternatur; quando dicuntur fideles, *ſuperædificati ſupra fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum.*

*Doctores, lingua.* *Tertiò Doctores* vt linguam, ſeu Prædicatores, qui doctrinâ veritatis Eccleſiam inſtruunt; ſiue Paſtores illi ſint, quos inferiùs cum Doctoribus coniunctos videbimus, quia eorum primum & præcipuum munus eſt, populum erudire: ſiue non ſint Paſtores, vt Catechiſtæ, (de quibus olim diximus) cum

*Catechiſtæ Audientiũ Doctores. Hallier l. de ſacr. Ordin. p. 364.* Nautologis à Clemente Romano comparati: quos Audientium Doctores vocatos fuiſſe, Doctor Hallier recognoſcit. In quorum locum ſubierunt tum Parochi & Theologi Doctores, qui ex officio: tum alij, qui ex commiſſione Dei verbum annunciant. Differunt autem Doctores à Prophetis, quia hi maximè inſtinctu diuinò loquuntur, & quaſi immediatè à Deo hauriunt, quo

*Doctorum à Prophetis differentia.* Eccleſiam ædificent: illi verò, quanquam ſpiritu Dei agantur, plus tamen adferunt ad opus ſtudij, & operæ humanæ. Quare Chariſmatum ſuperiùs productorum *ſermo Sapientiæ* Apoſtolis & Prophetis, *ſermo Scientiæ* Doctoribus accommodatur.

*Virtutes, dextra manus.* *Deinde Virtutes.* Tanquam dextra manus Eccleſiæ, ij qui fortia miracula perpetrant,

perpetrant, vt in elementorum mutatione, & expulſione Dæmonum vſuuenit: quam illorum poteſtatem etiamnum Exorciſtæ repræſentant.

*Exinde gratias Curationum.* Et hos in dextra colloco, licet in minoribus miraculis occupatos, qui per orationem curant infirmos. Quod ego Chariſma in ijs Preſbyteris perſeuerare arbitror, qui Extrema Vnctione morituros adiuuant, ex Iacobi præcepto: *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Eccleſiæ, &c. & oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus.* In Conſtitutionibus etiam Apoſtolicis Exorciſta *gratiam Sanitatum accepiſſe* dicitur, quaſi munus illud Chariſmatis ſit potiùs, quàm Ordinis; vnde negatur ordinatione fieri, ſed per reuelationem declarari à Deo. Quam ego cauſam eſſe arbitror cur in Synodo Romana ſub Sylueſtro, iubeatur Clericus *vno* tantùm *die Exorciſtam* agere, Lectorem autem annis triginta, Acolythum annis decem: quia quandiu quis legat ex diphthera, vel cereos deferat, conſtituere poteſt Eccleſia, Dei verò in curandis Energumenis gratiam non præſtat. Sit-ne autem hæc gratia Virtutibus, an Curationibus aſſignanda, minimum intereſt: ſiquidem miraculorum effectrix eſt, proque ea impetranda orare poteſt Eccleſia, *Inueniatur manus tua omnibus inimicis tuis, dextera tua inueniat omnes qui te oderunt.*

Gratia curationum.

Iacob. ep. c. 5.

Exorciſtas Conſt. Apoſt. l. 8. c. 26.

Syn. Rom. ſub Sylu. c. 21.

Pſal. 20.

## *DE OPITVLATIONIBVS ET GVBERNATIOnibus priuatim Apoſtoli ſententia exquiritur*

## §. II.

QVÆ ſequuntur dotes, minoris licet momenti, nonnihil tamen turbant, præſertim priores duæ, quarum genuinam ſignificationem Grammaticum fugiſſe Aurelium per mihi mirum eſt. Apoſtolus ergo Curationibus ſubdit

*Opitulationes.* Suſceptiones, ſubſidia, ἀντιλήψεις. Syrus, *Adiutores*, qui ſunt quaſi ſiniſtra manus Eccleſiæ. Eſt enim ἀντιλαμβάνεσθαι protenſa manu adiuuare, & è periculo educere, quomodo ſuſcipiuntur infirmi vel animò vel corpore. Quamobrem eos vult eſſe Caietanus, qui in Eccleſia Dei miſericordiæ operibus vacat. Quæ operatio ne fidelibus omnibus communis eſſe videatur, cum dona hic peculiaria enumerentur: addit Eſtius de eo intelligi, per quod diuinitus acceptum, quis aptus eſt ad fouendum ægrotos & debiles, ijſque miniſtrandum, vt fit in Noſocomijs. Quæ eadem eſt ſententia noſtrorum Salmeronis, Iuſtiniani, Cornelij à Lapide. S. Hieronymus & Theodoretus ambiguè loquuntur; ille cum accipit pro ijs qui pereuntibus opem ferunt; hic cum Eccleſiæ Adminiſtratores intelligit: tam enim corporalem, quàm ſpiritalem operam loquuntur: quanquam Theodoreti Miniſtratio, res Eccleſiæ potiùs, quàm animas tangit. Chryſoſtomus vtrunque ſenſum videtur coniungere, dum eos interpretatur, qui pauperes ſuſcipiunt, & nihilominus ſpiritale illis auxilium impendunt. Vt non ineptè ſuſceptores & Opitulatores iſtos appellemus, Ordines quoſdam Religioſorum in Eccleſia conſtitutos ad redimendos captiuos, curanda Noſocomia, & eiuſmodi miſericordiæ opera exercenda.

Quæ ſint Opitulationes, ſenſu literali.

Præter hunc genuinum ſenſum, S. Anſelmus, omnium quos nouerim primus, *Opitulationes* explicat, *eos qui opitulantur maioribus, vt Titus Apoſtolo, vel*

Quæ ſint Opitulationes ſenſu accommodatitio.

*Archidiaconus Epiſcopo.* Sic ex eo S. Thomas, & Gloſſa ordinaria, locum hunc accipiunt: quod & S. Bonauenturæ placet, Regulares *numerantes inter Opitulationes.* Quæ expoſitio propter tantorum auctoritatem virorum laudem ſuam meretur, neque vllo poteſt obelo configi. Fatendum tamen accommodatitiam tantùm eſſe, vt indicat Salmeron, neque ſatis in hunc locum quadrare. Siquidem vt argumentatur Eſtius, *Opitulationes* huiuſmodi ad *Doctores* referuntur, quos in tertio gradu poſuit Apoſtolus: & alioquin ordo dignitatis perturbatur, ſi donis miraculorum digniora miniſteria ſubijciuntur. In verâ autem explicatione, donum iſtud ſuperioribus cedit: nam in hoc nudum & ſimplex eſt ægrorum miniſterium & obſequium: in illis diuina curatio. Sequuntur in Apoſtolo

*Qui huic Apoſtoli loco parum conueniat.*

*Gubernationes* tanquam Eccleſiæ pedes, Diaconi, & Diaconiſſæ viduis, menſis, eleemoſynis primitùs deputati, facultatum quæ ab fidelibus Eccleſiæ offerebantur ſeduli diſpenſatores, & œconomi, vt cum Theodoreti Adminiſtratoribus incidant, quo nomine Phœben Romanis commendat Apoſtolus, quia *aſtitit multis, & mihi ipſi.* Ad quod donum ſuperiori coniunctum, non inuitus referam Diaconiæ ſpecies ad Romanos recenſitas: *Qui tribuit in ſimplicitate, qui præeſt in ſolicitudine, qui miſeretur in hilaritate.* Neque aliam ob cauſam S. Laurentio Diacono, præceptum Apoſtoli *de miniſterio, de ſeminando in benedictionibus, de abundando in omnem ſimplicitatem, de hilari datore,* applicat Eccleſia. Certè Græci vulgò nihil, vel minimum diſcriminis inter Gubernationes & Opitulationes conſtituunt: & vtrunque ad pauperum, infirmorum, peregrinorum curam reducunt. Preſbyteros Parochiales ij qui ſupra intelligunt, quæ & Nazianzeni Gregorij videtur eſſe ſententia; ſed ſenſu, quod reperendum non eſt, adaptato.

*Gubernationes quæ ſint ſenſu literali.* — Rom. 16. — 2. Cor. 9. — Greg. Naz. orat. de ordine.

*Locus hic ſuperfluè tractatur ab Hallier in vind. à pag. 499. & Aur. l. à pag. 357.*

Duplex iſtud vocabulum mirum quantùm aduerſarios Aurelium torquet & Hallier, quorum vterque paginis grandibus circiter viginti, multùm probat *Opitulationes* id eſt Regulares, *Gubernationibus* id eſt Parochis, in Hierarchia ſuperiores non eſſe: cum lis illa grandis prolato vero & literali ſenſu terminari potuerit; cui addidiſſent, de accommodatitio, qui eſſet præter Apoſtoli mentem, deque illo ordine, qui ab aduerſarijs vrgebatur, minùs laborandum videri. Sed ſi ambages citra rem ipſam attingeret Aurelius; ſi Hallier in ea explicatione quam vidit, quam attulit, quam confirmauit, ſimpliciter & ſolidè moraretur, quid haberet ille quòd in Ieſuitas, vterque quod aduerſùs Regulares & Priuilegiatos declamarent?

*Ridiculus Aurelij Parentheſis. p. 367.*

Et ille quidem in aſſerendo D. Thomæ loco iracundia grammaticali vehementer aërem verberat; cuius tibi lepidum ſpectaculum, Lector, ſi vacat, exhibere animus eſt. Loëmelij fraudem *multò grauiorem indigniſſimâ* in eo conſtituit, quòd cum S. Thomas *Opitulationes* explicet, *de illis qui opem ferunt maioribus Prælatis in vniuerſali regimine,* Ieſuita (Loëmelius) *inflectat in hunc modum, qui iuuant Prælatos maiores in regimine vniuerſalis Eccleſiæ.* Cui de ſuo interpretationem ſubijciens, addit hanc *eſſe ſanè inſignem falſitatem, & infelicem ſuperbiam:* cum antea miſeriam ſuam profeſſus eſſet, qui *ad talia refellenda cogeretur, quorum viliſſima & abiectiſſima ſtupiditas infra humanæ mentis ordinem eſt.* Doce amabo, Lector, ſi huic homini minùs quàm ego pecus es, quanta ſit *fraus, falſitas, ſuperbia, ſtupiditas* eius qui dixit *iuuant,* ἀντὶ τοῦ *opem ferunt:* Et *in regimine vniuerſalis Eccleſiæ,* pro, *in regimine vniuerſali:* quod ſine dubio non eſt Regni,

aut

aut Imperij, ſed Eccleſiæ; vt luce ipſa lucidius eſt in D. Thomæ commentario: & in eius ſenſu Eccleſia vniuerſalis, eſt tota Diœceſis, oppoſita *particularibus plebibus, quarum gubernatio Parochialibus Sacerdotibus in ſpeciali committitur.* Pro tota etiam Eccleſia ſumi poteſt, ſecundùm illud Pauli dictum *Cum Clemente, & cæteris adiutoribus meis*: qui profectò in regimine vniuerſalis Eccleſiæ Apoſtolum adiuuabant. His ſic expoſitis, reſpiro, Lector, à magno metu. Putabam enimuerò vt à Lutheris & Caluinis, ſic à Ieſuitis vim illatam ſacris codicibus, inſtrumentum vtrunque vetus æquè ac nouum corruptum, euerſos Canones, antiquata Concilia, Patres peſſundatos. Verùm deprehendi *inſignem falſitatem, perfidiam, & impudentiam Ieſuitici ſupercilij, atque faſtus*, in eo demum eſſe poſitam, quòd dixerit Loëmelius *iuuant* pro *opem ferunt*: quòd non deſcripſerit ex D. Thoma *in regimine vniuerſali* Eccleſiæ, ſed *vniuerſalis Eccleſiæ.* Poſt illam *fraudem indigniſſimam, apertam fraudulentiam* à Loëmelio Canonico Lectorali perpetratam, Ieſuitas homines *non ſolum ſine fide, ſed etiam ſine corde* non dico libros ſcribere, aut ſcholas tenere, ſed viuere quis non miretur? Poſt caſtigatas opprobrijs omnibus eius Ieſuitæ *labes, profanationes, ſacrilegia*, qui in Euangeliſtis *baculum* pro *virga* ſuppoſuit, qui ſupprimente particula, *&c.* nota ſententiæ verba ſubticuit: repertum præterea hoc ſeculo ſcriptorem qui ſe Catholicum dicat, & in D. Thomam inuolet, in Theologorum Angelum violentas manus injiciat, & *fraude indigniſſima* quos magnus Doctor *opem ferre* dixit, ipſe *iuuare* ſcribat! *O cælum! ô terra! ô maria Neptuni!* Redeamus ad Paulum. Phil. c. 4.

*Genera Linguarum* ſubijcit præcedentibus, eo conſilio quod antea reteximus. Quaſi dicat, illud Chariſma quod ambitis, ô Corinthij, quo ſuperbitis, nouiſſimum appello, quia verè inferius, indignius, minùs vtile cæteris eſt. Quapropter alijs in Eccleſia manentibus, iam olim ceſſauit, vt pote in eum finem initio conceſſum, vt ſignificaretur Eccleſiam per omnes gentes diſperſam omnium linguis loquuturam. Niſi forte illud aliquo modo reuocare dicendi ſunt ij qui ſupra, diuinarum interpretes literarum, qui S. Hieronymi exemplo ſacras Linguas perdiſcunt, vt cœleſtium dictorum interpretationem literalem in ipſis fontibus epotent. *Linguæ*

*Interpretationes* denique *ſermonum* Græci codices non agnoſcunt, neque multi è Latinis veteribus, non Syrus ipſe interpres. Qui ergo primus addidit, è ſuperiori enumeratione tranſtulit: ſed leui conſilio, quia fuſior eſt prior catalogus Gratiarum, quàm iſte poſterior.

XXIX. *Nunquid omnes Apoſtoli? Nunquid omnes Prophetæ?* Vt totum corpus oculus non eſt, aut totum auditus, aut caput: ſic in Eccleſia oportet alios eſſe quàm Apoſtolos, & Prophetas. Nam ſi ſinguli haberent omnia, iam non eſſent, quibus ea ſeruirent. Solatio quoque minoribus ea debet eſſe conſideratio, quod & maiorum nonnullis, Apoſtolos ſemper excipio, deſint aliqua, quibus ipſi ſint præditi. Sic enim ſe inuicem perficiunt membra, vt tamen aliquorum efficacitas, in alia non influat. Quid enim manus pedi confert, quid auris oculo, ſi ſolum ſpectamus influxum? Singulis etiam ſua dos eſt officio conſentanea, quæ colli & brachij, quæ humeri & tibiæ diuerſam efficit perfectionem. *Diuerſitas membrorum retinenda.*

## PRÆCIPVA HIERARCHIÆ OFFICIA EX *Epiſtola ad Epheſios ſecundùm literam explicantur.*

## CAPVT V.

*Apoſtoli munus exponitur.* Eph. c. 4.

QVo ſuperior diſpoſitio eſt à nobis accuratiùs enucleata, hoc magis iſta ſtringi debet; quam & compendio tantùm recitare videtur Apoſtolus. Epheſijs igitur Chriſtum vt Regem ſpectandum exhibet, qui præcipuas regni prouincias ipſe præſens luſtret, tandemque ad Metropolim reuerſus, inde præſides & magiſtratus deſignet, mittatque regendis populis idoneos. Id verò factum ab illo, die Pentecoſtes, miſſo Spiritu Sancto in Diſcipulos, & gratijs gratuitis in ſingulos profuſis *ſecundum menſuram donationis Chriſti*, id eſt, liquore iuxta vaſculorum menſuram infuſo. Quinque autem præcipuæ ſunt, Apoſtolatus, Prophetia, munus Euangelizandi, Paſtoratus, Doctoratus: eæque omnes ad doctrinam ſpectant, qua maximè Chriſti corpus ædificatur in caritate.

*Dati à Deo alij immediatè, alij mediatè.* XI. *Et ipſe dedit quoſdam.* Antea Deus pater, modò Filius dediſſe dicitur, quia & vt homo meruit, & vt Deus dedit, & externa ſanctiſſimæ Triadis opera communia ſunt. Quod autem *dediſſe* & *poſuiſſe* audis, ſic explicat Salmeron, certum eſſe eos quos Deus immediatè vocatione ad Apoſtolatum, aut aliam dignitatem Eccleſiaſticam euexit, diuino iure eſſe conſtitutos: reliquos verò qui per intermediam Eccleſiam ad Magiſtratus Eccleſiaſticos vocantur, non eſſe iure diuino conſtitutos appellandos; ſed iure tantùm Eccleſiaſtico & Canonico: quos tamen omnes Chriſtus dare dicitur, quia per maiores miniſtros illos vocat. Quæ apertè Aurelio dicta velim, conferenda cum illis, quæ Loëmelio in aurem dicit, ſatis ſcurriliter. *Aurel. p. 381.*

*Apoſtoli & eorum ſucceſſores.* *Quoſdam quidem Apoſtolos*, non eos eligendo, quod ante Paſſionem fecerat: non præcipiendo vt prædicarent per omnes gentes, quod poſt Reſurrectionem: ſed eos impellendo ad munus Apoſtolicum cui deſtinati erant, exequendum, & gratijs ad illud neceſſarijs magnificè locupletando. *Fuerunt enim priuilegiati in omnibus donis Chriſti*, vt ait S. Thomas. Habuerunt enim plenitudinem ſapientiæ, quantùm ad reuelationem diuinorum myſteriorum; copiam eloquentiæ, ad annunciandum Euangelium; prærogatiuam auctoritatis & potentiæ, quantùm ad curam dominici gregis. *Ideo Apoſtolus ſubiungit hic tres gradus Eccleſiaſticos, ſecundùm participationem ſingulorum præmiſſorum.* Miror autem ab S. Anſelmo tantùm dici in Apoſtolorum ſucceſſiſſe locum *Primates & Archiepiſcopos*: cum vniuersè conſtet Apoſtolis Epiſcopos ſucceſſiſſe, & hunc ita locum explicat Ambroſianus commentarius.

*Prophetæ.* *Quoſdam autem Prophetas.* Noui Teſtamenti, & eorum ſucceſſores, Scripturæ ſacræ interpretes, de quibus dictum.

*Euangeliſtæ.* *Alios verò Euangeliſtas.* Vt Lucam, vt Marcum, qui Euangelium ad poſteros ſcripto tranſmiſerunt; vt Diſcipulos ſeptuaginta, qui Apoſtolis in annunciando Euangelio ſubſeruiebant; vt Diaconos, è quibus priuatim Philippus Euangeliſta dictus eſt, qui ſimul & Euangelium prædicabant, & officium miniſtrandi pauperibus habebant, vnde factum vt etiamnum in Miſſæ *Act. c. 21.*

ſolennijs

ſolennijs Euangelium legant; vt Timotheum, cui dicitur à Paulo *opus fac* 2.Tim.4.
*Euangeliſtæ*; vt Apollo, qui plantatum ab Apoſtolò rigauit; vt Aquilam &
Priſcillam. Fuiſſe autem complures Traiani tempore celebres Euangeliſtas 1.Cor.3.
ſcribit Euſebius, qui *vehementiori philoſophiæ amore erga Deum affecti, facultates* Euſeb. l.3.
*ſuas egenis diſtribuerunt, ac deinde peregrè profecti opus Euangeliſtarum perfecerunt:* hiſt. Eccl.
*hoc eſt, illis qui de doctrina fidei nihildum prorſus audierant, Chriſtum prædicare, ac di-* c.34.
*uinorum Euangeliorum tradere ſcripturam magno ſtudio ſategerunt.* Hos ait, *primum*
*gradum Apoſtolicæ ſucceſſionis habuiſſe*, & Apoſtolorum diſcipulos & imitato-
res fuiſſe, vt Religioſis hominibus, qui etiamnùm in barbaras nationes Euan-
gelium portant, Apoſtolicam ſucceſſionem & Diſcipulorum nomen negare
vel hoc nomine non poſſint aduerſarij. Porro Euangeliſtas imitantur Cate-
chiſtæ, qui ſimpliciùs & ſubmiſſiùs quàm Concionatores, Chriſtianæ fidei
articulos rudibus exponunt. Hos porrò omnes Doctorum albo in ſuperiori
ſerie adſcripſimus, quia tum Euangeliſtarum nulla facta eſt mentio.

*Alios autem Paſtores.* Non poſſum hic Epiſcopis dare Paſtorum nomen, *Paſtores.*
quod plerique faciunt: quos ab Apoſtolis nunquam ſeiungam. Rectè igitur
Theodoretus, Paſtores & Doctores eos dicit, qui in ciuitate, & in Pago erant
deputati, & ſegregati. Ij Presbyteri ſunt, de quibus ad Titum, *vt conſtituas* Tit.c.1.
*per ciuitates Presbyteros*: qui modò Parochi dicuntur, particularium plebium
Rectores.

*Et Doctores.* Communis obſeruatio eſt poſt Hieronymum, Auguſtinum, *Doctores.*
Paulinum, coniungente, non autem diuidente particulâ vſum Apoſtolum;
vt in eoſdem Paſtorum, & Doctorum officium quadrare intelligamus, ſciant-
que illi ſuum officium, ſuam eſſe doctrinam. Diſtinguunt tamen alij, quan-
quam vt fatear, pauciores, & inferioris notæ. Nemo certè dubitare poteſt,
licet hoc loco in vnam perſonam hæc duo illigentur, quia Paſtoribus doctri-
na & præcipuè, & ex officio conuenit; eſſe tamen in Eccleſia Doctores, qui *Doctores*
nullum ordinarium gerant Paſtorarum: quales priora ſecula Didymum, Ori- *ſine Paſto-*
genem, Clementem Alexandrinum, Hieronymum; poſteriora Ioannem Da- *ratu.*
maſcenum, D.Thomam, Bedam & ſimiles tulerunt. Multi quoque eorum
qui Paſtoratum cum doctoratu iunxerunt, eos docuere quorum Paſtores non
erant, vt Auguſtinus, Ambroſius, Baſilius, Nazianzenus. Eſt igitur diſtinctum
iſtud in Eccleſia officium, & Doctores putat Cornelius Ianſenius Apoſtolis Ianſen. in
propter doctrinam ſucceſſiſſe. Legit poſt S.Hieronymum, Ambroſio adſcri- Concord.
ptus commentarius, *Paſtores & Magiſtros*, & illos vult eſſe *Lectores, qui lectione* Euang. c.
*ſaginent populum audientium*: hos autem Exorciſtas, *qui in Eccleſia compeſcant &* 40.
*verberent inquietos.* Quæ explicatio vulgò, & iure improbatur. Quam verò
ſubdit, ea minùs extorta mihi apparet. *Siue ij*, inquit, *qui literis & lectionibus in-*
*fantes ſolebant imbuere.* Vbi ſpectas & nutritos in Eccleſia, & magiſtrorum offi-
cium in ſacris numeratum. Antequam autem hinc pedem efferas, notabis
in communi opinione dignitatis ordinem in hac ſerie non retineri. Nam
cum Paſtorum nomine multi Epiſcopos intelligant: quis eos Euangeliſtis &
Catechiſtis ſubijci arbitretur?

## DONORVM EIVSCEMODI FINIS
*declaratur.*

### §. Vnicus.

MAGNI momenti eſt illorum Chariſmatum finem accuratè peruestigare, eumque ad Apoſtoli mentem aptare.

[*Conſummatio ſanctorum.*] XII. *Ad conſummationem ſanctorum.* πρὸς τὸν καταρτισμόν. Neceſſariò hic nobis idomatis Græci excutienda grammatica, vt Paulinam allegoriam deprehendamus. Ἀρτίζειν propriè compingere eſt & coagmentare, quantitatis diſcretæ partibus in vnum aliquod corpus rite compoſitis. Fit autem illud duabus adhibitis conditionibus: altera eſt vt omnes eius corporis partes aſſumantur, neque ſuperſit vlla, aut redundet: altera vt aptè, & ſuo ordine collocatæ cohæreant. Id qui conatur & agit; ἀρτίζειν quod eſt συναρμολογῶν, dicitur Phauorino; & Homero δόλον ἤρτυε, ſic inſtruxit dolum, vt media ſibi inuicem ſingula, & omnia fini, quaſi membra corpori pulchrè cohæreant. Qui verò vtrunque iam executus eſt, ille ſine dubio rem perfecit: vnde καταρτίζω idem eſt quod πληρῶ: & καταρτισμὸς *conſummatio, perfectio*: qua ex re corporis ſeu operis decor, & quodammodo ſanitas exiſtit. Quamobrem eidem Phauorino & Suidæ ἄρτιοι ſunt τέλειοι, ὑγιεῖς: & ἀρτίως, ὑγιῶς, ὁλοκλήρως: & ἀρτίνω, ἀρτύζω, ἢ ἀπαρτίζω. Quod autem tale eſt, illud verè, ſyncerè, germanè eſſe dicitur, vt quod nulla parte fallit: ita Sophocli ἄρτιος φίλος.

[*Quid καταρτισμὸς ex Græco Suida, Etymologico magno, Phauorino, &c.*]

[*Mens Apoſtoli declaratur.*] Itaque Paulus, vt amar Eccleſiam cum corpore conferre, eius perfectionem maximopere deſiderat, in eaque proximum cœleſtium donorum finem conſtituit. Qui & ipſe duplex eſt, ſingulorum primò membrorum, totius deinde corporis perfectio; quæ & membra exigit in ſe ſe abſoluta *in menſuram vniuſcuiuſque membri*: & conuenienter concinnéque diſpoſita, quibuſdam etiam nexa vinculis, *vt ſit totum corpus compactum, & connexum per omnem*
[1 Cor. 1.] *iuncturam.* Quam & epiſtolâ vniuerſâ vehementer vrget, *obſecrans* iam inde ab initio *per nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt ſint perfecti* κατηρτισμένοι *coagmentati, eadem mente, & eadem ſententia.* Hoc igitur loco, cum diuina Chariſmata in eum finem donari docet, vt efficiant *conſummationem ſanctorum*, vel ſingulorum propriam, vel communem totius corporis perfectionem deſignat. Nam vt de ſingulis priùs agamus, iſtorum ordinum finis, & Gratiarum
[*Qui ſit finis Chariſmatum.*] gratuitarum effectus, non eſt peccatorum purgatio, non quælibet purgatorum illuminatio; ſed illuminatorum & *Sanctorum* in omni virtute *conſummatio.* Vnde & *Prælati perfectores dicuntur*, vt addit S. Thom. Et fuſior Anſelmus. *Hos dedit ſaluator ad hoc vt eos qui iam ſancti ſunt ſecundum remiſſionem peccatorum, & innocentiam, atque bonorum operum inchoationem promoueant & conſumment, ſecundùm augmentum virtutis & perſeuerantiam.* Quòd ſi totum corpus ſpectamus, genuinus hic Apoſtoli ſenſus eſt, Chariſmata collocati à Deo *ad conſummationem Sanctorum*, ad explendum omnem ſanctorum & fidelium numerum, ad conſtruendam ex omnibus ſuis partibus Eccleſiam, quæ eſt Chriſti corpus. Sic ad alteram iſtarum explicationum referas facilè eos qui τὸν καταρτισμὸν, reddunt inſtructionem, qui inſtaurationem, qui compoſitionem & coagmentationem.

Franciſcus

Franciſcus autem Hallier hoc loco aburitur ad veritatis confirmationem, & rectam ſententiam praue ſtabilit. Probarurus enim perficiendi virtutem Epiſcopis rribui ab Apoſtolo, air ex illo, *Chriſtum dediſſe Eccleſiæ ſuæ, alios Apoſtolos, alios Paſtores, alios Doctores, πρὸς καταρτισμὸν τῶν ἁγίων id eſt, perfectionem eorum qui ex plebe ſanctiorem vitam eligunt, quales vtique ſunt Regulares.* Quibus verbis plus agit imprudens, quàm eius animus & ratio poſtulet. Nam Doctores & Euangeliſtæ, qui ab Epiſcopis diuerſi eſſe poſſunt, ſenſu Franciſci non minùs ſunt quàm Epiſcopi perfectores, & quidem Regularium, cum tamen ordini Sacerdotum illuminatio tantùm concedatur & ab ijs Monachi ad Hierarcham perficiendi remittantur. Atque hoc mihi à Doctore monſtrari peruelim, aut Apoſtoli, aut vllius è Patribus & Theologis auctoritate, *Paſtores* Plebanos, ſeu Parochos, qui ab *Apoſtolis*, id eſt Epiſcopis hoc loco diſcriminantur, conſtitutos eſſe Chriſti inſtitutione, & iure diuino, Religioſorum magiſtros & perfectores. Id ſi, quod fieri non poteſt, conabitur, adijciet etiam Eccleſiæ apologiam, quæ iſtum iuris diuini ordinem, hoc ſponſi & capitis ſui decretum tot ſeculis vel ignorauit, vel neglexit. Et, niſi quid nimis poſtulo, explicabit cur Epiſcopos datos eſſe dicat, *ad eorum perfectionem qui ex plebe ſunt ſancti?* Cur Regulares modò *ex plebe* vt olim *ex fæce populi* faciat? quibus ex Apoſtoli verbis hunc ſenſum Epiſcopos & Regulares deprimentem eliciat? Interim ad Paulum redeo.

*Hallier hoc loco abutitur aduerſus Religioſos, in vin. pag. 637.*

*Epiſcopi ſunt Religioſorum perfectores.*

*In opus miniſterij.* Vt quiſque miniſterium ſuum ſtrenuè & diligenter exequendo, *in ædificationem corporis Chriſti* tendat, in ſpiritalem Eccleſiæ profectum, vt vniuerſa fidelium ſocietas perfectè conſummata, omnibuſque partibus abſoluta reddatur.

XIII. *Donec*, tandiu gradus illi Eccleſiaſtici perſeuerabunt, tandiu illis erit omni ſtudio & labore connitendum, *donec omnes* ad vitam deſtinati, alij poſt alios, voluente hoc ſeculo, *occurramus καταντήσωμεν* cooperatione vocanti Deo per gratias actuales, & Eccleſiaſticorum miniſtrorum operam, tandemque *perueniamus in vnitatem fidei.* Syrus *fiamus vna res per fidem*; ſinguli, in Chriſti corpus per fidem aggregati; omnes conſentaneum per fidem corpus Chriſto capiti conficientes: cum eo profectu, vt euadamus *in virum perfectum:* vt ſimus ſinguli quaſi adultæ ætatis fortes & robuſti in fide & virtutibus: *in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti:* vt ad eam ſinguli ætatis menſuram perueniamus, quâ Chriſti cognitio & gratia in nobis perfectè adoleuerit: ad eam ætatem quæ Chriſto plena ſit, eiuſque diuinis muneribus omni ex parte cumulata. Vel in ſecunda magiſque natiua ſignificatione. Donec Eccleſia fidelium, tanquam vir vnus perfectus ſuis membris omnibus fiat, & ad perfectionem Chriſti capitis, & exemplaris ſui perueniat; vt iam ampliùs nihil ſit metuendum ab humani ingenij inſtabilitate; ab hæreſibus, à ſcandalis.

*Perfectio corporis Chriſti.*

XV. *Veritatem autem facientes*, veram doctrinam tenentes, eique morum probitatem adiungentes, *in caritate*, per caritatem & eius opera, *creſcamus in illo per omnia*, vt nati per fidem, ſpe nutriri, augeamur per caritatem in omnibus membris, & fidelibus *qui eſt caput Chriſtus:* tandem reſpondeamus capiti noſtro Chriſto, qui eſt omnino perfectus; quod quidem in eo ſitum eſt, vt & membra ſingula pro rata, & vniuerſum corpus capitis perfectioni rite decenterque reſpondeat.

*Augmentum corporis.*

XVI. *Ex quo* Chriſto capite, *totum corpus compactum, συναρμολογούμενον*, aptè

*Recta cor-*

*poris compo-ſitio.* compoſitum, & coniunctum vnanimitate fidei *& connexum* vinculis caritatis, vt membrum membro; fidelis fideli benè & ſolidè committatur, *per omnem iuncturam ſubminiſtrationis*, per caritatem quæ eſt tanquam vnio & commiſſuta ſubminiſtrata & ſuppeditata, *ſecundùm operationem* capitis, quod intermedia illa iunctura in membra influit. Neque enim connexionis ſolius auctor eſt, ſed etiam actualis membrorum operationis, quam animæ ad inſtar efficit, *in menſuram vniuſcuiuſque membri*, pro ſingulorum modulo, & ſecundùm analogiam in rebus diſparibus, vnam aliquam componētibus neceſſariá, *augmentum corporis facit in ædificationem ſui in caritate*, ipſum corpus augmentum corporis, hoc eſt, ſui ipſius facit, ſeque ædificat. Optimè Gagnæius loci ſententiam paraphraſi explicat. Quemadmodum ſpiritus vitalis à capite & cerebro defluens, ſenſum & energiam quandam membris omnibus impartitur, vnde totum corpus cum ſuis membris, iuxta cuiuſque proportionem creſcit & coaleſcit, modò per diuerſas commiſſuras, iuncturas, neruos, articulos, muſculos, ſibi inuicem connexa ſint membra, alioquin influere non poteſt. Ita Spiritus Sanctus à capite Chriſto manans & procedens, in ſingula corporis myſtici membra vim, virtutes, & gratias ſuas, cum quadam energia & efficacia diffundit: modò totum corpus ſit benè compactum, membris ſingulis animorum conſenſione, velut quadam iunctura colligatis: per quam Spiritus Sancti virtutem, totum corpus Eccleſiæ creſcit, non æqualiter in omnibus membris, ſed pro cuiuſque conditione ac proportione, iuxta quod diuiſit illis Spiritus Sanctus. Fit inde, quod eadem ad Epheſios Epiſtola monet Apoſtolus, vt Chriſtus *per omnia in omnibus adimpleatur*: ſiquidem vt venuſtè Theophylactus. *Quoad manum impletur in homine miſericorde: quoad pedem in eo qui Chriſti amore peregrinatur, vel viſitat agros: quoad linguam in Doctore*: ſicque perficitur *ædificatio corporis Chriſti*, per eam Hierarchiam, cui ſuperiùs Perfectiuæ nomen aſſignari poſſe monſtrauimus.

Epheſ. c. 2. Theoph. in eum locū.

Hæc qua licuit breuitate & accuratione de literali ſenſu dicta ſunto, ex ijs auctoribus quos paginæ limbus enumerauit; verbis ipſorum ſæpe numero deſcriptis: vt hic me repetundarum potiùs, quàm falſi reum facturus ſit Petrus Aurelius, poſtquam omnes illos attentiore quàm ſolitus ſit animo, perpenderit.

---

## *QVÆDAM AD HIERARCHIÆ NATVRAM ſpectantia ex Apoſtoli verbis & mente, compendio colliguntur.*

## CAPVT VI.

QVOD à prudentibus rerum magnarum æſtimatoribus, id à nobis obſeruari, Lector, permittes, vt Hierarchiæ ab Apoſtolo delineatæ notas & veſtigia imprimamus animo, & cum totam accuratè non poſſimus, præcipua ſaltem indicia & capita reguſtemus. Erit operæ pretium, ſi fidem mihi anticiparam mutuam dare audes, & quod mox neceſſarijs euincam rationibus, hoc loco ponere, Hierarchiā à Paulo deſcribi. Nam ſi hoc vnum mihi gratificatis, ſole clariùs videbis.

I. Summam

I. Summam huius Hierarchiæ vim & virtutem in patiendo potiùs, quam agendo conſiſtere. Quid enim aliud ſunt Chariſmata, quàm dona cælitus accepta, quæ hominem in diuinorum paſſione, qui Chriſtianæ perfectionis apex eſt, conſtituunt?

*In hac Hierarchia vigeo præcipuè paſſio.*

II. Non perſonarum, ſed Chariſmatum diuerſitate, morale hoc ædificium conſtare; ſiquidem Apoſtoli iijdem ſunt & fundamenta, & portæ ciuitatis: Chriſtus idem fundamentum, oſtium, lucerna, prout diuerſis ſe ſe rationibus ſpectandum exhibet.

*Diuerſitas Chariſmatũ non perſonarum, ordines diſtinguit.*

III. Miniſtrationes ſeu Diaconias illas neque aram tangere, neque Sacerdotium aucupari; vt Diaconos (ſic enim liceat appellare) ſciamus aliquos eſſe, quos Ordinis Hierarchia ſuos non agnoſcat; incipiantque aduerſarij verborum ſignificationes paulò liberaliùs extendere.

*Miniſtrationes iſtæ ad ſacrificiũ non referuntur.*

IV. Inoperationes interiùs totas perfici, ſeu à monente Deo, ſeu ab agente homine, tum etiam cum exercet Chariſmata. Nam prophetia, vel Linguarum donum, quæ ſunt vt plurimùm obſcura, quid in alio directè, & phyſica velut actione producunt purgationis aut illuminationis? Imo Linguæ ipſæ ludibrio ſunt obnoxiæ, ſi Magiſtro creditur, & neſcio quid inſaniæ infidelibus oſtendunt.

*Actiones aliquæ ſunt immanentes.*

V. Sibi ergo principiò, deinde proximo totique Eccleſiæ proſunt non pauca Chariſmata: & ſi diligenter attendis, non ex eo quod dant hominibus, ſed ex eo quod accipiunt à Deo, in Hierarchia collocantur.

*Sibi proſũt, & per hoc Eccleſiæ.*

VI. Nam vt in corpore non minùs digitus, quàm brachium pars hominis eſt, licet vlterius nihil habeat in quod influxum exerat; ſic in Chariſmatis, ſunt quæ in nullum influant membrum perfectionis proximè capax, vt linguæ, vt gratia ſanitatum & virtutum, quæ ſæpenumero à Martyribus in infideles, & ingratos mortales exercebantur, quorum crudelitas ſanctorum beneficijs alebatur.

*Aliqua nõ tranſeunt in ſubditos.*

VII. Quòd ſi pugnas hæc à Deo dona ſubminiſtrari non vtentis, ſed alterius ergò, & gratias dici gratuitas, quia quicquid boni poſſident, totum refundunt in alios: fatebor id quidem, ſed continuò illa refuſio qua ratione fiat exquiram. Tum enimuero fateri & ipſe cogeris quod modò admonui, à ſubiecto incipere perfectionem, & membra aliqua corporis vtilitati conducere, quia ſe, non autem alia feliciter adaugent.

*Aliquando ſibi tantum proſunt.*

VIII. Obſeruabis præterea perpaucis gratiarum illarum, imperium Hierarchicum & Principatum in ſubditos ineſſe, cui neceſſitas parendi reſpondeat. Da enim ſapientiæ, ſcientiæ, linguis, curationibus, virtutibus, populos natura ſua ſubiectos: ediſſere quod ius habeat linguarum interpres in Clericos, in Populum ſanctum, in Catechumenos, aut Pœnitentes; & tamen ea Chariſmata maximam Hierarchiæ noſtræ partem facere quis non ſentit?

*Non exiguã poteſtatem in ſubditos.*

IX. Imo etiam Prophetas cum Apoſtolis Eccleſiæ fundamenta eſſe legiſti in Paulo, atque adeò membra primaria: quos ſi arces ab Hierarchiâ, vide quantùm & Apoſtoli doctrinam, & Eccleſiæ ſubſtructionem labefactes.

*Etiam ipſi Prophetæ.*

X. Prophetiam verò cum audis, & ſapientiam, & linguas, & curationes, & alia eiuſmodi, ab Ordine & Iuriſdictione minimè pendentia, nolo ſequiorem ſexum excludas. Legis enim apud Iudæos Prophetides, apud Chriſtianos *prophetat mulier velato capite*: neque diuinam Senenſis Catharinæ ſapientiam, neque Birgittæ reuelationes contempſit Eccleſia. In Ptochodochijs frequen-

*Non excluduntur ab hac Hierarchia mulieres.*

tiſſimæ ſunt id genus Opitulationes: & faciendis miraculis naturæ Domino vterque ſexus miniſtrat. Cur ergo feminas à gratijs, gratias ab Hierarchia, quia dantur feminis, abigamus?

*Actus illi ſunt in pares etiam, & ſuperiores.*

XI. Mouebit te fortaſſis actio, quam Hierarchicam feminis, ad patendum patiendumque natis attribui videtur indecorum. Sed in Apoſtolica corporis comparatione, ſpectare potes mutuum in membris omnibus eſſe auxilium, & pedes à capite regi, caput à pedibus ferri, manus oculis miniſtrare, oculos ventri proſpicere, os ſpiritum ad pulmonem adducere, linguam cibum cordi prægustare. Qua in imagine colliges ſatis efficaciter actus Hierarchicos, præſertim morales, in ſubditum non ſemper effici, ſed in parem etiam, aut aliquando ſuperiorem.

*Hæc Hierarchia bonitatis eſt.*

XII. Pietatis demum & ſanctitatis opus eſſe hanc Hierarchiam non ibis inficias, ſi totam à caritate profectam, ad caritatem tendere conſiderabis: ſi piam Maucleti doctrinam in mentem reduces, longè antea à nobis expoſitam: ſi paulùm à Principatu & ſubiectione animum tuum abduces; quæ in Hierarchia vniuersè non deſiderari millies probauimus: ſi Doctoris Hallier ſcrupulum contemnere audes, quem mox euellam, poſt accommodatum ad Apoſtoli doctrinam meum de Hierarchia noſtra ſenſum.

---

## *EX UTROQUE APOSTOLI LOCO HIERARCHIA Chariſmatum aptiſſimè concinnatur, eaque ad Angelorum ſupremam refertur.*

## CAPUT VII.

*Suprema Angelorũ Hierarchia iterum exhibetur.*

NIHIL magis de veritate præiudicat, quàm perpetua doctrinæ ſeries, & nullo hiatu interceptа connexio. Quo ſecutior Apoſtolicæ expoſitioni noſtram ſubijcio Hierarchiam, mentemque tuam, Lector, ad ea reuoco quæ primis libris de Hierarchia in communi, deque Angelica diſſerui. Nam in ea vidiſti ſupremos ordines Deo nullius interiectione medij ſubiectos, Spiritum primò Sanctum Seraphinos inflammantem, Filium Cherubinos illuſtrantem, Patrem Thronis inſidentem, & in ijs iudicia ſua manifeſtantem. Notaſti & eos in Hierarchia priùs nobiliuſque per ea collocari, quæ à Deo patiuntur, quàm per quæ agunt in inferiores. Diſcretionem Thronis aſſignatam legiſti, Cherubinis cognitionem, amorem Seraphinis. Confeſſus es exemplo dilectionis Seraphinos, coniunctione intellectus ſui cum Deo Cherubinos, iudicij veritate à Deo profecti Thronos eminere. Præter immediatam illam ſub Deo ſubiectionem, agnouiſti & communem toti Hierarchiæ Hierarcham, & in quolibet ordine inferiores ab ſuperioribus Hierarchizatos. Nullus ſum ſi tam nobile archetypum in Paulina Hierarchia non exprimitur.

*Ad eam hæc ſuprema accommodatur.*

*Primus ordo caritatem profitentiũ.*

Nam à Deo immediatè in diuinos iſtos homines fluunt Chariſmata: Spiritus Sanctus, Filius, Pater, ordine noſtro nominantur. Spiritus Sanctus eos incendit qui caritatem & Dei & proximi habent pro obiecto, vt Apoſtolos, Prophetas, Gubernationes, Opitulationes. Filius diuinam ijs cognitionem elargitur, qui ad illam cæteros perducturi ſunt, vt Paſtoribus, Doctoribus, Euangeliſtis,

Euangeliſtis, linguarum Interpretibus. Pater in ijs ſedet & inoperatur, qui diuinam potentiam & iuſtitiam manifeſtant: quales ſunt Canonici Iuris Antiſtites, Virtutum operatores, Curationum potentes. Illi enim de iure diuino reſpondent, illi prauas animi affectiones curant, illi virtutum exercitium & dirigunt & hominibus explanant: quæ Chariſmata nunc expono ſpiritaliter, quia quæ literalem in Paulo ſenſum faciebant, non eo quo primitus modo perſeuerarunt. Primus igitur ordo manifeſtum habet amorem, ſecundus ſcientiam, tertius diſcretionem. Primus exemplo perducit ad Deum, ſecundus myſteriorum intelligentiâ, tertius legis æternæ declaratione. His omnibus eminet Epiſcopus Hierarcha, plenitudinem & caritatis, & ſcientiæ, & actionis conſecutus, vt diuinè docet S Dionyſius. Seraphicus autem Doctor D. Bonauentura, licet in hypotheſi, & applicatione ſingulorum ordinum alia via procedat, vniuersè tamen loquendo theſim noſtram magnificè confirmat, *Primi*, inquiens, *ordines Hierarchici debent eſſe tres, ordines ſcilicet Angelici de ordine Seraphim qui amoris incendio præ cæteris feruent: Cherubim quoque qui cognitionis priuilegio gaudent: & Throni qui iuſtitiæ perpendiculo alijs præeminent.* Quæ nomina Profeſſores caritatis, Doctores Theologos, Canoniſtas tam aptè exprimunt, vt nihil dici poſſit conuenientius.

*Secundus doctrinam ſacram tradentium.* *Tertius de Iure Eccleſiaſtico reſpondentium.* *Epiſcopus Hierarcha.* Dion. c. 6. Eccleſ. Bonau. l. de Hierarch. Eccleſ. 2. p. c. 1.

Quòd ſi ad Reipublicæ quam aſſumpſimus formam, animum reflectimus, Princeps idem Epiſcopus Conſiliariorum ſuorum aliquos in diuinæ politiæ contemplatione verſari ſecum iubet, vt hauſta cælitus ſapientia ſtatus Eccleſiaſticus feliciter adminiſtretur. Alios oratores facit, Quæſtorem Imperatores Romani vocabant, nos Cancellarium, per quos edicta ſua, & voluntatem promulgat: alios de iure vult reſpondere, vt leges à ſanctiſſimis Patribus conſtitutæ & æquiſſimi Canones nullâ parte violentur. Iam verò quemadmodum profana politia per prudentiam gubernatur, quæ virtutum moralium vinculum eſt, & moderatrix: ita ſacer Hierarchiæ ſtatus animatur à caritate, quæ omnium Spiritus Sancti donorum illuſtris epitoma eſt. Et ſicut Princeps Politicus per virtutum moralium opera ſubditos ad ſequendum rectæ rationis ductum diſponit: ita diuinus Hierarcha nos habet per Spiritus Sancti dona promptos & alacres, ad excipiendos Dei mouentis impulſus. Quòd ſi Philoſophum audimus, eos qui diuino aguntur inſtinctu, ab ratione hominibus communi conſilium ſumere non expedit, qui meliore principio impelluntur. Quamobrem Hierarchiæ Principem Eccleſiaſticæ, adiutoribus & adminiſtris vti oportet diuina potiùs, quam humana ratione permotis: in quorum primis ſit intellectus, in ſecundis ſapientia, in tertijs conſilium & ſcientia: vt primum donum, Prophetas ſeu Religioſos; alterum Doctores Theologos, Paſtores, Euangeliſtas; tertium, Canonum interpretes efficiat: quibus Apoſtoli ipſi, eorumque ſucceſſores ſumma cum prærogatiua præſideant.

*Eadem cum ſtatu politico conferuntur.* *Caritas vinculum & moderatrix huius Hierarchiæ.* Ariſt. l. 7. Moral. Eudæm. c. 18. Vide D. Th. 1. 2. q. 68.

Habetis Aureli & Hallier Hierarchiæ ſupremæ delineationem ad Apoſtoli mentem, exemplum Angelorum, Reip. ſimilitudinem, principia noſtra diligenter exactam: in quâ ſi quid iure reprehendere poteſtis, ab omni contentiones ſuſpicione penitus vacuum ac liberum, continuò mutaturus accurram. Sed vos ſubſtructionem hanc ab ipſis fundamentis labefactare conamini: manum admoueo ne corruat.

## *VTROQVE APOSTOLI LOCO AGI DE HIERARCHIA ECCLEſIA MONſTRATUR ADUERſUS AURELIUM.*

## CAPVT VIII.

*Apoſtolum agere de Hierarchia fatetur Aurelium.* pag. 378.

PRINCEPS Aurelius opus aggreditur, ſed adeò infeliciter, vt in tota eius diſputatione vix quicquã ſani appareat. De Apoſtoli mente primò quæritur, vtrum allatis locis Hierarchiam tangat Eccleſiæ? *Non loquitur*, inquit Aurelius, *de ſolis gradibus Hierarchicis, ſed omnibus generatim gratijs, quas Deus Spiritu Sancto in Eccleſia corpus diffundit: ſub quibus gratijs etiam gradus Hierarchici continentur.* Hanc ego reſponſionem non improbo, quam & ſcriptoribus alijs doctis & Catholicis placere video, & quidem Aurelij ſenſu. Sic enim Theodoro Bezæ, alijſque hæreticorum catulis, ſic M. Antonio de Dominis ſchiſmaticorum coryphæo, Pontificis Romani poteſtatem ex his Apoſtoli locis ferociter irridentibus, reſpondent, non numerari & delineari à Paulo gradus Hierarchicos, nimirum Eccleſiaſticæ Iuriſdictionis, quam ſolam contemnebant hæretici. Sed hac de Hierarchia modò non agimus, quam illi negant explicari: hoc vnum volumus, agi vniuersè de Hierarchia, quod non inficiantur, neque cum eis Aurelius. Si enim *non loquitur Apoſtolus de ſolis gradibus Hierarchicis*, de ijs ſaltem, *loquitur*, licet *non ſolis*. Cur ergo affirmat interiectis poſtea verſibus vix decem, *de Eccleſia Apoſtolo ſermonem eſſe, non de Hierarchia?* Cur anteriore pagina negat Concilium Tridentinum altero textuum illorum vti ad Hierarchiam probandam? Cur Prophetiam ab Apoſtolo commemoratam, donum appellat *non ſolum fidelibus omnibus, ſed etiam infidelibus commune?*

*At non ſine aliqua contradictione.*

*Inconſtanter de ea loquitur & Fr. Hallier.* in vindic. pag. 421. Pag. 429

Neque miror eſt Franciſci Hallier hoc in propoſito perturbatio & hæſitantia, qui ſuperiori, quam haurit ex Coëffetæo expoſitioni, ſuam adiungit, hæc omnia officia Hierarchica eſſe, ſed proüt Ordinem, vel Iuriſdictionem connexam habent: quâ de exceptione mox cum eo diſceptabitur. Qui tamen in ea qualicunque ſententia vellem conſtantiùs hæſiſſet, neque de ea paucis poſt paginis dubitaret. Neſcio quid etiam turbat alibi, & ridiculum eſſe ait *D. Paulum eò loci, quo ſtatum Eccleſia ſui temporis proponit, & conſtantem eius futurum deſcribit, ſic interpretari, quaſi voluerit præſentem Eccleſia ſtatum nobis ob oculos ponere.* Nam ſi *conſtanter futurum* deſcribebat Paulus, profectò ille nunc *præſens* eſt. Verùm quoniam Doctor iſte conſtanter hic nihil dicit, Pariſienſi alteri credam Theologo Gagnæio, *Nihil hic aliud velle Paulum*, aſſerenti, *niſi quòd Hierarchicus ordo Eccleſia vſque ad finem duraturus eſt, donec perfectis omnibus ceſſet omnis in terra Prælatio.*

Pag. 503.

Gagnæ. in c. 4. Epheſ. ad hæc verba *Donec occurramus.*

*Tridentinũ ex eo Hierarchiam probare negat Aurelius* p. 377. *Refellitur ex verbis Concilij* ſeſſ. 23. c. 4.

Altera eſt de Concilij Tridentini ſenſu quæſtio, vtrum priore ad Corinthios loco Hierarchiam probet & aſſerat? Negat Aurelius, & ſolita modeſtia, illum qui id exiſtimet *ſummam iniuriam Concilio Oecumenico per ſummam blaſphemiam inurere*, contendit: eam *expoſitionem, & opinionem non ſolum auctoritate, ſed etiam ratione vera & Theologica vacuam, & vndique improbabilem demonſtrat.* Prouoco ad Concilium: Sume Lector in manus, & vide ſi fallo. Hierarchiam eſſe in Eccleſia, & in ea graduum ordinumque diſtinctionem & affirmat

mat & probat his verbis. *Quòd ſi quis omnes Chriſtianos promiſcuè noui Teſtamenti Sacerdotes eſſe, aut omnes pari inter ſe poteſtate ſpirituali præditos affirmet, nihil aliud facere videtur, quàm Eccleſiaſticam Hierarchiam, quæ eſt vt caſtrorum acies ordinata, confundere: perinde ac ſi contra B. Pauli doctrinam, omnes Apoſtoli, omnes Prophetæ, omnes Euangeliſtæ, omnes ſint Doctores. Proinde ſancta Synodus declarat*, &c. Et admonent notæ marginales alludi ad *Cantic. c. 6. &* 1. *Cor.* 12. quas mirè contemnit Aurelius. Certo tamen certius eſt vtrunque Pauli locum aſpici, & in vnum miſceri, quia idem eſt eius in vtroque propoſitum. Et *Euangeliſtas* quidem ſecundo tantùm loco commemorat; cæteri ſunt vtrique communes. *Apoſtoli, Prophetæ, Doctores.* Sic autem dicta illa Pauli proferunt Patres, vt hæreſim ex ea *doctrina* reuincant, vt illa nitantur ad diſtinctionem graduum conficiendam, idque verbo *Proinde* declarant, quo concluſio è præmiſſis elicitur, & quidem cum aſſeueratione poſita, & diuina fide credenda. Iam ergo ſic diſputo.

*Notas in Concil. contemnit Aurelius.*

*Plenarijs Concilijs, quorum eſt*, teſte S. Auguſtino, *in Eccleſia ſaluberrima auctoritas* contraire erroneum eſt, & temerarium: id verò palam, & luculenter, & apertiſſima latinitate facit Petrus Aurelius, dum negat in Apoſtolo Hierarchiam ſignificari, & Tridentinum eo vti loco ad Hierarchiam probandam, ex quo tamen ſole clarius eſt, idem Concilium Hierarchicorum graduum diſtinctionem probare; eſt igitur eius illa negatio temeraria, & erronea. Nec enim Chriſtiano vlli dubitare fas eſt, illum eſſe ſcripturæ ſenſum, qui traditur a Concilijs. Qui cum duplex ſit, literalis & accommodatirius, ille in noui Teſtamenti productione maximè ſpectandus eſt: hic autem ſæpe in veteri Teſtamento intelligendus, in quo lex fuit *vmbra futurorum*, & *omnia in figura contingebant illis*: vt cum Paulus dictum de Salomone, *Ego ero illi in Patrem*: Ioannes dictum de Agno, *Os non comminuetis ex eo*; Matthæus dictum de Iſraëlitico populo, *Ex Ægypto vocaui filium meum*, applicant Chriſto, ad illum commodè aptari de fide eſt. Quam accommodationem vſurpant Patres Tridentini, Canticorum locum ad Eccleſiam transferendo, *Caſtrorum acies ordinata.* Genuinum autem & literalem ſenſum è Pauli dictis adſtruunt, faciuntque de fide, hunc naturalem, illum accommodatum eſſe ſenſum. Eſt igitur ex Tridentino certum, agi à Paulo de Hierarchia, & Loëmelium actem Aurelij obiurgationem non mereri, quæ in eum additâ negatione torqueri iuſtiùs poteſt, *Qua verò audacia aſſeris Concilium Tridentinum illo textu Apoſtoli* non *vti ad probandam Hierarchiam?*

*Ex quo error & temeritas Aurelij demonſtratur.*

Augu. ep. 118.

*Senſus ſcripturæ duplex.*

Hebr. c. 1. Ioan. c. 19. Matt. c. 2.

Sed priorem textum vrget, in quo *iniuriam, blaſphemiam, crimen falſi Concilio impactum* ab aduerſario indignatur, *cum in duodecimo iſto capite*, inquit, *Apoſtolis nec Euangeliſtarum, nec Prophetarum meminerit.* Quid agis Aureli? vbi gentium verſaris? caudicibus loqui te putas, an hominibus? *Prophetarum Apoſtolus eo loco* non meminit, vbi ſecundo in ordine *Prophetas* Apoſtolis ſubiungit: Negas *Prophetarum meminiſſe*, qui altera poſt pagina iſtud ipſum *duodecimum caput* referens, ea verba deſcribis, *Primùm Apoſtolos, ſecundò Prophetas?* Quæ poteſt hac oſcitantia videri aut cogitari ſupinior, audacia confidentior, præcipitantia ſtultior? Hominem ex doctrina concretum, Aurelium illum magnum, eius textus quem tractat, eius loci quem *tantula mentis intentione* conſiderandum dicit, eius libri qui ab oculis & manibus Theo-

*Intolerabilis Aurelij hallucinatio, & contradictio.*

pag. 377.

Pag. 379.

logi abeſſe nunquam debet; ne aſpectum quidem curare, & mendacij eum coarguere qui hoc in Apoſtolo legi dicat, quod idem ipſe in proferendo textu nominat? Quid ab eo ſperes, Lector, in reconditioribus libris, ſi Biblia negligit? Quam in locis diſtantibus contradictionem non perſentiſcas, cum id neget, quod deinde vnius interiectu pagellæ affirmaturus eſt? Quam calumniam non peruideas, cum *falſi crimen Concilio impingi* velit à Loëmelio, verâ veri loci citatione omnibus nota, & ab ipſo producta?

*Alia eiuſdem contradictio.* pap. 379. Pag. 380.

Quid quòd ſeipſum alia contradictione confodit in eiuſdem expoſitione textus? Nam vbi dixit Hierarchiam eſſe *ſolum partem capitalem* Eccleſiæ, ſequente pagina inter Hierarchica nomina, recenſet *Apoſtolos*, *Doctores*, *Gubernatores*, ad mentem noſtram veriſſimè, ad ſuam peſſimè. Non enim *Doctores* omnes ſunt Eccleſiæ capita eius ſenſu, id eſt Epiſcopi; neque ipſe S. Hieronymum, Bernardum, D. Thomam, Bonauenturam, Religioſos in Hierarchia collocat. Aut ergo Doctores Hierarchici non ſunt, quod Apoſtolo repugnat; aut Hierarchia non eſt *ſolùm pars capitalis* Eccleſiæ: quod contendit Aurelius: atque ipſi qui nihil aliud quàm Doctores, ſunt de Hierarchia Eccleſiæ, quod maximè cruentat Aurelium.

*Aliud erratum Aurelij* p. 379.

Regredior ad Prophetas, quos interpretatione diuexat. *Prophetia*, inquit, *eſt donum Spiritus Sancti, & gratia gratuita, nam ſolùm fidelibus omnibus, ſed etiam infidelibus communis, vt de Sibyllis tradunt veteres, ac proinde ad Hierarchicos gradus non redigenda.* Dic Aureli, de Prophetis vniuersè loquitur Apoſtolus, an de ijs quos *poſuit Deus in Eccleſia?* De Apoſtolis vniuersè, an de ijs quos Chriſtus ipſe elegit & miſit? Illa igitur Prophetia de qua Paulus, eſt-ne *fidelibus & infidelibus communis?*

*Sibyllarum Prophetia non fuit Hierarchica.*

Ac licet extra Eccleſiam prophetarint Sibyllæ, ideo ne Prophetarum nomen à gradibus Hierarchicis eliminandum eſt? Conferri poteſt à barbaro, à Turca Baptiſmus; non eſt igitur Baptiſmus res Hierarchica? Seruus herum ſuum in Noſocomio curare poteſt; non eſt igitur Opitulatio munus Hierarchicum? De Hierarchia ſcribis, & ipſis Hierarchiæ principijs tam parum tinctus es, vt priuatam actionem à publico munere non diſtinguas? Vt officium & auctoritatem publicè in Eccleſia prophetandi, cum priuato dono Prophetiæ confundas? Vt inter ordinarium officium, & gratiam quaſi commiſſionem extraordinariam, nihil facias diſcriminis?

*Prophetarũ ordo Hierarchicus eſt.* *Superædificati ſupra fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum.* Ephef. c. 2.

Sed & hoc reſponde: cur *non liceat Prophetarum nomen in gradibus Hierarchicis numerare* quod Apoſtolis Paulus, Lucas Doctoribus adiungit, qui cum Apoſtolis Eccleſiæ fundamenta ſunt, quos Deus ipſe *poſuit & dedit in Eccleſia ſecundo* poſt Apoſtolos ordine? Nimirum in Prophetia nullam vides Iuriſdictionem, ſine quâ ne Hierarchiam cogaris agnoſcere, mauis prodere veritatem, & ſcripturam.

*Aurelij textus decurrendo refellitur.* pag. 380.

Et præmiſſis concluſio, patellâ dignum eſt operculum, *Fatendum igitur neceſſariò eſt*, inquit, Aurelio ſanè qui de Hierarchia malignè diſputat, *commemorata ab Apoſtolo nomina*, cum is Eccleſiæ diſpoſitionem voluentibus ſeculis perpetuam deſcribit, *non eſſe omnia Hierarchica.* Si vis non pertinere ſolùm ad partem Eccleſiæ capitalem, nemo repugnat; ſed ſolam eiuſmodi partem Hierarchiam eſſe, hoc verò toto opere & nego & euerro. Si vis non eſſe Hierarchica cum Iuriſdictione aut Ordine, tibi faueo, ſed non & Franciſcus tuus. Si nullo ſenſu Hierarchica vocari poſſe contendis, Apoſtolo, Tridentino,

tino, Doctoribus auſpicibus repugno. *Sed partim ad Hierarchiam, vt Apoſtolos, Doctores, Gubernationes.* De *Doctoribus* modò dictum; *Gubernationes* quàm importunè in hunc gradum intrudit Grammaticus, ſi veram eius vocis expoſitionem intelligit? *Partim ad Gratias, quas vocant gratuitas.* Quid? Apoſtolatus gratia gratuita non eſt, aut Doctoratus? *Omnibus promiſcuè hominibus tum probis tum improbis communes?* Siſte gradum Aureli, præcipitas. Ideone Gratiæ gratuitæ *ad Hierarchicos gradus propriè non rediguntur*, quia ſunt *probis & improbis communes?* Non ſunt igitur in Hierarchicis gradibus improbi: *Periculoſus Aurelij lapſus.* & tamen *ſupra Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi.* Et verè Iudas erat *vnus de duodecim*, tum etiam maximè, cum *fur erat & latro*: & Petrus ipſe Apoſtolorum princeps cum tertiò Chriſtum eiurauit. *Tum fidelibus tum infidelibus communes.* Non vt Hierarchicæ, publica auctoritate, & ſi opus eſt, conſecratione Hierarchica ordinatis ad earum exercitium hominibus: ſed vſu fortaſſe priuato, eoque parum frequenti. *Vt Prophetas, Virtutes, &c. pertinere.* Cur auulſos ab gradu ſuo Prophetas in hunc detrudis? Cur ab Apoſtolorum latere abripis contra repetitum Apoſtoli ordinem? Denique quid habes ſolidum, præter pictæ tectoria linguæ, quo demonſtres, his locis *de Eccleſia Apoſtolo ſermonem, non de Hierarchia eſſe*, iiſque *Tridentinum ad probandam Hierarchiam non vti?*

---

*EX EODEM TEXTU ALIAM QUAM IUriſdictionis & Ordinis Hierarchiam intelligi, probatur aduerſus Doctorem Hallier.*

## CAPVT IX.

SACROSANCTA Concilij auctoritate confectum eſt in Apoſtolo Hierarchiam eſſe; qualis ea demum ſit, nunc quærendum. *Occurritur obiectioni.* Et ſtatim meum in me telum conuertet, qui ſic aget. Si dubium eſſe Catholico nemini poteſt, quin Hierarchiam Paulus deſcripſerit, quia ex eo Hierarchiæ diſtinctionem probat Concilium; pari ratione affirmandum videri, Ordinis Hierarchiam à Paulo allatam eſſe, quia Ordinis ex eo probat Hierarchiam. Nihil igitur eſſe quòd vlteriùs progrediamur in alia quàm ordinis Hierarchia, quaſi terra ignota, perueſtiganda. Sed expedita reſponſio eſt, quod Tridentinum de Ordine aſſerit, de alijs non negare. Quis enim non videt graduum in Ordine diuerſitatem ex eodem textu poſſe confirmari? Quamobrem profligatur à Tridentino per Apoſtoli doctrinam Hierarchicorum graduum æqualitas, affirmatur diſtinctio in ea quam tractat Hierarchia, idemque de Iuriſdictione cenſeret, ſi foret in quæſtione. Quo ergo iure poſt applicatum Pauli locum Hierarchiæ Ordinis, alia nihilominus requiri debet Iuriſdictionis: eodem vltra procedimus ad nouæ Hieranchiæ neceſſariam inueſtigationem.

At neceſſariam non appellabit Halliet, cuius hæc eſt doctrina: Chariſma- *Proponitur doctrina*

*Fr. Hallier in vindic. pag. 421.* tum à Paulo recenſitorum vſum eſſe duplicem: alterum priuatum, vt cum perſonæ aliquæ, qualiſcunque Ordinis, etiam Laïci, etiam feminæ, ſua ſanctitate propheriæ aut miraculorum donum à Deo promerentur: quæ hominum genera per eas gratias in Hierarchia Hierarchizante non reponuntur, neque magiſtratus rectoreſque Chriſtianæ plebis efficiuntur. Alterum, qui fit auctoritate publica Eccleſiæ, miſſioniſque extraordinariæ authentica & legitima ſunt teſtimonia: quo pacto prædicandi auctoritati adnexa ſunt, adeoque ordinibus Eccleſiaſticis debita, ſolis Clericis conuenientia, non Laïcis, denique Ordini ſacro & Iuriſdictioni coniuncta. Quod clarè tradidit Ambroſij in Epiſtolam ad Epheſios commentarius, dum ſingula dona ſingulis Eccleſiæ Ordinibus attribuit: & licet aliqua ex ijs ob Clericorum penuriam Laïcis olim conceſſa fuiſſe fateatur, nunc tamen ſolis Clericis memorat eſſe permiſſa. Quæ quidem expoſitio quamuis literalis non videatur, ſed tantùm accommodatitia, nihilominus confirmat putaſſe Ambroſium actiones iſtas ex officio nemini non ordinato conuenire. Vnde facilè deducitur traditam à Paulo Hierarchiam in Ordine & Iuriſdictione ſubſiſtere. Sic Doctor Hallier.

*Confutatur 1 ex eius aſſertione.* Ego verò his contraria ſic pono, ex ijs quæ incautus agnoſcit. Nam primò Paulina Chariſmata Laicis aliquando, ſaltem in penuria Clericorum, & feminis licuit vſurpare. Non ſunt igitur illa ſacris Ordinibus neceſſariò connexa. Quis enim vnquam audiuit ex penuria Diaconorum Laïcos in omne eorum officium fuiſſe intruſos? Ex inopia Sacerdotum Diaconis fas fuiſſe Euchariſtiam facere? Ex Epiſcoporum paucitate in eorum cathedram inuaſiſſe Presbyteros, & Sacerdotes ordinaſſe, chriſma confeciſſe, manum Epiſcopis impoſuiſſe? Cur hoc? quia munia eiuſcemodi ſunt ita cum ordine coniuncta, vt qui alius ea tentarit, nihil efficiat.

*2. Ex natura chariſmatum.* Deinde in Pauli Gratijs aliquas lego quæ auctoritatem prædicandi neque dicunt, neque exigunt, vt Opitulationes, & Gubernationes. Licet enim hæc officia curarint Diaconi, habebant tamen in ijs ſuppares, & vt Aurelij verbo vtar, collaterales Diaconiſſas, circa mulieres occupatas, quæ profectò Eccleſiaſtici Ordinis capaces non ſunt. Aliquas ergo Paulus in Hierarchia collocat gratias, ijs perſonis conuenientes, quæ teſte Franciſcanali Eccleſiaſticis ordinibus excluduntur. Quare ſi qui ordinati ſunt illis præditi, non ideò ad Hierarchiam Pauli pertinent, quia ſint ordinati, ſed quia inſtructi Chariſmatis.

*Vide in Opere de ſacr. Ord. pag. 497.*

*3. Ex fine Hierarchiæ.* Atque iſtud ipſum expreſſiùs in Hierarchiæ fine ſpectes velim. Nam qui auctoritate publica Eccleſiæ illorum actuum aliquos exercent, & per eos ad Hierarchiæ finem perueniunt, ij ſanè reponuntur in Hierarchia Hierarchizante: at ejuſmodi ſunt fratres Laïci Religioſorum Ordinum, Moniales omnes quæ ab Eccleſia conſecrantur ad Deum publica pſalmodia laudandum, ad publicorum obſeruationem votorum, ad corporum afflictationes Eccleſiæ ſenſu & voce probatas, ad Opitulationes & Gubernationes; Hierarchizantis igitur Hierarchiæ partes ſunt, & tamen ad Ordinem Eccleſiaſticum aut Iuriſdictionem, Doctoris ſenſu, peruenire non poſſunt: vſus ergo Chariſmatum auctoritate publica probatus, cum Ordine & Iuriſdictione prædictis non coniungitur neceſſariò, alijs conuenit quàm quos Doctor Clericos vocat: adeoque

ad eoque præter Ordinis & Iuriſdictionis Hierarchiam, cogitanda eſt alia in quâ collocentur. Dic autem Franciſce, ex animi tui ſententia affirmaſne Antonium, Benedictum, Romualdum, Franciſcum vtrunque, Simeonem Stilitam, Pacomium, & eiuſmodi pene non homines, cum omnibus Spiritûs Sancti donis ſine ordine Eccleſiaſtico, vel Iuriſdictione, nihil penitùs contuliſſe *ad conſummationem ſanctorum, in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti?*

Teſtem ipſum prætetea Franciſcum appello, quantùm ſe torſerit ad Chariſmata omnia in vnum prædicationis officium, inuita & repugnante veritate contrudenda. Si tamen omnia; nam Opitulationes & Gubernationes ſciens volens prætermittit. Linguarum autem donum quàm prauè interpretatur, non pro diuerſarum idiomatis nationum, ſed pro ijs qui *magna, arcana, & profunda myſteria quæ interprete egerent, in medium proferebant?* In quo non tantùm *in nouitate ſenſûs ambulat*, quod ipſum in ſcripturâ periculoſum eſt, ſed etiam à mente Pauli diſcedit, qui cum donum Linguarum in poſtremis numerat, cum arguit Corinthios eius Chariſmatis nimiùm appetentes, cum negat eum qui ſimpliciter Linguis loquitur alium à ſe ædificare, cum affirmat omnes qui Linguis loquantur, infidelibus inſanos viſum iri, cum datas ponit in ſignum non fidelibus, ſed infidelibus; mirum maximo mihi opere eſt, ſi hæc omnia vult de ijs intelligi, qui profunda & arcana enunciant myſteria, vt de Ioanne Theologo, de Dionyſio, de Hierotheo: non potiùs de ijs qui externa illa locutione ſunt *velut æs ſonans aut cymbalum tinniens.* Quis autem Catholicus non miretur, eam Actuum Apoſtolicorum interpretationem, *loquebantur varijs linguis magnalia Dei*: *Non enim*, inquit, *alia quàm magnalia Dei loquebantur, qui linguis loqui dicebantur*, quaſi de materia ſola & ſubiecto, non autem de forma & idiomate linguarum varietas intelligenda ſit, dicente ſcriptura, *Audiuimus eos loquentes noſtris linguis magnalia Dei.*

4 *Ex violenta Doctoris interpretatione.*

*Nouitas interpretationis periculoſa.*

*Apoſtolico ſenſui non conformis.*

Act. c. 2. *praue explicat.*

Neque minùs Prophetiæ donum implicat & nodum facit in ſcirpo. *Vt publicam*, inquit, *auctoritatem id quod prædictum fuerit, obtineat.* Quid? Si à mulieribus quas prophetare legimus, editum eſt vaticinium, *publica auctoritate* recipi non poterit, quia ab concionante & ordinario profectum non eſt? B. Virgo quæ per prophetiam *Propheriſſa* vocata eſt, nihil potuit prædicere *publicæ* in Eccleſiâ *auctoritatis?* S. Birgittæ reuelationibus *publicam auctoritatem* darè non potuit Eccleſia? *Euangelium item vt ſit publicæ auctoritatis*, inquit, *eorum ſolùm eſt qui in Eccleſia Iuriſdictionem habent.* Ordinariam ſcilicet, aut commiſſam. Quæ ſit autem Concionatoris in populum quaſi Iuriſdictio, memini me ſuo loco dicere. *Imo ſolis Apoſtolis & Euangeliſtis hæc conueniunt.* Atqui prophetaſſe alios ſcimus, quàm Apoſtolos & Euangeliſtas. Et vt exeamus à Prophetia, Linguæ, Interpretationes, Fides, Curationes, Virtutes, Gubernationes, Opitulationes ſolis ne *Apoſtolis & Euangeliſtis conueniunt?* Addit denique neceſſe non eſſe *in noua lege vllos ſuſcitari Prophetas* qui antiquæ legis velut Religioſi habebantur, *quia nulla noua dogmata credenda de cætero proponentur*, quaſi vnus ille ſit prophetiæ finis: *ſed ea credenda erunt quæ à Deo edocti nobis ſcripto aut traditione Apoſtoli, & Euangeliſtæ reliquerint.* Si vocem *traditionis* reticuiſſet, ea poterat vti oratione Caluinus: & explicitè nouos ab Eccleſia per vices proponi articulos, qui fide diuina credantur, etſi Theolo-

1. *Ex Prophetia dono male expoſito.*

D. Th. 2. 2. q. 1. a. 7.

gum non admoneret D. Thomas, Concilia tamen generalia Eccleſiaſticæ antiquitatis non ignarum ſatis inſtruerent.

6 Ex leui auctoritate commentary Ambroſio aſſignati.

Ad Ambroſium verò quod attinet, certum mihi eſt didiciſſe illum ab Reuerendiſſimo Coëffetæo, ad quem nos remittit, eum commentarium & leuioris eſſe auctoritatis, & malè S. Ambroſio attribui. Quod diſſimulare non debuit, niſi quid aliud à veritate quæſiuit; & dicere *ideoque tantus Doctor*, &c. tanquam idoneum inuentionum ſuarum perfugium in vera Ambroſij doctrina reperiſſet. Deinde ſenſus Pſeudo Ambroſiani illius commentarij, teſte ipſo Franciſco, accommodatitius ſolùm eſt: addo & admodum contortus, vt qui Prophetas pro Presbyteris, Paſtores pro Lectoribus, Doctores pro Exorciſtis accipit. Dic etiam ſi vis imperfectum. Nam ſi anxiè Ordines Eccleſiaſtici erant in Paulinis officijs exquirendi, cur Hypodiaconi, Acolythi, Oſtiarij prætermiſſi ſunt? Quid quòd plurima in eo iacent, quibus opinionem ſuam ſatis animaduertit Fr. Hallier minimè promouêri? Nam Prophetas vult eſſe ſcripturarum explanatores: Magiſtros ſeu Doctores, qui literis & lectionibus infantes imbuunt; primis temporibus commune fuiſſe vt docerent, & baptizarent: quæ omnia nullam Ordinis aut Iuriſdictionis neceſſitatem

Hallier de ſacr. Ord. Pag 369. Legendum fortaſſe literales.

inferunt, quicquid ipſe ſtudeat *molliendo* interpretari. Fluctuat & in poſteriori opere, *eumque eas interpretationes non omninò videri germanas ac liberales* vrgente conſcientia affirmauit, in ſcripturarum ſacrarum amplitudinem excurrit, *quæ aliud dicant aliud innuant*, vt oſtendat non eſſe reprobandas. Suo igitur ſcriptore refutatur, ſuo explicationis violentæ tormento proditur, ſuis ipſe verbis irretitur, dum omnia ſine diſcrimine in vnius Hierarchiæ quaſi faſcem illigat, quæ perſpicua veritate ad alteram referuntur: quam ſpero ſtatim ac conſpecta fuerit, Lectori non inimico placituram.

---

*HIERARCHIA CHARISMATVM AB ERrore VVicleffi & Huſſij procul abeſſe aduerſus eundem Hallier demonſtratur.*

## CAPVT X.

Proponitur aduerſarij ſententia & obiectio.

HIERARCHIÆ noſtræ ad Apoſtolicum ſenſum referendæ perſoluta fides eſt: alia ſupereſt pridem data, eiuſdem Hierarchiæ ab VVicleffi, & Huſſij impietate vindicandæ. Aduerſarius in hoc campo, idem qui frequentiſſimè Doctor Hallier; is hæreticorum inclamatis nominibus, & citatis Concilijs tanquam coruſcantibus telis, & carbonibus deſolatorijs me terreret, niſi iam ante perſpectas haberem eius artes atque induſtrias. Satis enim ſibi eſſe putat tenue aliquod veſtigium, & vt loquuntur illi ad quos progredimur hæretici, *ſcintillam apparentiæ*, vt in aduerſarios ea conferat, quæ procul ab illis abeſſe ſole clarius in hâc Concilij Conſtantienſis causâ demonſtrabo, vnde facilis erit ad huiuſmodi cogitata aut ventilanda, aut exſufflanda decurſus. Itaque vt Religioſos ab Hierarchia excludat, non ſemel producit VVicleffi & Huſſij damnationem factam in Conſtantienſi Concilio, illa ex parte probato & admiſſo, qui vt ipſe citat,

*docuerunt pietatis ſtatui Sacerdotium & Hierarchicam poteſtatem deberi : ad quam tamen non ſanctitas, non pietas, non quæcunque arctioris vitæ & ſanctioris profeßio hominem attollit.* Hos enim errores (a Concilio Conſtantienſi proſcriptos) *renouat, quicunque ex caritatis ſtatu aliquem colligit inter præcipuos ordines Hierarchiæ Eccleſiaſtica, qui Epiſcoporum ſunt, Presbyterorum, & Diaconorum, collocandum.* Huic ego infamiæ noſtram Hierarchiam affinem eſſe nego, & ex aperta tum hæreticorum, tum iudicantis Concilij ſententia demonſtro. Nihil enim vt opinor damnauit Concilium, quàm quod delirarunt hæretici : nihil iſti hoc in propoſito damnandum protulerunt, quàm quod monſtratum ſcripto, & à Doctoribus maximè Pariſienſibus, examinatum eſt. Quid igitur illud ſit videamus.

Hallier in vin. p. 493. Pag. 420. Pag. 427.

In Concilio VVicleffus octaua ſeſſione, Huſſius decima quinta productis articulis, & propoſitionibus condemnantur : vide, lege à prima ad vltimam, ſi hæc aliqua fortaſſe abſtruſo in loco reperiatur poſitio. *Pietatis ſtatui deberi Sacerdotium*; aut iſta : per dona Spiritus Sancti homines in Hierarchiam ab Apoſtolo Paulo deſcriptam collocari. Quid igitur aiunt ? *Probabile eſſe qui rectè viuit eum eſſe Diaconum vel Sacerdotem.* Euge ! Obedientiam Eccleſiaſticam, Clericorum ordinationem, interdicta & excommunicationes Pontificum, eſſe adinuentionem Sacerdotum. Præclare ! *Non ex teſtificatione ordinantis, ſed ex iuſtificatione operis capienda eſt probabilis coniectura talis ſtatus : nec eſt probabilior euidentia, quàm ex vita.* Perſpicacem oportet eum eſſe, qui hiſce in terminis eam legat propoſitionem, Religioſo pio, & docto ( id enim controuertitur ) Sacerdotium debetur, neque ab Hierarcha reijci iure ac meritò poteſt. *Quicunque eſt humilior, Eccleſiæ ſeruicinior, & in amore Chriſti quoad ſuam Eccleſiam amantior, eſt in Eccleſia militanti maior, & proximus Chriſti vicarius reputandus.* Quid inde Doctor conficit ? Hæreticum eſſe qui pronunciet, hominem per pietatis & caritatis ſtatum in Hierarchia aliqua conſtitui. O ſubtile, & à methodo perquam inuſitata argumentum!

*Sententia Hæreticorum in Conſtantienſi damnatorũ exponitur.* Sect. 8. & 15.

Sed licet eam pietati prærogatiuam aſſignare concedam par illud hæreticorum, vt ſola per ſe homines in Hierarchia collocet : id tamen eos de Religioſis intelligere, omni aſſeueratione pernego. Quis enim neſcit quanto vterque odio ſanctiſſimos Ordines ſit inſectatus ? Omnes aiunt Religiones à Diabolo introductas : ſanctos earum Inſtitutores peccaſſe : qui eas ingrediantur ineptos eſſe ad diuinorum obſeruationem mandatorum : hæreticos eſſe, viros diabolicos, à Religione Chriſtiana extorres. Religioſos Ordines priuatos, ſapere imperfectionem, & peccatum, præſumptionem blaſphemam & arrogantem ſupra Deum. Et eiuſmodi infelicium bubonum ſtridores, quid aliud quàm inſtitutas in Eccleſia Religiones exterminari cupiunt ? Si quid igitur pietati, & bonæ vitæ auctoritatis conferunt, profectò nolunt ad Religioſos pertinere. Cur ergo Doctor aduerſarius, illorum pro pietate voces ad eas traducit perſonas, quæ horum iudicio hæreticorum, ſi alij omnes comprehenderentur, ſolæ deberent eximi?

*Hæretici illi Religioſos à ſtatu pietatis expulerunt.*

Hierarchia porro illa, ad quam hæreſiarchæ volunt homines ſola pietate attolli, eſt-ne hæc noſtra Chariſmatum, quam ne de nomine quidem cognitam habuerunt ; ac non potius Ordinis & Iuriſdictionis ? Deprompta igitur ex eorum veſania obiectio, noſtram non tangit Hierarchiam, aut ſententiam. Quid vero clamant damnati vtriuſque articuli, qui Papam, Prælatos,

*De Hierarchia Chariſmatum non egerunt.*

Clerum Cæſareum ; poteſtarem diabolicè introductam , auctoritatem ad prædicandum, cenſuras Eccleſiaſticas, Confirmarionem, Ordinationem Clericorum, & his ſimilia vbique plenis buccis concrepant ? Quo tendit Huſſij delirium, *Multi Sacerdotes ſimplices* ( non certè Religioſi, qui huic homini ſunt *hypocritæ, & indiſpoſiti ad Deo benè ſeruiendum* ) *ſuperant Prælatos in eiuſmodi poteſtate?* Qua autem poteſtate ? Illa de qua præcedente articulo, *quæ fingitur a Papa, excommunicatione, citatione, incarceratione.* Hæc poteſtas niſi cæcutimus, Iuriſdictionis eſt, ſuperior Ordinis. Quæ hic mentio Hierarchiæ Gratiarum? aut quis noſtrum ſomniat per has præciſè gratias hominem vllum aut Ordine aut Iuriſdictione reipsâ donari? Vbi leget oculatus Doctor apud nos, eum qui per infuſam Spiritus Sancti gratiam Propheta aut Doctor, aut Euangeliſta factus fuerit, contempta Prælatorum auctoritate, ſpretis excommunicationum fulminibus, verba facere ad populum & poſſe & debere ? Itaque cum pietatis ſtatu ita coniunctum eſſe Hierarchicum munus voluerunt Huſſitæ, vt diſertè negarint vllam Hierarcharum deſtinationem, conſecrationem, approbationem: at nos eam diſertè requirimus, vt qui gratijs vtuntur, gratuitis, ijdem in ſtatu Pietatis & Hierarchiâ eſſe cenſeantur.

*Waldenſis Wicleffi ſententiam optimè intellexit, & tamen noſtram indicat & ſequitur.* Quòd ſi auctoritate quæ maximam iudiciorum partem facit, certandum eſt, vtrius in exquirenda aut VVicleffi, aut Concilij noſtri ſententia maior eſſe debet fides Franciſci Doctoris, an Thomæ VValdenſis, qui omnes ingenij doctrinæque neruos aduersùs Hæreſiarcham pro Concilio contendit? Quis eum credat in aduerſarij errorem lapſum eſſe virum eruditiſſimum, cum ſcripſit verbis conceptis, quibus nihil addi poſſit aut detrahi, *Perfectos Religioſos, & profeſſores clauſtrales, eſſe priores populo in perfectione; & populum eis ſubiungi ſecundùm Hierarchicum ordinem militantis Eccleſiæ?* Tom 1. l. 4. doct. fid. a. 1. c. 35. Eſt-ne ſenſus ille religioſiſſimi doctoris, perfectos Religioſos eſſe Diaconos vel Sacerdotes? quem *ordinem* alium *Hierarchicum* quàm Gratiæ & Pietatis loqui poteſt ? Et hoc affirmat contra VVicleffum diſputans, quod à VVicleffo aſſeri Franciſcus Hallier criminatur. De S. Bonauentura ſupremam Hierarchiam concinnante, modò nihil dico, eius diſpoſitionem alio libro prolaturus. *Pro nobis facit & Mauclerus* l. de Monarch. 1. P. l. 5. c. 5. Cedo interim qualis tibi Michaël Mauclerus videtur, VVicleffi ſectator, an Doctor Sorbonicus ? Qui Theologicum eius opus de Monarchia approbarunt ſeptemuiri tibi noti, qui priùs ritu publico docendæ Theologiæ auctoritatem aut acceperunt, aut exercuerunt, quàm tu fortaſſe ſtudij Theologici ſtadium decurreres ; illi inquam ſeniores tui, quales tibi ſunt, Doctores Catholici, an hæreſeos fautores & approbatores? Atqui ſcripſit Mauclerus, Catholicè ſcriptum affirmant iſti, quod alibi apud nos legere potuiſti, ex ſanctitate, diuerſiſque virtutibus, perſonis locum eſſe in Hierarchia. Quamobrem antequam aliàs de hæretica opinione pronuncies, auctor ſum vt *interroges patrem tuum, & annunciabit tibi, maiores tuos, & dicent tibi.*

DE

## DE ACTIBVS HIERARCHICIS AD HANC *Hierarchiam maximè pertinentibus.*

## CAPVT XI.

CONSTABILITA ſemel humanarum Eccleſiaſticarumque ſuprema Hierarchia, procedendum vlteriùs eſt ad eius inueſtigationem, & fuſiorem per ſingula membra tractatum. In quo vnum poſtulo mihi concedi, quod poſtea ſolidè probaturus ſum, & Doctores, & Religioſos, & ſimiles Chriſtianæ caritatis & ſapientiæ profeſſores, inter Palatina huius Reginæ officia numerari. Ab actibus Hierarchicis auſpicor, & ἀπὸ κοινοῦ repeto eſſe illos immanentes & tranſeuntes, abſolutos & reſpectiuos, purgatiuos & illuminatiuos, ſed excellenti quodam modo, quem in prioribus Hierarchiis non reperias, adeoque propriè & ſimpliciter dici poſſe perfectiuos. Nam vt optimè S. Bonauentura, quem hoc loco vitæ ſublimis ducem ſequimur, *Seraphini ſunt holocauſti purgatiui, quia non ſolùm ſunt purgati (& purgantes) à corruptione mali, imò ab imperfectione omnis boni. Sunt & illuminatiui, & omnis tenebroſæ obſcuritatis fugatiui; luciformem enim & illuminatiuam habent proprietatem, vt dicit Dionyſius, quod viris ſpiritalibus maximè conuenit; quos Deus velut luminaria in firmamento, id eſt, in Eccleſia collocauit.* Cum ergo perfectam purgationem & illuminationem efficiat hæc Hierarchia, nonne optimo iure perfectiua cenſetur, & Perfectionem inducendam pro vltimato fine ſibi præſcribere?

Ad eum verò peruenit tribus potiſſimùm medijs, Contemplatione, Oratione, Exemplo, quibus actiones implicitæ continentur, ne me putes ſolam mentis agitationem nullum in opus prodeuntem adducere. Nam Contemplationi traditam verbo ſcriptoque doctrinam; Orationi Pſalmodiam, Meditationem, Lectionem; Exemplo maiora minoraque miracula, opera miſericordiæ, virtutum quibus ſancti fiunt *bonus odor in Chriſto*, exercitium aſſigno. Itaque vt à Contemplatione incipiam altiùs illam ſpeculari non poſſum, quàm cum magno philoſophorum principe Ariſtotele, vbi de ſapientia deque Philoſophia humanæ vitæ gubernatrice magnificè philoſophatur. Nam cum ſapientiæ propria ſit Contemplatio, & Contemplationi vacet Philoſophus; quæ ſunt officia ſapientiæ, illa philoſopho & Contemplatiuo poſſunt & debent attribui. Eſt autem ante omnia ſapientia diſciplinarum omnium maximè libera, vt quæ vna ſui & non alterius gratia requiratur. Eadem diuiniſſima & honorabiliſſima, quam aut ſolus aut præcipuè Deus habet. Cæteræ quidem omnes ea magis neceſſariæ ſunt, nulla verò melior. Et quoniam ille ſolus perfectè ſcire dicendus eſt, qui rerum principia & cauſas cognoſcit, eam ob rem ſapientia eſt ἀρχικωτάτη τῶν ἐπιστημῶν, καὶ μᾶλλον ἀρχικὴ τῆς ὑπηρετούσης, Prudentia videlicet, quæ eius adminiſtra tantùm & adſectatrix eſt: quia cauſas cur quidque agatur nouit ſapientia. Quare Philoſopho non decet præcipi, ſed ipſum alijs præcipere: neque ſuaderi quicquam ipſi, ſed ipſum potiùs minùs ſapienti ſuadere. Et Prudentia quidem licet inferioribus virtutibus, vt fortitudini, vt temperantiæ præſcribat: quippe quæ

---

- *Actibus Hierarchicis ſuis maximè perfectiui.*
- Bonau. l. de Hierarch. Eccl. p. 4. c. 2.
- *Tria media Perfectionis.*
- *Contemplatio.*
- *De Sapientia deque Philoſophia magnifica docet Ariſtoteles* l. 1. Metaph. c. 2.
- Magnor. Moral. l. 1. c. 35. in fine

Clerum Cæſareum ; poteſtatem diabolicè introductam , auctoritatem ad prædicandum, cenſuras Eccleſiaſticas, Confirmationem, Ordinationem Clericorum, & his ſimilia vbique plenis buccis concrepant ? Quo tendit Huſſij delirium, *Multi Sacerdotes ſimplices* ( non certè Religioſi,qui huic homini ſunt *hypocrita, & indiſpoſiti ad Deo benè ſeruiendum* ) *ſuperant Prælatos in eiuſmodi poteſtate?* Qua autem poteſtate? Illa de qua præcedente articulo,*quæ fingitur a Papa, excommunicatione, citatione, incarceratione.* Hæc poteſtas niſi cæcutimus, Iuriſdictionis eſt, ſuperior Ordinis. Quæ hic mentio Hierarchiæ Gratiarum? aut quis noſtrum ſomniat per has præcisè gratias hominem vllum aut Ordine aut Iuriſdictione reipsâ donari? Vbi leget oculatus Doctor apud nos, eum qui per infuſam Spiritus Sancti gratiam Propheta aut Doctor, aut Euangeliſta factus fuerit, contempta Prælatorum auctoritate , ſpretis excommunicationum fulminibus , verba facere ad populum & poſſe & debere ? Itaque cum pietatis ſtatu ita coniunctum eſſe Hierarchicum munus voluerunt Huſſitæ, vt disertè negarint vllam Hierarcharum deſtinationem , conſecrationem, approbationem : at nos eam disertè requirimus, vt qui gratijs vtuntur, gratuitis, ijdem in ſtatu Pietatis & Hierarchiâ eſſe cenſeantur.

*Waldenſis Wicleffi ſententiam optimè intellexit, & tamen noſtram indicat & ſequitur.* Tom 1. l. 4. doct. fid. a. 1. c. 15.

Quòd ſi auctoritate quæ maximam iudiciorum partem facit , certandum eſt, vtrius in exquirenda aut VVicleffi, aut Concilij noſtri ſententia maior eſſe debet fides Franciſci Doctoris,an Thomæ VValdenſis,qui omnes ingenij doctrinæque neruos aduersùs Hæreſiarcham pro Concilio contendit ? Quis eum credat in aduerſarij errorem lapſum eſſe virum eruditiſſimum , cum ſcripſit verbis conceptis,quibus nihil addi poſſit aut detrahi , *Perfectos Religioſos, & profeſſores clauſtrales,eſſe priores populo in perfectione ; & populum eis ſubiungi ſecundum Hierarchicum ordinem militantis Eccleſiæ?* Eſt-ne ſenſus ille religioſiſſimi doctoris,perfectos Religioſos eſſe Diaconos vel Sacerdotes ? quem *ordinem* alium *Hierarchicum* quàm Gratiæ & Pietatis loqui poteſt ? Et hoc affirmat contra VVicleffum diſputans, quod à VVicleffo aſſeri Franciſcus Hallier criminatur. De S. Bonauentura ſupremam Hierarchiam concinnante , modò nihil dico, eius diſpoſitionem alio libro prolaturus. Cedo interim qualis tibi Michaël Mauclerus videtur , VVicleffi ſectator, an Doctor Sorbonicus ? Qui Theologicum eius opus de Monarchia approbarunt ſeptemuiri tibi noti, qui priùs ritu publico docendæ Theologiæ auctoritatem aut acceperunt , aut exercuerunt , quàm tu fortaſſe ſtudij Theologici ſtadium decurreres ; illi inquam ſeniores tui, quales tibi ſunt, Doctores Catholici , an hæreſeos fautores & approbatores? Atqui ſcripſit Mauclerus, Catholicè ſcriptum affirmant iſti, quod alibi apud nos legere potuiſti , ex ſanctitate , diuerſiſque virtutibus, perſonis locum eſſe in Hierarchia. Quamobrem antequam aliàs de hæretica opinione pronuncies, auctor ſum vt *interroges patrem tuum, & annunciabit tibi, maiores tuos, & dicent tibi.*

*Pro nobis facit & Mauclerus* l. de Monarch. 1. P. l. 5. c. 5.

DE

## DE ACTIBVS HIERARCHICIS AD HANC *Hierarchiam maximè pertinentibus.*

## CAPVT XI.

CONSTABILITA ſemel humanarum Eccleſiaſticarumque ſuprema Hierarchia, procedendum vlteriùs eſt ad eius inueſtigationem, & fuſiorem per ſingula membra tractatum. In quo vnum postulo mihi concedi, quod poſtea ſolidè probaturus ſum, & Doctores, & Religioſos, & ſimiles Chriſtianæ caritatis & ſapientiæ profeſſores, inter Palatina huius Reginæ officia numerati. Ab actibus Hierarchicis auſpicor, & *τοὶ κοινοῦ* repeto eſſe illos immanentes & tranſeuntes, abſolutos & reſpectiuos, purgatiuos & illuminatiuos, ſed excellenti quodam modo, quem in prioribus Hierarchiis non reperias, adeoque propriè & ſimpliciter dici poſſe perfectiuos. Nam vt optime S. Bonauentura, quem hoc loco vitæ ſublimis ducem ſequimur, *Seraphini ſunt holocauſti purgatiui, quia non ſolum ſunt purgati* (& purgantes) *à corruptione mali, imò ab imperfectione omnis boni.* Sunt & *illuminatiui, & omnis tenebroſæ obſcuritatis fugatiui; luciformem enim & illuminatiuam habent proprietatem, vt dicit Dionyſius, quod viris ſpiritualibus maximè conuenit, quos Deus velut luminaria in firmamento, id eſt, in Eccleſia collocauit.* Cum ergo perfectam purgationem & illuminationem efficiat hæc Hierarchia, nonne optimo iure perfectiua cenſetur, & Perfectionem inducendam pro vltimato fine ſibi præſcribere?

*Actus Hierarchiæ ſunt maximè perfectiui.*

*Bonau. l. de Hierarch. Eccl. p. 3. c. 2.*

Ad eum verò peruenit tribus potiſſimùm medijs, Contemplatione, Oratione, Exemplo, quibus actiones implicitæ continentur, ne me putes ſolam mentis agitationem nullum in opus prodeuntem adducere. Nam Contemplationi traditam verbo ſcriptoque doctrinam; Orationi Pſalmodiam, Meditationem, lectionem; Exemplo maiora minoraque miracula, opera miſericordiæ, virtutum quibus ſancti ſiunt *bonus odor in Chriſto*, exercitium aſſigno. Itaque vt à Contemplatione incipiam altiùs illam ſpeculari non poſſum, quàm cum magno philoſophorum principe Ariſtotele, vbi de ſapientia deque Philoſophia humanæ vitæ gubernatrice magnificè philoſophatur. Nam cum ſapientiæ propria ſit Contemplatio, & Contemplationi vacet Philoſophus; quæ ſunt officia ſapientiæ, illa philoſopho & Contemplatiuo poſſunt & debent attribui. Eſt autem ante omnia ſapientia diſciplinarum omnium maximè libera, vt quæ vna ſui & non alterius gratia requiratur. Eadem diuiniſſima & honorabiliſſima, quam aut ſolus aut præcipuè Deus habet: Cæteræ quidem omnes ea magis neceſſariæ ſunt, nulla verò melior. Et quoniam ille ſolus perfectè ſcire dicendus eſt, qui rerum principia & cauſas cognoſcit, eam ob rem ſapientia eſt ἀρχικωτάτη τῶν ἐπιστημῶν, καὶ μᾶλλον ἀρχικὴ τῆς ὑπηρετούσης, Prudentia videlicet, quæ eius adminiſtra tantùm & adſectatrix eſt: quia cauſas cur quidque agatur nouit ſapientia. Quare Philoſopho non decet præcipi, ſed ipſum alijs præcipere: neque ſuaderi quicquam ipſi, ſed ipſum potiùs minùs ſapienti ſuadere. Et Prudentia quidem licet inferioribus virtutibus, vt fortitudini, vt temperantiæ præſcribat: quippe quæ

*Tria media Perfectionis.*

*Contemplatio.*

*De Sapientia deque Philoſophia magnificè docet Ariſtoteles l. 1. Metaph. c. 2.*

*Magnor. Moral. l. 1. c. 35. in fine*

αὐτὴ ἐπιμελεῖται πάντων, ϗ κυρία ἐστὶ προστάττουσα: eſt tamen dominæ Sapientiæ ſolùm adminiſtra & pediſequa. Compara ſi vis Prudentiam cum Atrienſi ſeruo: is in ædibus præeſt quidem, & diſpenſat omnia, non tamen imperat: πάντων κύριος, ϗ πάντα διοικεῖ, ἀλλ' οὐκ ἄρχει πάντων: ſed tantùm domino parat otium & quietem, vt is à cura rei familiaris liber, honeſtis actionibus ex officio vacare poſſit. Ad eum ſanè modum diſpenſatrix Sapientiæ Prudentia eſt, eique otium præparat, vt cum affectus omnes ſuos in gyrum rationis adduxerit, opus ſuum tranquillè peragat. Idem eſt D. Thomæ ſenſus, in vitâ Contemplatiuâ & actiuâ id explicantis, quod in Sapientiâ & Prudentia propoſuit Ariſtoteles. *Vita Contemplatiua in quadam animi libertate conſiſtit: vnde patet quòd vita actiua ei non directè præcipit, ſed diſponendo ad vitam Contemplatiuam, præcipit quædam opera vitæ actiuæ; in quo magis ſeruit vitæ Contemplatiuæ, quàm dominetur. Et hoc eſt quod Gregorius dicit ſuper Ezech. quòd actiua vita ſeruitus, Contemplatiua autem libertas vocatur.* Quæ omnia vt in rem noſtram conferantur, repetendum ex ſecundo huius operis libro, quantoperè quadret ea Contemplatio & Sapientia in Seraphicos ſpiritus, qui proximè Deum, finem rerum omnium in ipſo conſiderant, intendunt, atque inferioribus reuelant. Ex tertio autem libro recordari poſſumus, *rationem ſuperiorem quæ Contemplationi deputatur, ad inferiorem quæ actioni deputatur, comparari ſicut virum ad mulierem, quæ per virum regenda eſt.* Eandem Contemplationis prærogatiuam agnoſcit Gerſon noſter; *Sunt ipſi*, inquit, Contemplatiui ſcilicet, *tanquam oculi corporis illuminantes & dirigentes omnes operationes factas per membra cætera: & ſi oculi non laborant, ſicut manus & pedes; non oportet pro tanto quòd in nullo ſeruiant, niſi ipſiſmet. Tales enim Contemplatiui, ordinati ſunt ad referendum Deo, & dirigendum omnia aliorum opera.* Non eſt ergo tantùm ſuperior actione Contemplatio, ſed eam etiam mouet, dirigit, & ei imperat. Hierarchica ergo, & eò quidem præſtantior, quò ſublimior, fini propior, & principiorum magis ſciens.

*Prudentia ſeruus Sapientiæ.* — *Vita actiua Contemplatiuæ.* — D. Th. 2. 2. q. 181. a. 1. ad 2. — Greg. hom. 3. in Ezec. — D. Th. cit. a. 4. — Gerſ. tr. de monte Contemp. c. 27. — *Contemplatiuorum operatio nobiliſſima.*

Ad eam porro Sapientiam deueniri monet S. Bonauentura triplici omnino via, Lectione, Meditatione, Oratione. Quæ pietatis exercitia vno fuſiori Orationis nomine contineri cupio, quoniam ad Orationem tendunt vniuerſa, & in ea ſuauiter conquieſcunt. Lectioni tota ſcriptura diuinitus inſpirata præcipuè, tum poſtea omnis ſacra Patrum, & Theologorum doctrina aſſignatur. *Ecce deſcripſi eam tibi tripliciter, ait ſapiens: cum omnis ſcientia debeat gerere Trinitatis inſigne, præcipuè illa ſcientia quæ in ſacra ſcriptura docetur, debet in ſe repræſentare veſtigium Trinitatis.* (Sunt enim Cherubini auguſtiſſimæ Trinitati ſine medio ſubiecti.) Quare triplicem intellectum ſpiritalem complectitur; moralem, allegoricum, & anagogicum, qui tribus actibus Hierarchicis reſpondet; *Purgatio enim ad pacem ducit, illuminatio ad veritatem, perfectio ad caritatem: quibus perfectè adeptis anima beatificatur, & ſecundùm hoc quòd circa hæc verſatur, ſuſcipit meriti incrementum.* Et paulò poſt aptiſſimè ad ordines huius Hierarchiæ à nobis aſſignatos; *Si vis ergo purgari, verte te ad conſcientiæ ſtimulum:* (quem Theologiæ moralis Antiſtites exacuunt,) *Si illuminari, ad intelligentiæ radium:* (quem à Theologiæ ſcholaſticæ Doctoribus mutuaberis,) *ſi perfici, ad Sapientiæ igniculum:* (quem Caritatis profeſſores in animo tuo accendent.)

*Oratio.* — Bonau. l. Incend. Amoris. c. 1. — *In tribus ſcripturæ ſenſibus veſtigium Trinitatis.*

De exemplo dictum eſt à nobis non ſemel. De quo breuiter S. Iſidorus: *Tam vita, quàm doctrina clarere debet Eccleſiaſticus Doctor: nam doctrina ſine vita arrogantem reddit, vita ſine doctrina inutilem facit.* Quod ſi de ſolis Theologis hæc

*Exemplum.* — Iſid. l. 3. de Summo Bono. c. 36.

in Hierarchia dictum exiſtimas; patentiorem ſtatim campum aperiet D. Gregorius, & in illum etiam Opitulationes & Gubernationes admittet: *Multi*, inquiens, *in tenebris vitæ præſentis dum ſuperiora de ſe exempla exhibent, aſtrorum more nobis deſuper lucent.* Notabis Lector, *ſuperiora exempla deſuper lucent*: tanquam ex edita pharo nauigantibus viam & portum oſtendunt. Eo ſenſu ſcribebat olim S. Hilarius Arelatenſis de S. Honorato, quod hoc loco repetere non piget. *Longum eſt percurrere quem ab illis profectum vnuſquiſque locus traxerit; quam ſalubritatem Eccleſiis ſine vllo Clericatus actu inuexerint; quot magiſtris magiſtri in ſilentio fuerint.* Magiſterium illud venuſtè S. Bonauentura noſter exprimit, vbi quartam alam Prælato, tanquam Seraphino adaptat, vt ſit *exemplaris in vita. Ipſe namque debet cæteris eſſe norma viuendi, vt quæ docet verbis, oſtendat actionum figuris. Sicut qui docet Geometriam, pingit in ſabulo figurarum demonſtrationes, vt quod dicit, melius capiatur.* Et inferius nimis quàm verè denunciat. *Boni magiſtri bonos diſcipulos facere conſueuerunt, & frequentiùs multi fierent meliores in religionibus, & in Eccleſia, ſi melioris vitæ eis exempla à ſuis doctoribus proponerentur. De correctis exemplaribus correcta ſcribuntur volumina, de corruptis corrupta.*

Greg. l. 4. Mor. c. 22.

*Exempla deſuper lucent.*

*Magiſteriũ exemplorũ.* Bonau. l. de ſex alis Seraph. c. 6.

---

## *CONTEMPLATIVOS AGERE QVAM PERfectißimè probatur ex Philoſopho.*

## CAPVT XII.

NEMINI me actionem iſtis etiam commentationibus aſſignare, ne Hierarchiam iniuria tenere, & inter actuoſos ſoli otio torpeſcere videantur. Audiamus enim Ariſtotelem de otio philoſophico diſſerentem. Is beatitudinem in honeſta vita, *εὐπραξία* collocat: hominem contemplationi & cognitioni rerum vacantem, hominem Philoſophum; Ciuili oppoſitum, iuſtum, temperantem, & multarum huiuſcemodi actionum parentem eſſe affirmat. Et actuoſum quidem virum ait, non ſpectare ſemper ad alios, quod nonnulli putant: neque actuoſas eſſe ſolùm eas cogitationes, quæ euentorum gratia ſuſcipiantur, ex agendo naſcentes: ſed multò magis contemplationes & cogitationes ex ſe perfectas, & ſua ipſarum cauſa ſuſceptas, eſſe & dici debere actuoſas, pluribus comprobat, vt tem momenti grauiſſimi. 1. quidem à fine, hoc eſt in rebus hiſce moralibus, à priori. Finis enim eſt *εὐπραξία*: igitur aliqua actio: datur ergo actio aliqua quæ eſt ſui gratia, ſeu circa finem ipſum, qualis eſt circa Deum contemplatio. 2. Philoſophus architectoni ſimillimus eſt, qui quomodo ſit opus faciendum edocet, & regulas artis in ipſo fine ſpeculatur. Id facit in Angelica Hierarchia Seraphinus, ſed in humana politia Philoſophus. Certum eſt autem *μάλιστα πράττειν κυρίως τῶν ἐξωτερικῶν πράξεων τοὺς ταῖς διανοίαις ἀρχιτέκτονας agere quammaximè, & dominos externarum actionum eſſe Architectos.* 3. Fac ciuitatem ab omni aliâ gente in quam agere, & imperium exercere poſſit, penitus ſeiunctam: nonne adhuc beatitatem conſequi, hoc eſt, benè agere poteſt? Eadem verò eſt cuiuſlibet hominis, quæ totius ciuitatis cauſa. Quamobrem vt ciuitas quæ extra ſe non agat, beata tamen eſſe poteſt: ſic & homo intra ſe tantùm actiuus. Quis verò Deum, quis totum mundum pulchrè & beatè ſe ha-

*Contemplatiuum ſecundùm Ariſtotelem maximè actuoſus.* l. 7. de Rep. c. 3.

Ἀλλὰ τὸν πρακτικὸν οὐκ ἀναγκαῖον εἶναι πρὸς ἑτέρους, καθάπερ οἴονταί τινες, οὐδὲ τὰς διανοίας εἶναι μόνας ταύτας πρακτικὰς τὰς τῶν ἀποβαινόντων χάριν γιγνομένας ἐκ τοῦ πράττειν· ἀλλὰ πολὺ μᾶλλον τὰς αὐτοτελεῖς καὶ τὰς αὑτῶν ἕνεκεν θεωρίας καὶ διανοήσεις.

*Homo intra ſe actiuus, beatus.*

[illegible]

bere neget? quibus tamen non ſunt externæ actiones, neque vllæ aliæ, quàm eorum propriæ. Vbi quàm abſurdè de mundo, tam ſublimiter de Deo philoſophatur dæmon Ariſtoteles, apud quem tota hæc beatitudo in actionibus interioribus conſiſtit.

*Monachorum actuoſa philoſophia.*
Dion. c. 6. Eccleſ. in Contemp.

A Philoſopho ad Theologum tranſeo. Monachorum vita Chriſtiana philoſophia eſt; atqui licet illi & ſoli ſint, & ſibi vacent, non alijs, certè extenùs, vis tamen ſcire quàm non ſint otioſi? Libatur oſculum Monacho à Sacerdotibus, inquit S. Dionyſius. Cur hoc? Vt intelligamus *ſanctam eorum qui Deum imitantur ſocietatem*, quam quidem coëunt non multùm inter ſe abſimiles. Siquidem Monachi *ad Sacerdotum vitam, quantùm licet, formari debent, quòd ei ordini in multis ordo ille ſimilis ſit, & vnus ex omnibus initiandorum ordinibus ad eum proximè accedat.* Ius autem ſocietatis quod eſt, niſi vt pro virili quiſque operam laboremque ſuum in commune conferat? vt nemo ſuo tantùm bono, ſed vtilitati publicæ omnes pro ratâ portione inuigilent? Da cœtum otioſorum, da multitudinem actuoſorum priuatis tantùm lucris inhiantium: vtris illorum nomen, & naturam ſocietatis deberi putas? Profectò neutris. Quamobrem? quia neque agunt illi, neque alijs proſunt iſti. Si Monachos ergo iure appellat S. Dionyſius Sacerdotum, & eorum qui Deum Hierarchicis actionibus imitantur ſocios, nonne illos & agere putat aliquid, & agendo bonum publicum procurare? Idem puta de Doctoribus, idem de omnibus contemplatiuis. Nam Opitulationes & Gubernationes rem penitùs actuoſam eſſe, monere non debeo. In hac ego peculiari ſocietate *Sanctorum communionem* video, notiſſimum fidei noſtræ articulum, & illum meritorum in Eccleſia theſaurum, qui ſalua pietate negari non poteſt: in quem quiſquis vel minuta duo contulerit, agat aliquid oportet. Eiuſdem ſententiæ eſt Theologus alius, qui Seraphicam explicans Hierarchiam, ait *actiuos & exemplificatiuos* eſſe Seraphinos. *Quia non ſolùm inferiores accendunt, verum etiam & ordinatè diligendi formam tribuunt. Quia Angelos inferiores informant qualiter per amorem perfectum redeant in Deum, & ſecundùm ſuperiora proficiant & incedant.* Et inferiùs rationem reddit cur volare Seraphini dicantur à ſcriptura, *Quia viri ſancti non per otium & torporem, imo per operum bonorum exercitium & laborem relictis terrenis, cæleſtibus appropinquant.*

*In ſocietate, mutua eſt actio.*

*Seraphini actiui & exemplificatiui.*
Bonau. l. de Hierar. Eccl. p. 1. c. 2.

*In quos & quomodo agant contemplatiui.*

In quos enimuerò agunt, inquiet aliquis, homines nulla Ordinis dignitate, nullo Iuriſdictionis imperio præditi? Quid in ſubditis producunt ij, quorum tota vita intima eſt, ſuaque ſibi operatione paſcitur, vt in contemplatione, oratione, ieiunio perſpicuum eſt? Næ tu principiorum Hierarchicorum aut contemptor, aut ignarus es, cui nondum perſuaſerimus ad Hierarchiæ naturam non deſiderari heri le imperium, & coërcentem dominatum. Liberale eſt & diuinum Sapientis regnum. Aliter enim ἄρχει medicina, inquit Ariſtoteles, aliter ſanitas; & ob hanc, illa imperat. *Sic & in contemplatiui principatus ſe habet: non enim iubendo Deus imperat, quia ipſe nullius indiget; ſed prudentia quæ eſt alicuius gratia.* Contemplatiuus igitur philoſophus, & ipſe rebus humanis ſuperior, imperat vt Deus, non iubendo, ſed præcipiendo; non coërcendo, ſed dirigendo; non cogendo, ſed admonendo. Atque is præcipuè, qui vt Deus imperat, eſt Hierarcha, *actione præcipuus, præ cunctis in contemplatione ſuſpenſus.* Cuius cum maximè propria ſit Contemplatio, qui illam ab eo accipiunt veri philoſophi, & ſapientiæ diſcipuli, ſapientiam indidem habent, &

[illegible]
Ariſt. l. 7. Moral. Eudem. c. 15. in fine.
Greg. 10 Paſto. P. 2. c. 1.

actionis directionem, prout cum ea intellectus virtute coniungitur. Neque in Prudentia Iuriſdictionis imperium, aut in actione qualibet externi operis effectionem requiras. Nam bona & honeſta contemplari & conſulere vir prudens Ariſtoteli dicitur, indeque Periclem & alios id genus prudentes exiſtimatos fuiſſe, quòd ij quæ ſibi, alijſque bona ſunt, poterant contemplari. Atque id maximè noſtro in inſtituto notandum eſt, quod idem philoſophorum dictator, Ciuilem, ſiue Politicam, eundem reipſa eſſe habitum admonet cum Prudentia, ſolaque mentis conſideratione differre. Prudentiam enim dici quà eſt principium agendi bona ad ſeipſum: Ciuilem autem facultatem, quà principium eſt agendi bona erga plures, & maximè Rempublicam. Exterius igitur hac tantùm ex parte prodit ille habitus, imperium autem regium neutrubi deſiderat. In actionibus nonnihil ſimile video, quarum ſpecies duas mihi ſuggerit Philoſophus; ſunt enim aliæ tranſeuntes, quæ in externam materiam opus quod permaneat, imprimunt, vt domus ædificario; ex proprio vocabulo dicuntur operationes. Aliæ immanentes, quas ſtrictè actiones appellamus, quæ ſe naſcendo quaſi perimunt, vt nullum deſinente motu remaneat artefactum, quod in nauigatione, & modulatione citharæ intelligitur. Quamobrem *facientium & agentium non idem factile & actile. Nam factilium præter facturam finis ſupereſt alius*: (vt habitatio commoda, præter ædificij conſtructionem) *at in iis quæ ſub actionem cadunt, nullus eſt alius finis præter actionem*; (extrinſecus & ab ipſo agente diſtractus,) *vt præter citharæ modulatum, finis non eſt alius, ſed id eſt finis, exercitium, & actio*: licet agens ipſe ſibi exercitio illo perfectionem artis, mentis hilaritatem, corporis etiam ſanitatem fortaſſe conciliarit. Ex hac Peripatetici principis mente, docet D. Thomas actionem ſolùm dici immanentem, effectionem vero tranſeuntem: colligitque Mentem Actiuam eſſe illam, quæ ſua cognitione dirigit actionem aliquam immanentem, & eam habet pro obiecto: Factiuam verò quæ reſpicit tranſeuntem, & illius principium eſt.

*Actio datur ſine externa effectione.* Ariſt. l. 6. Ethi. c. de Prudentia. *Prudentia idem habitus cum politica.* Ibid. c. 8. *Actionum ſpecies duæ.* Ariſt. l. 9. Metaph. c. 9. & l. 1. Mag. Mor. & l. 1. Ethi. c. 3. l. Magn. Moral. c. vlt. D. Th. 1. 2. q. 17. a. 4.

Quibus ex omnibus concludo Reginam hanc Hierarchiam, in arce ſanctiſſimi conſilij, Sapientiæ Prudentiæq; medullam habere, quæ Mente Actiua dirigat, Factiua operetur, ſeipſam aliquando, nonnunquam alios perficiat, imo ſemper alios, quia nunquam non ſeipſam: opus effectum relinquere, cum in materiam externam prodit, vt libros elucubratos, miracula, mentis & corporis ſanitatem: non relinquere, cum ſibi canit, vt in Contemplatione, Prophetia, Linguis: habere denique ſubditos aliquando eoſdem eum principibus, & in ea reperiri *Magiſtros magiſtrorum, lucentes deſuper*, licet ordine ſubiectos, *ſuperiora exempla* hominum dignitate & gradu inferiorum.

*Colliguntur actiones contemplatiuorum.*

*SVPREMÆ CHARISMATVM HIERARCHIÆ Princeps & Hierarcha Epiſcopus aſſignatur.*

## CAPVT XIII.

*Epiſcopus principium omnis actionis Hierarchicæ.*

QVOD perſæpe monui, quod itetare nunquam pigebit, ad hunc præcipuè locum pertinet, in Epiſcopo actionis Hierarchicæ primariam ineſſe virtutem, & cum eminentia quadam, vt ſcholæ vocant, inferiorum omnium perfectionem contineri. Vnus enim in eos virtutem & energiam influit, vt in illis & per illos operetur, quod ipſe per ſe non poteſt. Ille Prophetas & Seraphinos omnes, vt excellens Seraphinus ſacro calculo, quem de altari tulit, mundat & perficit: ille per Doctores Theologos, per Concionatores, per Paſtores particularium plebium, gregem ſuum diuinis imbuit myſterijs, & exotica confutat dogmata. Ille per Canoniſtarum ſtudium & laborem, fidelium negotijs & priuatis actionibus inuigilat, & omnibus dicit, *Hæc eſt via, ambulate in ea; & ne declinetis ad dexteram, neque ad ſiniſtram.* Idem egentibus, peregrinis, ægris proſpicit, per eorum miniſterium qui ſe totos in miſericordiæ corporalis obſequium impendunt: actus à Spiritu Sancto, minor ipſe ſpiritus dominici corporis molem permeat, peruadit artus, & vegetat cum Deo, & ſub Deo vnus omnia in omnibus. Quod licet in quæſtione non verſetur, his tamen rationibus confirmatum volo.

*Probatur* ex Dion. c. 5. Cœl. & c. 5 Ecc.

Prima Dionyſiaca regula eſt, ex Hierarchiæ naturâ deſumpta, in omni ſacrâ deſcriptione ordines ſuperiores inferiorum illuſtrationibus virtutibuſque eſſe præditos; non è diuerſo inferiores ſuperiorum: cum autem fide certiſſima conſtet & Apoſtolos Eccleſiæ atque Hierarchiæ Principes, &, vt loquitur S. Dionyſius, duces eſſe, & Apoſtolis Epiſcopos ſucceſſiſſe in Hierarchicæ poteſtatis plenitudinem, nefas eſt Epiſcopali perfectioni quicquam eorum eripere, quæ in ſubiectis ordinibus reperiuntur. Et verò res aliter ne animo quidem fingi poteſt, ſi communem diuinarum operationum ordinem ſpectamus, quæ vltimis per media, medijs per prima communicantur: vt in vtraque Hierarchia, Cœleſti, & Eccleſiaſtica, Deo proximi ab ipſo lucis fonte radios hauriant, quos deinde in inferiores pro ſingulorum captu diffundant.

*Ex ratione principij.*

Idem probat & efficit Principis & principij ratio in Apoſtolis, & Apoſtolicis Hierarchis à Deo conſtituta. Nam cum in rebus omnibus ſit quædam quaſi Monarchia; ex vno prodire, & quantùm ab eo diſcedunt, multiplicari debent: ſed cum vera dependentiâ, & virium participatione, quas non conſeruarent niſi ſuo illi principio intermedijs alijs inhærerent. Quam autem ab eo efficientiæ partem poſſent decerpere, ſi totam non haberet? Quò ſpectat præclara Philonis philoſophia, plus etiam aliud quàm Plato, in Rege quærentis, cui ſufficere videbatur vt Philoſophiæ ſtudio vacaret. Sunt etiam,

*Virtutes regiæ, ex* Phil. l. 2. de vita Moſis.

inquit

inquit vir magnus, plures in Moſe virtutes Legiſlatoris, Pontificis, & Prophetæ. Rex enim iuber facienda, vetat omittenda, id verò legis officium eſt. Lex autem alia eſt humani, alia diuini iuris: hæc ad Pontificem ſpectat. Verùm Regi, Legiſlatori, Pontifici, quantumuis ſapienti, occurrunt quamplurima humanæ rationi non ſatis cognita, quo fit, vt ei prophetia neceſſariò ſit adiungenda; *Vt quicquid ratio non percipit, ſuppleatur diuinitus: quò enim mens non poteſt pertingere, eò prophetia peruenit.* Quæ verba Paulinam Hierarchiam ob oculos mihi ponunt, ex Apoſtolis, Prophetis, Doctoribus, Virtutibus, &c. conflatam, quas omnes dotes Apoſtoli complectuntur.

*Ex artificio & inſtrumentis ratione.*

Neque alia eſt Artificis & inſtrumentorum conſideratio. Hæc enim illius virtute tantùm agunt, ſiue careant anima, vt bipennis, ſiue per ſe moueantur, vt manus. Neque verò artifex ſecandi vim acutæ quantumuis ſecuri poteſt imprimere, niſi eam aliquâ ſaltem ratione in ſe contineat, illa quam ſæpe diximus, eminentia. Cum igitur inferiores omnes Ordines ſint ſupremæ poteſtatis participationes, & magni Hierarchæ, tanquam inſtrumenta, oportet vt quod cum ſubditis communicat, ipſe plenè & perfectè poſſideat; vt quod ipſe per ſe non poteſt exequi, transfuſa in alios virtute conficiat. Hoc clarè D. Thomas edocuit, ſumpto ex ædificijs exemplo, perquam apto ad Eccleſiam, quæ ædificari dicitur à Paulo per Hierarchicam diſpoſitionem, & cuius Apoſtolus ipſe, ſicut ſapiens Architectus, fundamentum poſuit. *In ædificio ſpirituali ſunt*, inquit, *quaſi manuales operarij, qui particulariter inſiſtunt curæ animarum; putà Sacramenta miniſtrando, vel aliquod huiuſmodi particulariter agendo. Sed quaſi principales artifices ſunt Epiſcopi, qui imperant & diſponunt, qualiter prædicti ſuum officium exequi debeant: propter quod & Epiſcopi, id eſt, ſuperintendentes dicuntur.*

S. Thom. quodl. 1. q. 7. a. 14.

*Ex antiquo Eccleſiæ vſu.*

Hoc verò in vſu Eccleſiæ ſemper fuiſſe docet præceptio Clementi à S. Petro data. Nam cum hic in Preſbyterorum officio poſuit, eſurientes reficere, ægros viſitare, peregrinos domo excipere, fidelium lites audire, & cætera caritatis obſequia: Diaconos verò ſuis & ipſos muneribus ornauit, diuinè, & ad propoſitum noſtrum aptiſſimè concludit, *Veruntamen ſcitote cuncti, quòd ſupra omnes vos laboret Epiſcopus: quia vnuſquiſque veſtrum ſuum proprium fert laborem, ille verò & ſuum & ſingulorum. Propter quod, ô Clemens, tanquam qui omnibus præeſſe te noueris, ſingulos (prout poteris) iuua, & ſingulos releua, qui & ſingulorum onus & ſolicitudinem portas.* Cui ſatis aptè reſpondet Concilij Carthaginenſis Canon, *vt Epiſcopus Gubernationem viduarum, & pupillorum, ac peregrinorum, non per ſe ipſum, ſed per Archipresbyterum aut per Archidiaconum agat.*

Clem. ep. 1. ad Iacob.

Concil. Cartha. 4. can. 17.

*Contemplatio & Actio Hierarchæ.*

Quamobrem ſapienter poſtulat S. Gregorius, vt Præſul ſit *Contemplatione ſublimis, Actione præcipuus.* Contemplatione inquam illa, quam per ſe ipſe obeat: Actione autem vel ſpiritali, quæ ipſummet deceat, vel corporali, quam minorum interiectu exerceat. Sic enim Apoſtoli ſecundarias quaſdam curas Diaconis mandantes, *Nos*, inquiunt, *orationi, & miniſterio verbi inſtantes erimus.* Sic Petrus eidem Clementi mandat, *Vt ſolius Eccleſiæ ſolicitudines ſuſcipiat, & veritatis verbo abundantiùs & ſtudioſius deſeruiat.* Sic idem Carthaginenſe Concilium edicit, *vt Epiſcopus nullam rei familiaris curam ad ſe reuocet, ſed lectioni, & orationi, & verbi Dei prædi-*

Act. c. 6.

Clemens. ep. 1.

Concil. Carth. vlt. c. 20. & 18.

*cationi tantummodo vacet, vt Epiſcopus tuitionem teſtamentorum non ſuſcipiat.* Eſſe autem felici copula iungendas inuicem ſorores iſtas, & è contemplationis culmine ad actionem deſcendendum, vt qui in monte Moyſes fuit, idem in planitie fiat Ioſue, docent Patres omnes vbicunque Hierarchæ officium tetigerunt.

Dion. c. 3. Eccleſ. in Contemp.

Nam vt à S. Dionyſio incipiam, Pontificis ab altari per vniuerſum templum cum odoris fragrantia profectionem, iterumque ad altare reditum, ſic explicat, vt oſtendi velit, diuinam illum ſcientiam cum ſubditis benignè communicare; rurſum tamen quaſi rerum multitudine ſolutum ac liberum, ad principium reuerti, & in monadem ſe ſe colligere. S. Gregorius quoque poſt multa de Rachele & Lia diſputata. *Debet*, inquit, *nos actiua ad contemplatiuam tranſmittere: & aliquando tamen ex eo quod introrſus mente conſpeximus, ad actiuam meliùs contemplatiuam reuocare.*

Greg. hom. 14 in Eze.
Augu. l. 19. de Ciuit. Dei. c. 19.

Sed explicatius S. Auguſtinus ſumpta ex ipſo nomine agendi neceſſitate. *Intelligat*, ait, *non eſſe Epiſcopum, qui præeſſe dilexerit, non prodeſſe. Quamobrem otium ſanctum quærit caritas veritatis, negotium iuſtum ſuſcipit neceſſitas caritatis. Quam ſarcinam ſi nullus imponit, percipienda, atque intuenda vacandum eſt veritati: ſi autem imponitur, ſuſcipienda eſt propter caritatis neceſſitatem. Sed nec ſic omnimodò veritatis delectatio deſerenda eſt, ne ſubtrahatur illa ſuauitas, & opprimat iſta neceſſitas.*

Hug. Vict. Erudit. Theol. l. 2. tit. 28.

Rem eandem Symbolo explicat Hugo noſter, Palmæ feminæ in marem inclinantis, ſeque mox in priorem ſtatum erigentis. *Sic ſpiritalis contemplatiuus ſentiens ſe fructum æternæ vitæ generaſſe, per actiuam ſe inclinat minoribus: ex quibus poſtquam prædicationis fructum receperit, iterum ad contemplationem reuertitur.*

Triplex officium Sacerdotum.
Ibid l. 1. tit. 28.

Qui idem eleganter antea dixerat, *Triplex eſſe officium Sacerdotum; deambulare, ſedere, docere. Deambulare de oue ad ouem, de morbida ad confractam, de confracta ad erroneam, de erronea ad valentem.*

Epiſcopus Legatus Dei & populi.
Idem l. 7. erudit. didaſc. in fine.

Sed alibi elegantiſſimè & planiſſimè Prælatum componit cum legato Cæſaris: cui duplex quaſi officium aſſignat, vt Cæſaris ad populum, populi ad Cæſarem legatione fungatur. *Sic & præfecti Dei, id eſt Prælati in Eccleſia legatione populi funguntur ad Deum vt obſecrent, ſiue legatione Dei ad populum vt iubeant. Aliud enim eſt officium Prælati, in quantùm eſt Legatus populi ad Deum: & aliud in quantùm eſt Legatus Dei ad populum. In illo officio, quo eſt populi Legatus erga Deum, deuotionem exhibere debet, vt eum oblationibus vt ſacrificio ſpirituali precibuſque placatum reddat: in eo officio, quo eſt Legatus Dei ad populum, ad ipſum pertinet ignorantes docere, errantes corrigere.*

Quintuplex Officium Epiſcoporū ex Guill. Pariſ. l. de ſacr. in Ord. c. 13.

Sed omnium diſertiſſimè Guillelmus item noſter, quintuplex officium Sacerdotale, ſeu poteſtates quinque dinumerat. Officium *interpellandi*, quod *maximè incumbit Epiſcopis, quia ipſi ſunt mediatores inter omnes alios & Deum*: officium *Sacrificium offerendi*: officium *Sacramentandi*, quod in ſolo Epiſcopo plenum atque perfectum eſt: quia minores Sacerdotes nec Sacramentum Confirmationis, nec ſacros Ordines, nec maiora Sacramentalia poſſunt impendere. Officium *docendi, Doctoreſque inſtituendi*, quod eſt prima clauis. Nam Epiſcopo in conſecratione dicitur, *Ite, prædicate populis*, quod vulgaribus Sacerdotibus non committitur. Docere enim & prædicare ſpeciale officium eſt Epiſcopi, alijs autem cum ſola animarum cura datur, tanquam curæ annexum.

Epiſcopatus, Apoſtolatus, & perfectum Sacerdotium

Denique *ligandi atque ſoluendi in vtroque foro* officium, quod eſt ſecunda clauis. *Et quia in ſolis Epiſcopis plenitudo poteſtatis, & iſtorum officiorum perfectio eſt: manifeſtum eſt Epiſcopatum plenum & perfectum eſſe Sacerdotium. Idem etiam eſt*

*Apoſtolicum*

*Apoſtolicum officium, ſiue Apoſtolatus. Quicquid enim Apoſtolis commiſſum fuit, totum commiſſum eſt & Epiſcopu.*

Sunt hæc igitur tum contemplationis, tum actionis Hierarchicæ membra, quorum meminiſſe debemus hoc loco, quod eſt alibi adnotatum, fundamentum, vim omnem, atque efficientiam in Dei vocatione & Chariſmatum communicatione conſiſtere. Nam Deus eſt qui *in Eccleſia poſuit Apoſtolos*; qui *dedit quoſdam Apoſtolos*: quibus & dixit aliquando, *non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos vt eatis*. Fuſè quoque probat S. Dionyſius, Pontificem alterius Pontificis conſecratorem, non ſuo ſed Dei inſtinctu ritus illos peragere, ſigniſque tantùm externis eum inaugurare, qui ſit interiùs iam à Deo per gratias & Chariſmata conſecratus. Non quòd ea conſecratione actu poteſtas non detur, quá ante ſolùm habebat in potentia, ſed quòd illa ſignificetur à Deo tota pendere, neque tam ordinantis Sacerdotis, quàm eligentis Dei donú eſſe ſupremam illam in myſticum Eccleſiæ corpus poteſtatem. Eadem ratione Paulus Timotheo Epiſcopalem gratiam à ſe datam ait *per prophetiam, cum impoſitione manuum Presbyterij*. *Quid eſt per prophetiam?* inquit S. Chryſoſt. *à Spiritu ſancto*, qui niſi Timotheum elegiſſet, Paulus non ordinaſſet. Ex eo ſenſu Vigilius Papa Auxanio Arelatenſi: *Quatenus ex ſequenti ordine Sacerdotij tua fraternitas ad Pontificalis proueheretur apicem dignitatis, & diuina in te electionis iudicium compleretur: ſicut ſcriptum eſt, Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum. Et iterum Doctor Gentium Apoſtolus Paulus, dixit. Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron.* Cuius vocationis & Chariſmatum defectus, in ijs qui ſe ipſos in ſactum faſtigium intrudunt, ſcelera illa parturit, quæ Cyprianus in Nouatiano, Synodus octaua in Photio, alij in alijs reprehendunt: quæ ſatiùs eſſe puto apud auctores ipſos legere, quàm veterum illorum verecundiam denudare.

*Dei vocatio & Chariſmata ad Epiſcopatum prærequiruntur.*

Ioan. c. 15.

1 Tim. 4.

Chryſoſt. hom 5. in ep. 1 ad Timoth.

Vigil. ep. 6 ad Auxa.

---

## *AD CONSTITVENDOS HIERARCHIÆ HVius Ordines declaratur in Hierarchia Doctores eſſe reponendos.*

## CAPVT XIIII.

TEMPVS eſt vt Ordines ſingulos luſtremus, ſed alio quàm in ſuperioribus Hierarchijs ordine, in quibus à ſummis ad ima deſcendimus, quòd eá ſit ratio benignorum influxuum, vt à potioribus ad inferiora deuoluantur: ſingulos autem huius Hierarchiæ ordines non pendere inuicem, ſed omnes immediatè Principi ſciamus eſſe ſuppoſitos: cumque ſua ſinguli poſſideant Chriſmata, Caritatem omnium ſupremam ſalutari conuenit, ad quam cætera omnia tanquam viæ graduſque deducunt. Itaque vt gradus hoſce firmiùs conſtabiliamus, id quod iam ab ineunte diſputatione pro conceſſo ſumitur, hoc commodè loco comprobamus: Doctores videlicet ſacros ab Eccleſiaſtica Hierarchia non eſſe extorres, ſed in ea iure optimo conſtitui: Eorum porro Hierarchiam nulla neceſſitate eſſe Ordinem, minùs etiam Iuriſdictionem: Hanc igitur Chariſmatum vnam ſupereſſe ad quam confugiant, in qua ſecurè, & ſumma cum dignitate morentur. Hic verò gaudebit in ſinu Aurelius, & diſcet quantùm Approbatoribus ſuis debeat, à

*Ordinis hic obſeruata ratio.*

*Petr. Aurelius agnoſcit Doctores eſſe Hierarchia.*

quibus tam facilè, tam ſine impenſis, ſine Archiuij Sorbonici tabulis per chartam & atramentum repente factus eſt Doctor Theologus, cum ipſe ſe præ modeſtia ſimpliciter Theologum nuncuparit. Atque vt ſe Hierarchiæ vindex in Hierarchiam insereret, *Doctores* vt antea notabamus, in eam inferre coactus eſt, licet Ordinis & Iuriſdictionis per ſe expertes; minoris æſtimans ſententiæ ſuæ, quàm dignitatis iacturam, & vtrunque inuerecunda contradictione peſſundans. Meus igitur eſt Doctor Aurelius; erit & Hallier in prouolutando Gratiano ſatis verſatus, ex quo non pauca ad doctrinæ meæ confirmationem argumenta produco, quibus hiſtoriam non omni ex parte otioſam præmitto.

*Doctores antiqua legis.*

Abul. in 4. Reg. c. 2. q. 9.

Pined de reb. Salo. l. 3. c. 28. Prou. c. 9. Eccl. c. 12.

3. Reg 4.

Nam in vetere inſtrumento, vt certiſſima tantùm commemorem, Prophetas, eorumque filios, id eſt diſcipulos, vt Samuëlem, Eliam, Eliſæum legimus inſtituendis in diuina lege hominibus præfuiſſe, & in oppidis Bethel, Iericho, Rama congregaſſe diſcipulos, *habentes vitam Religioſam*, inquit Abulenſis, *qui volebant eſſe perfectiores reliquis de populo, & conueniebant in locum vnum, vbi erant propheta, & ibi vacabant doctrinæ eorum, & laudibus Dei.* Salomon autem ſapientiæ Antiſtes, ſeptem Ieroſolymis aut gymnaſia, aut ſcholas extruxit, vt non incommodè ex illo eius dicto Pineda noſter deducit, *Sapientia ædificauit ſibi domum, excidit columnas*, id eſt thronos ſiue cathedras *ſeptem*, in quibus ipſe per ſe *cum eſſet ſapientiſſimus Eccleſiaſtes docuit populum; & enarrauit quæ fecerat, & inueſtigauit parabolas multas* in celebri ornatiſſimorum auditorum corona: ſiquidem *veniebant de cunctis populis ad audiendam ſapientiam Salomonis. Habuitque illa ætas* (vt S. Hieronymum accommodans Pineda ſubijcit) *inauditum ſeculis omnibus celebrandumque miraculum, vt vrbem ingreſſi, Salomonem Hierarcham potiùs quàm Hyarcham, in throno ſedentem aureo, de natura, de motibus ſiderum, deque rebus diuinis audirent docentem.* Reuerſis deinde poſtliminio è captiuitate Babylonica Iudæis, *Eſdras Sacerdos Scriba legis Dei cæli doctiſſimus*, eam Simoni Pontifici Synagogæ præfecto tradidiſſe dicitur, quæ per Antigonum, Hillelem, Samæum, & innumeros alios ad Simeonem Iuſtum deuoluta legitur, eum qui Chriſti vidit & adorauit infantiam, in quo Academiæ Iudaïcę ſceptrum defeciſſe aiunt. Circa id tempus extiterunt duo illi nobiles, Iudas, & Mathias, *doctiſſimi Iudæorum, & interpretes patriæ legis præſtantiſſimi, ob idque cari populo, quòd iuuentutem diſciplinis inſtituerent. Toto enim diebus eis dabant operam, quotquot cupiebant in virtute proficere.* Hos magnæ Synagogæ viros appellant Iudæi, quibus ſine dubio addendus *Gamaliel Phariſæus, legis doctor honorabilis vniuerſæ plebi*, ad cuius pedes Paulus eruditus fuit. Illos Scribas & Phariſæos certum eſt extitiſſe, quorum diſcipuli in Academijs docendi munus, & auctoritatem vſurpandarum parabolarum, quaſi gradum quendam literarium accipiebant à ſenioribus Sanhedrin, vel à Concilio Scribarum ipſorum, & Phariſæorum, vt auctor eſt idem Pineda, poſt Serarium. Quorum Academia cum reprobaſſet doctrinam Chriſti, requiſierunt ab eo *in qua poteſtate hæc facis?* Earundem quoque Academiarum non obſcura in Actis Apoſtolicis mentio, vbi Synagogæ numerantur, ſiue Collegia quinque, & ex ijs ſcholaſtici cum Stephano diſputantes.

1. Eſdr 7. Galat. l. 1. de Arcan. c. 2. Ioan. Reucl. l. 1. Cabalæ.

Ioſeph. li. 17 Antiq. Iudaic. c 8.

*Gradus literarum apud Iudæos*

Serar. in Rabbino priori. c. 20 &c. Pined. l. 3 de reb. Salom c. 16.

Matt. c 21 Act. c 6.

*Noua legis Doctores.*

Act. c. 13.

Ad hanc porro formam naſcentia Eccleſiæ incunabula Doctores viderunt Antiochiæ, quos inter Paulus annos ipſos duodecim verſatus ad difficillimum Apoſtolatum ſe ſe exercuit. Alexandriæ quoque *veteri conſuetudine à*

Marco

*Marco Euangeliſta, Eccleſiaſtici ſemper fuere Doctores*: quotum aliquos recenſet Euſebius, interque cætera Origenem narrat diſcentibus, conſulentibus, à prima luce ad profundam veſperam aduentantibus imparem, Heraclæ probatiſſimo viro *tradendi prima elementa incipientibus officium delegaſſe, ſibi perfectiorum inſtitutione reſeruata*. Ita (quod non inuenuſtè VValdenſis ad ritus noſtrates transfert) Doctorem habebat illa ſchola primarium, qui magna & obſcura prouectis explanaret: *habebat ſubdoctorem, quem Bacalarium appellamus, qui ſecunda pertractabat, virum approbatum ſcientia*. Neuter autem ſua ipſe voluntate in hoc officium intruſus fuerat, ſed omnis ea poteſtas in maiores à Marco, in Origenem ab Demetrio Epiſcopo fuerat deuoluta. Quod inſtitutum Romam transferre conatus eſt Caſſiodorus, ſed feliciùs in Galliam ex Anglia Carolus Magnus eduxit, Academia Pariſienſi per Anglicanos Monachos Alcuinum, Rabanum, Ioannem Scotum erecta & ſtabilita: quæ deinde vt nobiliſſima ingenij & doctrinæ patens ex ſinu ſuo çæteras penè omnes tota Europa profudit. Hic nimirum informantur ſacris ſtudijs iuuenes, *qui cum Docti fuerint in Dei Eccleſia velut ſplendor fulgeant firmamenti, ex quibus poſtmodum copia poßit haberi Doctorum, qui velut ſtellæ in perpetuas æternitates manſuri, ad iuſtitiam valeant plurimos erudire*. In quîs delecti nonnulli licentiantur & accipiunt poteſtatem docendi, ait S. Thomas. Nam collatio Doctoratus, eſt quædam auctoriſatio, & declaratio, quæ declarat illum dignum ad officium doctrinæ, & dat auctoritatem vt doceat. Ex iſtis eligitur *à Prælato cum Capitulo, ſeu maiori & ſaniori parte Capituli Theologus in Metropoli Eccleſia, qui Sacerdotes & alios in ſacra pagina doceat, & in his præſertim informet quæ ad curam animarum ſpectare noſcuntur*. Cancellarij Pariſienſis munus hoc olim fuiſſe, multis demonſtrat exemplis Claudius Hemeræus Theologus Pariſienſis, recenti nec parum exquiſito de Academia Pariſienſi tractatu. Hîc autem quia nemo ſtipendijs ſuis militat, & aliquammultos à tam vtili munere, paupertas auocare poteſt, Eccleſiaſticis prouentibus ſuſtentari & dotari iubentur, vt videbimus. In hac enim hiſtoria diſputationis meæ latent ſemina, quæ ſic in apertum educo.

*In ſchola Alexandrina duo doctores.* Euſeb l. 6. hiſt. c. 5. Ibid. c. 21. Wald. l. 2. doctri. fid. a. 3. c. 67. Vid. Duar. l. 1. de ſacr. Eccl. min. c. 15. Extra. de Magiſt. c. Super ſpecula. S. Thom. quodl. 3. a. 9. Gloſſa. in Clement. Cum ſit nimis. Extra. de Magiſt. c. Quia nonnullis. Heme. l. de Academ. Pariſ. c. 7.

Omnis ſacer Ordo & ſtatus, publica ſiue Hierarchica auctoritate conſtitutus ad conſummationem ſanctorum, in ædificationem corporis Chriſti, qui finis eſt Hierarchiæ, per actus Illuminationis & Perfectionis Hierarchicæ perficiendam, Hierarchicus eſt, vt qui optimo iure. Dicant enim ſi qui ſe huic ſententiæ volent opponere, quid aliud ad poſſidendam Hierarchiam Hierarchizantem deſideretur? Simul etiam oſtendant quæ tandem conditionum iſtarum abſit à Doctoribus, quos vel ob hunc finem ſolum in Hierarchiam Paulus retulit. Sunt igitur in eam Doctores non tantùm Apoſtoli auctoritate, ſed certa etiam ratione inferendi. Equidem ſi res vtilitate penditur, vix vlli ſacro muneri poſt Hierarcham plus arbitror Eccleſiam debere, quàm Doctoratui Theologico, vnde promitur *omnis armatura fortium* aduersùs hæreſes & vitia bellantium. Qua in opinione conſtantem reperio Panormitanum, vbi quærit, nunquid Monachus, ſeu alius Religioſus poſſit aſſumi in Magiſtrum? Reſpondet, ſi ſe ipſe ingerit, repellendum: ſi poteſtate atque auctoritate ſuperiorum aſſumitur, admitti debere, & promoueri *ad hoc officium docendi, quod redundat in vtilitatem totius Eccleſiæ vniuerſalis*. Neque id tantùm, ſed *magis*, inquit, *proficit Eccleſiæ vniuerſali Doctor in legendo, quàm ſimplex Curatus in*

*Ex præmiſſis conficitur argumentum.* Panormit. in c. Quia nonnullis. De Magiſtris.

*Sacramenta miniſtrando. Quod ſatis euidenter colligitur in c. Cum ex eo. De electionib. l.6. vbi propter ſcientiam capeſſendam, diſpenſatur cum Curato, vt per ſepsennium poſſit ſe abſentare. Si ergo Religioſus poteſt promoueri ad Curam, ergo potius ad officium docendi, & maximè ſcientiam quæ habet in ſe pietatem.* Auguſtam quoque Theologicæ laureæ dignitatem, maieſtatemque magnificè nobis alio in ſchemate repræſentar Rebuffus, dum negat Religioſo homini Doctoratus in Theologia aut Iure Canonico titulum debere concedi; ne forte illo auctus inſoleſcat: ideoque vocari à Pontifice Religioſos, Profeſſores non Doctores. Quæ opinio Aduocati, quam ſublimiter Doctorales infulas effert, tam humiliter Religioſorum virtutem deprimit, vt quæ in alto non poſſit conſiſtere; & in ſumma doctrina oſtendere, quid poſſit animi verè Chriſtiani demiſſio. Laborant igitur & Hierarchiæ finem glorioſis actionibus promouent Doctores, quos proindè nemo rerum æquus arbiter, ab Hierarchia deturbandos eſſe cenſuerit.

Rebuffus Prax. Ben. p.2. de Diſ. cum Reg. n.27.28.

*Docendi auctoritas ab Hierarcha prodit.*

Diſt.36. C. Qui Eccleſiaſticis. Felix IV. ep. ad Cæſ. Arelat.

Deinde nihil magis Hierarchicum eſt, quàm Perfectio & Illuminatio, nihil magis Hierarcham ſpectat, quàm docendi munus; ideoque, *qui Eccleſiaſticis diſciplinis per ordinem non eſt imbutus, ad ſummum Eccleſiæ Sacerdotium aſpirare* prohibetur: & ſacrarum literarum peritiam Epiſcopo neceſſariam eſſe fuſiſſimè demonſtrat Gratianus. Quare Laïcos ante probationem ad Sacerdotium promoueri vetant Canones. *Unde* enim *magiſter qui elementorum ignorat initia? Unde gubernator qui inter nautas ſeruitia ſua non monſtrauit?* Hanc verò doctrinam ſolus ipſe per ſe tradere non poteſt omnibus: proindeque neceſſarium eſt vt alijs vices ſuas deleget, eiſque quam habet docendi poteſtatem, & auctoritatem concedat. Eam Demetrius Origeni, Origenes Heraclæ tranſmiſit; & in Concilio Viennenſi Epiſcopus, qui omiſſa quadam iuriſiurandi formula *honorem cuiquam tribuerit*, iubetur *à collatione Magiſterij ſeu Doctoratus cuiuſlibet per ſex menſes ſequentes eſſe ſuſpenſus.* Quæ omnia fuſiùs probata apud laudatum Hemeræum reperies, & Pariſienſis Eccleſiæ ſcholas, ab Epiſcopis perdiu, deinde ab Cancellarijs, Epiſcoporum auctoritate celebraras, ferreis etiam ſeculis non ſine voluptate leges. Denique Vniuerſitates in quibus ea literariorum magiſtratuum inſignia conferuntur, ſine auctoritate ſupremi Hierarchæ non poſſunt erigi. Sic ergo colligo. Diſpenſare ſacra myſteria & legẽ diuinam populo explicare, facere ſtellas quæ fulgeant vt ſplendor firmamenti, Perfectoris & Epiſcopi munus Hierarchicum eſt: atqui hoc ipſum efficiunt ex officio, & publica auctoritate Doctores; exercent igitur ex officio, Hierarchicum & Epiſcopale munus. Poſt illa, tam excelſi muneris vicarios Aureli & Hallier ab Hierarchia ſultis amandate, & in patientium ordinem redigite. Quanquam id etiam vetabit ſequens ratio.

Clement. de Magiſt. C. Cum ſit nimis.

*Hierarchica auctoritate Vniuerſitates eriguntur.*

*Secunda ratio colligitur.*

Ex Eccleſiæ bonis ſtipendium ijs ſolis conferri debet, qui functiones ſacras & Eccleſiaſticas obeunt; quale ſtipendium decerni Doctoribus nemo neſcit: eos igitur ſacra obire munia fatendum eſt. Titillat te hoc argumentum, Franciſce, quo felix ille dies in memoriam reducitur, quo die aureum illum librum vel ſcribere ſpopondiſti, vel ſcriptum in vulgus edidiſti. Quanquam vtiliores aliquos labores in Eccleſiam conferri poſtulant Pontifices, ab eo qui beneficio vel penſione locupletetur, cum iubent vt *Magiſtro qui Clericos, & ſcholares pauperes gratis doceat, competens aliquod beneficium præbeatur.* Vt *aſſignetur cuilibet Magiſtrorum à Capitulo vnius Præbendæ prouentus.* Vt *docentes in Theologia*

*Tertia ratio. Eccleſiaſticis prouentibus dotari Doctores.*

Extra. de Magiſt. c.1. Quoniam. Ibid. c.4. Quia nonnullis.

*facultate*

*facultate dum in ſcholu docuerint, percipiant prouentus prabendarum, & beneficiorum ſuorum; cum denario fraudari non debeant in vinea Domini operantes.* Hæc cum audis, Lector, puras-ne homines illos nullum in agentium Hierarchia locum eſſe ſortitos?

Ibid c.5. Super, ſpecula.

Video quid opponere poſſit Gratiani ſtudioſus Doctor Hallier (nam Aurelius in antiquis Canonibus totus eſt, nouos quid moretur?) hæc Pontificum & Conciliorum decreta Grammaticis æquè Magiſtris, vt Theologis profeſſoribus gratificari, quos tamen aut annumerare Doctoribus, aut in eminenti Hierarchiæ gradu collocare abſurdum eſſe videatur. Sed meminerit Hierarchiæ rationem ſecundùm analogiam, & pro modulo à ſingulis ordinibus participari: neque maiore interuallo diſtare Grammaticos à Theologis, quam Oſtiariùm ab Epiſcopo, vel Gubernationes & Opitulationes ab Apoſtolis & Prophetis. Reperat Origenis & Heraclæ diuiſa officia, quorum ille vt monuit VValdenſis, *maiora & peritiora exponebat, hic apud inferiores diſcipulos in minoribus vices explebat doctorales.* Da ſi vis Alcuinum, qui *à Prælato & ſaniore parte Capitali* pueros Grammaticis ſtudijs initiandos aſſumat, idque faciat ad Eccleſiæ vtilitatem & ædificationem, inque eam rem de altari viuat, & Crucifixi artabis ſuſtentetur: ei-ne legitimam auctoritatem, an eius labori aliquod rei Chriſtianæ compendium & commodum denegabis? Pro captu ergo & artis & diſcipulorum ſuorum Hierarchizat, eò vtiliùs quò minùs ſpecioſè. Atque puerilem hanc inſtitutionem quanti æſtimarit Eccleſia, patet ex his ipſis quæ opponuntur. Quid autem amplificandæ Eccleſiæ collatura ſit vel vna peregrinarum notitia linguarum, docuit Clemens V. in Viennenſi Concilio, cum in Academijs, Romana, Pariſienſi, & quibuſdam alijs, earum ſcholas erigi iuſſit, & illis Magiſtros præfici, qui *alios linguas ipſas ſolicitè doceant, earumque peritiam ſtudioſa in illos inſtructione transfundant: vt inſtructi & idonei ſufficienter in Linguis huiuſmodi, fructum ſperatum poſſint (Deo auctore) producere, fidem propagaturi ſalubriter in ipſos populos infideles.* Hoc verò munus Hierarchicum eſſe monſtrauit antea, cum præfatus eſt illius exemplum imitari ſe, *qui ituros per vniuerſum mundum ad Euangelizandum Apoſtolos, in omni Linguarum genere fore voluit eruditos.*

*Etiam Grammatices Magiſtri ad hunc ordinem ſpectãt.*

Wald. loco cit.

*Magiſtri peregrinarum Linguarum.*

Clement. Inter ſollicitudines. D. Magiſtris.

Iam verò perfacile eſt, quod ſecundum propoſuimus, oſtendere Doctoribus iſtis aliam quàm Iuriſdictionis, aut Ordinis Hierarchiam eſſe quærendam. Nam Canonici quidem Iuris Interpretes coniugio, & ſecularibus curis implicatos quotidie videmus. Theologos autem nullo conſecratos Ordine Academiæ non admittunt ad pileum. Rectè profectò, & conuenienter; ſed non ex rei natura neceſſariò. Et nota omnibus Sorbonici decreti ea de re nouitas & cauſa. Nam ſi Chriſtus Apoſtolos, Eccleſia Epiſcopos ex ipſo coniugum ſinu quondam aſſumpſit futuros Theologiæ Epoptas, & populi Chriſtiani perfectores; quod eſt adeo arctùm in rebus iſtis vinculum, vt Theologici magiſterij inſignibus donati non debeat, qui priùs Eccleſiaſticis Ordinibus non ſit conſecratus? De Iuriſdictione autem quid dicent Aduerſarij, cum Doctoribus nulli ſint determinati ſubditi, cum non ſint *pars Eccleſiæ capitalis* Aureliano ſenſu; cum neque maiores, neque *minores Epiſcopi* fiant, ſola pilei donatione? In hac igitur Hierarchia fauente Aurelio, non repugnante Franciſco Hallier reponantur.

*Hierarchia Doctorum non è Iuriſdictione aut Ordine.*

## *HIERARCHIÆ CHARISMATUM TERTIUS Ordo, qui eſt Doctorum Canonici Iuris breuiter exponitur.*

## CAPVT XV.

*Doctorum Canoniſtarum commendatio.*

FERCVLVM Salomonis & ſellam Eccleſiæ curulem, ex qua ſubditos in ſanctitate & iuſtitiâ gubernat, qui Canonum ſcientiam appellauerit, is meo iudicio eius facultatis naturam non infideliter expreſſerit. Nam cum legibus ſuis, tanquam columna & deſtina, ſtabiliatur vnaquæque Reſpublica, Eccleſiaſtica autem præſidentem Concilijs Spiritum Sanctum, & in ijs ſedentes viros pietate doctrinaque præſtantes habeat, quis dubitet quin ijs regi debeat Chriſti Eccleſia, ſecundum eas Eccleſiaſticæ lites & controuerſiæ terminari? Eas porro qui aſſeruant, qui promunt in tempore, qui ſapienter explicant, Canoniſtæ ſunt, Hierarcharum in iudicijs adſeſſores, in Synodis conſiliarij, in dubijs apocriſarij, ſupra Papinianos & Tribonianos & Scæuolas periti & ſapientes.

*Canoniſtarum cum Thronis Angelicis comparatio.* ex S. Bona. l. de Hier. Eccl. 1. P. c. 4. *Ioan. Chry. inter Thronos in cælo.* Soph. Pra. ſpir. c. 128. Baron. ad an 407 *Thronorum præclara dotes.*

In Hierarchia noſtra Thronis Angelicis ſimillimi, *in quibus diuina iuſtitia potiſſimè requieſcit, per quorum miniſterium diuinæ æquitatis excellentia benignè & ſapienter iudicans vniuerſa, hominibus innoteſcit.* Certè apud Sophronium Adelphio viro ſanctiſſimo reuelatum legimus, S. Ioannem Chryſoſtomum *pœnitentiæ ducem* in cœlo aſſiſtere, *vbi Thronus eſt Domini*, videlicet inter Angelos Thronos: quem locum non dignitate Patriarchatus, non vigilantia paſtorali, non Catholicæ Eccleſiæ amplificatione, non priuatis virtutibus, quæ in præſtantiſſimo viro fuerunt eximiæ, ſed pœnitentiæ prædicatione & pœnitentialibus canonibus adeptus eſt. Scio equidem confutari in Annalibus eam viſionem, ſed præcipua aduerſarij ratio noſtra hac notatione diluitur. Sunt ergo Canoniſtæ Doctores Throni ignei, vel flammei, *quoad perſpicuitatem cognitionis, & feruorem caritatis*: eburnei *propter munditiam cordis & candorem innocentiæ caſtitatis*, quam etiam in alijs ingenerare conantur: gemmei *quantùm ad mentis conſtantiam, & patientiæ firmitatem*, in cordis frangenda duritie, & peccatis populi per ſacramentum Pœnitentiæ cum infinito faſtidio deuorandis. Quibus in gemmis cenſetur Iaſpis, *gemma fugans phantaſmata, & illos ſignificans qui tentationes dæmonum ſuperant, & ipſorum phantaſticas vincunt illuſiones.* Nubei *per compaſſionem & pietatem, in quibus Dominus reſidens, velut de quibuſdam nubibus pluens, per ipſas ſubuenit miſerijs afflictorum.* Aurei *per incorruptibilem iuſtitiam, & inflexibilem æquitatem.* Ab omni extremitate remoti, *& hoc refertur ad virtutis mediationem, ſiue virtutis in medio exiſtentis electionem, quam viri ſancti Angelorum exemplo eligunt,* (& alijs ſuadent,) *& ab extremitate vitiorum ſe ſubtrahentes, ad virtutis medium tendunt,* cæteroſque deducunt, *in medio ſe tenent, qui omnibus indifferenter ſine acceptione perſonæ iuſtitiam exhibent.* Dices Chriſtianorum genios, ſi genium Socratis recoles ab infortunio auocantem. Eccleſiæ oracula vocabis in vmbilico ſita, ſi Delphicum Apollinem cogitabis de dubijs perplexiſque negotijs reſpondentem. Pontificum rationale appellabis, Vrim & Thumim exhibens, ſi memineris eorum doctrinam in ſtudijs, veritatem in reſponſis.

Quid

Quid mihi leuiorem in rebus Theologicis Canoniſtarum auctoritatem eſſe obij.is? Quid ab ijs iactas non pauca peccari, parum conducere Gratianum, & Gloſſarum auctores ad controuerſias fidei diiudicandas? Tam es humanitatis oblitus, vt omnis te in pulchro corpore næuus offendat? Vt pia Gregorij Pontificis indulgentia te non moueat, qui viris illis pijs & Catholicis ignoſci cupit quòd errarunt, aut quòd nondum à ſacris Concilijs definita, liberiùs enunciarunt? Fateor equidem Canoniſticæ huius ſcientiæ lampadem & ſolem eſſe Scholaſticam Theologiam, neque qui verè Theologus non ſit, perfectum eſſe poſſe Canoniſtam. Sed ludibria & ſannas Petri Aurelij, de quibus poſtea, viros graues & eruditos mereri, non cenſeo. Et poſſum ſine dubitatione mihi conſentientem ſperare Doctorem Hallier, cuius Theologiam Canonum ſcientia inſtruit, & à ſe Gratianum *præ manibus ſæpius teri*, ex quo Concilia nobis & Canones veterum Pontificum educit, non ſine grati animi ſignificatione confitetur.

*Excuſantur Canoniſtæ.* Vide Iac. Duaren. Piæ in l. de *ſacris Ecc.* Miniſtris. Greg XIII. Bulla, Cū pro munere. præfixa Gratiano.

*Fr. Hallier lector ſedulus Gratiani.* in Append. ad vin. p. 785.

Enimuero de iſta Theologia ſic habeto Lector. Cum omnis Chriſtianorum vita in credendo & agendo verſetur, Theologiam, quæ Scholaſtica dicitur, in diuinorum myſteriorum commentatione ſitam eſſe, noſque efficere *paratos ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti nos rationem de ea, quæ in nobis eſt, ſpe.* Illam autem quæ Moralis & eſt & vocatur, *fidem ex operibus conſummare*, & docere quomodo *abijciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis*, ſiue *declinemus à malo, & faciamus bonum.* Vtrunque iſtorum iure duplici contineri, Naturali & Poſitiuo. Siquidem aliquid naturâ ſuâ bonum, malum-ve eſt, atque adeò diuina lege prohibetur: aliud ex ſe ſe magis quidem indifferens, ſed ad rectam publicæ rei adminiſtrationem conuenit ita fieri, aut caueri. Legum itaque latoris eſt decernere quid his in rebus licere velit, quid ſecus; propoſitis etiam pœnis, quibus & delinquentes plectantur, & peruicaces coërceantur. Et hæc mala eſſe dicimus, quia vetita. Eius præterea boni aut mali, quod ex natura pendirur, in veterum quidem philoſophorum libris de Officijs, quos imitatur S. Ambroſius, ſed longè commodiùs in Ariſtotelieis Moralibus, & ſecunda S. Thomæ parte principia & cauſas vniuerſales explicari: quibus rite & ſapienter adhibitis, actio quælibet humana à nobis ſecundùm rectæ rationis regulas exigatur. Sed nimirum illud efficere cuiuſuis non eſt, & generalia principia rebus omnibus particularibus applicare. Studium igitur deinde requiritur eorum hominum, qui propriùs actionem dirigant, & principia illa, tanquam cynoſuram, in cœlo rationis fixam perpetuò ſpectantes, priuatas ex ijs concluſiones eliciant, quæ in vaſto vitæ huius Oceano, inter ſyrtes & ſaxa, inter tempeſtates & piratas nauigantibus, curſum oſtendant & portum. Hæc eſt Aurelianæ cauſa calumniæ, qua dicuntur *ſummam S. Thomæ recoquere ac refingere, inopum cauponum inſtar*: quàm imperitè & improbè iudica Lector, ex eo quòd Tractatores iſti, primò illi officio, quod pene cum Scholaſticis Theologis commune habent, illud addunt proprium, vt ius ab Eccleſia conſtitutum, & Canones, rem difficilem, variam, & non omnibus peruiam, interpretentur. Itaque faciunt illi quod in Socrate tantopere laudarunt veteres, Theologiam deuocant è cœlo, & in vrbibus, in domicilijs, in negotijs, in templis collocant. Id faciunt quod poſt Euclidem Mathematici, poſt Hippocratem Medici, poſt Ariſtotelem Philoſophi, poſt Ciceronem Rhetores; quos nemo vnquam arguit res eas aut expoſuiſſe apertiùs, aut cer-

*Quæ ſit moralis Theologia.*

1. Pet. 3.

*Quomodo poſt S. Thomam neceſſaria ſit Canoniſtarum doctrina.*

*Aurelij calumnia in Canoniſtas.*

tis locis, temporibus, perſonis definiuiſſe, quas illi cuiuſque facultatis principes infinitè, adeoque ſpiſſiùs de vniuerſo genere tractauerunt.

*Quanta ſit eius Theologia neceßitas.*

Quid autem huius ſcientiæ profeſſores humano generi contulerint, & in horas conferre non deſiſtant, nulla ſatis explicare poteſt oratio; cum ab ijs expiandarum, regendarumque animarum ratio ſumatur. Neque verò ignorare poteſt anima vetuſtatis Aurelius, quantùm antiqui Pontifices Canonibus inhæſerint mordicitus; quantopere illam cognitionem & obſeruantiam commendarint, quàm ingens de vno Nicæni Concilij Canone inter Zoſimum Papam, & Africanos Epiſcopos diſputata ſit controuerſia: quam ſæpe in Concilijs ipſis ad Canones prouocatum ſit. Nimis illuſtris eſt Conc[illegible] Carthaginenſis Canon, vt eum præterierit, quo decernitur in ordinandis Epiſcopis vel Clericis, vt priùs ab ordinatoribus ſuis decreta Conciliorum eorum auribus inculcentur, ne ſe aliquid contra ſtatuta Concilij feciſſe aſſerant. Etiamnùm Romæ tanto ea ſcientia in pretio eſt, vt ipſi Antiſtites, & Eccleſiæ purpurati ſe Canoniſtas, quàm ſubtiles Theologos eſſe malint & cen[illegible]. Neque minùs Sacerdotibus commendatur, cum illæ ipſæ leges Eccleſiaſticæ Parochum, aut quemuis alium Epiſcopo inferiorem, à Reſidentia in plures annos eximant, vt iuris Canonici cognitionem poſſit aſſequi. Quam curam Patres Tridentini reuocarunt decreto, vt alumni Seminariorum, inter cætera *Sacramentorum tradendorum, maximè quæ ad confeßiones audiendas videbuntur opportuna, & rituum ac cæremoniarum formas ediſcant.*

Vide Rad. Tung. l. de Obſer. can. propoſ. 3.

Concil. Carth. 3. can. 5.

Syluest. V. Reſidentia q. 7.

Concil. Trid. ſeſſ. 23. c. 17. de Reform.

*Quanto ſtudio in Academia Pariſienſi culta ſit.*

Claud. Hemet. l. de Acad. Pariſ. c. 5.

Idem eſt modò, fuitque ſemper nobiliſſimæ Pariſienſis Academiæ in eam doctrinæ Chriſtianæ partem animus, vt in ijs videre eſt quæ tradit in exquiſito libello Hemetæus, longè ante tempora Gregorij IX. Ponti[illegible]cis maximi viguiſſe in ſcholis Clauſtri Pariſienſis Eccleſiæ, Iuris Canonici ſcientiam, quam vnus è Canonicis Decretorum Doctor traderet; ſed eam cum cæteris diſciplinis trans pontem ad cliuum Genouefianum migraſſe, tanto ambitu, vt deſertis Clauſtri ſcholis, vetuſtateque penè obſitis, Cancellarius matricis Eccleſiæ, collabentem eius ſcientiæ apud ſuos gloriam ſuſtinere voluerit, iuramento ſolenni ac publico, Theologiæ ac Decretorum pilei candidatos adigens, ad Canonum decreta in ſolis Clauſtri ſcholis explicanda. Quod cum tranſpontanis Academicis iniquum videretur, iudicio apud Gregorium IX. ſuæ illius Scholæ ius & honorem repetijſſe: non facturum omnino, ſi vi[illegible]s ac reijcula eſſet ſanctiſſimorum Canonum diſciplina. Sic autem progreſſu temporis corroboratam in Academia Genouefiana eandem lectionem, vt iam illi Canoniſtæ Doctores ſoli & eſſe & haberi vellent, eumque honorem quaſi præſcriptionis iùre Canonicis eriperent. Hos tamen illud ſtudium, repetundarum lege in ſcholas Epiſcopales reuocare appetentes, & Senatus Pariſienſis conſulto, & Clementis VII. decreto euiciſſe, vt *Canonici Pariſienſes poſſent legere decretum in ſcholis Clauſtri, & per lecturam Regentes haberentur, & eorum auditores iure & immunitate Scholaritatis vterentur.* Quam contentionem, cum ne ipſa quidem diſceptatrix Petri Lombardi Theologia paſſa ſit, eaque ſine vi, nemine manum inijciente, ab Magnæ Baſilicæ Parauiſo, ad Sorbonicas Nauarræaſque Scholas euolarit, quis dubitat maiores noſtros minùs ad hoc ſtudium, quàm ad illud fuiſſe propenſos?

*Wicleffus ius Canonicum euertit.*

Et tamen vt phreneticos medicina, ſic homines aliquos ſalubris illa ſcientia patitur aduerſarios, & in ijs maximè VVicleffum & Aurelium, quorum ille

ille ad omnem proiectus audaciam academicis olim inclamabat, *Decretales Epiſtolæ ſunt apocryphæ, & ſeducunt à Chriſti fide; & Clerici ſunt ſtulti qui ſtudent eas.* Hic rectioribus ſcommatum & contemptus cuniculis eandem labefactate conatur, cum ait: *Dicant Canoniſtæ quàm volent.* Aut illud in odium Ieſuitarum: *Non ea vis Summarijs iſtis ſarcinarum textoribus. Immenſum leuiſſimorum ſcriptorum examen, quaſi odioſa veſparum aut tabanorum acies ſyncero doctrinæ melli, & oculis doctorum infeſta ſeſe profudit.* Atque illud intolerandi contemptus, *Maximè intolerandi ſunt illi Theologiæ Moralis, Inſtitutionum Moralium compilatores, in quibus nihil habet, niſi meros fucos, vulgatiſſima Cantica, elementa quotidiana ſcholarum.* Lubet primùm de nomine cum Grammatico velitari. Summiſtas & Summarios credis eſſe Canoniſtas? Non ita Claudius Hemeræus Pariſienſis Academiæ in ſcriptis inſtaurator, cuius ea ſententia eſt, à rebus theologicis, quæ auditoribus traderentur, impoſitum Magiſtris nomen Sententiariorum, quòd primò è ſententijs Patrum conflatæ eſſent: & à Summis Theologicis, Summiſtarum: primumque Patrum ſententias collegiſſe Hugonem Victorinum, & *Summam ſententiarum* edidiſſe. Petrum autem Abaillardum *ſacræ eruditionis Summam* conſcripſiſſe, quæ ſit Introductio diuinæ ſcripturæ. Ita duobus Theologorum generibus, quos primùm vidit Pariſienſis Academia, Biblicis, & Sententiarijs, Summiſtarum ſeu Summariorum nomen conuenire, non autem Canoniſtis.

Concil. Conſt. ſeſſ. 8. prop. 38.

*Canoniſtæ miriſicè contemnit Petrus Aurelius. p. 753. 514. 516.*

*Summiſtarum nomen male acceptu.*

*Sententiarij & Summiſta qui?* Claud. Hemer. l. cit. c. 5.

Sed hæc reduuia eſt, quam curamus in eo cui cor & caput dolet. Quid putas cauſæ eſſe, Lector, cur tam effetatum & immane in hoſce doctores odium conceperint VVicleffus & Aurelius; atque hic præcipuè qui nihil niſi *Canones paſſim* inflatis buccis perſonat? An fortaſſe vt aquæ limpitudinem turbare neceſſarium habet camelus, ne fœda dorſi verruca appareat; ſic iſtis volupe eſt lumen, quo animi receſſus explorantur extinguere, ne turpes animi ſui maculas vel ipſi, vel quiuis alius agnoſcat? Puerile quidem luſionis genus eſt, vt cum faciem manibus obduxeris, putes à nemine te videri, quia nihil ipſe perſpicias. Sed & crudelis inuidentia, vt cum oculos ipſe tibi effoderis, oculatum feras neminem. Quanquam in huius conatu & inſtituto diſpicere mihi videor aliquid, quo ſe tanta iniuſtitia tueatur. Nunquid enim iure ſuccenſet Chriſtianæ caritatis officia monſtrantibus, qui penitùs illam peſſundare in animum induxit ſuum? Mendacia *vanitates & inſanias falſas* aperientibus, qui ſe totum calumniæ poſſidendum tradidit? Inter iuſtitiæ opera famæ & exiſtimationis reſtitutionem impetantibus, magis, quàm pecuniæ, qui non hominem, ſed Religioſum Ordinem vniuerſum; non profanos & laïcos, ſed Deo dicatos homines; non ſolitarios, & ſibi vnis vacantes, ſed in media hominum luce & vtilitate viuentes, honore & fama quantùm poteſt deuoluit: idque non rebus exigui momenti detractis, ſed doctrina hæreticos, vita moribuſque perditos eſſe, quæ duo erant alienæ ſalutis inſtrumenta, ſuadendo palam omnibus, libro edito, qui & huic ſeculo, & longè ampliùs poſteritati nociturus eſſe videatur? Abſque illa reſtitutione peccatum remitti poſſe negantibus; lethali noxâ conſtrictum hominem ad panis viuifici participationem accedentem immani ſe ſacrilegio polluere affirmantibus, qui ſit auſus Sacerdos ſacroſancta & horrenda Religionis ſanctiſſimæ myſteria, ſæpe ſæpius cum illa ſceleris ſui conſcientiâ manibus

*Cur huic ſcientiæ inimicus ſit Aurelius.*

tractare, ore conficere, *iudicium ſibi manducare & bibere:* & fortaſſe quotidie *theſaurizare ſibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei?* Huc prouoco: ibi nos iudicari oportet, vbi *Iuſtum & impium iudicabit Deus* in Thronis ſuis reſidens, & Thronos ipſos iudices faciens, *& tempus omnis rei tunc erit.*

---

## *PRO THEOLOGIÆ MORALIS SCRIPTORIBUS à Societate Ieſu Petro Aurelio ſatisfactum.*

## CAPVT XVI.

AD PRIVATAS ſingulorum ſcriptorum cauſas deſcendere nulla nos operis inſtituti ratio cogit, ne publicam noſtrum in compendium tractare videamur. Ea tamen eſt Aurelianæ facundiæ aduersùs Thomam Sanchez inuectiua, vt ſine veritatis iniuria diſſimulari non poſſit à nobis: maximè cum illam in commune totius Ordinis dedecus, paginis ſex & ampliùs virulentiſſimæ exaggerationis refundat. Ita ſpargit veteramentarius hic artifex purpureos hinc inde pannos, qui latè ſplendeant, & opus totum Aurelianis ſtellis illuminent.

*Artificioſa Petri Aurelij inuectiua à pag. 514. ad 520. Errner. c.5.* Ars autem Oratoris hæc eſt. Thomæ Sanchez Tomum ſecundum operis Moralis in præcepta decalogi ad opinionis ſuæ confirmationem produxerat aduerſarius. At quemadmodum Aman ille aliquando *pro nihilo duxit in vnum Mardochæum mittere manus ſuas, magiſque voluit omnem Iudæorum perdere nationem.* Sic Aurelius neglecto ad tempus vno Sanchez, in omnes primò librorum ſcriptores declamat, qui operum *verè craſſorum mole ſeculum hoc audaciæ ignorantiæ, leuitatis, temeritatis, loquacitatis, furoris, intemperantiæ, propudij fecerunt.* Deinde peccatum illud æui noſtri *vnis propemodum Ieſuitis* aſſignat. Tùm verò ad Theologiæ Moralis ſcriptores progreditur, qui *pene omnes Ieſuitæ, quorum Societati neſcio quo fato innatum eſt, vt ex ea quotannis iſtiuſmodi operum ſtolo aliquis luxuriet.* His gradibus ad Thomam Sanchez deſcendit, & vt ille apud S. Hieronymum Palæſtinæ rogatus, reſpondebat Ægypto: ſic Petrus Aurelius de opere Morali pulſatus, reſpondet de Matrimonio. Non hoc eſt maledicta vnde vnde extricare? Non ſibi ipſi planiciem æquare, qua planiùs liberiuſque calumniæ q... drupedante canterio vehatur? Nec abſimili artificio, cum tenuem libri vnius angulum conuicijs ſuis dignum exiſtimare potuerit, in vniuerſum opus, tanquam ea contagione pollutum inuehitur, & *ſcarabæum, ſterquilinia, latrinariam, cloacam,* & ſimiles orationis gemmas ſpargit. Ad extremum poſt hominem omni conuiciorum ſpurcitia turpificatum, velut ab illis furijs & intemperijs ſibi reſtitutus, ridicula ſatisfactione *Deum teſtatur,* quod omnes iniurato credimus, *hæc non ea mente à ſe dici, quaſi Thomæ Sanchez nominatim detractum cupiat, ſed ad neceſſariam enormis arrogantiæ, & ſtultiſſimæ ambitionis Ieſuiticæ compreſſionem.* Hæc eſt vnius ex Aurelianis tragœdijs ſcenographia, qua non Rex vnus, aut Cæſar, ſed virtutum Regina caritas, vna ſub ſole Chriſtianorum anima contrucidatur. Cuius *alias ...* eodem quo propoſita eſt, ordine dum facio, non *vnis* certè *Ieſuitis,* ſed omnibus

nibus *Theologicis lucubrationibus*, imo vniuerſo ſeculo gratificari me arbitror. Quòd ſi quis plus iuſto deuiare me à linea queritur, eius errores agnoſcat quem inſector veſtigijs, quique ſcriptoribus alijs obiectat *incredibiles à veris puriſque fontibus euagationes.*

Itaque *ſeculi, & potiſſimùm Theologiæ noſtræ calamitatem* dolet vir ſapientiſſimus Petrus Aurelius, ob infinitam librorum multitudinem *qui quotidie ſine fine cumulantur*, qui ſua propudia *publicare, ſuas mundo labes offerre geſtiunt.* Eiuſmodi profectò non eſt medulla doctrinæ Petrus Aurelius, qui ſe Phariſæi inſtat, *ſolum decipit, quem ſolum excipit, dum cæteros damnat.* Quod cum *vnis propemodum Ieſuitis* Theologia debeat, illi *viliſſima imperitiæ mercimonia palam proponere, imparia vndique materijs propoſitis ingenia audent.* Denique *omnium maximè intolerandos eſſe illos Theologiæ Moralis compilatores, pene omnes Ieſuitas*, in quibus *nihil habes niſi meros fucos, vulgatiſſima cantica, elementa quotidiana ſcholarum, eandem quæſtionum congeriem.* Quæ tria hoc loco ventilanda ſunt, antequam ad Thomæ Sanchez Apologiam deueniamus.

*Sequentis diſputationis cum Petro Aurelio, capita tria proponuntur.*

## DE NIMIA LIBRORUM MULTITUDINE *& imperitia.*

§. I.

IAM *orbis gemere cœpit* tot librorum *mole oppreſſus.* Narrat M. Cicero Catonem inuitantem *deambulatum*, à quodam reprehenſum, *quid opus eſt de?* liberaliſſimo ioco reſpondiſſe, *imo quid opus eſt ce?* Syllabas ille, libros Aurelius vult præcidi, dum odioſam multitudinem *verè craſſorum operum mole* aggrauat: vt non immeritò à nobis audiat, ergo *quid opus eſt ce?* Dic autem ſeculi noſtri Cato, *iam-ne* primùm ſub illa librorum multitudine *orbis gemere cœpit?* Non id ſuo æuo queſtus eſt S. Hieronymus? Non Seneca & Perſius Neroniano? Non ille ſcribendi pruritus Græcos omnium ſeculorum ſemper titillauit, vt in Diogene Laërtio, & Athenæo videre eſt, qui nomina ſcriptorum nobis ignota, in rebus leuiſſimis ab obliuione vendicant? Quò ingentia, inquis, volumina? Quære id à Chryſippo literarum paraſito, à Varrone Romanorum doctiſſimo, à Didymo Grammatico, cui millia librorum quatuor aſſignantur. Nam Mercurio Triſmegiſto nemo Ægyptius vt crimen obiecit, ſcriptos *de Dijs Empyreis libros centum, totidem de Æthereis, mille de Cæleſtibus: tradita vniuersè myſteria Ægyptiorum omnia, viginti, aut vt Menetheus recenſet, triginta millibus voluminibus: itemque ſex millibus & quingentis viginti quinque: in eis perfectè omnia demonſtrata.* In ijs multa trita, ſuperflua, leuia dici oportuit. Stoïcis mortalium ſapientiſſimis perſuaſum ſemper fuit, *non facile eſſe inuenire qui quod ſciat ipſe non tradat alteri*, quæ prima librorum origo eſt. De ſe fatetur Seneca Romanæ ſapientiæ viuum & ſpirans ſimulacrum. *In hoc gaudeo aliquid diſcere, vt doceam: nec me vlla res delectabit, licet eximia ſit, & ſalutaris, quam mihi vni ſciturus ſim. Si cum hac exceptione detur ſapientia, vt illam incluſam teneam, nec enuntiem*

*De nimia librorum multitudine queritur.* *Iocus Catonis.* Cic 2. de Orat. *Ab omni æuo ſuit immenſa librorum copia.* *Didymi Grammatici librorum* 4000. *Mercurij Triſmegiſti lucubrationes innumeræ.* Iamblic. l. de Myſter. Ægypt. Cic 3. de finib. Senec. ep. 6.

quibus tam facilè, tam ſine impenſis, ſine Archiuij Sorbonici tabulis per chartam & atramentum repente factus eſt Doctor Theologus, cum ipſe ſe præ modeſtia ſimpliciter Theologum nuncupauit. Atque vt ſe Hierarchiæ vindex in Hierarchiam inſereret, *Doctores* vt antea notabamus, in eam inferre coactus eſt, licet Ordinis & Iuriſdictionis per ſe expertes; minoris æſtimans ſententiæ ſuæ, quàm dignitatis iacturam, & vtrunque inuerecunda contradictione peſſundans. Meus igitur eſt Doctor Aurelius; eritq; Hallier in prouolutando Gratiano ſatis verſatus, ex quo non pauca ad doctrinæ meæ confirmationem argumenta produco, quibus hiſtoriam non omni ex parte otioſam præmitto.

*Doctores antiqua legis.*

Nam in vetere inſtrumento, vt certiſſima tantùm commemorem, Prophetas, eorumque filios, id eſt diſcipulos, vt Samuëlem, Eliam, Eliſæum legimus inſtituendis in diuina lege hominibus præfuiſſe, & in oppidis Bethel, Iericho, Rama congregaſſe diſcipulos, *habentes vitam Religioſam*, inquit Abulenſis, *qui volebant eſſe perfectiores reliquis de populo, & conueniebant in locum vnum, vbi erant prophetæ, & ibi vacabant doctrinæ eorum, & laudibus Dei.* Salomon autem ſapientiæ Antiſtes, ſeptem Ieroſolymis aut gymnaſia, aut ſcholas extruxit, vt non incommodè ex illo eius dicto Pineda noſter deducit, *Sapientia ædificauit ſibi domum, excidit columnas*, id eſt thronos ſiue cathedras *ſeptem*, in quibus ipſe per ſe *cum eſſet ſapientiſſimus Eccleſiaſtes docuit populum; & enarrauit quæ fecerat, & inueſtigauit parabolas multas* in celebri ornatiſſimorum auditorum corona: ſiquidem *veniebant de cunctis populis ad audiendam ſapientiam Salomonis. Habuitque illa ætas* (vt S. Hieronymum accommodans Pineda ſubijcit) *inauditum ſeculis omnibus celebrandumque miraculum, vt vrbem ingreſſi, Salomonem Hierarcham potiùs quàm Hyarcham, in throno ſedentem aureo, de natura, de motibus ſiderum, deque rebus diuinis audirent docentem.* Reuerſis deinde poſtliminio è captiuitate Babylonica Iudæis, *Eſdras Sacerdos Scriba legis Dei cæli doctiſſimus*, eam Simoni Pontifici Synagogæ præfecto tradidiſſe dicitur, quæ per Antigonum, Hillelem, Samæum, & innumeros alios ad Simeonem Iuſtum deuoluta legitur, eum qui Chriſti vidit & adorauit infantiam, in quo Academiæ Iudaïcę ſceptrum defeciſſe aiunt. Circa id tempus extiterunt duo illi nobiles, Iudas, & Matthias, *doctiſſimi Iudæorum, & interpretes patriæ legis præſtantiſſimi, ob idque cari populo, quòd iuuentutem diſciplinis inſtituerent. Totis enim diebus eis dabant operam, quotquot cupiebant in virtute proficere.* Hos magnæ Synagogæ viros appellant Iudæi, quibus ſine dubio addendus *Gamaliel Phariſæus, legis doctor honorabilis vniuerſæ plebi*, ad cuius pedes Paulus eruditus fuit. Illos Scribas & Phariſæos certum eſt extitiſſe; quorum diſcipuli in Academijs docendi munus, & auctoritatem vſurpandarum parabolarum, quaſi gradum quendam literarium accipiebant à ſenioribus Sanhedrin, vel à Concilio Scribarum ipſorum, & Phariſæorum, vt auctor eſt idem Pineda, poſt Serarium. Quorum Academia cum reprobaſſet doctrinam Chriſti, requiſierunt ab eo *in qua poteſtate hæc facis?* Earundem quoque Academiarum non obſcura in Actis Apoſtolicis mentio, vbi Synagogæ numerantur, ſiue Collegia quinque, & ex ijs ſcholaſtici cum Stephano diſputantes.

Abul. in 4. Reg. c. 2. q. 9.

Pined. de reb. Salo. l. 3. c. 28. Prou. c. 9 Eccl. c. 12.

3. Reg 4.

1. Eſdr 7. Galat 1. 1. de Arcan. c. 2. Ioan. Reucl. l. 1. Cabalæ.

Ioſeph. li. 17 Antiq. Iudaic. c 8.

*Gradus literarius apud Iudæos*

Serar. in Rabbino priori. c. 20. &c.

Pined. l. 3 de reb. Salom c. 16.

Matt. c 21 Act. c 6.

*Noua legis Doctores.* Act. c. 13.

Ad hanc porro formam naſcentia Eccleſiæ incunabula Doctores viderunt Antiochiæ, quos inter Paulus annos ipſos duodecim verſatus ad difficillimum Apoſtolatum ſe ſe exercuit. Alexandriæ quoque *veteri conſuetudine à*

*Marco*

*Marco Euangeliſta, Eccleſiaſtici ſemper fuere Doctores*: quorum aliquos recenſet Euſebius, interque cætera Origenem narrat diſcentibus, conſulentibus, à prima luce ad profundam veſperam aduenrantibus imparem, Heraclæ probatiſſimo viro *tradendi prima elementa incipientibus officium delegaſſe, ſibi perfectiorum inſtitutione reſeruata*. Ita (quod non inuenuſtè VValdenſis ad ritus noſtrates transferi) Doctorem habebat illa ſchola primarium, qui magna & obſcura prouectis explanaret: *habebat ſubdoctorem, quem Bacalarium appellamus, qui ſecunda pertractabat, virum approbatum ſcientia*. Neuter autem ſua ipſe voluntare in hoc officium intruſus fuerat, ſed omnis ea poteſtas in maiores à Marco, in Origenem ab Demetrio Epiſcopo fuerat deuoluta. Quod inſtitutum Romam transferre conatus eſt Caſſiodorus, ſed feliciùs in Galliam ex Anglia Carolus Magnus eduxit, Academia Pariſienſi per Anglicanos Monachos Alcuinum, Rabanum, Ioannem Scotum erecta & ſtabilita: quæ deinde vt nobiliſſima ingenij & doctrinæ parens ex ſinu ſuo çæteras penè omnes tota Europa profudit. Hic nimirum informantur ſacris ſtudijs iuuenes, *qui cum Docti fuerint in Dei Eccleſia velut ſplendor fulgeant firmamenti, ex quibus poſtmodum copia poßit haberi Doctorum, qui velut ſtellæ in perpetuas æternitates manſuri, ad iuſtitiam valeant plurimos erudire*. In quîs delecti nonnulli licentiantur & accipiunt poteſtatem docendi, air S. Thomas. Nam collatio Doctoratus, eſt quædam auctoriſatio, & declaratio, quæ declarat illum dignum ad officium doctrinæ, & dat auctoritatem vt doceat. Ex iſtis eligitur *à Prælato cum Capitulo, ſeu maiori & ſaniori parte Capituli Theologus in Metropoli Eccleſia, qui Sacerdotes & alios in ſacra pàgina doceat, & in his præſertim informet quæ ad curam animarum ſpectare noſcuntur*. Cancellarij Pariſienſis munus hoc olim fuiſſe, multis demonſtrat exemplis Claudius Hemeræus Theologus Pariſienſis, recenti nec parum exquiſito de Academia Pariſienſi tractatu. Hîc autem quia nemo ſtipendijs ſuis militat, & aliquammultos à tam vtili munere, paupertas auocare poteſt, Eccleſiaſticis prouentibus ſuſtentari & dotari iubentur, vt videbimus. In hac enim hiſtoria diſputationis meæ latent ſemina, quæ ſic in apertum educo.

*In ſchola Alexandrina duo doctores.*
Euſeb l. 6. hiſt. c. 5.
Ibid. c. 23.
Wald. l. 2. doctri. fid. a. 3. c. 67.
Vid. Duar. l. 1. de ſacr. Eccl. min. c. 15.
Extra. de Magiſt. c. Super ſpecula.
S. Thom. quodl. 3. a. 9.
Gloſſa. in Clement. Cum ſit nimis.
Extra. de Magiſt. c. Quia nonnullis.
Heme. l. de Academ. Pariſ. c. 7.

Omnis ſacer Ordo & ſtatus, publica ſiue Hierarchica auctoritate conſtitutus ad conſummationem ſanctorum, in ædificationem corporis Chriſti, qui finis eſt Hierarchiæ, per actus Illuminationis & Perfectionis Hierarchicæ perficiendam, Hierarchicus eſt, vt qui optimo iure. Dicant enim ſi qui ſe huic ſententiæ volent opponere, quid aliud ad poſſidendam Hierarchiam Hierarchizantem deſideretur? Simul etiam oſtendant quæ tandem conditionum iſtarum abſit à Doctoribus, quos vel ob hunc finem ſolum in Hierarchiam Paulus retulit. Sunt igitur in eam Doctores non tantùm Apoſtoli auctoritate, ſed certa etiam ratione inferendi. Equidem ſi res vtilitate penditur, vix vlli ſacro muneri poſt Hierarcham plus arbitror Eccleſiam debere, quàm Doctoratui Theologico, vnde promitur *omnis armatura fortium* aduersùs hæreſes & vitia bellantium. Qua in opinione conſtantem reperio Panormitanum, vbi quærit, nunquid Monachus, ſeu alius Religioſus poſſit aſſumi in Magiſtrum? Reſpondet, ſi ſe ipſe ingerit, repellendum: ſi poteſtate atque auctoritate ſuperiorum aſſumitur, admitti debere, & promoueri *ad hoc officium docendi, quod redundat in vtilitatem totius Eccleſiæ vniuerſalis*. Neque id tantùm, ſed *magis*, inquit, *proficit Eccleſiæ vniuerſali Doctor in legendo, quàm ſimplex Curatus in*

*Ex præmiſſis conficitur argumentum.*
Panormit. in c. Quia nonnullis. De Magiſtris.

*Sacramenta miniſtrando. Quod ſatis euidenter colligitur in c. Cum ex eo. De electionib. l.6. vbi propter ſcientiam capeſſendam, diſpenſatur cum Curato, vt per ſepcennium poſſit ſe abſentare. Si ergo Religioſus poteſt promoueri ad Curam, ergo potius ad officium docendi, & maximè ſcientiam quæ habet in ſe pietatem.* Auguſtam quoque Theologicæ laureæ dignitatem, maieſtatemque magnificè nobis alio in ſchemate repræſentat Rebuffus, dum negat Religioſo homini Doctoratus in Theologia aut Iure Canonico titulum debere concedi; ne forte illo auctus inſoleſcat: ideoque vocari à Pontifice Religioſos, Profeſſores non Doctores Quæ opinio Aduocati, quam ſublimiter Doctorales infulas effert, tam humiliter Religioſorum virtutem deprimit, vt quæ in alto non poſſit conſiſtere; & in ſumma doctrina oſtendere, quid poſſit animi verè Chriſtiani demiſſio. Laborant igitur & Hierarchiæ finem glorioſis actionibus promouent Doctores, quos proindè nemo rerum æquus arbiter, ab Hierarchia deturbandos eſſe cenſuerit.

Rebuffus Prax. Ben. p.2. de Diſ. cum Reg. n.27.28.

Deinde nihil magis Hierarchicum eſt, quàm Perfectio & Illuminatio, nihil magis Hierarcham ſpectat, quàm docendi munus; ideoque, *qui Eccleſiaſticis diſciplinis per ordinem non eſt imbutus, ad ſummum Eccleſiæ Sacerdotium aſpirare* prohibetur: & ſacrarum literarum peritiam Epiſcopo neceſſariam eſſe fuſiſſimè demonſtrat Gratianus. Quare Laïcos ante probationem ad Sacerdotium promoueri vetant Canones. *Vnde* enim *magiſter qui elementorum ignorat initia? Vnde gubernator qui inter nautas ſeruitia ſua non monſtrauit?* Hanc verò doctrinam ſolus ipſe per ſe tradere non poteſt omnibus: proindeque neceſſarium eſt vt alijs vices ſuas deleget, eiſque quam habet docendi poteſtatem, & auctoritatem concedat. Eam Demetrius Origeni, Origenes Heraclæ tranſmiſit; & in Concilio Viennenſi Epiſcopus, qui omiſſa quadam iuriſiurandi formula *honorem cuiquam tribuerit*, iubetur *à collatione Magiſterij ſeu Doctoratus cuiuſlibet per ſex menſes ſequentes eſſe ſuſpenſus.* Quæ omnia fuſiùs probata apud laudatum Hemeræum reperies, & Pariſienſis Eccleſiæ ſcholas, ab Epiſcopis perdiu, deinde ab Cancellarijs, Epiſcoporum auctoritate celebratas, ferreis etiam ſeculis non ſine voluptate leges. Denique Vniuerſitates in quibus ea literariorum magiſtratuum inſignia conferuntur, ſine auctoritate ſupremi Hierarchæ non poſſunt erigi. Sic ergo colligo. Diſpenſare ſacra myſteria & legē diuinam populo explicare, facere ſtellas quæ fulgeant vt ſplendor firmamenti, Perfectoris & Epiſcopi munus Hierarchicum eſt: atqui hoc ipſum efficiunt ex officio, & publica auctoritate Doctores; exercent igitur ex officio, Hierarchicum & Epiſcopale munus. Poſt illa, tam excelſi muneris vicatios Aureli & Hallier ab Hierarchia ſultis amandate, & in patientium ordinem redigire. Quanquam id etiam vetabit ſequens ratio.

*Docendi auctoritas ab Hierarcha prodit.*

Diſt.36. C. Qui Eccleſiaſticis. Felix IV. ep. ad Cæſ. Arelat.

Clement. de Magiſt. C. Cum ſit nimis.

*Hierarchica auctoritate Vniuerſitates eriguntur.*

*Secunda ratio colligitur.*

Ex Eccleſiæ bonis ſtipendium ijs ſolis conferri debet, qui functiones ſacras & Eccleſiaſticas obeunr; quale ſtipendium decerni Doctoribus nemo neſcit: eos igitur ſacra obire munia fatendum eſt. Titillat te hoc argumentum, Franciſce, quo felix ille dies in memoriam reducitur, quo die aureum illum librum vel ſcribere ſpopondiſti, vel ſcriptum in vulgus edidiſti. Quanquam vtiliores aliquos labores in Eccleſiam conferri poſtulant Pontifices, ab eo qui beneficio vel penſione locupletetur, cum iubent vt *Magiſtro qui Clericos, & ſcholares pauperes gratis doceat, competens aliquod beneficium præbeatur.* Vt *aſſignetur cuilibet Magiſtrorum à Capitulo vnius Præbendæ prouentus.* Vt *docentes in Theologia*

*Tertia ratio. Eccleſiaſticis prouentibus donari Doctores.*

Extra. de Magiſt. c.1. Quoniam. Ibid. c.4. Quia non nullis.

*facultate dum in ſcholis docuerint, percipiant prouentus præbendarum, & beneficiorum ſuorum; cum denario fraudari non debeant in vinea Domini operantes.* Hæc cum audis, Lector, puras ne homines illos nullum in agentium Hierarchia locum eſſe ſortitos?

Ibid. c. 5. Super, ſpecula.

Video quid opponere poſſit Gratiani ſtudioſus Doctor Hallier (nam Aurelius in antiquis Canonibus totus eſt, nouos quid moretur?) hæc Pontificum & Conciliorum decreta Grammaticis æque Magiſtris, vt Theologis profeſſoribus gratificari, quos tamen aut annumerare Doctoribus, aut in eminenti Hierarchiæ gradu collocare abſurdum eſſe videatur. Sed meminerit Hierarchiæ rationem ſecundùm analogiam, & pro modulo à ſingulis ordinibus participari: neque maiore interuallo diſtare Grammaticos à Theologis, quam Oſtiarium ab Epiſcopo, vel Gubernationes & Opitulationes ab Apoſtolis & Prophetis. Repetat Origenis & Heraclæ diuiſa officia, quorum ille vt monuit VValdenſis, *maiora & peritiora exponebat, hic apud inferiores diſcipulos in minoribus vices explebat doctorales.* Da ſi vis Alcuinum, qui *à Prælato & ſaniore parte Capitali* pueros Grammaticis ſtudijs initiandos aſſumat, idque faciat ad Eccleſiæ vtilitatem & ædificationem, inque eam rem de altari viuat, & Crucifixi tabis ſuſtentetur: ei ne legitimam auctoritatem, an eius labori aliquod rei Chriſtianæ compendium & commodum denegabis? Pro captu ergo & artis & diſcipulorum ſuorum Hierarchizat, eò vtiliùs quò minùs ſpecioſè. Atque puerilem hanc inſtitutionem quanti æſtimarit Eccleſia, patet ex his ipſis quæ opponuntur. Quid autem amplificandæ Eccleſiæ collatura ſit vel vna peregrinarum notitia linguarum, docuit Clemens V. in Viennenſi Concilio, cum in Academijs, Romana, Pariſienſi, & quibuſdam alijs, earum ſcholas erigi iuſſit, & illis Magiſtros præfici, qui *alios linguas ipſas ſolicitè doceant, earumque peritiam ſtudioſa in illos inſtructione transfundant: vt inſtructi & idonei ſufficienter in Linguis huiuſmodi, fructum ſperatum poſſint (Deo auctore) producere, fidem propagaturi ſalubriter in ipſos populos infideles.* Hoc verò munus Hierarchicum eſſe monſtrauit antea, cum præfatus eſt illius exemplum imitari ſe, *qui ituros per vniuerſum mundum ad Euangelizandum Apoſtolos, in omni Linguarum genere fore voluit eruditos.*

*Etiam Grammatices Magiſtri ad hunc ordinem ſpectāt.*

Wald. loco cit.

*Magiſtri peregrinarum Linguarum.* Clement. Inter ſolicitudines. De Magiſtris.

Iam verò perfacile eſt, quod ſecundum propoſuimus, oſtendere Doctoribus iſtis aliam quàm Iuriſdictionis, aut Ordinis Hierarchiam eſſe quærendam. Nam Canonici quidem Iuris Interpretes coniugio, & ſecularibus curis implicatos quotidie videmus. Theologos autem nullo conſecratos Ordine Academiæ non admittunt ad pileum. Rectè profectò, & conuenienter: ſed non ex rei natura neceſſariò. Et nota omnibus Sorbonici decreti ea de re nouitas & cauſa. Nam ſi Chriſtus Apoſtolos, Eccleſia Epiſcopos ex ipſo coniugum ſinu quondam aſſumpſit futuros Theologiæ Epoptas, & populi Chriſtiani perfectores; quod eſt adeo arctùm in rebus iſtis vinculum, vt Theologici magiſterij inſignibus donari non debeat, qui priùs Eccleſiaſticis Ordinibus non ſit conſecratus? De Iuriſdictione autem quid dicent Aduerſarij, cum Doctoribus nulli ſint determinati ſubditi, cum non ſint *pars Eccleſia capitalis* Aureliano ſenſu; cum neque maiores, neque *minores Epiſcopi* fiant, ſola pilei donatione? In hac igitur Hierarchia fauente Aurelio, non repugnante Franciſco Hallier reponantur.

*Hierarchia Doctorum non è Iuriſdictionis aut Ordinis.*

## *HIERARCHIÆ CHARISMATVM TERTIVS, Ordo, qui eſt Doctorum Canonici Iuris breuiter exponitur.*

## CAPVT XV.

*Doctorum Canoniſtarum commendatio.*

FERCVLVM Salomonis & ſellam Eccleſiæ curulem, ex qua ſubditos in ſanctitate & iuſtitiâ gubernat, qui Canonum ſcientiam appellauerit, is meo iudicio eius facultatis naturam non infideliter expreſſerit. Nam cum legibus ſuis, tanquam columna & deſtina, ſtabiliatur vnaquæque Reſpublica, Eccleſiaſtica autem præſidentem Concilijs Spiritum Sanctum, & in ijs ſedentes viros pietate doctrinaque præſtantes habeat, quis dubitet quin ijs regi debeat Chriſti Eccleſia, ſecundum eas Eccleſiaſticæ lites & controuerſiæ terminari? Eas porro qui aſſeruant, qui promunt in tempore, qui ſapienter explicant, Canoniſtæ ſunt, Hierarcharum in iudicijs adſeſſores, in Synodis conſiliatij, in dubijs apocriſarij, ſupra Papinianos & Tribonianos & Scæuolas periti & ſapientes.

*Canoniſtarum cum Thronis Angelicis comparatio. ex S. Bona. l. de Hier. Eccl. 1. P. c. 4. Ioan. Chry. inter Thronos in cælo. Soph. Pra. ſpir. c. 128. Baron. ad an 407 Thronorum præclara dotes.*

In Hierarchia noſtra Thronis Angelicis ſimillimi, *in quibus diuina iuſtitia potiſſimè requieſcit, per quorum miniſterium diuinæ æquitatis excellentia benignè & ſapienter iudicans uniuerſa, hominibus innoteſcit.* Certè apud Sophronium Adelphio viro ſanctiſſimo reuelatum legimus, S. Ioannem Chryſoſtomum *pœnitentia ducem* in cœlo aſſiſtere, *vbi Thronus eſt Domini*, videlicet inter Angelos Thronos: quem locum non dignitate Patriarchatus, non vigilantia paſtorali, non Catholicæ Eccleſiæ amplificatione, non priuatis virtutibus, quæ in præſtantiſſimo viro fuerunt eximiæ, ſed pœnitentiæ prædicatione & pœnitentialibus canonibus adeptus eſt. Scio equidem confutari in Annalibus eam viſionem, ſed præcipua aduerſarij ratio noſtra hac notatione diluitur. Sunt ergo Canoniſtæ Doctores Throni ignei, vel flammei, *quoad perſpicuitatem cognitionis, & feruorem caritatis*: eburnei *propter munditiam cordis & candorem innocentia caſtitatis*, quam etiam in alijs ingenerare conantur: gemmei *quantùm ad mentis conſtantiam, & patientia firmitatem*, in cordis frangenda duritie, & peccatis populi per ſacramentum Pœnitentiæ cum infinito faſtidio deuorandis. Quibus in gemmis cenſetur Iaſpis, *gemma fugans phantaſmata, & illos ſignificans qui tentationes dæmonum ſuperant, & ipſorum phantaſticas vincunt illuſiones.* Nubei *per compaſſionem & pietatem, in quibus Dominus reſidens, velut de quibuſdam nubibus pluens, per ipſas ſubuenit miſerijs afflictorum.* Aurei *per incorruptibilem iuſtitiam, & inflexibilem æquitatem.* Ab omni extremitate remoti, *& hoc refertur ad virtutis mediationem, ſiue virtutis in medio exiſtentis electionem, quam viri ſancti Angelorum exemplo eligunt,* (& alijs ſuadent,) *& ab extremitate vitiorum ſe ſubtrahentes, ad virtutis medium tendunt,* cæteroſque deducunt, *in medio ſe tenent, qui omnibus indifferenter ſine acceptione perſonæ iuſtitiam exhibent.* Dices Chriſtianorum genios, ſi genium Socratis recoles ab infortunio auocantem. Eccleſiæ oracula vocabis in vmbilico ſita, ſi Delphicum Apollinem cogitabis de dubijs perplexiſque negotijs reſpondentem. Pontificum rationale appellabis, Vrim & Thumim exhibens, ſi memineris eorum doctrinam in ſtudijs, veritatem in reſponſis.

Quid

Quid mihi leuiorem in rebus Theologicis Canoniſtarum auctoritatem eſſe obijcis? Quid ab ijs iactas non pauca peccari, parum conducere Gratianum, & Gloſſarum auctores ad controuerſias fidei diiudicandas? Tam es humanitatis oblitus, vt omnis te in pulchro corpore næuus offendat? Vt pia Gregorij Pontificis indulgentia te non moueat, qui viris illis pijs & Catholicis ignoſci cupit quod errarunt, aut quòd nondum à ſacris Concilijs definita, liberiùs enunciarunt? Fateor equidem Canoniſticæ huius ſcientiæ lampadem & ſolem eſſe Scholaſticam Theologiam, neque qui verè Theologus non ſit, perfectum eſſe poſſe Canoniſtam. Sed ludibria & ſannas Petri Aurelij, de quibus poſtea, viros graues & eruditos mereri, non cenſeo. Et poſſum ſine dubitatione mihi conſentientem ſperare Doctorem Hallier, cuius Theologiam Canonum ſcientia inſtruit, & à ſe Gratianum *præ manibus ſæpius teri*, ex quo Concilia nobis & Canones veterum Pontificum educit, non ſine grati animi ſignificatione confitetur.

*Excuſantur Canoniſtæ.* Vide Iac. Duaren. Piæ in l. de ſacris Ecc. Miniſtris. Greg. XIII. Bulla, Cũ pro munere. præfixa Gratiano.

*Fr. Hallier lector ſedulus Gratiani.* in Append. ad vin. p. 783.

Enimuero de iſta Theologia ſic habeto Lector. Cum omnis Chriſtianorum vita in credendo & agendo verſetur, Theologiam, quæ Scholaſtica dicitur, in diuinorum myſteriorum commentatione ſitam eſſe, noſque efficere *paratos ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti nos rationem de ea, quæ in nobis eſt, ſpe.* Illam autem quæ Moralis & eſt & vocatur, *fidem ex operibus conſummare*, & docere quomodo *abijciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis*, ſiue *declinemus à malo, & faciamus bonum*. Vtrunque iſtorum iure duplici contineri, Naturali & Poſitiuo. Siquidem aliquid naturâ ſuâ bonum, malum-ve eſt, atque adeò diuina lege prohibetur: aliud ex ſe ſe magis quidem indifferens, ſed ad rectam publicæ rei adminiſtrationem conuenit ita fieri, aut caueri. Legum itaque latoris eſt decernere quid his in rebus licere velit, quid ſecus; propoſitis etiam pœnis, quibus & delinquentes plectantur, & peruicaces coërceantur. Et hæc mala eſſe dicimus, quia vetita. Eius præterea boni aut mali, quod ex natura penditur, in veterum quidem philoſophorum libris de Officijs, quos imitatur S. Ambroſius, ſed longè commodiùs in Ariſtotelicis Moralibus, & ſecunda S. Thomæ parte principia & cauſas vniuerſales explicari: quibus rite & ſapienter adhibitis, actio quælibet humana à nobis ſecundùm rectæ rationis regulas exigatur. Sed nimirum illud efficere cuiuſuis non eſt, & generalia principia rebus omnibus particularibus applicare. Studium igitur deinde requiritur eorum hominum, qui propriùs actionem dirigant, & principia illa, tanquam cynoſuram, in cœlo rationis fixam perpetuò ſpectantes, priuatas ex ijs concluſiones eliciant, quæ in vaſto vitæ huius Oceano, inter ſyrtes & ſaxa, inter tempeſtates & piratas nauigantibus, curſum oſtendant & portum. Hæc eſt Aurelianæ cauſa calumniæ, qua dicuntur *ſummam S. Thomæ recoquere ac refingere, inopum cauponum inſtar*: quàm imperitè & improbè iudica Lector, ex eo quòd Tractatores iſti, primò illi officio, quod pene cum Scholaſticis Theologis commune habent, illud addunt proprium, vt ius ab Eccleſia conſtitutum, & Canones, rem difficilem, variam, & non omnibus peruiam, interpretentur. Itaque faciunt illi quod in Socrate tantopere laudarunt veteres, Theologiam deuocant è cœlo, & in vrbibus, in domicilijs, in negotijs, in templis collocant. Id faciunt quod poſt Euclidem Mathematici, poſt Hippocratem Medici, poſt Ariſtotelem Philoſophi, poſt Ciceronem Rhetores; quos nemo vnquam arguit res eas aut expoſuiſſe apertiùs, aut cer-

*Quæ ſit moralis Theologia.*

1. Pet. 3.

*Quomodo poſt S. Thomam neceſſaria ſit Canoniſtarum doctrina.*

*Aurelij calumnia in Canoniſtas.*

tis locis, temporibus, perſonis definiuiſſe, quas illi cuiuſque facultati principes infinirè, adeoque ſpiſſiùs de vniuerſo genere tractauerunt.

*Quanta ſit eius Theologia neceſſitas.*

Quid autem huius ſcientiæ profeſſores humano generi contulerint, & in horas conferre non deſiſtant, nulla ſatis explicare poteſt oratio; cum ab ijs expiandarum, regendarumque animarum ratio ſumatur. Neque verò ignorare poteſt anima vetuſtatis Aurelius, quantùm antiqui Pontifices Canonibus inhæſerint mordicitus; quantopere illam cognitionem & obſeruantiam commendarint, quàm ingens de vno Nicæni Concilij Canone inter Zoſimum Papam, & Africanos Epiſcopos diſputata ſit controuerſia: quam ſæpe in Concilijs ipſis ad Canones prouocatum ſit. Nimis illuſtris eſt Concilij Carthaginenſis Canon, vt eum præterierit, quo decernitur in ordinandis Epiſcopis vel Clericis, vt priùs ab ordinatoribus ſuis decreta Conciliorum eorum auribus inculcentur, ne ſe aliquid contra ſtatuta Concilij feciſſe aſſerant. Etiamnùm Romæ tanto ea ſcientia in pretio eſt, vt ipſi Antiſtites, & Eccleſiæ purpurati ſe Canoniſtas, quàm ſubtiles Theologos eſſe malint & cenſeri. Neque minùs Sacerdoribus commendatur, cum illæ ipſæ leges Eccleſiaſticæ Parochum, aut quemuis alium Epiſcopo inferiorem, à Reſidentia in plures annos eximant, vt iuris Canonici cognitionem poſſit aſſequi. Quam curam Patres Tridentini reuocarunt decreto, vt alumni Seminariorum, inter cætera *Sacramentorum tradendorum, maximè quæ ad confeſſiones audiendas videbuntur opportuna, & rituum ac cæremoniarum formas ediſcant.*

Vide Rad. Tung. l. de Obſer. can. propoſ. 3. Concil. Carth. 3. can. 3.

Sylueſt. V. Reſidentia q. 7. Concil. Trid. ſeſſ. 23. c. 17. de Reform.

*Quanto ſtudio in Academia Pariſienſi culta ſit.*

Idem eſt modò, fuitque ſemper nobiliſſimæ Pariſienſis Academiæ in eam doctrinæ Chriſtianæ partem animus, vt in ijs videre eſt quæ tradit in exquiſito libello Hemeræus, longè ante tempora Gregorij IX. Pontificis maximi viguiſſe in ſcholis Clauſtri Pariſienſis Eccleſiæ, Iuris Canonici ſcientiam, quam vnus è Canonicis Decretorum Doctor traderet; ſed eam cum cæteris diſciplinis trans pontem ad cliuum Genoueſianum migraſſe, tanto ambitu, vt deſertis Clauſtri ſcholis, vetuſtateque penè obſitis, Cancellarius matricis Eccleſiæ, collabentem eius ſcientiæ apud ſuos gloriam ſuſtinere voluerit, iuramento ſolenni ac publico, Theologiæ ac Decretorum pilei candidatos adigens, ad Canonum decreta in ſolis Clauſtri ſcholis explicanda. Quod cum tranſpontanis Academicis iniquum videretur, iudicio apud Gregorium IX. ſuæ illius Scholæ ius & honorem repetijſſe: non facturum omnino, ſi vilis ac reijcula eſſet ſanctiſſimorum Canonum diſciplina. Sic autem progreſſu temporis corroboratam in Academia Genoueſiana eandem lectionem, vt iam illi Canoniſtæ Doctores ſoli & eſſe & haberi vellent, eumque honorem quaſi præſcriptionis iùre Canonicis eriperent. Hos tamen illud ſtudium, repetundarum lege in ſcholas Epiſcopales reuocare appetentes, & Senatus Pariſienſis conſulto, & Clementis VII. decreto euiciſſe, vt *Canonici Pariſienſes poſſent legere decretum in ſcholis Clauſtri, & per lecturam Regentes haberentur, & eorum auditores iure & immunitate Scholaritatis vterentur.* Quam contentionem, cum ne ipſa quidem diſceptatrix Petri Lombardi Theologia paſſa ſit, eaque ſine vi, nemine manum inijciente, ab Magnæ Baſilicæ Parauiſo, ad Sorbonicas Nauarræaſque Scholas euolarit, quis dubitat maiores noſtros minùs ad hoc ſtudium, quàm ad illud fuiſſe propenſos?

Claud. Hemer. l. de Acad. Pariſ. c. 5.

*Wicleffus Canoniſtarum exoſus.*

Et tamen vt phreneticos medicina, ſic homines aliquos ſalubris illa ſcientia patitur aduerſarios, & in ijs maximè VVicleffum & Aurelium, quorum ille

ille ad omnem proiectus audaciam academicis olim inclamabat, *Decretales Epiſtolæ ſunt apocryphæ, & ſeducunt à Chriſti fide; & Clerici ſunt ſtulti qui ſtudent eas.* Hic tectioribus ſcommarum & contemptus cuniculis eandem labefactare conatur, cum ait: *Dicant Canoniſtæ quàm volent.* Aut illud in odium Ieſuitarum: *Non ea vis Summarijs iſtis ſarcinarum textoribus. Immenſum leuiſſimorum ſcriptorum examen, quaſi odioſa veſparum aut tabanorum acies ſyncero doctrinæ melli, & oculis doctorum infeſta ſeſe profudit.* Atque illud intolerandi contemptus, *Maximè intolerandi ſunt illi Theologiæ Moralis, Inſtitutionum Moralium compilatores, in quibus nihil habes, niſi meros fucos, vulgatiſſima Cantica, elementa quotidiana ſcholarum.* Lubet primùm de nomine cum Grammatico velitari. Summiſtas & Summarios credis eſſe Canoniſtas? Non ita Claudius Hemeræus Pariſienſis Academiæ in ſcriptis inſtaurator, cuius ea ſententia eſt, à rebus theologicis, quæ auditoribus traderentur, impoſitum Magiſtris nomen Sententiariorum, quòd primò è ſententijs Patrum conflatæ eſſent: & à Summis Theologicis, Summiſtarum: primumque Patrum ſententias collegiſſe Hugonem Victorinum, & *Summam ſententiarum* edidiſſe. Petrum autem Abaillardum *ſacræ eruditionis Summam* conſcripſiſſe, quæ ſit Introductio diuinæ ſcripturæ. Ita duobus Theologorum generibus, quos primùm vidit Pariſienſis Academia, Biblicis, & Sententiarijs, Summiſtarum ſeu Summariorum nomen conuenire; non autem Canoniſtis.

Concil. Conſt. ſeſſ. 8. prop. 38.

*Canoniſtæ mirificè contemnit Petrus Aurelius.* p. 733. 514. 516.

*Summiſtarum nomen male accipit.*

*Sententiarij & Summiſtæ qui?* Claud. Hemer. l. cit. c. 5.

Sed hæc reduuia eſt, quam curamus in eo cui cor & caput dolet. Quid putas cauſæ eſſe, Lector, cur tam effetatum & immane in hoſce doctores odium conceperint VVicleffus & Aurelius; atque hic præcipuè qui nihil niſi *Canones paſſim* inflatis buccis perſonat? An fortaſſe vt aquæ limpitudinem turbare neceſſarium habet camelus, ne fœda dorſi verruca appareat; ſic iſtis volupe eſt lumen, quo animi receſſus explorantur extinguere, ne turpes animi ſui maculas vel ipſi, vel quiuis alius agnoſcat? Puerile quidem luſionis genus eſt, vt cum faciem manibus obduxeris, putes à nemine te videri, quia nihil ipſe perſpicias. Sed & crudelis inuidentia, vt cum oculos ipſe tibi effoderis, oculatum feras neminem. Quanquam in huius conatu & inſtituto diſpicere mihi videor aliquid, quo ſe tanta iniuſtitia tueatur. Nunquid enim iure ſuccenſet Chriſtianæ caritatis officia monſtrantibus, qui penitùs illam peſſundare in animum induxit ſuum? Mendacia *vanitates & inſanias falſas* aperientibus, qui ſe totum calumniæ poſſidendum tradidit? Inter iuſtitiæ opera famæ & exiſtimationis reſtitutionem impetrantibus, magis, quàm pecuniæ, qui non hominem, ſed Religioſum Ordinem vniuerſum; non profanos & laïcos, ſed Deo dicatos homines; non ſolitarios, & ſibi vnis vacantes, ſed in media hominum luce & vtilitate viuentes, honore & fama quantùm poteſt deuoluit: idque non rebus exigui momenti detractis, ſed doctrina hæreticos, vita moribuſque perditos eſſe, quæ duo erant alienæ ſalutis inſtrumenta, ſuadendo palam omnibus, libro edito, qui & huic ſeculo, & longè ampliùs poſteritati nociturus eſſe videatur? Abſque illa reſtitutione peccatum remitti poſſe negantibus; lethali noxâ conſtrictum hominem ad panis viuifici participationem accedentem immani ſe ſacrilegio polluere affirmantibus, qui ſit auſus Sacerdos ſacroſancta & horrenda Religionis ſanctiſſimæ myſteria, ſæpe ſæpius cum illa ſceleris ſui conſcientiâ manibus

*Cur huic ſcientiæ inimici ſint Aurelius?*

tractare, ore conficere, *iudicium ſibi manducare & bibere*: & fortaſſe quotidie *theſaurizare ſibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei*? Huc prouoco: ibi nos iudicari oportet, vbi *Iuſtum & impium iudicabit Deus* in Thronis ſuis reſidens, & Thronos ipſos iudices faciens, *& tempus omnis rei tunc erit*.

---

*PRO THEOLOGIÆ MORALIS SCRIPTORIBUS à Societate Ieſu Petro Aurelio ſatisfactum.*

## CAPVT XVI.

AD PRIVATAS ſingulorum ſcriptorum cauſas deſcendere nulla nos operis inſtituti ratio cogit, ne publicam noſtrum in compendium tractare videamur. Ea tamen eſt Aurelianæ facundiæ aduersùs Thomam Sanchez inuectiua. vt ſine veritatis iniuria diſſimulari non poſſit à nobis: maximè cum illam in commune totius Ordinis dedecus, paginis ſex & ampliùs virulentiſſimæ exaggerationis refundat. Ita ſpargit veteramentarius hic artifex purpureos hinc inde pannos, qui latè ſplendeant, & opus totum Aurelianis ſtellis illuminent.

*Artificioſa Petri Aurelij inuectiua à pag. 514. ad 520.*

*Eſther. c. 3.*

Ars autem Oratoris hæc eſt. Thomæ Sanchez Tomum ſecundum operis Moralis in præcepta decalogi ad opinionis ſuæ confirmationem produxerat aduerſarius. At quemadmodum Aman ille aliquando *pro nihilo duxit in vnum Mardochæum mittere manus ſuas, magiſque voluit omnem Iudæorum perdere nationem*. Sic Aurelius neglecto ad tempus vno Sanchez, in omnes primò librorum ſcriptores declamat, qui operum *verè craſſorum mole ſeculum hoc audaciæ ignorantiæ, leuitatis, temeritatis, loquacitatis, furoris, intemperantiæ, propudij fecerunt*. Deinde peccatum illud æui noſtri *vnis propemodum Ieſuitis* aſſignat. Tùm verò ad Theologiæ Moralis ſcriptores progreditur, qui *penè omnes Ieſuitæ, quorum Societati neſcio quo fato innatum eſt, vt ex ea quotannis iſtiuſmodi operum ſtolo aliquis luxuriet*. His gradibus ad Thomam Sanchez deſcendit, & vt ille apud S. Hieronymum Palæſtinæ rogatus, reſpondebat Ægypto: ſic Petrus Aurelius de opere Morali pulſatus, reſpondet de Matrimonio. Non hoc eſt maledicta vnde vnde extricare? Non ſibi ipſi planiciem æquare, qua planiùs liberiuſque calumniæ quadrupedante canterio vehatur? Nec abſimili artificio, cum tenuem libri vnius angulum conuicijs ſuis dignum exiſtimare potuerit, in vniuerſum opus, tanquam ea contagione pollutum inuehitur, & *ſcarabæum, ſterquilinia, latrinariam, cloacam*, & ſimiles orationis gemmas ſpargit. Ad extremum poſt hominem omni conuiciorum ſpurcitia turpificatum, velut ab illis furijs & intemperijs ſibi reſtitutus, ridicula ſatisfactione *Deum teſtatur*, quod omnes iniurato credimus, *hæc non ea mente à ſe dici, quaſi Thomæ Sanchez nominatim detractum cupiat, ſed ad neceſſariam enormis arrogantiæ, & ſtultiſſimæ ambitionis Ieſuiticæ compreſſionem*. Hæc eſt vnius ex Aurelianis tragœdijs ſcenographia, qua non Rex vnus, aut Cæſar, ſed virtutum Regina caritas, vna ſub ſole Chriſtianorum anima contrucidatur. Cuius *diſcuſſionem* eodem quo propoſita eſt, ordine dum facio, non *vnis* certè *Ieſuitis*, ſed omnibus

nibus *Theologicis lucubrationibus*, imo vniuerſo ſeculo gratificari me arbitror. Quòd ſi quis plus iuſto deuiare me à linea queritur, eius errores agnoſcat quem inſector veſtigijs, quique ſcriptoribus alijs obiectat *incredibiles à veris puriſque fontibus euagationes.*

Itaque *ſeculi, & potiſſimùm Theologiæ noſtræ calamitatem* dolet vir ſapientiſſimus Petrus Aurelius, ob infinitam librorum multitudinem *qui quotidie ſine fine cumulantur*, qui ſua propudia *publicare*, *ſuas mundo labes offerre geſtiunt.* Eiuſmodi profectò non eſt medulla doctrinæ Petrus Aurelius, qui ſe Pharisæi inſtar, *ſolum decipit, quem ſolum excipit, dum cæteros damnat.* Quod cum *vnis propemodum Ieſuitis* Theologia debeat, illi *viliſſima imperitiæ mercimonia palam proponere, imparia vndique materijs propoſitis ingenia audent.* Denique *omnium maximè intolerandos eſſe illos Theologiæ Moralis compilatores, pene omnes Ieſuitas*, in quibus *nihil habes niſi meros fucos, vulgatiſſima cantica, elementa quotidiana ſcholarum, eandem quæſtionum congeriem.* Quæ tria hoc loco ventilanda ſunt, antequam ad Thomæ Sanchez Apologiam deueniamus.

*Sequentis diſputationis cum Petro Aurelio capita tria proponuntur.*

## DE NIMIA LIBRORUM MULTITUDINE & imperitia.

### §. I.

IAM *orbis gemere cæpit* tot librorum *mole oppreſſus.* Narrat M. Cicero Catonem inuitantem *deambulatum*, à quodam reprehenſum, *quid opus eſt de?* liberaliſſimo ioco reſpondiſſe, *imo quid opus eſt ee?* Syllabas ille, libros Aurelius vult præcidi, dum odioſam multitudinem *verè craſſorum operum mole* aggrauat: vt non immeritò à nobis audiat, ergo *quid opus eſt ie?* Dic autem ſeculi noſtri Cato, *iam-ne* primùm ſub illa librorum multitudine *orbis gemere cæpit?* Non id ſuo æuo queſtus eſt S. Hieronymus? Non Seneca & Perſius Neroniano? Non ille ſcribendi pruritus Græcos omnium ſeculorum ſemper titillauit, vt in Diogene Laërtio, & Athenæo videre eſt, qui nomina ſcriptorum nobis ignota, in rebus leuiſſimis ab obliuione vendicant? Quò ingentia, inquis, volumina? Quære id à Chryſippo literarum paraſito, à Varrone Romanorum doctiſſimo, à Didymo Grammatico, cui millia librorum quatuor aſſignantur. Nam Mercurio Triſmegiſto nemo Ægyptius vt crimen obiecit, ſcriptos *de Dijs Empyreis libros centum, totidem de Æthereis, mille de Cæleſtibus: tradita vniuersè myſteria Ægyptiorum omnia, viginti, aut vt Manethem recenſet, triginta millibus voluminibus: itemque ſex millibus & quingentis viginti quinque: in eis perfectè omnia demonſtrata.* In ijs multa trita, ſuperflua, leuia dici oportuit. Stoïcis mortalium ſapientiſſimis perſuaſum ſemper fuit, *non facile eſſe inuenire qui quod ſciat ipſe non tradat alteri*, quæ prima librorum origo eſt. De ſe fatetur Seneca Romanæ ſapientiæ viuum & ſpirans ſimulacrum. *In hoc gaudeo aliquid diſcere, vt doceam: nec me vlla res delectabit, licet eximia ſit, & ſalutaris, quam mihi vni ſciturus ſim. Si cum hac exceptione detur ſapientia, vt illam incluſam teneam, nec enuntiem*

*De nimia librorum multitudine queritur.*
*Iocus Catonis.* Cic. 2. de Orat.
*Ab omni æuo ſunt immenſa librorum copia.*
*Didymi Grammatici librorum* 4000.
*Mercurij Triſmegiſti lucubrationum immenſitas.* Iamblic. l. de Myſter. Ægypt.
Cic. 3. de finib.
Senec. ep. 6.

*reijciam. Nullius boni ſine ſocio iucunda poſſeſſio.* Hinc ingentes illæ Bibliothecæ, non optimis tantùm & vtiliſſimis, ſed etiam ſpernendis auctoribus refertæ: quorum quadringenta, imo potiùs ſeptingenta millia Alexandriæ Pompeiano bello arſerunt. *Quid habes*, inquit Stoïcus, *cur ignoſcas opera conquirenti aut ignotorum auctorum aut improbatorum, & inter tot millia librorum oſcitanti? Apud deſidioſiſſimos videbis quicquid orationum hiſtoriarumque eſt, & tecto tenus inſtructa loculamenta. Iam enim inter balnearia, & thermas, bibliotheca quoque, vt neceſſarium domus inſtrumentum perpolitur.*

*Bibliotheca Alexandrina.*

Senec. l. de Tranq. Animi c. 9. Gell. l. 6. c. vlt.

*Artis Typographicæ vtilitas.*

Priùs iſta ſuorum in luxu computabat vir ſapiens, quàm ſub typographico prælo ſudarent auctores, quàm momento vno mille litteræ, tanquam Cadmi milites naſcerentur. Excogitata autem ſingulari Dei beneficio Typographia lucem ingenijs peperit, ſubſidium literis, ornamentum bibliothecis, doctis immortalitatem, vitam diſciplinis, nomen Aurelio. Propter hæc iratus, illi Petrus Aurelius *Theologiæ ſuæ calamitatem* imputat, ſatis conſcius quam ex arte gloriam ſperauerat, grande dedecus, & futuris ſeculis infamiam reportaturum. Claudius Hemeræus ex aduerſo Academiæ Pariſienſis illuſtrator, ætatis noſtræ felicitatem deprædicat, *cui diuina ars excudendorum typis librorum, & volumina multiplicauit, & fecit vt ære multò minori comparentur.* Cum antea Pariſienſis Eccleſiæ ſupellex in peculio ſuo numeraret *Bibliothecam in quatuor voluminibus. Quinque item volumina librorum, videlicet, Vitas ſanctorum, & Expoſitiones.* Item *Martinetum*, Item *Paſtorale nouum & vetus, & Collectarium*; Item *Quinque Pſalteria.* Cum Archiepiſcopus Eboracenſis S. Edmundo poſtea Cantuarienſi Archiepiſcopo, ab inferioribus ſtudijs ad Theologiam in Academia Pariſienſi tranſitum gratulatus, *Bibliam vnam proprijs ſumptibus prepararet*, iſque munus illud, tanquam nimis pretioſum recuſaret, veritus ne quod Monaſterium ex eius ſcriptura contingeret onerari. Æſtima, Lector, vtri duorum iudicium ſit æquius, ſeculum amicius, optatior ſcientia. Ego ſic arbitror, neque ſeculo, neque Typographiæ, neque Theologis ſcriptoribus dicturum malè Aurelium, niſi hac ratione Ieſuitas vulneraret. Sic enim ironicè,

Hemeræus l. de Acad. Pariſ. c. 6.

*Ingens librorum raritas.*

*Hanc temporum felicitatem vni propemodum Ieſuitis Theologia debet.* Verè & ſeriò *felicitatem*: quando ea copia parabilem ſcientiam ſine nauſea facit. *Sapientibus & inſipientibus debitorem* ſe fatetur Apoſtolus. In natura quod aliæ prætereunt animantes, aliarum cibus eſt. Quòd ſi multi tibi Ieſuitæ libros videntur ſcribere, ſcito plures in tam numeroſo eſſe corpore quos non doctrina, ſed aut otium, aut voluntas ad id præſtandum deſtituat. Vnum tibi propono Iacobum Laynium S. Ignatij in formanda Societate noſtra adiutorem, in regenda ſucceſſorem. Is in Tridentino Concilio, id eſt ampliſſimo Chriſtiani orbis theatro, Theologus Pontificius, publicè profeſſus eſt *nullum ſe pro ſua ſententia Patrem atque Doctorem in medium allaturum, quem non ipſe totum à capite ad calcem peruolutaſſet, ex eoque locos ea de re complures, qui in controuerſiam caderent, collegiſſet. Ac deinde in ſola de Euchariſtiæ myſterio diſputatione, ſex circiter & triginta protulit Patres, & in ijs Alphonſum Toſtatum.* Hunc hominem vt arbitror à ſcribendo deterruiſſet tua illa de *veſparum & tabanorum acie* querela. Plures afferre poſſum mihi probè notos, ſi non æqualis doctrinæ, illius certè quæ tua ſcripta luce ſua perſtringeret.

*Quàm ſit vtilis multitudo librorum.*

*Multi viri docti a ſcribendis libris abſtinent.*

*Iacobi Laynez doctrina.*

Orlandin. hiſt. Soc. l. 11. n. 37.

At [illegible] immerſi [illegible] a [illegible] ſcribi Ieſuitis: abſit. Q[illegible]ni [illegible] Petrus Au[illegible] Sed opera I[illegible]ſuitarum fieri, vt a mal[illegible] ſcri[illegible] au[illegible]. Factionis hæreticæ [illegible] in Germania na[illegible], [illegible] prædicantem, pe[illegible] malitiam in Ieſuitis ab antiquo corroboratam exiſtere, hoc potiſſimùm argumento, quod Saül innocentiſſimo [illegible]um bellum nunqu[illegible]m ind[illegible]xiſſet, niſi confeſſarij ſui Ieſuitæ impulſu [illegible] eò adigeretur. Eodem ſchemate [illegible] librorum copiam [illegible]*nus propemodum Ieſuitis debuit* æuum Salomonis, quam admone[illegible]do compeſcuit Eccleſiaſtes: *Faciendi plures libros nullus eſt finis.* Nam id ſi verum eſt, vt ſol, cœlum, & aliæ vniuerſales cauſæ ſuo non[illegible]unquam influxu, & calore ſine medio effecta producunt: ſemper autem cum cauſis inferioribus ad oper[illegible] cuiuſlibet effectionem concurrunt, illudque cum medio, non ſine quadam excellentia creare cenſentur: ſic Ieſuitæ *leuiſſimorum ſcriptorum examen, tanquam odioſam veſparum aut tabanorum aciem ex ſe ſe profundunt*, reliqua mediatè tantum, & eminenter excudunt; quatenus illarum lucubrationum in ſcholis ſuis, & inſtitutione puerili quaſi fundamenta iaciunt, & ijs armis t[illegible]rones ſuos inſtrüunt, quæ aliquando contra magiſtros torqueant. Fatum hoc noſtrum eſt [illegible]; & vt eſt in epigrammate Græco, lupum capellæ vberibus admouere, aut vt ſanctiùs cum Sancto loquamur Ignatio *cum beſtijs depugnare*, & inter tot puerorum millia *die nocteque leopardis aliquibus colligari, qui & beneficijs deteriores fiunt; quorum quidem iniurijs magis erudimur.*

*Ridicula Aurelij calumnia.*

*[illegible]*

*Quomodo Ieſuitæ dici poſſint cauſa tot librorum qui ſcribuntur.*

*Ignat. ep. ad Rom.*

Multitudinem ſequitur imperitia, vt magni libri magna mala, ſeculum iſtud *non multiplicis ſcientiæ, ſed audaciæ ignorantiæ* faciant. Nondum enim te docuit Plinius ſenior, nullum eſſe librum tam malum, qui boni nihil habeat. Hoc ne de tuo quidem negaret. Non ſentis hanc eſſe rerum humanarum conditionem, vt ex bonorum malorumque commixtione formentur? Sed vt in corporibus elementi dominantis exceſſus ſuæ quodque naturæ attribuit, nomine denotat, loco aſſignat; vt in animalibus benè aut ſecùs affectis humor exuberans temperiem facit, aut morbum: ſic in illa vtilium inutiliumque, reconditorum & vulgarium mixtura, quæ pars maior eſt, ea libro qualitatem propriam confert. Itaque cum in excutiendo aduerſarij tui libro contendis aſſequi, *ne qua ſit minima res in qua gloriari poſſit ſe fuiſſe veracem*, rerum naturam corrumpis, & non librum illius, ſed iudicium tuum monſtroſum eſſe declaras. *Audaciæ* autem *ignorantiæ* nota, quàm iniuſtè Theologis huius æui tractatoribus inuratur ab Aurelio, docent Gamachæus, Mauclerus, Duuallius, Sauſſayus, Coëffetæus, Petronius ὁ [illegible], & ſimiles Theologiæ Pariſienſis primipilares, quorum glorioſi in rebus ſacris illuminandis labores, ætatem hanc ad poſteros ſumma cum laude & commendatione tranſmittunt. Neque parum ab ea Ieſuitæ abſunt, etiam ij qui mores Chriſtianis dignos Theologicâ ſubtilitate rimantur. Nam Toletus acri ſolidoque vir ingenio, poſt eas quæſtiones magna ſapientiæ opinione explicatas, ipſos quatuor & viginti annos in Palatio Pontificio Concionatoris munus obijt, eodem tempore Pœnitentiariæ, & ſanctæ Inquiſitionis conſiliarius. Ioannes Azorius *magno ingenio, excellenti memoria, aſſidua lectione, ſcripſit Rerum moralium Tomos tres, valdè eruditos.* Thomas Sanchez *vir fuit in quo virtus cum doctrina, ingenium cum aſſidua legendi auiditate certauit; & qui non*

*Scriptorum imperitiam arguit Petr. Aurelius.*

*Libri omnes aliqua parte vtiles.*

*In viros præſtantes iniurioſus Aurelius.*

*Franciſcus Toletus.*

Vide R b. l. de ſcript. Societ.

*Ioannes Azorius.*

*Thomas Sanchez.*

*minùs vtriuſque iuris, quàm Theologiæ cognitione* [illegible] *ul[illegible] fuit.* De[illegible] tas verè adamantinus, libris & ſtudijs imper[illegible] [illegible]c narratur. [illegible] vndecunque doctiſſimus, in Aphoriſ[illegible]orum opus *per annos ferè* [illegible] *diligentiſſimè incubuiſſe* ſe teſtatur. Et e[illegible] ijs qui recentiſſim[illegible]è ſcripſ[illegible] rius Reginaldus viginti annos & amplius, ſe i[illegible]lam ſcientiam pro[illegible] tamen ſuam in multis, ſed potiùs aliorum ſententiam ſequi gloriat[illegible] dem recentiorum: *quoniam*, inquit, *quæ circa* [illegible] *emergunt difficul[illegible]at* [illegible] *veteribus haurienda: quæ verò circa mores homine Chriſtiano dignos, à nouit[illegible] toribus, qui temporum noſtrorum naturam & ſtudia penitus introſpexerunt.*

[illegible] Sa. [illegible] ph. [illegible]. Va[illegible]ctius Reginald. Præfat. ad lect. *Doctrina morum à Recentioribus ſumenda.*

Hos & i[illegible]is pares, qui Theologiam Moralem diu docuerunt, exerc[illegible]nt libris explicarunt, caudices & fungos eſſe oportet, ſi poſſunt *auda*[illegible] *norantiæ* accuſari, ſi tanto ſtudio, tam longo rerum vſu [illegible]hil ſapere [illegible]r. Cum præſertim ſummam eius ſcientiæ neceſſitatem noſtra nobi[illegible] [illegible]ue[illegible] conditio. Nam omnibus Sacerdotibus præcipiunt Canones noſtr[illegible], [illegible] *bus conſcientiæ, ijs præſertim quæ ad cenſuras, caſus re[illegible]eruatos, &* [illegible]*eſtitutiones* [illegible] *nent, ſeſe diligenter exerceant.* Id opus tanti ad ſalutem momenti, vt conu[illegible] tiùs perfectiúſque confiat, habent in domibus ſingulis, *ſiue in ijs aliqua ſit, ſiue nulla publica Caſuum lectio, Sacerdotes inter ſe de Caſibus collationem ſemel [illegible] da, aliquo præſide, qui prudenter ac tutò poſſit hanc prouinciam ſuſtinere.* Quæ o[illegible] ex Concilij Tridentini decreto promanant, vt alumni Seminario[illegible] [illegible] alia *Sacramentorum tradendorum, maximè quæ ad confeſſiones audiendas videntur opportuna, & rituum ac cæremoniarum formas ediſcant.* In ijs autem quibus di[illegible] ceptatricem Theologiam tradimus, eius Doctores, *generalibus quibuſdam rerum moralium principijs, de quibus diſputari more Theologico ſolet, contenti, ſubtiliorem illam ac minutiorem Caſuum explicationem præterire*, atque illorum enar[illegible]atori tradere tanquam lampada iubentur; ne aut tam vtile ſtudium dicis tan[illegible]n cauſa ab hominibus occupatis perſtringatur, aut eius accuratior enodatio ſubtiliori Theologiæ fraudi ſit. Hæc cum addo, cautus Lector intelli[illegible]t, quam malignè ſcribat Petrus Aurelius, in noſtris Theologiæ Morali ſcripto[illegible], haberi *eandem illam quæſtionum congeriem, D. Thomæ commentatoribus tritam, & ſolennem, detractis duntaxat lacinijs quibuſdam tenuioribus, quas magis theoricas ſubtileſque dicunt.*

*Moralis Theologiæ ſtudium in Societate commendatum.* Reg. Sacer. §. 11. Reg. Prou. §. 13. Concil. Trid. ſeſſ. 23. c. 18. Reg. Prof. Theol. Schol. §. 9.

## EARUNDEM RERUM EXCUSATA *repetitio.*

### §. II.

*Frequentem earundem rerum repetitionem criminatur Aurelius. Licet ſcriptori ſua repetere.* Senec. l. de Tran. ani. c. 2. & ep. 89.

TERTIVM *enormis arrogantiæ Ieſuiticæ* caput eſt, earundem rerum & quæſtionum repetita & moleſta tractatio. Magnum enimuero crimen, vt cum multa, cum imperita ſcribant, nihil nouè afferant; ſed *importunè ſolum repetitos vulgarium cantilenarum ſuſurros.* Id-ne dicis Aureli, fieri eodem in opere, ab eodem auctore? Hoc non improbat Senecæ ſapientia, & *iſtis dicentibus; Quouſque eadem?* quam vocem *rabidarum deliciarum* appellat, reſpondere nos iubet, *Ego debeo dicere, quouſque eadem peccabitis? Remedia ante vultis quàm vitia deſinere.*

[illegible]*rere. Ego verò magis dicam & cuiar* [illegible] *tu, perſeuerabo.* Hoc pro [illegible] man-
n[illegible]bus d[illegible]um, qui [illegible] [illegible]rorum materiam pro tata [illegible] A *Licet eadem*
[illegible] ſcriptoribus eadē qu[illegible] i[illegible]ulca[illegible] N[illegible]dat hoc in co[illegible]er- *cum alys*
[illegible] quæſtionibu[illegible]inus, & eadem à pluribus diſputa[illegible], *& thare-* *ibere.*
[illegible] *inuesligant in caſtris Catholicorum non vnum aut alterum eſſe, ſed multos, qui cum eis* [illegible] *l. 1. Contr.*
[illegible] *fronte congredi audeant.* Quod factum vulgò ab antiquis Patribus, qui [illegible]
[illegible]orum furori oppoſuerunt vere prædicat. Alias eiuſdem conſilij cauſas
[illegible] S.Auguſtinus, vt perſpicuam in nonnul[illegible] explicationem, quæ in alij[s]
[illegible] : vt plurium librorum opportunitate[illegible], quorum ſaltem al[illegible]
in eorum manus deueniet, qui eis maximè indigeant. *Ideoque vtile eſt plures à* Aug. l. 2. de T[rin.]
*pluribus fieri diuerſo ſtylo, non diuerſa fide, etiam de quæſtionibus eiſdem, vt ad pluri-* c. 3.
*mos res ipſa perueniat, ad alios ſic, ad alios autem ſic.* Idem de Summiſtis quos vo-
cas, & morum rationes explicantibus, in quorum contemptum eloquentia
tua digreditur: idem de Theologia tua, cuius *calamitatem* in hac librorum
multitudine deploras; idem de philoſophia quam non attingis, quia ignora-
re profiteris, eodem iure diceretur.

Age verò, ſcriptores omnes qui aliorum inuenta non dedignantur, & ea *Licet alio-*
cum ſuis redonare publicæ luci gaudent, repetundarum accuſandos exiſti- *rum inuen-*
mas. Aliud cenſet Caſſius Longinus profanus ſcriptor, ſed Moſis laudator & *ta v[ti].* Caſſi Lon. *περὶ ὕψους.*
ſeuerus ſcribentium Ariſtarchus: factum illud appellat imitationem, non fur-
tum; expreſſam imaginem, non ſurreptionem. Alter vſurpauit S. Hierony-
mus, qui & S. Hilarium *ſimulis furti* reum producit, cum vterque ab Origene Hier. Prol.
multa mutuatus ſit, & obtrectatoribus reſpondet, *quod illi maledictum vehemens* l. 2. Com-
*exiſtimant, eam laudem ſe ducere maximam.* Et nominatis etiam Ethnicis primæ ment. in
notæ ſcriptoribus, eidem obnoxijs calumniæ, concludit. *Quorum omnium æmu-* Micheam.
*lari exopto negligentiam potiùs, quàm iſtorum obſcuram diligentiam.* Sed quid ais de *Plurimi Pa-*
Ambroſio, poſt Baſilium; de Minutio Felice, poſt Tertullianum; de Lactan- *tres imitati ſunt ſuperiores.*
tio, poſt Ciceronem; de Primaſio, poſt Hieronymum & alios; de Beda Vene-
rabili, poſt Auguſtinum; de Ruperto Tuitienſi, poſt Gregorium; de Toſta-
to, poſt D. Thomam; de D. Thomæ Metaphyſica, poſt Alexandrum Alen-
ſem; de eiuſdem D. Thomæ ſecunda ſecundæ, & Vincentio Bellouacenſi; de
Ioanne Zonara, & Theodoro Balſamone? Non vides te renouare illud, quod
iuſta Doctorum Pariſienſium cenſura damnauit, cum Berengarij Apologe-
ticum pro Abailardo magiſtro ſuo, negauit lucem commeruiſſe. Is autem eo Inter epi. Abailard.
loco S. Bernardi Sermones in Cantica *ex quadriga expoſitorum* acceptos crimi- ep. 17.
natur, *nihil illum noui dixiſſe, imò ſenſum alienum verbis eius veſtitum deprehendi:* *Contumelia*
*poſt tales tantoſque viros Bernardum arare; quaſi aliquid intentatum maiores noſtri* *in S. Ber-*
*reliquerint.* Hæc contumelioſè dicta, iure Facultas modeſta proſcribit: vt & *nardum.*
illud ſapienter, quòd Abailardi ipſius & Heloiſſæ in SS. Bernardum & Nor-
bertum acerbiores querimonias obelo cenſorio confixit: rata mali eſſe exem-
pli, quod in mores Chriſtianos peccatur. Spem igitur facit tempus aliquan-
do fore quo inuectiuam tuam coërceat, & pro linguario perpetuum indicat
ſilentium. Sed hæc ſaltem poſteritas, venio ad minora in propoſito.

Nonne de opere Monachorum narrauit Caſſianus, tractauit Auguſtinus, *Eandē ma-*
clamauit VVicleffus, diſputauit VValdenſis, amplificauit Illuſtriſſimus Bel- *teriam mul-*
licenſis? De Hierarchia Cœleſti & Eccleſiaſtica ſcripſerunt SS. Dionyſius, *ti tractarunt.*
Ignatius, Thomas, Bonauentura. Poſt priores Hugo Victorinus, Vercellen-

ſis, Linconienſis, VValdenſis, Mauc[illegible] Hal[illegible] poſt hoc [illegible] Doct[illegible] *quid opus fuit te?* Nonne aduerſus Re[illegible], & [illegible]iuam eorum [illegible] inſani[illegible] VVicleffus, bacch[illegible] eſt Luth[illegible], inſid[illegible]tus Hallier, ira[illegible] A[illegible]lius, mach[illegible]natus Seguenotus? De Regul[illegible]ribus omni ex parte Ep[illegible]co[illegible] ditioni poteſtatique reſtituendis qu[illegible] in n[illegible] ul[illegible]recés ſcripſerůt, Ioan. Fil[illegible] Franciſcus Hallier, Petrus Aurelius [illegible] Nicolaus le Maiſtre? Cur hic po[illegible] claros & nobiles? Niſi quòd arbitraretur [illegible] vt de ipſo certiſſimè com[illegible] priores verum quæſtionis cardinem non verſare. Et vide quam[illegible] dens in te pectes Aureli. Tuum volumen immenſum quid habet noui? [illegible] partiro totum diſſeco. Aliena quæ replicas vt confutes: contumel[illegible] nationes, conuicia, quæ in triuio & foris piſcarijs cantitantur. Hæc vt a[illegible] ttor noua non dices, vel vtilia: ego *veſparum & tabanorum aciem* voco [illegible] rum famam qui nulla re tibi nocuerunt immiſſam. Tertiam partem [illegible] Cenſuræ defenſio, & de quæſtionibus controuerſis diſputatio. Sed [illegible] ſe Franciſcus Hallier exercuerat quàm prodires: explicuerat Cenſorum [illegible]entem, conqueſtus fuerat aliter nonnulla in Apologia latina concipi, [illegible] quod ex Anglicana Doctoribus obtulerant interpretes: diſceptaue[illegible] rebus inter vos, & ſcriptores Anglos dubijs, ſubtiliter vt Theologus, ſi Re[illegible]ſorum odium excipis, & Prooemium, in quo te nobis & exhibet, & promi[illegible]tit; Tu quid præterea, tanto ambitu promiſſus, tanto datus? Imo quid [illegible] minùs præter iniurias? Ne libri titulum quidem immutaſti, cum prior tuum ſibi vendicaſſet. Nihil hic addo de illo opere quod polliceris; quod ſi ferret titulum, noui nihil, antiqua omnia reproducet, tanquam Copiolam embolariam anum pro miraculo in theatrum olim reductam.

*Aurelius ipſe noui nihil producit Operis Aureliani diuiſio.*

*Franciſci Hallier Vindiciæ.*

*Neceſſariũ eſt Theologiam Moralem a pluribus tractari.*

Itaque ſi crambem non vnam recoquere tibi indulges, quæ tandem inuidia eſt plurium labore Ieſuitarum Theologiam Moralem expoliri? vt cum nobilem æquè atque vtilem librorum eiuſmodi multitudinem vides, exclames verè ἰατρεῖον τῆς ψυχῆς! Non enim corporum magis, quam animorum curandorum ars longa, vita breuis eſt: & exciſa tantùm, non etiam auul[illegible] in nobis illa quam Adamus olim infeliciter libauit arbor, in horas, in momenta ſingula fruticatur. In communi denique hominum vita, licet eadem recurrete vitia videantur, alicuius tamen adiectione, aut defectu, aut etiam concurſu circumſtantiæ commutantur. Neque aut tam anguſta eſt artis i[illegible]us magnæ cognitio, vt ab vno ingenio tota exhauriri poſſit, aut ſterilis adeo natura, vt in vno ſimul homine ſe ſe totam effundat, ſine ſpe ſupparis vel acutioris alterius: aut humanæ vnius mentis tanta capacitas, vt materiam vnam omnem cum puluiſculo corradat, ſpemque noui vllius inuenti ſecuturis præſcindat. Mihi certè Magnus Dionyſius eius repetitionis vel auctor ſit, vel exemplu[illegible] qui dum excuſat, quòd de rebus ſublimibus & diuinis, poſt ter maximum Hierotheum ſcribere aggrediatur, concludit ita ſe diſſerere, vt nihil noui audeat inducere, ſed minutioribus quibuſdam partium ſingularum obſeruationibus, ea quæ breuiter ab Hierotheo dicta ſunt, diſtinguat & explicet. Moralem igitur Theologiam & Ieſuitæ, & alij, vt Nauarus, vt Bonacina, vt Diana, verſant omnes: in eadem quæſtione hanc iſte, alius aliam extricat difficultatem: eſt vbi aliorum iuuenta, ſuis rationum momentis faciant certiora: eſt vbi ſua ipſi prodant excogitata, & veterem materiam noua methodo intimè tractatam relinquant. Et vt in Concilio regio, multi ſententiam

*s Dionyſius explicat dicta ab Hierotheo. l. de Diuin. Nom. c. 3.*

rogantur,

rogantur, neque proſunt ij tantùm qui aut diuerſam à prioribus, aut priori nouas rationes adijciunt: ſed etiam qui ſolo pilei motu vni alicui aſſentiuntur, cum huius ſententiæ principi veritatis prærogatiuam donet turba ſequacium. Sic in hoc Senatu conſcientiæ plurimos conſulere & iucundum & ſecurum eſt, pluſque tibi commodat conſenſus omnium, quàm ſubtilitas repugnantium. Conſentire autem quomodò poterunt omnes, ſi eodem in ſubiecto non morantur? Interim duces agminum intentiùs ſpeculaberis, & quam quiſque ſpartam ornauit maximè, hanc amabis. Vis enim beneficia conſequi, retinere, exercere? Id quomodo perfectè facias docebit Azorius. Vis omnes vigilantis & boni Paſtoris explere numeros? Id tibi Polancus & Reginaldus tradent. Execraris Simoniam? Eius integram cognitionem accipies à Suare. Times cenſuras? Monſtrabunt exactè Suares & Auila quomodo euitentur. Aurum purum putum profanum habes, ſed vereris ne tuum non ſit? De vſura, deque reſtitutione Molinam & Leſſium tutò conſules. Deo & hominibus te iuratum addixiſti? Quatenus te votorum, iuriſque iurandi vincula conſtringant, quomodo te illis, ſi fieri poteſt, exoluas, accuratè narrabit idem qui ſæpe Suares, & Thomas Sanchez, inuiſa Aurelio nomina.

*Singuli rem vnam perfectè docẽt.*

Neſcis Aureli neſcis quàm pretioſa ſit gemma veritatis, quàm iucunda eius inuentio. Vidi medicos qui morientibus aſſiderent triſtes, attoniti, lacrymantibus oculis, quos cum ars ſua deficeret, ſi quis Deus remedium ſalutare ſuggeſſiſſet, næ illud totis opibus, ſuo ſanguine redemiſſent. Accedit ad te perplexo vir animo, lancinantis conſcientiæ vulneribus cruentatus: videt faciendum quod morte grauiùs timet; vult, quæ vt faciat nunquam inducetur: ſe, & bona ſua ſimul omnia ſalua cupit, ſed id fieri non poteſt. Hinc vrget animæ ſalus, hinc honoris, bonorum, familiæ. Quid enim vxor in poſterum? Quid tot liberi? Quid plena vt inter ciues, dignitatis domus? Expedi reſponſum: propè deſperationem res eſt. Omnia, vt es doctus, verſanti tibi radius conſilij non incommodi affulget; ſed periculum eſt ne dum alienam palpas conſcientiam, tuam vulneres. Reſpondeas tu in re tanta, in illo periculo vbi de iactura ſalutis agitur, quod vni tibi, alteri præterea nemini venit in mentem? Hunc tibi ſcrupulum eximant Suares, aut Leſſius, aut Molina, aut tres omnes conſulti, caſum tuum explicent, rationibus ſtabiliant, ſecuram faciant conſcientiam; non erumpes tu in lætum εὕρηκα? Non triumphabis gaudio? Abſtinebit cliens ille tuus ab oſculo libris ſalutaribus imprimendo? Clementi octauo iucundiſſimum accidit perplexam & implicatam de Matrimonio quæſtionem à Thoma Sanchez exquiſita perſpicuitate tractatam meditari. De Matrimonio Sereniſſimi Ducis Aurelianenſis cum Margareta Lotharena lectiſſima Principe, quanto ſtudio annis ſuperioribus ex Canoniſtarum & Theologorum Moralium doctrina iudicatum aut diſputatum eſt? Scimus repertum aliquando qui ſummam ingentem pecuniæ Confeſſarij iudicio reſtituendam deferret, atque ex itinere in amici Bibliopolæ officina conſiſteret. In qua roganti, num quid noui? oblatus eſt recens Theologiæ Moralis ſcriptor, quem ipſe neglectim & alia omnia cogitans dum euoluit, in caſum forte ſuum incidit, & reſtituendi obligationem ſolutam didicit. Tum enimuerò abiecta ſcrupuli ſarcina, tetento auri pondere, leuiorem domum repetijſſe. Rara hæc inquis, & admodum extraordinaria. Primùm, illud rarum & extraordinarium omni labore noſtro, ipſa vita redimemus ala-

*Quàm ſit vtile de Theologia Morali multos ſcribere.*

*Res probatur exemplis.*

tis locis, temporibus, perſonis definiuiſſe, quas illi cuiuſque facultati principes infinitè, adeoque ſpiſſius de vniuerſo genere tractauerunt.

*Quanta ſit eius Theologia neceſſitas.*

Quid autem huius ſcientiæ profeſſores humano generi contulerint, & in horas conferre non deſiſtant, nulla ſatis explicare poteſt oratio; cum ab ijs expiandarum, regendarumque animarum ratio ſumatur. Neque verò ignorare poteſt anima vetuſtatis Aurelius, quantùm antiqui Pontifices Canonibus inhæſerint mordicitus; quantopere illam cognitionem & obſeruantiam commendarint, quàm ingens de vno Nicæni Concilij Canone inter Zoſimum Papam, & Africanos Epiſcopos diſputata ſit controuerſia: quam ſæpe in Concilijs ipſis ad Canones prouocatum ſit. Nimis illuſtris eſt Concilij Carthaginenſis Canon, vt eum præterierit, quo decernitur in ordinandis Epiſcopis vel Clericis, vt priùs ab ordinatoribus ſuis decreta Conciliorum eorum auribus inculcentur, ne ſe aliquid contra ſtatuta Concilij feciſſe aſſerant. Etiamnùm Romæ tanto ea ſcientia in pretio eſt, vt ipſi Antiſtites, & Eccleſiæ purpurati ſe Canoniſtas, quàm ſubtiles Theologos eſſe malint & cenſeri. Neque minùs Sacerdotibus commendatur, cum illæ ipſæ leges Eccleſiaſticæ Parochum, aut quemuis alium Epiſcopo inferiorem, à Reſidentia in plures annos eximant, vt iuris Canonici cognitionem poſſit aſſequi. Quam curam Patres Tridentini reuocarunt decreto, vt alumni Seminariorum, inter cætera *Sacramentorum tradendorum, maximè quæ ad confeſſiones audiendas videbuntur opportuna, & rituum ac cæremoniarum formas ediſcant.*

*Vide Rad. Tung. l. de Obſer. can. propoſ. 3. Concil. Carth. 3. can. 3.*

*Sylueſt. V. Reſidentia q. 7. Concil. Trid. ſeſſ. 23. c. 17. de Reform.*

*Quanto ſtudio in Academia Pariſienſi culta ſit.*

Idem eſt modò, fuitque ſemper nobiliſſimæ Pariſienſis Academiæ in eam doctrinæ Chriſtianæ partem animus, vt in ijs videre eſt quæ tradit in exquiſito libello Hemeræus, longè ante tempora Gregorij IX. Pontificis maximi viguiſſe in ſcholis Clauſtri Pariſienſis Eccleſiæ, Iuris Canonici ſcientiam, quam vnus è Canonicis Decretorum Doctor traderet; ſed eam cum cæteris diſciplinis trans pontem ad cliuum Genoueſianum migraſſe, tanto ambitu, vt deſertis Clauſtri ſcholis, vetuſtateque penè obſitis, Cancellarius matricis Eccleſiæ, collabentem eius ſcientiæ apud ſuos gloriam ſuſtinere voluerit, iuramento ſolenni ac publico, Theologiæ ac Decretorum pilei candidatos adigens, ad Canonum decreta in ſolis Clauſtri ſcholis explicanda. Quod cum tranſpontanis Academicis iniquum videretur, iudicio apud Gregorium IX. ſuæ illius Scholæ ius & honorem repetijſſe: non facturum omnino, ſi vilis ac reijcula eſſet ſanctiſſimorum Canonum diſciplina. Sic autem progreſſu temporis corroboratam in Academia Genoueſiana eandem lectionem, vt iam illi Canoniſtæ Doctores ſoli & eſſe & haberi vellent, eumque honorem quaſi præſcriptionis iure Canonicis eriperent. Hos tamen illud ſtudium, repetundatum lege in ſcholas Epiſcopales reuocare appetentes, & Senatus Pariſienſis conſulto, & Clementis VII. decreto euiciſſe, vt *Canonici Pariſienſes poſſent legere decretum in ſcholis Clauſtri, & per lecturam Regentes haberentur, & eorum auditores iure & immunitate Scholaritatis vterentur.* Quam contentionem, cum ne ipſa quidem diſceptatrix Petri Lombardi Theologia paſſa ſit, eaque ſine vi, nemine manum inijciente, ab Magnæ Baſilicæ Parauiſo, ad Sorbonicas Nauarræaſque Scholas euolarit, quis dubitat maiores noſtros minùs ad hoc ſtudium, quàm ad illud fuiſſe propenſos?

*Claud. Hemer. l. de Acad. Pariſ. c. 5.*

*Wicleffus eius Canonicum eueriit.*

Et tamen vt phreneticos medicina, ſic homines aliquos ſalubris illa ſcientia patitur aduerſarios, & in ijs maximè VVicleffum & Aurelium, quorum ille

ille ad omnem proiectus audaciam academicis olim inclamabat, *Decretales Epiſtolæ ſunt apocryphæ, & ſeducunt à Chriſti fide; & Clerici ſunt ſtulti qui ſtudent eas.* Hic tectioribus ſcommatum & contemptus cuniculis eandem labefactare conatur, cum ait: *Dicant Canoniſtæ quàm volent.* Aut illud in odium Ieſuitarum: *Non ea vis Summarijs iſtis ſarcinarum textoribus. Immenſum leuiſſimorum ſcriptorum examen, quaſi odioſa veſparum aut tabanorum acies ſyncero doctrinæ melli, & oculis doctorum infeſta ſeſe profudit.* Atque illud intolerandi contemptus, *Maximè intolerandi ſunt illi Theologiæ Moralis, Inſtitutionum Moralium compilatores, in quibus nihil habes, niſi meros fucos, vulgatiſſima Cantica, elementa quotidiana ſcholarum.* Lubet primùm de nomine cum Grammatico velitari. Summiſtas & Summarios credis eſſe Canoniſtas? Non ita Claudius Hemeræus Pariſienſis Academiæ in ſcriptis inſtaurator, cuius ea ſententia eſt, à rebus theologicis, quæ auditoribus traderentur, impoſitum Magiſtris nomen Sententiariorum, quòd primò è ſententijs Patrum conflatæ eſſent: & à Summis Theologicis, Summiſtarum: primumque Patrum ſententias collegiſſe Hugonem Victorinum, & *Summam ſententiarum* edidiſſe. Petrum autem Abaillardum *ſacræ eruditionis Summam* conſcripſiſſe, quæ ſit Introductio diuinæ ſcripturæ. Ita duobus Theologorum generibus, quos primùm vidit Pariſienſis Academia, Biblicis, & Sententiarijs, Summiſtarum ſeu Summariorum nomen conuenire, non autem Canoniſtis.

*Concil. Conſt. ſeſſ. 8. prop. 38.*

*Canoniſtas mirifici contemnit Petrus Aurelius. p. 733. 514. 516.*

*Summiſtarum nomen malè acceptum.*

*Sententiarij, & Summiſtæ qui? Claud. Hemer. l. ex. c. 5.*

Sed hæc reduuia eſt, quam curamus in eo cui cor & caput dolet. Quid putas cauſæ eſſe, Lector, cur tam efferatum & immane in hoſce doctores odium conceperint VVicleffus & Aurelius; atque hic præcipuè qui nihil niſi *Canones paſſim* inflatis buccis perſonat? An fortaſſe vt aquæ limpitudinem turbare neceſſarium habet camelus, ne fœda dorſi verruca appareat; ſic iſtis volupe eſt lumen, quo animi receſſus explorantur extinguere, ne turpes animi ſui maculas vel ipſi, vel quiuis alius agnoſcat? Puerile quidem luſionis genus eſt, vt cum faciem manibus obduxeris, putes à nemine te videri, quia nihil ipſe perſpicias. Sed & crudelis inuidentia, vt cum oculos ipſe tibi effoderis, oculatum feras neminem. Quanquam in huius conatu & inſtituto diſpicere mihi videor aliquid, quo ſe tanta iniuſtitia tueatur. Nunquid enim iure ſuccenſet Chriſtianæ caritatis officia monſtrantibus, qui penitùs illam peſſundare in animum induxit ſuum? Mendacia *vanitates & inſanias falſas* aperientibus, qui ſe totum calumniæ poſſidendum tradidit? Inter iuſtitiæ opera famæ & exiſtimationis reſtitutionem imperantibus, magis, quàm pecuniæ, qui non hominem, ſed Religioſum Ordinem vniuerſum; non profanos & laïcos, ſed Deo dicatos homines; non ſolitarios, & ſibi vnis vacantes, ſed in media hominum luce & vtilitate viuentes, honore & fama quantùm poteſt deuoluit: idque non rebus exigui momenti detractis, ſed doctrina hæreticos, vita moribuſque perditos eſſe, quæ duo erant alienæ ſalutis inſtrumenta, ſuadendo palam omnibus, libro edito, qui & huic ſeculo, & longè ampliùs poſteritati nociturus eſſe videatur? Abſque illa reſtitutione peccatum remitti poſſe negantibus; lethali noxâ conſtrictum hominem ad panis viuifici participationem accedentem immani ſe ſacrilegio polluere affirmantibus, qui ſit auſus Sacerdos ſacroſancta & horrenda Religionis ſanctiſſimæ myſteria, ſæpe ſæpius cum illa ſceleris ſui conſcientiâ manibus

*Cur hunc ſcientiam minimè ſit Aurelius?*

nibus *Theologicis lucubrationibus*, imo vniuerſo ſeculo gratificari me arbitror. Quòd ſi quis plus iuſto deuiare me à linea queritur, eius errores agnoſcat quem inſector veſtigijs, quique ſcriptoribus alijs obiectat *incredibiles à veris puriſque fontibus euagationes.*

Itaque *ſeculi, & potiſſimùm Theologiæ noſtræ calamitatem* dolet vir ſapientiſſimus Petrus Aurelius, ob infinitam librorum multitudinem *qui quotidie ſine fine cumulantur*, qui ſua propudia *publicare, ſuas mundo labes offerre geſtiunt.* Eiuſmodi profectò non eſt medulla doctrinæ Petrus Aurelius, qui ſe Phariſæi inſtar, *ſolum decipit, quem ſolum excipit, dum cæteros damnat.* Quod cum *vnis propemodum Ieſuitis* Theologia debeat, illi *viliſſima imperitiæ mercimonia palam proponere, imparia vndique materijs propoſitis ingenia audent.* Denique *omnium maximè intolerandos eſſe illos Theologiæ Moralis compilatores, pene omnes Ieſuitas*, in quibus *nihil habes niſi meros fucos, vulgatiſſima cantica, elementa quotidiana ſcholarum, eandem quæſtionum congeriem.* Quæ tria hoc loco ventilanda ſunt, antequam ad Thomæ Sanchez Apologiam deueniamus.

*Sequentis diſputationis cum Petro Aurelio capita tria proponuntur.*

## DE NIMIA LIBRORUM MULTITUDINE *& imperitia.*

§. I.

IAM *orbis gemere cœpit* tot librorum *mole oppreſſus.* Narrat M. Cicero Catonem inuitantem *deambulatum*, à quodam reprehenſum, *quid opus eſt de?* liberaliſſimo ioco reſpondiſſe, *imo quid opus eſt te?* Syllabas ille, libros Aurelius vult præcidi, dum odioſam multitudinem *verè craſſorum operum mole* aggrauat: vt non immeritò à nobis audiat, ergo *quid opus eſt ee?* Dic autem ſeculi noſtri Cato, *iam-ne* primùm ſub illa librorum multitudine *orbis gemere cœpit?* Non id ſuo æuo queſtus eſt S. Hieronymus? Non Seneca & Perſius Neroniano? Non ille ſcribendi pruritus Græcos omnium ſeculorum ſemper titillauit, vt in Diogene Laërtio, & Athenæo videre eſt, qui nomina ſcriptorum nobis ignota, in rebus leuiſſimis ab obliuione vendicant? Quò ingentia, inquis, volumina? Quære id à Chryſippo literarum paraſito, à Varrone Romanorum doctiſſimo, à Didymo Grammatico, cui millia librorum quatuor aſſignantur. Nam Mercurio Triſmegiſto nemo Ægyptius vt crimen obiecit, ſcriptos *de Dijs Empyreis libros centum, totidem de Æthereis, mille de Cæleſtibus: tradita vniuersè myſteria Ægyptiorum omnia, viginti, aut vt Manethus recenſet, triginta millibus voluminibus: itemque ſex millibus & quingentis viginti quinque: in eis perfectè omnia demonſtrata.* In ijs multa trita, ſuperflua, leuia dici oportuit. Stoïcis mortalium ſapientiſſimis perſuaſum ſemper fuit, *non facile eſſe inuenire qui quod ſciat ipſe non tradat alteri,* quæ prima librorum origo eſt. De ſe fatetur Seneca Romanæ ſapientiæ viuum & ſpirans ſimulacrum. *In hoc gaudeo aliquid diſcere, vt doceam: nec me vlla res delectabit, licet eximia ſit, & ſalutaris, quam mihi vni ſciturus ſim. Si cum hac exceptione detur ſapientia, vt illam incluſam teneam, nec enuntiem*

*De nimia librorum multitudine queritur.*

*Iocus Catonis.* Cic 2. de Orat.

*Ab omni æuo ſuit immenſa librorum copia.*

*Didymi Grammatici librorum 4000.*

*Mercurij Triſmegiſti lucubrationes innumeræ.* Iamblic. l. de Myſter. Ægypt.

Cic 3. de finib.

Senec. ep. 6.

*reijciam. Nullius boni ſine ſocio iucunda poſſeßio.* Hinc ingentes illæ Bibliothecæ, non optimis tantùm & vtiliſſimis, ſed etiam ſpernendis auctoribus refertæ: quorum quadringenta, imo potiùs ſeptingenta millia Alexandriæ Pompeiano bello arſerunt. *Quid habes*, inquit Stoïcus, *cur ignoſcas opera conquirenti aut ignotorum auctorum aut improbatorum, & inter tot millia librorum oſcitanti? Apud deſidioſiſſimos videbis quicquid orationum hiſtoriarumque eſt, & tecto tenus inſtructa loculamenta. Iam enim inter balnearia, & thermas, bibliotheca quoque, vt neceſſarium domus inſtrumentum perpolitur.*

*Bibliotheca Alexandrina.*
Seneca l. de Tranq. Animi c. 9.
Gell. l. 6. c. vlt.

*Ars Typographica vtilitas.*

Priùs iſta ſuorum in luxu computabat vir ſapiens, quàm ſub typographico prælo ſudarent auctores, quàm momento vno mille litteræ, tanquam Cadmi milites naſcerentur. Excogitata autem ſingulari Dei beneficio Typographia lucem ingenijs peperit, ſubſidium literis, ornamentum bibliothecis, doctis immortalitatem, vitam diſciplinis, nomen Aurelio. Propter hæc iratus, illi Petrus Aurelius *Theologiæ ſuæ calamitatem* imputat, ſatis conſcius quam ex arte gloriam ſperaueraт, grande dedecus, & futuris ſeculis infamiam reportaturum. Claudius Hemeræus ex aduerſo Academiæ Pariſienſis illuſtrator, ætatis noſtræ felicitatem deprædicat, *cui diuina ars excudendorum typis librorum, & volumina multiplicauit, & fecit vt ære multò minori coëmerentur.* Cum antea Pariſienſis Eccleſiæ ſupellex in peculio ſuo numeraret *Bibliothecam in quatuor voluminibus. Quinque item volumina librorum, videlicet, Vitas ſanctorum, & Expoſitiones.* Item *Martinetum*, Item *Paſtorale nouum & vetus, & Collectarium*; Item *Quinque Pſalteria.* Cum Archiepiſcopus Eboracenſis S. Edmundo poſtea Cantuarienſi Archiepiſcopo, ab inferioribus ſtudijs ad Theologiam in Academia Pariſienſi tranſitum gratulatus, *Bibliam vnam proprijs ſumptibus prepararet*, iſque munus illud, tanquam nimis pretioſum recuſaret, veritus ne quod Monaſterium ex eius ſcriptura contingeret onerari. Æſtima, Lector, vtri duorum iudicium ſit æquius, ſeculum amicius, optatior ſcientia. Ego ſic arbitror, neque ſeculo, neque Typographiæ, neque Theologis ſcriptoribus dicturum malè Aurelium, niſi hac ratione Ieſuitas vulneraret. Sic enim ironicè,

Hemeræus l. de Acad. Pariſ. c. 6.

*Ingens librorum raritas.*

*Hanc temporum felicitatem vnis propemodum Ieſuitis Theologia debet.* Verè & ſeriò *felicitatem*: quando ea copia parabilem ſcientiam ſine nauſea facit. *Sapientibus & inſipientibus debitorem* ſe fatetur Apoſtolus. In natura quod aliæ prætereunt animantes, aliarum cibus eſt. Quòd ſi multi tibi Ieſuitæ libros videntur ſcribere, ſcito plures in tam numeroſo eſſe corpore quos non doctrina, ſed aut otium, aut voluntas ad id præſtandum deſtituat. Vnum tibi propono Iacobum Laynium S. Ignatij in formanda Societate noſtra adiutorem, in regenda ſucceſſorem. Is in Tridentino Concilio, id eſt ampliſſimo Chriſtiani orbis theatro, Theologus Pontificius, publicè profeſſus eſt *nullum ſe pro ſua ſententia Patrem atque Doctorem in medium allaturum, quem non ipſe totum à capite ad calcem peruolutaſſet, ex eoque locos ea de re complures, qui in controuerſiam caderent, collegiſſet. Ac deinde in ſola de Euchariſtiæ myſterio diſputatione, ſex circiter & triginta protulit Patres, & in ijs Alphonſum Toſtatum.* Hunc hominem vt arbitror à ſcribendo deterruiſſet tua illa de *veſparum & tabanorum acie* querela. Plures afferre poſſum mihi probè notos, ſi non æqualis doctrinæ, illius certè quæ tua ſcripta luce ſua perſtringeret.

*Quàm ſit vtilis multitudo librorum.*

*Multi viri docti a ſcribendis libris abſtinent.*

*Iacobi Laynez doctrina.*
Orlandin. hiſt. Soc. l. 11. n. 37.

At non

At [illegible] [illegible] a [illegible] ibi Ieſuitis: abſit. Qui[illegible]ni [illegible] P[illegible]us Au[illegible] & a[illegible] Sed opera [illegible]ſuitarum fieri, vt a [illegible] [illegible]ur au[illegible]toribus. Factioni[illegible] hæreticæ [illegible]miniſtrum in Germania na[illegible]t, [illegible] [illegible]lice prædicantem, perſuaſiſſe malitiam in Ieſuitis ab antiquo cotro-b[illegible]tam exiſtere, hoc potiſſimùm argumento, quod Saül innocentiſſimo Da[illegible] [illegible]arium bellum nunquam indixiſſet, niſi confeſſarij [illegible] Ie[illegible]æ im-pu[illegible]u & [illegible] eo adigeretur. Eodem ſchemate [illegible] [illegible]brorum cop[illegible] *[illegible] propemodum Ieſuitis debuit* æuum Salomonis, qua[illegible] a[illegible]monendo compe[illegible] Eccleſiaſtes: *Faciendi plures libros nullus eſt finis.* Nam [illegible] verum eſt, vt ſol [illegible] cœ-lum, & aliæ vniuerſales cauſæ ſuo non[illegible]unquam in[illegible]uxu, & cal[illegible]re ſine me-dio effecta producunt: ſemper autem cum cauſis inferioribus ad operis cuiuſ-libet effectionem concurrunt, illudque cum medio, non ſine quadam excel-lentia creare cenſentur: [illegible]c Ieſuitæ *leuiſſimorum ſcriptorum examen, tanquam odioſam veſparum aut tabanorum aciem ex ſe ſe profundunt*, reliqua mediatè tantum, & eminenter excu[illegible]t; quatenus ill[illegible]tum lucubrationum in ſcho-lis ſuis, & inſtitutione pueri[illegible] quaſi fundamenta iaciunt, & ijs armis t[illegible]nes ſuos inſtruunt, quæ aliquando contra magiſtros torqueant. Earum hoc no-ſtrum eſt θρεψιοτροφεῖν; & vt eſt in epigrammate Græco, lupum capellæ vberi-bus admouere; aut vt ſanctiùs cum Sancto loquamur Ignatio *cum beſtijs depu-gnare*, & inter tot puerorum millia *die nocteque leopardis aliquibus colligari, qui & beneficijs deteriores fiunt; quorum quidem iniurijs magis erudimur.*

*Ridicula Aurelij calumnia.* — *Quomodo Ieſuitæ dici poſſint cauſa tot librorum qui ſcribuntur.* — Ignat. ep. ad Rom.

Multitudinem ſequitur imperitia, vt magni libri magna mala, ſeculum iſtud *non multiplicis ſcientiæ, ſed audacis ignorantiæ* faciant. Nondum enim te docuit Plinius ſenior, nullum eſſe librum tam malum, qui boni nihil ha-beat. Hoc ne de tuo quidem negaret. Non ſentis hanc eſſe rerum humanarum conditionem, vt ex bonorum malorumque commixtione formentur? Sed vt in corporibus elementi dominantis exceſſus ſuæ quodque naturæ attri-buit, nomine denotat, loco aſſignat; vt in animalibus benè aut ſecùs affe-ctis humor exuberans temperiem facit, aut morbum: ſic in illa vtilium inu-tiliumque, reconditorum & vulgatium mixtura, quæ pars maior eſt, ea li-bro qualitatem propriam confert. Itaque cum in excutiendo aduerſarij tui libro contendis aſſequi, *ne qua ſit minima res in qua gloriari poßit ſe fuiſſe veracem*, rerum naturam corrumpis, & non librum illius, ſed iudicium tuum mon-ſtroſum eſſe declaras. *Audacis* autem *ignorantiæ* nota, quàm iniuſtè Theo-logis huius æui tractatoribus inuratur ab Aurelio, docent Gamachæus, Maucletus, Duuallius, Sauſſayus, Coëffetæus, Petronius ὁ μακαρίτης, & ſimi-les Theologiæ Pariſienſis primipilares, quorum glorioſi in rebus ſacris illu-minandis labores, ætatem hanc ad poſteros ſumma cum laude & commen-datione tranſmittunt. Neque parum ab ea Ieſuitæ abſunt, etiam ij qui mores Chriſtianis dignos Theologicâ ſubtilitate rimantur. Nam Toletus acri ſolidoque vir ingenio, poſt eas quæſtiones magna ſapientiæ opinione ex-plicatas, ipſos quatuor & viginti annos in Palatio Pontificio Concionato-ris munus obijt, eodem tempore Pœnitentiariæ, & ſanctæ Inquiſitionis conſiliarius. Ioannes Azorius *magno ingenio, excellenti memoria, aſſidua lectione, ſcripſit Rerum moralium Tomos tres, valdè eruditos.* Thomas Sanchez *vir fuit in quo virtus cum doctrina, ingenium cum aſſidua legendi auiditate certauit, & qui non*

*Scriptorum imperitiam arguit Petr. Aurelius. Libri omnes aliqua parte viles.* — *In viros præſtantes iniurioſus Aurelius.* — *Franciſcus Toletus.* Vide Rib. l. de ſcript. Societ. — *Ioannes Azorius. Thomas Sanchez.*

*minùs vtriuſque iuris, quàm Theologiæ cognitione* [illegible] *ſint.* De [illegible] ras verè adamantinus, libris & ſtudijs im per[illegible] nariatur. [illegible] vndecunque doctiſſimus, in Aphoriſ[illegible] m opus *per annos* [illegible] *diligentiſſimè incubuiſſe* ſe teſtatur. Et ex ijs qui recentiſſimè ſcripſe[illegible] rius Reginaldus viginti annos & amplius, ſe illam ſcientiam pr[illegible] tamen ſuam in multis, ſed potiùs aliorum ſententiam ſequi glori[illegible] dem recentiorum: *quoniam*, inquit, *quæ circa fidem emergunt difficul*[illegible] *vet*[illegible]*ibus haurienda: quæ verò circa mores homine Chriſtiano dignos, à nouis*[illegible] *toribus, qui temporum noſtrorum naturam & ſtudia penitus introſpexerunt.*

Sa[illegible] ph. [illegible] R[illegible]ld. P[illegible] ad lect.

*Doctrina morum à Recentioribus haurienda.*

Hos & illis pares, qui Theologi[illegible] in Moralem diu docuerunt, exe[illegible]unt, libris explicarunt, caudices & fungos eſſe oportet, ſi poſſunt *auda*[illegible] *tia* accuſari, ſi tanto ſtudio, tam longo rerum vſu [illegible]hil ſapere d[illegible] Cum præſertim ſummam eius ſcientiæ neceſſitatem noſtra nobi[illegible] conditio. Nam omnibus Sacerdotibus præcipiunt Canones noſt[illegible], [illegible] *bus conſcientiæ, ijs præſertim qui ad cenſuras, caſus reſeruatos, &* [illegible]*ſtitutione*[illegible] *nent, ſeſe diligenter exerceant.* Id opus tanti ad ſalutem momenti, vt conu[illegible] tiùs perfectiùſque confiat, habent in domibus ſingulis, *ſiue in ijs aliqua ſit,* [illegible] *nulla publica Caſuum lectio, Sacerdotes inter ſe de Caſibus collationem ſemel* [illegible] *da, aliquo præſide, qui prudenter ac tutò poſſit hanc prouinciam ſuſtinere.* Quæ o[illegible]ia ex Concilij Tridentini decreto promanant, vt alumni Seminari[illegible] alia *Sacramentorum tradendorum, maximè quæ ad confeſſiones audiendas vi*[illegible] *tur opportuna, & rituum ac cæremoniarum formas ediſcant.* In ijs autem quibus [illegible] ceptatricem Theologiam tradimus, eius Doctores, *generalibus quibuſdam rerum moralium principijs, de quibus diſputari more Theologico ſolet, contenti, ſubtiliorem illam ac minutiorem Caſuum explicationem præterire,* atque illorum enarratori tradere tanquam lampada iubentur; ne aut tam vtile ſtudium [illegible] tan[illegible] in cauſa ab hominibus occupatis perſtringatur, aut eius accu[illegible]ior enodatio ſubtiliori Theologiæ fraudi ſit. Hæc cum addo, cautus Lector intelli[illegible], quàm malignè ſcribat Petrus Aurelius, in noſtris Theologiæ Morali ſcriptoribus, haberi *eandem illam quæſtionum congeriem, D. Thomæ commentatoribus tritam, & ſolennem, detractis duntaxat lacinijs quibuſdam tenuioribus, quas magis theoreticas ſubtileſque dicunt.*

*Moralis Theologiæ ſtudium in Societate commendatum.*

Reg. Sacer. § 11.

Reg Pro[illegible] § 13.

Concil. Trid. ſeſſ. 23. c. 18.

Reg. Prof. Theol. Schol. § 9.

### *EARUNDEM RERUM EXCUSATA repetitio.*

### § II.

*Frequentem earundem rerum repetitionem criminatur Aurelius. Licet ſcriptori ſua repetere.*

TERTIVM *enormis arrogantiæ Ieſuiticæ* caput eſt, earundem rerum & quæſtionum repetita & moleſta tractatio. Magnum enimuero crimen, vt cum multa, cum imperita ſcribant, nihil nouè afferant; ſed *importunè ſolum repetitos vulgarium cantilenarum ſuſurros.* Id-ne dicis Aureli, fieri eodem in opere, ab eodem auctore? Hoc non improbat Senecæ ſapientia, & *iſtis dicentibus, Quouſque eadem?* quam vocem *rabidarum deliciarum* appellat, reſpondere nos iubet, *Ego debeo dicere, quouſque eadem peccabitis? Remedia ante vultis quàm vitia deſinere.*

Senec. l. de Tran. ani. c. 2. & ep. 89.

[illegible] *nere. Ego verò magis dicam & cuiarecu[illegible]tu, perſeuerabo.* Hoc pro i[illegible] man[illegible] dicam, qu[illegible] [illegible]a[illegible] librorum materiam pro rata r[illegible] A [illegible] ſcriptoribus eade[illegible] [illegible] incu[illegible] ca[illegible]. N[illegible] diſſimulat hoc in co[illegible]er[illegible] [illegible] quæſtionibus fieri [illegible]larminus, & eadem à pluribus diſputari, *vt hære[illegible] [illegible] intelligant in caſtris Catholicorum non vnum aut alterum eſſe, ſed multos, qui cum eis [illegible] fronte congredi audeant.* Quod [illegible]act[illegible]m vulgò ab antiquis Patribus, qui [illegible]e A[illegible]rum furori oppoſuerunt vere prædicat. Alias [illegible]ſdem conſilij cauſas profert S. Auguſtinus, *vt* perſp[illegible]cuam in nonnul[illegible] [illegible]plicationem, quæ i[illegible] s deſideratur: vt plurium librorum opportunitatem, quorum ſaltem a[illegible] in eorum manus deueniet, qui eis maxime indigeant. *Ideoque vt le eſt plures à pluribus fieri diuerſo ſtylo, non diuerſa fide, etiam de quæſtionibus eiſdem, vt ad plurimos res ipſa perueniat, ad alios ſic, ad alios autem ſic.* Idem de Summiſtis quos vocas, & morum rationes explicantibus, in quorum contemptum eloquentia tua digreditur: idem de Theologia tua, cuius *calamitatem* in hac librorum multitudine deploras; idem de philoſophia quam non attingis, quia ignorare profiteris, eodem iure dicetur.

*Licet eadem cum a[illegible] ribere.* — Bellar. præ. l. 1. Contr. — Aug. l. 2. de T[illegible] c.

Age verò, ſcriptores omnes qui aliorum inuenta non dedignantur, & ea [illegible]um ſuis redonare publicæ luci gaudent, repetundarum accuſandos exiſti[illegible]as? Aliud cenſet Caſſius Longinus profanus ſcriptor, ſed Moſis laudator & [illegible]rus ſcribentium Ariſtarchus: factum illud appellat imitationem, non furtum, expreſſam imaginem, non ſurreptionem. Aliter vſurpauit S. Hieronymus, qui & S. Hilarium *ſimulis furti* reum producit, cum vterque ab Origene multa mutuatus ſit, & obtrectatoribus reſpondet, *quod illi maledictum vehemens exiſtimant, eam laudem ſe ducere maximam.* Et nominaris etiam Ethnicis primæ notæ ſcriptoribus, eidem obnoxijs calumniæ, concludit. *Quorum omnium æmulari exopto negligentiam potiùs, quàm iſtorum obſcuram diligentiam.* Sed quid ais de Ambroſio, poſt Baſilium; de Minutio Felice, poſt Tertullianum; de Lactantio, poſt Ciceronem; de Primaſio, poſt Hieronymum & alios; de Beda Venerabili, poſt Auguſtinum; de Ruperto Tuitienſi, poſt Gregorium; de Toſtato, poſt D. Thomam; de D. Thomæ Metaphyſica, poſt Alexandrum Alenſem; de eiuſdem D. Thomæ ſecunda ſecundæ, & Vincentio Bellouacenſi; de Ioanne Zonara, & Theodoro Balſamone? Non vides te renouare illud, quod iuſta Doctorum Pariſienſium cenſura damnauit, cum Berengarij Apologeticum pro Abailardo magiſtro ſuo, negauit lucem commeruiſſe. Is autem eo loco S. Bernardi Sermones in Cantica *ex quadriga expoſitorum* acceptos criminatur, *nihil illum noui dixiſſe, imo ſenſum alienum verbis eius veſtitum deprehendi: poſt tales tantoſque viros Bernardum arare; quaſi aliquid intentatum maiores noſtri reliquerint.* Hæc contumelioſè dicta, iure Facultas modeſta proſcribit: vt & illud ſapienter, quòd Abailardi ipſius & Heloiſſæ in SS. Bernardum & Norbertum acerbiores querimonias obelo cenſorio configit: rata mali eſſe exempli, quod in mores Chriſtianos peccatur. Spem igitur facit tempus aliquando fore quo inuectiuam tuam coërceat, & pro linguario perpetuum indicat ſilentium. Sed hæc ſaltem poſteritas, venio ad minora in propoſito.

*Licet aliorum inuenta [illegible]* — Caſſi Lon. [illegible] — Hier. Prol. l. 2. Comment. in Micheam. — *Plurimi Patres [illegible] pſerunt.* — Inter epi. Abailard. ep. 17 — *Contumelia in S. Bernardum.*

Nonne de opere Monachorum narrauit Caſſianus, tractauit Auguſtinus, clamauit VVicleffus, diſputauit VValdenſis, amplificauit Illuſtriſſimus Bellicenſis? De Hierarchia Cœleſti & Eccleſiaſtica ſcripſerunt SS. Dionyſius, Ignatius, Thomas, Bonauentura. Poſt priores Hugo Victorinus, Vercellen-

*Eandē materiam multi tractarūt.*

ſis, Linconienſis, VValdenſis, Mauclerc [illegible] Hall[illegible] poſt hoc [illegible]en Doct[illegible] *quid opus fuit te?* Nonne aduerſus Reli[illegible]os, & [illegible] quam eo[illegible] prob[illegible] inſanijs VVicleffus, bacchatus eſt [illegible] [illegible]tus Hallier, irat[illegible] Aurelius, [illegible]atus Seguenotus? De Re[illegible] [illegible] omni ex parte Ep[illegible] ditio[illegible] poteſtatique reſtituendis qu[illegible] [illegible]ecēs ſcripſerūt, Ioan. F[illegible] Franciſcus Hallier, Petrus Aurelius, Nicolaus le Maiſtre? Cur hi po[illegible] claros & nobiles? Niſi quòd arbitraretur[illegible] vt de ipſo certiſſimè [illegible]om[illegible] priores vetum quæſtionis cardinem non verſare. Et vide quant[illegible] dens in te pectes Aureli. Tuum volumen immenſum quid habet n[illegible] parti ito torum diſſeco. Aliena quæ replicas vt confutes: contumeli[illegible]i-nationes, conuicia, quæ in triuio & foris piſcarijs cantitantur. Hæc vt a[illegible] ttor noua non dices, vel vtilia: ego *veſparum & tabanorum aciem* [illegible]n[illegible]-rum famam qui nulla re tibi nocuerunt immiſſam. Tertiam parte[illegible] [illegible]t Cenſuræ defenſio, & de quæſtionibus controuerſis diſputatio. Sed [illegible] ſe Franciſcus Hallier exercuerat quàm prodires: explicuerat Cenſorum mentem, conqueſtus fuerar aliter nonnulla in Apologia latina concipi, [illegible]am quod ex Anglicana Doctoribus obtulerant interpretes: diſceptauc[illegible] [illegible]pbus inter vos, & ſcriptores Anglos dubijs, ſubtiliter vt Theolog[illegible]s, ſi[illegible] ſorum odium excipis, & Prooemium, in quo te nobis & exhi[illegible], & prom[illegible]tit; Tu quid præterea, tanto ambitu promiſſus, tanto datus? Imo qui[illegible] minùs præter iniurias? Ne libri titulum quidem immutaſti, cum prior tuum ſibi vendicaſſet. Nihil hic addo de illo opere quod pollicetis; quod ſi ferti-tulum, noui nihil, antiqua omnia reproducet, tanquam Copiolam embolariam anum pro miraculo in theatrum olim reductam.

*Aurelius ipſe noui nihil produxit operis Aurelium diuiſio.*

*Franciſci Hallier vindiciæ.*

*Neceſſarium eſt Theologiam Moralem a pluribus tractari.*

Itaque ſi crambem non vnam recoquere tibi indulges, q[illegible] tandem inuidia eſt plurium labore Ieſuitarum Theologiam Moralem expoliri: vt cum nobilem æquè atque vtilem librorum eiuſmodi multitudinem vide[illegible], exclames verè ἰατρεῖον τῆς ψυχῆς! Non enim corporum magis, quam animorum curandorum ars longa, vita breuis eſt: & exciſa tantùm, non [illegible]am aut[illegible] nobis illa quam Adamus olim infeliciter libauit arbor, in horas, in momenta ſingula fruticatur. In communi denique hominum vita, licet eadem recurrere vitia videantur, alicujus tamen adiectione, aut defectu, aut etiam concurſu circumſtantiæ commutantur. Neque aut tam anguſta eſt artis illius magnæ cognitio, vt ab vno ingenio tota exhauriri poſſit, aut ſterilis adeò [illegible]atura, vt in vno ſimul homine ſe ſe totam effundat, ſine ſpe ſupparis vel acutioris alterius: aut humanæ vnius mentis tanta capacitas, vt materiam vnam omnem cum puluiſculo corradat, ſpemque noui vllius inuenti ſecuturis præſcindat. Mihi certè Magnus Dionyſius eius repetitionis vel auctor ſit, vel exempl[illegible] qui dum excuſat, quòd de rebus ſublimibus & diuinis, poſt ter maxim[illegible]m Hierotheum ſcribere aggrediatur, concludit ita ſe diſſerere, vt nihil noui audeat inducere, ſed minutioribus quibuſdam partium ſingularum obſeruationibus, ea quæ breuiter ab Hierotheo dicta ſunt, diſtinguat & explicet. Moralem igitur Theologiam & Ieſuitæ, & alij, vt Nauarus, vt Bonacina, vt Diana, verſant omnes: in eadem quæſtione hanc iſte, alius aliam extricat difficultatem: eſt vbi aliorum iuuenta, ſuis rationum momentis faciant certiora: eſt vbi ſua ipſi prodant excogitata, & veterem materiam noua methodo inti[illegible]è tractatam reliquant. Et vt in Concilio regio, multi ſententiam

*ſ Dionyſius explicat dicta ab Hierotheo. l. de Diuin. Nom. c 3.*

rogantur,

rogantur, neque proſunt ij tantùm qui aut diuerſam à prioribus, aut priori nouas rationes adijciunt: ſed etiam qui ſolo pilei motu vni alicui aſſentiuntur, cum huius ſententiæ principi veritatis prærogatiuam donet turba ſequacium. Sic in hoc Senatu conſcientiæ plurimos conſulere & iucundum & ſecurum eſt, pluſque tibi commodat conſenſus omnium, quàm ſubtilitas repugnantium. Conſentire autem quomodò poterunt omnes, ſi eodem in ſubiecto non morantur? Interim duces agminum intentiùs ſpeculaberis, & quam quiſque ſpartam ornauit maximè, hanc amabis. Vis enim beneficia conſequi, retinere, exercere? Id quomodo perfectè facias docebit Azorius. *Singuli rem ſuam perfectè docent.* Vis omnes vigilantis & boni Paſtoris explere numeros? Id tibi Polancus & Reginaldus tradent. Execraris Simoniam? Eius integram cognitionem accipies à Suare. Times cenſuras? Monſtrabunt exactè Suares & Auila quomodo euitentur. Aurum purum putum profanum habes, ſed vereris ne tuum non ſit? De vſura, deque reſtitutione Molinam & Leſſium tutò conſules. Deo & hominibus te iuratum addixiſti? Quatenus te vororum, iuriſque iurandi vincula conſtringant, quomodo te illis, ſi fieri poteſt, exoluas, accuratè narrabit idem qui ſæpe Suares, & Thomas Sanchez, inuiſa Aurelio nomina.

Neſcis Aureli neſcis quàm pretioſa ſit gemma veritatis, quàm iucunda eius inuentio. Vidi medicos qui morientibus aſſiderent triſtes, attoniti, lacrymantibus oculis, quos cum ars ſua deficeret, ſi quis Deus remedium ſalutare ſuggeſſiſſet, næ illud totis opibus, ſuo ſanguine redemiſſent. Accedit ad te perplexo vir animo, lancinantis conſcientiæ vulneribus cruentatus: videt faciendum quod morte grauiùs timet; vult, quæ vt faciat nunquam inducetur: ſe, & bona ſua ſimul omnia ſalua cupit, ſed id fieri non poteſt. Hinc vrget animæ ſalus, hinc honoris, bonorum, familiæ. Quid enim vxor in poſterum? Quid tot liberi? Quid plena vt inter ciues, dignitatis domus? Expedi reſponſum: propè deſperationem res eſt. Omnia, vt es doctus, verſanti tibi radius conſilij non incommodi affulget; ſed periculum eſt ne dum alienam palpas conſcientiam, tuam vulneres. Reſpondeas tu in re tanta, in illo periculo vbi de iactura ſalutis agitur, quod vni tibi, alteri præterea nemini venit in mentem? Hunc tibi ſcrupulum eximant Suares, aut Leſſius, aut Molina, aut tres omnes conſulti, caſum tuum explicent, rationibus ſtabiliant, ſecuram faciant conſcientiam; non erumpes tu in lætum εὕρηκα? Non triumphabis gaudiæ? Abſtinebit cliens ille tuus ab oſculo libris ſalutaribus imprimendo? *Quàm ſit vtile de Theologia Morali ſcribere.*

Clementi octauo iucundiſſimum accidit perplexam & implicatam de Matrimonio quæſtionem à Thoma Sanchez exquiſita perſpicuitate tractatam meditati. *Res probatur exemplo.* De Matrimonio Sereniſſimi Ducis Aurelianenſis cum Margareta Lotharena lectiſſima Principe, quanto ſtudio annis ſuperioribus ex Canoniſtarum & Theologorum Moralium doctrina iudicatum aut diſputatum eſt? Scimus repertum aliquando qui ſummam ingentem pecuniæ Confeſſarij iudicio reſtituendam deferret, atque ex itinere in amici Bibliopolæ officina conſiſteret. In qua roganti, num quid noui? oblatus eſt recens Theologiæ Moralis ſcriptor, quem ipſe neglectim & alia omnia cogitans dum euoluit, in caſum ſorte ſuum incidit, & reſtituendi obligationem ſolutam didicit. Tum enimuerò abiecta ſcrupuli ſarcina, retento auri pondere, leuiorem domum repetijſſe. Rata hæc inquis, & admodum extraordinaria. Primùm, illud rarum & extraordinarium omni labore noſtro, ipſa vita redimemus ala-

criter, nos eius parentis filij, qui perbenè ſecum agi putabat, ſi vel vni lethali peccato impediendo totam vitam impenderet. Deinde licet centum, licet mille quotidiana illa verbis, ſi vis, totidem attulerint: tamen Caius hic, & Titius, non in illos omnes, ſed in iſtum nouitium incurrunt: caſu quidem, ſed qui in Deo prouidentia, in Angelo cuſtodia, in Caio prædeſtinationis effectus eſt. Auream ſalutis catenam iam inde ab æterno, non ex illis centum & mille, ſed ex hoc vno pendere Deus voluit. Niſi ſcriberet hic, non ſaluaretur ille, vt ex S. Auguſtino monuimus. Amabo te Petre Aureli, tu qui *diues es & nullius eges*, ne, per Chriſti viſcera, pauperibus inuide librum vnum, quem ipſis æterna Dei electio, ſanguis Chriſti comparauit.

## P. THOMÆ SANCHEZ ADVERSUS PETRI *Aurelij calumnias iuſta defenſio.*

§. III.

*Thomam Sanchez nouum non habet Petrus Aurelius.*

EO tandem redit, vnde dudum digreſſa eſt Petri Aurelij oratio, ad P. Thomam Sanchez, cuius nomine odium in omnes Theologiæ Moralis ſcriprores prætexit. Cui à fœdiſſimis calumnijs purgando præmittere, & publicè iure meo poſſum edicere, neque ipſum Thomam Sanchez, neque eius ſcripta vllo pacto eſſe nota Petro Aurelio conuiciatori; quem impudentiæ, libidinoſæ proteruiæ, & flagitioſæ doctrinæ reum peragere totis eloquentiæ ſuæ viribus contendit. Atqui ab eius vita moribuſque, nihil fuit magis alienum, quàm quod hoſtis Ieſuitarum criminatur. Narrant enim qui eum nouerunt, qui eius conuictu familiaritateque vſi ſunt, *Ardentiſſima illum caritate, flagrantiſſimo animarum Zelo, constantiſſimo orationis ſtudio, profundiſſima humilitate, Angelica caſtimonia, obedientia promptiſſima, paupertate prorſus euangelica, incredibili abſtinentia* etiam vſque ad ſanctitatis laudem floruiſſe: corporis continua maceratione, ſenſuum omnium mortificatione, *omnibus carnis blandimentis ſanguinarium bellum habuiſſe indictum.* Vitam omnem ea puritate & innocentia duxiſſe, *vt qui eius excepere totius vitæ confeſſiones, fidem faciant nullius peccati lethalis labe inquinatum vnquam fuiſſe.* Ex priuatis eius ſchedijs excerpta nonnulla magnarum virtutum clara & crebra exercitia, id quod narratum eſt, teſtantur, quæ ab illo indefeſſo labore, & admirabili conſtantia, totos tres & quadraginta, quibus in Societate noſtra vixit annos, vſurpata dicuntur; quo lectorem exaggeratæ ſtudioſum virtutis inuito. Sed de reſtibus illis, vt pote domeſticis, excipit Petrus Aurelius, negatque *Ieſuitam ſanctitatis iudicem idoneum eſſe.* Fuerit ergo Deo & ſibi qualiſcunque tandem Thomas Sanchez; de ſcriptis quod propoſui, non auribus, ſed oculis tuis, Lector, probare ſpondeo, illa Petro Aurelio neque nota, neque viſa eſſe.

*Quæ fuerint in eo virtutes. Præf. ad lect. in 1. tom. operis Moralis.*

*Thomæ Sanchez ſcripta quæ carpit Aurelius, nunquam legit. Male citari Sanchem nō animaduertit Aurelius.*

Primùm enim vel citatus ab aduerſario locus conſuli debet ab eo qui reſpondeat, vel omnino nullus. Hic igitur ſi eſt ignotus Aurelio, quem alium tali in auctore conſpexerit? Id verò ſic habere demonſtant duo, alterum quòd falſis non reſpondeat, alterum quòd ipſe falſa reſpondeat. Sic enim Spongia, vt ab Aurelio deſcribitur. *Audiamus auctorem l. 6. c. 7. n. 12. ita ſcribentem.* Imo non hæc *c. 7* ſcribit Sanchez, ſed c. 1. libri illius 6. In textu autem nonnulla mutat detrahitque verba, quod ſine ſtomacho nunquam præterijſſet Aurelius,

lius, ſi legendo deprehendiſſet. Quid autem ad iſta reſpondet Aurelius? Thomam Sanchez *loco indicato nullum eius ſententiæ auctorem afferre, niſi ſe; doctrinæ eius nouitatem auctoritatum & teſtimoniorum omnium ſilentio palam agnoſcere.* Prouoco ad librum; vide, lege Lector numero ſequenti 13. quo ſuam opinionem rationibus confirmat, citatos *D. Thomam, Durandum, Innocentium Pontificem* id eſt, *Gratianum, Gloſſam, Abbatem, Syluestrum, Roſellam, Angelum, Tabienam.* Non ſunt auctores iſti & teſtes? Si vel lambendo, vt canes Ægyptij Nilum, citatum ſcriptorem libaſſet Aurelius, in eo deſiderari *auctoritatei & teſtimonia* reſponderet? Et poſt veritatem tam audacter aſſeueranterque neceſſario loco, cum reſpondendi officium perurgeret, palam & publicè proditam, exigere fidem à nobis audebit Aurelius? Aduerſarijs ſi vel ſyllaba peccant falſi crimen impinget, ipſe in flagranti delicto deprehenſus? Reſponſionis ſuæ ſolidum robur oſtenrabit, cui ſatis eſt ſcriptoris vnius auctoritatem eleuare, quaſi vnus ſit, qui tot tamque grauium doctorum comitatu ſeptus inducitur?

*Grauis Aurely hallucinatio in citando Thoma Sanchez.* Sanchez Tom 1. opi Moral. l. 6. c. 1. n. 13.

Alterum Thomæ Sanchez opus de Matrimonio eſt, rribus Tomis diſtinctum, libris decem comprehenſum, *denſum* profectò, ſed eruditum, & *doctis viris valdè probatum.* Illud non ſuo, ſed alieno calculo damnare ſe non obſcurè indicat Petrus Aurelius, cum in longa amplificatione nihil ſe dicere Deum ſanctè teſtatur, *niſi publicum cordatis viris, à melioribus Theologis ſæpe deploratum.* Quod equidem fateor ijs omnibus videri, qui de ſcripro ex nomine præiudicanr. Nam & hæreticum nuper puri verbi miniſterium affectantem, vidimus putis Aurelij verbis in Thomam Sanchez iactantem conuicia: iure quidem ſuo: nam hæretici Germani iſtas Aurelij Vindicias typis excudendo, fecerunt ſuas. At omnes illi audita Mattimonij voce, ſtatim lecti genialis ſecreta concipiunt; & in Matrimonio neque Sacramentum, vt in Eccleſia; neque contractum, vt in Republica; neque contubernium & conuictum, vt in familia cogitanr. Iis etiam probis & Religioſis viris ſuſpectæ admodum virtutis opus illud eſſe agnoſco, quibus ignotum eſt. In quorum ſententia ſine ambiguitate Petrum Aurelium colloco, vt qui ne digitis quidem extremis volumen attigerit. Nam illa vulgi opinione, tanquam entheo furore correptus, ſimul etiam vt eò ſanctior apparear, quò vitium verboſiùs execratur, in torum opus declamat, omnibus ditis deuouendum objcir, & vniuerſum vno grandi veru configit; quaſi nulla pars peſtilenti veneris contagione careat; cum tamen in ſpiſſo opere trium Tomorum vix duo loci vbi *de debito coniugali*, deque *Matrimonij impedimento & impotentia* tractatur, infirmorum lædere poſſint conſcientiam: cætera cum proba & honeſta, tum omni eruditione referta ſint. Itaque idem Aurelio contingir, quod homini cuidam bardo & ſtolido, qui palarium arte & magnificentia viſendum, ipſe horridum & infame iudicet, quod in eo *latrinam & cloacam* (ſunt enim comparationes iſtæ ab Aurelio) reperiri cettis auctoribus acceperit. Atqui cloacas etiam inter admiranda Romanæ vtbis recenſete non etubuit ex probaris ſcriptoribus Iuſtus Lipſius. Quo tu igitur animo Petre Aureli, totum in opus inueheris? Quo conſilio *ſordes & ſterquilinia* tanquam Iſocratis myrothecium voluis & reuoluis? Qua fronte præſtantem lucubrationem, mulris partam ſudatamque vigilijs, ne de indicibus quidem perſpectam, adeò crudeli ſtylo confodis? Alterum enim è duobus fatearis neceſſe eſt, te aut negligéria veri opinionem de

*Opus de Matrimonio ab ys reprehenditur quibus ignotum eſt.*

*Illud non legit Petrus Aurelius.*

triuio ſecutum ignoto libro notam inurere cenſoriam, quod eſt iniquiſſimum: aut veritate prodita, odio partium, effrenata maledicendi cupiditate, perlectum & intimè cognitum librum plauſibilibus calumnijs onerare; quod demens & perditum. Huius te quidem culpæ affinem facit inuerecundia, illius audacia imperita, vtriuſque bellum in Ieſuitas ſine cauſa, ſine fine ſuſceptum.

*Sanior aduerſùs Thomam Sanchez obiectio.*

Verùm ſaniori aliquem mente audire videor mecum ſic agentem. Peccarit ſanè Petrus Aurelius, cum aliquot membrorum infamia totum corpus temere & falsò aſperſit. At certè locos illos pro mole operis fortaſſe paucos, pro verecundiæ legibus nimis quàm multos, neque falsò neque temerè lancinat. Nam & nuper exortus ille Hermodori nomine Viator Incognitus, ſapientum iudicio ſolet improbari, quod amatoria mercimonia per aduerſarij libros obtuſiùs ſparſa, in vnum collegerit, & cum Ouidianis collata propudijs, in Lectoris cuiuſlibet oculos mentemque transfuderit. Is enim dum æmuli conſcientiam vellicat, noſtram vulnerat; dum ſcriptoris vnius quærit infamiam, lectorum omnium perdit innocentiam.

*Hermodorus, ſeu viator incognitus.*

*Subiecti neceſſitas ea ſcribere compulit Thomam Sanchez.*

Equidem quis ille ſit Hermodorus, quid-ve agat non inquiro; ſuus cuique labor in deplorato, & virtuti non ſatis amico ſeculo plus ſatis eſt. Vnum dico, Thomæ Sanchez, & huius Incogniti longè diſparem eſſe rationem. Enimuerò nulla ſuſceptæ defenſionis neceſſitate adactus librum extremum, tanquam colophonem præcedentibus addidit Hermodorus. Sanchez autem ſui operis inſtitutum mancum & mutilum relinqueret, ſi ad iſta ducente ſubiecto delatus, curſum diſputationis abrumperet, & quod in Matrimonio quæritur, de Matrimonio reticeret. Concedit hanc Medicis licentiam corporum noſtrorum ſanitas, vt has fæces pinguiſſima tractent minerua, grauibus & doctis viris animorum curatoribus, illa caſtigatioris verecundiæ negabitur?

*Medicis ea conceditur licentia.*

Fileſ. l. 1. Select. c. 11. Dolet Fileſacus Adriani Alemanni Medici Pariſienſis *Commentaria in Hippocratis librum de morbis mulierum, luce digniſſima, à neſcio quo plagiario in perpetuas tenebras immeritò damnata fuiſſe*: cur opus doctiſſimum cuius in angulo de morbis animorum neceſſariò dicendum fuit, lucem aſpexiſſe indignatur Aurelius, Fileſaci manu obſtetricante in lucem editus? Si libero dicendi campo, flores quos ipſe vellet Sanchez eligeret, haberet Aurelius quod argueret hos potiùs, quàm illos decerpi & olfieri. Verum materiæ tractatæ neceſſitas Thomam Sanchez in paludem, non in campum detulit, cœnum calcare compulit, à laudatis floribus, terræ oculis coëgit abſtinere, quid hic ab æquo iudice non excuſandum? Et huius rei exemplum à Fileſaco ſuo petere potuit Petrus Aurelius. Nam ille in Selectis vagante & infinita materia, quæ ſexcenta nobiliſſimæ curioſitatis argumenta, Theologo Philologiæ non imperito vltro & ſponte offert, è quibus ſine vlla tractatus iniuria hæc ſecernere, illa reſpuere iucunda libertas eſt, alienum à grauitate Theologica non duxit, in paucis illis quæ ſelegit capitibus, edocere *Fratru & Sororis* nomina in amoribus vſurpati, Clericorum cum Agapetis vetuſtam conſuetudinem, ἔργον prætextatum eſſe verbum, & obſcœno ſenſu intelligendum Apoſtoli locum, *ne quis circumueniat in negotio fratrem ſuum:* portentoſas Eunuchorum libidines, tria illorum eſſe genera, Tlibias, ſpadones, caſtratos: exſectas à Gyge feminas, quò florerent diutiùs, & alia eiuſcemodi, quæ in Fileſaco Selecta, in Thoma Sanchez materia ſunt.

*Exemplo Fileſaci potuit excuſari Sanchez ab Aurelio.*

Fileſ. l. 1. Select. c. 10 11. & l. 2. tit. Vxor iuſta. 1. Theſ. 4.

Potuit

Potuit eadem in cauſa, neceſſitatis clypeo Robertum de Sorbona auguſtiſſimi Panathenæi parentem & fundamentum, ab Aurelianis calumnijs tegere Margarinus de la Bigne Doctor Sorbonicus: ſed in vtilitate perfugium quęrere maluit, dum ad eius libros præfatur. *In eorum vno, de Confeßione, videri poſſe paulò plus æquò minutim perſecutum luxuriæ ſpecies, & appendices. Ac nec puduit Paulum huiuſmodi plura dicere (ait ter maximus Chryſoſtomus) & medicus medicas manus altiùs immergit vulneri, quod curaturus eſt. Nec de hoc argumento habenda oratione, ſed ipſis factis eſt erubeſcendum.* Legat hæc de Sorbonicorum principe, à doctiſſimo viro Sorbonico dicta Petrus Aurelius, & animo temperet aduerſùs Thomæ Sanchez innocentiam ferocienti. Cuius opus quantæ ſit vtilitatis, dum illud non tantùm à confeſſarijs, ſed etiam à doctis ſecularibus conſulitur, quotidiana nos docet experientia. De Clemente VIII. Pontifice maximo & nos ante diximus, & tacere non potuit Aurelius. Multos ipſi vidimus, plures audiuimus, quibus liber ille ſcrupulos exemit, nodos exoluit, conſcientiam pacauit. Et vanus eſt à corruptione flagitiorumque doctrina terror. Quotus enim quiſque volumen illud adit? Pauci docti, graues, ſapientes, quibus bono ſimplicique oculo accedentibus, & in eo ſtudio *diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum.* Quàm ridiculum eſt vereri ne petulantes adoleſcentes, libidinoſæ mulierculæ, honeſtæ matronæ morum corruptelam inde petant? Vis ſcire quàm raro Matrimoniale iſtud opus exploretur? Ne Petrus quidem Aurelius, cui ex officio inuectiuæ, ſaltem indices, & capitum ſummam percurrere incumbebat, curſim oculis libare voluit. Non ſic ille, de quo in argumento, Hermodorus, quem vernacula loquentem lingua, curioſas & æuo currente agitatas quæſtiones explicantem, forti, nobili, eloquenti aduerſario reſpondentem, puellæ & matronæ inter quaſillos & penſa poſſunt intelligere.

*Tractatum vtilitas à duobus excuſat.*
*Exemplo Roberti de Sorbona.*
Habetur Tom. 5. Bibliotb. PP. edit. 4. Margar. de la Bigne. Præfat. in eum.
*Et Pauli Apoſtoli.*
*Fruſtra timetur ex illo libro damnum animorum.*

Habet hoc præterea priuatum Incognitus, quod aduerſarij dicta cum profano poëta ſic comparet, vt neget Ouidium ijs libris qui ſunt auctoris exilio mulctati, quicquam amatorium docuiſſe, quod alter ſcribendo non exerceat exprimatque. Thomas autem Sanchez ſanctorum doctorumque virorum auctoritate ſe tuetur, neque quicquam nouè producit in vulgus, ſed alicuius antiquioris iunioris-ve ſcriptoris teſtimonio ante probatum recenſet. Quod in ipſo operis veſtibulo profitetur. *In Doctoribus percipiendis, me facilè errare poſſe non diffiteor; lectionis vero defectui nollem adſcriberetur; nihil enim aut ferè nihil refero, quod ipſe oculis non viderim, & ſi præ manibus librum aliquem non habui, illum refero qui eundem alleget.* Itaque propoſitis opinionibus longam vt plurimùm, auctorum ſeriem videbis, ijs etiam locis qui tantopere ſugillantur; & non raro agmen ducere D. Thomam, D. Antoninum, Albertum magnum, S. Bonauenturam, & primi nominis Theologos. Non poteſt igitur Aurelij calculo damnari Thomas Sanchez, quin eadem ruina duces ſuos inuoluat: neque illi profligatæ peſſundatæque caſtitatis litem intendere, quin hos etiam in ius obtorto collo trahat. Immanis demum exaggeratio, fulminis inſtar, vni minata capiti, obliquo in alia fertur impetu, & in laureatis ſanctorum verticibus bruta diſſoluitur. Aberrat quoque longiùs idem fulgur, & plures alios impetit, quos ipſe minimè velit. Nam Robertum de Sorbona, de quo iam dictum, affligit: S. Cyrillum Alexandrinum ea de ſpadonibus dicere, & Suidam non malum auctorem ex eo deſcribere Fileſacus admo-

*Multorum ſanctorum exemplo defenditur Thomas Sanchez.*
*Nihil affert Sanchez ſine auctore, quem legit.* Prol. l. 1. de Matr. n. 1.

*Veteres Patres ijs ſcribendis non abſtinuerunt.* Cyrill. Alex. Suid. Fi. eſ. l. cit. c. 21. Augu. l. 7. & 14. de Ciuit. Dei. Epiph. hær. 25 & 26. Chryſoſt. hom. 6. in 1 ad Theſſ. *Scriptura ſacra verecunda non læſa.* Augu. l. 2. Conf. c. 16.

net, *quæ vix ſine rubore legi poſſunt.* D. Auguſtinus de ſacrorum Ethnicorum turpitudine, de liberorum procreatione, in opere caſtigatiſſimo de Ciuitate Dei, ea profert quæ præfata venia excuſare cogatur. Neque aliter D. Epiphanius Nicolaïtas & Gnoſticos, monſtra libidinum, ad viuum exprimit, ratus ab incautis periculoſius eorum ignorari flagitia, quàm perdiſci ſuis à lectoribus. Hanc verborum neceſſitatem in D. Paulo agnoſcit D. Chryſoſtomus; Ea verba Paulum enarrans in apertum producit S. Anſelmus. Ac licet Hebræorum Magiſtri ſuæ linguę ſanctitatem deprędicent, in eoque collocent, quòd nulla verborum proprietate partes reſque obſcœnas appellet: quacunque tamen circumlocutione ſit opus, illas non infrequenter indicat ſcriptura, quæ neque crimen peſſimum, neque libidinoſos effluxus, inceſtuoſas commixtiones, ἄρσεν ἐν ἄρσενι ſubticenda putauit. *Neque accuſat* S. Auguſtinus, *verba quaſi vaſa electa atque pretioſa*: cum nequitia quælibet animo æſtimetur; & in indifferentibus verborum inuolucris quęſitos aliquando turpes intellectus Quintilianus ipſe Rhetor antiquus indignetur.

*Petri Aurelij praeceps audacia aduerſus Thomam Sanchez ſomentia.*

Itaque ſi remoto omni Aſiaticæ luxuriantis eloquentiæ choragio, verum hac in cauſa de Petro Aurelio iudicium ferre volumus, dicendus profectò eſt vt cœcus de coloribus, ira præceps audacia, de ignoto auctore & ſcripto, ſeueram pronunciare ſententiam. Fœda veri ignorantia, affectata falſi ſcientia, furore in Ieſuitas, vnius ex ipſis abuſus nomine, diuinam Scripturam, Patres, Theologos, Canoniſtas, Medicos, lacerare & cruentare: qui enormis amplificationis labori, & infinito ſuo dedecori iuſtiùs pepercisſet, ſi antequam ad id ſcribendum animum appuliſſet, opus exoſum vel ſemel, vel vna pagina, columna vna, obuia, ſpontanea, deguſtare dignatus foret. Leue eſt quod poſtulo, in eo tamen ſi repulſam paſſus ſum, quo iure, qua lege eredi ſibi quippiam vſpiam flagitabit?

*Fidem in alijs non meretur Aurelius.*

---

*EIVSDEM HIERARCHIÆ SECVNDVS ORDO qui eſt Doctorum Theologia ſpeculatiua perſtringitur.*

## CAPVT XVII.

*Theologia Scholaſtica commendatio.*

QVEMADMODVM Scripturæ recapitulatio Chriſtus eſt, ita librorum omnium epitome Theologia ſpeculatiua, Dei & Chriſti Cherubica contemplatrix. Hæc eſt *Aquila grandis magnarum alarum, plena plumis & varietate, quæ venit ad libanum* diuinæ ſcripturæ, *& tulit medullam Cedri*: vt eo cibo nutrita in cœlum euolare, & irretortis oculis Iuſtitiæ ſolem intueri poſſit. Hoc Gazophylacium iuxta altare poſitum, quò ditiſſima quæque Patrum antiquorum ingenia aurum ſuum contulerunt, ex quo accipiant Doctores iuxta ordinem ſuum, & inſtaurent ſarta tecta domus Domini. Hæc turris Dauid cum propugnaculis ſuis: mille clypei pendent ex ea omnis armatura fortium, in Concilijs congregatorum. Hæc eſt famula Eſtheris, cui Regina Eccleſia, mundo muliebri iam per eam exornata innititur, ſeculari Scientia fluentem ſtolæ laciniam, & ſuperflua ſyrmatis ſuſtinente. Hoc candelabrum aureum totum,

duabus

duabus hinc inde oliuis iugiter manantibus illuſtratum: Veteris ſcilicet & Noui Teſtamenti ſacris ſcriptoribus: ex quibus ſecundùm ſummi Sacerdotis officium, lucernam mundiſſimam concinnauit communis omnium Magiſter, Pariſienſis Antiſtes.

Hi Cherubini oraculum obumbrantes, quorum alter humanam, diuinam alter ſcientiam Eccleſiæ communicat. Cherubini vndique oculati: *Quia lux diuina ſuper ipſos tranſfuſa, ipſos ſingulariter illuminat; vt omnibus ſub ſe conſtitutis ipſis mediantibus euidentiſſimè ſe oſtendat*. Obuerſo inuicem vultu ſe ſe aſpiciunt: *quia vnuſquiſque alterius debet eſſe oculus, & alieno periculo velut proprio cum diſcretionis moderamine contraire*. Deum ſibi inſidentem recipiunt, cum ſit vt monuimus, Thronica tota hæc Hierarchia: *ex eo enim quod lumen capiunt, luminis locus fiunt: & quos quietos, humiles, & manſuetos inuenit, in ipſis familiariùs requieſcit*. Ex eo loco diuina proferuntur oracula: ſiquidem *audiebat* Moſes *vocem loquentis ad ſe de propitiatorio, quod erat ſuper Arcam inter duas alas Cherubim. Sic Religioſi & literati viri, ſunt quaſi interpretes Dei, ad aures ſimplicium Laicorum, & ipſorum Laicorum ad aures Dei*. Denique Cherubinis deputata eſt ſpecialiter paradiſi cuſtodia. *Et hoc videtur eſſe proprium officium Religioſorum, & Doctorum, & Prælatorum, vt tam ex vitæ merito, quàm ex officio viam arctam quæ ducit ad vitam in ſe cuſtodiant, & alijs oſtendere non deſiſtant.*

*Comparantur Theologi cum ordine Cherubinorum.*
Bonaul. de Hier. Eccl. p. 1. c. 4.

Duæ iſtis lampades, aut ſi mauis, oculi, Scriptura ſacra, & Patrum ſententiæ. Hinc Doctores, alij Biblici, alij Sententiarij: illos commendat antiquitas, hos ſubtilitas. *Magiſtri erunt Theologiæ*, inquit Robertus de Sorbona, *& legent in magna Biblia. Felix Lutetia in qua ſancti codices tanto ſtudio reuoluuntur; & eorum perplexa myſteria ſuperfuſi dono ſpiritus reſoluuntur: in qua tanta lectorum diligentia, tanta denique ſcientia ſcripturarum, vt in modum Cariath-ſepher meritò dici poſſit Ciuitas literarum*. Patrum Sententias *primus collegit Hugo Victorinus. Sed in eo genere vigiliarum ſcholaſticarum Petrus Lombardus omnium iudicio palmam tulit*: inſtitutum S. Auguſtini complexus, & in Schola Genoueſiana ſacrarum diſciplinarum Magiſter. In Scholis autem Eccleſiæ Pariſienſis magna fuit gloria Petri Comeſtoris, qui & ipſe *abdidit ſe tandem in latebras ſolitudinis Victorinæ, ad muros vrbis, imitatus Campellenſem*. Deuoluta deinde eſt illa diſceptatricis Theologiæ maieſtas ad viros ſanctiſſimos, Bonauenturam & Thomam clariſſima Eccleſiæ lumina, qui Haimerico Vatienſi Academiæ Cancellario doctorali pileo coronati ſunt. Quæ ex Claudio Hemetæo collecta huc transfero, vt agnoſcat nobiliſſima Pariſienſis Facultas, quantùm ornamenti à Regularibus viris iam olim acceperit: dum alia ex parte illud Galliæ acceptum refert Eccleſia, (ſi quid filiæ mater debere poteſt) vt Regum Chriſtianiſſimorum armis, Præſulum doctrina ſteterit.

*Vnde duplex Theologia ſcientia.*
Robert. de Sorbona. l. Iter Paradiſi.
*Lutetia encomium.*
Philipp. Abbas Bonæ ſpei.
Heme. l. de Acad. Pari. c. 5.
*Petr. Lombardus Canonicus Regularis.*
*Petrus Comeſtor Monachus in S. Victoris.*
*S. Thomas & Bonauentura Doctores Pariſienſes.*

Hoc per te, Lutetia, Chriſtianus orbis conſecutus eſt, vt fidem ſuam methodo ac via cognoſcat. Nata eſt in inſulis Pariſienſibus Theologia, reptauit in lilijs & ſanctiſſimi Regis paludamento, adoleuit in auguſtiſſimo Sorbonæ Collegio, quod ſemper primum ac princeps, perdiu ſolum, altas in diuina ſapientia radices egit, donec in propheticam creuit arborem, magnam & fortem, *Proceritas eius contingens cœlum, aſpectus eius vſque ad terminos vniuerſæ terræ; folia eius pulcherrima & fructus nimius, eſca vniuerſorum in ea*. Nam quæ Academia Alexandrum V. Innocentium III. Gregorium X. Hono-

*Facultatis Theologiæ Pariſienſis vera laus.*
Dan. c. 4.

rium IV. Bonifacium VIII. Clementem VII. Quæ ciuitas Guillelmos Pariſienſes; Petros Lombardos, Cantuarienſes Anſelmos, Lanfrancos, Thomas Aquinates, Alexandros Alenſes, Albertos Magnos; Bonauenturas, Scotos, Durandos, & cætera terrarum ſidera peperit? Quæ alia ſchola inteſtinum Eccleſiæ diſſidium miſſis ad Concilium Conſtantienſe decretis ſategit componere? E quo alio Collegio prodierunt, qui Græcos diuturni aduersùs Spiritum Sanctum erroris in Florentino Concilio reuicerunt? Quinam alij luctuoſiſſimis temporibus hæreticorum furori ſe ſe oppoſuerunt murum pro domo Iſraël? Nota vox Buceri Nouatorum anteſignani: *Tolle Thomam, & diſſipabo Eccleſiam.* Suffoca nobiliſſimum Sorbonæ partum, ſolem è cœlo, animam è mundo, Theologiam, inuentum Sorbonicum ab Eccleſia tolle, errorum tenebris, hæreticorum tempeſtatibus reddis obnoxiam. Hoc agnoſcit, & vnius Facultatis Pariſienſis factum in vniuerſæ Theologiæ gloriam iure meritiſſimo traducit Gabriel Vaſquez. *Quantùm*, inquit, *Scholaſticæ diſciplina, & Doctores illius ad tuendam fidem Catholicam in Eccleſia profuerint, vel vna Pariſienſis Schola, cæterarum mater, hiſce temporibus nobis argumento eſſe poterit, quæ inter tot hæreſium procellas, ciuitatem illam, & maximam Galliarum partem ſeruauit incolumem.* Et quæ ſequuntur infelici nimiùm ſeculo ab externo homine dicta.

Vaſq. in 1.P.q. 2. diſp.3. c.2. Pariſienſis Schola cæterarum mater.

Salue magna Theologiæ parens, regia diuinæ ſapientiæ, arx & metropolis Chriſtianæ ſcientiæ, Catholicæ panopliæ officina, fidei portus & ſtatio, hæreſum ſcopulus, quam ſanctiſſimis doctiſſimiſque viris conſtantem nemo vnquam non ſuſpexit Catholicus, non timuit hæreticus; tui nos quoque clientes & alumni ſumus; hæc in ſinu tuo minima Societas primam lucem hauſit, facta os de oſſibus tuis, & caro de carne tua. Tu nobis Ignatios & Xauerios, tu Laynios & Salmerones dediſti. Si quibus Theologiæ radijs aut Catholicorum ignorantiam, aut Barbarorum noctem illuſtrauimus, eos à te primitus accepimus. Eccleſiæ Romanæ Antiſtiti ſtatum Religioſum; tibi Illuſtris Facultas, doctrinæ lucem, Deo debemus omnia. Quid nos in inuidiam apud te trahere conantur æmuli? Quid Aurelianæ vociferationes per ſummam calumniam extraneos & ignotos nobis libros aſſignando, ſatagunt efficere, nos vt ingrati poſtules, vt doleas quòd de vite tua propago turgeſcat in fruges, quòd de fonte tuo riuulus non infelici perennitate decurrat, quòd è lumine tuo lumen cæteris inferamus? Deum teſtor, Facultas clariſſima, ex omnibus ſocietatibus quæ ex te prodierunt, nullam fortaſſe noſtrâ tuæ magis aſſurgere gloriæ, tuo nomini fauere, Deum impenſiùs obſecrare vt te inſtitutoribus ſemper dignam conſeruet, & *conuertat cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum.* In hoc voto finio, neque neceſſe arbitror pluribus comprobare Hierarchicam eſſe illam ſcientiam, quæ parentes habet Antiſtites, quæ Præſules parturit, quæ ipſos perficit Hierarchas.

Sorbonica diſciplina Societas Ieſu prodijt.

APOLO-

## *APOLOGETICVS PRO DOCTRINA SOCIETAtis Ieſu aduersùs Petri Aurelij criminationem.*

### CAPVT XVIII.

PRIVS tamen quàm ad alia huius Hierarchiæ propria progrediar, neceſſariam Societati noſtræ operam nauare me, loco ſatis oppottuno, Lector æquus non inuidebit: quæ quoniam rationes ſuas cum Theologia, cumque Eccleſia coniunctas habet, labor eius priuatus eſſe non poteſt, qui conarur ab ea crimen hæreſeos amoliri. Nam licet Petrus Aurelius opiniones aduerſarij, quas errorum hæreſeonque titulis exornat, ipſius proprias eſſe locis aliquot exiſtimet; publicum tamen ſcelus, & torius Societatis ſenſu patrocinioque conceptum facit, dum *fabulam Ieſuiticam, hæreſim Ieſuiticam, Ieſuitas bilingues, Ieſuitarum verſutiam* carpit in commune: illos hæreſes erroreſque fouere, tueri, vindicare clamat: Theologos noſtros omnes imperitiæ & errorum coarguit: Moliniſtas noua nominis molitione perpetuò appellat, & vt eius verbis vtar & vero ſenſu, quamuis alia ſapere videatur, *quod in Spongia infandos errores, in planiſſimas hæreſes dictum eſt, id omne in Ieſuiticæ Societatis iniuriam, in Moliniſtici nominis contumeliam accipit, vt Iudæus ille Chriſtum, Phariſæorum vitia increpantem redarguens.* Sic Petrus Aurelius, qui neque de hæreſi tacere poteſt, neque de Theologia loqui, plurimos innocentes accuſat, vbi optabile eſt nocentem eſſe neminem.

*Petr. Aurelius Societatem vniuerſam hæreſeos inſimulat.*

*Aurel. pag. 583.*

*Pag. 748.*

Ego verò cum S. Hieronymo confidenter exclamo, *Nos nec Eccleſiam ſcindimus, neque à Patrum communione diuidimur: ſed ab ipſis, vt ita dicam, incunabulis Catholico ſumus lacte nutriti.* Et quamuis exiſtimem in hac controuerſia *non dogmatum ſed ordinis eſſe certamen:* eundem tamen audio ardentiſſimè admonentem: *Nolo in ſuſpicione hæreſeos quemquam eſſe patientem, ne apud eos qui ignorant innocentiam eius, diſſimulatio conſcientia iudicetur ſi taceat.* Quamobrem Catholicorum illud incendium, in totum Ordinem noſtrum Aurelianarum Vindiciarum flabello ventilatum, extinguere hoc capite propoſitum mihi eſt, & ab Societatis doctrina vniuersè ſpectata, hæreſeos notam ſuſpicionemque depellere. Neque Spongiam moror quæ externa eſt: Ordinem vniuerſum tueor, & recepta cuilibet dogmata.

*Hæreſeos crimen à ſe depellit S. Hieron. ep. 62.*

*Idem ep. 61.*

*Status quæſtionis.*

Præſtantem aut ſecus Reipublicæ ſtatum, non ex priuatorum moribus, ſed ex publicis legibus appellamus. Lex enim Principis voluntas, populi conſenſus eſt: priuata vitia licentiam dicimus, & officij corruptelam. Itaque Societatis Ieſu doctrinam & mores, ab ipſius legibus, & Conſtitutionibus arceſſere, permittent Lectores, & vt ſpero, quantumuis pueritiæ ſuæ memoriam recordari velint vltimam, pauciſſimos è priuatis repetent, qui aliter ac præſcriptum eſt, ſæpe ac diu fecerint.

*De Rep. iudicandum ex legibus, non ex priuatorum moribus.*

I. Iam ergo doctrinæ noſtræ prima & potiſſima dos eſt, vt ſit Catholica. Quare cum capita quinque ab ineunda Societate hominem penitus & eſſentialiter, vt aiunt, excludant, princeps illud eſt, *aliquando à gremio ſanctæ Eccle-*

*Doctrina Societatis Catholica.*

Exa Gen. c 2. Conſt. p. 1. c. 3. Declarat. Cardin. in Concil. Trid. ſeſſ. 24 c 1.

*ſi abſceßiſſe fidem abnegando; vel in errores contra eam ſic incurriſſe, vt publicè damnatus ſit; vel per excommunicationem ſchiſmaticorum more ab vnitate Eccleſiæ ſeiunctum fuiſſe.* Neque ad docendi munus quiſquam adiungitur, qui non antea fidem ex Concilij Tridentini formula & decreto profeſſus ſit.

*Antiqua & ſolida.* Reg. Prof. S. Scr. § 7. Reg. Concion. § 4. Reg. Prof. Schol. Theol. § 1. Ibid § 5.

II. Altera dos, vt ſolida ſit, & antiqua. Nam ſacræ ſcripturæ Interpres iubetur *SS. Patrum veſtigijs reuerenter inſiſtere, & ſi quando inter eos minus conueniat, ex eorum varijs expoſitionibus eam præferre, in quam à multis iam annis Eccleſia magno conſenſu videtur propenſior.* Eandem terere viam debent concionibus habendis ad populum occupati, vt *lectioni ſacræ ſcripturæ, ac Patrum præcipuè incumbant.* Qui verò Scholaſticam Theologiam profitentur, *ſui muneris eſſe admonentur, ſolidam diſputandi ſubtilitatem, ita cum orthodoxa fide, ac pietate coniungere, vt huic in primis illa deſeruiat.* Et in quæſtionibus à S. Thoma non pertractaris, vetantur *receptas iam, quamuis congruentes tantùm, rationes, quibus fidei res probare ſolent, refellere, vel temerè nouas excogitare, niſi ex conſtantibus ſolidiſque principijs.* Sed abſque ſcelere omitti non poteſt illa S. Ignatij ad Pontificios Theologos Laynium & Salmeronem in Tridentino Concilio grauis & ſancta admonitio, *ne nouam vllam opinionem, firmis licet opinionibus nixam, proferrent in medium, quæ vel ad hæreticorum commenta deflectere, vel ad eorum qui noua ſectantur opinionem videretur accedere. Et quandiu Catholica ab Eccleſia pars non definiretur alterutra, à probabiliſſimis etiam rebus & aſſenſum cohiberent & linguam.* Atque in ipſa philoſophia *remouere* tenetur Prouincialis *à docendi munere, ſi qui fuerint ad nouitates proni, aut ingenij nimis liberi.* Neque minùs inferioribus ſcholis ea vetuſtas pro modulo imperatur, vt illarum profeſſores *in prælectionibus veteres ſolùm auctores, nullo modo recentiores explicent.*

Orla. hiſt. Soc. l. 6. n. 16. Reg. Prou. § 16. Reg com. Prof. Scho. infer. § 27.

*Communis & recepta* Reg. Prof. Schol. Theol. § 3.

III. Tertia huic affinis, & penè par, vt communis & recepta ſit. Quo ſpectant inſignia duo præcepta Theologiæ Scholaſticæ doctoribus tradita 1. vt *de Conceptione B. Mariæ, ac de ſolennitate votorum ſequantur ſententiam quæ magis hoc tempore communis eſt, magiſque recepta apud Theologos.* Quæ res vt impetraretur, effecit haud dubiè tum pietas in ſanctiſſimam Deiparam ſingularis, quæ ſemper in Societate floruit, florebitque perpetuò: tum ſumma in ſcholam Sorbonicam obſeruantia, quæ neminem ſupremi ſui magiſtratus ornat inſulis, niſi priùs in hanc ſententiam iurauerit. Quis autem venerabili illi Collegio deferre plus honoris debet ac reuerentiæ, quàm Societas Ieſu in eius viſceribus concepta, in ſinu educata, quod nunquam ſatis gloriabimur? Quàm ſæpe in perplexis quæſtionibus Religioſi noſtri ſapientiſſimos Magiſtros conſuluerunt? Quàm multis grauibuſque in cauſis opinionum noſtrarum arbitrium ad Sorbonicos Doctores detulimus? Notatum & ab hiſtorico noſtro eſt, Meſſanæ, vbi primum in Sicilia poſitum nobis eſt Collegium, ab Hieronymo Natali, qui ſocijs præerat, *Pariſienſis Academiæ in docendo morem pedetentim inductum.* Infla pulmonem Aureli, oſtenta zelum tuum in cauſa Facultatis Pariſienſis propugnanda: neſcio *quàm multâ ſummâ* facultatem hanc *conſectatus ſis: ego & natus ſum.* Quid igitur? Ego patriam prodere iudicabor, quam tu inquilinus & aduena defendes? Alterum, vt *quæ opiniones cuiuſcunque auctoris ſint,* (notabis ne ipſos quidem excipi Ieſuitas, necdum externos Doctores) *in aliqua Prouincia, aut Academiâ Catholicos grauiter offendere ſcirentur, eas ibi non doceant neque defendant.* Vtinam & per os hominis iſtius licuiſſet hanc contro-

*Societatis obſeruantia erga ſcholã Sorbonicam.* *Pariſienſem Academiã docendo imitatur.* Orland. hiſt. Soc. l. 8. n. 13. Reg. Prof. Schol. Theo. § 6

uerſiam

uerſiam ne attingere quidem! Et legi ſapientiſſimæ ratio planè cœleſtis ad-
iungitur. *Vbi enim nec fides doctrina, nec morum integritas in diſcrimen adducitur,*
*prudens caritas exigit, vt noſtri ſe illis accommodent cum quibus verſantur.* O men-
tis aureæ dictum bractearum! vt cum Auſonio exclamem, quo fraterna cari-
tas fideliter cum ingenioſæ omnis ſubtilitatis diſpendio commendatur.

IV. Doctrinam in primis noſtram piam eſſe cupimus. Huc omnia noſtra *Pia.*
collineant, hunc petunt ſcopum, quicquid contra pugnet Aurelius. Quam-
obrem edicitur omnibus in commune, vt *feratur præceptorum peculiaris intentio,* Conſt. P. 4. c. 16.
*tam in lectionibus, cum ſe occaſio obtulerit, quàm extra eas, ad eoſdem* (Scholaſticos)
*ad obſequium & amorem Dei, ac virtutum quibus ei placere oportet mouendos, & vt*
*omnia ſua ſtudia ad hunc finem referant.* Iam priuatim ſacrarum Literarum enar- Reg. Prof. S. Script.
ratori lex ea ponitur, *vt intelligat ſuas præcipuè partes eſſe, diuinas literas iuxta ger-* §. 1.
*manum literalemque ſenſum, qui rectam in Deum fidem, bonorumque morum inſtituta*
*confirmet, piè, doctè, grauiter explicare.* Audi & graue interdictum Scholaſticam Reg. Prof. Schol.
profitentibus. *Nemo quicquam doceat quod cum Eccleſia ſenſu, receptiſque traditio-* Theo. §. 5.
*nibus non benè conueniat: quodque aliquo modo ſolidæ pietatis firmitatem minuat.* Et
Philoſophiæ Ariſtotelicæ Magiſtro. *Ariſtotelis interpretes malè de Chriſtiana* Reg. Prof. Philo. §. 3.
*fide meritos, non ſine magno delectu aut legat, aut in ſcholam proferat, caueatque ne erga*
*illos afficiantur diſcipuli.* Omitto reliqua, quorum partem mox repræſentabi-
mus, partem noſtra in omnibus regionibus praxis oſtendit. Quis enim dubi-
tet, quod ab vno genere hominum, vbique locorum fieri ſolet, id communi
decreto ſancitum? Hic te appello Petre Aureli, iſtæ ne leges doctrinæ noſtræ
præfixæ, *nouatores* nos eſſe & haberi permittant? Hæc præcepta, quo ritu, quâ Aurel. p. 667.
cæremoniâ, *Miniſtrum* Ieſuitam faciant? Hæ regulæ quem apud nos aditum Pag 581.
dederint *hæreticorum perfidiæ, mendacijs, ſubdolis artibus, quas à Ieſuita omnium ſo-*
*ciorum ſtudijs opibuſque ſubnixo ſuperari vel exæquari videas?*

*IN THEOLOGICIS PHILOSOPHICISQUE RE-*
*bus cui doctrina Societas adhæreſcat.*

§. I.

LICET vna ſit regia veritatis, ad eam tamen humanæ mentis peruesti- *Indaganda*
gatio non vnâ viâ contendit. Sunt enim qui ducis vnius veſtigijs tam per- *veritatis*
tinaciter inhærent, vt de tecto potiùs tramite aliquando, quàm de comitatu *methodi complures.*
decedere in animum inducant. Sunt qui nouum rimentur callem, ſibi ipſis
duces, & ignibus ſæpe fatuis in perplexa rerum caligine præfidentes. Non
enim, inquiunt, tam eſt effœta & vieta hominum ſolertia, vt noui nihil am-
pliùs parturiat: neque tam puſilla diſciplinarum notio, vt in veterum ſinus
tota conuolarit. Alios reperias qui trita quidem via inſiſtunt, ita tamen vt ſui
ſemper iuris ſint, neque vllius auctoramento ſe addicant. Nam cùm nemi-
nem vllo vnquam ſeculo quantumuis eximium, ita ſubducta ratione ad
ſcientiam fuiſſe ſciamus, quin vſus & dies ad eius pronunciata noui aliquid,
aut etiam contrarij attulerit; quis illos vetet plures libare auctores, & apum
inſtar, ex præſtantiſſimis floribus mel puriſſimum colligere? Quos quidem
ſi quis raperet ad cenſorum tribunal, & in vnius doctoris verba omnia iurare
cogeret, næ is atrocem & naturæ noſtræ dignitati, & diſciplinarum ſplendori

faceret iniuriam. Quartum denique eorum genus eſt, qui prudente temperamento ſuperiora miſcentes, non ab vno, non à ſe, non ab omnibus omnia mutuantur, ſed ad vnius latus libera quadam ſeruitute ſe adiungunt: eà tamen lege, vt ad alios nonnunquam diuertere, nonnunquam de ſuo ſumptum facere permittantur. Id Senecæ placuiſſe video, viro cum natura, tum porticus ſeueritate grauiſſimo, *qui non alligauit ſe ad vnum aliquem è Stoicæ proceribus. Eſt & mihi cenſendi ius* inquit. *Itaque aliquem ſequar, aliquem iubebo diuidere ſententiam: fortaſſe & poſt omnes citatus nihil improbabo ex iis quæ priores decreuerint: & dicam, hoc amplius cenſeo.* Sed ne vagam & inſtabilem cenſendi licentiam laudare videatur, quæ plus nouitatis habet, quàm ſoliditatis, eidem frenum inijcit, monetque *certis ingenijs immorari, & innutriri oportere: ne ſimiles ſimus in peregrinatione vitam agentibus, quibus hoc euenit vt multa hoſpitia habeant, nullas amicitias.*

Senec. l. de Beata vita. c. 3.

Idem ep. 2.

*Societas temperatam amplexa, ducē vnum ſequimur, ſed non ſemper.*

Nos verò in rebus Theologicis, in quibus leuiter peccatur nihil, ſecundum è productis ordinem imitari, verant iuſti doctrinæ noſtræ characteres, antiquitas, & ex communi ſenſu veriſimilitudo, ne *ſeminiuerbij, & nouorum dæmoniorum annunciatores* videamur. Quòd ſi communiter omnes in primo ſtaremus, vt nobilia capita Thomiſtas & Scotiſtas videmus; eſſet ne tam iniquus rerum æſtimator, qui opiniones noſtras infamiæ obelo configeret, qui non priùs, aut eodem certè impetu magiſtrum noſtrum confoderet? Sed & in illo non parum ſeruitutis, & in tertio, qui poſitus eſt, gradu, nimiùm immoderatæ libertatis deprehenditur. Quamobrem mediâ inter vtranque methodo, ad quarti generis libramentum exacta, ſic vnum omnium præcipuè veneramur, & ſequimur ducem, vt aliorum aliquando primipilarium ductum non aſpernemur. Vnus autem ille quis alius eſſe poteſt, quàm virtutis ingenijque princeps D. Thomas, cuius quot ſunt articuli, tot miracula; quot quæſtiones, tot adyta ſapientiæ; quot argumenta, tot fidei diuinorumque myſteriorum firmamenta? Hac Spiritus Sancti tuba, ſcholas noſtras ita perſonare iuſſit Congregatio Generalis quinta, vt nolit *ad Cathedras Theologicas promoueri, niſi qui D. Thomæ doctrinæ benè affecti fuerint: ab ea verò alienos à docendi munere repellat.* Hunc *proprium doctorem habere* iubentur Scholaſticæ Lectores, & *in eo omnem operam ponere, vt auditores erga illum quàm optimè afficiantur.* Cum ea tamen amuſſi prudentiæ, quam modò declarabam, *ne ſe S. Thomæ ſic adſtrictos eſſe debere intelligant, vt nulla prorſus in re ab eo recedere liceat; cum illi ipſi qui ſe Thomiſtas quammaximè profitentur, aliquando ab eo recedant.* Et quoniam par eſt in Lyceo peripatetico, eum virum honorari, à quo magnus naturæ genius plurimùm apud Chriſtianos auctoritatis accepit, Philoſophis profeſſoribus imperatur, vt *de S. Thoma nunquam non loquantur honorificè: libentibus illum animis, quoties oporteat ſequendo: aut reuerenter & grauatè, ſi quando minùs placeat, deſerendo.* Non negabis Aureli, noſtra hæc eſſe decreta. Quid & à quibus aliter fiat, demonſtrare debes, ſi quid hiſcere contra audebis. Interim mitigato Thomiſtarum nomine perfruemur, quod ne in hac quidem, quam diſputas, de Hierarchia quæſtione deſeremus. Nam cum illa ipſa eius ſeculo mota fuerit, nonnullis ſecularibus Sacerdotibus Regularium famæ munijſque obſtrepentibus, atque is ipſe lumen Eccleſiæ, Religioſorum defenſionem hac in cauſa ſuſceperit, profectò primus ad victoriam gradus nobis eſt, eſſe Thomiſtas.

*Societas D. Thomæ doctrinæ addicta.*

Congreg. Gener. 5 decr. 55. Reg. Prof. Schol. Theol. § 2.

Reg. Prof. Phil. § 6.

*Philoſophiā*

Creatæ illi Sophiæ, & doctrinarum omnium Reginæ Theologiæ, alias quæ

quæ in rebus humanis peruestigandis occupantur, tanquam comites & adminiſtras adiungimus, Philoſophiam dico, & humaniorem Literaturam. Sic enim illius Profeſſor eam iubetur tractare, *vt auditores ſuos ad Theologiam præparet, maximéque ad cognitionem excitet ſui Creatoris.* Ad hanc verò ſatis ſuperque inuitamur eo Conſtitutionum monito. *Doctrinam Theologiæ & eius vſum exigere, his præſertim temporibus, literarum humaniorum, & Latinæ ac Græcæ & Hebraicæ linguæ cognitionem:* quam ſanè non contemneret Petrus Aurelius, niſi ex officio illo Chriſtianæ humilitatis, caritatiſque pleniſſimo, benignam arriperet materiam Ieſuitas deridendi, tanquam *claſſibus inferioribus innutritos, librorum helluones.* Neſcit illas diſciplinas Aurelius ancillari Theologiæ; ſed dum admirabili ſupercilio philoſophiam negligit, humaniores literas diſſimulat, ipſe ſe à Theologiæ Baſilica, vt profanum excludit. Nimirum nobis accommodat illud Apoſtolicum, *Videte ne quis vos decipiat per philoſophiam, & inanem fallaciam.* Et faſtidiosè eijcit illud, *ſuus Ariſtoteles*, & in diſputando ſolertiam reprehendit. Vt jam apud Petrum Aurelium & philoſophari, & Ariſtotelem interpretari ſit crimen; & quædam Chriſtianitatis præuaricatio, cui turpe non eſt iteratò dicere, *ſi Dijs placet*, quia latinum eſt.

*In ordine ad Deum & Theologiam doces Societas.*
Reg. Prof. Phil. § 1.
Conſt. P. 4. c. 12.
Aurel. p. 747.
Pag. 238.
*Rides hoc ſtudium Aureli.*
Pag. 235.
Pag. 488.
*De Philoſophia & exterarum diſciplinarum præclaré.*

Atqui Clementi Alexandrino *imperitè omnia metuere*, videntur, *qui dicunt oportere in ijs verſari quæ ſunt maximè neceſſaria, & quæ fidem continent; externa autem, & quæ ſunt ſuperuacanea, tranſilire.* Quid vocas externum? Philoſophiam, quæ ipſa *diuinæ quoque Prouidentiæ opus eſt?* Cur dicis inutilem, *ſi ad hoc quoque vt inutilem eſſe demonſtres, vtilis eſt?* Age igitur in commentarios noſtros inferamus, & quæ tum Philoſophia, tùm præcedentes diſciplinæ habent pulcherrima. *Non enim ſolùm propter Hebræos par eſt fieri Iudæum, ſed etiam propter Græcos Græcum, vt omnes lucrifaciamus.* Quis enim cum Hugone Victorino non ſentit, præter Aurelium, *omnes artes ſubſeruire Diuinæ ſapientiæ, & inferiorem ritè ordinatam ad ſuperiorem conducere?* Non hoc Ariſtoteles ipſe fecit, cum præcipuos tractatus Metaphyſicum, Moralem, Phyſicum, in Diuini numinis conſideratione concluſit, eoque naturæ lumen perduxit, vnde fidei obſcuritas debet incipere? Putem-ne tibi reuocandum in memoriam, poſt ſcripturam omni à te occaſione, omni ſenſu productam, id quod de Pontificis Aaronis veſte legitur: *In veſte enim Poderis quam habebat, totus erat orbis terrarum*, vt operante ſacris Sacerdote, quod elegantiſſimè dixit Philo, *vna cum illo mundus operaretur, & homo cum mundo.*

Clemens Alex. l. 1. Strom.
[illegible]
*Omnes artes ſeruiunt ſapientiæ.*
Hug. Vict. l. 1. excert. prior. c. 4.
Sap. c. 18.
[illegible]

Philoſophiam repudias Aureli? Quam? Epicuream? Rectè, quia ſuccidiam facit. Stoïcam? Licet: nam illud eius *ſecundùm naturam*, contra naturam eſt. Pythagoream autem? Aſſentior, quoniam *Animarum de reciduatu reuolubili ſemper ex alterna mortuorum, atque viuentium ſucceſſione diſcurſum* ſomniat. Pyrrhonicam puto, vel Academicam? Maximè, quæ magno ſtudio & labore nihil nos ſcire docent. Vis & Platonicam? Habe me tuum. Nam nulli magis Patriarchæ hæreticorum Philoſophi fuerunt, quàm Platonici. Valentinum, & Origenem, & Iulianum ἀποστάτην à fide abduxit Plato. Iamblichum, & Maximum, & Libanium, & Porphyrium magna nomina, magna vitia, in Eccleſiam armauit Plato. De Platone ſumunt Patres exempla, quibus Philoſophiam Religioni, bonisque moribus contrariam eſſe conficiant. Quid habet aliud ex ſe ſe Plato, quàm fabulas & ſuperbiloquentiam? In natura Pythagoreus eſt, in adumbrata veritate Philoſophus ex Iudæis, in mundi

Phil. l. de Somniis.
*Non quamlibet veterum Philoſophiam Chriſtianos docet.*
Tert. l. de Anima c. 24.
*Philoſophia Platonica Chriſtianis perniciosa.*

& animarum molitione, quod *doleo bona fide, omnium hæreticorum condimentarium.*

In eandem claſſem conijcis Peripateticos? Hic mihi tecum pro *Ariſtotele meo* pugnare libet. Non hoc facit communis magiſtra Pariſienſis Facultas, quæ ad Theologicas dignitates & gradus, niſi qui Magiſter artium, ac potiſſimùm in Philoſophia verſatus ita ſit, vt interpretetur Ariſtotelem, admittit neminem. Non D. Thomas, cuius in Summa vix articulum reperias, non ex Ariſtotele confirmatum, explicatumque: ſunt enim in philoſopho ea principia, ex quibus Theologus concluſiones elicit. Non Albertus Magnus, non Louanienſes Theologi, qui omnem Ariſtotelis doctrinam enarrare, & in apertum educere non dedignantur. Nunquam ne tibi venit in mentem admirari Ariſtotelicæ doctrinæ puritatem, omnibus veterum Philoſophorum placitis longè illuſtriorem? Nam cum illi in pleriſque opinionibus apud Eccleſiæ Patres offendant, Ariſtoteli dies dicitur, pene tantùm ob negatam Dei prouidentiam, & traditam poſteris diſputandi ſubtilitatem; qua mali peſſimè vtuntur. Nam Dialecticam *quæ nihil aliud docet quàm conſequentia demonſtrare, nunquam doctrina Chriſtiana formidat; ſicut eam in Stoicis non formidauit Apoſtolus, quos ſecum volentes conferre, non reſpuit.* Imo Dialecticam exercuit & Paulus ipſe: neque Chriſtus opportuno loco putauit reijciendam, vt pluribus Creſconio Grammatico probat D. Auguſtinus, quem graphicè referre mihi videtur Aurelius & ipſe Grammaticus, dum Philoſophiæ cognitionem, vſum conſequentiarum, & Ariſtotelis doctrinam, tanquam crimen aliquod obijcit aduerſario. Longior eſſem, ſi producerem Irenæum Ariſtotelis *minutiloquium & ſubtilitatem circa quæſtiones* minimè probantem. Tertullianum ſubiratum Ariſtoteli, qui hæreticis Dialecticam inſtituit *artificem ſtruendi, & deſtruendi verſipellem.* Hieronymum indignantem hæreticos, *cum frigeant, & volare non poſſint, ſedem ſibi & requiem inter Ariſtotelis & Chryſippi dumeta reperire.* Hermiam Chriſtianum, in Philoſophorum omnium inſectatione & irriſione, Ariſtotelis vnius ſententiæ de rerum principijs conſtanter inhærentem. Legiſti hæc Petre Aureli, & vidiſti cæteris hæreſes, & errores ex ſe tanquam ex equio Troiano profundentibus, ſolum Ariſtotelem leuiùs, & tantùm non amiciùs accuſari? Non diſſimulo næuos Ariſtotelicos, non illinio pigmentis Peripateticæ ſcientiæ maculas. Scio cui dicatur imprudenter & imperitè Diuinæ prouidentiæ terminos circumſcripſiſſe: à quo per confidentem ſapientiæ abundantiam animæ immortalitatem ſuſtuliſſe credatur. Quid aduersùs eum Platonis ſectarij, hoc eſt æmuli obtrectatoreſque diſputent, in Euſebij Præparatione Euangelicâ: Quàm ſubtiliter Ariſtotelem & ſequaces eius Guillelmus Pariſienſis impugnet, cui & adiunctum fuiſſe ait familiarem è cœlo Veneris Dæmonem. Fateor & Ariſtoteli magis, quàm Platoni addictum Ioannem Philoponum, Monophyſitis & Tritheïtis hæreticorum monſtris originem dediſſe. Hoc tamen audacter dico, in illa vetuſtatis caligine, & obrutæ naturæ funeſtâ ac luctuosâ nocte, ſapientes omnes à vero deflexiſſe, longiùs Platonem quàm Ariſtotelem, & hunc minimè omnium periculosè. Quod ſi principis alicuius ſuperſtitis diligenda doctrina eſt, quæ fidei Catholicæ principijs minùs officiat, hanc eſſe Ariſtotelicam, cuius bona tutò teneantur, mala facili negotio refutentur.

Quæ omnia diligenter attenderunt legiſlatores noſtri, cum Philoſophiæ

Profeſſori

Tertul. cit. c. 23.

*Ariſtoteles cæteris Philoſophis præferendus.*

*Dialecticam non timet doctrina Chriſtiana.*

Augu. l. 1. contra Creſc. c. 20.

*Chriſtus eam non reiecit.*

Augu. ibi. c. 14. 17.

*Minùs peccat Ariſtoteles quàm Philoſophi cæteri.*

Iren. l. 2. adu. hær. c. 19.

Tertu. l. de Præſc. c. 7.

Hieron. in Nahum. c. vlt.

Herm. in Irris. Phil.

*Næui doctrinæ Peripateticæ.*

Tatia orat. côtra Græcos.

Æne. Gaz. in Theoph.

Euſeb. de Præpar. Euan. l. 15.

Guil. Pariſ. 1. p. de Vn. p. 2. c. 8. vbi de mundi æternitate.

Idem 2. p. de Vniuer. p. 2. c. 39.

Niceph. l. 18. hiſt. Eccl. c. 46.

Profeſſori mandarunt, *Ne in rebus alicuius momenti ab Ariſtotele recedat, niſi quid incidat à doctrina, quam Academiæ vbique probant, alienum: multò magis ſi orthodoxæ fidei repugnet. Aduerſus quam ſi quæ ſunt illius, aliûs-ve philoſophi argumenta ſtrenuè refellere ſtudeat, iuxta Lateranenſe Concilium.* In quo nimirum Philoſophiam publicè legentibus omnibus præcipitur à Leone X. *Vt cum Philoſophorum principia, aut concluſiones, in quibus à recta fide deuiare noſcuntur, auditoribus ſuis legerint, quale hoc eſt de animæ mortalitate, aut vnitate, & mundi æternitate ac alia huiuſmodi, teneantur eiſdem veritatem Religionis Chriſtianæ omni conatu manifeſtam facere, & perſuadendo pro poſſe docere, ac omni ſtudio huiuſmodi Philoſophorum argumenta, cum omnia ſolubilia exiſtant, pro viribus excludere atque reſoluere.* Quæ cum in venerando illo conſeſſu publicè recitarentur, indoluit vir eruditiſſimus Nicolaus Bergomenſis Epiſcopus, illum de vnitate intellectus humani errorem, qui eſſet Auerroïs, in Ariſtotelem deriuari: cum ſententia Magiſtri in ſolo diſcipuli commentario, eoque malè ex Arabica in Latinam linguam traducto lecta foret; fontem autem Græcum nemo conſuleret ex quo nihil tale poſſit hauriri. Quare Peripateticos laudem Platonicorum iuſtiùs participare ſinet S. Auguſtinus, quos ait *paucis mutatis verbis atque ſententijs fieri potuiſſe Chriſtianos*. Hanc mutationem quam præſcribit Eccleſia, veritas exigit, leges noſtræ imperant, ſi facit Societas Ieſu dum tractat Philoſophiam, quid cauſæ eſt cur ipſi Petrus Aurelius aut Ariſtotelis doctrinam, aut omnino rerum Philoſophicarum ſtudium exprobret, niſi ex illis eſſe vult qui *quæcunque ignorant, blaſphemant?*

*Quatenus Ariſtotelē ſequi liceat.* Reg. Prof. Philo. §. 2.

Concil. Later. ſub Leon. X. ſeſſ. 8.

Sed quoniam hunc contemptum animosè contemnimus, eius prætermiſſis conuicijs, iucundum eſt naſcentis apud nos Philoſophiæ incunabula replicare, quoque illa omine à Religioſis noſtris vſurpari cœpta ſit. Ferunt hiſtoriæ primum Societatis noſtræ Collegium Gandiæ erectum eſſe, auſpicijs & munificentia ducis Gandienſis Franciſci Borgiæ, qui poſtea noſtrum Ordinem complexus, rexit tertius Generalis, & modò beatarum mentium ſocietati adſcriptus, cœleſtes in terris honores conſequitur. Primum in eo Philoſophiam docuiſſe Gallum hominem Franciſcum Onofrium, vt meminerint Hiſpani noſtri, maiores quibus gloriantur, diſciplinas, è Gallia in regionem ſuam, atque adeò totam in Societatem importatas. Factum id eo quo malè agere, hoc eſt, viuere deſijt Lutherus anno, ſuperioris ſeculi ſexto ſupra quadrageſimum: vt ſine mora Litæ ſalutares reficerent, quicquid peſtifera illa Ate corrupiſſet. Ab hoc initio progreſſa Societatis doctrina *extendit palmites ſuos vſque ad mare, & vſque ad flumen propagines eius.*

*Quomodo Philoſophiā docere Societas inceperit.* Orl. hiſt. Soc. l. 6.

## QVAM INFELICITER NOVO MOLINISTARUM *nomine notam hæreſeos inurere Societati Ieſu conetur Aurelius.*

§. II.

QVOD verè ſolidéque nunquam probabit Aurelius, hæreticos eſſe, & errorum principes Ieſuitas, id neſcio quo recens à ſe fabricato Moliniſtarum nomine per ludibrium & ſcommata perſuadere nititur imperitis: vt qui dies libro illi ſingulari Aurelianarum Vindiciarum natalis illuxit, is So-

*Quid Moliniſtarum nomine Aurelius intelligat.*

cietatis noſtræ luſtrictis eſſe videatur. Quos dicis Aureli *Moliniſtas?* vt Platonicos, vt Thomiſtas, *qui Molina* ſequuntur opiniones, eaſque totis viribus propugnant. Audio, nobilem illam, ſed vnicã de gratiæ auxilijs. Qualis ea tibi

Aurel. p. 111.

videtur? Hæretica Semipelagiana, quæ *Diuinam miſericordiam humanæ voluntati ad nutum obuiam, expoſitam, ſubiectamque efficit.* Vis igitur Semipelagianos eſſe Moliniſtas omnes, id eſt Ieſuitas: & eò quidem certiùs, inquit, quòd poteſt auctor erroris aliquis in gremio Eccleſiæ Catholicæ viuere, quod Millenarij inuentoribus, & Africanis cum Cypriano Epiſcopis accidit. Erroris autem fautores propugnatoreſque ipſa peruicacia, & ſuperbus Eccleſiæ aliter ſentientis contemptus, ſicut Ethnicos facit & Publicanos. Itaque communis

Pag. 13. *Societas vniuerſa hæreſeos accuſatur.*

omnium noſtrûm nota eſt hæreſis, neque tantum Spongiæ auctor *hæreticus indubius eſt*, ſed etiam Societas vniuerſa, quam *peruagata opinio eſt, eſſe ſobolem è ſucciſo antiquitus Pelagij ſtipite fruticantem.* Quam opinionem aut tibi, aut

Pag. 286.

vulgo præcidet, qui oſtenderit, neque nos Moliniſtas eſſe, neque Molinam Semipelagianum; ſed pium & humilem diuinæ gratiæ aſſertorem. Iſtud ad priuatorum patrocinium, quod huius operis ratio non poſtulat, remitti permittes; dum illud quod vniuerſam doctrinam Societatis illuſtrat efficiam, & rem proüt geſta eſt, exponam.

*Quæ cauſa Societatem impulerint ad Molinæ doctrinam de Auxilijs defendendã.*

Ludouicum Molinam in ius ad ſacrum Inquiſitionis tribunal vocatum, ob aliqua de diuinæ gratiæ auxilijs non vulgo Theologorum tunc probata, in Hiſpania primùm, deinde Romæ quo perducta cauſa eſt, defendendum, ſuſcepit Societas multas ob cauſas. Nam & viri grauitas, & ſingularis ſcientia hoc officium iure ſuo flagitabat: & communis infamia cenſebatur, reum hæreſeos peragi eum, qui è primis in Ordine noſtro Theologiam commentationibus editis illuſtraſſet: & grauis & acerba erat, ne quid ampliùs dicam, Aduerſariorum poſtulatio, vt recantaretur palinodia, & liber publico damnatus iudicio, flammis addiceretur. Id commerebatur ſupplicium, ſi, quod illi contendebant, hæreſim aut procudiſſet nouam, aut veterem interpolaſſet. Re igitur apud nos diligenter excuſſa, ſtatuitur, quoniam *inimici noſtri Iudices erant*, Romam prouocandum, & in luce orbis Chriſtiani quoad ingenij vires poſſent, vetare ne ea ſententia pro hæretica, & Pelagianis fauente

*Ea controuerſia quomodo Romæ fuerit agitata.*

damnaretur. Decernit Pontifex vt ab delectis vtrinque athletis controuerſia ſcholaſtico more petendo cauendoque agitaretur; ea tamen lege vt nobis tantùm cauendi, ſeu reſpondendi, aduerſarijs ſemper petendi, ſeu argumentandi, ius & poteſtas eſſet. Id licet duriuſculum, ab modeſtis, & parendo aſſuefactis ſuſceptum eſt: neque vnquam vices commutauimus, niſi cum à Clemente VIII. ipſoque præſente, ſemel nec ampliùs, Gregorius de Valentia multarum palmarum nobilis athleta, permiſſus eſt partes argumentantium accipere, duobuſque tantùm Syllogiſmis (ſciunt hoc temporum periti) plus aliquid quàm quod contendebat, expreſſit. Interim, vt fit, ingenia vltro citroque excitari, addicere ſe partibus, proüt doctrina quemque ferebat, vel

*Sorbona conſulta noſtræ fauet ſententiæ.*

libido. Sparſa per Europam Theologorum Collegia conſuli; è quibus inter cætera, fontem Theologiæ Sorbonam ſententiæ noſtræ ſuffragatam reperies, Aureli, ſi tabularia voles excutere. Clemens ipſe Pontifex, non tantùm eius quæſtionis ex aſſe cognoſcendæ prouinciam doctoribus committere, ſed etiam publicis Eccleſiæ negotijs horas aliquas decerpere, & ei ſtudio impen-

Aurel. p. 510.

dere. Atque vt eum *Moliniſtica præſumptioni non admodum fauiſſe notum eſt:*

ferunt

ferunt quoties Molinæ librum de manibus poneret, exclamare ſolitum, illi homini argumenta eſſe quę contunderent ingenia. Eodem tempore Eminentiſſimus virtute ſcientiaque Cardinalis Perronius, Galliæ oculus, Romæ agebat; Pontificique recipiebat, facturum ſe, ſi imperaret, vt ab omnibus Gallię Miniſtris hæreticis tam gratiæ quàm liberi arbitrij peremptoribus, ſententia noſtræ contraria probaretur.

*Clementis VIII. de Molina re dictum.*
*Perronius S. R. E. Card.*

Manebat tamen in terminandæ, ſi fieri poſſet, contra nos litis conſilio primus Antiſtes, eiuſque rei cum Robertum Bellarminum Cardinalem admoneret, is Religioſa cum libertate & modeſtia, *Non hoc*, inquit, *definiet veſtra Sanctitas.* Ad hanc vocem cum pergeret affirmare ſe facturum, negare perrexit Cardinalis eum facturum. Plus etiam aliquid addidit prophetiæ ſimile, cum Franciſcus Maria Cardinalis à Monte id ipſum in priuato colloquio diceret, *poſſe id, & verò velle Pontificem conſtituere. Equidem,* (reſpondit Bellarminus) *velle ſcio, fateor poſſe, ſed non faciet: & ſi tentat exequi, prius diem obibit.* Accepit hanc vocem attonitus Cardinalis à Monte, cum nullo adhuc ſigno propinquus Clementis obitus notaretur. Hæc vt à maioribus fide dignis accepimus narrata ſunt. Reliqua vidimus ipſi, cum adoleſcentibus nobis Paulus V. Pontifex Maximus pendere cauſam iuſſit, grauiterque interdixit, ne qua pars libris editis contrariam agitaret, ne-ve grauiorem vllam notam inureret. Paruimus ſcilicet, neque totis hiſce triginta annis quicquam edicto illi repugnans, è Theologiæ noſtræ ſacrarijs prodijt. Interim hoc Pauli Pontificis interdicto cauſam obtinuimus; quando, quod nos volebamus, Molinæ ſententiam vetuit hæreticam cenſeri; atque iſtud etiam ad demenſum additum eſt, vt in pari quo contraria probabilitatis gradu locata ſit. Hic eſt diſputationis proceſſus, hic ſcholaſticæ controuerſiæ finis, ſine fine terminatæ, donec in pleniore aliquo Concilio, cum Marianæ Conceptionis ſanctitate penitus exhauriatur. Cæterum meminiſſe hoc loco permagni intereſt, neminem eſſe ſcriptorum noſtrorum Theologia leuiter imbutum, qui neſciat adeo priuatam eſſe Molinæ opinationem eiuſmodi, vt eam vir alioqui doctus, neque Suari, neque Vaſqui, non Bellarmino, non Leſſio, pluribuſque alijs perſuaſerit. Denique nulla regula, nulla Conſtitutio, Ludouicum Molinam Theologis noſtris, ſed D. Thomam *proprium Doctorem* proponit ad imitandum.

*Quid in hac cauſa cum Pontifice Cardinalis Bellarminus egerit.*
*Fuligat. in vita Bella. c. 20.*
*Quomodo à Paulo V. P. M ſuppreſſa fuerit quæſtio.*
*Priuata hæc eſt Molinæ ſententia, non omnium communis.*

Quibus ita vt ſe habuerunt breuiter enarratis, iam te attentum, & ſagacem, Lector, poſtulo, vt hominem quem perſequimur è veſtigio deprehendas. Probabilem arbitrari Philoſophi aut Theologi alicuius opinionem, negare hæreticam, efficere vt illam Catholico cuilibet ſalua fide liceat amplecti; putas-ne idem eſſe, quod illam ſequi, pro ſua venditare, tanquam filiolam oſculari ſuam? Non opinor, inquis, & ineptus eſt qui hoc dicat. Dicit Aurelius. Sententiam ſic à toto aliquo Collegio publicè pro probabili aſſertam, ſi præcipui è Collegio aliqui, ſi complures priuatim non propugnant, ſed alia ſinguli ratione animi ſui ſenſa explicant; eius-ne ſententiæ auctoris nomen Collegio toti cenſes imponendum? Non videtur, inquis, & imprudens eſt qui hoc faciat. Facit Aurelius. Opinionem à medulla Theologiæ, in arce fidei Chriſtianæ, in oculis Eccleſiæ capitis vltro citroque omni contentione agitatam, neque vnquam damnatam, voles-ne hæreticam appellare? Nolim profectò, quique illud velit, is ſe Theologis omnibus, Cardinalibus, Summo Pontifice θεολογώτερον efficit, quod eſt ſuperbiſſimæ ignorantiæ.

*Quam multa in hac nominis fabricatione peccarit Aurelius.*

Vult Aurelſus. Prouehamur vlteriùs. Opinionem quam conſulta Pariſienſis Facultas Catholicæ fidei non repugnare reſpondit ; tu-ne facilè ſemipelagianam iudicabis ? Quid ? vt ego Sorbonæ iudicium retractem ? vltra Sequanam licere volunt æmuli; domi, eſt inſigniter ingratum. Retractat Aurelius Theologus Pariſienſis. Sententiam interlocutione iudicum, grauiſſimo Pontificis interdicto vetitam pro hæretica haberi ; tu-ne audeas hæreſeos condemnate? Quid me tentas? inquis, *ego Cathedræ Petri communione conſocior.*

Abbas Vrſpergen. ad an. 1180.

VValdenſium fuit olim dicere *Romani Pontificis decreta nullius eſſe momenti!* Anathema ei, qui contra Pontificis imperium aliquid damnatum eat. It Aurelius. Supereſt præterea quod rogem. Qui Sorbonam adeò præfractè contemnat, qui Sedi Apoſtolicæ tam ſit inobſequens, qui Theologiam ita funditus ignoret, credis-ne Facultatis Pariſienſis, & Romani Pontificis patrocinium ſuſcipere poſſe? Egregium cuſtodem ouium, vt aiunt lupum! ſchiſmaticum qui ſe factis comprobet, Catholicos vt defendere profiteatur? Profitetur Aurelius. Et hoc ampliùs, Doctores Catholicos per illam Theologiæ ignorationem pro hæreticis habet: Religioſos Apoſtolicæ Sedi, quod ipſi dolet, deuotos, per importuniſſimas criminationes ab ipſo Pontifice fulmine feriendos aſſerit: Sorbonæ doctrinam venerantes Theologos, per impotentis animi cæcitatem Sorbonæ quantùm poteſt reddit inuiſos. Quæ omnia quo nomine appelles, Lector, aſpice, ego dignum in nullâ linguâ reperio.

*Semipelagianiſmi conuincitur Aurelius.*

Nondum tamen acquieſcit animus, ſeque vlteriore aliquo ſcrupulo poſcit exolui. Qui de gratia imperitè diſputet, qui ignorantia Theologiæ in Semipelagianorum errorem incidat, eum-ne vllo iure aduerſarijs ignorationem gratiæ & ſemipelagianiſmum obijcere poſſe neſcio quo excogitato nomine arbitraris? Non equidem, inquis, & frontem perdidit qui hoc agat. Agit Aurelius. Nam ſi ab eo poſtulas quæ ſit prima gratia ? Reſpondebit eſſe *ſimplicem iuſtitiæ ſtatum, peccati puritatem* : & fideles omnes, imo Catechumenos eſſe in

Aurel p. 605.

Pag 605.

ſtatu *primò paranda gratiæ: quia Catechumeni ad baptiſmum tendunt, gratiæ baptiſmalis, qua nulla prima gratia maior eſt, candidati. Imo pœnitentes quiuis, ſunt in ſtatu gratiæ primò acquirenda, cum eam ſummis laboribus & moleſtijs corporis animique acquirere moliuntur.*

Pag. 632.

Huc adde quod olim examinabamus, actum Iuriſdictionis coërcitiuæ ab Epiſcopo aduersùs contumaces exercitum, abolendis peccatis efficacem eſſe, ſicque primæ gratiæ Paſtorem reſtitui, reos puniendo. Quamobrem Aurelianæ de gratia doctrinæ ſumma hæc eſt, primam gratiam aliud nihil eſſe, quàm tranſitum à peccati ſtatu ad ſtatum iuſtitiæ, quæ turpis eſt habitualis cum actuali gratia confuſio: Ad eam aſpirare fideles omnes, & pœnitentes vi ſuarum exomologeſeon : ſed à Catechumenis longè maiorem percipi in baptiſmo, quàm à fidelibus per Sacramentum virtutem-ve pœnitentiæ.

*Explicatur Aurelij ſententia.*

*Refellitur.*

Hoc ego de apparatu quæro, fiat-ne ille abſque Dei excitante & præueniente gratiâ? Negas? Prima igitur illa non eſt gratia, quam iſta præcedit. Affirmas? Ergo ſine Chriſti gratia itur ad Chriſtum : qui merus eſt Pelagianiſmus, S. Auguſtini diſertis commentationibus, & Conciliorum decretis iugulatus; qui & in 3. pronunciato recurrit, actu vindicantis iuſtitiæ Paſtorum peccata deleri. Nam cum actus ille naturalis tantùm ordinis, & imperfectione peccatoque plenus eſſe poſſit, ad eum gratiæ per Chriſtum neceſſitas nulla eſt, & ſimplici naturæ bonitate in opus reduci poteſt. Duæ ſunt iſtæ portæ aperiente Pelagio, aſſentiente Petro Aurelio, quibus in animam

Concil. Arauſic. 2. c. 6. & 25. Trid. ſeſſ. 6. c. 5. 6. &c.

iuſtificatio

iuſtificatio citta Dei opus & gratiam ſe inſinnet, naturæ propenſio, qua prima gratia paretur, & iuſtitiæ naturale exercitium. Quare ſi Aurelio creditur, bonum iuſtificationis mihi promittit Deus, ſed illud ex meipſo appeto; ad brauium ſanctitatis me Deus inuitat, ſed ad ipſum meis vt pedibus, ita viribus curro. Refragante Apoſtolo, *non eſt volentis, neque currentis*: reclamante Chriſto, *nemo venit ad me, niſi Pater meus traxerit eum*, vinculis è merito meo fabricatis, quæ ſunt excitantes permouenteſque gratiæ, illius quam Petrus Aurelius *primam gratiam* vocat, omni neceſſitate præambulæ. Rom. c. 9. Ioan. c. 6.

Sed & hoc nobis edicat velim, qui ſit *ſtatus primò acquirendæ gratiæ?* Quis ita Patrum, quis veterum loquatur? Quis Catechumenos & Pœnitentes in ſtatu poſuerit, quorum totus labor eſt, ad ſtatum peruenire? Tu ne ſtadiodromos in ipſo curſu ſudantes, anhelantes, ad coronam totis animi corporiſque niſibus aſpirantes ſtare dixeris, etiam maximè cum hieram faciunt? Tu-ne triuiales & compitalitios mendicos, in ſtatu opum acquirendarum eſſe affirmaueris, quia templorum aditus obſident, & manum omnibus ad ſtipem porrigunt? Vide autem grammaticam ſubtilitatem. De Epiſcopo & Religioſo diſputatur, quorum vterque eſt in ſtatu perfectionis, ille acquiſitæ, hic acquirendæ. Dubitat Loëmelius dici-ne poſſit, Epiſcopum eſſe *in ſtatu perfectionis, non quidem primò acquirendæ, ſed augendæ.* Quod dicere non audet Loëmelius, hoc auidè deuorat Grammaticus Aurelius, & *perfectionem* mutat in *gratiam*, & ex pœnitentium & Catechumenorum ordinibus *ſtatum* facit, Epiſcopi & Religioſi ſtatui reſpondentem; vt quemadmodum in his perfectionis acquiſitæ & acquirendæ ſtatum, omnis ſemper Theologorum ſchola profeſſa eſt, ſic iſte nouum & inauditum hactenus meteorum adijciat, *ſtatum acquirendæ primò gratiæ*, qui Catechumenis & Pœnitentibus conueniat. Itaque mirari iam deſino tantopere vexatos antea ſcriptores, qui *repetitos vulgarium cantilenarum ſuſurros* offerrent lectoribus, ab eo qui Latinam linguam voce noua & inſolenti, ſcholam Theologorum ſecta fictitia, Eccleſiæ ordines ſtatu phantaſtico amplificare decerneret. Sed hoc mirum omnibus videri arbitror, damnatos ab eo ſemipelagianiſmi Ieſuitas, qui Pelagium totum ſequatur imprudens.

*De ſtatu primò acquirendæ gratiæ.*

*Aureliana doctrina nouitas.*

### *THEOLOGICIS STVDIIS LITERAS SECVlares non malè miſceri demonſtratur.*

§. III.

QVOD olim per Samſonis dolum vulpeculis, hoc aduerſarijs noſtris modò euenit. Nam vt illæ auerſis capitibus ſolâ caudâ coniunctæ, aliam atque aliam affectantes viam, in id vnum conueniebant vt hoſtium ſegetibus & vinetis calamitatem inferrent; ſic iſti repugnantibus iudicijs, diuerſo gradientes itinere perniciem atque exitium nobis creare moliuntur. Fuit enim cum iactaretur in vulgus ſolùm nos Theologiam & Philoſophiam, horridum videlicet ac ſemibarbarum ſcientiæ genus colere, non ſine aliqua laude & parium commendatione. Ita Ioſepho Scaligero, Theodoro Bezæ, Petro Ramo, & eiuſmodi ſuperioris ſeculi elegantibus ingenijs videbatur. Nunc ex aduerſo clamat Petrus Aurelius *Ieſuitas cultiſſimos homines, claſſibus inferioribus* Aurel. p. 747.

*Aduerſariorum inconſtantia in lædenda Societate.*

*innutritos, ſecularium librorum helluones.* Si ridet & Socraticam exercet ironiam, cur veitur conuicio nihil niſi aërem verberaturo? Si loquitur ex animi ſui ſentententia, & inferiores diſciplinas ijs meritò concedit, qui antea ſuperioribus aduerſariorum opinione præcellebant: profectò victus & inhonoratus lateat neceſſe eſt, & *ſcientificum Ieſuitarum gregem diſciplinarum principatum non affectantem* modò, ſed etiam tenentem limis aſpiciat. Age verò quæ eſt hac in re cenſoris acutiſſimi reprehenſio? An quòd eos teramus libros, qui Clericis minimè ſint accommodati? An quod *Scholas* habeamus *inferiores* ſtatui Religioſo repugnantes? An denique quod in ijs libris, ijſque Scholis aliter quàm virtus & pietas poſtulet verſemur? Nam iſta tria, quantùm quidem iudicio poſſum conſequi, hac in materiâ veniunt diſceptanda. Sed in poſterioribus duobus laborabunt alij, primum vt explicem locus iſte permittit.

Pag. 474.

*Cur literarum humaniorum ſcientiam Patres antiqui probarint.*

*Vt ſcriptura ſacra poſſit intelligi.*

Secularis ſcientiæ libri ſint Clericorum & Theologorum manibus terendi, nec-ne, ediſſerit in vtranque partem Gratianus, & affirmanti tandem grauiſſimis inductus rationum momentis ſubſcribit. Quis enim neget ſeculares literas diuinis intelligendis & vtiles & penitus neceſſarias eſſe? Quis Iobum hiſtoriæ naturalis imperitus? Quis Danielem Græcæ Romanæque memoriæ negligens? Quis Ezechielem ſine opera Vitruuij? Quis librum Ioſue abſque Geometricis dimenſionibus, deſcriptionibuſque Geographicis? Quis ipſum Geneſis exordium abſque Timæo Platonis, & ipſo Timæi libro vel attingat omnino, vel doctè magnificeque exponat? Nihil-ne videntur collaturi Triſmegiſtus ad Euangelij Ioannis initium; Seneca & Athenæus ad Eccleſiaſtem Salomonis, & cum priore Epictetus ad reliquos libros qui Sapientiales dicuntur; Strabo ad Actus Apoſtolicos; Diodorus Siculus, & Herodotus ad Ægyptiaca quæ Geneſi & Exodo continentur? Potuiſſet his præſidijs deſtitutus S. Hieronymus doctè & literaliter ſcripturam totam exponere? Orthographiam *glorioſum ſtudium, & diuinis ac humanis literis accommodum* attingere dignatus eſſet Caſſiodorus, & *ad amantiſſimos Orthographos diſcutiendos anno ætatis ſuæ nonageſimo tertio perueniſſe* ſe gloriari? Etymologiarum ſenticeta cum tanto faſtidio calcaſſet Iſidorus Hiſpalenſis; aut Rhetoricam & Muſicam ad artis canones exegiſſet Auguſtinus, aut communes Ciceronis locos ſelegiſſet, & Poëseos præcepta tradidiſſet Beda, ſi hæc omnia nulla ex parte ſacrarum literarum cognitionem adiuuarent?

Dist. 37.

Caſſi. l. de Orthogr.

*Vt errores Gentilium confutentur.*

Hier. in c. 1. Daniel.

Præterea alij alijs medicinam faciunt Gentiles, cum ex eorum officina depromimus antidora, quibus errorum venena curemus. *Hæc enim diſcunt ſancti,* vt ſapienter monuit Hieronymus, *non vt ſequantur, ſed vt iudicent atque conuincant. Quomodo ſi quiſpiam apud Mathematicos velit ſcribere imperitus Mathematis, riſui pateat: & aduerſùs Philoſophos diſputans, ſi ignoret dogmata Philoſophorum. Diſcunt ergo eâ mente doctrinam Chaldæorum* (Daniel & ſocij) *quâ & Moyſes omnem ſapientiam Ægyptiorum didicerat.* Hoc modo Gentiles ad fidem inuitat Iuſtinus: errores confutat Arnobius, cum diſcipulo Lactantio: deridet Hermias Philoſophus Chriſtianus: myſteria propalat & veræ pietati accommodat Iulius Maternus: inuenta rerum pulcherrimarum illis eripit Tatianus Aſſyrius: antiquitatem rebus noſtris aſſerit Theophilus Alexandrinus cum Ioſepho Iudæo: pro Chriſtianis perorat Tertullianus: Dei ciuitatem à Diaboli ciuitate diſtinguit Auguſtinus: Græcanicas affectiones curat Theodoretus; & quid non faciunt his armis muniti Clemens Alexandrinus, & Euſebius

Pamphili,

Pamphili, Hieronymus, non homines ſed ſpirantia ſecularis literaturæ Muſæa? Dic autem quæ cauſa Antoninum Pium impulerit ad proſcribendam Sybillinorum carminum lectionem? Cur Senatus Romanus inuentos ab aratore Numæ Pompilij libros flammis addixerit? Cur aduersùs libros M. Ciceronis de Diuinatione declamatum ſit à Gentilibus, ſi eorum omnium cognitio Religionem Christianam nulla parte adiuuat?

Iuſtin. in Apolog. ad Anton.
Augu. l. 7. de Ciuit. c. 34.

Quid quòd ſubtiliores nonnunquam errorum inſidiæ, niſi Grammatica ſolertia, & politiore literatura vitari & exiri non poſſunt? De ὁμοουσίῳ & ὁμοιουσίῳ digladiatus eſt orbis terrarum. Tres Hypoſtaſes in auguſtiſſima Trinitate, an vnam dicere oporteret, inter Orientis Occidentiſque Catholicos perdiu diſputatum eſt, & *eò tandem adducta res, vt periculum eſſet ne orbis terrarum fines, vna cum ſyllabis à ſe inuicem diſtraherentur & abrumperentur*. Inque propugnanda Latini nominis fama, coactus eſt D. Hieronymus ad inferiores diſciplinas prouocare. *Tota ſecularium literarum ſchola*, inquiens, *nihil aliud hypoſtaſin, niſi vſiam nouit, & quis rogo ore ſacrilego tres ſubſtantias prædicabit?* Magnam matrem Θεοτόκον an Χριστοτόκον appellare conueniat, certatum eſt cum Neſtorio. S. Auguſtinus de nominibus *multiloquium*, *Dialectica*, *Donatiſta*, cum Grammatico Creſconio grammaticari non dedignatur. Hebræos, quorum doctrina omnis in aucupio ſyllabarum poſita eſt, & tum grande μοῦς promeritos ſe putát, cum Mem clauſum in media dictione, & triplex Iod circulo comprehenſum, & numeros literis ſignificatos, tanquam audita in propitiatorio myſteria enunciant, illos inquam Bibliorum ſuorum corruptores, quomodo vel Petrus Galatinus, vel quis alius ſine perfecta linguæ iam emortuæ, iam penitùs externæ cognitione, doli mali poſſit conuincere? Græcorum recentium errores & ſchiſma fortiter reuinceret Petr. Arcudius, ſi linguam rituſque Græcos nó penitùs animo combibiſſet? Verſatus eſſet in delirijs Nicolaïtarum & Gnoſticorum deridendis S. Epiphanius, ſi neſciſſet hebraïcè? Aduersùs S. Hieronymum ab æmulis incitatus vnquam foret S. Auguſtinus, ſi hebraïcas literas aut ſciſſet, aut amaſſet? Patrum verò noſtrorum memoria cum furor Nouatorum erupiſſet, qui alij Galliam vniuerſam eorum fermento corruperunt, quàm literis humanioribus politi homines, qui cum tria verba Græca protulerant, omnibus ſtuporem inijciebant, cum refingendæ ſcripturæ cauſa, ad fontes hebraïcos prouocabant, ſummam velut è longinquo reuecti merebantur reuerentiam: cum antiquioris Eccleſiæ primam faciem ſimplicitatemque repræſentabant, noſtratis næuos & maculas prodere videbantur? Qui profectò ſuis armis repetendi fuerunt, & eius literaturæ ſtudio, quod hactenus ignotum iacuerat, tollendus primùm è Catholicorum animis ſtupor ille ſemibarbarus, ne id velut reconditum mirarentur, quod vt humile docti antea neglexiſſent: retegendæ poſtea aduerſariorum artes, earum literarum præſidio, quæ contra Eccleſiam promebantur.

*Vt hæreſes vitentur & reuincantur.*
Greg. Naz. or. de Lau. Athanaſ.
Hieron. ep. 57. ad Damaſ.
Augu. l. 2. contra Creſcon.

Huic ego neceſſitati poſſum addere conciliatum Religioni Chriſtianæ ſplendorem, & Iuliani atque Porphyrij criminationibus os oppilatum; qui patres noſtros imperitiæ & barbaræ cuiuſdam negligentiæ arguebant. Ij ſi flumen eloquentiæ aureum fundentem Chryſoſtomum audiſſent, ſi reconditam Baſilij doctrinam intimè perſpexiſſent, ſi admirabilem Apollinaris Laodiceni peritiam in condendis omne genus poëmatis, quibus cum illa veterum poëtarum cohorte de palma & gloria certauit, ſine inuidia conſideraſ-

*Vt Chriſtiana doctrina illuſtretur.*

Clemens Alex. l. 1. S rom. Augu. l. 2. de doct. Chriſt. c. 40.

ſent, aliquid profectò in eius Religionis receſſu eſſe intellexiſſent, quod vel Chriſtiani cum eſſent, vel tunc cum impietatem profiterentur, externis oculis non poterant intueri. *Ea res*, vt ait Clemens Alexandrinus, *& fidei dogmata confirmat, & Catechumenos mirificâ delectatione afficit, & plurima quæ ad finem non conferunt, tamen artifici ipſi ſunt ornamento.* Hoc eſt quod appellat S. Auguſtinus Ægyptios ſpoliare auro ſuo atque veſtibus, *quæ accipere atque habere licet, in vſum conuertenda Chriſtianum. Nam quid aliud fecerunt multi boni fideles noſtri? Nonne aſpicimus quanto auro & argento & veſte ſuffarcinatus exierit de Ægypto Cyprianus Doctor ſuauiſsimus, & Martyr beatiſsimus? Quanto Lactantius? Quanto Victorinus, Optatus, Hilarius? Vt de viuis taceam, quanto innumerabiles Græci?* Sed quid meros homines loquor, cum diuinus ipſe Paulus, non ſemel profanorum Poëtarum teſtimonia vſurpet, tanquam *Scriba doctus in regno cælorum, & Pater familias qui profert de theſauro ſuo noua & vetera?*

*Cur ijdem Patres aliquando eorum ſtudiũ reprehendant.*

Hieron. ep. 146. Greg. l. 9. ep. 48.

Quid igitur vetant Carthaginenſis Concilij Patres? Quid antiquiſſimus Clemens Romanus in Conſtitutionibus Apoſtolicis? Quid tantopere in Ciceronicis reprehendit Hieronymus, ipſe ab Angelo verberibus pulſatus, quòd *Ciceronianum* ſe potiùs, quàm *Chriſtianum* eâ lectione faceret? Nimirum ſua ſibi ſomnia ridet obijci, & eos cenſoriâ notâ inutit, qui non vtilitatis, ſed ſolius delectationis voluptatiſque cauſa *omiſsis Euangelijs, & Prophetis, comædias legunt & amatoria bucolicorum verſuum verba canunt.* Gregorius autem Magnus Epiſcopum illis ſtudijs plus iuſto intentum caſtigat: non quòd eas literas didiciſſet, ſed quòd contra officij rationem, vice Euangelicæ lectionis, Grammaticam populo explicaret.

*Eadem ſecularium modò literarum quæ olim neceſsitas.*

Ambroſ. Prooem. in Luc. Hieron. Prooem. in Dan.

Iam verò vt ad Ieſuitas, quorum ſtudia petuntur, regrediar, ſi ſecularis illius ſcientiæ curioſitati dictum S. Ambroſij obtenderemus quis iure improbaret? *Legere nos aliqua, ne negligamus; legere ne ignoremus; legere non vt teneamus, ſed vt repudiemus.* Sed iſtâ non vtor defenſione: verùm id aio cum S. Hieronymo, *ſi quando cogimur literarum ſecularium recordari, & aliqua ex his diſcere quæ olim omiſimus, non noſtræ eſſe voluntatis, ſed, vt ita dicam, grauiſsimæ neceſsitatis.* Et eandem quæ fuit antiquitus, neceſſitatem adhuc à nobis id ſtudium exprimere, demonſtrat illa ſempiterna, & vt ita loquar, inuicta ſacrarum paginarum obſcuritas, quæ in tanto commentatorum lumine, tamen adhuc de noſtri ingenij debilitate triumphat. Quid quòd ne ipſos quidem antiquos ſcripturæ Interpretes, aut è Patribus quamplurimos, qui alterum poſt ſcripturas ſanctas locum auctoritatis apud nos obtinent, ſine literis humanioribus interpretari poſſumus? Lege ſine illis Arnobium: ænigmata loquitur. Tertullianum: quid dicit? Hieronymum: quò alludit? Vide ergo quiſquis hæc contemnis, *ne lumen quod in te eſt, tenebræ ſint.* Neque deſunt hac tempeſtate peiores Gentilibus hæretici, qui cum exoticæ linguæ verbum buccis tumentibus concrepuerint, ſoli ſapere videantur. Hi cœleſtium oraculorum verba temeritate Grammaticâ, impudentiâ hæreticâ ad vertiginis ſuæ calculos reuocantes, interpolantes, corrumpentes, quàm indignè primos Eccleſiæ Antiſtites, ipſoſque vtriuſque Teſtamenti codices vexarunt, confixerunt, laceraruntꝫ Iam olim Biblia ſua mala Iudæorum manus corruperat; acceſſerunt hæretici veteres, qui tanquam *muſcæ morientes ſuauitatem vnguenti* iſtius *perdiderunt*: denique perfractis inferorum repagulis, noua furia Europam inuaſit, & cum templis librorum monumenta euertit: vt meritò gemuerint pij omnes cum

Propheta,

Propheta, *Reſiduum erucæ comedit locuſta, & reſiduum locuſtæ comedit bruchus, &* Ioël c. 1. *reſiduum bruchi comedit rubigo.* Itaque tali ſacrorum voluminum vitioſitati opponenda fuit Orientalium linguarum peritia, antiquatum lectionum perſpicax inueſtigatio, morum & legum explorata cognitio, non minor externæ, quàm Hebrææ hiſtoriæ memoria, vt vulnera Grammaticali acu puncta, verâ ſolidâque ſcientiâ ſanarentur. Quid dicam de ornamento quod ex iiſdem literis, vel ipſi ſacræ Scripturæ expoſitioni, vel habendis ad populum concionibus arceſſitur? Quis non videt tantùm differre meros Theologos, ab hac dilutiore ſapientia, quantùm Stoïcos olim ab Academicis, Dialecticos à Rhetoribus?

Obſtrepat hic quantùlibet Aurelius, & Concionatores noſtros queratur *è* *Aureliana calumnia in Concionatores Societatis p. 309.* *ſcholis Rhetoricæ adhuc recentes aduolare ad templorum cathedras.* Quaſi cruda ſtudia in publicum propellamus, & à puerili inſtitutione derepente populorum magiſterium affectemus. Sic olim ædificante Salomone iutaſſet ſtolidus aliquis parabilem eſſe politiſſimorum lapidum congeriem, qui *ſine malleo & ſecuri* 3. Reg. 5. perfectè inuicem quadrarent. Vide quàm longo circuitu, quàm non temerario impetu à ſcholis ad templa perueniamus. Tota Religioſorum noſtrorum vita quid aliud eſt, quàm quidam virtutum & doctrinæ mercatus? Annos duos Rhetoricis ſtudijs, tres ſolidos Philoſophicis impendunt, nihil aliud Reg. Prou. §. 18. & 19. quàm diſcentes: eas deinde ſcholas tenere iubentur, *quibus ſuperiores ſcientiæ ſunt.* In his vbi triennio, aut quadriennio & ampliùs ſubacti, & quaſi ad palum exercitati ſunt, ſcribendo, legendo, docendo, qui præſtantiſſimus eſt diſcendi modus, ſubleuantur aliquando, & ad laboris mutationem, quam ſolam quietis ſpeciem agnoſcit Societas, vocantur. Theologicum enim ſtadium quadriennio toto decurrunt, eoque tempore præter Magiſtrorum dictata, & aſſiduam commentationem, ſic parati eſſe debent à libris, vt *Summam* Reg. Præf. Stud. §. 30. *S. Thomæ, ſelectum aliquem commentarium, Tridentinum Concilium, Bibliorum volumen, aliquem è Patribus ex ſuperiorum arbitrio, librum denique aliquem ad humanitatis ſtudia pertinentem penes ſe habeant, & certis temporibus legere vbi commodum ſit, non omittant.* Deus ſancte! hominis vnius ætatem pene iam numeratam habemus, & vixdum quicquam promouimus. Ad Theologiæ metas vbi peruenerunt, annus additur colligendo ſpiritui, & deuotioni ſi quæ defluxerat, reparandæ. Nam cum ad *omnia* noſtra munia *pietas vtilis eſt*, tum maximè in 1. Tim. 4. Concionatoribus requirimus *media illa, quæ inſtrumentum cum Deo coniungunt.* Reg. Concionat. §. 4. *Eiuſmodi ſunt ſolida virtutes, & præcipuè caritas, pura intentio diuini ſeruitij, familiaritas cum Deo in ſpiritualibus deuotionis exercitijs.* Ex hoc veluti aureo milliari, per varia ſparguntur officia, quibus quemque natura & induſtria fecit idoneum. Hi Rhetorum ſtudijs, illi Philoſophorum Lyceis præficiuntur: gradus hinc vel ad Conciones, vel priùs ad Theologiæ Magiſterium: è quo deinde vel ad illas ipſas conciones, vel ad Socios cum poteſtate regendos educuntur. Tum verò in ſacris illis roſtris, quis certiùs fidem explicat, quàm qui enodandis cuiuſcunque generis difficultatibus aſſueuit? Quis vberiùs Theologiam proponit, quàm qui de re qualibet copioſè ornateque dicere quotidiana declamatione didicit? Quis meliùs abdita Religionis myſteria, quaſi pulchram tabulam in bono intelligentiæ lumine collocat, quàm qui euocatis vndecunque doctrinæ ſecularis ornamentis ea perſequitur doctè, illuminatè, ſapienter? Ætate iam ad honeſtam miſſionem deuexa, qui tam diutur-

*Librorum accurata lucubratio.* no ſtudio ſcientiam, rerum vſu prudentiam, virtutum omnium exercitatione pietatem penitus adepti ſunt; quibus edendorum librorum cupido eſt, otium in ijs ponunt, deque eo, vt ſapientes & literatos decet, rationem poſteritati reddunt. Atque tum ex eo quòd ſunt *claſſibus inferioribus innutriti*, hoc faciunt lucri, vt rem quam dicere inſtituunt, proponant apertè, partiantur diſtinctè, confirment peritè, explicent illuminatè, nitido & læto verborum genere eloquantur. Ex eo autem quòd fuerunt *ſecularium librorum belluones*, quibus Theologiam condierunt, euadunt in viros, quales exponendæ Scripturæ ſacræ impendi debent, *non ſolum linguarum peritos, ſed etiam in Theologia Scholaſtica, cæteriſque ſcientijs, in hiſtoria variaque eruditione, & quoad eius fieri poteſt, in eloquentia bene verſatos.* *Reg Prou. §15.*

Hic vitæ noſtræ curſus, hic exitus eſt: his probatos experimentis, transfuſionibus depurgatos, vaporationibus eliquatos, damus in publicum; ſeriùs longe quàm plerique aliorum Ordinum prodeant; cautiùs quàm ij quibus præter *picta tectoria lingua nil ſolidum crepat*; ſapientiùs quàm qui de Deo non dignè Deo loquuntur. Ita Theologiæ ſeruiunt diſciplinæ minores, & Reginæ Eſther delicatiùs incedentis collectum ſyrma ſuſtinent. Atque hæc ad defenſionem doctrinæ Societatis, & ſtudiorum noſtrorum cauſam & inſtitutum dicta ſufficiant.

---

## *EIVSDEM HIERARCHIÆ CHARISMATVM ſupremus ordo declaratur.*

## CAPVT XIX.

*Superiora Chariſmata debent ad caritatem deducere.* OMNIA noſtra in caritate fieri iubet Apoſtolus, & illam Chariſmatum omnium finem in Eccleſia conſtituit perfectè ædificatâ in caritate. Hinc eſt quod Salomon ferculi ſui *media caritate conſtrauit, propter filias Ieruſalem*; eique *lampades ignis atque flammarum* attribuit, quæ nullis Oceani aquis extingui poſſint & ſuffocari. Quamobrem *Cant. c. 3.* cum futuræ vitæ ſpem ex Theologiæ Moralis præſcripto viuentes conceperimus; cum Scholaſtica Theologia fidem nobis adauxerit, ad myſticam ſapientiam aſcendendum erit, quia *maior horum eſt Caritas*. Illa autem, Beda teſte, *Beda in c. 10. Luc.* vna eſt, & ſola Theologia, id eſt, contemplatio Dei, cui meritò omnia iuſtificationum merita, omnia virtutum ſtudia poſtponuntur. Mirus ordo, cum à cognitione Dei procedat amor, & oculus cor præcedat, proximos ſibi tamen Deus facit amantes, & quaſi ſolius amoris amans, ex toto cognoſci non poteſt à Cherubinis, qui vult totus à Seraphinis ardenter diligi. Et in Hierarchia quidem Cœleſti nullus ſpiritus ex ordine Cherubico poteſt ad Seraphicum euolare: in ſubcœleſti autem in qua verſamur, niſi cognitio ad amorem referatur, euanida eſt; niſi Chariſmata quæ Deus intelligentiæ largitur, voluntatem inflamment, obtunduntur; niſi Doctor ex Throno, vel Cherubino euadat in Seraphinum, malè talentum ſuum occupat. Quemadmodum enim ſol aërem tenebris purgat vt illuminet, radijs autem illuminat vt calore perficiat: ita Deus purgatam per Canoniſtas animam, ſapientiæ ſuæ luce per Theologos complet, vt ad dilectionem bonitatis accendat. Quod ſapienter

ter adumbrare viſus eſt Philo, cum alios cœli, alios Dei homines eſſe dixit: illos vacare ſcientiæ, & tanquam humanæ Reip. ciues in mundo conſiſtere. Talem fuiſſe Iudæorum parentem, cum adhuc Abram, id eſt, Pater ſublimis nuncuparetur. Hos autem naturam omnem creatam ſupergreſſos, migraſſe in mundum intelligibilem, ibique ſortitos domicilium, adſcriptos eſſe Reip. idearum incorporearum & incorruptibilium. Hos Dei homines, Sacerdotes eſſe, & Prophetas: eò Patriarcham euaſiſſe per diuinum oraculum, *Ego ſum Deus tuus*; & factum Abraham, qui eſt *Pater electus ſoni, id eſt, intellectus probi viri; eſt enim electus, purgatus, & pater vocis quâ conſonamus* laudes Dei, & gloriam augemus

*Homines cœli, & Dei.* Philo l. de Gignant. *Abram, & Abraham.*

Itaque quæ Gratiæ gratuitæ Dei in Eccleſia caritatem, & eius ardorem aliquem ex vitæ ſtatu & conditione conficiunt, illæ mihi non incongruè videntur cum Seraphinis comparari. Quod vberrimè ſapientiſſiméque facit S. Bonauentura noſter, ſtricta quidem & contracta ad Religioſos ſignificatione, ſed quæ longè commodiùs totum ordinem Hierarchicum complexura videatur. *Angeli enim illius ordinis*, inquit, *diuini amoris incendio præ cæteris inflammati, aliorum ſunt inflammatiui. Mobiles in ſe, aliorum ſunt motiui. Acuti & penetratiui, inferiorum & ſuppoſitorum ſunt reductiui: quia quos igne caritatis accendunt, ad Deum qui ſursùm eſt deducunt & conuertunt.* Vbi duo ſemper, quaſi neceſſariò coniuncta vides, propriam cuiuſlibet Seraphini perfectionem, & alienæ curam atque ſtudium. Quod ne in antitypo per Iuriſdictionem, aut Ordinem tantùm fieri credas, ne-ve *inferiores* illos & *ſuppoſitos* interpreteris ſubditos, in quos dominatus & poteſtas exercetur, immediatè ſubdit, quod alia occaſione retulimus, eſſe Seraphinos *actiuos & exemplificatiuos: quia non ſolùm inferiores accendunt, verùm etiam & ordinatè diligendi formam tribuunt.* Vt ſciamus neque otio torpere contemplantes, neque proximis nihil conferre carentes ſubditis, pluſque illos exemplo, quàm ipſis quas exercent actionibus operari. Denique vt in huius exemplaris explicatione duplex Hierarchicarum actionum genus, ad ordinem hunc pertinentium Catholica ſoliditate fundemus, eas videlicet quæ Deum, & eas quæ proximum intuentur. Nam quia vnius & eiuſdem caritatis obiecta ſunt duo, præcipuum quidem & maximè ſublime, Deus ipſe: ſecundarium autem proximus; ad cuius amorem pertinet velle & operari bonum proximo: duûm præcipuè generum hæc oportet eſſe Chariſmata, & alia quidem contemplando, alia autem operando exerceri; vt duplex Mariæ & Marthæ miniſterium ad fouendum in nobis Chriſtum laudabiliter concurrat.

*Caritatis profeſſores cum Seraphinis comparati.* Bonau. de Hier. Eccl. p. 1. c. 2. *Perfectionis propria & aliena ſtudium.* *Inferiores in hac Hierarchia qui ſint.* D.Th. 2. 2. q. 66. a. 6.

Quæ verò ſit iſta Caritas, qui amor Seraphicus, quis animo complecti, quis pro rei dignitate poſſit eloqui? Ignoſcite Ardores ſempiterni, flammæ Deiformes, aſtra de ſole, carbones de altari, mundi ſupercœleſtis plaga torrida, ſi vos in perpetuo meridie ſereniſſima luce exæſtuantes, mortalibus oculis intueri, concipere mente, lingua enunciare tentamus: ſi ſperamus aut capere cogitando, aut capi efferendo ſuperferuidos amoris æſtus quo viuitis, ſuperſuauem ſpiritus impetum quo concitamini: exuberantiſſimas ignis ſtricturas quibus inferiora ſuccenditis. Vos procul intuitus Apoſtolus Chriſti *aquila grandis magnarum alarum*, ſtupore ſilentioque adorauit: ex eius tamen conſortio luminis nonnihil hauſtum Hierarchiæ Doctor Dionyſius, quàm horrenda & venerabili obſcuritate nobis tradidit? Eam peruincere acutiſſimi

*Quanta ſit Caritatis Seraphica ſublimitas.*

interpretes Hugo Victorinus, & Linconienſis Antiſtes pene deſpetant. Bonauentuta autem Seraphicus Doctor, in eam deductus luminoſam caliginem nihil de ſuo proferte audet, nuda interpretum verba colligere & deſcribere contentus. Poſt hæc qui noctuis animus, quæ ſpes ralpis alta tettæ mole conſepultis? Verùm ſi Deus ipſe contemplandum ſe nobis exhibet, vos ne idem negabitis, ô primi, ô capaciſſimi ſupeteminentis bonitatis excipuli? Si priores aquilæ maieſtatis veſtræ ſcrutatrices humillimæ, à gloria non ſunt oppreſſæ, date veniam earum veſtigia ſequentibus, & non illaudabili curioſitate inquirentibus, quàm ſublimem & humanis viribus inuium amori Hietarchico ſcopum Deus propoſuerit, quàm ardens, quamque infinita eſſe debeat imitatio noſtra, quæ ſuis exemplaribus ad viuum teſpondere nunquam poterit.

*Amoris Seraphici dotes quinque.*

Τὸ μὲν γὰρ ἀεικίνητον αὐτῶν περὶ τὰ θεῖα, καὶ ἀκατάληκτον, καὶ τὸ θερμὸν, καὶ τὸ ὀξὺ, καὶ ὑπέρζεον τῆς συντόνου καὶ ἀκλινοῦς ἀεικινησίας, &c. Dion. c. 7. Cœl.

P. Ioan. à S. Franciſco in ſ. interp. Gall. ad hunc locum.

Amorem Seraphicum ad Deum, & inferiores ordines tendentem, quinque dotibus exptimit Hierophanta Dionyſius, quem ait eſſe *ſemper mobilem circa diuina, perpetuum, ſeu indeſinentem, calidum, acutum, ſuperferuidum.* De quibus quæri primùm poteſt, ſint-ne diuerſæ illæ proprietates, an vna verbis pluribus explicata? Quid enim differt ſecunda à prima, quid tertia à quarta? Si quis dixerit caritatem Seraphicam & perpetuò & ardentiſſimè in Deum ferri, num is quinque Dionyſiacas voces ſatis expreſſerit? Ita ſenſiſſe videtur nobilis intetpres Gallicus, vim amoris illius tot vocabulis magis explicans, quàm diſtinguens. Nihilominus homonymiam in illis verbis non ſenſerunt enarratores quos ante nominaui, & modò ſequi lubet; quorum ſubtilis, & ſolers labor in eo fuit occupatus, vt ſingula membra & ab alijs ſeiungerent, & bono aliquo ſenſu exponerent. Certè calor aliud aliquid eſt quàm acumen; ac licet aliàs calorem ſiccitatis acumen & energiam eſſe dixerimus, tamen ſine calore acumen, & calorem ſaltem remiſſum ſine acumine reperire eſt. Atque calor idem à feruore gradu & intenſione diſtinguitur, & ab vtroque ſuperferuor ille, qui nouo nomine in te vetuſtiſſima vſurpatur.

*Dotes iſtæ diuerſæ sũt.*

*An dotes iſtæ à ſe inuicem pendeant.*

Itaque cum ſint hæc diuerſa, quæri deinde poteſt, ſint-ne aliqua ratione connexa, & inuicem pendentia; vt certo conſilio in hunc ordinem à S. Dionyſio collata ſint, quòd ab vno procedat aliud, & à ſemper mobili, ad ſuperferuidum diſpoſitis gradibus aſcendatur? Hoc innuere videtur S. Bonauentura, qui *gradus amoris Seraphici* appellat: hoc Hugo Victorinus ſingula conſequenter ſuis ſignificationibus aſſignans: *ſicut mobile*, inquit, *præcedit vt inquiſitionem excitet, & inceſſabile ſequitur, vt ad perſeuerantiam confirmet; ita calidum ſequitur, vt ſenſum viuificet*, &c. Verum catenatam hanc ſeriem proüt iacet nulla neceſſitate agnoſcendam eſſe arbittor, in qua neque S. Bonauentura perſiſtit, dum ipſe ſe corrigens, *ponit*, inquit, *quinque gradus, vel magis quinque proprietates.* Quæ duo vocabula in ſingulis poſtea repetit: tum primam proprietatem quæ eſt *ſemper mobilis, ſupremum gradum* nominat, cum ea nuncupatio *ſuperferuido* potiùs conuenire videatur. Prætetea non ex eo quòd ſempet mobilis eſt, calidus dici debet; ſed ex aduerſo, ideitco mobilis, quia calidus: poteſt acutus eſſe, & ſuperferuidus, licet perpetuus non fuerit: acutum porro id eſſe quod ſemper moueatur, cœleſtium corporum volubilitas non perſuadet. Ita ſentire me cogunt maximè priores duæ proprietates, quas ſine diſcrimine locum obtinere arbitrot, quem ſcriptor voluit, non qualem ipſa rerum natura deſidetat. Quidni autem vt vtranque conciliemus

*Totum hunc locum tractat Bona. l. 7 de itineri. æter. c. 3. ex Hugone Victor. & Linconienſi.*

ſententiam, ordinem conturbari petimus, & eas in poſtremum locum reijci? Neque repugnabit ipſe S. Dionyſius, qui ſi quid acutiùs ſpeculari licet, à *calido* incipiendum admonet, dum *ſuperferuido* adijcit *continuam & cedere neſciam perpetuam motionem*: quæ verba nihil aliud quàm primò locata explicant. Vt ſi quis certo ſingula ordine velit diſponere, ſic enumerare poſſit, ex calido acutum, ex acuto ſuperferuidum, ex ſuperferuido ſemper mobilem, ex ſemper mobili perpetuum & indeſinentem. Sed nos priùs hac ſoluti catena, ordinem ab auctore traditum enarrando conſequamur.

*Semper mobilis* eſt amor Seraphicus, quia *per ſe mobilis*, vt inferiùs dicitur, hoc eſt, non à principio extrinſeco, ſed ex conuenientibus naturæ ſuæ principijs; non accepto aliunde, ſed innato ſibi motu. Nam ſi Angelum ipſum ſpectas, perpetuò & ſine intermiſſione vlla Deum bonitatis, & pulchritudinis fontem intuitus, non poteſt in eum non tendere actu intenſo, *inflexibili ab amando ordinatè amatum, & indeclinabili ad aliquid aliud inordinatè amandum.* Quòd ſi Deum ipſum attendis, iam amor *perpetuus eſt, & indeſinens.* Nam vt ignis vim & actionem nunquam extingues, quandiu in materiam incurret formæ ſuæ ſuſcipiendę idoneam: ſic amando mouebitur vſque & vſque Angelus, donec in Deo amandum quicquam conſpexerit. Infinitos autem diuinarum virtutum theſauros, quando millies infinita creaturarum millia exhauſerint? Quò fit vt non tantùm actu non intercepto, quæ prima proprietas eſt, ſed etiam, ſi licet dicere, æterno Deum amet; quia Deum pulchri, & boni Oceanum nouo ſemper modo intuetur, & agendo experitur, quod nos ſancti docent ſcribendo, Deum amandi modum eſſe ſine modo, ſine fine.

*Amor ſemper mobilis.*

*Amor perpetuus.*

Iam amorem ipſum conſidero. *Calidus* eſt amor. Vt autem in corporibus grauitas leuitaſque ad proprium locum; ſic in amore calor ad amatum inclinat & trahit, verum pondus, pernix ala. Poteſt tamen ab agendo præpediri, vt lapis obiectu corporis, ne ad centrum deſcendat, vt auis intricata pedicis, ne in æthera ſubuolet. Quamobrem vt actu moueatur, *Acutum* accedat oportet, & ſuperatis obicibus omnibus actu penetrans obiectum; vt non tantùm calidum ſit ab amato, ſed acutum impetu tranſeat in amatum. Si enim de longè calidus, abſentem amas, imperfectus eſt amor, *adhuc foris amas, alius à dilecto, & non vnum cum ipſo. Amor autem natura non quieſcit, donec naturaliter totam amabilis penetrauerit virtutem, & profunditatem, & totalitatem quantùm poteſt.* Hic verò quieſcat neceſſe eſt, quod *ſuperferuido* conſequitur. Feruent porro ea quæ ingenti calore concepto interiùs exuberant, & ſupra ſe iactata, naturali pondere in ſe reuoluuntur. Hominum hic eſt amor, nondum mortis huius corpore liberatorum, qui diuini Spiritus penna elati, mortalitatis pondere demerſi, euolant & recidunt, Deum amant non obliti ſui, Deo clamant, *trahe me poſt te*: carnem audiunt retrahentem, *deſeris nos & vſque nunquam amplius?* At ſi qui calor tam potentis æſtus fuerit, non tantùm vt aliquid ſupra, & extra ſe iactet; ſed etiam in eo ſtatu ſemper detineat, neque vlla remiſſione aut pondere relabi patiatur, non hic plus aliquid quàm feruor, non *ſuperferuor* iure optimo dicatur? Hic verò Seraphini amor eſt, qui non ſolùm vt acutus penetrat ad amatum, non vt feruidus ſupra ſe extollitur, exit à ſe, ſeque ipſum Dei comparatione contemnit & deſpicit: verùm etiam in eo quaſi violento motu perpetuò ſuſtinet, vt procul à ſui contactu ſemper amato adhæreſcat. *Hanc igitur inclinationem virtutis amatiuæ* (vt cum Linco-

*Amor calidus.*

*Amor acutus.*

*Amor ſuperferuidus.*

nienſi concludam) *puto ſignificari per calidum: motionem autem ſubtilem, penetratiuam, velocem, ad naturaliter amabile amplexandum, exiſtimo ſignificari per acutum: ipſam autem rei amatæ amplexationem, ſemper tentionem, ſeu cum illa adhæſionem, & in illa quietationem, manifeſtari per ſuperferuidum.* Quæ tam felix comprehenſio, tam fortis adhæſio, tam naturalis, vt in loco proprio quies, mobile ſemper ad ardentiorem motionem, profundiorem penetrationem, auidiorem fruitionem extimulat, ſemper quieſcens, ſemper mouens, amati ſui delicias nunquam in æternum exhauſturum, plus vltra ſemper ſcrutaturum, & in ipſa inquiſitione ſemper cum ineffabili gaudio fruiturum. Ita ſe habet propoſitus à nobis illarum proprietatum ordo, quà tendunt ad Deum, nunc videamus quomodo ad inferiora deſcendant.

*Amor Seraphicus quomodo agat in inferiores;*

Iterum amor Seraphicus S. Dionyſio dicitur *vim habere efficacem ſimilia efficiendi, ſurſum ducendo ea quæ ſubiecta ſunt, quaſi calore, feruoreque ſuo illa ad ſimilem calorem excitans*, &c. Notanda hic Victorini Hugonis doctrina, motionem dilectionis Seraphicæ, quæ ad ſuperiora intenditur, intimam & inflexibilem dici; *prout autem ſubiecta reſpicit, reductiua & actiua exemplatiuum nominari*: quatenus Seraphinorum dilectio, inferioribus exemplum eſt *ad ſuperiora tendendi, & ſecundum ſuperiora incedendi. Motus enim ille qui in ſuperiori eſt contemplatio, in inferiori eſt operatio*: quoniam in inferioribus agit quodammodo contemplationem, quam exemplo ſuo edocet. *Ad ſuperiora tendit, vt in eis requieſcat: ad inferiora tendit, vt ea ad ſe reducat, recaleficans illa, & reſuſcitans in conſimilem caliditatem.* Illum amorem docet Ioannes Thaulerus libenter extra ſeipſum & ſolitudinem, in qua contemplando latebat prodire, eoque ſecuriùs, & minore cum impedimento foras progredi, quò magis interioribus ſpiritus delicijs afficitur, & ad eas propendet. Hinc apparet quomodo dicatur actiuus, & ſemper mobilis, & indeſinens, & calidus: niſi enim arderet in ſe, quomodo alios incenderet? Acutum, ſi vis, intellige, ex vi & energia exempli, quod verbis quibuſcunque efficacius eſt. Feruor ſupereſt, non vt ante *ſuperferuor*: Nam hic ſubiectum extra ſe ſic rapit, vt in raptu detineat: ille autem ſic ebullire facit, vt ad ſe infernè reducat: niſi enim ex motu in amatum, in ſe quodammodo reflecteretur & deſcenderet, qua ratione inferioribus attrahendis prodeſſet? Rurſum quomodo tutò & ſecurè reducendis ſubditis occuparetur, niſi ſuperferuida motione Deo penitus inhæreret? Agit ergo Seraphinus in ſubiectos, dum fruitur Deo: mouet inferiores dum quieſcit in Deo: reducit ſubditos ad Deum, dum ſe ipſe extra ſe rapit in Deum, factus ex infinito ſpeculo, diuinarum perfectionum ſpeculum, & ſine Iuriſdictionis violentia, ſine charactere Ordinis, ius Deo reddi iubet, & in mollem naturam ter ſanctæ Trinitatis imprimit characterem.

*Motus idem erga ſuperiorem contemplatio, erga inferiorem actio.*

Thaul. l. Inſt. c. 14.

DE

## DE CONTEMPLATIONE ET ACTIONE *dictum expreſſius.*

## CAPVT XX.

IN HAC igitur beatiſſimarum mentium contemplatione, Contemplario iterum & Actio recurrunt; de quibus cum dici ſatis nihil poſſit, illam per gradus ſuos ad Setaphicam vſque deducere quis vetet? quis vt intruſum & alienum ab inſtituto noſtro, ab hoc loco criminetur? Rem exequitur S. Bonauentura, plurium congerie auctorum qui hac de re ſcripſerunt, quibus ſuum ipſe calculum non addit, eorum verbis & auctoritate contentus vt plurimùm. Ego vt quemque in priuaris gradibus probaueto, ſequar non inuitus; vni tantùm Vercellenſi Hierarchiæ commentatori ſæpius inhærebo, quia is ad Hierarchias Angelicas mentem noſtram ſubtiliùs teducit. Idem fuſiori volumine proſequitur vberiùs P. Thomas à Ieſu è ſacro Carmelitarum Diſcalceatorum ordine, Contemplationem diuinam ſex libris enatrans, vnde ea tantùm quæ ad Hierarchiam noſtram, & eius cum Angelicis ſimilitudinem faciunt, hauriemus.

*Propoſitio dicendorum.* — Bonau. l. de Itine. æter. diſt. 4 tota. — Tho. à Ieſu l. 5. de Cõtemp. diu.

Ante omnia ſubſterni Actionem Contemplationi iubet Origenes, & priùs actione perfici hominem, quàm ad contemplationem accedat: vt vbi vita actiua terminatur, & perficitur, inde vita contemplatiua, lege ordinaria, incipiat. Qui & Magni Gregorij ſenſus eſt: *Qui arcem Contemplationis aſcendere deſiderant, priùs neceſſe eſt vt in opere Actionis perfectè ſe exerceant.* Id verò fieri apud homines illuſtriore nonnunquam bonorum operum exemplo, quàm per Contemplationem ipſam; & merita non minùs copioſè in communem theſaurum inferri, quotidiana docet experientia. In hac autem Actione ſedem habent primò impotentium animi motuum ſubactio, & ad rationis imperium circumductio; illuſtria deinde virtutum Chriſtianarum exercitia, vt patientiæ, vt demiſſionis animi, vt mortificationis. Id videtur à Bonauentura noſtro indicatum, vbi *ad vitam Hierarchicam & contemplatiuam, neceſſarium eſſe* admonet *animam purgari, illuminari, & perfici: purgari autem à concupiſcentia, à malitia, ab ignorantia, ab infirmitate ſeu impotentia.* Præterea Virtutes, Sanitatum gratiæ, Opitulationes, Gubernationes, & omnia ſacrarum miniſtrationum genera, per quæ Chriſtianorum primæui, eximiam ſuæ virtutis admirationem apud ethnicos concitabant. Iam autem cum reliqua pietate reſedit ille cœlo & terræ gratiſſimus caritatis æſtus, qui tamen animante Deo inter tot recentes Sanctimonialium Ordines contemplationi vacantium, per addictas noſocomijs feliciter excitatur. Mihi certè non minùs Eccleſiam Hierarchizaſſe videntur ij, quos ad peſte tabidorum obſequium amor diuinus impulit, inque eo defunctos pro Martyribus colit Eccleſia; quàm plerique cœleſtibus recreati delicijs Anachoretæ. Et quando ſuus cuique ſenſus eſt, amo ego ampliùs & admiror Catharinam Senenſem, & Franciſ. Xauerium ad elephantiaſin in noſocomijs aſſidentes, & ſaniem è putribus & cadaueroſis vlceribus obbibentes: quàm aut illam inter ſponſi ſui voluptates & reuelationes; aut hunc apud Indos & Iapones mortuos ſuſcitantem; quia ſecuriora

*Actio Contemplationi ſubſternitur.* — Greg. l. 6. Mora. c. 17 — *Quæ ſit illa Actio.* — *Ad vitam Hierarchicam neceſſaria purgatio.* — Bonau. in Breuiloquio. p. 5. c. 5. — Martyrol. Rom. ad vlt. Febr.

puto noſtri in Deum amoris indicia tam manifeſta, quàm Dei in nos priuilegia ſatis incerta; cum ne Apoſtolatus quidem Iudam ſeruauerit. Quis autem pro rei magnitudine ſatis illud æſtimet, quod factum nuper vidimus, cum animo virili, ardenti caritate, incredibili animarum zelo ſucceſſæ, ad transmarinas Canadenſium oras tenerrimæ Moniales, ad immanes ſ[illegible]rudines, vrbanis innutritæ delicijs, ad fœdam barbariem, honeſtorum natalium puellæ nauigarunt, vbi maris, cœli, ſui victrices, per artem ægrorum corporum curandorum, animarum ſalutem pro conditione ſexus operentur?

*Contemplatio ſtatus reſultans à perfectione actionum.*

Terreſtris tamen quodammodò eſt, & humanitatem non excedens, hæc quantæcunque in Eccleſia vtilitatis, & Deo accepta Marthæ occupatio, eſtima quidem Contemplationi, vt germana ſoror, ſed eximio Contemplationis nomine nondum digna. Nam *propriè loquendo perfectio actionis, non eſt gradus contemplationis, ſed poteſt dici ſtatus quidam reſultans à ſumma perfectione vitæ actiuæ, quæ neceſſariò præcedit, tanquam diſponens potentias contemplatiuas ad actus ſuos non impeditos, ſed perfectos.* Ad Angelicos igitur ordines aſcendet animus, ſeque beatiſſimis illis Hierarchijs reddere conabitur quam ſimillimum. Id quomodo exequatur, videndum eſt. Prima operationum iſtarum Cogitatio eſt, quæ orta ex imaginatione, tranſit & terminatur in Meditationem. Meditatio ex ratione orta, tranſit & terminatur in Speculationem. Speculatio quæ partim oritur ex ratione, partim ex intelligentia, tranſit & terminatur in Contemplationem. Contemplatio autem quæ oritur ex intelligentia, tranſit & conſummatur in intuitiuam cognitionem.

*Contemplationis definitio.* Rich. de S. Vict. l. 5. de arca Myſt. c. 4.

Contemplatio igitur, ſi Richardo Victorino credimus, *eſt actus intellectus non impediti, gratia ſanati, in æterna tabernacula, ſeu ſapientiæ ſpectacula directi, cum admiratione ſuſpenſi.* Eius obiectum Deus ipſe, quà veritas eſt, voluntatem potens excitare ad eius dilectionem cum iucundiſſimo ſapore guſtandam. Actus autem ſapientiæ, eſt Dei contemplatio, non quocunque modo, ſed ex dilectione profecta, cum ineffabili quadam ſuauitate in affectu, quæ ſentiri poteſt experiundo, explicari dicendo non poteſt. Quamobrem non alius eſt diuinæ manifeſtationis modus, quàm humanæ dilectionis menſura, vt quantùm amaueris, tantùm cognoſcas; priuſque te illi adiungas diligendo, quàm ipſe ſe tibi donet ad intelligendum. In iſta porro operatione, *vbi ſpiritus ibi libertas*, qua peccatorum iugo exoneratus, & terrenorum deſideriorum tricis expeditus animus, liberrimo motu huc illuc circumfertur, neque vllo difficultatis obice à ſuæ diſcurſionis impetu retardatur.

*Differt à Cogitatione.*

Hac libertate atque agilitate, caret Cogitatio, quæ nonnunquam ſine ratione, vt pote ex imaginatione, mouetur, ſemperque per deuia quæque lento pede vagatur. *Gratia ſanatum* quod audis, perſpicacem intellige, ab amore cupiditatum, & imaginibus remotum, ab omni labe corporea purum & integrum. Quod in Meditatione non eſt quòd neceſſariò requiras, cum ea conficiatur ratione; quæ vt imaginatione ſuperior eſt, ita inferior intelligentia: eſt autẽ perſpicacia actus intelligentiæ.

*A Meditatione.*

*Directum* vides *in æterna tabernacula*, in ipſam ſapiẽtiam, & primã veritatem, & quidem in ſui puritate, ſine inuolucro, vmbrarũque velamine. Qui S. Dionyſio ſunt *fulgores ſimplices, puræ illuminationes*, quibus veritas in ſe ipſa, non per ſubiectam videtur imaginem. Quod Speculationi neutiquam conuenit, per ſpeculum & in ænigmate cernenti. Denique *mentalem ſuſpenſionem*

*A Speculatione.*

ex admi-

*ex admiratione natam* ſuſpicis: dum anima ſupra ſemetipſam prodire mentis alienatione vrgetur: dum in cœleſtibus tota ſuſpenditur, natiuæ poſſibilitatis terminos ſupergreſſa. Hic rerum nouitas ſuper ſpem, ſupra captum æſtimationemque noſtram poſitarum, admirationem facit, ex admiratione accreſcit attentio: ex attentione cognitio: ex illis omnibus mentis ſuſpenſio, in qua fit nonnunquam, vt non ex intentione voluntatis, ſed ex ſola interpellatione humanitatis, acies inde flectatur. Flectitur tamen, quia in eo ſtatu, tanquam violento, diu perſiſtere non poteſt; ſed infirmitatis ſuæ pondere victa in ſemet & ad inferiora frequenter relabitur. Hac conditione ab intuitiua viſione diſcrepans, quæ ſine intermiſſione & fatigatione Deum dulciter intuetur.

*Ab intuitiua viſione.*

Hæc eſt natura Contemplationis, ad quam gradibus aſcenditur, monente Pſalmiſtaituros iuſtos *de virtute in virtutem, donec videatur Deus deorum in Sion.* Et iterum ex verſione Septuaginta interpretum: *Deus in gradibus eius cognoſcetur.* Quos gradus Hierarchica ſubtilitate, Vercellenſis ad Hierarchias Angelicas ſic accommodat. *In ſingulis*, inquit, *mentibus Hierarchicis* (nota Lector, contemplatiuos animos, ad Seraphicam perfectionem, ad diuinitatem ipſam ſola mentis agitatione tendentes, nobili modo Hierarchicos nuncupari) *diſponuntur tres Hierarchiæ.* Infima, qua mens bene diſponitur reſpectu exteriorum; media, reſpectu interiorum; ſumma, reſpectu ſuperiorum. Eodem pene ſenſu ſcribit Richardus Victorinus, triplicem eſſe oculum, carnis, quo videntur exteriora; rationis, quo interiora; contemplationis, quo ſuperiora: & primum quidem apertum eſſe, alterum lippum, tertium clauſum. Primam Hierarchiam ponit Vercellenſis in natura, mediam in induſtria, tertiam in gratia: operari in infima naturam ſolam, in ſumma ſolam gratiam: in media vtrunque. Thomas à Ieſu non diuerſo animo, tres cœlos tribus reſpondentes Hierarchijs nominat, quibus ex aduerſo triplex oculus animæ reſpondeat. Primum in quo prima reſidet Hierarchia, eſt Contemplatio Dei per ſenſibiles creaturas, per oculum ſenſibilem ſeu imaginarium, quo diuina in corporeis imaginibus intuemur. Alterum ipſius Dei intuitio in ſeipſo, hoc eſt immediatè per fidei cognitionem; quæ fit oculo intellectuali, quo Deum in obiectis intellectu percipiendis vt miſericordia, vnitate, trinitate conſpicimus. Tertium pura ac myſtica contemplatio, qua Deus in hac vita per omnium ablationem ſiue negationem, in mirabili caligine ineffabiliter cognoſcitur & guſtatur: idque per oculum ſimplicem qui ſimilitudines omnes ac imagines, tum corporeas, tum intelligibiles per ablationem tranſgreditur, & ipſum Deum in lucida caligine, & luce inacceſſibili cõtuetur. Hæc eſt ſcalæ myſticæ ſublimis ſeries, cuius in apice Deum aſpicit Iſraël, abductis ſenſibus à rebus humanis, oculo creaturis aſpectabilibus clauſo, dulci contemplationis ſomno ſibi ereptus. Hoc tertium cœlum, quo raptus eſt Apoſtolus ſiue in corpore, ſiue extra corpus, in quo audiuit arcana verba, quæ nos homuli ex luto & argilla compacti, conamur ediſſerere. Non eſt ea tamen diuinæ Hierarchiæ opera deneganda, in qua hoc certè lucrum facturi ſumus, vt ſentiamus quàm nihil ſint ea quæ tanquam ſumma concipimus.

*Gradibus in Contemplatione aſcenditur.*
Pſal. 83.
Pſal. 47. ex 70.
*Mentes Hierarchica Contemplantium.*
*Triplex oculus.*
*Triplex cœlum, cum triplici oculo.*
Tho. à Ieſu l. 2 de Cõtemp. diu. c. 6.

## GRADVS CONTEMPLATIONIS AD ANGE-licas Hierarchias accommodantur.

### §. Vnicus.

*Obiecta in quæ fertur prima Hierarchia, ſecundùm Tho. à Ieſu l. 3 Prol.*

PRIMAM Hieratchiam idem Thomas à Ieſu tres in gradus diſtribuit, quotum primus eſt ex creatutatum viſibilium contemplatione, ſecundus ex ſcipturarum mira penerratione, terrius & ſupremus ex Verbi incatnati cognirione ad incomprehenſibilis deitatis perfectiones contemplandas mira ſuauirate conſcendens. Vetùm ſunt hæc obiecta circa quæ occupantur animi facultates, at nos ipſas earum actiones quærimus, quæ cum cœleſtibus intelligentijs Deum motu perpetuo contemplantibus meliùs conferuntur.

*Operationes facultatum conſiderata.*

*Angeli, apprehenſiones naturales.*

*Archangeli, naturales dictationes.*

Occuttunt igitut in primis Angeli, qui aliquid ſimpliciter nunciant, videlicet *prima & ſimplices apprehenſiones naturales, tum intellectus, tum voluntatis.* Quò & imaginationem, & ſenſuum operarionem reducere poſſumus, cum ſint & iſti nuncij ſpecies rerum aſpectabilium ad animum deferentes: & illa inter ſenſum & tationem, quaſi ancilla intet Dominum & ſeruum diſcurrat, & quicquid exteriùs haurit per ſenſum carnis; intellectui repræſentet ad obſequium tationis. Sequuntur tanquam Archangeli & nobiliores nuncij, *naturales eorum quæ ſenſibus apprehenſa ſunt dictationes*, quatenus illa pro commodis aut incõmodis repræſentant. *Ratiocinationem in imaginatione* vocat Richardus, qua rerum vtilitatem, tationem, ordinem, & cæteras conditiones timamur, ſpeculamur, & miramur. Auctor de Spiritu & Anima, qui à ſenſibus ad imaginationem aſcendit, tertio loco *Rationem* collocat, eaque dicit ſenſum mentis acui, vera diſtingui à falſis, imaginem Dei conſeruari. Quæ non coactè ad dictationem & tatiocinationem noſtram refetas. Tertio loco, Principatus quidam mentales, duces ſe præbent inferioribus ad diuina, ſuntque ij *appetitus vel fuga ex præcedentibus dictationibus reſultans.* Saporem boni & odium mali S. Bernardus appellat. Credas mentem hic habere conſilium, & propoſitas hinc inde rationes ſic expendere, vt bonum ſapere, & guſtare incipiat, ſeque in meliorem partem ferri ſinat: cum nihilominus ſuſcepta quaſi intellectus doctrina, ſui adhuc potens ſit, & vel neutri, vel deteriori parti ſe ſe poſſit addicere, vt norunt philoſophorum filij. Sic affectus animus primam complexus Hietarchiam, gradum facit ad mediam.

*Principatus, appetitus, vel fuga*

*Poteſtates, motus determinantes,*

*Virtutes, executio eius quod decretum eſt.*

*Dominationes, authentica imperia.*

In qua Poteſtates ſunt, *motus illi voluntarij intellectus & affectus, ad ſummum bonum propoſitum, totu vtriuſque potentiæ viribus requirendum determinantes*, & obices omnes perfringendos. Quibus adiunguntur Virtutes, tum naturales, tum gratuitæ, *ad exequendum fortiter, quod ſapienter à Poteſtatibus decretum eſt.* Per quem conatum & efficacitatem, iam ex toto liber animus, nullo ampliùs obſtante aut retardante, euolat ad ſupremos naturæ terminos, in quibus Dominationes imperant, mentemque in ſumma libertatis ſublimitate conſtituunt; *quatenus per authentica liberi arbitrij imperia, intellectus & affectus per apices ſuſpendunt*, & ad diuinos ſuperaduentus ſuſcipiendos, quantùm quidem libero arbitrio adiuto, corroborato, & eleuato per gratiam poſſibile eſt, comparant. Hic animus virium diuinitus recens immiſſarum acceſſione vegetior, nobiliſſimos

nobiliſſimos,& vix humanos conatus exerit, ſeque ſupra ſe in theoricos exceſſus effundit, Thronorum mentalium ordine glorioſè affectato.

Dubitas quin hic & tum immenſam irrequieti cordis capacitatem, penitus ſuſcipiendo aduentui diuino expandat, ſeque Thronum faciat non ingratum, illi admittendo & ferendo, cuius deliciæ ſunt eſſe cum filijs hominum: qui Deiferos olim Ignatios animauit, qui θεοληπτικῶς prophetas inſpirauit: qui ſe in Paulum, tanquam in vas capaciſſimum infudit, vt eius *portaret nomen coram gentibus, & populis, & filijs Iſrael?* Hic collocat Richardus ſuperiorem Ratione Reuelationem, eorum quæ de diuina natura credimus, & ſola ſcripturæ ſacræ auctoritate probamus. Hunc Origenes quartum facit gradum, quo rationalia omnia tranſcenduntur, excutiunturque illa phantaſmata, quæ animam detinent ad ſuperiora properantem. Hinc Thomas à Ieſu puram auſpicatur contemplationem, imaginationis miniſterium minimè requirentem, quam viris perfectis ſæpe probat contingere, quibus ipſæ ſpecies à Deo infunduntur.

*Throni, exceſſus theorici.*

Tho. à Ieſu l. 5 de Cõtemp. diu. c. 2.

Inde verò attrahitur Intellectus ad ſummam quæ haberi poſſit cognitionem diuinorum arcanorum, & affectus ad amorem eximium, quæ ſunt Cherubicæ illuſtrationes. Hic Moſes ſecundùm magnum Dionyſium, ſeiunctus ab ijs qui locum Dei ſecum inſpexerant, intrat in myſticam ignorantiæ caliginem, in qua omnia cognitionis ſubſidia deponens, vnitur incomprehenſibilitati diuinæ, quam non penetrat intelligentia. Hic ſuper intelligibilia ſecundùm Origenem eleuatur animus. Hic ſecundùm Richardum Intelligentia pura, ex illa diuini luminis irradiatione, ea cognoſcit atque conſiderat, quibus omnis humana ratio reclamat. Quare apud Thomam à Ieſu gradus hic contemplatio Dei in caligine nuncupatur, quia tum percipit intelligentia non poſſe Deum percipi, & in lucem admiſſa inacceſſibilem tanto fulgore præſtringitur, vt hoc vnum ſentiat videre ſe quod videri non poteſt, & quicquid videri atque intelligi poteſt infinitis gradibus illo minus eſſe. Et quoniam illum immenſæ bonitatis ſolem ingredi non poteſt quin æſtuet, & anhelet, ita parto fruitur bono, vt ad arctiorem eius complexum, oſculum, & vnionem ſemper aſpiret. In hoc igitur perpetuo ad Deum quaſi abſentem motu, in ſuauiſſima præſentis Dei quiete, ſapientia Deum guſtat, ſemperque reperit vnde teneritudinem ſuam nutriat, bibit vnde gaudeat, haurit vnde nunquam deficiat, plena Deo, & Deum ardentiſſimè appetens. Atque hic eſt infinitus circulus deſcriptus à Ioanne Thaulero, & feliciſſimus Dei ludus, cum is quantò ſe ampliùs in ſublimi lumine manifeſtat, tantò magis animus ſciens & nihil ſciens diuinitatem eſurit: quantoque hic contentiùs eſurit, tantò Deus vacuam eius capacitatem implere deſiderat. Cui adiungitur intellectualis circulus in circulo, mente per contemplationem Deum quaſi comprehendente, & Deo immenſitate ſua mentem in ſe quaſi punctum continente. *Nec ibi otioſa inuenitur*, (vt optimè monet Henricus Harphius apud eundem Thomam à Ieſu) *ſiquidem ſolicita ſemper eſt quando Deo magis ac magis placeat, diuinum beneplacitum ab oculos ſemper habens, ac in operibus virtutis, exercitijs vigoroſis, & affectibus amoroſis, ſuper omnes occupationes & multiplicitates ſe exercens*, quibus perfectiſſimè curatis, *ſecundùm ſe totam in caliginoſam, ſicut in propriam habitationẽ reuertitur*, vt bonũ quod operata eſt à Dei bonitate profectum, Deo penitus reſtituat & dedicet. Quamobrem quod in rebus moralibus antea

*Cherubim, ſumma cognitio arcanorum Dei.*

Dion. c. 1. Myſt. Theo.

*Contemplatio in caligine.*

Tho. à Ieſu cit. c. 3.

*Circulus in circulo.*

Thaul. l. Inſt. c. 11.

declaratum eſt, ſapientiam actionum humanarum eſſe gubernatricem, id etiam in iſta diuinitus infuſa ſapientia conſiderandum eſt, vt in ea non ſolùm rectum agnoſcamus iudicium in diuinorum contemplatione, verùm etiam ad eam pertinere profiteamur humanorum actuum regulam: longè quidem excellentiùs, quàm ad ſapientiam humanam, vt quæ Deum propius contingat, per vnionem animæ & ſpiritus, eum perfectiùs expetiatur, & per legis æternæ regulas dirigatur. Quamobrem ex eo capite actionum, quas nuper commemorabamus, ſublimitatem perfectionemque licet colligere, quæ ex illa Contemplationis acropoli decernuntur, reguntur, perficiuntur, & ad ſupremam Hierarchiarum iure optimo ſubleuantur.

*Hæc Contemplatio dirigit Actionem immo expoſitã.*

*Eam Actionum dignitas.*

Cæterùm vlteriùs progredi non datur intellectui. Quò enim aſpiret ampliùs ſibi ereptus, in Deum ingreſſus, ſole vndecunque amictus, per æterna ſapientiæ tabernacula, ad ripam voluptuoſi torrentis obambulans? Itaque qui ſe hactenus affectui ſemper comitem præbuit, aut ducem, hic ſubſiſtere cogitur, & euolantem ad Seraphicos ordines voluntatem deſerere. Continet enim gradus ille ſummorum ſupremus *ſuperintellectuales extenſiones, & immiſſiones, feruidos fulgores, & fulgidos feruores, ad quorum omnium ſublimes exceſſus, & excedentes ſublimitates intelligentia trahi non poteſt, ſed ſolus affectus principalis Dei vmbilis:* qui eſt vt loquitur S. Dionyſius, *totus eius qui ſuperat omnia, nec vllius, nec ſuus, nec alterius, ſed incognito omnis cognitionis ceſſatione præſtantiore modo coniunctus: atque hoc ipſo quòd nihil cognoſcit, mentem etiam cognoſcendo vincit ac ſuperat.* Hic eſt ille Thalamus, *vbi paſcit, vbi cubat in meridie*; hic dulces ſponſi amplexus, pura amoris æſtuantis ſuſpiria, orationes caſtiſſimæ, quibus Deo aſſimilamur. Hic *vniformis fixio intelligentiæ puræ, & conformis affectio volitiuæ potentiæ, per omnia, in nullo impeditæ in vno fontali principio cæleſtium gaudiorum*, inquit ex Origene S. Bonauentura. Hic cœlum vitæ ſpiritalis, Angelicorum hominum paradiſus, viſionis intuitiuæ quoddam ſimulacrum, myſticæ Theologiæ ἐποπτεία: hic mera diuinorum paſſio; vbi enim amando excedimus, vt ait Doctor Taulerus, plus patimur quàm agimus. Nam opus quod hic facimus, eſt ſimplex & amoris plena in æternum amorem qui Deus eſt, inclinatio, & hæc eſt actione ſuperior, & deſiderio potentiæ diligentis, quo per amorem euehimur, & ita ſatiamur, nihil vt nobis deſit. Vis hic relegam ardores exſtaticos amoris Seraphici puerili nuper oratione decurſos? Quis enim hæc non Seraphinus aut ſentiat aut eructet?

*Intellectus vlteriùs non poteſt progredi.*

*Seraphinis vnio voluntatis & ſummus amor.*

*Thaul. I. Init. c. 14.*

Quis autem eſt ille qui complet aures meas dulcis ſonus iubilantium, diuinaſque laudes inceſſabili voce canentium Seraphinorum? Nonne vt in S. Marci Liturgia magnificè concipitur, *Tibi adſtant honoratiſſima tua duo animalia, nimirum multocula Cherubim, & ſex alata Seraphim, quæ clamant alterum ad alterum inceſſabilibus vocibus, & non tacitis Theologijs triumphalem & triſagium hymnum, canentia, clamantia, glorificantia, vociferantia, & dicentia magnifica gloria tua Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Sabaoth?* Et quoniam expoſita hactenus contemplatio Anachoreticі otij plus habere videtur, quæ Antonios & Macarios ſupra hominum ſortem extulit, hanc ſaltem doxologiæ partem in communi vita vt retineret Eccleſia, non Religioſos tantùm in choro pſallentes, verum etiam electos è ſeculo non paucos, diuinis laudibus decantandis, & prædicandis, ipſo ſtatu & vitæ ratione deſtinauit. Hos eſſe Canonicos dubitari non poteſt, qui ad orationes publicas, ad horas Canonicas, ad preces

*Hymni & cantica Seraphinorum.*

*Liturg. S. Marci.*

*Hanc doxologiam Canonici repræſentant.*

pro

pro Eccleſiæ ſalute concipiendas inſtituuntur. Inuentum id eſt magni & Theophori Ignatij, quem certum eſt ex Angelico Triſagio diuinitus reuelato Antiochenis ſuis alternantem tradidiſſe Pſalmodiam, quæ in vniuerſum deinde orbem propagata eſt, vt narrant Eccleſiaſticæ ſcriptores hiſtoriæ. Neque tacet aut Origenes qui *Contemplatorem* & *Iubilatorem*, hæc duo vocabula ſemper coniungit; aut S Bonauentura noſter, cum è cauſis quinque ob quas officium diuinum in Eccleſia publicè inſtitutum eſt, primam affert *imitationem cæleſtis concentus*, quem ſi continuè non poſſumus exprimere, vt cœleſtes illi cantores, interpolatè ſaltem pro noſtra fragilitate pſallendo, alacriter aſſiſtamus, imitantes *illam quæ ſurſum eſt Ieruſalem matrem noſtram*, vt ait Apoſtolus. Certè pſalmorum modulationem tanti facit magnus Pontificum inſtitutor Dionyſius, vt omnibus ferè Pontificijs myſterijs eſſentię inſtar eſſe, & neceſſariò adhiberi, & ab eo quod ſanctitate præſtat omnibus, abeſſe non debere pronunciet.

*Inuenta à S. Ignatio.* Socr. l. 6. hiſt Eccl. c 8. Niceph. l. 13. c 8 &c. Bonau. l. de ſex alis Seraph. c. 8. Galat. c. 4. *Pſalmorum modulatio.* Dion. c. 3. Eccleſ. in Contemp.

Agite ergo terreſtres Seraphini, cœlum in Eccleſiam deducite, aut potiùs Eccleſiam cœlo coniungite, quod eſt maximè Hierarchicum. Mementote autem id vobis ab Eccleſia dici, quod olim electo Pſalmiſtæ dicebat Presbyter, *Videte vt quod ore cantitis, corde credatis: & quod corde creditis, operibus comprobetis.* Nullum vobis in Hierarchia, quam formant aduerſarij, locum relinquunt, & tertiam partem ſtellarum de cœlo Hierarchiæ detrahunt, non ſine veſtra Deique iniuria: vos ego Seraphicis ordinibus adſcribo: imo etiam, quia Canonicorum plurimi de regali Chriſtianæ legis Sacerdotio, nihil adhuc præter aditialis tonſuræ coronam acceperunt: omnes vniuersè tonſurâ, & primis tantùm ordinibus Deo dicatos in hanc caritatis baſilicam, pro cuiuſque modulo immitto: vt qui rerum ſuperfluarum abdicatione, & Religioſi, vt olim dicebamus, habitus ſusceptione, ad Dei cultum & religionem perfectiùs excolendam, ab Eccleſia deſtinentur. Hi enim precibus, & probatæ vitæ exemplo Dei amorem in cęteris ingenerare, & ad finem Hierarchiæ poſſunt non parum conducere. His addo eadem ex cauſa, Sanctimoniales, quarum cantus & voces in Templis audiri publicè non permiſiſſet Eccleſia, niſi eas ad hanc operis Hierarchici partem conſecraſſet, & Veſtalibus omnibus ſanctiores ad ignis verè ſempiterni cuſtodiam cepiſſet.

*Canonicorum locus in Hierarchia ſublimis.* Concil. Carth. 4. can. 10. *Tonſura inſignitis.* *Sanctimoniales.*

Quòd ſi Actiuorum Contemplantiumque, ſeiunctim conſideratorum, tanta eſt, tamque ſublimis perfectio; quid de ijs ſentire par eſt qui duas ſimul ſorores amplexantur, & Actionem Contemplatione dirigunt, Contemplationem Actione fœcundant? Toti ſunt in eorum laudibus, & admiratione Patres antiqui, neque hunc in locum inferri quicquam poteſt non centies lectum. Audi ex innumeris Hugonem vnum, de celebri veteris Teſtamenti figura diſputantem: *Lia, quæ interpretatur laborioſa, ſignificat vitam actiuam, quæ eſt fœcunda in fructu operis, ſed parum videt in luce contemplationis. Rachel, quæ interpretatur viſum principium, deſignat vitam Contemplatiuam, quæ eſt ſterilis foris in opere, ſed perſpicax in contemplatione. Contendunt ergo contemplatio & actio pro amplexu ſapientiæ. Qui in contemplatione eſt, ſuſpirat pro ſterilitate operis; qui in opere eſt, ſuſpirat pro iubilo contemplationis.* Si quidem vt optimè Gregorius, *Contemplatiua vita minor quidem tempore, ſed merito maior quàm actiua* vetéque dictum agnoſcimus; *Maria meliorem partem elegit. Non tu malam, ſed illa meliorem.*

*Actionis & Contemplationis coniunctio.* *Lia & Rachel'is allegoria* Hugo Victor Erud. Theol. l. 1. tit. 79. Greg l 6. Mora. c 17.

Augu. Ser. 37. de Ver. Dom.

*Sed vnde meliorem? Quia tu circa multa, illa circa vnum: præponitur vnum multis, non enim à multis vnum, ſed multa ab vno.* Et illa multa ad vnum, vt ad centrum lineæ, ad Deum creaturæ, ad vnitatem ſubſtantiæ diuinæ Trinitas perſonarum. Cum autem finis Hierarchiæ ſit vnitas, aut certè vnio, magis Hierarchicam eſſe Mariam oportet & Rachelem, licet neutra fœcunditatem operum profundere videatur. Quòd ſi Marthæ & Liæ id eſt vitæ actiuæ operationes, neque poteſtatem Iuriſdictionis, neque characterem Ordinis exigentes, nihilominus ad nobiliſſimam Hierarchiarum, & ſublimem eius ſedem referuntur: quanto potiori iure immanentes Contemplatiuorum actiones, ex quibus aliorum dignitas ducitur, inter præſtantiſſima Chariſmata recenſebuntur? Hæc autem ſororum copula quomodo fiat, diuinè ſub alio ſymbolo docet idem qui ſupra Hugo Victorinus, dum in Scalæ Iacob infinis gradibus infimos, in medijs Actiuos, in ſummis Contemplatiuos conſtituit. Nam *Actiui infirmis compatiuntur, & ita deſcendunt: Contemplatiui congratulantur, & ita aſcendunt. Iſti enim ſunt Angeli per ſcalam aſcendentes, & deſcendentes: deſcendentes compaßione miſericordiæ, aſcendentes ſupernorum contemplatione.* Et quidem vno, quod ante vidimus, & eodem actu caritatis Deum ſimul & proximum diligentes: ad Dei ipſius exemplum qui vno ſui amore, id eſt ſeipſo, infinitè, ardenter, perpetuò creata omnia diligit: hæc inquam quia ſe; neque plus ſeipſum, quàm illa. Eſt enim amor otioſus ſi proximum non reſpicit: qui autem otioſus eſt, amor non eſt. In quibus monere ſatis non poſſum Contemplantium & crebras & eximias animaduerti actiones, Hierarchici finis effectiuas, vt ſecuriùs in hoc perfectiſſimarum mentium motu noſtra quieſcat Hierarchia, finem adepta ſuum, Dei & proximi caritatem, poſteaquam Seraphicos ſcalæ myſticæ gradus, ſuis omnibus Angelis inſtruxerimus, & nemine præcedentium excluſo, ſtatum in eis Religioſum ſtare monſtrauerimus.

*Scala Iacob allegoria.*
Hugo Vict. l. cit. tit. 27.

# DE HIERARCHIA ET HIERARCHIS

## Liber Nonus.

## DE REGVLARIBVS IN HIERARCHIA CHARISMATVM SIVE GRATIARVM.

### PRÆFATIO.

*QVA RELIGIOSI STATUS PRÆDICATIOnem Religioſo ciuius & vtilem & glorioſam eſſe monſtratur.*

QVOD Abrahami ſanctitate veteres Iſraëlitas vulgò gloriari permiſit Deus; quòd ipſe maiorum nomina virtuteſque in eorum animis ſæpe commemorando confouit: id eo ſemper conſilio fecit, vt patentum gloria tanquam ſtimulis ad eorum imitationem poſteros incitaret. Neque alia ſe mente Chriſtianis omnibus cupit eſſe præſentem, quàm vt accipiant de homine Deo virtutum exempla, eò maiora & auguſtiora, quò Patriarchas omnes longiore poſt ſe relinquit interuallo *mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus*. Hac cogitatione ſingulos noſtrûm ad nouæ cuiuſdam & magnificæ ſanctitatis apicem S. Leo Pontifex euocat, exclamando, *Agnoſce, ô Chriſtiane, dignitatem tuam, & diuinæ conſors factus naturæ,*

*Maiorum virtutes poſterorum exempla ſunt.*

S Leo ſer. 1. de Nati.

*noli in veterem vilitatem degeneri conuerſatione redire. Memento cuius capitis, & cuius corporis ſis membrum.* Et quoniam bona noſtra compararione aliorum ſemper optamus eluceſcere, hoc eriam ſiue infirmitati humanæ, ſiue non ſpernendæ ambitioni gratificari voluit naturæ gratiæque conditor, vt nobis collata cælitus dona, vicinorum bonis anteſtare gloriemur. Plus enim aliquid
Exod.c.6. Moſi, quàm prioribus Patriarchis, conſerre ſe profitetur: *Ego Dominus qui apparui Abraham, Iſaac, & Iacob, in Deo omnipotente, & nomen meum Adonai non indicaui eis.* Infinitam præputiatorum Gentilium in Iſraëlitico populo contemptionem, cum omnis loquatur vetus ſcriptura, nulla improbat: quòd aſſumpta de Dei cultu gloriatio, in auctoris gloriam cedere videatur.

*Lex Euangelica cateris cum modeſtia præponitur.* Eiecta demum ab adyto ſanctitatis vetere Synagoga, in ius illud modeſtæ iactantiæ plebs Chriſtiana ſucceſſit: vt iam ei ſuperſtitionem ethnicam, & Iudaïcas cæremonias, præ legis Euangelicæ Sacramentis deſpicere concedatur. Atque in hac ipſa lege, cum omnia virtus, & pietas occupet, eius tamen perfectio certis ſubſtructa gradibus eſt, qui vt ſunt alij alijs ſanctiores, ita laude
2.Cor.11. gloriaque digniores. Nam & Apoſtolo Paulo dicere de ſe licuit, *Semen Abrahæ ſunt, & ego: Miniſtri Chriſti ſunt, vt minùs ſapiens dico, plus ego.* Et propoſita
1.Cor.12. perfectionis forma, fideles ad eam excitare, *Æmulamini Chariſmata meliora, & adhuc excellentiorem viam vobis demonſtro.* Quis enim veter Epiſcopalis perfectionis in arce poſitum, exemptum à vulgo Clericum, ducem ſubditis ad cœlum rapiendis electum Parochum, diuina ſibi dona gratulari, & eorum humili recordatione ad implendum impoſiti officij genus, magis in dies, ac magis inflammari? Cum legerit in Dauide, *Non fecit taliter omni nationi.* Cum audi-
Pſal.147. Ioan. c.15. uerit à Chriſto, *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos. Cui autem multùm datum*
Luc.c.12. *fuerit, multùm quærendum ab eo.* Cum acceperit à Daniele, *Qui docti fuerint, fulge-*
Dan. c.12. *bunt quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates*: ſplendorem hunc ſibi à Deo circumfuſum, factum ſe nobiliſſimi firmamenti partem & ſtellam, non cogitabit ſumma cum animi ſui voluptare, & cœli diuitias in ſuum proximique commodum, toris viribus conferre contendet? Et erunt qui vel eius fulgore permoti, vel Chariſmatum tanquam ſtellarum, pulchritudine illecti, ardens perfectioris vitæ deſiderium concipiant, dignoſque ſe reddant, qui & ipſi ad ſimilem virtutis gloriam euehantur.

*Satisfit obiectioni ex Apoſtolo.* Neque me Apoſtoli noſtri obiurgatione ferias, qui Gentilium contempticem Iudæorum ſuperbiam, & vaniſſimam Corinthiorum de Chariſmatis contentionem cenſura iuſtiſſima caſtigauit. Nam illi eminentem ſupra Gentiles legis ſuæ ſtatum meritis ſuis, eius obſeruationem ſuis viribus intolerabili arrogantia tribuebant. Hi pro Gratijs certabant, quas mereri nemo poteſt, quæ alterius, vt plurimùm, quàm poſſidentis vtilitari ſeruiunt: ſic denique diſputabant, vt alter alterum contemneret, eſſetque grande periculum, ne dum inuicem mordebant, & comedebant, ab inuicem conſumerentur. At è diuerſo docet humilitas Chriſtiana, in auctorem Deum omnia refundere, nemini contumeliam facere, quòd ijs careat bonis, quæ tu gratuita donatione cælitus acceperis: eo vti beneficio ex donantis voluntate, in ædificationem proximi & Eccleſiæ, non in deſtructionem, aut priuatam ſuperbiam. Hoc etiam attendas velim, & Iudæo ſimulacra Gentilium, & Chriſtiano externa Iudaïcæ legis opera modeſtè ſpernere licuiſſe, quia à virtute & perfectione

perfectione erant derelicta : diuerſos autem Christianæ legis gradus parem contemptum ferre non poſſe, quòd ſua ſingulis inſit virtus & perfectio: & omnes ex Dei pendeant arbitrio, qui tanquam bonus Imperator legionibus ſuis alios adſcribit, alios ad prætorianas cohortes adſciſcit, vt vnum omnes conficiant exercitum,& in ſtatione quam acceperint, morentur moriantur-que.

*Religioſis licet ſtatum ſuum amare & laudare.*

Hæc qui ſuis momentis expenderit æquus rerum arbiter, ambitionis reos non faciet cum Claudio Seguenoto Religioſos, ſi quando liberali cœleſtium opum explicatione ſui ſtatus amplitudinem, votorum ſanctitatem, animi puritatem, clauſtri quietem & tranquillitatem, ſpiritalis vitæ delicias, vel inter ſe recolunt, vel cum externis in familiari congreſſu, ipſis multùm conſentientibus, efferunt & deprædicant. Suum videlicet bonum de loquentium curis, & æternis æſtimant, gaudent à ſe iamdudum ſpreta, quæ vel modò abijcienda diſcunt, etiam ab ijs quos ad onera illa neceſſitas alligat : geſtit erumpere conceptus in animo ſanctiſſimæ voluptatis ardor, contrarij euocatus aſpectu. Triumphant in aliorum gemitu, non de eorum miſeria, ſed de Creatoris in ſe miſericordia: & vt in littore hominum ſpectant pericula, non de naufragantium vexatione læti, ſed de ſua ſecuritate felices. Inter hæc augetur amor augendæ virtutis, & gratum animum aduerſùs benefactorem, vtendo, & creſcendo, vel faciunt, vel oſtendunt. Amiſerit Ezechias theſauros, quos reclufit Babylonijs; quia diuitiæ de terræ viſceribus erutæ ſolem aſpicere non merebantur. Lucem ambiunt dona quæ deſcendunt à patre luminum; conferunturque ſummo Dei conſilio, *vt luceat lux noſtra coram hominibus*, Hierarchico, ne dicam Seraphico exemplo, *& glorificent patrem noſtrum qui in cœlis eſt.* Denique ad ſtatus illius ambitionem vocari ſe putant à D. Paulo, qui poſteaquam *excellentiorem viam demonſtrare* promiſit, aliquantò poſt ſubijcit: *Sectamini caritatem, æmulamini ſpiritalia, magis autem vt prophetetis.* Prophetis autem reſpondere aliquo modo Religioſos, ipſi etiam æmuli confitentur.

Matt. c. 5.

1. Cor. 12. & 14.

*Libri huius inſtitutum in ſtatus Religioſi commendatione.*

Quæ cum ita ſe habeant, nemini diuinorum amanti Chariſmatum, inuidiæ, vt ſpero, & odij fomitem miniſtrabimus hoc libro, dum Religioſi ſtatûs perfectionem, vel abſolutè, vel cum alijs comparatam, ſine cuiuſquam iniuria exponemus: dum locum ipſis in Eccleſiæ cœlo inter Seraphinos, cum ſanctiſſimis ſcriptoribus adſeremus: dum votorum religionem liberiori vitæ cum Eccleſia Catholica præponemus. Patientur Regularium aduerſarij ſuum cuique pulchrum videri, extolli abſque aliena depreſſione conditionem, quam neque mutare poſſint, ſi velint, quia ſtatus eſt; neque velint ſi poſſint, quia ſublimis. Excitat nos ea conſideratio ad perfectionem quam iubemur expetere; ea perfectio corporis Chriſti ædificationem promouet; ea ædificatio Hierarchiam cumulat & perficit. Plures ad eam accedere architectos, & pro ſe quemque totis viribus in fabrica laborare, & operis perfectio, & operariorum vtilitas, & Domini voluntas eſt. Exclamauit olim Moſes, *Quis tribuat vt omnis populus prophetet, & det eis Dominus ſpiritum ſuum?* Scripſit Apoſtolus, *Volo omnes vos eſſe ſicut meipſum, ſed vnuſquiſque proprium donum habet à Deo: alius quidem ſic, alius verò ſic.* Dixit idem Iudæo Regi Apoſtolica caritate, & Chriſtiana confidentia, *Opto apud Deum & in modico, & in magno, non tantùm te, ſed etiam omnes qui audiunt, hodie fieri tales, qualis ego ſum, exceptis vinculis*

Num. c. 11.

1. Cor. 7.

Act. c. 26.

Ad Philemonem.

*bis.* Nos ne vincula quidem excipimus, quæ Apoſtoli eiuſdem voce *vincula Euangelij*, poſſumus appellare. Habemus illa Hierarcharum beneficio, quos ſuprema Caritas auro vinxit, grandi voto. Habemus cum Sacerdotibus ſecundi ordinis communia, quos Angelica puritas argento ligauit, voto mundiſſimo. Ad illorum exemplum, iſtorum imitationem properamus; & moras obijciunt qui de perfectione loquuntur aduerſarij, perquam imperfectè.

*De toto ſtatu ſine priuatorum iniuria agendum.*

*Petri Aurelij calumnia reſpondetur.* In Vind. p. 306.

Ribad. lib. vitæ Ignat. c 12.

Aurel. p. 351.

Ibid.

Porro nobis de toto Religioſi ſtatûs genere quæſtio eſt: vnam alteri ſpeciem non præferimus, omnes amplectimur. Quid mihi Petrus Aurelius obſtrepit, cæterorum Ordinum deſpectum Ieſuitis, vt cætera, per calumniam imponens, nos vt ab eorum amicitia, & ſocietate diuellat? Et plurimùm quidem moleſtiæ nobis inferre ſe putauit, cum ſcripſit *pleroſque Religioſorum Ordines, haud paulò maiori virtutu, & pietatu exemplo eſſe Eccleſiæ, quàm Ieſuitarum Societatem*: quod nos ſemper agnouimus, & quotidie lætiſſimis animis videmus. Initam cum Patribus Carthuſianis meritorum communionem, ab auctore vitæ S. Ignatij relatam, ne ipſe quidem Petrus ignorat, ſed id more ſuo ſubſannans, appellat *ſe fœderatos ſimulare.* Benedictinorum antiquiſſimam familiam, cæterarum matrem, à Loëmelio laudari videt, quem vult eſſe Ieſuitam; & id vocat, *fallaciter in hac duntaxat contentione adulari.* Pro Patribus Capuccinis in Galliam admittendis, orauit apud Henricum III. Regem Chriſtianiſſimum Edmundus Augerius, qui tum in aula erat, pat tantæ cauſæ patronus: atque dum negotium conficeretur, dum certas & ſtabiles erigerent ſedes, Pariſijs apud nos, aliquandiu habitarunt. Idem Religioſæ caritatis officium ante plures annos Patribus Carmelitis Diſcalceatis Rothomagi exhibitum vidimus, cum ij ampliſſimo in emporio, quo etiam externorum ignotæ quiſquiliæ confluunt, ius domicilij vix tandem impetrarunt. Singulos appellamus Ordines, & priuatas actiones: omnibus vniuerſè ſtatuta noſtra obſeruantiam indicunt. Monet enim S. Ignatius in aurea de obedientiæ virtute Epiſtola, vinci nos *ab alijs Religioſis Ordinibus ieiunijs, vigilijs, & cætera victus, cultuſque aſperitate, quam ſuo quiſque ritu ac diſciplina ſanctè ſuſcipiunt.* Imperant Concionatoribus Canones noſtri, vt *ſi quando occaſio tulerit, vt alius eodem tempore concionari velit, quantùm in ipſis erit libenter cedant.* Inter concionandum autem *caueant ne Religioſos aliorum Ordinum (quos reuereri & obſeruare debent) etiam tacitè videantur reprehendere.* Non commemoro quotidianum ſcholaſticorum noſtrorum ad ſanctiſſimos illos Ordines digreſſum, quos omni voluntatis teſtificatione proſequimur. Hæc & ſimilia recenſeri à nobis ſine ſcommate non patietur Aurelius, & beneficiorum communium exprobrationem vocabit. Sed eo tantùm conſilio producta ſunt, vt quilibet intelligat à nobis perſolui quod debemus, & amare inuicem Chriſti pauperes, qui ſimul ab æmulis impetuntur. Mutuò enim dicimus, *Omnes Ordines laudo & diligo, vbicunque iuſtè & piè viuitur in Eccleſia: vnum opere teneo, omnes caritate. Faciet autem caritas, (fidenter loquor) vt ne illorum quidem fructu fraudet, quorum inſtituta non ſequor.*

Ignat ep. de Obed.

Reg. Con. § 8.

Ibid. § 13.

Bern. in Apol. Gui. Abbat.

RELI-

## RELIGIOSIS IN HIERARCHIA CHARISmatum locum dari oportere monſtratur.

### CAPVT I.

ANTE tamque auguſtæ Reginæ baſilicam ſi permittuntur ingredi Regulares, in vacuam poſſeſſionem non intrabunt, in qua delibatum Chriſtianæ virtutis florem, & religionis medullam repetient, magnos Hierarchas, tanquam Caritatis ſponſos, qui in ſubditis *ordinant Caritatem: ſponſos* inquam *ſanguinum*, vt qui ad ſanguinem vſque pro tuenda Caritate decertent: Canonicos diuinarum laudum præcentores, Parœcos *in funiculis Adæ, in vinculis Caritatis* gregem ſuum ad Dei ſimilitudinem trahentes: Doctores abſcondita à conſtitutione mundi reuelantes; Martyrum purpuram ardenti Caritate conſperſam: Confeſſorum lilia Caritatis operibus fragrantia. Inter tot populos *Caritas Dei quæ diffuſa eſt in cordibus noſtris* nullam-ne Religioſis viris *in caritate radicatis & fundatis* ſedem poſuit? Titulum conſulamus. *Plurimi in Hierarchia Charismatũ reponuntur.*

Hierarchiam Gratiarum, ſiue Paulino vocabulo Chariſmatum, ſeu Donorum Spiritus Sancti vocatam ſpectauimus: in qua video doctrinam, prophetiam, Euangelium, linguas, interpretationes ſermonum, fidem, miracula, miniſtrationes, operationes, opitulationes: quæ omnia cadere in Regulares, & eorum decreta, & quotidiana virtutum exempla demonſtrant. Hierarchiam ordinis & ſtatus eſſe diximus. Qui autem Clericorum magis ſunt in ſtatu, quàm qui ſe tribus, & nonnunquam pluribus votorum vinculis conſtrinxerunt, ne dimoueri poſſint? Qui magis ordinem ſequuntur, quàm qui Ordinis nuncupationem ſortiti ſunt? Hierarchiam ſpecialis Vocationis appellauimus: quod ipſum in ore vulgi perſtat adhuc vocabulum, dum vocationem religioſam miratur & laudat. Hierarchiam denique Bonitatis & Perfectionis vocauimus: à qua nemo eos excludat, qui perfectioni acquirendæ ex ſtatu, & obligatione vacát. Eſt autem memorabile, quod de obedientia, vnica eius perfectionis parte pronunciauit S. Bonauentura, *per eam reduci totam Religionem ad Hierarchiam Eccleſiæ principalem:* & de perfecta caſtitate, quæ in ordine Seraphico vouetur, eſſe illam *huius Hierarchiæ ſummariam perfectionem.* Habet ergo Religioſus ſtatus eandem cum Hierarchia ſuprema nomenclationem. Patet aditus, ingrediamur in Regiam. *Religioſos in ea eſſe probatur à notatione nominis.* *Dictum memorabile de obedientia & caſtitate.* Bonau. in Reg. Fr. Min c. 1. *Idem confitetur à fine Hierarchiæ.*

Occurrunt miniſtri & domeſtici, homines ad legitimum Gratiarum vſum deſtinati, & ab Eccleſia per Hierarchas conſecrati. Ea conſecratio fuse à S. Dionyſio deſcripta eundem cum Hierarchia finem habet. Nam coma Monacho attondetur, *vt pura ſignificetur vita, quæ ipſa in ſe non humana pulchritudine, verùm ſingulari & vnica ad Dei exactiſſimam ſimilitudinem excitatur.* Atqui finis Hierarchiæ toti communis, & ipſi Hierarchæ propoſi- *[illegible]* Dion. de Eccl. c. 6. in Contemp.

tus, eſt Dei quantùm fas eſt, ſimilitudo, & cum eo coniunctio, per abſceſſum ab ijs quæ caritati, & vnioni cum eo ſunt contraria. Id igitur facit Religioſus, quod intendit Hierarcha, quò tendit Hierarchia, nimirum diuiſarum vitarum, & viſionum abrenunciationem, & corporearum omnium cupiditatum priuationem in conſecratione promiſſam. Vnde & cruce ab initiante ſignatur.

*A perfectione Caritatis, quam habent Religioſi.* *Gradus Caritatis ex Bonau. l. de 7. Itiner. æternit. Itin. 4. diſt 5. a. 1.* *Amor incomparabilis.* *Caritas caritatis.* Guil. Pari. l. de Virtu. c. 11.

Apparent & gradus quibus ad Reginæ thalamum peruenitur: quorum ribi aſcenſum duobus Hierarchis ducibus ſuadeo. Primus eſt *Amor incomparabilis*, quo Deus ſuper omnia diligitur, inquit S. Bonauentura. Hunc omnes electi premunt, & vulgò in eo ſubſiſtunt Laïci. At vide quantò nobiliùs in illo verſentur Regulares. Perfectio caritatis, inquit Guillelmus Pariſienſis, eſt ipſa caritas, qua Deum magno æſtimamus, & grandi pretio redemptum cupimus. Sunt enim qui viliſſimum faciant Deum, *quaſi vile mancipium taxantes, & de pretio pro quo eis offertur totis viribus diminuere conantes. Si enim offerretur eis Deus totumque regnum cælorum, pro obſeruatione ordinis Cartuſienſium, ac ſi nimis carus eis exhiberetur, reſpondent ſe non tantùm velle dare pro eo obtinendo, & quòd pro minori vellent ipſum habere.* Sic illi quidem *ſtultiſſimi negotiatores*, quorum indignas ſordes & damnoſam auaritiam condemnant, qui *obſeruationi ordinis Cartuſienſium*, aut alterius cuiuſuis Religioſi, quia cariùs non poſſunt, Deum comparant.

*Amor incontaminabilis.* Guil. Pari. loco cit. *Terram lingere quid.* Pſal. 71.

Secundus gradus eſt, *Amor incontaminabilis* à rerum terrenarum fæcibus altè eductus, qui malit mori, quàm fœdari; *tantæ virtutis vt hominem à mundana conuerſatione abſtrahat, ne mens polluatur, & caritas ab opere impediatur. Et iſte eſt mundi contemptorum & Religioſorum. Iſti ſunt*, ait Guillelmus noſter, *ſublimes ac nobiles venatores, ac nobilem prædam diuinæ ſuauitatis inſectantes. E contrario de quibuſdam dicitur, Inimici eius terram lingent. Iſti ſunt qui ſpreto diuinæ ſuauitatis fonte copioſiſſimo, aſperſuras has lingunt, & in eis immerguntur, non inuenientes in eis, vnde ſatientur: lingendo tantùm, impoſſibile eſt aliquem ſatiari. Turpiſſimum autem ac fœdiſſimum eſt, incuruari ad lingendum tam modicas, tamque tenues aſperſiones, & dorſum vertere ad menſam paratam in cælo.* Atque illud eſſe vult idem S. Bonauentura quartum ſignum extrinſecum perfectæ caritatis, omnibus renunciare, & ſequi Chriſtum. *Siquidem caritatis venenum, eſt ſpes adipiſcendorum temporalium, & nutrimentum caritatis imminutio cupiditatis: perfectio verò caritatis eſt, vbi nulla cupiditas.*

*Caritatis venenum.* Bonau. ibi. diſt. 4 a. 3. ex Augu l. 83. qq. 2. 36.

*Amor infatigabilis.* *Feruor amoris.* Guil. Pari. cit.

Tertius gradus eſt *Amor infatigabilis*, tantæ virtutis *vt animam non ſinat quieſcere, donec inueniat quem diligit. Et iſte eſt iugiter proficientium, & Chriſti Confeſſorum*: & omnino eorum, qui ſtatum tenent acquirendæ augendæque perpetuò perfectionis, quibus proinde feruorem amoris, quem ab amoris fortitudine diſtinguit Guillelmus, accommodare poſſumus & debemus. Is enim aliud nihil eſt *quàm vehementia deſideriorum earum rerum quæ quæruntur amato, ſeu quolibet modo alio ex amore illo.* Quàm verò multos parit amor iſte, feruor iſte bonitatis effectus? Quàm ardenter atque aſſiduè ſatagit circa frequens miniſterium, quo promeritam dilecti gratiam faciat ampliorem? *Interroga ſingulos ſanctorum virorum qui tam multa & varia operantur, ſiue in Clauſtris, ſiue in alijs locis aut officijs, propter quid vnuſquiſque eorum illa operatur? Reſpondebit indubitanter vnuſquiſque, ſe omnia huiuſmodi operari propter amorem Dei, & ex amore Dei.*

*re Dei.* Reducuntur autem omnes illæ operationes, in quibus infinito labore animum corpuſque ſubigunt adamantini Regulares, ad generalia capita duo ſæpe replicata, Contemplationem & Actionem, ad quæ anima conſecrata, à ſponſo dulciſſimo ſuauiter excitatur. *Surge propera amica mea, propter operationis meæ Hierarchicam imitationem; Amica mea, quia manus tuæ ſtillant myrrham.* Quod exponens Vercellenſis dicit ſic; *quod per manus ſtillantes myrrham, ſignantur operationes Hierarchicæ ordinatæ.* Nunquid enim habent innatam inſtituto ſuo Contemplationem Monachi, Actionem Gubernationes & Opitulationes, vtranque Mendicantes?

Bonu. ibid. Item. 7. diſt. 7.

Quartus gradus eſt *Amor inſeparabilis*, qui totus ab intelligentia manat; vt qui ſit *aſſiduè contemplantium.* Mariæ pars optima *quæ non auferetur ab ea in æternum.* Eſt enim amoris fortitudo, *inſeparabilitas, vel difficultas ſeparationis ab amato:* de qua legimus, *Fortis vt mors dilectio*, & in Apoſtolo, *Certus ſum quia neque mors, neque vita poterit nos ſeparare à caritate Dei.* Eam ab obiecti perfecta apprehenſione, & cælitus immiſſa cognitione proficiſci non dubitas. Ignem vide: quantùm ab eo recedis, quantùm accedis, calfieri te oportet: qui ſi flatu reuiuiſcit, appoſitione lignorum excitatur, remouendis contrarijs adiuuatur, maiorem ſine dubio flammam concipit, & emittit: *Sic eadem dilectio vel flatu apprehenſionum ſeu meditationum, ſeu allocutionum, aut rememoratione beneficiorum quaſi appoſitione ſeu aptatione lignorum, adiuuatur interdum, vt maiorem flammam, id eſt, feruorem & actum dilectionis emittat.* Quin etiam feruor ille, de quo antea dicebamus, *etſi de radice dilectionis procedat, adiutorium tamen habet fortiſſimum ex bonitate, & intenſione apprehenſionis; hoc autem eſt ex vicinitate ſeu proximitate amati.*

*Amor inſeparabilis.*

*Fortitudo amoris.* Guil. Pari. ibid.

Quintus eſt *Amor inſuperabilis*, cuius ardorem multæ aquæ non poſſunt extinguere. *Et hic eſt Christi martyrum.* Quidni & Religioſorum, quorum vitæ durities & aſperitas martyrij titulo decorati meruit à Patribus? Sacrificium mauis à Guillelmo? Parum intereſt, nam vtrubi conſiſtat hoſtia, in ara, aut in catasta, conſumi debet & perire, vt è martyrio fiat ſacrificium. *De his autem qui ingrediuntur Religiones, vnuſquiſque eorum dicitur, quia Domino offertur holocauſtum, quaſi totum incendium, ſeu incenſum. Quia iſti nihil de ſe, vel de ſuis relinquunt, quod in igne ſanctæ dilectionis eadem vice non offerant.* Ex admirabili illo grege, *imaginare virum ſanctum & diſciplinatum, & fac de eo diligentem conſiderationem, & apparebit tibi euidenter animal eſſe, in quo nihil vacat à ſacrificio. Cuius exemplar eſt Christus Dominus in cruce pendens, in quo nihil à martyrio vel ſacrificio vacauit.* Poſtulat autem à nobis Deus ſacrificia omnino tria. Primum & præcipuum, *nos ipſi ſumus*: alterum operum interiorum: tertium exteriorum, hoc eſt eorum quæ per corpus aguntur. Atque huius duo item ſunt genera, ſacrificia paſſionum, & ſacrificia actionum: *& in ſacrificijs paſſionum excellit martyrium. Sacrificia verò actionum euidentiora ſunt in operibus diſciplinæ clauſtralis, ſicut ſunt operationes vigiliarum, pſalmodiarum, laborum etiam corporalium, quales habet ordo Ciſtertienſium. In his autem ſacrificijs excellit oratio cum partibus ſuis, quantùm ad pinguedinem deuotionis. Doctrina autem & prædicatio excellunt quantùm ad fructum:* non tantùm in ipſo concionatore propter laborem, ſed in ipſis etiam auditoribus. *Verus enim atque ſyncerus Doctor ſeu prædicator, verus occiſor, & mactator, & manducator eſt animalium mundorum: ſicut legitur Iob 4. Concident illum*

*Amor inſuperabilis.*

*Sacrificium Religioſi.* Guil. Pari. l. de Legib. c. 28.

*Sacrificia tria.*

*Sacrificia actionum apud Religioſos.*

Concionator eſt occiſor animalium mundorum.

*amici, diuident illum negociatores. Et Actuum 10. Occide Petre, & manduca.* Quibus elogijs dici quid poteſt ad Religioſorum commendationem ſublimius? quid ad monſtrandam eorum caritatem magnificentius? quid denique ad aſſerendam Hierarchiam potentius?

*Amor inſatiabilis.*

Sextus gradus eſt *Amor inſatiabilis*: quem ſuperiùs dicta ſatis ſuperque explicant. *Et hic eſt iugiter deſiderantium, & ſolitariorum*, qui delicias inferiores, tanquam guttas roris antelucani negligentes, *ſublimiter ac ſpiritaliter ſapurantes & odorantes, iſtis, vt ita dicamus, aſperſionibus, odoribus, & veſtigijs diuinæ ſuauitatis contenti non ſunt. Iſti enim ſunt ſublimiter, ac ſpiritualiter eſurientes ac odorantes.* Quòd ſi ad ſextum hunc gradum à S. Bonauentura extructum peruenerunt Religioſi, non minùs eiuſdem caritatis perfectionem ſunt affecuti, quam Guillelmus noſter *ſtultitiam, ſiue dementiam* appellat, & quintam ordine numerat, qua ſuperiorem nullam agnoſcit. Atque illa eſt inſania, *qua inſtar amore inſanientium, ſpretis atque relictis omnibus, Chriſtum multi ſequuntur: quemadmodum amore inſaniens amaſius relictis patre & matre, & omnibus alijs amaſiam ſequitur, vilipendens alia omnia. Manifeſta eſt ipſa quotidiana experientia ſenſùs, quàm ſtultos, imo quàm inſanos reputet mundus eos, qui ita Deum diligunt. Huius rei exempla euidentiſſima ſunt in illis, qui mundo ſpreto ad Fratres Minores, vel Prædicatores ſe transferunt. Nec mirum, cum ipſi Apoſtoli* (de conſanguineis meliùs vt arbitror, mitiuſque id factum poteſt cum pluribus intelligi) *Dominum Ieſum inſanum eſſe crediderint, pro eo quòd doctrinæ & prædicationi adeo inſtabat, vt non poſſet neque panem manducare.* Quin etiam ſi Angelis ipſis citra reuelationem propoſuiſſet Deus Incarnationis decretum ſuis veſtitum circumſtantijs, *& huiuſmodi, vt ita dicamus, ſtultitiæ profundiſſimam, & inuueſtigabilem ſapientiam, ipſum inſaniſſimum reputarent, & cum Petro dicerent, Abſit à te Domine, non erit tibi hoc.* Eandem igitur cum Chriſto Religioſi ſuo modulo patiuntur amoris inſaniam; in ſingulis auguſtiſſimæ caritatis, & ſanctiſſimæ Hierarchiæ gradibus collocati reperiuntur: & dubitamus adhuc quin ipſa in Hierarchia perfectorum Religio commoretur?

Guill. l. de virtut. c. 11. cit.

*Inſania amoris.*

*In Religioſis.*

*In Chriſto.*

Marc. c. 3.

Matt. c. 16.

Bonauent. Religioſos in ſuprema Hierarchia collocat. l. de Eccl. Hier. p. 1.

Quod ſi S. Bonauenturæ ſententiam hoc in propoſito rogamus, ab eo ſuam ita concinnari comperiemus Hierarchiam, vt in ſuprema non tantùm primos, ſed quod admirabilius eſt, pene ſolos in eam Religioſos inducat. Sic enim omnes ſublimium ſpirituum ordines, ducto à præſtantiſſimis exordio deſcribit, vt multis rationibus ex eorum natura dotibuſque deductis, comprobet ſimiles eſſe Seraphinis Religioſos, quod hoc ex loco inferiùs exponetur, Cherubinis Viros perfectos, Thronis Viros ſpirituales & perfectos, *ſiue ſint Religioſi, ſiue Prælati*: idque *ratione iuſtitiæ & humilitatis, ſicut per Cherubim ſignificantur, propter excellentiam ſapientiæ, & ſicut per Seraphim ratione caritatis*: vt ignorare non poſſimus per totam Hierarchiam vagari poſſe Religioſos, quibus commodioris explicationis gratia ordinem vnicum aſſignamus. Atque locus hic eſt ad quem antea Doctorem Hallier remiſimus, cum is diſputaret à VVicleffi & Huſſij ſtare partibus, qui Chriſtianum hominem affirmet *extra ſtatu caritatis* ſedem aliquam in Hierarchia ſortiri; à qua labe D. Bonauenturam vt ſpero, noſque poſt illum non difficilè eximet, præſertim ſi alios Angelorum ordines cum diuerſis Chriſtianorum ordinibus ab eodem Doctore comparatos ſpectabit, in quibus & Principes ſeculares, & bonos atque

obedientes

obedientes ſubditos inueniet numeratos. Sed hæc noſtri modò non ſunt inſtituti.

Et quoniam huius Reginæ domeſtici, non ſemper tecti vnius ſepto concludi, & quaſi tenebris circumuolui debent, ſed in apertum aliquando, & ſolem prodire; ad id ſe ſe compatant, & ſuper gratiarum fundamentum à Deo poſitum, nobilem virtutum ſubſtructionem ædificant. Hoc denique agunt vt & ſupremis ordinibus, & ampliſſima iuriſdictione digni habeantur, & ſint. Illud autem ſui ſtatus præſidijs conſequi Regulares, fatetur Doctor Hallier non vno loco, dum priuati cuiuſlibet ornamentum facit, & facillimam ad ordines ſuſcipiendos viam, etiam contracto tempore ſecularium purgationi deputato, agnoſcit, vt alibi diximus. Iuriſdictioni etiam Eccleſiaſticæ in ſupremis ſedibus exercendæ idoneos eſſe fatetur, cum narrat vſitatiſſimum fuiſſe, vt ex Monaſterijs Epiſcopi aſſumerentur, quicquid contra effutierit Petrus Aurelius; quod ſuo etiam loco monſtrauimus. Certum igitur eſt omni ex parte in hac Hierarchia ſedem propriam ſortitos eſſe Religioſos.

*Per hanc Hierarchiã idoneos ad cæteras ſe reddunt Religioſi.*

Hallier in vind. pag. 476.

---

## *RELIGIOSOS IN HIERARCHIA CHARISmatum & pati & agere declaratur.*

## CAPVT II.

ACTIONEM in Hierarchia plurimi faciunt aduerſarij; nós in hac maximè Paſſionem, ob rationes libris prioribus explicatas. Quibus modò, tanquam in propria ſede, ad demeriſum addere poſſumus ſubtilem Guillelmi Pariſienſis diſſertationem, qua nominata illa ſeptem Spiritus Sancti dona (eſt autem hæc Hierarchia donorum Spiritus Sancti) demonſtrat *magis in recipendo conſiſtere, quàm in effluendo*, & eſſe illa *principia quodammodo paſſionum, hoc eſt, aptitudines receptionum à fonte gratiæ in mentem humanam deſcendentium ac defluentium*. Additque, ſingula commemorando, in Sapientia ineſſe paſſionem: *Sapere enim & deguſtare ſpiritales delicias ac ſapores, magis eſt recipere ac influi, quam efflui*, aut potiùs effluere. Per donum Intellectus *magis illuminari, quàm lumen huiuſmodi intellectu agere*. Spiritum Conſilij non eſſe illum, quo *ſententiæ conſiliorum velut de theſauro memoriæ proferuntur*: ſed eum potiùs, quo *ipſâ horâ conſultationis lumina recipiuntur*, quibus ſua pericula non videntibus alijs, ea ipſi clarè peruideant. Donum autem Fortitudinis, eſſe diuerſum à virtute Fortitudinis: ab hac fortem, ab illo confortabilem fieri, atque eſſe *aptitudinem quandam, & habilitatem ad recipiendam confortationem deſurſum*. Spiritu Scientiæ illuminari hominem, vt videat in bonis & malis. Pietatis autem donum eſſe venerationem, ſiue reuerentiam eorum quæ ſancta ſunt vt Dei, & Sanctorum. Revereri enim ſancta, ſeu venerari interiùs, non eſſe agere, ſed magis recipere ab ipſis ſanctis. Idem ſenſus eſt in ſpiritu Timoris: *qui enim timet magis pati & recipere videtur, quàm agere*: cum fuga, infirmitatis potiùs ſignum ſit, quàm virtutis. Ita vir magnus diuina beneficia magnificè pro Deo, commodè vtiliter.

*Paſſionis in hac Hierarchia potior ratio.*

*Dona Spiritus S. conſiſtunt in recipiendo.*

Guil. Pariſ. l. de V tt. c. 11.

*Donum Sapientia.*

*Donum Intellectus.*

*Spiritum Conſilij.*

*Donũ Fortitudinis diuerſum à virtute fortitudinis.*

*Spiritus Scientiæ.*

*Pietatis.*

*Timoris.*

*Donum Intellectus ſimile ſpiritui prophetiæ. Abbatis Ioachim intelligentia.*

*Pollentur hoc in Hierarchia Religioſi.*

que pro hominibus explicans. Qui etiam inferiùs donum Intellectus vberiùs enarrans, tantæ ait eſſe in nonnullis claritatis atque acuminis, *vt valdè aſſimiletur ſpiritui prophetiæ: qualem crediderunt nonnulli fuiſſe in Abbate Ioachim & ipſemet de ſeipſo dixiſſe dicitur, quia non erat ei datus ſpiritus prophetiæ, ſed ſpiritus intelligentiæ:* vt ex eius libris patet quos in Apocalypſin, & de Concordia duorum Teſtamentorum ſcripſit. Atqui & Prophetas [illegible] eſſe, quod Paſſionem ſonat: & Religioſos nouæ legis quaſi Prophetas eſſe nemo neſcit. Denique ſuperfluum eſt hoc loco enumerare dicendo, quam Chariſmatum copiam, quam vberes cœleſtis ſuauitatis riuos, in ſinum ſuum è cœlo deductos, accipiant Contemplatiui Religioſorum primi, & olim nobiliſſimi Deum ipſum inoperantem in Prophetis, virtutibus, linguis, ſanitatibus, omnibus demum operationibus, quæ maxima pars eſt Actuoſarum Religionum, in huius Hierarchiæ veſtibulo apud Apoſtolum vidimus. Quid plura? Patientes eſſe in Hierarchia Religioſos vel eo ipſo fateri debent aduerſarij, quod faciunt.

*Agere eoſdem probatur ex natura contemplationis.*

De loco Agentium illis aſſerendo, maior difficultas eſt, ſuperiore tamen libro apertè & ſolidè ſublata, vbi Contemplatiuorum nobiles actiones, & perfectam in actus, tanquam inferiores, auctoritatem ex Philoſopho deduximus. Sic enim inde diſputo. Sapientia, ſecundùm Ariſtotelem, ſeu contemplatio, vt mauult appellare D Thomas; aut vt clariùs eloquamur, ſapiens contemplariuus ſiue Philoſophus, eximio quodam modo ijs imperat qui actionibus deputantur, & præſtantiſſimas ipſe producit actiones: At Monachi ſunt Chriſtianorum contemplariui & philoſophi: ergo ſublimi quadam ratione & agunt ipſi, & actiones præcipiunt, & eos dirigunt qui in Eccleſia vitam ducunt actuoſam. Quis poſſit hoc in ſcirpo nodus reperiri, equidem non diſpicio. Nam moralem Ariſtotelis doctrinam, ad quam maior propoſitio dirigitur, ſi contemnit Petr. Aurelius, non repudiabit Hallier, & cæteri Theologi. Aſſumptio autem, flos eſt è diuite magni Areopagitæ horto decerptus. Cum enim contemplatur vir diuinus Monaſticæ conſecrationis cæremonias, in ipſo ſtatim limine *perfectiſſimam Monachorum philoſophiam* vocat, quam & admiratur: eiuſque vim & efficientiam ponit in *ſcientia præceptorum quibus huiuſmodi vita conficitur*: quæ ſanè ſcientia actuoſa eſt: ſiquidem otioſa & inanis, Apoſtolica voce, falſa, & fallens dicitur, nedum ad diuinæ vnionis culmen attingit. Idem eſt Græcorum Patrum ſenſus, vt Baſilij, Chryſoſtomi, Nazianzeni, Athanaſij, Euſebij, Cyrilli, Theodoreti, omnium, Chriſtianæ religionis philoſophos, eſſe Monachos. Eoſdem contemplatiuos eſſe conficit Thomas VValdenſis, ex ijs Patribus Latinis, qui Euangelicum dictum, *Duo erunt in lecto, vnus aſſumetur, & vnus relinquetur*, ad Religioſos transferunt; quorum eſt eſſe in lecto quietis & otij externi, procul à turbis & tumultu generis humani. Quamobrem eſſe Philoſophum, Contemplatiuum, Monachum ſeu Religioſum hac in diſputatione, non incongruè pro ſynonymis haberi poſſunt.

*Monachi Chriſtianorum philoſophi.* Τὴν τελεσιωτάτην ... τῶν Μοναχῶν φιλοσοφίαν. D. on. c. 6. Eccl. in Contemp. *Monachi Contemplatiui.* Tho. Wal. l. 2. doctr. fid. a. 2. c. 13.

*Idem conficitur ex ſocietate ſacerdotum & Monachorum.* ex Dion. Ibid.

Eminet eodem in horto & floſculus ante collectus, de diuina ſocietate inter Sacerdotum & Monachorum ordines inita: non poteſt autem vera & perfecta ſocietas eſſe, quæ vtrinque agentes non habeat. Nam & in natura, apis argumentoſa *ignauum fucos pecus à præſepibus arcet*; & in humano corpore, licet

ignauus

ignauus venter videatur, cui mēbra cætera laborent, agere tamen quammaximè veteri apologo probatus eſt. Ipſam Religioſorum Eremum Petr. Damiani præclarè appellat negotiatorum cœleſtium apothecam, felix commercium, felices nundinas, ſacræ militiæ tabernaculum, procinctum triumphantis exercitus, caſtra Dei, campum diuini prælij, ſpiritalis arenam certaminis. Hæc elogia ſi cadunt in otioſos & dormitantes, qui tandem in rebus humanis dici poſſunt agere quicquam & operari? At profectò pudet me rem hanc quaſi difficilem & obſcuram à magnis ingenijs arceſſere, quæ ſe ipſa prodit, & manibus tangitur. Dicant enim ſi qui repugnare volent, qui orat, pſallit, contemplatur, legit ſcripturam, caſtigat corpus, carnem ſuam crucifigit cum vitijs & concupiſcentijs, crucem ſuam baiulat quotidie, & ſequitur Chriſtum, poteſt-ne dici aut cogitari nihil agere? Atqui actiones iſtæ nobiles, Chriſtianæ, diuinæ, per publicam Hierarcharum deſtinationem Hierarchicæ fiunt. Ad eas autem Religioſus ſtatus ex intima ſui natura, & Eccleſiæ voluntate factus & inſtitutus eſt: ex ſe ſe igitur & eſſentia ſua actuoſus, & Hierarchicarum actionum effectiuus. Quàm enim mihi ſunt ridiculi, qui seriò quærere ſe dicunt, quid ex vitæ inſtituto agant Monachi, & Regulares? Quo eodem *iniuriarum titulo poſtulabantur* olim à Gentilibus Chriſtiani, apud Tertullianum vt *infructuoſi in negotijs* dicerentur; & Flauium Clementem virum conſularem, Domitiani patruelem, Chriſtianæ Religionis reum, ab eodem Cæſare interfectum, Suetonius ethnicus *contemptiſſima inertia* accuſat. Otioſos videlicet putant iſti, homines qui non baptizant, non concionantur, non regunt Eccleſias, non diſputant, non ſcribunt de Hierarchia, non impugnant Religioſos, quod perpetuò agunt ipſi, & in eo nihil agunt.

*Eremi laudes ex actione.*
Petr. Dam. Opuſc. 11. l. Domin. vobiſc. c. 19.
Tertull. in Apol. c. 42.
Sueton. in Domit. c. 15.

Sit illud ergo poſitum, agere Religioſos, eos etiam qui ſoli vacant Contemplationi. Quæris autem quàm vtiliter, quanto cum Eccleſiæ vniuerſæ bono? Reſpondeat S. Auguſtinus, cuius auctoritati detrahi nihil poteſt. *Qui ſecretiſſimi penitùs ab omni hominum conſpectu deſertiſſimas terras incolunt* (horridos Anachoretas ſine dubio, lucifugas, ſyluicolas loquitur, hominum exules) *fruentes colloquio Dei, cui puris mentibus inhæſerunt, videntur nonnullis res humanas plus quàm oporteret deſeruiſſe: non intelligentibus quantùm nobis eorum animus in orationibus proſit, & vita ad exemplum, quorum corpora videre non ſinimur.* Vt iam eorum illud exemplum, non modò ſit Hierarchicum, quod iamdiu annotamus, & in hac Hierarchia potiſſimùm requirimus; ſed fidei quodammodo naturæ participet, fiatque in illis remotarum ſolitudinum tenebris *argumentum non apparentium.* Reſpondeat Monachorum patronus & encomiaſtes S. Chryſoſtomus. *Hæc audiant omnes & Monachi, qui pro viribus Eccleſiarum Præfectos adiuuent, eorumque onus leniant precibus, concordia, caritate.* Vides in hac *concordia* fœdus ſocietatis, qua primum etiam ordinem iuuari Patriarcha cenſet à Monachis. Quid autem ad hanc iſti ſocietatem conferunt? *Preces & caritatem*, magna militantis Eccleſiæ ſubſidia. Idem alibi grauiſſimus orator, feſtiuo paradoxo, & ad hoc propoſitum maximè accommodato, Monachos ab hominum conſpectu extorres, in ipſis ſpeluncis & luſtris ferarum, non ſine multis amicis degere probat rationibus omnino tribus. 1. eſt, Reperiri plurimos, qui, ſi liceret, cum ijs habitare cuperent; quæ firma eſt amicitia: non enim locus amicos facit. 2. Multos habere laudatores: quis autem laudaret, ſi non amaret? 3. *Et ipſos viciſſim pro vniuerſo mundo orare, quod maximæ eſt dilectio-*

*Quam ſit nobilis actio contemplatiuorum.*
Augu. l. de Morib. Eccl. Cath. c. 31.
Chryſ. ora. de S. Phil. c. 6.
*Monachis amici multi.*
Idem hom. 77. in Io.

*nis argumentum. Ideo in myſterijs inuicem ſalutamus, vt multi vnum efficiamur, & communes pro non initiatis preces effundimus, & pro infirmis, & terra & maris fructibus ſacrificamus. Vides dilectionis vim in orationibus, in myſterijs, in admonitionibus: hoc omnium bonorum cauſa eſt.* Vrbanè noſtros Anachoretas ad quandam hominum conſuetudinem reducit, ſed modo planè diuino, vt educti è terra, & cœlo citimi, omnes ſimul ad Deum trahant, quæ eſt actionum Hierarchicarum ſumma.

Euſeb. l. 1. Euan. demonſt. c. 8.

Reſpondeat hiſtoricus Euſebius, quem ſuo loco declaratum eſt, aduersùs Franciſci Hallier interpretationem, de admirabili Monachorum, æque certè vt Clericorum vita, oportere intelligi. Is igitur poſt aliqua de vitæ Monaſticæ perfectione narrata, ſubdit eleganter. *Quaſi quidam Dij ſunt, reliquorum hominum vitæ inſpectores.* Epicurum non amat Euſebius, vt Deos faciat deſides & otioſos, ſine capite & præputio. *Quippe qui pro vniuerſo genere, ſupremo omnium Deo ſacrati ſunt:* tanquam adtriales humani generis primitiæ: *idque non boum mactationibus, non cruoribus, non libationibus, aut nidore vllo, neque fumo, aut ignis deuoratione, conſumptione-ve corporum; ſed rectis veræ pietatis dogmatibus, & purgati animi affectione.* Mirum hic mihi, quòd Arianus Antiſtes, *recta* in Monachis *dogmata* prædicat, quos Doctor aduerſarius, hæreticis ſimiles perpetua collatione facere non erubeſcit. *Ad hæc operibus quoque ac verbis, quæ à virtute proficiſcuntur: quibus rebus diuinum numen placantes, ſuum & pro ſeipſis, & pro alijs qui eiuſdem ſunt generis, ſacrificium peragunt.* Illud nobile animi corporiſque ſubacti ſacrificium, quod nuper ex Guillelmo Pariſienſi producebamus, in quo Religioſus, *velut agnus eſt aromatibus virtutum & gratiarum repletiſſimus ac fragrantiſſimus, totaliter quantùm ad vitia & peccata mortificatus, detruncatus, ac circumciſus; cum in eo nihil ſuperfluum, nihil ſœtidum, nihil inordinatum omnino relictum ſit: & propter hoc totus eſt in ſacrificio, totus ſacrificium, totus oblatio.* Euſebius ergo ſacrificium illud non intelligit, quod in ara peragitur à ſolis Sacerdoribus, vt olim commodiore loco Franciſcum noſtrum admonuimus.

Religioſi ſacrificium. Guil. Pari. l. de Legib. c. 28.

Bonau. l. de Eccl. Hier. p. 8 c. 2.

Reſpondeat is cui principatum explicandæ huius Hierarchiæ detulimus S. Bonauentura, qui Seraphicam Iſaiæ purgationem, vult *referri ad ſanctorum & Religioſorum miſericordiam & compaſſionem, quæ per gratiam ipſos ſanctificantem in ſe purgati,* (paſſionem vides, primumque eius effectum;) *ſecularibus etiam, & alijs immundis peccatoribus compatientes, feruentiſſimis & deuotiſſimis orationum ſuffragijs eorum ſanctificationi cooperantur. Sic Moyſes ſuis precibus Mariam leproſam & immundam, ſanitati & munditiæ reſtituit. Et in Iob dicitur, Seruus meus Iob orabit pro vobis, &c. Ex quo patet manifeſtè, quòd multùm cooperantur bonorum ſuffragia, ad peccatorum iuſtificationem, & emendationem.* Reſpondeat denique non inferiorem Patribus, apud quoſdam conſecutus auctoritatem, Gerſon Cancellarius, qui eo ipſo in argumento verſatur, vt probet contemplationi addictos alijs etiam plurimùm prodeſſe, idque duabus potiſſimùm rationibus ad Cartuſianum ſcriptis. 1. eſt, exemplum bonæ vitæ, *quia prædicant facto & opere Deum ſuper omnia diligendum, & quòd reliqua omnia ſunt vanitas, nec curanda.* Hunc Hierarchiæ actum cur in poſterum Religioſis negent aduerſarij, ſi Gerſon non rogatus concedit? Meminiſti autem, Lector, eos nuper à Guillelmo Præſule reprehenſos, qui *Deum, totumque regnum cælorum pro obſeruatione ordinis Cartuſienſium* mercari nolint. Vide quantùm accedat Cancellarius ad

Gerſon tr. de Monte contempl. c. 7.

Antiſtitem

Antiſtitem ſuum. 2. Orationes pro alijs conceptæ: *& accidit ſæpius, quòd propter eorum merita, Deus facies quibuſdam mediantibus, mundanum quoddam maximum bonum, putà pacem alicuius regni: quia nihil poſſumus ſine gratia ſpeciali, quam citiùs boni contemplatiui à Deo impetrant, quàm mundani. Et qui benè perpenderet qualis excellentia ſit animæ & bonorum ſpiritualium, erga corpus & bona temporalia, hoc clarè cognoſceret, quòd plus prodeſt toti Eccleſiæ oratio deuota vnius contemplatiui, quàm faciunt centum, & centum vitam actiuam ducentes, ad ſuccurrendum aliorum neceſſitatibus corporalibus.* Quid excutram per Patres reliquos, quorum nemo aduerſùs veriſſimos Dei cultores tam fuit ingratus, vt toti Eccleſiæ nihil proficere crederet?

*Reſpondetur obiectioni.*

Expecto etiam dum emortuam illam cantilenam occinant, Monachi non eſſe alios deducere, id eſt, illum non alijs, ſed ſibi ſanctitatem conciliare. Nam ſi concedimus id ab eo fieri non ſolere per ſacramentorum collationem, quod vnum hoc loco ſignificat S. Dionyſius: non per altaris miniſterium, aut actione vlla quæ Iuriſdictionis poteſtatem, aut Ordinis Sacramentum prærequirat: negabunt-ne vlteriùs eſſe in Eccleſia modum alium, quo homines ad Dei cognitionem amoremque perducantur? Demus etiam id quod fieri nequit, alijs non prodeſſe: ſeipſum Hierarchæ ductu & auſpicijs cum perficit Monachus, nonne membrum Eccleſiæ auget, eique conueniens procurat incrementum? Illa ergò parte corpus perficit, qua ſemetipſum, ex Apoſtoli comparatione *in menſuram vniuſcuiuſque membri augmentum corporis facit in ædificationem ſui in caritate*: cum totius & omnium partium vna eademque ſit perfectio: vnde ſequitur vt membra in ſe perfecta, ſeque ipſa perficientia, mutuam alijs præſtent operam.

## *QVAM SVBLIMEM IN HAC HIERARchia locum ſtatus Religioſus obtineat.*

## CAPVT III.

*Ab actionibus naturæ alicuius dignitas cognoſcitur.*

HABENT hoc in more poſitum philoſophi, vt nota quæpiam & externa nobis ſpectanda proponant, quorum deinde quaſi ductu & indicio ad obſcurioris interioriſque ſubſtantiæ cognitionem accedamus. Actiones, inquiunt, operationeſque viuentium, cum eorum natura conueniunt, vt riuus cum fonte, cum ſole radius, effectus cum cauſa. Quàm perfectæ igitur, aut abiectæ fuerint, tam res ipſas ſublimes aut depreſſas eſſe neceſſe eſt. Quamobrem cum eximios nobiliſſimæ Hierarchiæ actus à ſtatu Religioſo proficiſci capite ſuperiori declarauerimus, quid ſupereſt modò ad eam ipſi aſſerendam, quàm vt reſpondentem illis actibus ſtatus pulcherrimi naturam, & parem præſtantiſſimis effectibus cauſam ſpeculemur? Id ego in oratione mea ponere neque poſſum, neque debeo, ſuſpectus in partibus: habent clarorum virorum verba & pondus à ſanctitate, & veritatem à communi populorum conſenſu, & pene fidem ab Eccleſia. Illorum dictis ſi quicquam eloquor, nonne tutiùs cum Magiſtro profitebor, *Mea doctrina, non eſt mea?* Sed ecce, multitudine obruor ſi omnes aduoco, numero infinitos, ſapientia celeberrimos, auctoritate grauiſſimos, qui pro Religioſi ſtatus

ſanctitate militant, quos vel appellare ambitioſum, & petmoleſtum ſit, Contenti ſimus, amabo, tribus illis primipilaribus, præcedenri capire productis, qui ſi aduerſarijs non ſatisfaciunt, qui alij ſatis erunt? Ex ijs deinde nouo argumenrationis ordine, ratio vnica deducetur; quæ theſim quam propoſui contineat.

*Euſebius Monachos quaſi Deos quoſdam deſcribit.* l. 1. Euang. demonſt. c. 8.

Primum igitur encomium Euſebius dabit, à Doctore Hallier recognitus. *In Eccleſia*, inquit, *duo viuendi modi ſunt inſtituti. Alter quidem naturam noſtram, & communem hominum vitæ rationem excedens, ſoli diuino cultui ex immenſo cœlestium amore addictus. Qui hunc modum amplexi ſunt, quaſi ab hac mortali vita ſeiuncti, ipſumque duntaxat corpus in terra gerentes; cogitatione verò atque animo in ipſo cœlo degentes, quaſi quidam Dij ſunt, reliquorum hominum vitæ inſpectores.* Quæ verba Dionyſiacum illud mihi reuocant in memoriam, Dei voluntatem ſalutem eſſe noſtram: *Salus porro non aliter exiſtere poteſt, niſi ij qui ſalutem conſequuntur Dij fiant. Dei porrò effectio eſt Dei quoad eius fieri poteſt imitatio, & cum eodem coniunctio, & vt ita dicam, vnio.* Quod dilecti Diſcipuli effatum eſt; *Cum apparuerit, ſimiles ei erimus*: vt Religioſorum vita, ſit quoddam beatæ rudimentum, & inchoata beatitudo: patriæ autem felicitas, ſit perfecta beatitudo. Siquidem Monachi ſupra mortales cæteros Deo coniunguntur, & ſalutem cum ſumma dignitate conſequuntur, qui nobilis eſt Hierarchiæ finis, ſi ex Euſebij ſentenria iam inter homines Dij ſunt.

Dion. c. 1. Eccleſ.

1. Ioan. 3.

*Auguſtinus pene non homines.* l. de Mori. Eccl. Cath. c. 31.

Alterum dabit Panegyricum S. Auguſtinus tum Anachoretarum, tum Cœnobitarum. Et hos quidem pietatis paulùm remiſſioris ad communem vitam propriùs ait accedere; illos autem fatetur viuere more pene non humano. Verba ſunt aurea magni & veri Aurelij. *Tantùm iſti admonendi ſunt qui ſeſe inaniter iactant*, (videbunt noſtri homines id-ne ad ſe pertineat, qui Religioſos præ alijs tantopere deſpiciunt) *in tantùm proceſſiſſe temperantiam, & continentiam ſanctiſſimorum Catholicæ fidei Chriſtianorum*, (Audi Hallier, Monachos Auguſtinus pro Chtiſtianis & Catholicis habet) *vt reſtringenda nonnullis, & quaſi ad humanos fines reuocanda videatur. Vſque adeo ſupra homines illorum animos euaſiſſe, ab ijs etiam quibus id diſplicet, indicatur.* O modeſtos, Auguſtine, tuo ſeculo vitæ Monaſticæ reprehenſores! Iam noſtri eos Laïcis annumerant, cum quolibet è vulgi fæce confundunt, templatim & vicatim mendicantibus imperfectiores eſſe ipſo viræ genere diſputant; cum hæreticis comparant, arcent à ſacris, & Eccleſiaſticis muneribus parum idoneos clamant, mortalium iniquiſſimos & ſceleratiſſimos eſſe probare conantur. *Sed ſi hoc excedit noſtram tolerantiam, quis non illos miretur & prædicet* (audite Aureli & Hallier, audi Seguenore, ſanctiſſimus Epiſcopus, quem commentis explicas, loquitur) *qui contemptis atque deſertis mundi huius illecebris, in communem vitam caſtiſſimam, ſanctiſſimamque congregati, ſimul ætatem agunt, viuentes in orationibus, in lectionibus, in diſputationibus: nulla ſuperbia tumidi, nulla peruicacia turbulenti, nulla inuidentia liuidi: ſed modeſti, verecundi, pacati, concordiſſimam vitam, & intentiſſimam in Deum, gratiſſimum munus ipſi offerunt, à quo iſta poſſe meruerunt.* Potuit-ne ſolertiùs vlla pictoris manus Cœnobia noſtra viuis coloribus exprimere?

*Laus Cœnobitarum*

*Chryſoſtomus Angelos & Chriſti exercitū.* Hom. 9. in Matt.

Veniat & aureum eloquentiæ flumen fundens S. Chryſoſtomus, qui totus ei ſit deſcribendus, quem colligendorum Monaſtici habitûs præconiorum ſubeat cogitatio. Tu quidem alibi opus aduersùs vitæ Monaſticæ vituperatores citas Franciſce: fieri-ne poteſt, ſi legiſti, vt ex illo Religioſorum aduer-

ſarius

ſarius diſceſſeris? vt animo tuo tantus Antiſtes, tam diuinus orator, nihil perſuaſerit? Accipe pauca ex eo loco, qui alia cogitanti mihi primus occurrit. *Si quis nunc ad Ægypti ſolitudines veniat, paradiſo prorſus videbit omnem illam eremum digniorem, & innumerabiles Angelorum cœtus in corporibus fulgere mortalibus,* (nam Angelos pro Monachis vſitatiſſimo vocabulo Chryſoſtomus accipere ſolet) *& populos Martyrum* (nempe ſpiritali ſe ſe gladio conficientium) *& choros Virginum: & omnem quidem Diaboli tyrannidem diſſolutam, Chriſti autem regnum coruſcans.* Hoc qui faciunt, nulli-ne ſunt ornamento Eccleſiæ, nulli commodo? nulla ex parte finem Hierarchiæ promouent? *Et hæc omnia bona, non in vrbibus ſolùm, ſed etiam in deſertis florent locis.* Vrbana igitur Monaſteria à ſuperioribus laudibus excluſa non vult magnus Antiſtes. *Eſt enim cernere tota illa regione diffuſum exercitum Chriſti, & admirabilem illum regium gregem, virtutumque cœleſtium conuerſationem in terris micantem.* Vt hos ſcias Angelos, imum ordinem Hierarchiæ tertiæ non tenere, ſed Virtutibus ſaltem eſſe ſimillimos. *Atque hæc non in viris ſolùm, ſed etiam in feminis ſplendere conſpicias, quæ ſæpe in huiuſmodi acie fortiùs viris decertarunt, ac trophæis inſignibus claruerunt.* Videntur-ne aut ſibi vnis nati, aut penitùs otioſi, aut regno inutiles, qui conflant exercitum, qui pugnant, qui de hoſte potentiſſimo trophæa erigunt? *Non ita varijs aſtrorum choris cœlum refulget, vt Ægyptus innumeris Monachorum & Virginum diſtinguitur atque illuſtratur habitaculis.* Nimius ſim, ſi deſcribam omnia: ſed illud non omitto, quòd *Antonium magnum Apoſtolorum ſimillimum*, eſſe dicit: non externa profectò actione, igitur contemplatione; non Euangelij prædicatione, igitur vitæ perfectione; non fundandis Eccleſijs, & regendis populis, ſed Chariſmatum donis illis ſublimibus: nam & Dei viſionem, & prophetiæ gratiam dicitur conſecutus. *Antonius Apoſtolis ſimillimus.*

Ex his alijſque id genus infinitis quæ prudens omitto, ſic diſputo, aſcenſu à vita ad Hierarchiam facto. Cum ſuprema Gratiarum Hierarchia in caritate, in ſanctitate, in Dei ſimilitudine fundetur, ille profectò ſtatus qui ad horum abſolutam perfectionem per Hierarchas deſtinatur, & conſectatur; qui ex inſtituto ſuo reddit homines Dæmonibus fortiores, caſtiſſimos, ſanctiſſimos, ſupra homines, Angelos, Deos, vt quàm proximè ad Dei ſimilitudinem accedit, ita ſupremum in illa Hierarchia tenet ordinem. Solus-ne in eo conſiſtat, non diſputo: iudicabit Lector in Patrum lectione verſatus: id tantùm volo, cum gradus iſte Hierarchiæ ex Dei contemplatione amorem elicere debeat, illum in ea ſtatum eſſe maximè, qui & Deum contempletur proximè, & amet ardentiſſimè. *Ex ſupradictis argumentum colligitur.*

Reſpondeas fortaſſe de vetuſtiſſimis illis Anachoretis & Monachis ea dici à Patribus, quorum priuata fuit eximia illa quæ in cœlum effertur ſanctitas, non Hierarchica. Nam vt Hierarchica ſit, Hierarchicam requirit conſecrationem: ea verò illis defuit, vt ex Iuone Carnotenſi cenſet Franciſcus Hallier. Siquidem *antiquos* ait *Monachos nulla publica conſecratione Deo deuotos fuiſſe, & accidentariam eam benedictionem ad Monachatum exiſtere, ſeclusis Eccleſiæ regulis, eiuſque ſtatuenda vnicam rationem votorum firmitatem aſſignat.* Ne verò vnius Iuonis, non etiam Doctoris Hallier cogitatum illud eſſe putemus, idem alibi Franciſcus eiuſdem Iuonis Epiſtolæ meminit, qua *non minùs*, inquit, *piè, quàm eruditè docuit, benedictionem Monachi cæremoniam duntaxat quandam eſſe, qua votorum religio firmaretur.* Idem ex mente principijſque Nicolai le Maiſtre dedu- *Obiectio ex Iuone Carnotenſi.* Hallier in vind. pag. 408. n. 17. *Iuonis ſententiam laudat & ſequitur Hallier in vin. pag 788.*

Nicol. le Maiſtre l. 1. de Inſt. prin. Epiſ. c. 12.

citur, Anachoreticam aut Cœnobiticam vitam, ſtatum non fuiſſe, ſed priuatam cuiuſque deuotionem: illa proinde virtutum miracula in Hierarchiam iſtam inferri non debere. Nulla enim erant adſtricti paupertate, rerum ſuarum dominium proprietatemque retinebant, Abbatibus ſuis œconomica tantùm, non autem votiua obedientia erant ſubiecti, propoſitum & votum ſolitudinis perpetuum non habebant, cum *plurimos in Monaſtica palæſtra virtutum ſpectaculo glorioſos, legamus è cellis & ſpeluncis prodiiſſe in hominum lucem, non Pontificum Summorum excitos imperijs*, ſed mera animi ſui conſtantia & libertate.

*Reſponſio.*

Reſpondeo de vetuſtiſſimis Anachoretarum expoſitam à me iamdudum ſententiam, qui certè vbi de ſtatu loquimur, in quæſtionem venire non debent. De alijs autem Anachoretis quales ſub Antonio, & Hilarione vixerunt, deque Cœnobitis ſi agitur, extitiſſe apud eos & vota, & benedictionem, conſecrationemque. Nam hæc in S. Dionyſio radijs ſolaribus ſcripta legitur: de illis expreſsè affirmat Doctor Hallier; *antiquitùs rationem Religionis, & Religioſi ſtatus ſaltem quoad eſſentialia, eandem fuiſſe quæ iam eſt. Conſtitutiones quidem nouas adinuentas eſſe, ſed eandem votorum eſſentialium conditionem ſeruatam, & Religioſum ſtatum eundem eſſentialiter manſiſſe, quoad ea quæ ei eſſentialia ſunt.* Hoc igitur ſibi ab æquali reſponſum accipiet Nicolaus le Maiſtre. Ad Iuonem autem cum benedictione ſua, & Franciſcum Hallier cum conſecratione quam negat, quid dicemus? Iſtud negari eadem prorsùs pagina, qua mirabilis hic Religioſorum aduerſarius *myſterium Monaſticæ conſecrationis à Dionyſio explicari* ſcribit: qua *Monachum* ait *conſecrari vt ſit holocauſtum Deo oblatum, & diuino obſequio per tria eſſentialia vota deuotum.* Eo ipſo loco, quo ſequente mox numero, illius Dionyſiacæ conſecrationis partes exponit ſingulas: vt capere non poſſim eodem momento calere ſimul & frigere calamum vnum, qui *conſecrationem deuotionemque Monachorum*, in Dionyſio agnoſcat, *eſſentialia vota, holocauſtum* nominet, totumque hoc ad Aſſertionis ſuæ probationem afferat: idemque conſequenti oratione ad eiuſdem Aſſertionis *confirmationem*, neget *publicam antiquorum Monachorum conſecrationem, & accidentariam benedictionem eſſe* velit. Sit igitur illud certum, ex eiuſdem quà bene ſentit, mente, fuiſſe iam tum in ſtatu Monachos, votis deuinctos, communibus regulis occupatos, ſiue eas ab Epiſcopis, ſiue ab Abbatibus Epiſcoporum conſenſu acciperent; vt ſine dubio Hierarchiam ſtatus & perfectionis tenere potuerint, & in ea Hierarchicas actiones operari.

*In veteribus vota fuerunt, & eſſentialia Religionis.* Hallier in Vind. pag. 396.

*Enormis contradictio Fr. Hallier.* in Vind. p. 408. n. 17. Pag. 409. n. 18.

## *RELIGIOSORVM CVM SERAPHINIS PEtita è Patribus comparatio.*

### CAPVT IIII.

NON poſſunt non eſſe Hierarchis immediatè ſuppoſiti Regulares, ſi hac in Hierarchia ſedem habere conceduntur: cum trium ordinum ſinguli ſine vlla à ſe inuicem pendentia, benignos Hierarchæ influxus abſque medij vllius interuentu ſuſcipiãt. Non alio ſanè modo, quàm ſuprema cœleſtium mentium Hierarchia, tota ſanctiſſimæ Triadi ſubiacet, neque Seraphini propiùs Deum, quàm Throni contingunt, vt ſuo loco monſtratum eſt. Quamobrem ex hac cum Deo propinquitate, & quadam cum Hierarchico gradu conſanguinitate, confici non poteſt, cui tandem trium ordinum Religioſus ſtatus ſimilis dicendus ſit; an Thronis, quibus ſedes poteſtaſque Iudicum horrenda die à Chriſto promittitur? An Cherubinis, qui *ſcientiam ſanctorum* habent omni ex parte cognitam atque perſpectam, quos Deus ipſe à ſeculari tumultu auulſos, *ducit in ſolitudinem, & loquitur ad cor?* An denique Seraphinis, quos perfecta Chriſti caritas vrget, ſuis omnibus ſeque ipſis exutos, per inopiam & opprobria, per odium contemptumque amarorum mundi, crucem ferre, & tribus vororum clauis adhærere crucifixo? Iſtud ſine dubio potiùs ſuadent amoris illi gradus, à nobis nuper enumerati, quorum in ſingulis Religioſos inuenimus. Hoc iubent Patres credere, in Religioſæ vitæ admirationem amoremque defixi: qui cum in rebus creatis nihil auguſtius Seraphinorum ordine poſſint agnoſcere, eò Religioſos euehunt, plus aliquid in terris, ſi fieri poſſet, conceſſuri.

*Religioſi hac in Hierarchia immediatè ſubditi Hierarchæ.*

*Religioſi Seraphinis ſimiles.*

Illo è ſenſu magnum Eccleſiæ lumen S. Baſilius, hominem vitæ Monaſticæ appetentem, non tantùm *cœleſtis viuendi ritus cupiditate flagrare, atque Angelicæ vitæ ſtudioſum negotiatorem* eſſe ait, ſed etiam quos imitari ſtudeat Angelos, adhortando exprimit. *Proceſſum in virtutibus facito, & hoc modo Angelis efficiare propinquior: continenter diem noctemque Dominum laudato, & Cherubim imitator.* Alludit Doctor aſceticus ad Triſagium Seraphicum, & Cherubinos pro Seraphinis nominat, ſuperiore gradu inferiorum omnium vt dotes, ſic appellationes admittente. Quod & inferiùs in Bonifacij Pontificis decreto ſpectabitur, qui cum Cherubinos nuncupat, ex alarum mentione vult à nobis Seraphinos intelligi. D. Gregorius & ipſe Monaſticarum virtutum laudator amplificatorque grauiſſimus, cum ſingulas Apoſtoli Pauli gratias libro ſuperiore à nobis cõſideratas, ad allegoricam Angelorum ſimilitudinem traducit, de Contemplatiuis Ordinibus ita magnificè diſſerit. *Nonnulli ſuperna contemplationis facibus accenſi, amando ardent, loquendo & alios accendunt, & quos verbo tangunt, ardere protinus in Dei amore faciunt. Qui ergo ita ad amorem ſui conditoris inflammati ſunt, quo, niſi inter Seraphim ſortem ſuæ vocationis acceperunt?* Quam orationem imitatus Rupertus, *ſermonem ſcientiæ* Cherubinis, *ſermonem* autem *Sapientiæ* Seraphinis aſſignat, caritate flagrantibus: priore Paulum Apoſtolum præſtitiſſe ait cum ſcientia, etiam ſeculari; poſteriore Ioannem Euangeliſtam, *cuius ſermo totus verſatur circa caritatem, quæ vera*

Baſil ſerm. de Abdic. rerum.

*Explicatur locus.*

*Gregor.*

Ruper. l. 3. de glorific. Trin. c. 18.

*Paulus habuit ſermonem ſcientiæ, Ioannes ſapientiæ.*

*ſapientia eſt, & auditores intendit incendere igne amoris Dei, ſecundum ipſum vocatolum Seraphim.*

*Seraphica acies ad Religioſos accommodata à S. Bon. l. de Hier. Eccl. p. 2. c. 2.*

Quæ quidem ab vtroque dicta, fruſtra Religioſis applicem, cum totam hanc cauſam perorarit S. Bonauentura, neque poſſit expreſſius quicquam excogitari, quàm quod Doctor Seraphicus locum hunc profeſſa opera tractans, & Hierarchiam Eccleſiaſticam cœleſti accommodans, omnes Ser[illegible]hici gradus prærogatiuas, ad Religioſos commodiſſima ſimilitudine [illegible]cit.

*Inflammati & inflammatiui.*

Nam Seraphini *diuini amoris incendio præ cæteris inflammati, aliorum ſunt inflammatiui. Sic Religioſi quaſi ignei illos ad amorem Dei & proximi inflammant, ad eorum corda nunc verbo, nunc exemplo appropinquant.* Seraphini *in ſe mobiles, [illegible] ſunt motiui. Sic Religioſi ſpiritu diuinæ dilectionis moti, mobiles ſunt iuſſu Superiorum, ſine moræ diſpendio obtemperando, & alijs exemplum obedientiæ relinquendo.*

*Mobiles & motiui.*

*Acuti & penetratiui.*

Seraphini *acuti ſunt, & penetratiui. Sic contemplatiuorum affectus per deſiderium ſemper in Deum tendit, & extra ſe non effluens, ad aliud præter ipſum & extra ipſum non diuertit.* Seraphini ſunt *inferiorum & ſuppoſitorum reductiui. Sic aff[illegible] ſpiritalis igne caritatis ſuccenſus, ad Deum mouetur vt in eo conquieſcat, ad proximum vt eum ad Deum reuocet & reducat.*

*Inferiorum reductiui.*

*Actiui & exemplificatiui.*

Seraphini ſunt *actiui & exemplificatiui, quia Angelos inferiores informant, qualiter per amorem perfectum redeant in Deum. Et hoc propriè Religioſis congruit, quos Dominus ſecularibus poſuit in exemplum, vt ſecundum ipſorum imitationem, mores prauos corrigant, & contemptis terrenis cæleſtia appetant, & acquirant. Angeli ordinis Seraphim ſunt holocauſti purgatiui. Et hoc potiſſimè congruit viris Angelicis & perfectis, qui ſe Domino medullatum holocauſtum penitùs obtulerunt, qui velut Angeli ignei in ſe etiam leuioris culpæ maculam non admittunt, imo omnem mali ſpeciem in ſe & in alijs annihilant & conſumunt.*

*Holocauſti purgatiui.*

*Illuminatiui.*

Seraphini ſunt *illuminatiui, & omnis tenebroſæ obſcuritatis fugatiui; quod viris ſpiritalibus potiſſimè conuenit, quos Deus velut luminaria in firmamento, id eſt, in Eccleſiâ collocauit.* Omitto cætera non inferioris notæ, Doctore Seraphico digna, vt huius loci concluſionem adijciam. *Nonne igitur Seraphim qui Deo immediatius coniunguntur, & in diuinis laudibus voces frequentius emittere dignoſcuntur, viri Religioſi & ſpiritales non immeritò intelliguntur, qui viciniores ſunt Deo per contemplationem, & laudis continuationem, & propter caritatis incenſionem? Cuius exceſſus, ſiue incenſio, plus exigitur in ipſis, quàm in alijs; præſertim cum ipſi ſint altare Domini, in quo iugi corde & corpore iuge ſacrificium Domino immolatur: & ideo ignis in hoc altari eſt continuè accendendus.*

*Religioſi, altare Domini.*

*Expenduntur ſuperiora.*

Vt ſit operæ pretium tam multa ex vno deſcripſiſſe Theologo, reſpectemus oportet ſingula, & è Doctore Seraphico Seraphicam Hierarchiam inſtruamus. Agnoſcis, Lector, ea oratione ſupremam Religioſis perfectionem, vt propriam, aſſignari, cum holocauſta dicuntur purgantia: quam in ſe alijſque purgationem exercent, tum maximè actiui per vota ſolennia, cum minimè videntur actiui. Atque tantopere placet S. Bonauenturæ officium illud Hierarchicum in Seraphinis, vt eo commemorando abſtinere non poſſit, ad capitis finem, cum Iſaiæ labia ab illis mundata luculentis explicat verbis, quæ alibi retulimus. Poſt quæ animo perpenſa, quis dubitabit quin agant Religioſi Hierarchicè, quin actiones immanentes ad Hierarchiam pertineant; quin perfectio priuata in commune bonum cedat? Præterea pro illuminandi officio Hierarchicam vides obedientiam; ne alia vota Religioſum ſtatum formantia, detrudas ab Hierarchicis actionibus. In exemplo quoque

quanta

quanta vis eſt, Seraphinis totis quaſi in e[illegible]mp um transformatis? Perfectionem denique facit amor, quem ardentiorem à Religioſis exigi ſcribit Doctor purpuratus, vt maiorem in eo ſtatu perfectionem ineſſe fatearis. Apertus eſt & finis Hierarchiæ, dum alios ad Deum dicuntur adducere, non Hierarchica poteſtate, quod negat S. Dionyſius, ſed plane Hierarchica ſanctitate.

Imo etiam auctoritate: non illa quæ coniunctam habet Iuriſdictionem, ſed quæ ſublimi quadam maieſtate eminet, quæ à virtute orta, veneratione potius quam imperio ſocios dignitate pares, pietate inferiores coërcet & incitat: quam ſapientibus deberi diximus, & non ſine probabilitate Seraphinis ſupra Angelos alios poſſumus aſſignare. Patet id in S. Franciſci exemplo, qui cum priuatus tantùm inter ſuos viueret, Ordinis tamen auctor, legiſlator, & *Paſtor ſuper Religionem ſuam inſtitutus* extitit, qualem Chriſtus ipſe appellat. Quis enim hoc ei negauerit, qui erat *Seraphica incendio totus ignitus*, & *vt vir Hierarchicus, curru igneo ſurſum vectus* narratur? Qui *non ſolùm Seraphico amore ardebat in Deum, verùm etiam ſitiebat cum Chriſto crucifixo multitudinem ſaluandorum?* Quis Ægidio Fratri eius ſocio, quem licet Laïcum, idiotam, & ſimplicem, tamen *Patrem* S. Bonauentura nuncupare non veretur, quem titulum ſolis Sacerdotibus ob quandam dignitatis auctoritatiſque prærogatiuam ſolemus concedere? De Prælatis & Religioſorum ſuperioribus nihil dico, cum idem S. Bonauentura ſenas alas Seraphinorum, ad totidem illorum virtutes libro peculiari accommodet. Illi enim tanquam Seraphinorum Hierarchæ, ſi ſic loqui ius faſque eſt, ſubditis amorem Creatoris inſpirantes, nonne poteſtatiuè & auctoritatiuè, vt loquuntur, Hierarchicum exequuntur officium, & deiformitatem faciunt, dum imperant, aut exemplo promouent caritatem?

*Quæ ſit auctoritas ſuperiorum in inferiores.*

Bonau. in vita S. Franc. c. 8. Idem Præf. in vitam. In vita c. 14. Ibid. c. 5. Bonau. l. de ſex alis Seraphim.

## *HVIVS COLLATIONIS CONFIRMATIO E Bonifacio Pontifice, & Petri Damiani Epiſtola quanta auctoritatis cenſeri debeat.*

### §. Vnicus.

CONFIRMATAM luculentis teſtimonijs veritatem, de aſſerendo Religioſis Seraphico hac in Hierarchia loco, Anglicanæ controuerſiæ ſcriptores duo Hermannus Loëmelius, & Daniel à Ieſu pene vno B. Petri Damiani ſcripto, cui Bonifacij IV. Pontificis Decretum adnectitur, ſtabiliunt, & amplum aduerſarijs ſuis contradicendi campum aperiunt. Locus habetur Epiſtola vltima lib. 5. vel ſi mauis, Opuſculo 28. Tomo eius operum 3. vt recens diſtinxit editio. Ex eo, prætermiſſis cæteris, quæ prolixiora, ne dicam verboſiora videntur, vnum id ſeligo, quod Seraphinorum & Religioſorum collationem, in qua nunc verſamur aliquo modo prouehit. *Non ſolùm*, inquit, *prædictos Patres* (Prophetas & Apoſtolos) *in veſtitu ſequimur; ſed inſuper ſublimiſſimam cœlorum curiam, quod vobis durum eſt audire, Seraphim ſcilicet, quis dubitet ſex alas habere? Enimuerò & nos ſex alis velamur, videlicet duabus in capite, & duabus dextra læuaque, & duabus ante & retro.* Quod item expreſſiùs in Decreto Bonifacij Pontificis, illi Epiſtolæ ſuppoſito declaratur, his verbis. *Sacerdotes igitur Monachi atque Canonici, qui quotidie Dei præcepta populo nun-*

*Statu quæſtionis explicatur.*

Petr. Dam. l. 5. ep. vlt. vel Opuſc. 28. Tom. 3.

*ciant, Angeli vocantur, ratione non incongrua.* Stringenda eſt ea propoſitio ad illos è Monachis & Canonicis, ſeu Clericis, quibus vel ex officio, vel ex commiſſione ſalus aliena procuranda eſt. Nam ſimplicibus Clericis & Monachis, licet vtrique Sacerdotio præditi ſint, munus illud ex ſe ſe non competere monſtrauimus. *Sed vnuſquiſque Angelicus ordo, quantò claritatem Dei vicinius contemplatur, tantò maiori virtute eius diuinitati adhærens ſine dubio roboratur.*

*Monachorũ veſtis alas Seraphinorum exhibet.*

*Eorum Cherubim ordo eximius prædicatur,* ( Seraphinos hic intelligi d[illegible]t mens Decreti, & Epiſtolæ verba) *quorum figuram Monachorum cultus com[illegible]nter habere comprobatur. Nam vti Cherubim, ita Monachi ſex alis velantur, duabus quidem in capucio quo caput tegitur, alijs vero duabus quibus pedes teguntur veriſimilibus [illegible]ſtratur aſſertionibus. Illud verò cucullæ quod brachijs oſtenditur, alias duas alas eſſe dicimus: & id tandem quod dicitur, ſex alarum numerum certiſſimè impleri aſſ[illegible]itur.* Ita Pontifex, & ex eo Cardinalis. Adiunctum eſt Decreto fragmentum aliquod magni apud eos ponderis, quo Monaſticam ſanctitatem, Hierarchiæ gradum, poteſtatem ligandi atque ſoluendi Monachis aſſerunt, prædicti diſceptatores Anglorum. Cuius illud eſt initium: *Epiſcopus debet canere Miſſam in ordinatione Presbyteri,* &c. Quæ lacinia quem potiſſimùm agnoſcere debeat parentem & auctorem non ſatis liquet, cum alij Bonifacio tribuant; alij longè probabiliùs Epiſtolæ ipſius ſcriptori. Tria ſunt ergo nobis in quæſtione, Damiani Epiſtola, Decretum Bonifacij, Appendix Decreti, quæ omnia ſcriptoribus Anglicanis mirificè placent.

*Epiſtolam Petri Damiani, Petrus Aurelius impugnat in Vind. a. p. 392. ad 411.*

Verùm Petrus Aurelius, & Franciſcus Hallier, cum ferre non poſſent hac auctoritate Religioſos in Hierarchiam immitti, omnibus animi atque ingenij neruis in ſeuerum eius ſcripti examen incubuerunt, vt ſiquid in eo l[illegible]et adulterinum, certis veſtigijs deprehenderent. Itaque partito labore alter Epiſtolam, alter Decreti appendicem ad calculos ſuos reuocatam, falſi tandem accuſarunt, & indignam tum Pontificis, tum ſanctiſſimi Cardinalis grauitate pronunciarunt. In Epiſtolæ iudicio verſatur Aurelius; & vt Grammatico conuenit, ex ſtylo Petri Damiani, & eius alio loco dictis, ſpuriam eſſe conficit.

*Hallier eam non improbat in Vin pag. 388.*

*Arguitur dictis parum modeſtis. Pag. 801.*

Hallier Epiſtolæ auctorem Cardinalem ſaltem tacitus in Vindicijs agnoſcit, dum ex ea productum argumentum ratione ſoluit, non contemptu. In appendice autem ad Vindicias, cum promittat in titulo *Iudicium de quadam Petri Damiani Epiſtola,* in ipſa diſputatione leuiſſimè tangit Epiſtolam, quam etiam *genuinam eſſe ac germanam* non timet admittere, cum dicto, quod à viris ſapientibus maximè improbatum audire me memini. *Habet Petrus Damiani ſua vitia, habent & aliqua ferè cæteri Patres.* Optabant enim graues homines reuerentiùs tractari clara Eccleſiæ lumina, neque in omnes mundi ſpiritalis ſoles vno calamo tot maculas induci. Totus igitur habitat in fragmento Decreti, cui detrahendo multas magnaſque rationes adducit.

*Appendicem decreti oppugnat appendice ad vind. a pag 781.*

Decretum verò ipſum neuter tangit: de quo tamen, deque tota auctoritate iudicium liberè meum exponam, ſi me in cauſam hanc tertium dignantur admittere.

*1. Aſſert. Ex iſtis locis ſolidum nihil elici.*

I. Aſſero enim in primis, de Religioſis in Hierarchia, prout ea inter omnes illos ſcriptores controuertitur, nihil ex ea Epiſtola, Decreto-ve, aut eius Appendice poſſe conſtitui: quare minimè curandam eſſe illorum ſcriptorum in expoſita theſi ſententiam atque auctoritatem. Nam cum & Galli & Anglicani ſcriptores de ſola Iuriſdictionis Hierarchia digladientur; de ea nihil certum

tum & conſtans pronunciat Epiſtola: Decretum autem, & exſcriptor decreti Gratianus, id tantùm contendit efficere, quod omnes communi conſenſu fatemur, poſſe Monachis Eccleſiæ adminiſtrationem committi. [*Inconſtantia Epiſtolæ.*] Quamobrem & inconſtans eſt Epiſtolæ ſententia, & Decreto non omni ex parte conformis. Principio enim velle videtur euincere, Monachis per ſe ordinariam in Iuriſdictione Eccleſiaſtica poteſtatem deberi, cum *Eccleſiam vniuerſalem à Monachis tam olim fundatam, & gubernatam*, *Apoſtolos Monachico non Canonico more vixiſſe*, *Clericis priores eſſe Monachos* ſcribit: quæ omnia Pontificis Decretum nullo modo tangit, & abſurdè & falsò dicuntur, vt ſuis locis probauimus. Quare illa neque modò laudari poſſunt à nobis, neque hic noſtra debent iterari. At verò in eiuſdem Epiſtolæ progreſſu, mutari video theſim, & ab actu, quod aiunt, ad potentiam reuocari, expoſita de eo Clerico querela, qui dicebat *à Monachis nullo modo communionem eſſe recipiendam: imo etiam ſuſcipientes excommunicabat.* Cuius temeritatem ex eo damnat, quòd clariſſimi Antiſtites à Religioſis clauſtris ad ſacras euocati infulas, Eccleſijs ſuis ſanctiſſimè præfuerunt: à quibus eo nomine quòd Monachi fuiſſent, ſacramenta non percipere, inſanum fuiſſet, & à ratione derelictum. Vult igitur auctor Epiſtolæ poſſe Monachos ad Eccleſiæ gubernacula admoueri, quam & Decreti, & Gratiani mentem eſſe diximus. Tum ſtatim iterum turbat, & ad actum redit à potentia, dum affirmat *ex cuiuſcunque Sacerdotis manibus ſacramenta diuina percipi poſſe, & dedignantes ſuſcipere, ab Eccleſia ſeparari.* Quæ ſi de Monachis nullo inſignitis priuilegio, vel de ſimplicibus omnibus vniuersè Sacerdotibus tum Monachis, tum ſecularibus dicuntur, à veritate aberrant, noſque illa cum benè ſentientibus de Hierarchia expellimus. Quid quòd ab ea theſi deſiliens, ad vitam digreditur, & nominatis aliquibus è Monaſterio ad ſacram poteſtatem eductis, ſubijcit, *Nunquid nam Romani Præſules quos prædiximus, vel iſti quos nunc retulimus, quia Monachi fuerunt, minus laudabiles habiti ſunt? Non vtique.* Atqui hoc in quæſtione non erat, neque vllus vnquam Catholicus ex inſtituto Monaſtico infamiam contrahi ſomniauit, niſi fortaſſe recens Petrus Aurelius, qui Monaſteria tanquam ſceleratorum latumias nobis exhibet.

II. Aſſero deinde ſimilitudinem Religioſorum cum Seraphinis, non ſatis grauiter & efficaciter veſtimenti figura confici, eſſeque illud verè argumentum leuidenſe, craſſo filo, qualia corrogant & conſuunt, qui ſunt à melioribus imparati. [*2. Aſſertio. Argumentũ à veſtis figura eſſe parum efficax.*] Licuerit enim Tertulliano Pallium ſuum mirificè laudatũ Togæ anteferre; idemque Pallium Iacobus Pamelius ad Monachos multis auctoribus transferat: nemo tamen illorum rem tantam tam leui coniectura probauit: [Pamel. ad l. Tertull. de Pallio. n. 1.] vt longè conuenientiùs S. Bonauentura mentis habitum veſte corporea plus æſtimarit, & Seraphicas alas ad Religioſi virtutes retulerit, quibus *quaſi ſex alis Seraphicis à mundialibus eleuetur, & in diuina feratur.* [Bona. Apo. Paup. reſp. 1. c. 3.] Subditque poſtea, S. Franciſco Chriſtum *in apparitione Seraphica, ſtigmata ſua tanquam ſigillum approbatiuum impreſſiſſe, vt contra finalium temporum periculoſam caliginem, manifeſtum nobis in via perfectionis oſtenderet ſignum, quo reduceremur ad Chriſtum perfectæ virtutis exemplar, & finem.* Hierarchica planè omnia: veſtis nulla mentio, vbi Seraphicus animus requiritur. Cum igitur hoc potiſſimùm argumento tum Epiſtola tum Decretum ſententiam ſuam ſtabiliat, fateor ego ſubſtructionis illius infirmam & ruinoſam eſſe congeriem.

*3. Aſſert. Epiſtolæ auctorem non eſſe Petrum Damiani.*

III. Nam de Epiſtola ſi priuatim dicendum eſt, Aſſero tertiò cum Petro Aurelio, indignam omnino Petri Damiani ſtylo, virtute, doctrina videri: quod & Aurelij rationes, & ipſa Epiſtolæ verba non indiligenti & incurioſo Lectori ſumma cum facilitate perſuadeant. Is ergo per me liceti illas ab Aurelij Vindicijs petat, ſi tanti eſſe iudicauerit; cum ea tamen cautione, quæ admonitionem noſtram exigit: ſunt enim in eius diſputatione nonnulla quæ ſapienti & erudito grauia eſſe & videri poſſint. Nam cum ipſa placeat opinio, certè quòd eam ex amicorum potiùs commentarijs, & ſchedis, quàm ex fontibus conſultis accepit; quòd non expenſam, imò ne lectam quidem Epiſtolam condemnat, & iuſtum fert iudicium non iuſtè, hoc non placet. Rem autem ſic habere multis oſtendo.

*Petr: Aurelius Epiſtolam non legit, quam exagitat.*

Primùm enim cum de ſcriptis duobus quæratur, Epiſtola Cardinalis, & Pontificis decreto (Appendicem enim ad alterutrum reuocant Anglicani) ſintque ita coniuncta, vt illa iſtud laudet, ac citet; hoc illam continuè ſequatur: decretum penitùs ignorat Aurelius, & ne per vmbram quidem attingit, & nonnulla decreto contenta refert ad Epiſtolam. Deinde credit Aurelius in Epiſtola ſcriptum, Romanos Pontifices *Teleſphorū Papam, Dionyſium, Adeodatum, Stephanum, S. Gregorium Monachos Anachoretas fuiſſe*: quod nuſquam legitur in auctore: ſed cum auctor Anachoretæ cuiuſdam factū ex vita S. Martini produxit, & *Teleſphorum ex Anachoretis fuiſſe* probauit, alios ait *ex Monachis fuiſſe*, & Gregorium *ex Monaſterio raptum, ac violenter infulatum.* Atque id

*Aurelij contradictio hoc loco, & p. 303.*

miror, ſi locum verſauit Aurelius, non reclamaſſe ad Dionyſij Romani nomen inter Monachos enumerati, quod alio in propoſito expreſsè negat inferiùs. Eadem eſt illorum cauſa quos deinde ex Monachis Epiſcopos facit Epiſtola: Baſilium dico, Athanaſium, Hieronymum, Marinianum Reuennatem, Auguſtinum Anglicanum. Ex illis omnibus vnum arguit Petrus Aurelius Athanaſium inter Monachos appellari. Cur non etiam Baſilium, quem alibi verbis conceptiſſimis Monachum extitiſſe negat, licet *Monachorum inſtitutorem ac patrem*? Cur non & Hieronymum inter Præſules qui Epiſcopos,

*Marinianū arguit Gregorius l. 5. ep. 28. & 29. Indict. 14.*

Preſbyteros, Diaconos ordinant? Marinianum autem Rauennatem, cur illuſtribus Epiſcopis admixtum non faſtidit, quem principio quidem laudatum à S. Gregorio, deinde verò non infrequenter oppreſſorum per auaritiam Monachorum reprehenſum ignorare non debet? Hæc ergo nomina ſi percenſuiſſet in Epiſtola ſibi contraria Petrus Aurelius, putas, Lector, non deprehenſa præteruecturum, qui grandem Spongiæ librum corradit cum puluiſculo; & in ſolo hæſurum Athanaſio, cum vnius μοναχικοῦ ἀμφισβητήσεως infirma ſit conuictio, ad opus aliquod ſcriptori eripiendum?

*Eucherium Monachum fuiſſe Lerinenſem falsò ſcribit Aurelius.*

Præterea non dubitat arguere Petrus Aurelius in Epiſtola *S. Eucherium Lugdunenſem Epiſcopum ijs qui Monachi non fuerint annumerari.* Quod nuſquam eo ſcripto continetur. Citatur enim Eucherius ſolitariè in Epitome Collationum Caſſianarum: de eius autem Monaſtica profeſſione, nulla mentio. Confictum igitur errorem Epiſtolæ Aurelius falſa ratione confutat: *Conſtat*, inquiens, *fuiſſe illum Monachum in Monaſterio Lerinenſi.* Idque probat ad marginem ex *Hilario Arelatenſi in vita S. Honorati*, *& Sidonio Apollinari in carmine de eodem.* Ego verò id *conſtare* nego, & horum ſcriptorum auctoritate probari poſſe pernego. Fateor equidem hoc perplexè ſcribi in Annalibus: aſſeueratè dici à Commentatore Sidonij Ioanne Sauarone, & paucis alijs recentioribus.

*Baron. ad an. 441. tom. 6. Sauaro in Carm. 16. Sidon.*

tioribus. Sed hunc ſcio non eſſe antiquiorum ſenſum, qui omnes Anachoretam vixiſſe, & e ſolitudinis latebris ad Lugdunenſem Cathedram abreptum reſtantur: quibus libentiſſimè ſubſcribo. Video particularium Eccleſiarum Chronologos in eo ſudare, vt pugnantes illas ſententias ad concordiam reuocent. Sauſſayum lego (qui noſtris in partibus eſt) Eucherij filios Salonium & Veranum *in Lerinenſem diſciplinam ablegatos* à patre ſcribentem. Alium quoque Eucherium titulo ſanctitatis illuſtrem Monaſterij Lerinenſis Abbatem, eodem Nouembri menſe producentem, quæ nominis paritas, apud aliquos incautiores perſonarum commixtionem potuit efficere. Aio præter hæc, ex Apollinari Sidonio, & ipſo Eucherio Lerinenſem laudente Inſulam, colligi aliud nihil poſſe, quàm illum ſanctitatis locum, & in eo Honoratum inuiſiſſe, tanquam amicum & hoſpitem, non illic commoratum vt ſubditum. S. autem Honorati vita ab Hilario Arelatenſi ſcripta, eius profectionis, longè minùs commorationis, omnino non meminit: imo manifeſtè Hilarius ab illa ſemotum Inſula demonſtrat extitiſſe, cum literas vltrò citroque miſſas ab Honorato ad Eucherium, & huius ad illum enarrat. Quo vt opinor, conuictus argumento Baronius, eum in Lerone Inſula, Lerinæ propinqua, cuius meminerunt Plinius & Strabo, ſcribit commoratum. Cur autem citat Aurelius Sidonium *in carmine de eodem?* Quis ille porro *idem?* an Honoratus? an Eucherius? Atqui de neutro carmen ſcripſit Sidonius; ſed 16. Carmine Fauſtum olim Abbatem Lerinenſem, tum verò Regienſem Epiſcopum laudat, & SS. Honorati & Eucherij tantùm ſtringit nomina. Quid eſt igitur quòd rem incertam, & falſæ proximam, *conſtare* dicit Aurelius, & ſcriptoribus probat quos legere non dignatur?

Ioan. Seru. in Chron. Epiſ. Lug. P. i. Vinc. Baralis in Chronol. Lerinenſi. Sauſſ. y. in Martyr. ad 16 Nou.

*Eucherius Abbas Lerin 18 Nou.*

*Reſpondetur Aurelij cauſationibus.*

Eucher. ep. de Eremo. ad Honor.

Hilar. Arelat. in vita Hono c. 18.

*Sidonius ab Aurelio male citatur.*

Denique in Epiſtola narrat Aurelius, *Clericos irregulares & prauos, Monachos Angelorum & Cherubinorum inſtar illibatos inculpatoſque depingi.* Vtrunque abludit à vero. Siquidem morum ea non eſt quæſtio, ſed poteſtatis: deque vno tantùm Clerico Monachorum ſtatui perinfenſo, quique cauſam querelæ præbuit, ſcribit auctor quiſquis eſt, *idiotam pene eſſe, & multorum criminum reum, inque Rebaptizatorum ſectam miſerabiliter corruiſſe.* Id-ne eſt omnes vniuerſè Clericos improbitatis inſimulare? In Monachorum laudibus eadem verſatur parſimonia. Monachos clamabant aduerſarij *quòd mortui eſſent mundo, non poſſe diſpenſare Eccleſiaſtico.* Hinc iſtud colligi non poſſe, magis dicit, quàm probat Epiſtola, & veteres Antiſtites *quia Monachi fuerunt, minùs laudabiles habitos non eſſe.* Illorum autem cum Angelis ſimilitudinem, non à vita & moribus, ſed ab externa ducit indumenti figura. Hoc-ne eſt *illibatos, inculpatoſque depingere?* Sed nimirum quaſi per nebulam accepiſſe ſe meminit Aurelius, declamatum à Petro Damiani contra Clericos intemperantes, idque factum hac putauit Epiſtola: quod alijs locis in Opuſculum vnum compilatis legere poterat, ſi nota haberet opera Cardinalis. Ad Monachos autem quod ſpectat, hanc non inuitus ſibi ſtrauit occaſionem Monaſticæ vitæ ſanctitatem callidè deturpandi, notatis in limbo compluribus Damiani Epiſtolis, quibus Monachorum vitia cum gemitu luculenter panduntur. In quo & ipſum vel decipere Lectores odio Religionis, vel à ſuis nomenclatoribus & amanuenſibus decipi facilè monſtratu foret, ſi res apologeticum poſceret. Nam ſi eſſent illiuſmodi Monachi omnes, quales nos iubet Aurelius exiſtimare, quis ipſum Cardinalem inſaniæ non accuſet, qui tanta cum animi contentione,

*In Epiſtola nō arguuntur Clerici.*

*Quid Aurelium fefellerit.*

Petr. Dam. Opuſc. 18. Contra Clericos intemper.

tot ſcriptis, tot ptecibus & lacrymis cum virorum clariſſimorum, ſummorumque Pontificum non leui offenſa, tegreſſum ad Monachos extorſetit, imo grauiore pœna tedemetit? Quale vetò Monachorum genus ſcripti exagitet, vel vna docet ad ciues Florentinos Epiſtola, vbi lepidè *vrbicos Eremi-*
*Idem l. 5. ep. 8.* *tas, forenſes ſolitarios, Monachos vniuerſales* appellat. Et in tanto Benedictini Ordinis corpore, articulos nonnullos fuiſſe luxatos queti aut ridere, eſt humanitatis imbecillitati ferociter inſultare.

*Petri Damiani Epiſtola Petro Aurelio offertur. l. 6. ep. 27.* Illorum indubiè fuit vnus Petrus Cetebroſus, ad quem Epiſtolam non ſputiam ſcripſit Petrus Damiani; cuius exordium tanquam ad ſe miſſam, accipiet ab amico Petrus Aurelius. *Qui dicaciam eloquentiam putat, rerum ſimilitudine ductus oberrat. Sicut enim vir ſapiens dicit, Labia imprudentium ſtulta narrabunt; planè ſicut equus effrenis per amfractus, & inuia plano vel ardua quæque tranſmittit: ſic lingua ſtultorum recta vel friuola, vt qualibet ſuppetunt, indifferenter ac leuiter effluit. Plurimum fel, frater, in nos nuper euomuiſti, dicens & ſcribens, quod veſani vtique capitis videatur ebullire furorem. Et cætera quidem quæ ſimultatu acerrima liuore debacchatus es, omittimus,* &c. Quæ cum ita ſint, & bona cauſa malo aduocato
*Admonitio ad Petrum Aurelium.* commiſſa fuerit, orant mecum arque obteſtantur Pettum Aurelium, quiſquis vbicunque gentium eſt, veri & æqui amantes, nihil vt in poſterum effetat quod ipſe non legerit, otacuſtis ſuis non credat, aliena dicta pictacijs alienis ctedita non impugnet: in libris ſi quos euulgabit, plus aliquid quàm latinas contumelias de ſuo profetat; tum demum auidos diſcendi, & credulos lectores inueniet.

*4 Aſſert. Appendicem decreti ſpurium eſſe.* IV. Idem aſſero de Decreti appendice, quod de Epiſtola, eſſe ſyrma ipſius Epiſtolæ, inſolentis ingenij partum, Petto Damiani ſine iniuria non poſſe attribui. Quod cum Franciſcus Hallier pluribus validiſque efficiat argumentis, ne quid cum faſtidio repetam; vrgeo tantùm apertam eſſe Decreti concluſionem in illis vetbis: *Decertantes igitur Monaſticæ profeſſionis Presbyteros, Sacerdotalis potentiæ arceri officio, omni modo præcipimus, vt ab huiuſmodi nefandis auſibus reprimantur in poſterum.* Hic Pontifex ſumma cum auctoritate interloquitur, & cauſam pto Monachis ad Eccleſiaſtica munia admittendis terminat. Quod etgo ſequitur lacinia eſt, & aſſumentum panni noui & ignoti, ad vetus veſtimentum. Quod & ex ipſo otationis ſtylo non ægrè deprehenditur, qui eandem cum Epiſtola monſtrat incudem, eodem parente gloriari poteſt ac debet.

*5. Aſſert. Decretum eſſe vitiatū.* V. Decretum ſupereſt, quod licet non auſim adulterinum, poſſe tamen videor adulteratum aſſerere: cum in eo alienum quippiam, & intruſum videam, quo Pontificia majeſtas vilem in modum deprimitur. Quem enim
Habetur 16. q. 1. C. Sunt nonnulli. poſſunt ſenſum reddere verba illa: *Nam ſi ex hac cauſa veteres æmuli vera prædicarent, Apoſtolicæ compar Sedis Beatiſſimus Gregorius, Monachico cultu pollens,* &c. Cur *veteres æmulos* Monachorum vocat in ea controuerſia, quæ recens rum temporis eſſe debuit? Siquidem Bonifacius ipſe *quartus à B. Gregorio* dicitur, quo ſedente aduersùs Monachos hac in cauſa nihil tentatum legimus: ſiue quia Monachus Monachorum clypeus erat Pontifex; ſiue quia naſcente adhuc Benedictina familia, & Monachorum manibus primam eximiæ virtutis myrrham diſtillantibus, cum nulla Eccleſia Paſtorem inde non ambiter, in aliqua Clericorum penuria, tales viros ab Eccleſiaſticis ordinibus eliminare turpe fuiſſet & indignum. Neque mihi probatur illud, *Compar Apo-*

*ſtolica Sedis*, aut iſtud, *Monachico cultu pollens*. Sublimius enim aliquid de tanto Pontifice dicendum videtur. Sed pergit Bonifacius, *Credimus à Sacerdotibus Monachis ligandi, ſoluendique officium, Deo operante, dignè adminiſtrari, ſi eos dignè contigerit hoc miniſterio ſublimari.* Auctoritatis ſuæ pondus expendi non vult Pontifex, nobiſcum agit rationibus. *Quod incunctanter affirmat, quiſquis ſtatum Monachorum, & habitum, poteſtatemque euidenter conſiderat.* Iam hic mihi tenebræ. In *ſtatu* enim ſolitaria & priuata perfectio eſt: in *habitu* ſi vlla conuenientia, certè leuis: de *poteſtate* tota dubitatio. In diſtributione porro cum hæc explicanda ſunt ſingula; de *poteſtate*, præter definientem ſententiam nihil dicitur: *habitus* forma curioſiùs, ſed parum efficaciter ad Cherubinorum ſiue Seraphinorum alas accommodatur. *Status* verò dignitas qua ratione euehitur? *Verbi gratia*, inquit, *Angelus Græcè, Latinè nuncius ſonat.* Quid iſtud ad propoſitum, aut cui rei explicandæ? *Sacerdotes igitur Monachi atque Canonici, qui quotidie Dei præcepta populo nunciant, Angeli vocantur, ratione non incongrua.* Laudabunt dictum, ſed Monachos non tangere diſputabunt aduerſarij, qui nunciandis populo Dei præceptis malè occupari contendent. Subditur iudicis ſententia ſuperiùs à nobis deſcripta. *Decertantes igitur*, &c. Rationis autem quam affert, ratio mihi non conſtat. *Quia quantò quiſque eſt celſior, tantò eſt & in his potentior.* Si è ſola virtutis amplitudine, vim Eccleſiaſticæ Iuriſdictionis, aut Sacerdotalis ordinis efficacitatem æſtimat, qui credam, cum Donatiſtas, & VVicleffum atque Huſſium eò inclinantes Eccleſia damnauerit? Si in ſolido pietatis ſtatu potentiam ad officia illa capeſſenda conſtituit, eò propinquiorem, quò clarior eſt pietas, & auguſtior ſanctitas; aſſentior equidem, & id in Hierarchia Gratiarum demonſtro, & cauſæ noſtræ, at non ſuæ cardinem propriè verſat: ſed illud eò quòd *Angelus Græcè, Latinè nuncius ſonet*, ex Cherubica ſex alarum veſte, & ſimilibus argumentis confici poſſe pernego: concludoque temeritatis illum reum non fore, doctorum virorum iudicio, qui Decretum iſtud prout iacet, cum ſuis additamentis, omni ex parte genuinum eſſe, Pontificium, dignum Pontifice negauerit: & vniuersè trium auctoritate ſcriptorum, Epiſtolæ, Decreti, Appendicis, Seraphicam Religioſorum perfectionem ſolidè non probari aſſeruerit.

---

*HANC VITÆ PERFECTIONEM INTIME IN ſtatu Religioſo per votorum nuncupationem ineſſe monſtratur.*

## CAPVT V.

RESECTIS ergo ſcriptorum incertorum commentis, in prioribus auctoritatibus, rationibuſque immoror, vt Religioſorum cum Seraphinis collatio, quantum naturæ mortali fas eſt, certa ſit & accommodata. Videndum modò quàm firma & ſtabilis, quamque ipſi ſtatui eſſentialis cenſeri debeat. Eſt enim ea Religioſæ vitæ dignitas eò maior, & optabilior, quòd non ad momentum temporis conceſſa vt prophetia, vt virtutes, ſiue miracula: ſed in ipſa ſtatus natura intimè defixa eſt, & à votis, ſine quibus arcta, ſiue vt appellat VValdenſis, perfectorum Religio nulla eſſe poteſt, omni neceſſitate proficiſcitur. Fateor equidem

*Materia & ſtatus ſequentis diſputationis exponitur.*

vota ipſa ab aduerſariorum nonnullis Religioſo ſtatui detrahi, ſed antequam confirmentur à nobis, declarari neceſſarium eſt fontem & o... Seraphicæ illius perfectionis, quam imus aſſertum, & hunc clarioris ... gratia poni ſyllogiſmum. Omnis ille vitæ ſtatus, cuius eſſentiam componunt & conſtituunt vota illa tria, grandia, vniuerſalia, nobilia, intimam & eſſentialem habet Chriſtianæ vitæ perfectionem: Is autem eſt Religioſus, quia tribus illis votis eſſentiam ſumit & naturam: ſtatus ergo Religioſus intimam & eſſentialem habet perfectionem. Huius argumenti aſſumptio cum ... Aurelio non priùs diſputanda eſt, quàm ipſa propoſitio diligentius expenſa ſit, & extra Franciſci Hallier obiectiones poſita, ducibus D. Dionyſio, & S. Thoma potiſſimùm, quos ſemel nominare ſatis erit, ne crebris ci... aut orationis curſus intercipiatur, aut Lectori faſtidium creetur, aut ... nes ambitioſis, & minimè neceſſarijs notulis prætexantur.

*Notabilis ſyllogiſmus.*

*Quæ dicenda ſunt fundantur in doctrina S. Dionyſij* c.6 Ec. l. & S. Tho. 2.2.q.184. & ſeq. Opuſ. item 18. & 19.

*Vota abducunt à termino à quo, & coniungunt termino ad quem.*

Sit igitur hæc prima propoſitionis confirmatio, per vota, quæ nemo ... non intelligit, animum corpuſque hominis à rebus hiſce infimis, in quibus ſi placet, terminum à quo figemus, & ab obicibus, qui facientes iter impediunt, fortiter efficaciterque abſtrahi, eodemque conatu atque impetu in aperta, eaque compendioſa ad caritatem, tanquam terminum ad quem vi c... tui. Non enim Hierarchiæ tantùm, ſed etiam Chriſtianæ vniuersè legis ..., ſcopus, terminus, caritas eſt, ad quam tenditur eorum obſeruatione, quæ illam efficiunt. Atque vt in corporum, ſic in animorum motu, quæ virtus, quamque fortis & valida, ad terminum ad quem defert, eadem pariter a termino à quo auellit. Hoc ſi remiſſo conatu, & pene inuita, ſibique ipſi quodammodo repugnans efficit, paulùm promouet, initio quàm fini ſemper propior. Quòd ſi ardente animi propoſito corpus adigit auteas excutere compedes, & ambitioſa malorum inſignia exuere, vt homo illis vndique tricis expeditus, in reginæ caritatis ſinum generoſiùs euolet; quantùm abeſt ab vnione diuina, & Apoſtolica ſententia, *qui adhæret Deo, vnus ſpiritus eſt cum eo?* Poſſunt eum cœleſtia cum his inferioribus ſimul amari, & qui ſe ſolum vult propter ſe diligi, non vetat ſub pœna capitis alia quæpiam inferiore gradu, & propter ſeipſum appeti. Hæc eſt communis Chriſtianorum omnium vita, quæ ſua ſeque cum Deo amat, & vtrunque ſimul complexa terminum, vtendis vtitur, & fruitur perfruendis. Verùm longè grauiora meditatur & perficit, illa quam nuper ex Guillelmo Pariſienſi proferebamus, amoris inſania, nudum & pannoſum Religioſum, planè Amoris veſtibus inſignem factura: illa caritas caritatis toto mundo, toto ſe Deum æſtimans: illa fortitudo amoris inſuperabili nexu, funiculo triplice Deum ſtringens, qui vix ac ne vix quidem rumpitur.

1. Cor. 6.

*Monachi conſecratio* in Dion. & Georg. Pachym.

Vides hoc in Monachi conſectatione, ad quam ſæpe reſpectandum eſt, vbi iubetur à Sacerdore *nuntium remittere, non ſolùm diuiduis diſtinctiſque vitiis, verùm etiam earum imaginationibus: deinde perfectiſſima ei vita exponitur.* Id cum profeſſus eſt, pullis veſtibus induitur, & cæteris initiatur ritibus, qui tandem omnes illum in Theapeutæ nomen tranſcribunt. Animum videlicet dedunt mercatura, militia, forenſes actiones, domus & coniugis cura: illa Monachus abdicat: parum dixi, ipſis etiam ſe priuat imaginibus quæ ex ... tumultibus animo poſſunt obijci; tanquam iam mortuus, & operi minimè vtilis. Ita fit vnus & ſolus, magna μόνου ϗ μονάδος, μοναχικοῦ ϗ μοναδικοῦ cogna-

*Qui differunt Monachus & Monaſterium.*

tione

tione. Monaſticus enim propriè ordinem, Monadicus ſtatum ſignificat: Monadicus, quia ſolus ſecundum monadem conſiſtit; Monaſticus, quia ſolitariè vniformiter non in duo, in tria in multa diuiſim conuerſatur. Quod & pulla veſtis deſignat: nam colores alij in alios facilè recidunt, omnes autem in nigrum, niger in nullum cõmutatur. Animo illi ſolitario comes & adminiſtra accedit ipſa corporis ſolitudo, ab hominum frequētia & locorum amœnitate procul ſepoſita, vt Philo grauiter in Supplicum deſcriptione, Hieronymus eleganter in Iouinianum, Caſſianus ſeuerè de antiquis Monachis ſcribunt.

*Monadicus ὁ μόνος κατὰ μονάδα ζῶν.* Pachym. Philo l. de Supplic. Hier. l. 2. in Iouin. c. 7. Caſſ. C. 1. 24. c. 2.

Iam autem tricis iſtis & ſpinis per votorum nuncupationem expediri Religioſum hominem notius eſt, quàm vt fuſius perſequar, concupiſcentia carnis per Caſtitatem, concupiſcentia oculorum per Paupertatem, ſuperbia vitæ per Obedientiam penitus amputata. Quòd ſi Religioſum ſtatum conſideras, vt intimam animo pacem, & tranquillitatem inducit, fontes tumultus & ſollicitudinis obſtruat oportet; bonorum fortunæ moleſtam diſpenſationem, voto Paupertatis; anxiam vxoris & filiorum gubernationem, promiſſione Continentiæ; liberam ſui diſpoſitionem Obedientiæ humilitate præcludit. Si denique Religionem ſpectas vt holocauſtum, qui ſupremus eſt adorationis diuinæ gradus, apex Religionis, caritati ſimillimus, & pene ipſa caritas, ſe toto faciat Deo Religioſus neceſſe eſt; & externa bona offerat ex Paupertate, corporis ſui bonum abſumat in Caſtitate, animæ & libertatis bonum ſacrificet cum Obedientia: exclamet deinde cum Propheta, *O Domine, ego ſeruus tuus, & filius ancillæ tuæ: dirupiſti vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis*! Qua enim alia te ſublimiùs laudare, aut perfectiùs amare poſſum?

*Religioſo ſtatui quid conferant vota.* Pſal. 115.

Alteram propoſitionis confirmationem ab aduerſario, tanquam de manu veritatis accipio. Fatetur enim Doctor Hallier, quod in diſceptatione videbimus, conſilia eſſe perfectionis inſtrumenta; quæ certè quò plura ſunt, magiſque efficacia, eò faciliùs perfectiuſque perfectionem conficiant neceſſe eſt. Quare qui ſtatus illis abundat, qui exercet continuè, qui totus eſſentialiter ex illis compactus & fabricatus eſt, nonne intimam, naturalem, perpetuam habet perfectionis aſſecutionem? Sic autem inſtrumenta ſunt, vt partes etiam faciant adamatæ perfectionis, & quaſi venuſtiſſimi corporis membra nobiliſſima. Agnoſcit enim Doctor aduerſarius maiorem, ſaltem extenſiuè, perfectionem in Conſilijs quæ cum Præceptis coniuncta ſint, quàm in his ſolis. Quemadmodum igitur ſculptor, imaginis tornando brachio, & formanda ſura, ſic tendit ad vniuerſæ ſtatuæ perfectionem, vt eam interim ex parte faciat: ita Religioſus edomando corpore per Caſtitatis mortificationem, animo ſubigendo per Obedientiæ ſeruitutem, facit quam non procul aſpicit perfectionem. Quid quòd nobili Petri Aurelij pronunciato, virtutes omnes indiuiduæ ſunt, & inuicem ita connexæ, vt *Dei ad inſtar totæ ſint in totis, & totæ in ſingulis*? Sunt igitur omnes in caritate, id eſt, in perfectione, & caritas in omnibus. Quid enim aliud eſt Paupertas, quàm Caritas *relictis omnibus Chriſtum ſequuta*? Quid Caſtitas, niſi Caritas *innupta cogitans quæ Domini ſunt, vt ſit ſancta corpore & ſpiritu*? Quid denique Obedientia, niſi Caritas hominis *abnegantis ſemetipſum, & tollentis crucem ſuam quotidie, vt ſequatur Chriſtum* in cruce ex obedientia pendentem? Eſt igitur Religioſo ſtatui tam eſſentialis & intima Caritas, ſiue perfectio, quàm ipſa vota, ſine quibus nulla vnquam fuit, nulla ſtabit Religio.

*Conſilia ſunt perfectionis inſtrumenta.* *Item partes perfectionis.* *Sententia Petri Aurelij de qua ſupra.* *Caritas in omnia operatur.* Matt. c. 19. 1. Cor. 7. Luc. 9.

*QVÆDAM OPINIONES VOTORVM PERFECtionem & meritum deprimentes, Catholica doctrina refelluntur.*

## CAPVT VI.

*In eos qui votorum perfectioni derogant.*

CVM hominis Chriſtiani mores nihil habeant votorum [illegible]ficio melius & auguſtius, ad eaque omnibus Deum amantibus [illegible]denda, doctrinæ atque eloquentiæ ſuæ neruos omnes intendere debeant Doctores Catholici, quod ab Apoſtolis, & Apoſt[illegible]is patribus glorioſè factum legunt; mirari ſatis non poſſum, reperiri in ijs aliquos hoc ſeculo, quorum animis ea votorum gloria & perf[illegible]io doleat, & quicquid vel à Theologia ſcientiæ, vel à natura loquentiæ acceperunt, id totum ad deprimenda vota, & peſſundandam eorum perfectionem conferant. Quod conſilium quaſi ex compacto, alij quidem ſparſis per mulierculariam domos colloquijs promouent, *& ſermo eorum vt cancer ſerpit.* alij libris editis; vt nulla poſteritas noſtræ ætatis labes, & inflicta pietati vulnera ignoret. Quanti hos Catholicorum hominum ſenſus redemiſſet olim Lutherus, cum aduersùs Romam & Eccleſiam ſcribebat, *Conſulo magnatibus Eccleſiarum, vt omnia iſta vota, ſeu vitas votariorum tollant, vel non probent, & extollant.* Non enim ſolùm *non extollunt*, ſed quantùm fieri poteſt, deprimunt, quodque luctuoſius eſt, pietatis ſpecie ad labefactandam pietatem, Caritatis nomine ab euertendam caritatem abutuntur. Præcepta laudant. Euge. Sed cur eorum comparatione conſilia deſpiciunt? Caritatem admirantur. Bellè. Sed cur in illis laudibus opera caritatem teſtantia profligant? Quaſi dicant iſti, Regem ſe laudare, ſed ſine curia, ſine magiſtratibus, ſine exercitu, nudum, deſertum. Amare Reginam, ſed abſque mundo muliebri, abſque comitatu & obſequio, ſolam, deſpectam. Veſtrum eſt Hierarchæ ſacratiſſimi, malo venienti occurrere, quos reginæ Caritatis apex, & nobiliſſimum votum, in culmine perfectionis collocat; veſtrum eſt tabeſcentem delicatis iſtorum laudibus caritatem, monogrammam, exanguem, exſuccam, venuſtati ſuæ reddere, ne dum iſti ſubtiliùs de ea diſputant, diſperdant; dum ſolam colere volunt, nullam conſeruent, & in hoc nouitatis calore, *multorum caritas refrigeſcat.*

2.Tim.2.

Luth. l. de Captiuit. Babyl.

*Fr. Halliet propoſitiones duæ aduersùs votorum perfectionem.* in V in p. 660.

Sic igitur aduersùs votorum perfectionem & meritum diſputat Franciſcus Halliet, non dici Religionem *ſtatum perfectionis, quaſi conſilia Euangelica ſint perfectiora præceptis: ſed quòd conſiliorum & præceptorum obſeruatio ſimul nobilior ſit, & perfectior, ſola præceptorum obſeruatione; quippe cum bonum bono additum, reddat totum melius. Conſilia autem non eſſe perfectiora præceptis diuinis, patet,* &c. Duo dicit, opus ex conſilio Chriſti ſuſceptum, non eſſe illo perfectius, quod fit ex eiuſdem præcepto: & qui conſilia cum præceptis exerceat, extenſiuè quidem, at non etiam intenſiuè perfectiorem illo eſſe, qui ſolis præceptis obtemperet. Conſiliorum autem nomine vota includit & intelligit, cum agat de eo ſtatu *quo quis obligat ſe ad vitam æternam tendere per conſilia Euangelica*, vt hac in quæſtione votorum & conſiliorum homonymiam, quam tradit aduerſarius, iure meo poſſim aſſumere.

Ordior

Ordior igitur ab hoc poſteriore pronunciato, quod Religioſi ſtatus perfectionem non ex ipſa conſiliorum, ſiue votorum perfectione ducit, ſed ex eorum ad præcepta additione, illudque aio ab hoſtibus Religioſorum iam olim profectum, expreſsè profitentium in VValdenſi, *non ſimpliciter, quòd non ſit maioris perfectionis intenſiuè, ſcilicet altioris gradus in bonitate morali, ſed bene extenſiuè, quod eſt plures bona, propter additionem plurium bonorum ad mandata Decalogi.* Quibus ego & verbis & ſententia Doctoris illius Catholici Reſpondeo primùm, non poſſe per eam extenſionem fieri extenſiuè perfectiorem, quin eadem opera intenſiorem acquirat perfectionem. *Sicut additio denarij ad denarium, non ſolum facit extenſiuè maiorem cumulum, ſed facit etiam poſſeſſorem intenſiuè magis diuitem.* Et ſicut *additio combuſtibilium cauſat maiorem ignem extenſiuè, ſed maiorem calorem intenſiuè; ergo conformiter additio virtutum, quæ ſunt focalia metaphorica ſecundum ordinem caritatis, facit caritatis ardorem habitualem intenſiuè maiorem.* Reſpondeo deinde hunc eſſe communem Doctorum & Theologorum ſenſum, & loquendi formam, qui *cum comparant Religionem perfectorum ad Religionem vulgi, exprimunt conceptus ſuos per terminos ſonantes eminentiam, vel maioritatem gradualem, & non pluralitatem vel maioritatem numeralem. Beda dicit, Religioſos peculiares in comparatione ad vulgares, eſſe perfectiores, & ad perfectionem nitentes. Hieronymus dicit, eorum profeſſionem eſſe virtutem perfectam, imo faſtigium Apoſtolicum. Et vetus Dionyſius dicit, eos eſſe vniuerſis altiores. Eſſe autem numeroſius, vel mole maius, non ideo eſt altius, vniuerſis perfectius, vel ſummum faſtigium tenens: imo iſta vocabula gradum altum exprimunt, non quantitate molis vel numeri.* Sic ille, à quo plura ſibi ſcripta per ocium leget Halliet, ſi verè credit, nihil intenſiuæ perfectionis homini illi accedere, qui ad diuina præcepta conſiliorum profeſſionem adiungat.

*Per vota perfectio intenſiua, non tantùm extenſiua acquiritur.*

Th. Wald. l. 2. doctr. fid. a. 2. c. 11.

Ibid. c. 14.

Suggerit etiam aliud Suares quod reſpondeam. Opus illud votiuum nonnunquam extenſiua perfectione primariò creſcere, aliàs intenſiua. Nam cum ſua ſit actui cuilibet ex virtute à qua proficiſcitur bonitas atque honeſtas, ea ſi cum voti ſuperaddita bonitate confertur, vel maior eſt, vel æqualis, vel denique inferior. Si quis enim voto ſe ad actum caritatis exercendum adſtringit, præſtantior eſt actûs, quàm voti dignitas, cum omnibus ſuperemineat caritas: ſi orationem ex voto aggreditur, vtri bonitatis palma concedetur, cum vtrunque ad eandem Religionis virtutem ſpectet? Si ieiunium vouet aut eleemoſynam, cum abſtinentia, & miſericordia Religioni priores deferant, illorum certè actuum minor eſt, quàm voti bonitas. Quamobrem ieiunij virtus & honeſtas maius intenſiuè à voto pretium accipit: priores autem virtutes vt à minori vel æquali non poſſunt intenſiuè augeri, ſic extenſiuum primariò, vt dixi, augmentum ex voto & Religionis virtute nanciſcuntur; atque inde ſecundariò meritum actionis intendunt, honeſtatis ad honeſtatem, vt aſſis ad aureum nummum, aut denarij ad denarium quæ VValdenſis noſtri comparatio eſt, additione. Itaque quocunque tandem ſenſu accipias, ſemper verè ſimpliciterque dixeris, opus ex voto factum melius, magiſque eſſe meritorium eo, quod veſtitu deaurato Religionis & voti non adornatur.

*Quomodo acquiratur primariò extenſiua aut intenſiua.*

Suar. tom. 3. de Reli. tr. 6. l. 1. c. 17.

Expende & contrariam peccati deformitatem, vt ex ea virtutis pulchritudo clariùs eluceſcat. Grauiùs profectò peccat, maioremque Dei vindictam

*Intenſio meriti probatur à contrario.*

in ſe concitat qui votiuum ieiunium, illa[illegible] etiam temperan[illegible]a, negligit & frangit, quàm qui nullo conſtrictus voto, ſoli temperantiæ vim fac[illegible] que limites turpi crapula & ebrietate tranſilit? quam certe n[illegible] mo ad meram intemperantiam remittat, ſed in ſacrilega, vt ſic loquar, irrel[illegible] ſitate conſtituat. Ergo ex aduerſo inedia voto promiſſa & ſeruata, plus [illegible] ex voto meriti, diuinam bonitatem arctiùs ſibi conciliat, maiorem in [illegible]lo gloriam adipiſcitur, quàm cum nuda temperantiæ virtus, aut corporeæ [illegible]ctationis aliquam à cibis ſuadet abſtinentiam. Facis enim, vt optime V[illegible]denſis, iuſtitiæ benignitatique diuinæ contumeliam, ſi ſeue[illegible] pu[illegible] in tranſgreſſione voti vindicanda, quàm in obſeruatione remunera[illegible]o-rem. Pluribus eandem veritatem confirmabunt Theologi, cum prin[illegible]pe D. Thoma, & anteſignano Caietano: dum alteram propoſitionem, [illegible] uerſantem excutio.

*Præcepta vniuersè non ſunt perfectiora conſilijs.*

Conſilia præceptis eſſe perfectiora negat aduerſarius. Hoc ſi n[illegible] terminis conſtringitur, ſi proüt iacet, vniuersè intelligitur, aio e[illegible] cum veritate fideque pugnare. Quàm enim multa, quàm nobilia producam, quorum difficultas humanam imbecillitatem tanto vincit opere, [illegible] imperari ab æquiſſimo Rege & Domino non potuerint? Caſtitatem ſuadet Chriſtus &

Matt. c. 19. exclamat, *Non omnes capiunt verbum iſtud: qui habet aures audiendi audiat.* I[illegible]ueni ſibi ob ſeruata præcepta iam grato, maius aliquid cónſulit Chriſtus, *Vnum*

Marc. 10. *tibi deeſt, ſi vis perfectus eſſe, vade, vende.* Illam perfectionis ſtat[illegible]nem, ad q[illegible]am Imperator ſuadendo vocabat, nondum bonus ille & ſanctus [illegible]iues a[illegible]erat.

1. Cor. 7. Coniugium non improbat Apoſtolus, virginitatem conſulit. *De virginibus præceptum Domini non habeo, conſilium autem do. Qui matrimonio iungit virginem ſuam benè facit, & qui non iungit, meliùs facit.* Eſt igitur aperta & maior[illegible] conſilio bonitas, quam in præcepto Paulus non reperit. Neque reſponderi poteſt virginitatis conſilium ſuperaddi præcepto continentiæ coniugalis; vt omnino ſolitariè ſpectari debeat & amari. Damnauit omnes Eccleſia qui virginitati & cælibatui coniugium exæquarunt, Eunomium, Vigilantium, Iouinianum, Heluidium: eſt autem virginitas & cælibatus conſilium, caſtitas in coniugio præceptum: ſunt ergo ſimul damnati qui vniuersè, & crudè conſilia dicunt non eſſe perfectiora præceptis.

*Voti præſtantia ex omnibus eius cauſis oſtenditur. Cauſa materialis.*

Duci animum tuum ſine, Lector, per omnes votorum cauſas, & ſi quid vſpiam maioris latet perfectionis quàm liber inueſtiga. Materia præcepti bonum eſt, conſilij melius bonum: non illud tantùm quod oppoſito melius eſt, vt paupertas diuitijs, vt caſtitas lecto geniali; ſed illud vniuersè quod communem vitæ Chriſtianæ mediocritatem excedit, hoc omne conſilij res

Theſſ. c. 4. eſt. *De cætero fratres*, inquit Apoſtolus, *quæcunque ſunt vera, quæcunque pudica, quæcunque iuſta, quæcunque ſancta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ, ſi qua virtus, ſi qua laus diſciplinæ, hæc cogitate.* Quæ communem Chriſtianæ Religionis virtutem faciunt, ea omnibus in commune impero: vlteriùs procedent ſublimiores animæ, de quibus *præceptum Domini non habeo, conſilium autem do, tanquam miſericordiam conſecutus à Domino vt ſim fidelis*, & illam nobil[illegible]is ſanctitatis prærogatiuam, quam Dei miſericordia ſum conſecutus, pu[illegible]è profitear, omnibuſque ſyncerè fideliterque ſuadeam. Iuſtitia nimirum exigit, vt qui præceptum imponit Deus, ei complendo neceſſariam elargia[illegible]

gra[illegible]

gratiam : conſilium *miſericordiæ* opus eſt, *non volentis , neque currentis* hominis
viribus cum vulgari gratia, *ſed miſerentis Dei* propoſitò & bonæ voluntati, ob
ſui grauitatem & perfectionem aſſignandum. Forma autem voti quæ tan-
dem eſt? Certè Religio, virtutum moralium ſuprema, & Caritas, Theologi- *Cauſa for-*
catum diuiniſſima, omnium vniuersè virtutum fons, anima, regina, epito- *malis.*
me: quæ quàm gloriosè in ijs emineat, qui Religioſa vocante Deo ſequuntur
inſtituta ſæpe iam diximus. Ideam autem & exemplar Apoſtolos ipſos, & *Idea & ex-*
Apoſtolorum Dominum habent conſilia, cum vitam Religioſorum perfe- *emplar.*
ctorum, nuper in VValdenſi vocaret S. Hieronymus *faſtigium Apoſtolicum*, &
perfectis inclamet Apoſtolus, *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti.* Cum Chri- 1.Cor.11.
ſtus ipſe perfectionem exemplo ſuadeat, *Si vis perfectus eſſe, vende quæ habes,*
*veni, ſequere me* : illè qui *non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemet-* Phil.c.2.
*ipſum exinaniuit formam ſerui accipiens.* Vt eius æmulatores qui licitè conceſſis
in terra diuitijs delicijſque vti poterânt, exinanirent ipſi ſe nulla neceſſitate
adacti, & *eligerent abiecti eſſe in domo Dei magis , quàm habitare in tabernaculis pec-* Pſal.83.
*catorum.* Non præcepta, ſed conſilia proponens Chriſtus, addit *vt ſitis filij pa-* Matt.c.5.
*tris veſtri* : concluditque, *Eſtote perfecti, ſicut & pater veſter cæleſtis perfectus eſt.*
Non fortaſſe pro omnibus, ſed maximè pro Apoſtolis, ſelectiſſima ſuorum
parte Patrem rogat ; *Sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipſi in nobis vnum* Ioan. c.17.
*ſint*, qui ſummus eſt Hierarchiæ finis, ope conſiliorum maximè comparan-
dus.

Cauſam conficientem in voluntate colloco maioris boni appetente, ad *Cauſa effi-*
benignum diuini ſpiritus fauonium totos animæ ſinus pandente, ad Seraphi- *ciens.*
cam caritatem omnibus viribus anhelante ; cui velut illi propheticæ mulieri;
*data ſunt alæ duæ, aquilæ magnæ*, contemplationis & actionis, *vt volaret in deſer-* Apoc.c.12.
*tum in locum ſuum* procul à curarum ſecularium ſtrepitu, *vbi alitur per tempus*
*& tempora* cœleſtibus delicijs quæ pleno capit pectore, donec ad æternam la-
borum remunerationem deueniatur. *Scio*, autem, *cui credidi : & certus ſum,* 2.Tim.1.
*quia potens eſt depoſitum meum ſeruare in illum diem iuſtus Iudex.* Finalis denique *Cauſa fina-*
cauſa, quæ alia poteſt eſſe, quàm eximia Dei gloria, quàm perpetua in bono *lis.*
incommutabilitas? Vt quoniam caduca de ſe leuiſque eſt hominum natura,
in præcipiti poſita, ventis vndique nimiùm ſecundis, & tempeſtatibus im-
pulſa, votorum vinculis ad æternitatis columnam religata, fluctus rideat
& ventos, fluctuare potens, & mergi, at auelli, at perire neſcia. Quæ rerum
facies, ſi Conſiliorum Euangelicorum maieſtatem, vtilitatemque aduerſa-
riorum animo non obijcit, quid expectant venuſtius quo delectentur, quid
potentius quo impellantur, quid nobilius quo excitentur?

## SOLVVNTVR ADVERSARIORVM obiectiones.

### §. Vnicus.

1. obiectio Fr. Hallier.

ATENIM præcepta, inquit Hallier, ſunt de re per ſe expetibili & neceſſaria, vt de honorando Deo & parentibus, de virtutibus & vitijs: conſilia aurem non ſnnt de rebus per ſe expetibilibus, vt ieiunia, paupertas, caſtigationes corporis: neque de rebus pet ſe neceſſarijs, ſed ſecundùm quid, vt ſunt inſtrumenta perfectionis, in quantùm impediunr à vitijs: neque virtutes ſunr, ſed inſtrumenta virtutum, vt in ipſa virginitate patet, quæ virtus non eſt, ſiquidem ſine peccato amitti poteſt. Conſilia ergo non poſſunt cenſeri perfectiora præceptis.

Reſponſio.

Plura huc congeruntur accuratè perpendenda; quod priuſquam exequar, meminiſſe Doctorem cupio, ſtatum acquirendæ per conſilia felicitatis æternæ, non eſſe ita diuerſum à ſtatu eiuſdem per præcepta obrinendæ, vt vnus ab altero diſtrahi poſſit, & diuelli. Continet enim neceſſariò ſtatus conſiliorum, præceptorum ſtatum, vt ipſe non omitrit admonere, atque iſti inſuper illum ſuperaddit, ſaltem hac extenſione, & quod inde conſequitur, intenſione perfectior. Cur igitur hac in diſputatione ſic opponit præcepta conſilijs, vt vtraque nuda, ſeiuncta, abſque aliorum conſortio ſpectet, qualia in Religioſo quem imperit ſtatu, nunquá teperiri profitetur? Quamóbrem ſi totus in præceptorum laudes effundatur, cauſam noſtram agit, cum & illa perfectiſſima, noſtra ſint; & illis nonnulla, perfecta quidem, ſed eius opinione minora coniungamus. Habet ſtatus Religioſus præcepta, *res per ſe expetibiles & neceſſarias*; habet conſilia, *res expetibiles per accidens quà impediunt à vitijs*: continet ambitu ſuo præcepta de *virtutibus*, & conſilia *de inſtrumentis virtutum*: ad perfectionem Chriſtianam *neceſſariò* per præcepta, *non neceſſariò* per conſilia aſpirat, certus *hæc facere, & illa non omittere*. Non eſt igitur præceptorum obligatio & perfectio, à conſiliorum menrione ſeparanda.

Conſilia ſunt de rebus per ſe expetendis. Wald. loco cit. c. 28. Suar. loco cit. c. 18

Iam verò quòd conſilia de rebus per ſe expetibilibus eſſe negat, ab Armacano veteri Religioſorum & votorum hoſte ſumpſit, cum is votum & iuramentum ea in conditione diceret eſſe æqualia, quòd neutrum per ſe, ſed tantùm grauioris neceſſitatis cauſa permiſſum foret. Huic verò directè repugnantem propoſitionem oppono, quam Suarez de fide certam eſſe arbitratur, votum ita eſſe de ſe honeſtum, & appetibile, & ad vitæ perfectionem expediens, vt ſimpliciter cadat ſub conſilium. Quid autem Deus, quid Eccleſia conſulere poteſt non honeſtum per ſe, & expetendum, cum plurima tantùm conſulere, non autem præcipere audeat, quia vulgarem honeſtatem multis partibus ſuperant? Nonne ſtatus Clericalis & Sacerdotalis in conſilio eſt? tu-ne illum de ſe minùs honeſtum, per accidens expetendum cenſeas? Plurima fiunt ex conſilijs præcepta, vt confeſſarij, aut ſuperioris alterius imperio; ea cum conſilia tantùm forent, ſi per ſe non erant expetenda, quomodo natura mutata, per ſe bona & expetibilia externa vocè facta ſunt?

2. obiectio Fr. Hallier.

Sunt, inquit, inſtrumenta virtutum. Quidni & virtutes? Ieiunium quod adfert, non eſt actus abſtinentiæ? Non poſſunt de virtutibus, & earum actibus vota nuncupari? Quid igitur vouet Hierarcha? Perfectiſſimos actus reginæ vir-

næ virtutum. Quid Sacerdos & Diaconus? Caſtitatem, cui virtutis nomen detrahi non patiuntur ſummi eius amatores Angeli. Denique non tendunt illa omnia, & referuntur ad virtutem, vt D. Thomas reſpondet? Cur illis ſola bonitas relatiua, & non etiam abſoluta tribuitur, quemadmodum ſanitas & per ſe, & propter aliud expetitur? Equidem mille aureos mercatori ad opes acquirendas medium & inſtrumentum ſic eſſe puto, vt eius etiam opum in numerũ veniant. Nonne ieiunauit Chriſtus perfectionis idea? Hæc-ne omnia ſic aſſumuntur ad perfectionis acquiſitioné, vt eius partes non ſint, quod ante notauimus? Audi S. Hieronymum alia omnia docentem. *Apoſtoli & Seniores à Ieroſolymis literas mittunt, & quaſi paruulis atque infantibus lac potum dant, non ſolidum cibum, nec præcipiunt de continentia, nec de virginitate ſignificant, nec ad ieiunia prouocant: neque illud dicunt, quod ad Apoſtolos in Euangelio dicitur: Neque habeant duas tunicas, nec æs in Zonis; aut certè illud: Si vis perfectus eſſe, vende omnia tua, &c.* Vides in iſtis aliqua ex parte perfectionem conſiſtere? Agnoſcis præcepta tanquam lac infantibus propinari, virginitatem autem, ieiunia, paupertatem, illa ipſa quæ præceptis imperfectiora nominas, ſolidum eſſe cibum robuſtioribus conuenientem? Quid? Paupertatem negas per ſe expetibilem eſſe & neceſſariam, quæ S. Ambroſio dicitur *ordine prima, & parens quædam generatioque virtutum?* Virginitatem negas virtutem eſſe *cum ſine peccato amitti poſſit.* Quæ ex oppoſito à S. Thomæ ſcribitur eſſe virtus ſpecialis, & *ſecundùm quòd virtus, non poſſe amitti niſi per peccatum?*

D Th. 2. 2. q. 88. a. 2. ad 3.

*Conſilia ſunt partes perfectionis.*

Hiero. l. 1. contr. Iou. c. 23.

Ambro. in c. 6 Luc.

*Hallier contradictoriè oppoſitus.*

S Th. 2. 2. q. 152. a. 3. ad 4.

Præcepta, inquit, ſunt ad perfectionem neceſſaria, non conſilia; ergo hæc illis perfectiora non ſunt. Gaudeo quòd perfectionem cum neceſſitate iungere Doctor hic audeat, cum cæteri votorum imperfectionem ex neceſſitate deducant. Gratulor quòd extra neceſſitatem conſilia conſtituat, cum Claudius Seguenotus nullum in indiuiduo agnoſcat conſilium, quod inſpiratione diuina non ſtatim fiat præceptum & neceſſarium. Eſt tamen quod in antecedente non probem ex aſſe: cum licet non ſimpliciter, certè ſecundùm quid, & ad meliùs eſſe, vt loquuntur Philoſophi, neceſſaria ſint ad comparandam perfectionem vota, vt *virtutum inſtrumenta*, obiceſque vitiorum. Conſecutionis autem imbecillitas, in eo manifeſtè ſita eſt, quòd perfectionem actionum Chriſtianarum neceſſitate metitur: licet de meliori bono votum & conſilium eſſe dicatur à Theologis. Niſi forte ieiunium Eccleſiæ præcepto imperatum, contemplatione diuinorum perfectius eſt: niſi rei furtiuæ reſtitutio ad ſalutem penitus neceſſaria, liberalem eleemoſynæ erogationem perfectione ſuperat. Nunquam aſſequeris perfectionem, imo neque gratiam, ſi proximo malè velis: ſed perfectiùs ages ſi condonas inimico, ſi benè illi facis, ſi vitam tuam pro eius incolumitate profundis.

*Neceſſitas non facit præcepta perfectiora.*

Non erat igitur cauſæ quicquam, cur ob leuiculas haſce rationes Franciſcus Hallier à communi Catholicorum ſenſu deliraret. Cuius fortaſſe facti cum tangeretur verecundia, publica quodammodo palinodia errorem ſuum contexit, & vt in Richerio, & Ioanne de Poliaco diximus, ſeipſo melior ad veritatis partes regreſſus eſt. Quas enim ante ſolus propoſitiones tuebatur, altero ab hinc anno in nobiliſſimo Facultatis Pariſienſis conſeſſu, Claudij Seguenoti iudex, tanquam *Saül inter Prophetas* reſidens, & ipſe damnauit, *Eos qui vtuntur coniugio, tanquam non vtantur, habere meritum Virginum, & cælibem*

*Franc. Hallier publica retractatio.*

*Seguenoti contra vota propoſitiones damnatæ.*

*vitam agentium*: *Vota nihil addere perfectionis*, hoc eſt, *conſilia Euangelica non eſſe perfectiora præceptis*: eaſque propoſitiones tanquam *falſas, ſcandaloſas, temerarias, & erroneas* cum ſocijs pronunciauit: vt poſt hanc cenſuram nihil mihi ſuperſit hac in parte, quod cum illo controuerſer.

*3. Propoſitio aduerſus votorum meritum exponitur.* Vrgent nihilominus Seguenoti gregales & aſſeclæ, & cauſæ iugulum petunt, magis populariter quàm ſolidè: dum vota indifferentia, & ſuperflua eſſe putant ad promerendam gratiam, augendam perfectionem & meritum, quæ tertia propoſitio eſt contra votorum vtilitatem, à nobis hoc loco refellenda. Sic enim diſſerunt. Perfectionis natura, & forma, & tota vis, eſt vna & ſola caritas: abſque hoc ſole tenebreſcunt omnia: extra hanc animam rigent, & moriuntur cætera: quicquid addideris appendix inutilis eſt, amea meriti & perfectionis menſura caritati, non eius comitibus applicatur. Duos ſume qui ieiunent, alterum ex voto, alterum liberrima voluntate, cum hoc ex Dei amore faciant, cæteris paribus ſi eſt æqualis in eis dilectio, merentur æqualiter; ſi plus amat liber, alterum cum voto ſuo, perfectione ſuperat: ſi minùs, vincit ligatus, non quia vouit, ſed quia plus amat. Superfluum eſt igitur vouere, vbi abſque voto & perfectio & meritum poteſt non difficilè adaugeri.

*Notanda hypotheſis.*

*Reſponſio.* Specioſa & vera facies argumenti, in ſcorpium deſinit, cauda vulnerat, quam tamen alteri capiti reſecandam reſeruo, dum eius doctrinæ recentem magiſtrum per otium conueniam: iſtis interim ſimpliciùs verbo vno ſatisfacere contentus, fateor in ſola caritate perfectionem eſſe poſitam, id ſi de ſubſtantia, & principali mouente atque animante cauſa intelligitur; non autem ſi virtutes cæteræ excluduntur, quibus neceſſariò inniti debet, quæque ipſam perfectioni, vt ſic loquar, perfectionem conciliant. Itaque contumelioſè virtutes caritatis comites, *inutilem appendicem* vocat argumentum: verendumque eſt ne dum à nonnullis ſola omnium caritas laudatur, prima omnium caritas lædatur, & pereat.

*In quo differant facere ex voto, & cum voto.* Venio ad hypotheſin duorum ieiunantium, in qua hoc primùm poſtulo ab aduerſarijs, velint-ne eum qui voto ſit obligatus, ieiunium illud peragere cum voto ſimpliciter, an ex voto? Sunt enim hæc ita diuerſa, vt prius ad eum pertineat, qui in voti obſeruatione materiali vt vocant, nulla voti ipſius memoria pulſetur: vt ſi quis annum totum feriâ ſexta ieiunare vouerit, illudque quadrageſimæ tempore faciat, quia ſic præcipitur ab Eccleſia, obliterata penitus, quod fieri poteſt, voti recordatione. Poſterius autem eius hominis ſit, qui ieiunium auſpicetur formali voluntate ſeruandi votum quæ actualis, aut certè habitualis eſt. De priore non diſputo: is enim tepore & negligentia ſua, tanquam muſca moriens perdit ſuauitatem vnguenti, & reconditum in ſudario talentum, non ſine damno ſuo patitur otiari. Alter igitur excitata voti memoria procedat alacer ad ieiunium, vt caritatem in Deum, & religionem ſuam illo ſacto teſtetur, vt & voto ſuo, & voti cauſæ ſatisfaciat. Hunc comparat argumentum cum eo qui liberè ieiunet, & vtriuſque perfectionem & meritum cæteris paribus ex caritatis ardore, non voti conſideratione ducendum eſſe diſputat.

*Suar. tom. 2. de Relig. tr. 6. l. 1. c. 17. n. 9.*

*Vbi caritas intenſior ibi maius meritum.* Equidem in homine libero tam intenſum caritatis actum, in obligato tam remiſſum eſſe poſſe arbitror, vt hic cum voto ſuo, & voti intentione

actuali

actuali multis partibus ab alio ſuperetur. Sed hæc virtutis miracula quæ ſui caritate omnium animos in ſe conuertunt, non requirimus; communi gradimur via, quam & argumentum aperit, dum cætera paria eſſe ponit in ſingulis. De quibus dico, *cæteris paribus* votiuum ieiunium libero perfectius eſſe magiſque meritorium, vixque inter homines illos ambos paria reperiri omnia, eamque diſparitatem ab ipſo voto proficiſci. Nam imprimis obligatus ille votum concipiendo præſtantem exercuit caritatis actum, quo habitualem amplificauit caritatem & meritum: eo autem liber priuatus eſt. Deinde liber duabus tantùm virtutibus caritati & abſtinentiæ dat operam: obligatus tertiam addit Religionis ob votum; quantum ſingulis ſua merces apud iuſtum iudicem reſpondebit. Si diſputas extenſiuam hanc tantùm videri perfectionem, in vtroque huiuſmodi extenſionem deprehendam: cumque illa ſine intenſione eſſe non poſſit, vt ſupra vidimus; vtriuſque caritatem intendi fatebor, ſed eius nobiliùs, cuius diffuſior per tres virtutum actus erit extenſio. Præterea intenſiua perfectione creſcit vtriuſque ieiunium, quia à ſuperiori virtute imperatur: ſed liber, ſolius caritatis, obligatus, etiam Religionis dignitatem actui illi largitur, quo ſine dubio perfectior eſſe cenſetur. Adde quod *reſpicit Deus ad Abel, & ad munera eius*: hoc eſt, quò maiorem aliquis à Deo caritatem habitualem & gratiam accepit, eò ſunt eius opera gratiora & acceptiora, pluſque *cæteris paribus* alio minùs grato promeretur: cum igitur obligati noſtri caritatem intenſiorem eſſe monſtrauerimus, nonne eadem ratione eius opus acceptius Deo eſſe, maiorique donari præmio probaſſe cenſemur? Quod in Religioſorum vita longè manifeſtiùs elucet, qui cum ex ſuo ſtatu in perpetuo diuerſarum virtutum exercitio verſentur, & modò votis, modò regularibus obſeruantijs, non rarò caritati in proximum impendantur, & operis vnius boni finis, ſit gradus ſequentis, cum Apoſtolicis inſignibus continuò ſemetipſos *exhibeant ſicut Dei miniſtros, in multa patientia, in tribulationibus, in neceſſitatibus, in anguſtijs, in laboribus, in vigilijs, in ieiunijs, in caſtitate, in ſcientia, in longanimitate, in ſuauitate, in Spiritu Sancto, in caritate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei*: inter hæc ſi caritas habitualis augeri poteſt per actus remiſſiores, ipſi frequentiùs ardeant; ſi per ipſam actus continuationem intenditur caritas, in omnibus ſint aſſidui; ſi quò præſtantiora virtutum aliarum opera imperat, eò magis creſcit caritas, ipſi verſentur in arduis & planè Apoſtolicis, quantùm humana fert imbecillitas *in caritate radicati & fundati*; iſtorum tu hominum ieiunium votiuum, vnum de mille, cum libero ieiunio Laïci vnius coniugio irretiti, negotijs impliciti, ſolicitudinibus vexati, ambitione concupiſcentiaque diuiſi conferes, & paria inter vtrunque omnia feciſſe ſperabis, cum ſcribes, *cæteris paribus* qui plus amat plus meretur? Itaque non conficit argumentum vota ſuperfluè ad caritatem adijci, nec in vna caritate, contemptis virtutibus cæteris, omnem perfectionem eſſe quærendam. Sed de hac controuerſia modò ſubtiliùs diſputandum eſt.

*In hypotheſi argumenti malè ſupponitur omnia eſſe paria.*

*Quantùm ſuperet opus ex voto, aliud opus liberè factum.*

*Quantùm opus Religioſi excedat opus viri ſecularis.*

2. Cor. 6.

## DE EADEM VOTORVM PERFECTIONE *contra Claudium Seguenotum fuſius diſputatur: expoſita primùm eius opinionis damnatione.*

## CAPVT VII.

*Seguenotus votorum & conſiliorum aduerſarius. in l. S. Augu. de S. Virg.*

VELITARI nos priùs oportebat cum minùs peruicacibus, plerumque metuendis aduerſarijs, quàm ad ſtatariam pugnam deueniremus, cum eo qui ſe votorum omnium, maximè Religioſorum, hoſtem publicum recenti lucubratione declarauit Claudio Seguenoto. Is enim vix alio conſilio Commentarium in S. Auguſtini librum de S. Virginitate aggreſſus eſſe dici poteſt, quàm vt vota, & Religioſam profeſſionem quantis poſſet rationibus eleuaret. In quibus cum multæ ſint leuioris armaturæ, totum oppugnationis ſuæ robur ſæpe colligit in decantata illa neceſſitate, quæ ferreo vinculo ad operis votiui obſeruationem religat & adſtringit, aurea libertate ſublata, quæ virtutibus omnibus & actionibus pretium facit. Imo etiam diuinæ prouidentiæ pene nos ſurripit, minuſque promptos ad excipiendum Spiritûs Sancti flatus, & quocunque libuerit, flectendum efficit. Spirat enim vbi vult, & quando vult, idque hodie à nobis exigit, quod aliàs poſtulaturus non eſt. Ad hoc voto ſe obligant tantùm imperfecti, qui ſuæ conſcij leuitatis, requirunt *inſtabilitati humanæ prouiſa remedia:* quæ vera eſt profeſſionum Religioſarum cauſa & origo. Sed iuſto neque lex poſita eſt ad bene operandum, neque neceſſarium votum ad perſeuerandum. Quapropter licet S. Auguſtinus, & alij communiter Patres, votum virginitatis à B. Virgine conceptum fuiſſe ſcripſerint, eo tamen ipſa ad propoſiti ſui confirmationem ac robur non indigebat.

*Eius ſententia proponitur. p. 18. 19.*

*Non eſt nouum iſtud dogma.*

Hæc & eiuſmodi pleraque vendibilibus rationibus, vernacula polita lingua, repudiatis Theologorum Scholaſticorum ſubtilitatibus populo ingeruntur, ad Religioſæ perfectionis ſtudium ex hominum animis euellendum. Quæ antequam accuratè ſoluantur, monere operæ pretium eſt, vetus iſtud malum eſſe, rationes veternoſas, proſcriptas ab Eccleſia opiniones à nouis ſcriptoribus ab inferis excitatas. Quibus iam olim oppoſuit ſe murum pro domo Iſraël D. Thomas, ſuum tractatum ſic auſpicatus. *Humanæ perfectionis Diabolus inuidens, diuerſos vaniloquos, & ſeductionis magiſtros ſuſcitauit*, puta Vigilantium, contra paupertatem, Iouinianum contra virginitatem. *Tantùm autem antiquis inſidijs non contentus Diabolus, temporibus noſtris quoſdam dicitur incitaſſe, votum obedientiæ, & alia vota communiter impugnantes, dicendo laudabilius eſſe bona opera virtutum facere ſine voto vel obedientia, quàm ſi ad hæc facienda homo per votum vel obedientiam conſtringatur.* Quos poſteaquam plurimis argumentis è ſcriptura Theologiaque petitis confutauit Doctor ab Eccleſia probatus, concludit in hæc verba. *Patet igitur huiuſmodi poſitionem repugnare ei quod communiter Eccleſia tenet, & ſentit: vnde & tanquam hæretica reprobanda eſt.*

*Illud iam impugnauit D. Thomas. Opuſc. 18. c. 2.*

*Ea opinio hæretica eſt. Damnata à Facultate Theologica Pariſienſi. 1. Iunij. an. 1638.*

Quod ſecuta conſilium Illuſtris Facultas Pariſienſis D. Thomæ olim mater & alumna, modò affectatrix fideliſſima, Seguenoti aduersùs vota doctrinam maturo conſilio, prudenti moderatione damnauit his verbis. *Hæc do-*

*ctrina*

*ctrina quam adſtruit in praiudicium votorum Monaſticorum, & depreſſionem ſtatus Regularium, praſertim quà aſſerit vota nihil addere perfectionis: eſſe tantùm imperfectorum: ſape eſſe impedimenta albò vocatis Dei: abuſiuè vocari conſecrationes: obedientiam non eſſe opus conſilij, & paupertatem voluntariam ex voto, excludi à paupertate Euangelica; non tantùm eſt destructiua ſancti Regularium ſtatus, & auerſiua à propoſito laudabilis vita Cænobitica, verùm etiam falſa, ſcandaloſa, temeraria, & erronea.* Et quoniam non ſolùm hoc in propoſito, ſed & in varia materia, omnem Cenſorum quamlibet accuratorum diligentiam, libri peruerſitas fatigauit, hac epitome terminandam Cenſuram putauerunt. *Prater hac ſic annotata, alia quamplurima ſunt ſparſim in toto contextu libri reprobanda: qua omnia ſacra Theologia Facultas Pariſienſis damnauit, & librum tot nauis & erroribus reſperſum, cenſoria hac animaduerſione notauit, dignumque cenſuit, cuius lectione omnes Catholici interdicantur.* Atque præclara illa nobiliſſimæ ſcholæ conſenſio, aditum nouitio huic interpreti, ad illud perfugium intercludit, quo D. Thomá negat ob ſtudium partium, quibus ex vitæ conditione adſtrictus erat, non liberè locutum: idemque de Religioſis omnibus debet intelligi, ſiue Patribus vt Anſelmo, Bernardo, ipſo Auguſtino; ſiue Theologis, quibus Ordinum ſuorum decori gloriæque ſtudere permittit. Tantùm enim ab amore vel odio hac in Cenſura abeſſe ſe voluit ſapiens Facultas, vt quoniam de ſtatu Regulari, votiſque Euangelicis agebatur, neminem vnum è Religioſis Doctoribus quæſitorem elegerit, qui lecto, & examinato libro ad ſacrum Senatum de eius condemnatione referret, ſed ei examini Doctores omnes votis Religioſis ſolutos præficeret. Eam verò Cenſuram ita dicitur excepiſſe Seguenotus, vt reſponderet ſe cogitata ſua non affirmatè, ſed exponendo tantùm chartæ commiſiſſe: quæ ſi Catholicis doctoribus non placitura, aut pijs nocitura forent, ſe ea quoque cum illis damnata velle. Quá modeſtia & ipſe ſe Catholicis reſtituit partibus, & quaſi deſertam doctrinæ ſuæ cauſam, obiecit omnibus expugnandam. Quod præſtare tum hoc opere frequenter prout ſe dedit occaſio, tum hoc maxime loco cogimur, vbi votorum perfectionem defendimus, quæ ipſe ad imperfectos relegat; vt quoniam publicis monumentis oblatum ebibitur venenum, nota paucis auctoris retractatione, aliquod cum iis qui idem aliquando facturi ſunt, paremus antidotum; monente D. Thoma *intereſſe manifeſtè oſtendere & hoc falſum eſſe quod dicunt, & eorum friuolas rationes elidere.* Quamobrem hoc loco, vbi phaleras illas populo probant eius ſectarij, ſi à populari ratione initium duxero, & D. primùm Auguſtini, quem interpretando confutare gaudet, & S. Thomæ, vniuerſæque Pariſienſis Theologiæ, ipſiuſque Seguenoti auctoritate, Seguenoticam doctrinam (licet apud eum ſolum aut primum non legatur) ſalua fide, & Eccleſiæ vnione defendi poſſe negauero, quis æquus rerum arbiter, etiam non Theologus, repugnabit? Quis earum rationum pondus leue eſſe putabit, quæ illud ingenij lumen S. Thomam, illam Theologiæ medullam, Facultatem dico Pariſienſem ad eius opinionis veram & Catholicam damnationem impulerunt? Illas autem iure meas eſſe aio, vt tum etiam maximè pugnem rationibus, cum ſolam auctorum aciem videor promouere.

*Seguenotus S. Thomam iugillat.* p. 180.

Pag. 178.

*Seguenoti benigna interpretatio.*

D. Thom. Opuſc. 18.

*Refellitur auctoritate.*

Eſt præterea in hoc argumento populari, vlteriùs aliquid quo progrediamur ab aduerſarijs ipſis donatum, cum antiquis nouiſque ſcriptoribus ſtudium partium exprobrant, ſeque arbitrantur omnes eorum, quantumuis

*Qui contrariam opinionem tuentur doctrina & ſanctitate ſunt ornati.*

acres & validos impetus refutaſſe, cum leui lateris declinatione, & ſubſannante contemptu reſpondent, teſtes quos producimus, Monachos extitiſſe. Demus enim liberaliter de Religioſorum ſtatu votiſque, ſolos Patres & Theologos Regulares ea ſcribere, quæ nos defendimus, iſti conantur euertere; hoc certè habemus, ſtare nos in partibus Catholicorum Doctorum, ſub plurimorum ſignis quos diuinis honoribus Eccleſia veneratur: in contrarijs autem caſtris Sanctorum albo adſcriptum Catholicum neminem, hæreticos omnes numerari. Tantam verò apud ipſos aduerſarios, eſſe noſtrorum auctoritatem, vt ſi quod verbum aduersùs priuatos nonnunquam Religioſos, iratis, vel amplificandi æſtu abreptis excidit, illud tanquam demiſſum cœlo rorem, toto ſinu excipiant, & opportunè importunè nobis obtrudant, teſtium grauitate ſanctitateque abuſuri, quos nobis ereptos cupiunt. In quo certè ſtuporem ipſe meum celare non poſſum, qui videam ab ipſo Seguenoto electum D. Auguſtinum quem interpretando confutet, cui ſe aduerſa fronte opponat, cuius argumentis leporem quendam, & iucundam venuſtatem adſtruat, vim & robur eripiat: neque actionem ingrati vereatur, aut fidem ſibi ſupra, & contra S. Auguſtinum confidenter arroget, in ijs quæ ſenſui ſuo repugnare non diſſimulat. Nam alia quàm auidè ab eo accipit, quàm validè ei ſe, vbi placet adſtringit, quàm magnificè ſuis in ſenſibus oſtentat Auguſtinum?

*Reprehenditur Seguenotus in interpretatione D. Auguſtini.*

*P. 67. & 117.*

Inde conſequitur rem ipſam pro qua certamus, veræ Religioni, Euangelicæ perfectioni, Eccleſiæ Catholicæ vſui, ſanctorum Patrum & Conciliorum ſententiæ, Theologorum omnium iudicijs, eſſe conſentaneam, imo coniunctam. Contrarias autem opiniones, hæreticis bonorum operum, conſiliorum Euangelicorum, afflictationum corporearum oſoribus ſemper placuiſſe. Vt hoc vno nomine ab omnibus Catholicis noſtro iure flagitare poſſimus, toto vt animo noſtras in partes propendeant, quia hæreticis eæ ſunt oppoſitæ: totis viribus aduerſariorum partes fugiant, quia in ijs triumphant & hæretici. Denique manifeſtum eſt, arma nos hac in pugna de Eccleſiæ armamentario accipere: aduerſarios habere aliqua cum hæreticis communia: inter Catholicos autem illa ſe auctoritate, tanquam Teucrum Aiacis clypeo tegere homines è Synagoga libertinorum, qui ſe ingenio forticulos videri velint, vt idem & hi & illi conficiant, contemptum videlicet, & ludibrium Monachatus. Quod licet diſſimuletur conſilium, nulla tamen tergiuerſatione poteſt obſcurari, quod teſte ſole in Anglia geſtum eſt, cum eorum librorum vnus in gentis idioma conuerſus, palam in concione omni populo hæretico lectus eſt, tacitè gementibus pijs, periculoſiora ſibi vulnera à Gallis Catholicorum primoribus, quàm ab indigenis Miniſtris infligi. Hoc igitur eſto populare argumentum ab auctoritate Sanctorum & Theologorum, quod omnibus vniuersè Religioſorum Ordinum, votorumque obtrectatoribus Catholicis propoſitum velim.

*Aduerſarij fauent hæreticis.*

Aliud adijcio non minùs populo probandum, quicquid aduersùs Religioſorum vota profertur ab aduerſarijs, omnibus vniuersè votis opponi, & nobiliſſimum Chriſtianæ perfectionis culmen in qualibet conditione ſtatuque, prætextu deprimendi Religioſi, deijci & penitus obteri. Nam quemadmodum in cauſa priuilegiorum tuenda, Religioſis qui ſoli verbo prouocabantur, omnes alios adiunximus priuilegijs ornatos, Epiſcopos, Principes, aulicos,

*In cauſa Religioſorum votorum læduntur omnes Chriſtiani.*

Eccleſias, regna, prouincias, Senatus, Academias, quoniam pri[illegible]iotum omnium prærogatiua, in Monaſticorum [illegible]iectione periclitatur. Sic votorum oppugnatio Religioſorum, publica votorum omnium pernicies eſt & ruina; cum nullus aries aduerſus illa fabricetur, qui omnia communiter labefactare & ſubruere non poſſit ac debeat. Sacra igitur Hierarcharum capita voto caritatis perfectiſſimæ coronata; ſanctiſſimum Sacerdotalem ſtatum voto caſtitatis ornatum, quo paſcitur inter lilia [illegible]aicorum ardente[illegible] p[illegible]tatem, qui tum maximè ſe Deo placituros ſperant, cum aliquid ex voto peregerint; voti[illegible]a templis omnibus inſignibus anathemata, omnibus ſeculis, ab omnibus cuiuſcunque conditionis & ſexus Chriſtianis appenſa, publicas priuataſque in rebus dubijs atque aduerſis votorum nuncupationes euerti oportet, & profligari ab eo, qui Religioſis votis meritum, perfectionem, ſanctitatemque detrahit. In quo & illud miſeratione dignum deprehendo, quòd non potuit aut Armacanus olim, aut modò Claudius Seguenotus votorum minuere dignitatem, quin ipſi ſibi violentas inferrent manus, & Hierarchicum ille ſtatum, hic Sacerdotalem qui votis ſolennibus, vt & charactere ſtabiliuntur, ſub Religioſorum votorum nomine vulnerarent. Itaque cum hæc vna ſit omnium cauſa fidelium, & publicæ pietatis patrocinium in hac Religioſorum lite ſu[illegible]iam, iudicia auctoritatemque Chriſtianorum omnium in meis partibus colloco, & votorum aduerſarijs Hierarchas omnes, Sacerdotes Clericoſque votis adſtrictos, Laïcos votorum admiratores, aduerſarios ipſos vota ſolennia profeſſos fidenter oppono: nemini vt dubium eſſe poſſit ibi ſtare veritatem, vbi apertus Catholicorum omnium conſenſus eſt. *Suo ſtatus nocent aduerſarij.*

## *DE INTERIORI PERFECTIONE QUAM A votis remouet Seguenotus.*

§. I.

AVCTORITATI rationem addo, & Theologiam ſtrictiùs premo. De votorum perfectione agimus, & eam votis eripi non animaduertimus à Seguenoto. Duplex, inquit, eſt perfectio; alia interior, eſſentialis, vera & proprio nomine perfectio: alia exterior, accidentalis, non tam perfectio quàm medium perfectionis; res videlicet exterior aliqua, quæ ad perfectionem aliquo modo poteſt conferre, & deducere. Illa eſt vna caritas, omnibus communiter imperata: hæc, ieiunium aut eleemoſyna, aut ſi vis votum, res penitus perfectioni extrinſeca, & eius ita medium & inſtrumentum, vt tamen abſque ea poſſit æquè facilè perfectio comparari. Quamobrem ſi votum adhibes, bene erit; ſin minùs, non malè. Imo illud ipſum votum, quod tantopere iactatur, cum ex ſe ſit ad perfectionem indifferens, ſi non ſit à caritate, nihil eſt. Neque Religionem obijcias, tanquam moralem virtutem. Morales enim iſtæ virtutes ſtultitia ſunt S. Auguſtino, ijſque libens & palam inuita Philoſophia renuncio. Pelagianæ ſunt illæ, *quibus ſteriliter boni ſumus*, virtutes falſæ, *finitima virtutibus vitia*, quæ Deus nulla vnquam mercede, ne temporaria quidem compenſauit, quicquid de Romanorum victorijs dixiſſe putetur S. Auguſtinus. Eſt igitur vnica virtus Caritas, eadem perfectio propriè dicta, eadem vna meriti capax & mercedis ſeu temporalis, ſiue cœleſtis. Cætera

*Seguenoti de perfectione doctrina. p. 40. 41.*

*Virtutes Morales reijcit pag. 66.*

*Et earum mercedem p. 70. 71.*

extrinſeca, indifferentia, media ad caritatem, ſine caritate mala, abſque caritatis motiuo, peccata, adeoque minùs quam media. Hæc eſt germana Seguenori de perfectione opinio, quam graui conſecutione in primis vrgeo.

*Refellitur.*

Nam ex opinione ſic concepta, ſic explicata, ſequitur bonum opus, præter opus caritatis, in Chriſtiana vita nullum reperiri, non fidei aut ſpei Theologicæ, non vllius alterius virtutis. Quæ aſſertio perquam mihi dura videtur, verendumque ne quemadmodum hæretici ſolam concrepando fidem, bonis operibus omnibus bellum indixerunt; ſic homines Catholici, ſolam admittendo caritatem, cæteras legis Chriſtianæ partes reijciant, eò periculoſiùs, quò ſpecioſiùs. Nam ſi perfectione interiori, hoc eſt caritate præditus ſum, quid opus mihi perfectione qualibet exteriori, quæ indifferens eſt, neque quicquam addit ad interiorem? Iam igitur Valentinum audio clamantem *continentiam & bona opera, haudquaquam ſuis vt ſpiritalibus, ſed nobis vt pſychicis*, hoc eſt animalibus, *neceſſaria eſſe ad ſalutem*. Vt minimum ſapit Aurelianiſmum hæc oratio antea deprehenſum, quando Petro Aurelio *lex noua tota interior eſt, tota caritatis illius quam Spiritus Sanctus die Pentecoſtes infudit*; & ab eo reprehenduntur Ieſuitæ, qui mentes quas regendas ſuſcipiunt, rebus exterioribus & Sacramentis illigant. Quæ ſi tantùm ſunt extrinſeca perfectioni (ſic enim apertè & Philoſophicè loquendum) aut ſi externam tantum perfectionem, tanquam ſtatuæ colores, & ori ceruſſam & pigmenta conciliant, cur Chriſtus ipſe legis interioris lator, ea ſtudioſè exercuit, cur fidelibus commendauit, cur eorum ſupremo die accuratam exiget rationem? Si res exteriores præcepti materia non ſunt, vt vult à nobis credi Seguenotus, quo iure ferias eſuriales, ſacri frequentationem, Sacramentorum perceptionem omnibus vniuersè imperat indicitque Eccleſia? Atque hoc qui tam importunè tuentur, tam faſtidioſè in circulis & conclauibus repetunt, idem cum eo facere mihi videntur, qui muros turreſque exturbet, vt arcem ſolam tueatur ab hoſtibus; qui cor viſceribus ſuis nudatum, & à temporum iniuria indefenſum, in humano corpore ardens & viuax poſtulet. Quid iſti denique melleis verbis perfectionem Chriſtianam in ſolo internæ caritatis actu, tanquam in roſa & viola collocant, cum amicos & fratres ſuos Chriſtus, ſicut oues in medio luporum, ad contumelias, tormenta, certam mortem dimittat, regnum cœlorum violenta impreſſione occupari moneat, crucem quotidie ferre iubeat? Cum Apoſtolorum ardentiſſimus caſtiget corpus ſuum & in ſeruitutem redigat: diſcipulorum dilectiſſimus nos vetet *diligere verbo & lingua, ſed opere & veritate*: cum eos qui venerunt ex magna tribulatione, & lauerunt ſtolas ſuas, non in lacte, ſed in ſanguine Agni, ad cœleſtes delicias videat eſſe tranſlatos?

*Hac opinio bona opera negligit.*
*Error Valentini.*
Iren. l. 1. contr. hær. c. 1.
*Petri Aurelij ſententia confutata.*
*Opera externa à Chriſto, & Eccleſia imperantur.*

*Dubitat ſint-ne aliæ virtutes præter caritatem.*

Conſequitur item eadem ex opinione, præter caritatem, nullam penitus eſſe veram virtutem, aut id certè in dubio relinqui, non moralem, non Theologicam, non ſupernaturalem, aut naturalem. Nam ſi verum eſt, quicquid tandem fiat ab homine ſine caritatis motiuo, peccatum eſſe, quo tandem mihi ſolido argumento demonſtrabis, virtutem veram & perfectam à caritate diſtinctam? Quemadmodum in mundo colorem non poſſum oſtendere ſine lumine, quando *rebus nox abſtulit atra colorem*, indeque occaſione ſumpta Philoſophorum plurimi, colorem negant à lumine differre; eaque in lyceo ſententia probabilibus ſatis rationibus à contraria ſe tuetur: Ita ſi caritate

ſecluſa,

ſecluſa, nihil eſt niſi peccatum, ſola virtus eſt caritas. Quid ergo fides & ſpes, & ipſæ natura ſua ſupernaturales? Ego-ne vt peccem ſi actum fidei ex fidei ipſius, non autem caritatis motiuo eliciam? Ego-ne vt nouo me obſtringam peccato, ſi extra gratiam & caritatem poſitus, tamen fidem coram tyranno profitear, *ſi tradidero corpus meum ita vt ardeam?* Non hoc docet Apoſtolus, *nihil eſſe* me clamat, ſine habitu caritatis, quia opus illud nullius eſt apud Deum meriti, vt vita æterna compenſetur: deteriorem verò fieri eo actu, & peccatum peccatis addere, nunquam docuit.

*Non peccat qui bonum facit non ex motiuo caritatis.*

Virtutes autem morales tam nihili fieri, adeo contemptim à moribus noſtri abigi, ex vſu publico penitus aboleri, inuita & reclamante tota Philoſophia, propalam declarari ſtultitiam eſſe, peccata eſſe, & in ea profeſſione triumphare, ſi vera eſt ea ſententia, hominis parum modeſti eſſe puto; ſin falſa, orationi illi quærendum nomen eſt, quo rectè appelletur. Nam omnes omnium ætatum ſapientes, & magna illa primùm in caligine ſidera, Ariſtotelem, Platonem, Senecam, Epictetum, Plutarchum, Ciceronem, qui de ijs diſſeruerunt; Patres deinde qui eas laudarunt, Ambroſium, Gregorium, Caſſianum, Bernardum; tum D. Thomam, & Theologos omnes, à quibus ſunt explicatæ, vno veru configere, vno ſtyli impetu confodere, vno ſupercilio contemnere, nouum mihi videtur atque inſolens. Mitiùs certè atque humaniùs Triſmegiſtum, Platonem, Varronem, Senecam tractat Auguſtinus Seguenoti, etiam cum eos confutat & arguit. At cur tandem peccatum eſt virtutis vnius moralis exercitium? Cur peccauit Veſtalis vouendo virginitatem, Fabricius ſectando continentiam, Scipio ab aliena coniuge abſtinendo, Regulus fidem hoſti datam ſeruando, Decius patriam ſua morte liberando, ſi hæc ex rectæ rationis præſcripto, quia ſic agere bonum atque honeſtum eſſe dictat ratio, perfecerunt? Quis credat tam duro fato, tam improbo genio natos eſſe omnes tum homines, vt tota vita nihil quicquam boni egerint? Quid Cornelius Centurio, cuius *orationes & eleemoſynæ aſcenderunt in memoriam in conſpectu Dei?* Quid Gentiles ij, qui ſi rectæ naturæ, & probæ rationis legibus viuant, non paſſurum Deum, vt à vera religione moriantur extorres, omnis vulgò Theologorum ſchola profitetur? Quid? Cum peccato cuilibet pœna debeatur, & cum lethiferis leuiora in inferis torqueantur, putas in æternis illis viuicomburijs puniri fratres Siculos, eò quòd parentem in humeros ſublatum Æthnæ incendio liberarint; Ariſtidē, quòd iniuſtum exilium fortiter tulerit, Iulium Cæſarem, quòd hoſtes in gratiam receperit, Alexandrum, quòd offenſam Iudæis remiſerit, Marcum Antoninum quòd Chriſtianos vetuerit interfici? Nam vel peccata non ſunt iſta, vel punienda ſunt. Sed opinor S. Auguſtini ſententiam ſuper hoc propoſito rogemus. Quid enim ſcribit libro de ſpiritu & litera, de Gentilibus qui ſecundùm Apoſtolum *naturaliter quæ legis ſunt, faciunt*, ex numero *impiorum, nec Deum verum veraciter iuſteque colentium?* Eorum, inquit, *quædam facta vel legimus, vel nouimus, vel audimus, quæ ſecundùm iuſtitiæ regulam non ſolùm vituperare non poſſumus, verùm etiam meritò recteque laudamus.* Nihil autem vera laude dignum eſt extra virtutem; ſunt igitur illa facta cum virtutis honeſtate coniuncta. Illud autem inde procedit, quòd *non vſque adeo in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita eſt, vt nulla in ea velut lineamenta extrema remanſerint, unde meritò dici poſſit, etiam in ipſa impietate vitæ ſuæ*

*Virtutes morales nulla cognoſcit.* Seguenot. p. 67.

*Actus virtutum moralium non ſunt peccata.*

Act. c. 10.

*Non imponuntur ijs à Deo ſupplicia.*

*Aperta Auguſtini ſententia* l. de Spir. & lit. c. 27.

*Imago Dei reſidua in Gentilibus.* Ibid. c. 28.

*facere aliqua legis vel ſapere.* Tum verò huiuſmodi homines qui legem Dei non habent, *ipſi ſibi ſunt lex, & ſcriptum opus legis habent in cordibus ſuis: id eſt, non omnimodò deletum eſt, quod ibi per imaginem Dei cum crearentur impreſſum eſt.* Quæ quidem imago cum recta ſit ratio; & lex naturalis iuſtitiæ, ſi quando in actus externos prodit, benè, honeſtè, laudabiliterque operantur. Id etiam in Cornelio Centurione, & Catechumenis facit manifeſtius, in quibus cum perfecta caritas non ſit, cæteræ tamen non deſunt virtutes. *Non enim Catechumeni non credunt, aut verò Cornelius non credebat Deo, cum eleemoſynis & orationibus dignum ſe præberet cui Angelus mitteretur: ſed nullo modo iſta operaretur, niſi ante credidiſſet.* Et hæc ipſa fides ſine dubio eſt à gratia Dei, non tamen adhuc animata caritate. *Nam in quibuſdam tanta eſt gratia fidei, quanta non ſufficit ad obtinendum regnum cælorum, ſicut in Catechumenis, ſicut in ipſo Cornelio antequam Sacramentorum participatione incorporaretur Eccleſiæ.* Itaque fidem vides, & virtutum moralium opera, laude & ſummo Dei beneficio digna, etiam ante iuſtificationem, & à S. Auguſtino dubitas agnoſci virtutes ſine caritate morales? Quòd ſi poſtea *inchoationem fidei* potiùs appellat, quàm fidem; hoc vult à nobis intelligi, fidem non eſſe perfectam qualis baptizatis infunditur, neque caritate formatam, quæ à iuſtificatis exercetur.

Fides in Catechumenis.
Augu. ad Simpl. l. 1. q. 2.

Quid quòd opera illa Gentilium de quibus agimus, non ſine mercede iuſtitia diuina præterit, quam peccatis nunquam reddi fatetur Seguenotus, vt facilè peccata eſſe negentur, ſi remunerationem accipiunt? Quæris quam? In altera vita *vt mitiùs puniantur*, neque tam ſint miſeri. Nam quia *ad æternam ſalutem nihil proſunt impio aliqua bona opera, ſine quibus difficillimè vita cuiuslibet peſſimi hominis inuenitur*, certè *in damnatione pœna ſempiterna, tolerabilius erit Sodomæ quàm alteri ciuitati, nec illud in iudicio Dei vacabit, quòd in ipſa impietate damnabili, magis alius alio minus-vè peccauerit.* In hac autem vita id habent vt ſint poſitiuè felices. Mercedem enim illos à Deo conſequi temporalem, & hanc plurium auctorum eſſe ſententiam negare non poteſt aduerſarius: inter quos apertiſſima eſt S. Chryſoſtomi, Abrahami ad diuitem verba ponderantis, *Recepiſti bona in vita tua.* Cur enim ait *recepiſti* quaſi debitum, non accepiſti velut donum gratuitum? Quia etiam improbiſſimi quique nonnihil boni faciunt, dignum mercede: quemadmodum & optimi viri, malum operantur aliquando, pœna caſtigandum. Hunc & alios ſcriptores concedit nobis Seguenotus, vnum S. Auguſtinum eripere con[...]s, cuius hæc ſunt verba.

Quæ merces bonis illis operibus reddatur in altera vita.
Aug. l. de Spir. & lit. cit. c. 28.
In hac vita.
Seguenot. p. 70.
Chryſoſt. hom. 3 de Lazaro in c. 16. Luc.

*Quibus ergo non erat Deus daturus vitam æternam, cum ſanctis Angelis ſuis in ciuitate ſua cœleſti, ſi neque hanc eis terrenam gloriam excellentiſſimi imperij concederet, non redderetur merces bonis artibus eorum, id eſt virtutibus, quibus ad tantam gloriam peruenire nitebantur.* Earum aliquas enumerat, & cum iis comparat, qui humanæ gloriæ deſiderio *boni aliquid facere videntur*, de quibus dicit Dominus, *Amen dico vobis perceperunt mercedem ſuam.* Hunc quo ſe ſentit vrgeri locum, ſic explicat Seguenotus: non eſſe illam propriè mercedem, ſed glorioſum laborum exitum ab ambitioſo populo ſuſceptorum, Deo fortaſſe illos non remunerari tanta magnitudine & gloria, ſed punire potiùs volente. Qui ſenſus Auguſtini non eſt, qui ſine dubio temporale bonum, *bonis artibus* à Deo promeritos putat, (vnde enim niſi cælitus hæc conſequi poterant?) dum caput

Locus S. Auguſt. expenditur l. 5 de ciu. c. 15.
Matt. c. 6.
Malè explicatur a Seguenoto. p. 72.

in hæc verba concludit. *Non eſt quod de ſummi & veri Dei iuſtitia conquerantur; perceperunt mercedem ſuam.* Ille igitur laborum exitus, apud S. Auguſtinum, *bonarum artium merces*, eſt à Deo vero & iuſto, qui bonis temporalibus punire improbos nunquam dicitur: ſed omnia eorum benefacta leui proſperitate compenſat, vt in futuro ſeculo nihil ſuperſit; niſi punire ſic crimina, vt *de ſummi & veri Dei iuſtitia* non poſſint conqueri. Eſt igitur eiuſdem cum ſcriptoribus conceſſis, ſententiæ S. Auguſtinus, quem volebat Seguenotus ereptum. Notabis interim eiuſdem Auguſtini opinione, *bonas* illas *artes* & *virtutes*, vitioſa aliqua intentione corruptas ſemper fuiſſe, putà gloriæ, opum, amoris ſui; qui conqueritur *tam turpiter ſeruire virtutes humanæ gloriæ, quàm corporis voluptati*, vt mirum non ſit, pro veris integriſque virtutibus illas non habere. Si tamen iſtis qualibus tandem cunque *virtutibus* & *bonis artibus*, hac vitiatis intentione Deus mercedem reſtituit; quantò æquiùs ijs reddet operibus, quæ per ſe honeſta ſunt, laudabilia, & ad rectæ rationis regulas diriguntur, de quibus noſtra theſis eſt? Ibid. c. 15. *Virtutes Ethnicorum putat August. fuiſſe corruptas:* Ibid. c. 20.

Atque mirum hic mihi videtur, apertè diſcedere Seguenotum ab Illuſtriſſimi Bellicenſis doctrina, qui virtutes morales conceptis verbis nominat & agnoſcit; earum tamen naturalem ſubſtantiam, naturale meritum, ac proinde non æterno, ſed humano & temporali bono compenſandum verè profitetur: Romani denique Imperij magnitudinem à D. Auguſtino eorum iuſtitiæ & bonis legibus aſſignari. Quapropter Theologica certitudine concludit, non referri illas de ſe ad Deum vt ſalutis auctorem, neque ad vitam æternam prodeſſe quicquam ſine gratia & caritate, quos habitus minimè diſtinguit, & verò diſtingui hoc in propoſito non eſt neceſſarium. Conſequitur inde, vt licet in votiuo ieiunio duo inſint duarum virtutum moralium actus, religionis, & abſtinentiæ, per ſe tamen ſolitariè ſpectati ſtatum purè naturalem teneant, neque ad meritum ſupernaturale, niſi per gratiam educantur. Quibus omnibus cum libentiſſimè ſubſcripſero, ſi quid vlteriùs rogare licet, cum certum ſit Monachos ab Hierarchis debere in ſcientia Hierarchica perfici, omni qua poſſum reuerentia poſtulabo, illa naturalium virtutum ad ſtatum ſupernaturalem euectio per gratiam & caritatem, quomodo fiat? *Contraria Seguenoto docet Ioan. Petr. Camus in Elcitone.* P. 2. p. 80. Ibid. p. 78.

Eas, inquit, refert caritas virtutum anima ad Deum, vltimum finem, ſuæque perfectionis conſummationem. Præclarè. Qua relatione? *Actuali, aut certè virtuali.* Nam extra gratiam quicquid conficitur, effluit: in gratia quicquid operamur non ex motiuo caritatis ſiue actuali, ſiue virtuali, ad cœlum non pertinet. Sed virtuale caritatis motiuum, non capit vulgus, cui ſcribuntur iſta: propiùs ad eius captum ponatur à nobis hæc quæſtio. Chriſtianus caritate præditus, & vt loquimur, in ſtatu gratiæ, obuio pauperi largitur eleemoſynam, eius miſeria permotus, ex vno miſericordiæ motiuo, de Dei amore & gloria tum temporis minimè cogitans: is eo actu meretur, an non? Reſpondes mereri. Præmium temporale ſolùm, an æternum? Si primum ais, dura res eſt, fidelem hominem melius nihil conſequi, quàm ethnicum; filium, quàm ſeruum; hæredem cœleſtium bonorum benè agentē, quàm filium gehennæ *bonas artes* inani gloria corrumpentem. Mira res, virtutem per ſe ſe honeſtam, rectæ conformē rationi, ab homine qui ſanum de rebus iudicium, & rectā illam rationē à Deo acceptam honeſtati illi applicat, cum alia ex parte ſit ipſe Deo gratus, *Explicatur Illuſt. Belli. ſententia de caritatis motiuo.* Ibi. p. 81. *Hypotheſis explicanda.* *Opus morale virtutis factum in gratia, eſt meritorium vitæ æternæ.*

non poſſe rectè, & ex legibus honeſtatis, ſine ope virtutis alterius in eam rem aduocatæ vtiliter exerceri. Moleſta res, ſi quoties animo meo virtutis moralis naturale motiuum ſe obijcit, illud tanquam importunam veſpam abigere cogor, vt vnicum caritatis motiuum aſſumam: Quid enim metuerunt

*Probatur ex Apoſtolo.* 1. Cor. 13.

*bonæ virtutes* vt hæc illis fiat iniuria? Id certè non dicit Apoſtolus. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum: ſi habuero prophetiam, omnem fidem: ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, caritatem autem non habuero, nihil ſum, nihil mihi prodeſt.* Non ait, caritatem non exercuero, iſta omnia ex vnico caritatis motiuo fecero, ſed *ſi non habeam*: habet autem iuſtus, qui eſt in hypotheſi.

Rom. c. 11. Illuſt. Bell. cit. p. 84. 85.

*Quòd ſi delibatio ſancta eſt, & maſſa.* Si primitiæ ciborum & panum Deo ſunt conſecratæ, itidem Deo ſacri ſunt cæteri fructus, & maſſa integra. *Et ſi radix ſancta, & rami.* Non ſunt rami, formaliter ipſa radix, ſed virtutem & medullam à radice accipiunt. *Quod ſi aliqui ex ramis fracti ſunt*, vt nulla ex parte caritatem attingant, extra gratiam facti, certè imminentes mari mortuo fructus imitantur, ſpecie non mala, interiùs putridi. *Tu autem cùm oleaſter eſſes*, cum naturali virtutis moralis honeſtate, *inſertus es in illis*, gratiæ & caritatis particeps factus es; *ſocius radicis & pinguedinis oliuæ factus es*, vbertatem gratiæ & meritorum conſecutus es. Deníque *non poteſt arbor mala, bonos fructus facere*: & veriſſimè ſcripſit S. Auguſtinus, quod cupidè refertur à Seguenoto,

Aug. ſerm. 50. de Ver. Dom. c. 2.

*Adde caritatem, proſunt omnia; detrahe caritatem, nihil proſunt cætera.* Sed hæc de habituali caritate & gratia debent intelligi; de actuali, & applicato ad actus moralium virtutum vnico motiuo caritatis, nulla mentio. Cur ergo in eorum explicatione aſſiduè ſignanterque reperitur, meritorios eſſe ſi fiunt in caritate, & ex motiuo caritatis, quorum alterum ad fidem pertinet, alterum in iſta quæſtione verſatur?

*Probabile eſt virtutes morales infuſas dari.* Concil. Trid. ſeſſ. 6. c. 7.

Atque cum in Apoſtolo legerem *linguas Angelorum, prophetiam, fidem*, potui ad virtutes morales ſupernaturales mentem meam deducere, quas admodum probabilis Theologorum ſententia docet infundi in animam hominis iuſtificati, eaque Concilio Tridentino plurimùm conformis eſt; quæ proinde non poſſunt naturales in entitate appellari, quarum actus boni & ſancti ſint oportet caritate præſente. Verùm prætermiſſa opinione quæ controuerſiam patitur, fidem accipio virtutem Theologicam, ſupernaturalem, cuius nulla maior vis eſt ad meritum ſine caritate, quàm moralium virtutum: poſtulo modò, ſi qui fidelis in caritate, ſolo fidei profitendæ motiuo impulſus, *tradat corpus ſuum ita vt ardeat*, in odium Chriſtianæ Religionis à Tyranno damnatus ad flammam, is-ne illo martyrio nihil æternum mereatur, quia licet in caritate, tamen ex caritate, & eius motiuo factum non eſt? Concilium ne prætereamus leuiter: cum ſcribit iuſtos *in ipſa iuſtitia per Chriſti gratiam accepta, creſcere atque magis iuſtificari*: iuſtos *pro bonis operibus quæ in Deo fuerint facta, expectare & ſperare debere æternam retributionem à Deo*, nonne tantùm poſtulat, vt in caritate fiant, non etiam ex caritate, & eius motiuo? Cum verò *anathema* intentat ei qui dixerit, *iuſtificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis benè operatur*, nonne permittit aliud applicari bonis operibus motiuum, quàm perfectæ caritatis? Quæ omnia lectori planè perſuadere debent, cum ſcribit Illuſtriſſimus, virtutum moralium actus, vt ſint felicitatis æternæ meritorij, in caritate ſeu gratia, & caritatis motiuo fieri debere, motiuum *ſaltem virtualis*

Concil. Trid. ibid.

Ibid. can. 26.

Idem can. 31.

abeo

ab eo intelligi, atque illud nihil aliud eſſe, quàm gratiam habitualem in
anima iuſti regnantem, & opera omnia viuificantem, licet iis proprium cu-
iuſlibet virtutis motiuum applicetur. Quæ res & opinio, dubia nobis & ob-
ſcura eſſe non poteſt, qui eam ex ore concionantis non ſemel accepimus.
Quapropter ad quæſtionem in hypotheſi deſcriptam, reſpondendum omni-
no, iuſtum hominem ex miſericordiæ motiuo eleemoſynam pauperi offe-
rentem, vitæ æternæ mereri præmium, atque eo modo virtutem de ſe natu-
ralem, ad ſtatum, ſi ſic loqui licet, ſupernaturalem, per inhabitantem chari-
tatem euehi.

## *DOCTRINA SVPERIOR AD VOTORVM PER-fectionem accommodatur.*

§. II.

TEMPVS modò eſt vt ad perfectionem veniamus, cuius cauſa ſuſcepta *Caritas eſt forma per-*
eſt omnis hæc non inutiliter diſputatio. Caritatem virtutum regi- *fectionis.*
nam, menſuram meritorum, finem præceptorum conſiliorumque omnium,
de cuius laudibus nullus vnquam veterum Patrum, nullus Catholicorum
ſcriptorum liber conticuit: cuius encomia non in libros, ſed in tomos, non
in volumina, ſed in bibliothecas digeri oportet; caritatem, inquam, for-
mam, & eſſentiam eſſe perfectionis, & ipſiſſimam quam quærimus, tum in
Chriſtiana profeſſione, tum in Hierarchia perfectionem, nemo Catholicus
hactenus denegauit. Hanc ſi perfectionem interiorem appellare vult Segue- *Perfectio in-*
notus, interior vocetur & ſit perfectio. Præter eam virtutem, ſunt aliæ tum *terior.*
ſupernaturales, vt fides & ſpes, tum naturales vt religio, iuſtitia, temperan-
tia, & morales cæteræ, quas veras eſſe virtutes, & propriæ honeſtatis compo-
tes Seguenoto probauimus. Eæ non ſunt ipſa caritas, & ſanctitas formaliter: *Virtutes*
hoc ſenſu ſi vult Seguenotus eſſe extrinſecas perfectioni, quia non ſunt ipſa *morales quo*
perfectio, & perfectionem externam dici debere, dicantur & ſint exterior *ſenſu dici*
perfectio. Quod ſi perfectionem exteriorem ſic eſſe vult, vt naturam ipſam *poſſint per-*
perfectionis non attingant, ſed tantùm ſint media quædam ad eam compa- *fectio exte-*
randam, qui vetus eſt eius ſenſus: quemadmodum ſtudium, ſcientia non eſt, *rior.*
ſed ad ſcientiam via; mercatura, non eſt opulentia, ſed medium ad opulen- *Quo ſenſu idem negari debeat.*
tiam; ſecuris & trulla non ſunt ædificatio, ſed apta ad fabricam inſtrumenta.
Hoc ego ſenſu diuerſas à caritate virtutes ſiue Theologicas ſiue Morales, exte-
riorem dici poſſe perfectionem denego.

Nam virtutes ſunt, & præſente caritate præmium merentur æternum, vt *Aliquid*
monſtratum eſt, id eſt gloriam, quam augent iuſto; igitur gratiam quam in *conferunt*
eodem amplificant. Præterea ſunt velut accidentia, ſubſtantiæ ſuæ comple- *ad perfectio-*
mentum aliquod, & ornamentum allatura: diſponunt hominem ad meliùs *nem & ca-*
exercendos actus ipſi caritati proprios, dum impedimenta remouent, dum *ritatem.*
auxilia gratiæ noua merentur & impetrant, ipſumque tandem eſſentiale Suar. tom. 3. de Relig. l. 1. c. 3.
præmium maiore cumulo exaggerant. Quod præclare admonet S. Bonauen-
tura: *Quanquam totius huius perfectionis origo ſit caritas, multùm tamen facit ad eius* Bonau. Apol. Pau.
*complementum ipſa operatio, Gregorio atteſtante, qui ait: De dilectione conditoris* p. 1. c. 3.

*Gregor. [illegible] m. 30. in [illegible] ing.*

*lingua, mens & vita requiratur. Nunquam amor Dei eſt otioſus: operatur enim magna ſi eſt; ſi autem operari renuit, amor non eſt.* Denique ita ſunt inſtru[illegible] & media ad perfectionem, vt eius ſint [illegible]es; non vt ſtudium, quod [illegible] pars non eſt, vt ſecuris, quæ f[illegible]icam non complet; ſed vt mem[illegible]rum qu[illegible] ſeipſo ſui que ipſius perfectione tot[illegible]m corpus perficit. Vis lumen hui[illegible] d[illegible]mus comparati[illegible]ni? Quidni amabo virtutes quaſi corpus quoddam erunt, [illegible] anima virtutum caritas eſt? Quid eſt corpus anima priuatum? tetrum [illegible] ad u[illegible], pondus inutile, immobile, terræ damnatum. Reſtitue anima[illegible] v[illegible]m, motum, vitam reddes, ſed ægram in languentibus, in [illegible]utili[illegible], pene d[illegible] imperfectam. Vide Antiochum in lecto, Iobum in ſterqui[illegible]io, [illegible] in piſcina. Ingredere noſocomia, iacent illic quos Phil[illegible]ophica voc[illegible] titas homines cogat appellare, tu ne integros perfectoſque eſſe [illegible]ura[illegible] ijs ſimilem eſſe velis monoculum, rhinotmetum, manibus m[illegible]um, [illegible]ibus truncum, pectus in lignea patina trahentem, fruſtum homi[illegible], mouens ſimulacrum? Eſt igitur anima hominis for[illegible]a & perfectio, [illegible]am corpus, exterior quodammodo animæ perfectio, at hominis ip[illegible]t aliqua ratione perfectio, quantumque corpori mēbrorum, tant[illegible] animæ quidem, ſed homini perfectionis deeſt. Diem aſpice imbrib[illegible] h[illegible] procellis turbulentum, frigore aſpetum: tu ne ad eius perfectio[illegible]m n[illegible] deres? totos tibi menſes & annos illuceſcere illa tempeſtate c[illegible]as, ſi detur optio, ac non potiùs iucundam tranquillitatem, & genialem [illegible] uoces, diei pertæſus non diei? Atqui nox pulſa, ſol lucet, dies eſt. V[illegible]m [illegible] forma diei ſol eſt; ſerenitas, non ſolis, ſed diei perfectio. Hoc [illegible]od [illegible]

*Non ſunt tantùm media [illegible] parte perfectionis*

*Res illuſtratur exemplis.*

*In ſola caritate non conſiſtit totaliter perfectio.*

aiunt, ineſſe quidem in caritate Chriſtiani hominis perfectionem [illegible]pliciter & abſolutè loquendo, in ea ſola totaliter non conſiſtere: neque ego hominem illum omni ex parte perfectum vnquam exiſtimaue[illegible], cui virtus aliqua, aut etiam plures defuerint. Fauet profectò Tridentinu[illegible], in quo i[illegible]ſtificationem fieri lego *per voluntariam ſuſceptionem gratiæ & donorum*, *quæ in ipſa iuſtificatione cum remiſſione peccatorum omnia ſimul infuſa accipit homo* [illegible] adduntur ad gratiam *dona*, cum anima ſanctitatis, & ipſa ſancti[illegible]s ſit [illegible] & caritas, niſi ad perfectionem integram, & neceſſarium complementum?

*Concil. Trid. ſeſſ. 6. c. 7.*

*Vota ad perfectionem ulteriorem conferunt.*

Dicat ergo Seguenotus, votum ſine caritate nihil eſſe, caritatem ſine [illegible]o, omnia: prius facilè concedo; & inſanus ſit qui hominem à carita[illegible] & gratia extorrem, centum votis oneratum, cum homine iuſto illis [illegible]o ve[illegible] componere. At poſterius comparationem admittit, quam ſuperius diſſeruimus, iuſtorum duorum, quorum alter ex voto, alter liberè opus exerceat. Reſpondet aduerſarius, non eſſe ſpectandum votum, ſed caritatem; vbi maior il[illegible] fuerit, maius futurum & meritum. Sit & iſtud. Contendebam autem [illegible]riùs, ordinariè maiorem fore in nexo, quàm in libero caritatem: quo[illegible] hic vnicæ virtutis, putà miſericordiæ in eleemoſyna, aut abſtinenti[illegible] in ieiunio vnicum exercet actum, vnico gratiæ augmento munerandum: il[illegible] Religionem etiam addit moralium virtutum reginam, actumque il[illegible]miuin, cui ſuum etiam gloriæ gratiæque, atque adeo caritatis pondus [illegible]pondebit. Hoc autem augmentum non extenſiuum modo eſſe, ſed e[illegible]tenſiuum Doctori Hallier ante monſtrauimus, virtutibus tribus carita[illegible] ligione, miſericordia, merita ſua tanquam ſymbolam ad intenſionem [illegible]

confer[illegible]

con[illegible]entibus. Quemadmodum [illegible] faces, tria ſunt luminaria, loco [illegible] vnum [illegible]ius; tres gemmæ, [illegible] pretioſa, diuitiæ ampliores; tria hominum millia, plures cohortes, vis maior exercitus. Atque vt faciliùs eſt tres geminas reperire, quam vnionem ſolum ijs æqualem pretio. tres homines in pugna iungere, quam vnum hominem deligere qui omnium robur exæquet, ſic ordinariè loquendo, fa[illegible]lius [illegible] arbitror, duarum aut trium [illegible] potione virtutum augere [illegible], quam vno caritati actu parem effectum producere.

Vrgeat Seguenotus alia comparatione inſtituta, conceſſo etiam virtutum moralium merito. Religio ex qua votum, & abſtinentia ex qua ieiunium, morales ſunt tantum virtutes, mercede vt ſummum naturali & terrena compenſandæ: ſola caritas ſupernaturale pretium facit: quare vbi maior fuerit, ibi maius cœleſte præmium reperietur. Ieiunent igitur duo; alter quatuor caritatis gradibus ornatus, libere: alter duos tantùm caritatis gradus ſortitus, votum adijciat: ille totos quatuor gradus ieiunio communicans, ſuperatur [illegible]li merito plus augebitur, quam nexus, qui duos tantum ieiunio ſuo p[illegible]eſt gradus meriti ſupernaturalis adiungere; nam religionis & abſtinentiæ meritum cum ſit naturale ſolum, in hoc conſortium venire non poteſt. Quid tres loqueris virtutes, cum ſpectetur vnica? De tribus facibus vna tantum lucem, cæteræ nihil faciant niſi fumum & fuliginem, erit ne lumen intenſius? Geminis & auro, ferri & æris libras duas adijciat ruſticus, is-ne gazam augebit regiam? vrgente bello conſcribantur tria puerorum, aut feminarum millia, quantùm roboris addetur exercitui, cum tres vulneratos fratres ab integro vno ſuperatos narret hiſtoria? Conſtat ergo caritatis vnius, & eius meriti ſupernaturalis habendam hic eſſe rationem, neglecta religione & abſtinentia, cum merito ſuo naturali; & ieiunatoribus noſtris ſi par fuerit caritas, par meritum fore, ſi in altero ſuperet, ſuperaturam in illo, non religionem, ſed caritatem, & id ſolerter & aſſiduè recolendum, vt pretioſum à vili, ſupernaturale à naturali ſeparetur.

*[illegible] contra [illegible] [illegible] [illegible] nem.*

*Meritum virtutum moralium ſolummodo naturale.*

Dictum ſubtiliter, ſi verè. Sumit enim duo neutiquam concedenda: primum, virtutes morales, etiam caritate formatas, nihil niſi naturale promereri, quod & veritati, & expoſitæ nuper Illuſtriſſimi Bellicenſis doctrinæ repugnat. Nam ſi naturales manent in ſubſtantia, merito tamen, vt ſic loquar, ſupernaturales fiunt, præſente gratia: quemadmodum æs & ferrum naturæ vilitate non mutata, aurum pretio frequenter exæquant. Veniunt igitur in meriti conſiderationem tres omnes dictæ virtutes, non vnica caritas; lucent, & ardent tres faces, non vnica. Et ne ad ſubſtantiam naturalem confugiat, eadem in fide & ſpe ſupernaturalibus virtutibus vigere poteſt obiectio, quæ & ipſæ ſine caritate nihil ſunt: eas tamen certum eſt in præſentia caritatis non nihil ad meriti augmentum conducere, neque quicquam illic pretioſum à vili, ſupernaturale à naturali ſeparandum.

*Refellitur.*

Alterum quod ſumit, eſt, hominem quatuor caritatis gradibus præditum, ex tota eorum intenſione ſemper operari, totos quatuor gradus æquale ſibi meritum conſequi: efficit inde nexum illum cum duobus ſuis gradibus, & mille votis, nunquam meritum graduum quatuor æquaturum. Quod ego rectè negari diſputo, & licet cæteris paribus, qui plures caritatis gradus poſſideat, plus actu bono mereri fateat; illud tamen augmentum metiri dico cum

*Caritas augetur per partes proportionales.*

Theologis, per partes proportionales fieri, non per æquales, vt quatuor [illegible] dus, totidem alios non acquirant, ſed plus aliquid cæteris paribus, quàm [illegible] aut duo comparaſſent. Addo & iſtud augmen[illegible] uni non tam habituali q[illegible] actuali caritati ſolere concedi: vt non malè aſſeram poſſe nex[illegible] rem duobus ornatum gradibus, ardentiore caritatis actu, adiecto duarum virtutum moralium merito, quatuor gradus liberi ieiunantis remiſſiùs, non æquare tantùm, ſed etiam merito ſuperare.

## *DE LIBERTATE QVÆ PER VOTA PERIRE dicitur à Claudio Segueneto.*

## §. III.

*Præcipuum argumentū quod votis obycitur.*

NVLLO fortiùs validiuſque tormento votorum omnium nuncu[illegible]tionem in Eccleſia ſemper probatam laudatamque impetit Claudius Seguenotus, & qui paria cum illo ſentiunt, quàm inductæ in [illegible]tam noſtr[illegible]m neceſſitatis, & libertatis ereptæ, quæ profectò cum votis nih[illegible] com-mercij: hanc ergo machinam ſi caſſam & inutilem reddimus, quid [illegible]e-liquum habebunt, cur diutiùs & pertinaciùs in Religioſæ profeſſioni[illegible] dione morentur, cui credebant *funes circumdare, & trahere eam in torrentem, [illegible] non reperiatur ne calculus quidem ex ea.*

*Nihil eſt liberius voto.*

Libertas, inquiunt, cum voto ſtare non poteſt. Quid? Eſt-ne in humani[illegible] actionibus magis quàm votum vlla libera? In quo voluntas [illegible], nulla ne-ceſſitate coacta, nulla violentæ affectionis cæcitate obſcurata, [illegible]i ſui, facultatumque ſenatum omnem conuocat, rem totam, quæ[illegible] circumſtant pacatè tranquilléque proponit & expendit: agitatis vtrinque ra-tionibus & æqua lance perpenſis, hæc inquit, pars maior eſt, quia melior tumque ſe ipſa ſui domina in aureas illas compedes induit, e quibus [illegible] ne-que poſſit ſi velit, neque velit ſi poſſit. Hanc deliberationem pe[illegible]t, ir rumpatque in curiam vel imminentis grauioris mali metus, vel impotenti[illegible] domini imperium, vel iubentis patris reuerentia, cui exteriùs contradicere non auſit filij verecundia, votum ſuſtuliſti, quia libertatem euertiſti. Neque putes concepto ſemel voto primam libertatem vaneſcere: ſuccus enim & medulla primæuæ illius voluntatis per vniuerſam vitam diffunditur, & vo-tiua omnis actio ad ante vſurpatam libertatem reflectitur. Sem[illegible]r vouet, qui votum exequitur: liber autem eſt qui vouet. Non ignoras apud Philoſophos rerum conſeruationem à prima earundem productione, ſola temporis diu-turnitate differre. Non dubitas in nobili Abrahami ſacrificio, quin liberè ſe

*Per votum vera libertas acquiritur.*

mactandum obtulerit Iſaacus, & cum primùm conſenſit eſſe victima, & cum vinctis manibus iugulum parato, iamque ferienti popæ præbuit.

*Augu. l. 5. de ciu. Dei. c. 18.*

*Seneca ep. 8. Contemnitur à Segue. p. 54. 84.*

*Cicero. in Parad.*

Sublata, inquis, libertas eſt. Etiam-ne cum euadimus *in libertatem filiorum Dei, quæ nos ab iniquitatis, & mortis, & Diaboli dominatu liberos facit?* Etiam ne cum Philoſophiam Chriſtianam auſpicamur? Atqui monet Philoſo[illegible]us quem faſtidis: *Philoſophiæ ſeruias oportet, vt tibi contingat vera libertas. Non differtur in diem qui ſe illi ſubiecit, & tradidit: ſtatim circumagitur: hoc enim [illegible] Philoſophiæ ſeruire, libertas eſt.* Quid verò eſt illa tam gloriosè iactata libe[illegible]? *Poteſtas viuendi vt velis. Quis ergo viuit vt vult, niſi qui recta ſequitur, qui gaudet o[illegible]?*

*officio?* Ita voce libertatis ne philoſophi quidem abutuntur. Quid Chriſtia-
ni: *Non ergo dicat Chriſtianus, liber ſum, in libertatem vocatus ſum: faciam quod vo-* Augu. tr.
*lo, nemo me prohibeat à voluntate mea, ſi liber ſum. Sed ſi iſta voluntate peccatum fa-* 41. in Ioan.
*cis, ſeruus es peccati. Noli ergo libertate abuti ad liberè peccandum, ſed vtere ad non*
*peccandum. Erit enim voluntas tua libera, ſi erit pia. Prima libertas eſt carere crimini-* *Libertas*
*bus: cum cœperit ea non habere homo, debet autem non habere omnis Chriſtianus homo,* *Chriſtiani.*
*incipit caput erigere ad libertatem.* Quo, amabo, tempore longiùs abſumus à cri-
minibus, quàm cum ipſas criminum vmbras, loca, tendiculas effugimus?
Quando magis pia voluntas eſt, quàm cum religionis cultum votis ſanctiſ-
ſimis profitemur? Tunc illa voluntas quæ ſe poriſſimùm obedientiæ iugo
ſubijcit, & æterna aſſumit vincula, vigore liberalis alacriſque animi modum Bern. l. de
non conſideraus, in infinitam libertatem extenditur. Itaque in eo poſita Præcept. &
Chriſtiana libertas non eſt, vt peccare poſſimus, ſed vt perfectiùs viuere poſ- diſp c. 9.
ſimus, tantoque maior, quantò melior eſt. Quod in ipſius Seguenoti doctri-
na principijſque magnificè demonſtro.

Quid eſt enim eius ſententiâ libertas? Soluta à rerum humanarum vincu- *Seguenot,*
lis amplitudo, remota à contagione terrarum eminentia, perfecta ſub Deo *de libertate*
ſubiectio, ad Deum adhæſio, qualem deſcribunt qui de illa recens ſcripſe- *do Orion.* pag. 22. &
runt. Qualem cogitauit aliqua ex parte Seneca ille Seguenoto contemptus. 47.
*Quid ſit libertas quæris? Nulli rei ſeruire, nulli neceſſitati, nullis caſibus.* Et alio loco. Senec. ep. 51.
*Non eſt libertas nihil pati. Fallimur. Libertas eſt animum opponere iniurijs, & eum* Idem l. de
*facere ſe, ex quo ſolo ſibi gaudenda veniant: exteriora deducere ad ſe, ne inquieta agenda* Conſtant.
*ſit vita, omnium riſus, omnium linguas timenti.* Hanc aſſequitur animus rebus Sapi. c. 19.
humanis ſuperior, terrena omnia longè ſub ſe deſpiciens, qui, æquos virtu-
tum æſtimarores conſulo, in vtris ſit excelſior, à terra remotior, à cupidita-
tum inferiorum vinculis magis expeditus, Deo magis adſtrictus, in ſeculari-
bus viris, terrenis negotijs ſuæ conditionis neceſſitate affixis, an potiùs in Re-
ligioſis, qui non res ſolùm ipſas, ſed etiam earum deſiderium, & deſiderij po-
teſtatem votis ſolennibus ſolo Dei amore abdicarunt? Vtris conuenientiùs il-
lud Prophetæ lugentis dictum applicuerint Patres, *Sedebit ſolitarius, & tacebit,* Ierem.
*quia leuabit ſuper ſe?* De quibus ſcripſerint Patres, libri huius initio producti, de Thren. c. 3.
Laïcis an Monachis, *excedere illos naturam noſtram, ſupra homines illorum animos*
*euaſiſſe, Angelorum cœtus in corporibus fulgere mortalibus?* Quòd ſi ſublimis illa
amplitudo ad Deum proximè debet adiungi, & quaſi immediatè ſubijci, vt
plena libertate potiatur, hoc à nobis poſtulat commentator, quod in Sera-
phinorum imagine dedimus, quod in Therapeutarum nomine S. Dionyſius *Εἰς θεοειδῆ*
deprehendit, qui à diuiduis vitis tranſeunt *ad diuinam vnionem, Deoque gratam* *μονάδα, καὶ*
*perfectionem adipiſcendam.* *φιλόθεον*
*τελείωσιν.*
c. 6. Eccl.

Denique libertatem clamant votorum obligatione præcidi. Quam verò? *Per votum*
Phyſicam ne & naturalem? Minimè gentium, cum reipſa votis omnibus *libertas*
contraria flagitia perpetrari poſſint; cum votorum vſu exercitioque meritum *phyſica non*
accreſcat, quod neceſſarijs actionibus priuilegium nemo conceſſerit; cum *tollitur.*
vim intelligentiæ, voluntatis arbitrium, operum, vt ſic loquar, humanita-
tem, nulla voti vllius conſtringat, extinguatque obligatio. Moralem igitur, *Sed tantùm*
vt ſalua virtutis honeſtate contra votum ire non poſſit Regularis. Illa eſt quæ *moralis.*
præceptis omnibus, virtutibus omnibus applicari debet, cum ſæpe incidant
tempora quibus præcepti, non rarò quibus virtutum aliarum opera, ſine

peccato non poſſint prætermitti : hac ergo ex parte nihil peculiare obligationis procedit ex voto, niſi quòd illud feliciter euenit obligato ſupra ſolutum, quòd illi minus licet peccare & perire, vt modò declarandum eſt.

## DE NECESSITATE ET OBLIGATIONE VOTORUM, *quæ meritum minuere dicitur.*

§. IIII.

*Neceßitas bene agendi non minuit meritum.*

ATENIM voluiſti, inquit, vouiſti, actum eſt, vinculo teneris : conſilium erat cum vouebas, nunc præceptum. Neceſſarium eſt vt hoc velis, hoc agas. O neceſſitas ! ô vincula ! vt vos ego amplector libens ! vos primùm, licet impropriè in aquis luſtralibus ſuſcepi, cum præceptis diuinis exercui, lætus non licere mihi malo eſſe. Religaui fortiùs religioſa profeſſione, cum Euangelicis ſeruaui conſilijs, exultans non licere mihi bono non eſſe, & neceſſitatem putaui felicem, quæ ad meliora compelleret. Si erraui tu me Deus meus per ſcripturam ſanctam, per Conciliorum oracula, per Sanctorum Patrum voces decepiſti, & feliciter ſeductus ſum. Quid enim ? Num video in teipſo neceſſarium peccati cuiuſlibet odium, intimam, perfectam, infinitam bene agendi, quando extra te agendo progredetis, neceſſitatem ? In Filio tuo Domino & exemplari meo, omnimodam impeccabilitatem adoro, qui è noſtris infirmitatibus quas curaturus aduenit, dolores, angores, *mortem ipſam* liber aſſumpſit, peccandi liberam poteſtatem non potuit admittere. Gratulor eius Matri Dominæ meæ, quòd in ea contractam ab Adamo peccandi libertatem, vberrima tua gratia, futuræ maternitatis intuitu magnifice communicata, audeo dicere, extinxerit, vt conſequenter ex eo priuilegio naturalem vnigeniti tui ſuique ſanctitatem proximè imitaretur. Tu idem mirabilis Deus in ſanctis tuis, ipſe *dediſti virtutem & fortitudinem plebi tuæ*, in qua nonnullos video gratiæ tuæ abundantia, animæ quam dono tuo ſortiti ſunt, bonitate, virtutum infuſarum dotibus, acquiſitarum vſu & habitu, adeo conſtantes in bono, vt ipſum peccare poſſe, ſit eis pœna & tormentum. Eorum duces & Principes Apoſtolos audio, à plerſque Doctoribus illapſu Spiritus Sancti in gratia confirmatos dici ; exclamare tamen, *Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius ?* Quaſi naturæ ſuæ imbecillitati ſuccenſeant, iam de ſua pene dixerim impeccabilitate ſecuri. Ego igitur ab illa perfectione quanto interuallo diſſitus, *inſtabilitati humanæ*, & ordinatio tepori *prouiſa remedia*, vota nimirum complector, felix, ſi malum facere quod nolo, non poſſum; felicior, ſi bonum quod volo, velle cogor & facere ; feliciſſimus ſi libertatem meam cum impeccabilitate tua perdo & confundo.

*Rates exemplis declaratur.*

Rom. c. 7

*Idem conficitur in libertate Seguenoti.*

Libertatem amplitudinis replico, & eam nobiliter integram ex admirabili neceſſitate non peccandi, ex ipſo Seguenoto conficio. Eximia illa cum Deo propinquitas, quæ libertatem eminentiæ ad ſummum culmen educit, quò ſtrictior eſt, eò minùs liberam peccandi poteſtatem relinquit in homine, & tamen libertatem ad benè agendum, & merendum nulla ex parte imminuit: quidni à pari, vota quæ malè agere non permittunt, bonum opus imperant, & ſi vis, ad bonum determinant, integram libertatem & meritum conſeruabunt? Antecedens Chriſti Domini exemplo rectè declarat Seguenotus.

tus. Is enim licet voto non debuerit adſtringi, quod ex natura comprehenſoris illi minimè conueniebat, ad Patris tamen æterni voluntatem, vt cynoſuram ſuam, perpetuò tum conuerſus, cum eſſet in ſtatu ſeruitutis & obedientiæ, actiones ſuas omnes, etiam leuiſſimas, etiam quæ fore conſilij videbantur, ab eo determinatas, ſibique imperatas accepit. Quæ res ex indifferentibus ita fecit neceſſarias, vt non magis liberum ipſi eſſet ab ijs deflectere, quàm peccare. Quo poſito libertatem humanam non tantùm non violauit, ſed etiam maiori perfectione cumulauit. Hæc Seguenotus, in quibus Theologia quæ Philoſophiæ ſtuduit (ſic enim Scholaſticam ſubſannat) quærere poſſet, ſi omni ex parte erant neceſſariæ Chriſti actiones, quomodo fuerint meritoriæ? Niſi præſtaret hominem ad iſta ſua prouocare, quoties votorum legem, ſeruilem neceſſitatem, libertatis diminutionem in Religioſis domibus, obiectabit.

*Exemplo Chriſti. Seguen. p. 47.*

Alteram feliciſſimæ eius & liberrimæ neceſſitatis imaginem, in Angelis proponit VValdenſis noſter, votorum tractans argumentum. *Qua natura*, inquit, *liberior, Angelorum, an hominum? Nonne Angelorum?* Quod facilè Seguenoti admittet Theologia in amplitudinis libertate. *Et tamen ſic ligati ſunt munere confirmationis altiſſimæ, vt nec ad momentum à facie ſummi principis auertere viſum poſſint.* Præclarè. Sunt inquit *liberi*, ſunt *ligati*; natura *liberi*, gratia & viſione beatifica *ligati*; *liberi*, non ad peccandum ſi volunt, aut non amandum Deum ſi nolunt, *ligati* ad Deum videndum & amandum neceſſariò. *Huic ergo ligamento confirmationis Angelicæ in Hierarchia cœleſti, correſpondet Sacramentum voti in Hierarchia terreſtri.* Specta myſterium. Ligatus eſt Angelus, ligatus & homo: confirmatus in gratia Angelus, obfirmatus homo: vterque rebus creatis ſuperior, Deo colligatur, & vincitur, Angelus viſione intuitiua, homo votis: & alterum in cœleſti fit Hierarchia, alterum in terreſtri. Qua verò? Non Iuriſdictionis; quid enim hæc ad imperium, & ſubiectionem? Non Ordinis; vbi enim hic ara & Clericatus? Ergo Gratiarum, cum vterque bono ſuo fruens exclamet, *Gratia Dei ſum id quod ſum.* Pergit auctor. *Et ſicut cœleſtes ſpiritus habent ex munere confirmationis, beatitudinis neceſſitatem, & magnum ſuæ libertatis honorem: ita modo ſuo habent homines ex voti emiſſione, & merendi neceſſitatem, & confirmationem quandam in bono, & cum hoc augmentum decoris in libero arbitrio.* Neceſſitatem malè non agendi Angelo Deus viſus; neceſſitatem benè agendi, homini Deus per vota & religionis virtutem honoratus imponit: & in vtroque non tantùm illa neceſſitas fœdus init cum libertate, ſed etiam liberum arbitrium ingenti gloria & honore condecorat.

*Aliud exemplum in Angelis. Waldenſ. tom 1 Doctrin fidei. l. 3. a. 2. c. 21.*

*Sacramentum voti.*

*In voto gloria libertatis augetur.*

Tertiam libertatis in neceſſitate ideam & imaginem nobis offert S. Auguſtinus, Ciuitatis Dei ciues exeunte opere contemplatus, ab Angelis ad homines, ſed non extra cœlum deuolutus. *Deus natura peccare non poteſt: particeps verò Dei* (homo vel Angelus) *ab illo habet, vt peccare non poſſit. Seruandi autem gradus erant diuini muneris, vt primùm daretur liberum arbitrium, quo non peccare poſſet homo, nouiſſimum quo peccare non poſſet: atque illud ad comparandum meritum, hoc ad recipiendum præmium pertineret.* Ita libertas integra eſt in eo, cui peccare non eſt liberum, in Deo diuinoque homine. *Sed quia peccauit iſta natura cum peccare potuit*, (in Adamo eiuſque poſteris) *largiore gratia liberatur, vt ad eam perducatur libertatem, in qua peccare non poſſit*: quæ niſi cœleſtis eſſe non poteſt. *Sicut enim prima immortalitas fuit, quam peccando Adam perdidit, poſſe non mori; nouiſſima*

*Tertium exemplum in Adamo & beatis. Augu de Ciuit. D. l. 22. c. 30.*

*erit non poſſe mori: Ita primum liberum arbitrium poſſe non peccare; nouiſſimum, non poſſe peccare. Sic enim erit inamiſſibilis voluntas pietatis, & æquitatis, quomodo eſt felicitatis.* Illa Deo & Chriſto naturalis, in Angelis & ſanctis Dei aſpectu fruentibus, & ſummo bono intimè coniunctis antecedens; ſi veram & ſanam libertatem non eripit, ſed perficit: in Religioſis ſuppar moralis & conſequens neceſſitas non peccandi, nobilem illam, quantùm mortali fas eſt æmulata, quare libertatem homini, operi meritum, Religioni perfectionem inuidebit? Nam poſt hæc exempla, ſi eſt imperfectorum hominum votis ſe obligare, & illa *inſtabilitati humanæ prouiſa remedia* affectare, illam ego imperfectionem omni aliorum perfectione cenſeo redimendam.

*Neceſſitas antecedens per votum non inducitur, ſed tantùm conſequens.* Quid ſperas, inquir, vbi neceſſitas meritum omne tollit, aut minuit? Quæ de neceſſitate loqueris? Antecedente, libertatis omnis prædatrice, quæ actiones hominis pene humanas eſſe non ſinit, quæ libertatis vſum aut eripit, aut impedit? De neceſſitate pueri in infantia, fatui in amentia, ſopiti in ſomno, iracundi in furore, vinolenti in ebrietate, ægroti in phreneſi? Tollit illa quidem meritum, fateor: ſed nunquid votorum eſt partus & effectus? Neceſſitatem igitur conſequentem, ſcholaſtico vocabulo hypotheticam mihi obijcias oportet, quæ poſito quòd ad focum ſedeam calorem mihi conciliat, poſito quòd prandeam, ieiunum eſſe me non patitur. Eadem tamen & à me liberè ſuſcipitur, & ſuſcepta incommodis me ſubleuat, & ſubleuatum in feliciore ſtatu collocat. Hanc neceſſitatem vota parturiunt. Nam pauperem agere vitam cogor, ſi gazas omnes voto abdicaui: cælebs viuam oportet, poſito quòd carnis delicias voto caſtitatis effugerim; ſed ad hanc conditionem plena libertate delatus, in ea quæſitis ad virtutem perfectionemque ſubſidijs, ſumma cum animi tranquillitate perfruor. Creſcit ſi neſcis, ea neceſſitate meritum, cum ipſa eius ſuſceptio ſummi ſit meriti. Gaudes tu interim egenti libertate, & Deo nihil debere lætatis. *Non eſt gratulanda libertas, qua fit vt non debeatur, quod cum lucro redditur: nec ideo te vouiſſe pæniteat, imo gaudi tam tibi non ſic licere, quod tuo detrimento licuiſſet.* (Aug. ep. 45. ad Arment. & Paul)

## *DE DIFFICVLTATE ET TÆDIO IN EXEcutione votorum, vnde vis meriti malè cenſetur infringi.*

§. V.

*Obijcitur difficultas in obſeruatione votorum.* NOVVM ſuggerit in vota iaculum pœnitentiæ facta mentio. Tranquillitatem, inquiunt, animi, cœleſtes delicias, terreſtrem Paradiſum loquuntur Religioſi. Pulchra verba, ſi plus quàm verba. Quàm multos votorum tædet? Quanti ſub iugo gemunt? Quot millia crucem trahunt angariati cum Simone, affixi cum latronibus, & cincti cum Petro ducuntur quò nolunt. Hic tu iucunditatem dum prædicas, de libertate gloriaris, in amplificatione meritorum triumphas? Beatiorem non æſtimas qui poſſit dicere, *voluntariè ſacrificabo tibi?*

*Reſponſ. Eam eſſe tepidorum & imperfectorum.* Reſpondere incipiam cum S. Bernardo. *Non nego difficultatem tantæ ineſſe perfectioni; ſed cum ipſa corde imperfecto præſumitur. Iſtiuſmodi carnalem animum non modò premi, ſed etiam opprimi pondere præſumptæ perfectionis neceſſe eſt: quia non poteſt portare caro infirma, quod ſolus ſpiritus promptus experitur, iugum eſſe ſuaue,* (Bern. l. de Præcept. & diſp. c. 13.)

*& onus*

*& onus leue. Chriſti quippe iugum, & onus eſt, & omnino importabile, niſi Chriſti æquè ſpiritui.* Quid mihi carnales iſtos Iſraëlitas obijcis, ollas & allia Ægyptiorum identidem reſpectantes? His ego fateor non tantùm nihil gratiæ meritique aduenire, ſed etiam peccare non rarò, cum ea inchoati promiſſique boni pœnitentia, (ſoli autem peccato debetur pœnitentia,) è nimia animi in ſtudio virtutis remiſſione, & vituperando tepore conſurgat, cum deeſſe perſeuerantiam indicet, & propinquum tranſgreſſionis periculum demonſtret. Sic intelligi benignè volo Seguenotum, docentem homini perquam imperfecto, voluntariæ obedientiæ obligationem medium acquirendæ perfectionis non eſſe; quoniam in eiuſcemodi hominibus lex auget peccatum, *vt fiat ſupra modum peccans peccatum.*

*Peccant ſæpe in illo tadio.* Sanch. in opere Moral. l. 4. c. 12. n. 2. *Benigna Seguenoti explicatio.* pag 52.

Illis igitur omiſſis, fatendum eſt incidere etiam perfectioribus tempora, quibus, quæ eſt hominum infirmitas, grauior apparet voti ſarcina & auſterior obſeruatio; in qua ſolà tum neceſſitate ſtatur: ſed ſtatur tamen, & repugnante carne, luctante ſpiritu, vrgente conſcientia impoſitum onus extunditur. *Qui ſumus in hoc tabernaculo, ingemiſcimus grauati, eò quòd nolumus exſpoliari, ſed ſuperueſtiri,* & nouum virtutis pannum ad veterem Adami tunicam, quæ fuerat exuenda penitus, aſſuere. Denique *etſi victoria in perpetuum latiſicat, ipſa nihilominus ad præſens pœna perturbat.*

*Etiam perfecti difficultatem in votis experiuntur.* Greg. l. 31. Mor. c. 26.

Quamobrem opus illud, cum aliqua tantùm ex parte ſit inuoluntarium, ſimpliciter tamen & abſolutè voluntarium eſſe cenſetur: imo promptam ad Dei famulatum adfert voluntatem; non quidem in operis imperati, putà ieiunij, vel ſilentij exequutione, ſed in voti, & obedientiæ perfectione. Sic laudatur à ſcriptura Banaias Dauidicorum Heroum non poſtremus, quia *deſcendit & interfecit leonem in media ciſterna, tempore niuis.* Quippe cum rigeret ipſe, & quicquid in corpore poterat eſſe roboris, frigus opprimeret, animo tamen vegetior, carnem ſubegit vt fortis eſſe auderet, & periculum, quod iniquitas temporis magis metuendum fecerat, ſuperaret. *Unde plus meretur quàm ille qui ſua voluntate ieiunat, tantoque voluntas votum implendi, aut obediendi, promptior iudicatur, quantò id quod aliquis facit propter obedientiam vel votum, magis in ſe conſideratum voluntati repugnat.* Perit quidem meritum ſuperiori illi inuito & reluctanti, qui ad imperati operis neceſſitatem, tanquam ad piſtrinum ſeruus, humano pudore vel metu adigitur: at huic poſteriori creſcit, qui neceſſitatem aſſumit, *quæ eſt ex fine dilectionis diuinæ: putà cum aliquis facit, vel patitur ea, quæ aliàs nollet, vt impleat voluntatem diuinam. Ex quo patet, quòd ad meritum boni operis, pertinet vt quæ aliquis propter ſeipſa non vellet, propter Deum faciat, aut patiatur. Quia tantò inuenitur voluntas promptior ad feruorem diuini amoris, quantò magis ea quæ propter ipſum facimus, aut patimur, noſtra voluntati repugnant. Unde & Martyres maximè commendantur, quantò plura ſuſtinent propter Dei amorem, contra voluntatem humanam.* Hæc radijs diuini ſolis ſcripta Doctoris Theologorum explicatio, ad eos auctores me cogit animum reflectere qui Religioſorum vitam longum, perpetuumque martyrium eſſe ſcribunt; & ad S. Baſilij leges, qui Monachum vult obedientiæ virtuti & voto obedire, *vt Martyres fidei*, vt Ieſum Chriſtum Patri æterno.

*Non tamen ſine merito.* 2. Reg. 23. D Thom. Opuſc. 18. vide & 2. 2. q. 88. a. 6. ad 2. & Leſſium l. 2. de Iuſtit. & Iure. c. 40. dub. 8.

Hunc enim mihi ſpecta cum truculentiſſimis humanæ vitæ tortoribus in *Declaratur*

*exemplo Chriſti in Agonia.* Agonia Oliuetana luctantem, & cum ſuſceptis liberè propaſſionibus, paſſionis initio velitantem: in opere, ſi quod vnquam extitit, moleſtiſſimo, deprehendes horrere ac refugere poſſe carnis infirmitatem; ſtante inuicto animo, & ſuſcepta parendi neceſſitate ſupplicia, de magnitudine aut mentis aut meriti nihil detrahere. *Quatuor tres affectiones.* Quatuor affectiones humanæ, tanquam venti totidem in ſanctiſſimam animam toto cum impetu incubuerunt. *1. Triſtitia.* 1. Triſtitia malum apprehendens, mortem videlicet atrociſſimis fœdiſſimiſque extortam ſupplicijs, cum infinita famæ honoriſque iactura, quaſi legitimo iudiciorum proceſſu, auditis accuſatoribus, reo pro ſe dicere iuſſo, ſententia per iudicem lata, qui cauſa cognita ſine perturbatione munus ſuum exequi videatur. Tum autem poſtea Matris ſuauiſſimæ ſub cruce parientis dolores, Apoſtolorum fugam, Petri periuria, Iudæ ſacrilegium, Iudaici populi reiectionem, Ieroſolymorum vaſtitatem, hominum peccata grauitate horribilia, numero infinita, ingratitudine moleſtiſſima, electorum raritatem, præſcitorum æterna ſupplicia, quibus extinguendis fruſtra diuinum ſanguinem profundebat, diſcipulorum ſuorum perſecutiones, afflictiones, martyria. Hæc omnia in aceruum collata, quantos malorum montes cogitanti obijciebant? Cogitanti dico? Imo vel minima omnium & ſingulorum momenta acutiſſimè peruidenti, & eorum deformitatem atque malitiam cognitione adæquanti: cum interim amore immenſo, cui hæc omnia erant oppoſita, Deum diligeret, & omnibus animi viribus eius gloriam honoremque cuperet promoueri. Nam quia Deus filio *non ad menſuram dat ſpiritum*, infinitæ caritatis quantaquanta erat, intenſione peccata omnia deteſtabatur, quatenus illa Deum offendunt, & proximo nocent.

*2. Timor.* Hæc tanta, tamque ardua iam iamque imminentia mala ſecundus Timor offerebat, inque animo, Pontificum odia, populi clamores, Pilati contemptus, Herodis ludibria, virgarum ignominiam, coronæ ſpineæ acerbitatem, clauorum acumina, crucis horrorem, ſitis ardorem, fellis amaritudinem, diſtinctè per particulas circumſtantijs omnibus conueſtita deſcribebat.

*3. Tædium.* Quibus quaſi ſubſtratis acceſſit tertiò Tædium, ſiue deſolatio, priorum infelix cumulus & appendix, cum inter tot ægritudines præſentes, inter tot tormenta mox futura, omni ex parte derelictum ſe ſentiebat. Ad quem enim ſolatij quærendi cauſa confugeret? In gremium deſolatiſſimæ parentis? In ſinum irati, & peccatis, quorum geſtabat ſarcinam, offenſi Patris? Ad hominum ingratiſſimam nationem? Ad Angelorum legiones, diuinorum iudiciorum ſtupore, tanquam fulgure attonitas? Speraret ſolamen pars inferior tot occupata miſerijs, à ſuperiore voluntate, malorum omnium atrocitatem, quando ita Patri viſum, obfirmatè poſtulante? Apparet tamen cælitus *Angelus confirmans, non conſolans.* miniſter Domino, ſed qui eum oratione corroboret, non conſoletur alloquio, & infirmæ carni diuinam voluntatem, patiendi neceſſitatem, reſurrectionis gloriam, crucis ingentes fructus, electorum æternas laudes repræſentet. Quas cogitationes Chriſtus ad breue tempus admittebat, non ad imminuendam triſtitiam, ſed ad mitigandum timorem, & omnia fortiter toleranda. Sicque *Heb. c. 12.* *propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contempta*, non deſinente triſtitia, quæ in horto cœpit, in vrbe creuit, in cruce conſummata, Dauidicam vocem expreſſit *Deus Deus meus vt quid dereliquiſti me?*

Quartò

*4. Agonia.*

Quartò denique ex tribus omnibus proceſſit Agonia, ſiue pugna interior partis infimæ cum ſuprema; illa mortis & tormentorum diritatem magno niſu fugiente, hac omnibus viribus firmum & conſtans ſubeundæ mortis, & exequendæ ſalutis noſtræ ex diuina voluntate propoſitum conſeruante, atque amplificante: cum vtraque Deo Patri ex ſuo ſenſu ſupplicaret, priorque loqueretur, quæ atrociùs erat ſubigenda; *Pater mi, ſi poßibile eſt, tranſeat à me calix iſte*: inſurgeret ex aduerſo altera, exclamaretque, *Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu*: & in hoc admirabili pancratio ſudor ſanguineus totis artubus deflueret. O luctam! ô agoniam! ô horrores! *Ecce ſpectaculum dignum ad quod reſpiciat intentus operi ſuo Deus: ecce par dignum Deo*, Chriſtus cum tali morte compoſitus. Ad hanc te imaginem applico, quiſquis Religioſo homini aut ex votis moleſtiam creari obijcis, aut ex moleſtia meritum imminui criminaris. Matt. c. 26.

*Idem probatur ſimilitudine S. Anſelmi* l. Similit. c. 84.

Neque debet è memoria excidere celebris è S. Anſelmo ſimilitudo, arboris donatæ à Monacho, decerpti fructus ab homine ſeculari. Vterque bonum ſuum offert, ſed ille totum: vterque Deo conuiuium apparat è frugibus ſuis, ſed ille neceſſariò: vtrique poteſt obrepere aliquod liberalitatis ſuæ faſtidium, ſed illi fruſtra, vt qui arborem ampliùs in poteſtate non habeat: velit, nolit, domino prodeſt: fructus hic colligit quos & quando libuerit. Arbor illa in manu præpoſiti eſt vt fructum decerpat præcocem, aut in ramis ſinat putreſcere, ſi putat ita velle dominum. *Sic Monachus qui ſe totum commiſit Prælato, propriam non perdit mercedem, ſi aliquid boni agere cogatur antequam velit, vel è contra prohibeatur cum agere velit, donec & ipſam amittat voluntatem agendi.* Denique aliquod difficultati præbet teſtimonium Seguenotus ipſe, cum ſcribit ab ea non fieri quidem, ſed indicari meritum; eius cauſam non eſſe, ſed ſignum, & argumentum. Eo igitur modo intelligendum vulgare dictum, augeri difficultate meritum: vel excitatam eius aſpectu generoſam voluntatem confirmari, & auxilia gratiæ omnia validiùs animoſiuſque in vſum aduocare. Seguenot. pag. 43.

## *VOTA IMPERFECTORUM TANTUM NON eſſe, decurſa breuiter Seguenoti doctrina monſtratur. Vbi de voto B. Virginis.*

### §. VI.

*Damnata Seguenoti propoſitio refellitur exemplo B. Virginis.*

INTER damnatas Seguenoti propoſitiones ea numeratur, vota *eſſe tantùm imperfectorum*, quaſi nemo alius ea nuncupare debeat; niſi qui fragilitati ſuæ remedium quærat. Cui confutandæ cum innumera poſſint adduci, in vno magnæ Matris exemplo primùm lubet habitare, quod votorum tractatui apud auctorem dedit initium. In illa igitur ante omnia votum virginitatis conſidero, quod S. Auguſtini, aliorumque Patrum auctoritate ab ea nuncupatum eſſe piè creditur in Eccleſia, neque id negare poteſt commentator Seguenotus, licet id plauſibiliore, quàm firmiore argumento probari contendat, & contrarias affectat rationes, quibus ſatis innuit, quod exprimere non audet, alia ſe omnia ſentire. Voti autem illius duplex momentum diſtinguit S. Thomas, cum negat abſolutum fuiſſe, ſed tantùm

*Quod impugnat Seguenot. p. 17.*

*Anteconiugium cum Ioſepho, ſuit tantum conditionatum votum.*
*D. Th. 3. P. q. 28. a. 4.*
*Dubitatio B. Virg. explicatur.*

diuino commiſſum arbitrio, & conditione poſita, quòd Deo placeret, ante initum cum Ioſepho ſponſo ſuauiſſimo coniugium. *Quia ſecundum carnis originem cultus Dei propagabatur, antequam ex illo populo Chriſtus naſceretur.* Sed poſtea quam conuenir in manum Ioſephi, diuina voluntate clariùs cognita atque perſpecta, *ſimul cum eo votum virginitatis emiſit*, abſolutum ſcilicet & irreuocabile. Quapropter illud eius dictum celebre, in quo Patres vulgò votum iſtud obſeruant, *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* ex ea D. Thomæ doctrina ſic eſt ediſſerendum. Equidem virginitatis votum quantùm in me eſt, ſic emiſi, vt nunquam virum cognoſcere decreuerim, niſi quid aliud de me vitæ meæ conditor atque arbiter conſtituerit: quæro igitur explicari mihi rationem, qua me iubet Deus venire ad conceptum & partum, eius filij quem prædicas; coniugium-ne elegerit lege communi inter populares exercitum, & hactenus virginitatis propoſitum perduraſſe velit; alia-ne quadam via eò tendat nobis inexperta atque incognita, quæ nullam votiuæ meæ virginitati vim afferat? Neque hoc ei votum Bellicenſis Illuſtriſſimus vult eripere tum, ſed duo negat, conceptis illud & apertis in ſcriptura verbis exprimi, quod fatemur; & eo ritu eaque ſolennitate conceptum, quâ modò in Cœnobiticæ vitæ profeſſione vtimur; quod nemo vnquam cogitare potuit: neque noſtra intereſt, qui votorum vniuersè perfectionem ſanctitatemque defendimus.

*Ioan. Petr. Cam. in Melitone P. 1. p. 391.*

*Perfectio B. Virg. ∴.*
*Seguenot. pag. 193.*

Perfectionem deinde Virginis eiuſdem contemplor in eximia caritate, & omnium virtutum choro poſitam, qualis in ea eſſe debuit, *quam Angelus gratia plenam inuenit.* Virtutes addidi, ex Commentatoris ipſius mente, qui cum virginitate virtutes cæteras pro rata portione, vt humilitatem, vt patientiam, vt conformitatem cum diuina voluntate permittit intelligi, cum omnium ſimilem aſſerit eſſe rationem. Illam verò perfectionem accipio ex ipſa eius pueritia, antequam ab Angelo ſalutaretur, & obumbrante Spiritu Sancto mater fieret. Nam maternitatem ego admirabilis illius perfectionis occaſionem, conſilium, deſtinationem, & aliquo modo finem eſſe fateor; cauſam formalem, & partem perfectionis non arbitror. Neque mihi placet Seguenotus, cum ait maternitatem, qualem in ipſa fuiſſe credimus, ſine dubio ſanctiorem & perfectiorem virginitate, omnibuſque eius votis eſſe. Id enim S. Auguſtino nouit eſſe contrarium, præcisè affirmanti de virginitate, per quam ipſa ſe Deo conſecrauerat antequam mater fieret, *Ipſa quoque virginitas eius ideo gratior & acceptior, quia priuſquam conciperetur, iam Deo dicatam de qua naſceretur, elegit.* Vult igitur Auguſtinus, ex votiua virginitate pretium aduenisse maternitati, non autem virginitati ex maternitate; illam eſſe huius quodammodo cauſam: potuiſſe matrem eſſe ſine præcedente gratia, virginitatem Deo ſine gratia dicare non potuiſſe; prius expreſsè Commentator agnoſcit, poſterius negare non audet interiùs. Neque virginitatem ſolam & eius votum, ſed fidem etiam maternitati præfert S. Auguſtinus, cum pronunciat, *Beatiorem fuiſſe Mariam percipiendo fidem Chriſti, quàm concipiendo carnem Chriſti.* Et iterum, *Sic & materna propinquitas nihil Mariæ profuiſſet, niſi felicius Chriſtum corde, quàm carne geſtaſſet.* Quæ omnia recentem alterum ſcriptorem condemnant, apud quem Virginis ſanctitas dicitur, eſſe matrem, concepiſſe & genuiſſe Dei filium. Et quemadmodum

*Maternitas in ea non eſt formaliter perfectio moralis.*
*Seguenot. p. 20.*
*Augu. l. de S. Virg. c. 3.*
*Seguenot. pag. 22.*
*L'Archeveſque l. 3. des Grandeurs de la Verg. c. 2.*

quemadmodum in Incarnatione Chriſtus Dominus Sanctus Sanctorum fuit, plenitudine infinitæ ſanctitatis: ſic ab eodem myſterio habuiſſe Mariam ſupremum apicem ſanctitatis. Quid? maternitas præciſa à gratia & virtutibus, qualem modo conſideramus, eſt-ne moralis perfectio? eſt-ne formaliter ſanctitas? Aut fallitur S. Auguſtinus dum beatiorem, Deoque gratiorem facit Mariam ex virginitate, quam ex maternitate corporali, aut fallit Auguſtini interpres, dum neminem dubitare vult, quin maternitas ſanctior & perfectior fuerit, quàm virginitas cum omnibus votis: aut Interpretis ſocius, qui ſupremam eius ſanctitatem in maternitate collocat, per eam Angelis ſanctiorem fuiſſe, eo titulo impeccabilem extitiſſe aſſerit.

Itaque B. Virginis perfectione ſic explicata, manifeſtum pono argumentum, quo propoſita theſis confirmetur. Conſtat omnibus gratiæ auxilijs, omnibus virtutibus locupleratam Virginem ſemper fuiſſe, ſingularibus etiam dotibus inſtructum Ioſephum extitiſſe, quæ admirabilem ſponſæ innocentiam, ſanctitatemque tuerentur: atqui vero ſimile eſt Ioſephum, Virginem autem certum eſt Patribus votum concepiſſe virginitatis: ergo votum etiam à perfectis & eximia ſanctitate prædiris poreſt nuncupari: vnde vlteriùs conſequitur, vota non eſſe imperfectorum tantùm, & humanæ imbecillitati prouiſa remedia. Quare præter anchoram fluctuanti voluntati comparatam, quærenda eſt alia in animi perfectione, religione operis, caritatis augmento, diuinæ gloriæ amplificatione cauſa votorum. Alia, inquir, Mariæ opera voto caruerunt: nam Dei matrem fieri, nullo voto promiſit. Ridiculè ſatis. Nam Dei matrem eſſe conſilium non erat, quod liberè complecteretur; Dei maternitas corporalis, per ſe formaliter neque ſanctitas eſt, neque ſanctitatis inſtrumentum: atque ea ipſa, virginitate Deo ſacrata minor eſt: votum autem in melius bonum cadere debet: nulla cælitus immiſſa illuſtratione, ſublimem illam maternitatem ſibi reſeruatam eſſe, cognouerat tenella virgo, demiſsè de ſe ſentiens.

*Ex antedictis formatur argumentum.*

Seguenot. P. 19.

Facilis gradus eſt à Matre ad Filium, & quanquam eum prætetire fuerit animus, hoc tamen facere & benignitas materiæ, & Illuſtriſſimi Bellicenſis exemplum atque auctoritas prohibet. Is enim ex animi mei ſententia luculenter oſtendit, confirmitatem in bono, & immutabilem amandi Dei voluntatem non potuiſſe Chriſto ex votis aduenire; quamobrem ſi ſola ea eſſet votorum cauſa, vt inſtabilitati humanæ remedia prouiderentur, minimè capacem voti futurum. At nihil neque à Theologia, neque à D.Thoma impedire, quò minùs potuerit actu illo perfectæ religionis Patrem cœleſtem honorate, & eius gloriam promouere; cum maior in voto, quàm in oratione, ieiunio, firi, defatigatione non ſit imperfectio, quibus actibus omnibus ad propriam perfectionem minimè indigebat, ſingulis eorum paternam gloriam augebat in immenſum. Cum eodem doctore Angelico conſentiente, non pauci Dauidicum verſum ad eum referant, cui totus Pſalmus dicatus eſt, *Vota mea reddam in conſpectu timentium eum.* Id ſi ita eſt, cum nulla maior perfectio, non dico ab hominibus & inter homines, ſed neque ab Angelis fingi & excogitari poſſit, ea quæ vnigenito qui eſt in ſinu patris conueniebat, quæ hominem Deum diuina & increata ſanctitate ſanctum efficiebat, quis aſſerere audeat, vota tantùm imperfectorum eſſe? In Apoſtolis, qui primitias ſpiritus acceperunt, vota iam olim reperimus ex ipſo S. Auguſtino;

*Refellitur eadem propoſitio Chriſti exemplo.*

*Chriſtus vouere potuit.*

Ioan. Petr. Cam. in Melitone P. 2. p. 391.

Pſal. 21.

ſed ad Chriſti, & Mariæ aſpectum aſtra cætera caligare & latere oportet. Religionem perfectam, ſeu perfectorum, quæ votis ſeiungitur à vulgari, VValdenſis appellat aſſiduè, vt ad perfectos vota ſciamus pertinere; ſed qui Auguſtinum ſuum, cæteroſque Patres in B. Virginis voto ſugillat Seguenotus, quàm leui ſpiritu VValdenſis auctoritatem, quæ hac in materia tenuis non eſt, difflabit? Videat tamen, quas in anguſtias Chriſtianam redigat perfectionem, quam nulli fidelium ſtatui reliquit integram, & ſuis partibus abſolutam; non Hierarchis, qui Caritatis Caſtitatiſque voto ſunt deuincti; non Sacerdotum, & Diaconorum gradui, quos votiua continentia colligat; non ipſis Laïcis, cum omnes credat in Baptiſmo Chriſtianos votis adſtringi. Si ſunt ergo vota tantùm imperfectorum, edicat amabo Seguenotus, quo in ſtatu Eccleſiæ atque officio perfectio quærenda ſit?

*Obiectio, ex mente Seguenoti.* Obijci tamen poteſt ad mentem Commentatoris. Ad veterem legem referendi videntur, qui ſeruili votorum neceſſitate, tanquam Iudæi, fugitiua mancipia conſtringendi ſunt, ne Domino ſuo peteant: noua lex filiorum eſt, tantò perfectior, quantò liberior; veros habet adoratores qui Patrem adorant in ſpiritu & veritate, non externis & coactis ritibus, quos ipſi ſacrificia vocant, ad quæ tanquam coronatæ victimæ trahuntur funibus, aut ducuntur. Cum autem nihil ad perfectum lex adduxerit, & comparati cum Chriſtianis Iudæi, ſint imperfecti: ea ſimilitudine concluditur votorum legem, non niſi imperfectos ligare. Senſus hic eſt, ſi non verba, eius ſcriptoris, qui legem vtramque non alio conſilio inuicem comparat, & veterem Aureliana acerbitate deprimens, in nouæ encomijs mel loquitur. Quod argumentum quanquam & per ſe leue eſt, in ſola ſimilitudine poſitum, & ex iis quæ olim cum Petro Aurelio de vtraque lege diſputauimus, facilem accipit ſolutionem, & eandem tundit neceſſitatis & obligationis incudem, quam multis emolliuimus: ad pleniorem tamen doctrinæ non probæ confutationem, neceſſarium eſt, hoc loco, vt Commentatorem veſtigijs conſequamur, & veterem legem ab eius calumnia, vt olim ab Aureliana, licet ſtrictiùs leuiuſque vindicemus.

*Seguenoti de lege veteri ſententia refellitur. p. 155.* *Lex vetus*, inquit, *Iudæis propriè loquendo data non eſt, vt ſeruaretur, imo potiùs ne ſeruaretur: vt cum abſque alterius auxilij ope ſeruari non poſſet, ad illud requirendum homines excitarentur.* Hoc ne Petrus quidem dixit Aurelius, quamlibet legis inimicus. Quis enim vnquam inter homines legem ſubditis à legiſlatore ſcriptam putauit eo animo, eóque conſilio *vt non ſeruaretur? Vbi non eſt auditus ſermonem effundi* vetat ſapiens: ſermonem ſuum inter tonitruum fragores, fulgurum coruſcationes, buccinarum vehementiùs perſtrepentem clangorem effundet Deus, ea mente ne ſit auditus? *Data non eſt vt ſeruaretur.* Non peccarunt igitur, qui non ſeruarunt: ſiquidem Dei conſilium ſunt ſecuti. Atqui *vbi lex, ibi præuaricatio: & quicunque in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur.* Atqui mortis metu ſupplicioque, eius obſeruatio, à populo duræ ceruicis extorta eſt. Sed nimirum idolum illud Moſaicæ legis, velut externa tantùm opera complexæ (quicum vota & media perfectionis auctor comparat) ſeclusa gratia per Chriſtum vult intelligi, quod nos ſuo loco euertimus, vtà Iudæis carnalibus fabricatum, non à Deo propoſitum. Nullam enim ſine Chriſti gratia legem extitiſſe, monſtratum eſt à nobis: neque verò exiſtere potuiſſe: niſi Legiſlatorem iniquum facimus, qui, quod reddi non poſſit,

*Exod. 19.*

intentatis

intentatis æterni ſupplicij minis extundat, aut exigat. *Vt qui ſeruare non poterat*, inquit, *aliud auxilium homines exquirerent.* Huius auxilij neceſſit t[…]n, ſuperaddita mentis illuſtratione agnouerunt Iudæi : vnde hauſta ? Sic illuſtrati ad illud quærendum impulſi ſunt : à quo tandem ? Nonne lux illa excitans, ſolis iuſtitiæ Chriſti Seruatoris radius eſt? Data ergo cum lege, gratia per Chriſtum, vt gratia per Chriſtum, requireretur, & hæc ad legem implendam expetita. Quis ergo nouo, & inaudito dogmate legem datam affirmat, *non vt ſeruaretur, ſed ne ſeruaretur?* Dico amplius, ipſam operum legem, quam Iudaica ſuperbia à Chriſti gratia in monte Sina promulgatam fuiſſe ; & Chriſto Redemptori debuiſſe populum, quòd lege ſcripta viueret, licet eam non ex mente legiſlatoris impleret, iuſtitia ex lege contentus, qui ad iuſtitiam legis procedere iubebatur.

*Data lex Iudæis per Chriſti merita.*

*In vetere teſtamento*, inquit, *gratia fuit, iuſtificatio, libertas, licet hæc legis illius ſtatus non ferret:* perfectis videlicet, hominibus *in veteri teſtamento non de veteri teſtamento*: vt loquitur S. Auguſtinus. *In nouo lex eſt timor, ſubiectio, quamuis iſta de ſe ſtatus non ferat.* Imperfectis nimirum, quibus votorum ſubiectio neceſſaria eſt, & grauiùs peccandi timor, ac proinde illa ex parte ad vetus teſtamentum reflectendis. Imo verò ferebat illa, legis antiquæ ſtatus, ſed obſcuriùs ſed parciùs, ſed hominum culpa minùs communiter. A nouo autem *legem & timorem* cur excludit Commentator, cum illo ipſo, quod interpretatur capite? legat *timorem Dei caſtum, comitem caritatis*, qui pertineat ad Nouum Teſtamentum oppoſitum *timori hominum, timori temporalium malorum, timori qui datus erat in veteri teſtamento, ne amitterentur temporalia bona*; quo ſolo carnalis Iudæorum animus in gradu & officio ſuo continebatur. *Ille timor*, inquit S. Auguſtinus, *non eſt in caritate : iſte autem caſtus, non recedat à caritate. Si non amas, time ne pereas : ſi amas, time ne diſpliceas : illum timorem caritas foras mittit, cum iſto intrò currit.* Eſt igitur per ſe in Nouo Teſtamento, vt caritas, ita timor perpetuus aſſecla caritatis.

*De Nouo Teſtamento quid ſentiat pag 147.*

*Refellitur.*

S. Augu. l. de S. Virg. c. 38.

*Reperiantur*, inquit interpres, *in lege noua, nonnulli eius perfectionis parum capaces, quibus lex, ſubiectio, regulæ, coactio, timor, neceſſaria ſunt : ideoque ad vetus teſtamentum pertinent.* Aperta & facilis apodoſis in vota & regulas Religioſorum, ſole clariùs oſtendit quò demum ſuperiora omnia collimarent. *At perfectis ſola caritas proponitur : quique in veteri teſtamento ſolam interius gratiæ libertatem requirebant, non autem alibi iuſtitiam, ij ad nouum attinuerunt.* Illorum vnum nominat D. Auguſtinus Dauidem, qui contraria Seguenoto loquitur, cum Deum rogat, *Confige timore tuo carnes meas, à iudicijs enim tuis timui.* Quem timorem *diuini in fine iudicij* à caritate foras mitti, negat Seguenoti Auguſtinus. Idem de ſe profitetur, *Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas in æternum propter retributionem.* Quod *deſiderium præmij*, à *formidine ſupplicij* diuerſum ad timorem *caſtum, comitem caritatis* pertinere affirmat Seguenoti Auguſtinus. Legitur Dauid ſacrificaſſe, ieiunaſſe, exteriùs pœnituiſſe, & fuiſſe ſecundùm cor Dei; *perfectus* igitur, & non *ſola caritate*, excluſis *timoris & ſubiectionis* operibus : ita perfectionis internæ ſtudioſus, vt externam Seguenoticam, non negligeret. Hæc priores ſancti, gratiæ & ipſi filij, Noui Teſtamenti prodromi & conſortes. De noua lege quid ait Commentator ? Timorem imperfectis conuenire, non perfectis. At perfectus, vt arbiter Paulus, de ſe dicebat, *cum timore, & tremore multo fui apud vos.* Idemque omnibus generaliter Chriſti

*Timor etiam ad Nouum Teſtamentum pertinet.*

Pſal. 118.

Augu. l. de S. Virg. c. 38. contrarium Seguenoto.

1. Cor. 2.

Phil.c.2.

membris, tum ſi vnquam aliàs perfectis ſcribebat, *Cum timore, & tremore veſtram ipſorum ſalutem operamini.* Coactionem ſcribit & ſubiectionem, eorum eſſe qui perfectionis incapaces ad verus teſtamentum ſpectant. Arqui *ad illud non pertinet quod ſcriptum eſt, Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Quos omnes noſtro ſenſu locos refert Auguſtinus Seguenoti; hoc eſt, is liber, illud caput, cuius explicationem hanc eſſe quam de ſuo producit, auctori contrariam, nobis perſuaſurum ſe putat Seguenotus.

### *IN CONSILIORVM CVM PRÆCEPTIS COLlatione, perplexa & futilis Seguenoti doctrina declaratur.*

### §. VII.

*Senſus quæſtionis exponitur.*

LEGIS vtriuſque mentio, cum gratia & ſeruitute tantopere prædicatis, manu me ducit ad conſiliorum cum præceptis collationem; in qua duo declarare promiſi, perplexam, & futilem Seguenoti doctrinam. Enimuero ſi de conſilijs certum nihil & conſtans pronunciat Seguenotus, perplexus eſt: ſi, quas in conſilijs reperit maculas, quæ deptehendit incommoda, ea nullo negotio transferuntur ad præcepta, quaque parte conſilia deprimit, eâdem præcepta debet contemnere, futilis eſt eius oratio, quæ quod poſtulat non efficit; nimirum abſolutam conſiliorum votorumque depreſſionem. Duo hæc iterum coniungo, vt meminerimus Religioſa & Clericalia ab auctore vota impeti, quæ ſunt de co nſilijs generalibus; licet alio in propoſito latum inter ea diſcrimen agnoſcam. Vide igitur hominem ſua perplexitate confuſum.

*Diſcrimen inter præcepta & conſilia agnoſcit pag. 39. 40 Illud tollit in indiuiduo p. 45. 46.*

I. Poſtulo in primis edici mihi apertè, differant ne à præceptis conſilia? Omnino, inquit, idque ſoli paricidæ hæretici negant, vllam à Chriſto fuiſſe datum conſilium, ſed imperaſſe aiunt quicquid bonum, vtile, & perfectum foret. Præclarè. Lubet igitur mihi non ſolùm præcepta ſequi, ſed etiam amplecti conſilia. Iſtud, ait, fieri non poteſt: nam conſilia cum appello vniuerſè loquor, & ſpeciem à priuatis auulſam conſidero: in indiuiduo tale nihil eſt, quicquid inſpiratur à Deo, præcipitur: humanæ naturæ conſilia ſunt, hominibus ſingulis præcepta. Inſpirantur priuata vocatione S. Antonio, S. Franciſco, cæteris, vt placitum: eodem momento vim habent præcepti, cui ſi deſint, peccant, & quidem iure, ſi verum vbi lex, ibi præuaricationem eſſe. Sola igitur Theologorum mente concipiuntur conſilia, & diſtinguuntur à præceptis; in vſu autem exercitioque hominum, conſilia neutiquam à præceptis differunt, quia omnia præcepta ſunt.

*Ea opinio damnata eſt.*

Quam opinionem ita Cenſura proſcripſit. *Hæc doctrina, quæ docet opera conſilij vbi inſpirata ſunt, & applicata per inſpirationem huic vel illi perſonæ, eſſe obligatoria, & tranſire in præceptum, eſt falſa, periculoſa, conſcientiarum perturbatiua, & erronea.* Sapienter profectò; cum iam olim eo metu perturbati Camorenſes aliqui Monachi, meliores quàm doctiores, ad S. Bernardum ſcriberent,

Bern. de præcept. & diſpens.

*Quod ergo iam Chriſtiano poterit veniale peccatum eſſe, cuius vniuerſæ actioni crimen inſidiatur inobedientiæ?* Quotus enim quiſque non experitur ſæpe ſæpius, ad

*Refellitur.*

bonum quod ſuperetogationis appellamus, quodque propriè conſilij eſt, impelli ſe & afflatu interiore incitari, cuius tamen omiſſionem ſibi fraudi eſſe

eſſe non putat? Equidem ſic arbitror, paucis adoleſcentibus, & puellis ingenuis, ingenioſis, liberaliter pieque educatis, non ſuboriri aliquando à Deo ſanctos animi motus, ad Religioſæ vitæ complexum inclinantes, quos ætate maturiori, cauſæ reſque infinitæ obliterent. Quis hoc illis impoſitum à Deo præceptum eſſe dicat? Quis peccati ex omiſſione conſcientiam obijciat? Addo ampliùs, immitti ſæpenumerò motus illos à Deo, quos tamen reipſa perfici nolit, ſed voluntatis illuſtrationem permotionemque admittentis obſequio contentus, deſiſtere iubeat ab incœpto. Quod in diſceptatione eſſe non poteſt, poſt Dauidis de ædificando Templo conſilium Nathan iudice diuinitus acceptum, eamque ob rem ſtabiliti regni præmio muneratum, licet volente Deo fuerit irritum. Et ne à B. Virgine diuagemur, quis dubitat quin concipiendo virginitatis votum, nuptias etiam legitimas excluſas eſſe voluerit, idque diuino inſtinctu atque arbitrio? Virginitatem tamen probauit Deus, coniugium imperauit. Conditionatum iſtud eſſe præceptum reſpondebit, ſubeundum ſumma cum animi alacritate, donec aliud à ſe ordinatum Deus oſtenderit. Equidem conditionem agnoſco, eamque laudabiliter iniri fateor: ſed præceptum nego, à quo ſine peccato nemo poſſit deſiſtere, qua de re mox diſceptabitur.

*Deus nonnunquam inſpirat, quod non vult perfici.*
*2. Reg. 7.*

II. Explicari volo, quo motu atque impulſu tum præcepta, tum conſilia impleamus? Conſilia, inquit, vſurpari non poſſunt à nobis ſine gratia. Verè. Cur igitur poſtea idem auctor comparaturus eſt conſilia votis adſtricta, cum lege veteri, quæ gratiam ad implendum ſibi propriam non habebat? *Præceptum autem obſeruari debet etiam ſine gratia*, licet abſque ea bene, & *ſicut oportet* exerceri non valeat: *quia eius omiſſio maius peccatum fuerit, quàm ſi fiat abſque gratia, quamuis nunquam deſit peccatum.* Sicque intelligendum Ezechielis dictum, *Ego dedi eis præcepta non bona*, id eſt, quæ defectu gratiæ ſine peccato implere non poterunt. Remitto te, Lector, ad præteritam dudum aduersùs Petrum Aurelium de lege & gratia diſputationem, qua clarè monſtrauimus, vacuum gratia nullum eſſe præceptum, vt pote ἀδυνάτων: atque alium Prophetæ ſenſum ex Patribus dedimus. Hic autem peculiariter Seguenotum monebimus, ne qui gratiam tanto ſe opere gloriatur efferre, in errorem gratiæ contrarium incurrat imprudens. Nam cum exterior præcepti actio, putà miſſa audienda, vel ieiunium, præteriri non poſſit ſine peccato, quiſquis præceptum exequutus fuerit, etiam non benè, & ſicut oportet, id ſaltem lucri fecerit, quòd graue omiſſionis peccatum euitarit, & Eccleſiæ hac in parte obtemperauerit. Hoc ſine gratia, id eſt, ſolis naturæ viribus fieri poſſe, imo debere docet Seguenotus: cum ego contra diſputem, lethali peccato irretitum hominem, qui publicæ metu infamiæ, templum & miſſam ex præcepto feſta die celebret, id ipſum, licet imperfectum opus, præueniente comitanteque gratia facere; neque obedientiam Eccleſiæ debitam infringere, ſed alteri cuidam virtuti, prout eius tulerit intentio repugnare. Sed id pluribus declarare, non eſt huius loci ac temporis.

*Præcepta dicit impleri debere ſine gratia.*
*pag 50.*
*Refellitur.*

III. Quæro præterea, ſit-ne magni opus meriti ſi conſilia ſequimur? Quidni, inquiet, cum ſupra debitum perſoluantur, cum id ipſum expreſsè tradat Auguſtinus, in textu qui explicatur, ſintque *tantò gratiora, quantò magis indebita.* Et tamen ait, in ſequendis conſilijs, etiam perfectiſſimis, peccatum aliquando reperiri poſſe, ſi abſque diuina vocatione aſſumantur: quia

*In ſequendis conſilijs peccari poſſe affirmat.*
*Seguenot. pag 44.*

1 Hiem. p. 49. cum id ſine Dei gratia nunquam fiat, eam autem gratiam præſtare de ſe nemo poſſit qui à Deo non vocetur ad conſilium: ſequitur tum temporis peccare eum qui ſe in conſilia intrudat, vt Oziam, qui thus adoleat in altari; vt Ozam, qui temerè Arcam contingat; vt Ioſephum & Azariam, qui hoſtes aggrediantur iniuſſi.

*Conſilium ex parte hominis conditionatum.*

Vt huic explicationi, quæ vaſtè ſubtiliterque à Religioſa & Clericali vocatione ſectanda mentes timidas & infirmas abducit, ſatisfaciam æquè populariter, illud in primis monere debeo, conſilium eſſe ex hominis parte ſemper conditionatum, quandiu ita clara atque perſpecta Dei voluntas non eſt, vt de ea dubitare ſit nefas. Conditionatum dico, quia ſic eſt animus pij & Deum amantis hominis comparatus, vt hoc aggredi velit, quia ſperat, & probabiliter credit ita velle Deum, promptus aliud quidlibet aſſumere aut deponere, ſi diuerſam voluntatem euidentiùs manifeſtarit. Hoc in Dauidis conſilio de Templi ſubſtructione; in voto B. Virginis quod hypotheticum D. Thomas prima ætate putat fuiſſe; in Abrahami ſacrificio apparet, quod quia poſito Dei imperio ſuſceptum erat, ad primam vetantis vocem ſublatus eſt ab ara Iſaacus, & ſuccidaneâ victimâ peractum holocauſtum. Niſi forte abſolutum vocare malueris, ex eo quòd conſilium ſequitur homo, tanquam abſolutè à Deo inſpiratum, & ſibi nulla poſita conditione externa ſequendum. Vtra libuerit voce ſenſum noſtrum exprime, ego priorem prætulerim. Ex parte autem Dei abſolutam ſemper eſſe arbitror inſpirationem conſilij, hoc ſenſu, quòd eo inſtinctu Deus abſolutè loquendo, ſemper in bonum meum intentus, à me tunc poſtulet obſequij promptitudinem, & conſenſum ex caritate, eamque mihi augendi meriti occaſionem ſuggerat; ſiue reipſa nunquam ſit illa voluntas ad effectum ventura; ſiue poſt felix auſpicium in medio curſu ſufflaminanda ſit; ſiue perfecto demum fine complenda: eius enim eſt illud ſtatuere, noſtrum obſequi.

*Ex parte Deo abſolutum.*

*Duo in conſilijs conſideranda.*

Meminiſſe etiam nos oportet, vt in actionibus cæteris, ſic in conſiliorum & votorum delectu, duo eſſe attendenda, interiùs animi propoſitum & intentionem; exteriùs ipſam nudè actionem, quæ cum ſæpe de ſe ſit indifferens, pretium accipit ab animo. Nullus enim Antonius aut Macarius in horrida Anachoreſi ſeueriorem ſibi indixit abſtinentiam, quàm athletæ veteres prout à Petro Fabro, & Hieronymo Mercuriali deſcribuntur. *Et hi quidem vt corruptibilem coronam accipiant, illi autem incorruptam.* Tam verò certum eſt hos diuina per Chriſtum gratia non egere ad obfirmatam illam ex ambitionis & gloriæ appetitu corporum macerationem, quàm illos eorum conſiliorum aſperitatem abſque valido Dei vocantis impulſu non poſſe ſuſcipere. Quamobrem liberè fateor initi poſſe vitam Religioſam prauo & obliquo animo, ab ijs qui rem potiùs, quàm conſilium; qui quæ ſua ſunt quærunt, non quæ Chriſti Ieſu: quod de Triſtano ſuo in famoſa Petronilla facilè concesſerit Illuſtriſſimus Bellicenſis; ſeu cum is ad Eremitam Nicephorum acceſſit; ſeu cum Cœnobitico inſtituto ſe addixit: ideoque hanc in eis voluntatem à gratia per Chriſtum enatam poſſum pernegare.

1. Cor. 9.

*Poteſt iniri Religio exterius ſine gratia.*

*Poteſt mutari conſilium bonum ſine peccato.*

Monet denique vel humana prudentia, nunquam benè ex euentu ſolo probari facta: cum optima conſilia peſſimè poſſint cadere, vt in alearum iactu. Siquidem Iſraëlitarum gens omnis cladem iteratò ingentem accepit, licet conſulto & imperante Deo in inceſtam Tribum moueret. Quapropter ſi

Iudic. c. 20.

cui

cui conſiliorum via non ſatis felix & diuturna fuit, non id protinus aggredientis temeritati, aut diuinæ vocationis defectui neceſſario aſſignabitur; ſed mutatæ in peius voluntati, aut ipſi nonnunquam Deo, qui ſtationem ad quam pro tempore vocauerat, deſerere nos cogit, vt in alia rerum humanarum parte collocet. Spectandus igitur animus eſt quo quidque fiat, & Deo iudice facti bonitas æſtimanda, quemcunque tandem exitum ſortiatur.

Ad argumentum igitur planè & præciſè Reſpondeo, peccare omnino non poſſe eum, qui quo debet animo conſilium amplectatur. Facilis probatio ex Seguenoti principijs, reique veritate. Nam abſque Chriſti gratia conſilium neque ſuſcipi, neque impleri poteſt, vt oportet: quiſquis ergo illud aggreditur, gratiam ducem ſequitur, cuius auſpicijs ſi poteſt peccare, vbi quæret innocentiam? Cui inquam venit in mentem dicere, nos Chriſti gratia ad id impelli, quod fit cum peccato? *Quæ enim participatio iuſtitiæ cum iniquitate? aut quæ ſocietas luci ad tenebras? Quæ autem conuentio Chriſti ad Belial?* Hoc agnoſcit Seguenotus immemor ſui, dum pronunciat *obediri Deo non poſſe, eum offendendo:* obedit autem qui conſilium inſpiratum cum gratia perficit. Deinde inſtinctus ille & inſpiratio conſilij, abſoluto Dei decreto offertur, vt proſit ſi auditur: non poteſt igitur audita nocere; quod tamen fieret, ſi conſilij executio vergere poſſet in peccatum. Quid Ozias mihi, & Ozas, & Azarias obijcis, ſpecioſa nomina, populares hiſtorias, quibus cum theſi tua commune nihil eſt? Dic enimuerò, fuit-ne opus ſupererogationis, hoc eſt, ſupra communem cæterorum virtutem, & præceptorum debitum quod aggreſſi ſunt? Oziam inuadere in Sacerdoris officium, Ozam temerè & abſque debita reuerentia in Arcam manum inijcere, Azariam & Ioſephum præpoſtera gloriæ cupiditate, in hoſtes contra Imperatoris iuſſa irruere, hæc omnia conſilij diuini opera fuerunt, an præſumptionis diabolicæ? ad ea Dei gratia impulſi fuerunt, an inſtinctu Diaboli? De cauſa dubitas? Exitum vide, lepram Oziæ, mortem Ozæ, fugam & ignominiam Azariæ. Quæ fides ab his exemplis petitur? Num eos profiteor qui cæco atque temerario impetu, inconſulto numine, vel externi aut mali alicuius finis gratia, rem conſilio expoſitam auſpicentur, peccare omnino, & bonum non bene agere? Sed de his nulla mihi quæſtio eſt, neque propriè loquendo Dei conſilijs, ſed ſuis cupiditatibus obſecundant. Pios accipe, diuinæ gratiæ impulſu non indignos, qui conſilium oblatum à Deo, maturo expenſum iudicio, ſapientium arbitrio commiſſum, precibus exoratum, amoris diuini, propriæque ſalutis zelo affectant, & ineunt: hos ego propriè conſiliorum viam ſequi fateor, ſed eoſdem vt ad illam aſpirare ſine Deo, ſic in illa verſari cum peccato non poſſe contendo. Quid quòd vt D. Thomæ placet, longa deliberatione opùs non eſt ad Religionem capeſſendam, cum eius facti bonitas & ſanctitas dubia eſſe non poſſit & incerta? Ac licet *probare ſpiritus ſi ex Deo ſint*, iubeamur; tamen ad Religionem aſpiranti *non poteſt eſſe dubium, an propoſitum de ingreſſu Religionis in corde eius exortum, ſit à ſpiritu Dei, cuius eſt ducere hominem in terram rectam.* Quamobrem admitti non debet, conſilio proüt conſilium eſt, rite exequendo vnquam ineſſe peccatum.

*Reſponſio ad argumentum.*
Seguenot. p. 49. cit.
2. Cor. 6.
Seguenot. pag. 154.
*Exempla prolata explicantur.*
2. Para. 26.
2. Reg. 6.
1. Mach. 5.
*Ineunda prudenter conſilia.*
*Ad Religionis ingreſſum poteſt non adhiberi longa deliberatio.*
D. Th. 2. 2. q. 189. a. 10.

IV. Iſtud etiam rogo, poſſit-ne ſine peccato conſilij inſtinctus negligi, & omitti executio? Quidni enim? Quando *rebus vniuersè ſumptis, qui generali obligationi opus aliquod adijcit, eo potuit abſtinere, cum nulla ſit in conſilio obligatio:*

*Sine peccato poteſt omitti executio conſilij.*
Segu. p. 45.

quando accidere poteſt vt in exequendo conſilio peccatum reperiatur: quo certè caſu, non tantùm rectè laudabiliterque homo poteſt à conſilij opere manum remouere, ſed etiam debet ab eo, tanquam à facie colubri fugere.

*Contraria opinio ſequentis. pag. 89.*

*Et tamen*, inquit, *applicatum alicui deſtinatione diuina conſilium*, (abſolutum decretum promouendæ ſalutis ſupra vocabamus) *præceptum eſt*, *& impleri debet*, *& ſi omittitur, peccatur.* Ede porro quàm graue ſcelus eſſe iudices? *Non eius*, inquit, *grauitatis, quam ſi præceptum præuaricando prætermitteretur.* Quidni autem ſi præceptum eſt, ſi rem grandem imperat, ſi magnum ad ſalutem momentum adfert? Cur eandem non ſubit cum lege præuaricationem, ſi eandem habet cum lege obligationem?

*Refellitur.*

Nimirum iactura diuinæ gratiæ, quæ cum hac omiſſione coniuncta eſt, quæque nonnunquam prædeſtinationis noſtræ catenam aliqua ex parte conſlat, Commentatorem fallit, vt eam abſque culpa non putet exiſtere, quod vniuersè loquendo recta negat Theologia. Hoc addo, quia poteſt eſſe homini alicui tam clarè cognita Dei prædeſtinatio, vt eam ſine mirifico & obſtinato Dei ſuique ipſius neglectu, etiam in conſilijs non poſſit omittere.

*Nullus tenetur ſub pœna peccati omnes Dei inſpirationes ſequi.*

Sed hæc infrequentia modò non loquimur in communi vita conſtituti, in qua omnes vulgò Theologi negant obligari nos ſub pœna peccati, ad omnem comparandam gratiam, quam cum auxilio Dei poſſimus aſſequi. Nam refutandis illis communibus conſiliorum motibus, id tantùm Chriſtiano perit meriti, quod opere conſulto acquiſiuiſſet: eò ſolùm minor apud Deum, quòd maior eſſe noluit. Hoc te in Rege Iſraëlitico Ioas contemplari volo, qui ab Eliſæo iuſſus terram iaculo ferire, ter, non ampliùs percuſſit, iraſcente Propheta: *Si percuſſiſſes quinquies, aut ſexies, ſiue ſepties, percuſſiſſes Syriam vſque ad conſumptionem: nunc autem tribus vicibus percuties eam.* Putas-ne peccaſſe Ioam, ſi triplici victoria ſecurus, hoſtium internecionem non ambiuit? Eum tu mercatorem damnas, qui lucrum è mercibus ſibi non proprijs parabile repudiet, lucello contentus domeſtico? Fateor certè in huius acceptatione vſuque conſilij, ſalutis cardinem non rarò verſari: quo tempore dicas oportet grauiſſimo ſe obſtringere peccato qui omittat; ego nullum præcisè agnoſco: per eum tamen defectum hominem periturum non nego, non quòd peccarit, ſed quòd paratum ſibi præſidium refutarit. Nam qui annuæ confeſſionis præcepto poſtquam ſatisfecit, in peccatum lethale præcipitatus eſt, is ſi conſcientiæ ſtimulos, ad Sacramentum Pœnitentiæ extra ordinem vrgentis, (quod ſanè conſilium eſt) neglectu retundit & hebetat, eoque in ſtatu decedit è vita, ignis ſempiterni præda fiet, non quòd omiſſa confeſſione peccatum contraxerit, ſed quòd alterius peccati reum mors inuenerit. Eadem eſt infantum ratio qui cœlo excidunt; non quòd omiſſa Baptiſmi luſtratione peccarint ipſi aut parentes, ſed quòd cum originis labe filij iræ nati, mortuique ſint. Quemadmodum nulla ſua culpa ſanitatem non recuperabat paralyticus ille, qui cum hominem non haberet, ſalutarem piſcinam primus intrare non poterat.

*Exemplo res declaratur. 4. Reg. 13.*

*Licet ex ea inſpiratione ſalus pendeat.*

*Ioan. c. 5.*

*Leuis obiectio ex 1. Cor. 9.*

Leuis eſt autem in Apoſtoli Pauli auctoritate obiectio, exclamantis, *Neceſſitas mihi incumbit: væ mihi ſi non euangelizauero.* Nam ſi hoc in eo fuiſſe conſilium negauero, cum Apoſtoli ſit illud officium, cum ad Apoſtolatum electus ſit, *vt portaret Chriſti nomen coram Regibus & gentibus*, cui ſe muneri ſine peccato, & diuinæ deſtinationis fraude ſubducere non poterat: ſi hæc inquam reſpondero,

reſpondeto, quis me aut falſi redarguet, aut tanto exemplo vinci, qui de conſilijs tantùm loquor, arbitrabitur? Tam igitur falſum eſt omiſſione conſilij, quàm eius perſecutione peccari.

*Vota non ſunt impedimenta vocationis diuinæ. Seguenot. pag. 21.*

V. Scire demum aueo, ſi verum eſt, conſilium alicui applicatum, in præceptum euadere, ad illud nos diuina impelli gratia, ſine peccato non poſſe prætermitti; quomodo fieri poſſit, vt vota de ſequendis conſilijs *ſæpe ſint impedimenta aliò vocantis Dei*, qui damnatus eſt articulus? Nam ſi me Deus, ad conſilium inſpiratione vocat, eóque ſub pœna peccati debeo adire, quomodo fieri poteſt vt *aliò vocet*? Quis hoc *impedimentum* ponit, niſi Deus ipſe? Quò verò vocabit Deus? Opinor ad perfectionem & caritatem. Atqui ſunt iſta media & inſtrumenta eius perfectionis: non igitur *impedimenta*. Neſcioquid contrarium ſonat *aliò* quò vocor; eſt-ne contrarius viæ terminus? Si qui me in itinere Luteriæ collocat, & Luteriam aduocat, an *aliò vocare* quaſi oppoſitum in locum, cenſetur? Et quoniam tot animis noſtris perplexitates ingenerat noua hæc & inuſitata Seguenoti doctrina, magnam ab omnibus inibit gratiam, ſi non ſimpliciter inauditas afferre propoſitiones, ſed firmis probate rationibus dignabitur, & exemplo aliquo è ſacra ſcriptura, vel probatæ fidei hiſtoria demonſtrare, quod *ſæpe* fieri ponit, quibus in perſonis vota conſiliorum fuerint *impedimenta aliò vocantis Dei*. Addet & diuinæ prouidentiæ apologiam, cui puerilem, & humana pene minorem temeritatem, & præproperam feſtinationem obijcit in conſiliorum inſpiratione, quorum emiſſo voto contraria ab homine poſtulabit, & ad illud deueniet momentum, quo Deum pœnitere poſſit, immiſſæ in hominem perfectæ cogitationis; quo Dei vocatio fidelem creatori ſuo animam, à maiore bono ſibi comparato auocet, & nobiliori vocationi obſiſtat, ad quam prædeſtinata erat, niſi obedientia ſua in minore ſubſtitiſſet. *Non eſt Deus ſicut homo, vt mutetur.*

*Inducit mutationem in Deum.*

## *EADEM CONSILIORVM CVM PRÆCEPTIS collatio ex doctrina Seguenoti continuatur.*

### §. VIII.

*Præceptis tenentur Chriſtiani, vt votis Religioſi. Galat. c. 5.*

ALTERAM promiſſi partem auſpicor à Baptiſmo, in quo vota reperit Seguenotus. De opinione non diſputo, ſed ex opinione dico, cum Baptiſmi lauatione, ſubijci nos conceptis votis, omnibus Chriſtianæ Religionis præceptis; quemadmodum qui circumciſione ſignatur *debitor eſt vniuerſæ legis faciendæ*. Et quemadmodum alibi dictum eſt, Religioſam profeſſionem à Patribus cum Baptiſmo conferri, ob recuperatam innocentiam: ſic iſto loco Baptiſmum cum Religioſa profeſſione comparare poſſumus, ob ſuſceptam obligationem requirendæ alicuius perfectionis. Vtranque vota faciunt: vt priùs inito Chriſtianiſmo ligati ſint homines, quàm Religionis ſolennitate, & id vinculum malè ſibi vnis arrogent Regulares, quod omnibus Chriſtianis commune eſt. Id cupio verè dici, vt colligam aperta conſecutione, omnia quæ Seguenotica doctrina votis attribuit incommoda, cadere nihilo minùs in præcepta, eodemque telo & Chriſtianos communiter in præceptis, & Clericos atque Religioſos in conſilijs vulnerari. Cur ergo tanto mentis æſtu pu-

gnat Seguenotus in vota & conſilia, dum præceptis non cauet, & omnia vno ſimul impetu à perfectionis gradu deijcit?

*Præceptum obligat ad perfectionem exteriorem, vt conſilium.*

Tolle votum à communi Chriſtianorum conditione, merum ſume præceptum, & cum voto conſiliorum compara. In voto duo ſunt, inquit, alterum quòd hominem Deo obliget; alterum quòd ad actionem exteriorem obliget, in qua non conſiſtit perfectio. Præclarè. De præcepto autem quid minùs dici poteſt? Amorem proximi, feſtorum celebrationem, exhibitum parentibus honorem Deus imperat. Obligatus es Deo, vel quà homo vt creatori, vel quà Chriſtianus vt Seruatori: Legiſlatorem & Principem habes in vtroque nomine; is per has leges ad externum te opus impellit: ſiquidem iſta vel nihil agendo, vel interiori tantùm actu non perficiuntur, vt decet, & poſtulat Legiſlator: eadem igitur eſt hac in parte conſiliorum præceptorumque natura.

*Præcepta minùs libera ſunt, quàm vota.*

Libertatem, inquit, homini vota eripiunt, & ſeruilem inducunt neceſſitatem, quia liberum animæ non relinquunt vt aliter agat atque aliter. Oculos modò ad pręcepta conuerte. Vt Baptiſmum, ſic pręceptorum obligationem ignarus, alieno motu, minimè liber ſuſcipio; contra quàm in conſilia me & vota induam. Quæ verò eſt in voto diuinitus inſpirato, concepto ab homine ſeruilis neceſſitas, quę deſit pręcepto? Ad externam actionem voto obligamur? Obligamur & pręcepto. Vota *inſtabilitati humanæ prouiſa remedia* ſunt? Sunt & pręcepta. Vota poteſtatem eripiunt aliter faciendi? Nunquid eandem eripiunt & præcepta? Imo longè ampliùs; ſiquidem ſine gratia votorum viam ingredi non poſſumus, etiam ſine gratia præceptis obtemperare cogimur. Adde quòd nemini quocunque caſu erepta non eſt malè agendi libertas. Sic ad pręceptum te Deus adigit, vt ſi volens libens omiſeris, aut aliter quàm imperet, feceris, vindicaturus ſit violatum à te præceptum, à me votum. Hoc igitur loco ego & tu ſolis diſtamus obiectis, vt aliqua tibi, multa mihi non liceant; neutri ſua moralis libertas eſt.

*Dei prouidentia non magìs aſſtrictus vota quàm præcepta.*

Dei prouidentiam adſtringunt vota, vt ab homine aliud poſtulare non poſſit pro tempore. Audio. Hypothetica eſt illa neceſſitas, homine quandiu conſilio vni obſecundabit, alium virtutis actum exercere non valente. Minusne impoſitis à ſe ipſo præceptis Deus quodammodo vincitur? At incidunt vt in votis, ſic in præceptis, & quidem longè frequentiùs, tempora, quibus ſupra præceptum animam euehit ad maiorem perfectionem: *eſt enim filius hominis Dominus etiam Sabbati*, Reſpondeas hic licet non eſſe oppoſitum præcepto conſilium; ſic inſpirari tum à Deo conſilium, vt præcepti obligatione non exſoluat. *Oportet enim hæc facere, & illa non omittere.* Verùm vlteriùs rogo, intento in præcepti executionem homini, Deus-ne conſilium inſpiret? Id enim facere leue eſt, ſi votum præcepto nihil addit niſi exterius, in quo non conſiſtit perfectio: id fruſtra faciat, ſi aliter quàm voto, quiſque ſe Deo æquè perfectè poteſt donare & dicare. Videtur ergo Deus tali loco ac tempore adſtrictus, ne vota inſpiret, non hominis pręceptum implentis determinatione, ſed ipſa conditione votorum.

*Matt. c. 23.*

*In præceptorum obſeruatione difficultas reperitur.*

Conſiliorum ſuauitudo felle tædij difficultatiſque corrumpitur. Quid? in obſeruatione præceptorum difficile nihil & moleſtum occurrit? Quid ſi non infrequenter homini Laïco præcepti vnius, quàm Religioſo votorum omnium pondus grauius eſt & acerbius? Nam ſi aſperitatem conſuetudo mi-

rigat

rigat, iucunditatem conciliat habitus, vtri potius illum donatum es, Regulari in perpetuo conſiliorum vſu verſanti, verſatoque; an ſeculari diuinorum præceptorum occaſiones tarò quærenti, rariùs qua decet alacritate complectenti? Si res curæque externæ diuini cultus & cœleſtium conſolationum ſaporem obtundunt, vter priùs guſtum pietatis amittit, Religioſus qui dies noctesque delicijs illis paſcitur; an ſecularis à quo furtim parcéque libantur? *Qui ſine vxore eſt, ſolicitus eſt quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum vxore eſt, ſolicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuiſus eſt.* 1. Cor. 7. Si vbertas gratiæ facit computreſcere iugum à facie olei, difficile eſt conijcere vtri abundantiorem largiatur Deus, Regulari therapeutæ purum ſibi famulatum exhibenti, an populari diuiduas diſtinctaſque vitas amanti? Maxime cum opinione Seguenoti, nunquam ſine gratia conſilia expleantur, etiam ſine gratia ingratijs præcepta debeant perfici. Denique ſi amore Dei, puraque caritate dulceſcunt amara quælibet, vtri maiorem ardentioremque aſſignaturus es, Laïco, ſeipſum cum Deo, & ſæpe præ Deo diligenti, an Religioſo, ex laudabili amoris inſania, quam explicuimus, ſe & ſua penitus exuenti?

Vota, inquit, ſunt imperfectorum. Quæro cur potiùs præcepta perfectorum? *Præcepta non ſunt tantùm perfectorum.* Regnabat in lege veteri timor, in nouo gratia. Negas in vtraque præcepta eadem reperiri? illa ipſa præcepta in veteri cum timore data ſunt; in nouo, cum amore & gratia, etiam conſilia. In vtriuſque confinio poſitum iuuenem, & obſeruatis præceptis bonum atque perfectum Chriſtus ipſe addito quod deerat conſilio, meliorem, perfectioremque facere optabat; niſi rerum terrenarum vincula euolaturum ad maiora animum tenuiſſent. Cuinam Teſtamẽto hominem triſtem, & conſultori ſuo ſubitatum aſſignas? Opinor veteri. Apoſtolos relictis omnibus Chriſtum ſequutos, cuius eſſe putas Teſtamenti? profectò noui. Vtrum porrò vberius perfectione, viris vndecunque perfectis plenius arbitrare? Moſes ergo nuda præcepta, & crudum timorem ſuis dederit; Chriſti Redemptoris opus eſt, Conſilium. Quid vrges, præcepta libertatis, hoc eſt caritatis ſpiritu, qui non eſt ſub lege, exerceri poſſe? Non poſſunt & vota, vt fatetur Interpres? Non debent, tota ex amore & caritate conflata? Iuſto lex non eſt poſita? Quantò minùs votum, cum illa imperetur, iſtud conſulatur? Longior ne ſim, ſemel concludo, votis & conſilijs nihil obijci quod ad præcepta non poſſit referri, & imprudenter ſutiliterque facere Seguenotum, qui vota illis partibus deprimat, quæ præcepris nihilo minùs incommodant. His itaque cum illo diſputatis, confectum à nobis ſpero feliciter, in eo ſtatu viræque perfectione Chriſtianam ineſſe perfectionem, cuius vota & conſilia componant eſſentiam.

## *STATVM RELIGIOSVM SINE VLLIS VOTIS non poſſe conſiſtere aduerſùs Petrum Aurelium diſputatur.*

### CAPVT VIII.

*Statum Religioſum ſine votis eſſe poſſe Petri Aurelij ſententia. in vind. pag. 671.*

CONFIRMATA generalis noſtri Syllogiſmi propoſitione, ad aſſumptionem deuoluimur, qua poſuimus ſtatum Religioſum à tribus nominatiſſimis votis & conſilijs eſſentiam ſumere: vt inde facili conſecutione deducamus, ſtatum eſſe perfectionis, ſiue qui eſſentialem habeat in natura ſua perfectionem, non quidem comparatam, ſed acquirendam, modo inferiùs explicando. Sed in limine manus iniſciunt aduerſariorum aliqui, & has illi ſubſtantiæ ſuæ partes eripere conantur. Pronunciat enim Petrus Aurelius *poſſe ab Eccleſia Religiones ſic inſtitui, vt vel aliquo trium votorum, obedientia, caſtitatu, paupertatu careant, quales olim Rechabitæ; vel ſimul omnibus, quales Nazaræi.* Omnibus, inquam, non tantùm tribus nominatis, ſed & alijs, cum omnia eodem euertantur fundamento, in quo vim ipſe magnam peruidet, quòd nimirum ſint *Religiones factitiæ*, hoc eſt, ad arbitrium Eccleſiæ, & eius Principum inſtitutæ, non autem natura ſua, & iure diuino tales.

*Conſentiente Nicol. le Maiſtre.*

Conſentit & Micolaus le Maiſtre, dum Monachis veteribus veram, ſtrictam, imo eminentem ſupra recentes Ordines attribuit Religionem, nullis tamen votis, qualia modò nuncupantur religatam, vt fusè libro huius operis quinto declarauimus.

*Dubitante, ſibique contrariante Fr. Hallier in vind. pag. 40.*

At Franciſcus Hallier velut in ſalo fluctuat, & modò *tria eſſentialia vota* nominat, & antiquis Monachis non defuiſſe fatetur ea, quæ Religioſi ſtatus eſſentiam conſtituunt. Modò Iuonis Carnotenſis dictum laudat, & ſuum facit, *Monachum ſolo mundi contemptu, & Dei delectione fieri.* Vnde colligit *nulla Monachos publica conſecratione Deo deuotos fuiſſe, & accidentariam eam benedictionem ad Monachatum exiſtere.* Cum autem conſecratio religioſa nunquam ſine votis perficiatur, eaque accidentaria ſit, Doctoris iſtius arbitrio; nonne manifeſtè ſequitur accidentaria eſſe Monachatui vota, & abſque illis poſſe Religioſos Ordines conſiſtere, qui purus Aurelianiſmus eſt?

*Diuiſio quæſtionis*

Duabus igitur hæc ſiue nouitas, ſiue opinio propoſitionibus continetur, poſſe Ordinem Religioſum inueniri atque inſtitui nullis perpetuis votis conſtantem: Poſſe aliquo trium nobiliſſimorum carentem, & eorum vel vnico vel duobus contentum. Priorem hoc capite, poſteriorem ſequentibus expugnare contendo, & vtrique fidenter oppono veram, Catholicam, & quæ ſine erroris ſuſpicione, & temeritatis periculo negari non poteſt, ſententiam, ex votis, & quidem omnibus illis tribus ampliſſimis, Religioſi ſtatus eſſentiam conſtare: ſublatis omnibus ſtatum perire: dempto vno non minùs tolli Religionem ſtrictam, quàm ſi à genere animalis ſpeciem hominis eripias.

*Quid ſit ſtatus. D. Th. 2. 2. q. 183. a. 1.*

Quod vt animo tuo, Lector, quanquam iam ſatis ſuperque cognitum, clariùs obijciam, Notandum mihi. 1. Statum eſſe *quandam poſitionis differentiam alicuius rei, ſecundùm modum ſuæ naturæ, quaſi in quadam immutabilitate.* Qua definitione D. Thomas duo in ſtatu exigit, videlicet perfectionem in aliqua conditione, vel eius exiſtendi modo; vt cum naturali ſitu *ſtat* homo, capite ſurſum

ſurſum erecto, pedibus in imo fixis: & quietem, firmitatem, & quandam, vt aiunt, permanentiam in ea poſitione; vt cum erectus homo loco vno ſubſiſtit, & hæret: qui ſi moueatur, & ambulet, *ſtare* dici non poteſt. Quare vt quis in aliquo ſtatu, artificis exempli gratia, eſſe dicatur, *duo requiruntur*, inquit Hallier, *puta & vt permanenter hanc artem exercere velit; & vt permanentem habeat eius artis exercendæ cognitionem ac peritiam.* Sic Religioſus ſtatus, eſt illud vitæ genus, in quo ſtricta Religio ſuis partibus benè diſpoſitis conſtans, periré exercetur, cum fixa & immobili in eo permanendi voluntate.

Halli. in vin. p. 659.

Notandum 2. firmitatem hanc & immobilitatem, non eſſe phyſicum quoddam vinculum, quo mens & voluntas tanquam Andromeda rupi, & Prometheus Caucaſo ſic alligetur, vt niſi Deus aliquis ſoluat, inde pedem mouere non poſſit. Hoc tamen intelligere videri volunt, qui Religioſos cum immobilitate decantata ſubſannantes, Apoſtatarum eruptiones obiectant, qua turpior leuitas nulla dici poteſt. Eos tamen neſcire non arbitror, ſtabilitatem illam moralem tantùm eſſe, quæ liberum animæ corporiſque vſum voluntati non eripiat; ſi quando excuſſo iugo, confractis vinculis exclamare libuerit, *non ſeruiam.* Quare D. Thomas mitigante particula *quandam immutabilitatem* vocat, *ex cauſa permanente, & non facilè mutabili.* Sic Religionis Chriſtianæ profeſſio ſtatus eſt in Baptiſmo ſuſceptus, & tamen Iulianos & Porphyrios, & alia Parabatarum monſtra expertus eſt. Sanctum matrimonij vinculum ſtatus eſt, & quidem laudabilis; libellos tamen repudij ne Moſes quidem Iudæis negauit; corporum facultatumque diuiſiones leges humanæ non ſemper improbant; nefanda diuortia non infrequenter cupido turpiſſimus perſuaſit. Quare licet Religionis propoſitum praua voluntas mutauerit, quæ *nunquam in eodem ſtatu permanet*, id tamen neque facilè, neque licitè, ſæpe etiam neque validè facit: tunc maximè captiua, cum maximè libertatem vſurpat.

*Qua ſit ſtatus perm. ac.*

Notandum 3. ſtatum moralem qui nobis in quæſtione eſt, pertinere ad ſtatum libertatis vel ſeruitutis; vt idem D. Thomas edocet. Status Regularis ad ſeruitutem reducitur, quia peculiarem ſubiectionem & obligationem inducit, cuius habet cauſam permanentem, videlicet profeſſionem religioſam, aut votum, aut pactum aliquod. Status vero ſecularis eſt ſtatus libertatis, vtique à iugo & obligatione religioſa: illius autem libertatis habet ſtabilem & permanentem cauſam, ipſum ſcilicet naturale ius propriæ libertatis, quod de ſe ſtabile ac perpetuum eſt, quandiu per voluntatem propriam regulari iugo non ſubijcitur. Ita Suarez, qui Clericorum ſecularium ſtatum ad ſecularem reducit; & tamen ſtatum ſeruitutis eſſe & dicit, & probat; quoniam *de ſe cauſam & fundamentum permanens habet, nimirum ſacramentum immobile, & imprimens characterem indelebilem*, quò natura ſua tendit. In quo non ſatis ſibi ipſe videtur conſentire. Nam ſi vniuerſè ſtatus ſecularis libertatis eſt, eiuſque ſpecies ſunt Clerici ſeculares, cum ſpeciebus ſingulis conueniat, quod ipſi generi conuenit, profectò Clerici ſeculares in ſtatu libertatis ponendi ſunt. Verùm è diuerſo, cum recta ratio ipſius Suaris, ſtatum illis ſeruitutis aſſerat, nonne conſultiùs eſt vt eos ſtatui Regulari adiungamus, cum & ipſi publicæ votorum profeſſioni (præcipuos eorum intelligo) ſint obnoxij?

*Status libertatis & ſeruitutis.*

D. Th. loco cit. Suar. tom. 3. de Reli. l. 2. c. 2. n. 12.

*Refellitur pro Clericis ſecularibus.*

*Qui pertinent ad ſtatum regularem.*

Notandum 4. quod indicauimus, immobilitatem illam liberrimæ ſeruitutis in ſtatu Religioſo, non aliunde, quantùm ad præſens negotium atti-

*Immobilitas Religionis eſt a votis.*

net, quàm à votis proficiſci; hoc aduerſarijs ipſis agnoſcentibus qui *humanæ inſtabilitati promiſſa remedia* eſſe proclamant : vt *Monaſticus Ordo* (inquit Iuo Carnotenſis ſæpe à Franciſco Halliet citatus) *quantò firmiùs in conſpectu Dei & hominum, & ſolenniùs ligaretur, tantò robuſtiùs, & deuotiùs ab ipſis ſeruaretur.* Et quoniam duplicis generis ſunt vota, priuata & publica : illa priuatum opus, priuatam & minimè Hierarchicam faciunt perfectionem : hæc publicam & planè Hierarchicam, Hierarchica inſtitutione, benedictione, conſecratione ſuſceptam, ad Hierarchica opera, & acquirendam aut profitendam publicò Eccleſiæ nomine perfectionem. Quod non ſemel à nobis dictum, hic etiam, loco non alieno permittet iterati Lector, vt conſtantem ſuis principijs tanquam fundamentis, Hierarchiæ noſtræ doctrinam & ſubſtructionem faciliùs agnoſcat.

Iuo Carn. ep. 41 ad Gaufrid. Abbatem.

*Religio latè & ſtrictè ſumpta.*

Suar. tom. 3. de Relig. l. 1. c. 1.

V. Denique nos iubet idem Suarez latam & ſtrictam Religioſi ſtatus notionem diſtinguere. Latior ea eſt quæ illos comprehendit viuendi modos, in quibus homines *voluntariè ſe offerunt diuino cultui & obſequio ad aliquam conſiliorum obſeruationem ſe obligando.* Qua ratione omnes complectitur *qui non integrè, ſed ex parte* Religioſorum aliqua vota concipiunt. Stricta verò ad eos pertinet, qui ſe Deo totos penituſque conſecrant, *tria vota de tribus principalibus conſilijs paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ emittendo.* Dixi principalia, quia tribus præcipuis Chriſtianæ virtutis perfectioniſque hoſtibus opponuntur, ſuperbiæ vitæ, concupiſcentiæ carnis, & concupiſcentiæ oculorum : quia fortunam, corpus, animam Deo dedicant : quia rerum omnium cupiditatem ſemel reſecant & amputant. Quamobrem de ſtatu perfectæ, & ſtrictæ Religionis, vt in theſi poſitum eſt, deque generalibus illis votis modò quæritur, an ſine ipſorum aliquo, vel etiam nullo, quod pugnat Aurelius, ſtare poſſit vera, publica, integra, Hierarchica Religio?

*Sine votis nullam poteſt eſſe ſtatus Religioſus.*

Dico igitur ſine vllis votis nullam eſſe poſſe quam quærimus Religionem; idque euidenter ex fundamentis ante iactis efficio. Nam ſi Religio ſtatus eſt, ſuas partes rite atque ordine poſitas habere debet, & in illa perfectione firmitatem, & quandam immutabilitatem in peculiari Dei ſeruitute, quam ego in votorum vinculis reperio, paratus audire ſi quid melius, firmius, nobilius adferre volent aduerſarij. Ducem autem ad hanc rationem habeo D. Thomam, & eius aſſeclas, amatores, Commentatores. *Ad Religioſos*, inquit, *pertinet quòd ſint in ſtatu perfectionis. Ad ſtatum autem perfectionis requiritur obligatio ad ea quæ ſunt perfectionis, quæ quidem Deo fit per votum.* Neque ſum imparatus à S. Dionyſio, apud quem confitetur Monachus in conſecratione, renunciare diuiduis & diſtinctis vitis (quod fit per tria conſilia, vt ante vidimus) & perfectiſſimam vitam à Sacerdote ſibi tum expoſitam amplecti : non quidem in aliquot mēſes & annos, ſed in totam vitam, quod ſine voto firmum non eſt propoſitum. Hanc enim perennitatem, ſatis oſtendunt enarratores S. Maximus & Georgius Pachymeres, dum Meſſalianos, ſeu Marcianos ex hoc loco reuincunt, quibus in more poſitum erat triennium ſolum in exercitatione Monaſtica conſumere, & vitam deinde reliquam in ſtupris & omne genus flagitijs volutari. Vult igitur S. Dionyſius vniuerſam Monachi vitam ea promiſſione conſtringi. Eò ducit & Caſſianus, qui profeſſionem Religioſam adeo ſeuerè monet implendam, vt non niſi votiuam ſentire poſſimus. *Pœna grauiſſima*, inquit Abbas Pynuphius Monaſterium ineunti Nouitio, *præparatur*

D. Th. 2. 2. q. 186. a. 6.

Dion. c. 6. Eccleſ. S. Max. Pachym. in eum locū

*Meſſalianorum error, & nequitia.*

Caſſia. l. 4. Inſt. c. 33.

*tur his qui tepidè eam negligenterque fuerint executi: & ſecundùm hoc quod profeſſi ſunt, vel quod ab hominibus eſſe creduntur, fructus etiam congruos ſanctitatis, eidem exhibere neglexerint. Melius eſt enim ſecundum ſcripturæ ſententiam, non vouere quenquam, quàm vouere & non reddere.* Ponit ergo manifeſtè Caſſianus in votis Religioſi propoſiti firmitatem. Neque abeſt ab ea ſententia magnus Auguſtinus, illum explanans verſum, *Vouete, & reddite. Nemo poſitus in Monaſterio* Augu. in Pſal. 75. *dicat, frater recedo de Monaſterio: neque enim ſoli qui ſunt in Monaſterio, peruenturi ſunt ad regna cælorum; & illi qui ibi non ſunt, ad Deum non pertinent. Reſpondetur illi, ſed non vouerunt, tu vouiſti, tu retro reſpexiſti: memento vxoris Loth.* Potuit ne verbis illuſtrioribus & religioſum in votis ſtatum, & in ſtatu firmitatem ponere, & eius à ſeculari, & ſoluto diſcrimen Petro Aurelio oſtendere, ſanctus Aurelius? Qui cum poſitiuum hoc argumentum non poſſit eludere, negatiuum ſubijcio, in quo ſe verſabit fortaſſe feliciùs.

Nunquam Eccleſia Monachos vllos publicè probauit & conſecrauit Hierarchica benedictione, quos in conditione vitæ firma & conſtanti non poſuerit, adeo vt regreſſum ad vitam ſecularem liberum illis permitteret: nunquam igitur Monachos publicè probauit, qui in firmo ſtatu, & immutabili propoſito non eſſent. Hunc autem ſtatum ſine votis nunquam probauit Eccleſia, nunquam acceperunt Monachi; Non fuerunt igitur vnquam probati in Eccleſia publicè Monachi nullis votis obligati. Eſt igitur modò Petri Aurelij veteris Eccleſiæ ſuæ rudera mouere & ſcrutari omnia, vt ex ijs vnum excitet Monachum publica conſecratione ordinatum, cui citra peccatum, mutandi ſtatus, & ad nuptias conuolandi libertas relicta fuerit, ſcientibus probantibuſque Hierarchis. Eius eſt vel vnum è ſexcentis Patribus, vnum è mille canonibus Conciliorum afferre, cuius auctoritate libertas illa vel per vmbram probari poſſit. Imo verò è diuerſo, Canones, Patres, Doctores innumeros proferre poſſum, qui libertatem illam Monachis clarè & apertè ereptam affirment, quod iam antè dicis cauſa factum eſt. Habet igitur Petri Aurelij aſſertio de Religioſo ſtatu nullis votis conſtante infirmam nouitatem, & veterum omnium ſenſui repugnantem: noſtra autem illi contraria poſitio, teſtem habet & iudicem, omnium ab ineunte Chriſti Eccleſia ſeculorum memoriam & doctrinam. Iudica Lector, vtras partes fides ſequatur, & veritas. *Nulli vnquam fuerunt in ſtatu Monachi ſine votis.*

Reſpondebit fortaſſe, ab initio non fuiſſe ſic; ſed primis ſeculis liberam *obiectio.* fuiſſe vitæ Monaſticæ profeſſionem, non aliter quàm Societates liberas quæ modò florent, ad quas ingredi, à quibus digredi merum libertatis arbitrium eſt. Procedente tempore addita vota ſimplicia, non vt operi pretium, ſed vt conditioni aliqua firmitas adueniret. Creſcente demum malitia, labente Cœnobitarum perfectione, pronunciatam à Bonifacio VIII. circa annum reparatæ ſalutis 1303. voti continentiæ ſolennitatem, vt *in camo & freno maxillas eorum conſtringeret* Eccleſia, ne turpi leuitate nuptias affectarent Regulares, quæ non poſſent eſſe legitimæ. Tranſiiſſe ad reliqua vota ſolennitatem eandem, vt duritia cordis & inconſtantia pluribus vinculis & catenis coërceretur. Vinculis inquam votorum plenè pureque humanis, quæ in Caritatis, vinculi nempe diuini locum ſucceſſerunt. Tantùm igitur abeſſe vt Cœnobiticus ſtatus ſit modò, quàm olim nobilior, quin potiùs à diuino defluxiſſe ad humanum, à caritate ad vota, à libertate ad vincula.

*Refellitur ex eo, quòd dictorum pleraque non poßint probari.*

Hæc & id genus alia benè multa, quæ in contumeliam Regularium di i poſſunt, ſi quando deſcribet Petrus Aurelius, non tantùm narrare, ſed & ſolidis rationibus, certiſque antiquorum teſtimonijs probare meminerit, nullis in Sodalitaribus Monaſticis primorum ſeculorum Hierarchica conſecratione & approbatione ſtabilitis, vota fuiſſe: eas Societates liberas, ſtatus Regulares aut Monaſticos appellaras, aut verè & propriè ſtatus extitiſſe: omnes chronologiæ ſuæ conſuler epochas, vt Pontificem, Imperatorem, Conſules, Olympiadem, Indictionem, Eram, Hegiram, annum Chriſti præcisè denotet, quo vota ſimplicia in Cœnobia ſunt admiſſa, quemadmodum ſub Bonifacio VIII. inducta ſolennitas collocatur. Hanc ſolennitatem declarabit in caritatis locum veniſſe, id eſt, & vota, & eorum ſolennitatem Religioſis Ordinibus datam eſſe ab Eccleſia, quia careant caritate. Theologiam quoque excutier ſuam, vt ijs demonſtret argumentis, quibus ſolidi nihil poſſit à Catholicis, & rectè ſentientibus opponi, votum rem ſemper eſſe merè humanam, nimirum quia virtus Religionis ſupernaturalis nulla ſit, Catholicorum Theologorum ſententia. Quæ pauca de pluribus donec per otium conficiat, curſum noſtrum in quæſtione propoſita renebimus.

---

*STRICTÆ RELIGIONIS STATUM TRIBUS ſubſtantialibus votis conſtare demonſtratur.*

## CAPVT IX.

*Religioſus ſtatus eſt acquirenda perfectionis.*

HABET aduerſariorum omnium confeſſione Religio capita duo; quòd ſtatus ſit, quo de diximus; & acquirendæ perfectionis, hoc eſt, certum & ſtabile vitæ genus, in quo eſſentialiter grandia & efficacia reperiuntur media, inſtrumenta, ſubſidia ad acquirendam eam quæ homini Chriſtiano cuilibet proponitur, perfectionem. Scio equidem digladiati modò plurimos, ſint-ne ſoli eo in ſtatu quo perfectio comparatur, cum Epiſcopalis dignitas, Sacerdotalis character, Chriſtiani Baptiſmus ab acquirenda ſingulis conuenienti perfectione non remoueant.

*Sed non ſolus.*

Quam prærogatiuam dum cæteris præreptam nolo, Religioſis ſtabilio: dum illam in reliquis per vota confici fateor, religioſa vota confirmo. Nam in Epiſcopali & Sacerdotali gradu vota, nemo noſtrum non agnoſcit: in Baptiſmo vota fieri, ſaltem quæ latè ſumantur, omnes affirmant, vt aliàs videbimus. Adiunctæ ſunt illis viuendi generibus certæ quædam dirigendarum actionum regulæ, baptizatis ſimpliciter Dei & Eccleſiæ præcepta, Epiſcopis & Sacerdotibus ſacri Canones, diuinæ medulla ſapientiæ, regularum omnium caput & origo, regularium obſeruantiarum mens & idea. His regularum auſpicijs per virtutum viam ad apicem virtutum, *vinculum perfectionis* gradiuntur ſinguli, Caritatem: illis votorum ſemitis obices deuitant, remoras amputanr, abijciunt onera quæ iter cupidè facientibus obſtare videantur. Quæ ſi omnibus vulgò conceduntur, quis ſanus Religioſis negauerit? Sed quoniam ſtrictiorem quàm vulgus Chriſtianorum, perfectionis viam ingrediuntur Religioſi, in eorum conditione & ſtatu repetiri debere dico conuenientiſſima omnia media & ſubſidia, quibus eò poſſit tandem aliquando perueniri;

ueniri; eaque eſſe tria vota, de quibus diſputatur. Quod his conficio rationibus.

I. Strictæ & integræ perfectionis acquirendæ ſtatus hominem totum Deo, quantùm in hac vita poteſt, debet tradere & conſecrare, vt, quod ait S. Gregorius, *ſit holocauſtum, & omnipotenti Deo voueat omne quod habet*, (in bonis fortunæ) *omne quod viuit*, (in corporis ſenſibus) *omne quod ſapit* (in arbitrij ſui libertate.) Eſt autem Religio ſtrictæ ad perfectionem viæ ſtatus, & perfectionis per conuenientiſſima media comparandæ conditio firma & ſtabilis: oportet igitur vt hominem totum Deo, tanquam holocauſtum in perpetuum dicet, addicat, conſecret. Id verò commodè & perfectè non poteſt fieri, niſi per abdicationem voto confirmatam animi, corporis, externorum bonorum, quæ nos quaſi perpetuum ſacrificium, & anathema in Dei poſſeſſionem traducit, vt fusè ex S. Auguſtino, Bernardo, & alijs Patribus probat Hieronymus Platus, ad quem hac in materia ſæpe remittendus eſt Lector, vt *virum bonum* & ſcriptorem ſolidum; qui rationibus pugnat & Patribus, vt ſtatui Religioſo dignitatem vtilitatemque aſſerat, quam exorti recens aduerſarij volunt peſſumdatam. Quòd ſi tam potentibus baliſtis; leuiores aliquando interijcit ex hiſtoria, maximè Monaſtica narratiunculas, ijs vtitur non ad peruincendos, ſed recreandos animos; non ad veritatem altè ſolidéque fundandam, ſed ad venuſtatem operi conciliandam, nec vanam, nec ſuo inutilem instituto.

*Religio totum hominem Deo tradit.*
Greg. hom. 20. in Eze.
Platus l. 2. c. 15.
*Eius hac in diſputatione auctoritas.*

II. Religio eſt arcta quædam obligatio ad Christi vitam, quantùm homini fas eſt, in ſe exprimendam. Cùm enim communis Chriſtianorum is debeat eſſe conatus, Religioſis maximè proprius eſt, qui ex omnium ſenſu plus aliquid virtutis, quàm hominum vulgus affectant, quod & frequenter dictum, & ante diſputatum, & inferiùs etiam monſtrandum eſt. Hæc autem ſimilitudo, niſi in tribus illis votis exprimi non poteſt. Nam vt breuiſſimè Platus idem, Religioſorum *paupertas illius paupertatem imitatur, qui non habuit vbi caput reclinaret; & caſtitas, illius caſtitatem, qui fuit candor lucis æternæ; & obedientia quoque ex illius humilitatis abyſſo deprompta eſt, qui factus eſt obediens vſque ad mortem.* Quæ quidem virtutes quia latiſſimè funduntur, & præcipua ſanctitatis impedimenta reſecant; quia inferiores in ijs delireſcunt, & ex infinita virtutum multitudine, quas exemplo ſuo Chriſtus edocuit, capitales iſtæ omnibus generatim religioſis inſtitutis conueniunt, priuatarum arctiori profeſſione priuatis reſeruata: idcirco omnes & ſolæ ab omnibus communiter Religioſis vouentur.

*Religio eſt ſtricta & perfecta Christi imitatio.*
Platus l. 2. c. 11. V. Leſſ. l. 2. de ſtatu Reli. c. 41. dub. 2.

III. Ad eximiam Dei gloriam, & Eccleſiæ dignitatem vtilitatemque pertinet, vt in ea ſit ſtatus acquirendæ perfectionis expeditiſſimus, optimus, ipſi fini proximus, qui homines inter eſſe poſſit: non poteſt autem alius eſſe ſtatus ille, quàm Religio; neque talis eſſe Religio, niſi tribus votis eſſentialiter conſtet; debet igitur tribus illis votis eius eſſentia definiri. Maior ex Hierarchiæ fine, ſæpe à nobis relato patet, qui eſt homines ad Deum adducere, Deo per caritatem coniungere, ſimiles facere per imitationem: manca eſt autem Hierarchia, ſi nullam habet facilem, liberam, & perfectè vtilem ad hoc viam. In priori minoris propoſitionis parte nullam patietur difficultatem, qui recolet in S. Dionyſio Monachos Hierarchæ tradi perficiendos, perfectiſſimam eis exponi vitam, renunciare imperfectioni, ſeu diuiſæ vitæ,

*Talis ſtatus ad Dei & Eccleſiæ gloriam pertinet.*

quæ ſanctoetiam populo permittitur. Deinde ſtrictiſſimæ perfectioni acquirendæ, aut certè ſtrictiſſimo modo, nullus alius ſtatus eſt, ſi D. Thomæ credimus. In poſteriori nodus eſt: ſed is facilè ſoluitur, ſi attendis quemcunque ſtatum formabis animo, vacuum ternario votorum numero, non fore expeditiſſimum & optimum, vt pote quo melior & liberior alius dari poterit. Nam Clericis continentiam vouentibus, deeſt paupertas, & obedientia illa ſtricta quæ conſilio paret: pauperibus bonis & pijs, non adeſt caſtitas & obedientia: & cum tria illa rarus aliquis phœnix in ſe ſuſceperit, niſi votum addat, multùm de merito deperdet: ac licet voti etiam vinculo, ſed priuato ſe ſe adſtringat, Pontificum, & Eccleſiæ publica benedictione priuatus, neque propriè ad Hierarchiam ſpectabit, neque multùm conducet Eccleſiæ. Nam tota eius virtus eo moriente occidet, cum meliùs ſit permanere in Eccleſia ſtatum, qui priuatorum fato non ſit obnoxius.

*Obiectio.* Dices plus aliquid hoc argumento probari, quàm res & ratio poſtulet. Eadem enim opera oſtendit, omnia Religioſo ſtatui ineſſe debere conſilia, adeoque tribus votis eſſentiam Religionis non coërcendam. Eſt enim melior & perfectior acquirendæ perfectionis ſtatus qui plura, qui omnia complectitur conſilia, quàm qui pauca ex omnibus: quare aſcenſus ille & gradatio in nos æquè militat, vt in aduerſarios. Expedita eſt ex D. Thoma reſponſio, Religioſam vitam medium eſſe ad perfectæ caritatis comparationem: per eam nos impedimentis exui quæ vitam vniuerſam in varia diſtrahunt, & curis temporalibus implicant, quæ tria ſunt ante commemorata, votorum nuncupatione præciſa. Cætera autem leuiorem vitæ partem attingunt, tricas eiuſcemodi non inuehunt, & ab eo qui expeditus in via virtutis decurrat, poſſunt non voueri: vt quod à Chriſto conſulitur de offerenda maxilla ei qui alteram percuſſerit, de bene merendo de inimicis, de tunica ei dimittenda, qui pallium vi rapuerit. Huc accedit quòd ad præcipua illa vota, quaſi ſtolones ad truncos primarios, aliæ reducuntur, longè quidem minores, at non inutiles ad propoſitam perfectionem obſeruantiæ. Non poteſt huic argumento Petrus Aurelius aſſentiri, *reſpondetque id falſum eſſe ex ſenſu Patrum.* Verùm quo *ſenſu*, quorum *Patrum* debuit promere, ſi fidem à nobis ſperauit. Et quamuis id efficeret, Aurelij tamen ipſius *ſenſu falſum eſſe* non poteſt, qui voto vno cætera contineri, virtute vna exculta, omnes excoli docet eodem loco: vt nunquam, ſi conſtans eſt, negaturus ſit, tribus grandibus, & quaſi generalibus conſilijs, quibus ad perfectionem graſſantur Religioſi, minora omnia contineri. Adde quòd cum Ordini cuilibet ſua ſint propria perfectionis aſſequendæ media, vnum omnibus commune eſſe oportet, quod ex æquò ab omnibus vſurpetur, quia ſunt omnes æqualiter Religioſi ſtatus, & in via perfectionis acquirendæ.

*Reſponſio. ex D. Th. 2.2 q. 186. a. 1. ad 3.*

D. Th. ibi. a 7. ad 1.

*Refellitur Petr. Aur.* in vind. pag. 674.

*Hæc ſententia communis eſt & vetus, aduerſariorum noua & paucorum.* IV. Hæc eſt D. Thomæ, Theologorum omnium, & Canoniſtarum ſententia, hic communis fidelium ſenſus; ita loquuti ſunt Patres, ita Pontifices; nunquam aliter decretum eſt in Concilijs, nunquam vſurpatum in Eccleſia: vt aliud ſentire, ſit meram inducere nouitatem, & facere vt populus Chriſtianus linguam quam non nouerat, audiat. Scio pedem hic premere nonnullos, & poſtulare id ſibi in antiquis Patribus, & primis ſeculis expreſsè oſtendi, tria vota, eſſentialia, perpetua, paupertatem, obedientiam, caſtitatem, qualis modò vouetur, ſtatum Religioſum, ſtatum acquirendæ perfectionis, & eiuſmodi

modi verba, hac in diſceptatione ſolennia : cum ea poſtulatio periculoſa ſit in plurimis traditionibus, & propendentem in aduerſariorum partes curioſitatem denotet. Nam ſi tui ſunt obſcura quæ attulimus, quæ vetuſtiores Theologi tradiderunt : contendo ego multas illi traditiones, quas tamen ad Apoſtolica tempora retroagit Eccleſia, non fore clariores. Alios video paralogiſmum in animos vulgi, tanquam puluerem in oculos inijcere, vt quoniam recentioris memoriæ eſt votorum Religioſorum ſolennitas, ab Eccleſia inducta, de qua poſtea, credi velint tum, non ante, vota tria Religioſis Ordinibus fuiſſe data, quæ ſint per eam ſolennitatem facta eſſentialia. Quod mihi nunquam probabunt, licet facilè concedam votis tribus, antiquis, ſemper eſſentialibus, fuiſſe nouo inſtituto ſuperadditam multis grauibuſque de cauſis ſolennitatem, accidentariam quodammodo Religioni, quæ per vota ſimplicia poteſt in ſtatu conſiſtere. Quamuis ergo apud antiquos non legatur ſolennitas, non tamen vota defuerunt : aut ſi Monaſticam aliqui vitam cum ſeculari vel Clericali commutarunt, id ſiue perverſè per apoſtaſiæ crimen, ſiue imperio ſuperiorum ſoluti votis fecerunt, ſtatum ipſi deſeruiſſe, & Religionem in ſtatu reliquiſſe cenſendi ſunt, quicquid contra Nicolaus le Maiſtre quinto huius operis libro diſputarit.

*Non caret periculo.*

*Diſtinguenda vota Religioſa, à votorum ſolennitate.*

*Solennitas eſt accidentaria ſtatui Religioſo.*

## REFELLUNTUR ARGUMENTA QUIBUS *Petrus Aurelius ternarium votorum numerum Religioſo ſtatui eripere nititur. Ac primùm Religionum eſſentiam Eccleſiaſticæ inſtitutionis eſſe, non diuinæ.*

## CAPUT X.

PVDVIT Petrum Aurelium prioris ſuæ propoſitionis, qua nobilia vota omnia à Religioſo ſtatu auelli poſſe iactauit : eamque nulla ratione fultam, ſponte contuere paſſus eſt. Pro ſecunda pugnat vehementer, certus ſi vel vnum Religioſo ſtatui eripit, ceſſura loco omnia; cum nullius propria ſit ratio, cur potiùs ad Religioſos Ordines adhæreſcat, vt non poſſit auferri. Sic enim diſputat, triplex votum *nec diuini iuris, nec eſſentiale, vt aiunt, nec neceſſarium penitus eſſe ad aſſequendam perfectionem*, ſed tantùm *vtilitatis, congruentiæ, compendij ad eam habere plurimùm.* Hoc intelligendum modo, quod vulgò dici ſolet, *eſſentiam Regularis ſtatus in tribus illis votis eſſe poſitam : eſſentiam videlicet non diuinitus inſtitutam, aut neceſſariam penitus & immutabilem, quales ſunt naturalium rerum eſſentiæ, ſed eſſentiam Eccleſiæ voluntate factam, Eccleſiæ poteſtate inductam.* Et antea de voto Caſtitatis Regularis, more ſuo pronunciauerat, illud *duobus alijs votis eſſentialiter annexum, nec legiſſe Mohniſtas, nec quantumuis ridiculi eſſe pergant, vnquam legere poſſe.* Summa eſt, non à Chriſto; ſed ab Eccleſia fabricatam ex tribus votis Religioſi ſtatus eſſentiam, ab eadem poſſe tolli, vel mutari pro arbitrio, *quaſi lutum figuli in manu eius, plaſmare illud & diſponere.* Conſentit Seguenotus, affirmatque nihil in Euangelio Dei filium conſuluiſſe, nec inſtituiſſe vitæ ſocialis & Cœnobiticæ : contemnit eorum ſententiam, à quibus ad Apoſtolos ea

*Petri Aurelij doctrina proponitur. in vin. pag. 670.*

Ibi p. 667.

Eccl. c. 33.

Seguen in not. 8. pag. 180.

refertur inſtitutio, vt aliàs afferre me nemini, cum hæc ipſa aduersùs Nicolaus le Maiſtre diſceptarem:

*Refelluntur, ex eo quod Wicleffi ſit illa vox.* *ApudWal. l. 3. doctr. fid. in prol.* *Hæretica opinio* *Item l. 3. a 3. c. 30.*

Neſciebant cum hæc ſcriberent auctores iſti, fuiſſe illam VVicleffi vocem, referente VValdenſi, *Religionem quamlibet particularem, citra illam popularem, fundamento destitui legis Chriſti.* Et alio loco. *Non ordinaſſe Chriſtum in vnam ſectam, & vnum Ordinem.* Quòd mox redarguens Catholicus ſcriptor obijcit. *Quòd Chriſtus vnum Ordinem instituit, verum eſt, & vnam omnium fidelium religionem Eccleſiæ: ſed quòd non ordinauit niſi vnum, hæreticum eſt.* Atque idem cum articulo primo toto, eiuſque decem capitibus, multa de antiquæ & nouæ legis Religioſis ad ſcripturæ canones diſſeruit, adijcit ad poſtremum in eius epilogo. *Hæc prædicta quamuis pauca, ſi vidiſſet, non totiens dixiſſet inſipiens VVicleff, Religionem perfectorum destitui fundamento legis Chriſti. Si quos ergo habeat fautores, amatores, aut ſtudioſos ſectatores ſuorum dogmatum peruerſorum, quotiens hoc planum falſum in ſuis libris inuenerint, toties abradant, ne cæteri fideles cum ad ea loca peruenerint, toties æſtiment eum fuiſſe mentitum; & per hoc in alijs dictis ſuis, vbi apparenter dicit verum, probabiliter eum habeant in ſua aſſertione ſuſpectum. Difficilè datur fides aſſueto mendacijs. Unde non contumelioſus habebor, dicendo per conſcientiam meam, ſi fiat rectus calculus dictorum eius, pluries dicit falſum, quàm verum.* Sic vir doctus & pius, licet Regularis. Quæ profero, non tantùm vt mutato nomine de ſe dicta putet Petrus Aurelius, ſed etiam vt Catholici Doctoris fiducia rectè expenſa, fateatur epinicium iſtud cani ab homine ſapiente non potuiſſe, niſi certò crederet à ſe demonſtratum, à Chriſto ipſo & Deo, priuatos Religionum Ordines fuiſſe inſtitutos, quod negabat hæreticus. Tota igitur eius diſputatio, mea eſt, & perimit Aurelium.

*Non omnia ſunt in Euangelio expreſſa.*

Sed enucleatè omnia videamus. Quærit à nobis Aurelius locum vnum Euangelij, in quo Caſtitas, cum duobus alijs votis connexa, Religioſum ſtatum facere dicatur. Reſpondemus ſic ab hæreticis vrgeri Catholicos, vt vocabula Trinitas, conſubſtantialis, miſſa, purgatorium, votum promiſſionis, expreſſa demonſtrent. Omnium autem rectè ſentientium iudicio, qui ſic agunt, cauſa cadere ſolent: quid igitur Petrus Aurelius qui ſe Theologum dicit, & Catholicum facit, à nobis ſperare debet?

*Paupertis & obedientia conſilia in Euangelio.* *Matt. c. 19.* *Ibid.*

Ampliùs tamen aliquid liberaliter concedemus. Paupertatem & obedientiam ſuadet Chriſtus adoleſcenti diuiti, *Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia quæ habes, & veni, ſequere me.* Sectati ſunt vtranque virtutem Apoſtoli, gloriante Petro, *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te.* Continentiæ conſilium proponit Chriſtus. *Sunt Eunuchi qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum cælorum: qui poteſt capere, capiat.* Id voto confirmatum ab Apoſtolis, & Eccleſiaſticam inde caſtitatem originem ducere fatetur Aurelius.

*Paupertatis votum in primis fidelibus.*

Hæc tria ſub Apoſtolis exercuerunt fideles: vt nos alibi probauimus, dum vniuersè tantùm conſecimus, Religioſum ſtatum ab Apoſtolis & eorum imitatione ſanctitatem ſuam deriuaſſe; vitam Religioſam, Apoſtolicam dici à Patribus, Religioſos Apoſtolorum in ea ſucceſſores. De ſingulis votis hoc agimus loco, quia ſic exigit diſputationis ratio, dicimuſque Paupertatis votum exercuiſſe eos, qui *vendebant poſſeſſiones ſuas, & proijciebant pretium ad pedes Apoſtolorum:* vt Ananiam & Saphiram, *ideo condemnatos, quia poſt votum obtulerunt quaſi ſua, & non eius cui ſemel ea vouerant.* Id verò ab omnibus non factum ex voto, patet ex iudicis ſententia, *Nonne manens tibi manebat, & venundatum in*

*Act. c. 5.* *Hier. ep. ad Demetri.* *Non tamen in omnibus.*

*ſua erat poteſtate.* Quod S. Baſilius intellexit cum ſcriberet: *Licebat initio Ananiæ poſſeßiunculam ſuam Deo non polliceri ac vouere: ſed poſtquam humana gloriæ cupiditate inductus quicquid in bonis habebat, per profeßionem Deo dedicauit*, &c. Fuit igitur aureo illo ſeculo, quo ſola virtus in Diſcipulis laudabatur, communis non vouentium vita; fuit ſtrictior vouentium, & in ea maior dignitas, quam ſtolide ambiuit Ananias, diſſimilis Barnabæ, qui perfectionem eodem in voto quæſiuit, non gloriam perfectionis.

Baſil. ſerm. 1. de Inſtit. Monach.

Caſtitatem voto dedicarunt viduæ, quas adoleſcentiores *deuitari* vult Apoſtolus, hoc eſt, in ſacrarum viduarum ſocietatem non admitti, *cum enim luxuriatæ fuerint in Chriſto*, cum benè paſtæ & delicijs ſaginatæ fuerint, ex ijs bonis quæ Chriſto fideles obtulerint, *nubere volunt, habentes damnationem*, coram Deo reæ & damnabiles, *quia primam fidem irritam fecerunt*: continentiam voto promiſſam polluerunt: *iam enim quædam conuerſæ ſunt retro Satanam*: quod de liberis, & nullo adſtrictis voto non ſcripſerit Apoſtolus, qui virgines liberas nubere mauult, quàm vri. *Quid eſt, primam fidem irritam fecerunt?* inquit S. Auguſtinus, *vouerunt & non reddiderunt.* Eodem ſenſu S. Chryſoſtomus primam fidem, *pactum* interpretatur, quod cum ſponſo Chriſto fecerunt. Neque votum iſtud firmum propoſitum interpretari poſſumus, cum nulla in eas *damnatio* pronuncietur, quæ ſola voluntatis liberæ mutatione, etiam aliqua leuitate animi, caſtitatem violant, quam non vouerunt.

*Caſtitatis votum in viduis.* 1. Tim. 5. Augu. in Pſ. 75. Πίστιν τὴν συνθήκην λέγει, τὰς ἀθετούσας, ὅτι ἐψεύσαντο, αὐτὸν ἠθέτησαν, παρέβησαν τὰς συνθήκας. Chryſ. in eum locũ. hom. 15.

Obedientiæ votiuæ minùs eſt aperta profeſſio, quam tamen video ſatis probabili coniectura deductam à Patribus, ex illa communi vita, ſub vno tecto, vbi *erant pariter, & habebant omnia communia, & erant perſeuerantes in oratione. Omnes inde erant*, inquit S. Auguſtinus, *& ipſi primò habitauerunt in vnum, qui omnia quæ habuerunt vendiderunt, rerumque ſuarum pretia ad pedes Apoſtolorum poſuerunt*, Et paulò poſt. *Venit & ad poſteros iſta caritas, & exultatio, & votum Deo vouerunt.* Idem quoque viſum S. Hieronymo, Philonis Supplices laudanti, quos certum eſt formam perfectionis, omnia in commune conferendi, Patri omnium obtemperandi, caſtitatis integerrimæ, obſeruaſſe ſub Marco nutritore. *Talem*, inquit, *apparet primam in Chriſtum credentium fuiſſe Eccleſiam, quales nunc Monachi eſſe nituntur & cupiunt: vt nihil cuiuſquam ſit proprium, orationi vacetur & pſalmis, doctrina quoque & continentia: quales & Lucas refert Ieroſolymæ fuiſſe credentes.* Neque alius eſt Caſſiani ſenſus, diſertè affirmantis Cœnobitarum diſciplinam à tempore prædicationis Apoſtolicæ ſumpſiſſe exordium. *Nam talis extitit in Ieroſolymis omnis illa credentium multitudo quæ in Actibus Apoſtolorum ita ſcribitur*, &c. Sequutus veteres Iſidorus ab Apoſtolorum imitatione vitam religioſam deducit. *Anachoretæ Eliam atque Ioannem Baptiſtam, quia ſolitariè vixerunt: Cœnobitæ Apoſtolos imitantur.* Et in ijſdem fidelibus ponit exordium. *Primum Monachorum genus eſt Cœnobitarum, more ſanctorum illorum qui temporibus Apoſtolorum in Ieroſolymis vendita ac diſtributa omni ſua ſubſtantia indigentibus, habitabant in ſancta communione vitæ. Eorum igitur inſtitutione Monaſteria ſumpſere principia.* Denique quem vnum cæteris non merito, ſed rei nouitate, poſſum anteferre, idem penitus ſentit Petrus Aurelius, Petrum Bleſenſem proferens, qui *ad illud exemplar dimetiens regularem ſtatum, eius ſubſtantiam collocat in caritate fraterna, in communi ſubſtantia, in communi obedientia*: nimirum *ſub Apoſtolorum ductu.* Et fortaſſe non inſcitè dixerit aliquis, vitæ communis perfectæ ſtatum, ſine aliqua ſubordinatione eſſe non poſſe,

*Obedientia in ijſdem fidelibus.* Act. c. 2. Augu. in Pſal. 132. Hier. l. de ſcript. Eccl. c. 18. Caſſian. Collat. 18. c. 5. Iſid. l. 7. Etym. c. 13. Idem l. 2. de offic. Eccl. c. 15. Pet. Aurel. pag 672.

niſi accedat obediendi ex voto obligatio: quæ ex ipſa natura in regno familiaque repetitur; in quibus filij, iure naturæ parentibus obediunt, ſerui dominis vel ex iure gentium, vel ad tempus aliquod, ex contractu

*Status triũ ſimul votorum à Chriſto inſtitutus.* Sunt igitur & in Euangelica doctrina, & in Apoſtolorum hiſtoria, & in Chriſtianorum primitijs tria illa conſilia, quæ modò vouent Regulares, ſaltem ſingillatim ſpectata. Sed poſtulat Petrus Aurelius ea ſimul reuincta, & in vnum quaſi faſcem colligata, ſibi monſtrari. Hoc quantùm in re tam antiquæ memoriæ fieri poteſt, duobus argumentis efficio, quibus aueo ſcire quid reſpondeat. Chriſtus in Eccleſia, in perſona Apoſtolorum inſtituit integrum, & ſuis numeris eſſentialibus abſolutum ſtatum propriæ perfectionis acquirendæ: atqui ſtatus eiuſcemodi nullus poteſt eſſe ſine tribus votis de quibus agimus, vt probatum eſt à nobis: ergo Chriſtus in Apoſtolorum perſona ſtatum inſtituit tribus votis eſſentialiter conſtantem. In quem cum ſucceſſerint, vt oſtendi, Regulares, nonne conſequitur neceſſariò, vt eſſentialia Monachorum tria vota Chriſtus inſtituerit in Eccleſia? Quòd verò ſtatui illi connexa ſemper fuerint vota illa, etſi non exprimantur ſimul in Euangelio, vel

*Probatur 2. ex regula traditionũ.* ſcriptis Apoſtolicis, oſtendo ex regula traditionum, quam non ſemel ante libaui. *Quod vniuerſa tenet Eccleſia, nec Concilijs inſtitutum, ſed ſemper retentum,* *Augu. l. 4. de Bapt. contra Donat. c. 24.* *eſt, non niſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſimè creditur:* Religioſum autem ſtatum tribus ſimul eſſentialibus votis Paupertate, Caſtitate, Obedientia conſtare, ſemper tenuit Eccleſia, nec vllo Concilio eſt inſtitutum, à nullo Pontifice inchoatum, à nullo è Patribus in controuerſiam reuocatum: *cum igitur* ſtatum è votis illis componi auctoritate Apoſtolica traditum eſt. Nunquam hoc telum doctrinæ ſuæ lateri infixum euellet Petrus Aurelius, aut quis alius vororum, & Religioſorum aduerſarius, quin vel aliquid ad ſummam vitæ Chriſtianæ perfectionem in doctrina Chriſti defuiſſe oſtendat, quod foret ſacrilegum; vel Catholicam de traditionibus doctrinam conuellat, quod hæreticum; vel citatos Patres, alioſque in alienum ſenſum detorqueat, quod temerarium; vel Religioſum in Eccleſia ordinem ſtrictum & integrum nominet, qui aliquo votorum illorum careat, quod ἀδύνατον; aut denique digitum ad tempus & ſeculum intendat, quo hæc religioſi ſtatus eſſentia cœperit fabricari, quod imaginarium. Eſſentia, inquam, non ſolennitas, non regulares obſeruantiæ, clauſtra, veſtes, ciborum abſtinentia; quorum aliqui rident nouitatem, vt eſſe recentem, & factitiam eſſentiam perſuadeant imperitis.

## *QVO SENSV NEGARI DEBEAT RELIGIOſos Ordines factitios eſſe, quo poßit admitti.*

§. I.

*Religioſos Ordines factitios appellabat Wicleffus.* PERGIT Aurelius in humana illa Religionum ingerenda fabrica, pergimus & nos in hæretici ſimilitudine offerenda. Nam cum *Religionum eſſentiam factitiam* vocat, *& quaſi artificialem, quam nimirum Eccleſia conuenientiam rei ſecuta eo modo concinnauit, cum aliter inſtituere potuerit;* non animaduertit illam eſſe VVicleffi eiuſdem vocem, apud VValdenſem, *Religioſorum Ordines aduentitios eſſe, aut factitios à puro homine, & maximè vt ſint inter ſe profeßione* *Wal. tom. 3. de ſacra. tit 9. c. 83.* *diſti-*

*diſti ... &i.* Cui vt reſpondeat Doctor, Catholicæ non magis, quam perfectæ Religionis ſtrenuus propugnator, doceatque a Chriſti inſtitutione ſtatum hunc eſſe profectum, ſic auſpicatur diſputationem. *Quia dixit hæreticus Ordines iſtos aduentitios, & ab homine puro factitios, percuntarer ego hæreticum ſi ſuperſtes & præſens eſſet, quid ipſe diceret à puro homine factitium?* Reliqua leget Aurelius in auctore, *ſi ſuperſtes & præſens eſt*, cum vacabit. Interim, ne hæretici conſortium affectare videatur, duobus ſe tuetur Catholicis, ſanctiſque Doctoribus, Anſelmo & Gerſone, in quibus ea factitiorum Ordinum nomenclatio reperitur. At quàm magno nos leuaret onere, ſi vel Anſelmum & Gerſonem dignatus eſſet conſulere, vt ex ipſis eorum mentem perdiſceret: aut philoſophiam non adeo ſupinè contemneret, vt ipſa logices elementa modò debeat edoceri. Aurel. p. 670.

Tradunt enimuerò Logicorum tirones, genus & ſpeciem ita concipi, vt illud huic eſſentiam omnem, atque ipſa, quod amplius eſt, accidentia communicet: hæc illi de ſuo nihil aſcendendo reddat, ſed ipſum neſcio quo contractu perficiat & compleat, ſuam eſſentiam, proprietates, accidentia cum generis eſſentia permiſcendo. Vt in ſpecie qualibet quatuor iſta mente atque animo diſtinguenda & conſideranda ſint: generis primùm, deinde ſpeciei eſſentia, tum proprietates, demum leuiora accidentia. In quibus medium tenent locum proprietates, quoniam eæ duplicis ſunt rationis; cum aliæ ab eſſentia proximè dimanent, inde eſſentiales appellatæ, vt ridendi vis & poteſtas in homine: aliæ ab accidentibus propiùs abſint, & ipſæ accidentales dictæ, vt in eodem homine riſus & ſermo. Generi, vt regi cuidam, non ſunt opus inferiora ſingula, vt neque terra cœlo. Speciē quamlibet tolle de mundo, generis eſſentiam nunquam ſuſtuleris, nulli mutationi, nulli interitui obnoxiam. Speciei tria ſunt neceſſaria, ſed ſuo modo ſingula: generis eſſentia quaſi ſolum & materiam ſternit; ſpecies ipſa ſibi per eſſentiam ſuam ſpeciem dat & formam; quam complent proprietates, quibus indiuiduum quodlibet addit ea quibus potiſſimùm ornatur & conſpicitur, accidentia. Et ſeiungi quidem ab eius latere non poſſunt proprietates eſſentiales; accidentalibus autem, vt & ipſis accidentibus, abeſſe licet, tanquam per vices, non ſimul omnibus, cum eorum compluria in noſtro ſint arbitrio. Nam & Heraclitus ridere aliquando, & Democritus flere potuit, & animi corporiſque agitationibus abſtinere permittitur. Tales *ſunt rerum naturalium eſſentiæ*, quas ſtrictim nominat Aurelius, tanquam *penitus neceſſarias & immutabiles.* Eodem verò accedunt *artificiales* eſſentiæ, & ipſæ non quo putat modo *factitiæ*. Id enim cogitandum eſt, rerum etiam quæ arte conſiunt eſſentiam, eò neceſſariam eſſe, neque liberè permutari poſſe, quòd ex propoſito fine pendeat; qui cum idem ſemper ſit, quæ ſunt ad finem illum ſemel inuenta, neceſſariò perſequantur. Quis enim modò domum conſtruat, in lembi formam vndequaque patentem, aut caſſidem in orbiculatum figuram producat, aut chirothecas faſciæ pectoralis effigie extendat? Adſciſcuntur ad hanc eſſentiam proprietates aliquæ, & accidentia facillimam atque commodiſſimam finis aſſecutionem & vſum factura. Generis & ſpeciei eſſentia. Rerum artificialium eſſentia.

Veniamus ad Religioſos Ordines, quos volo ſanè, quando ſic placet Aurelio, in rebus artificialibus numerari. Genus hic video, Religioſum ſtatum vniuersè; communem finem, perfectionem caritatis: eſſentiam verò, tria Eſſentia religioſi ſtatus in genere.

conſilia voto ſuſcepta, quia illa vna commodiſſima & faciliſſima via eſt [illegible] fectæ caritatis aſſequendæ. Vel finem hunc mutari oportet, vel media ad eum

*[illegible] eſt, [illegible] titia.*

tendentia, quæ ſubſtantiam illam faciunt, permanere. At finis in [illegible] fundamentum habet, videlicet in ipſa Chriſtianiſmi profeſſione, caritatis [illegible] tionem: quemadmodum homini naturalis eſt commodæ habitationis [illegible] petitus: artificialis autem, domûs ſubſtructio; quæ ſi commodiſſima [illegible] tur, ſic, non aliter, fabricanda eſt. Ita perfecta caritas, homini Chriſtiani finis, ſi via commodiſſima & expeditiſſima quæritur, hac, non alia [illegible] dum eſt. Nihil hic igitur *factitium*, & omnino ab humana pendens voluntate repetitur.

*Priuatarum Religionum conſideratio.*

Sub eo genere ſpecies apparent duæ, & ipſa inferiorum reſpectu genera futuræ, ſtatus Clericalis & Monaſticus: ille ſibi & proximo, hic vni ſibi [illegible] caritatis perfectionem procurat. Rurſum ſpecies ſubditæ & vltimæ, [illegible] nora genera quaſi truncos arborum in ramos diſtrahunt. Anachoretæ, Cœno[illegible]tæ, Carthuſiani, Mendicantes, Ieſuitæ; & complures aliæ, quæ veſtem [illegible] polymitam non iniucunda, nec indecora varietate diſtinguunt. Harum ſingulis non magis deeſſe poteſt eſſentia generis, quàm corpus homini, cœlo ἐντελέχεια, mundo elementa. Itaque ſi Mendicantes, ſi Carthuſiani, ſi Ieſuitæ ſunt ſtatus Religioſi, non eſt illis aduentitium aut factitium, pro [illegible] perfectam habere caritatem, pro eſſentia viam ad eiuſmodi finem expeditiſſimam, tria conſilia voto ſuſcepta: vt homini aduentitium non eſt corporeis [illegible]ſibus, & progrediendi mouendique facultate eſſe præditum: vt domui factitium non eſt, commodæ habitationis gratia fabricari. Huic autem generis eſſentiæ, adijciunt ſuam ſingulæ ſpecies, qua inuicem tanquam ſpectabili, ſed & ſubſtantiali charactere diſcernuntur. Quæ quidem eſſentia à fine [illegible] uato cuiuſlibet ſtatûs, generali illi ſubordinato, petitur: vt quemadmodum vniuerſè Religioſus ſtatus, commodiſſima trium conſiliorum via, graditur ad perfectionem caritatis; ita eandem conſiliorum viam, ad eundem tendentem terminum, ſinguli ſtatus proprio & peculiari ſibi modo terant. Nam idem iter eques aliter, & pedes conficit: aliter ſolitarius viator, & qui ſecum

*Participant eſſentia generis.*

*Specifica ſingularum eſſentia.*

*Non eſt factitia.*

comites rapit aut ducit, proüt cuiuſque fert animus & inſtitutum. Hanc eſſentiam admodum mihi probabile eſt arbitrariam & factitiam non eſſe, ſine poſito qui per eam expetitur. Fateor equidem liberum ab initio fuiſſe Eccleſiæ, eiuſque Principibus, Religioſi ſtatûs ſpeciem inuehere, quæ talem deſtinatum ſibi finem habeat: ſed tali propoſito fine, eoque in Eccleſiam admiſſo, iam hinc liberum Hierarchis non eſſe arbitror, talem Religioſum ſtatum, non taliter inſtituere. Familiare eſt exemplum in domo, ad cuius ſubſtructionem nulla dominos cogit neceſſitas; ſi tamen animum appellunt ad ædificandum, ſic Templum, ſic palatium Regis, ſic mercatoris officinam, ſic tabernam meritoriam conſtruant neceſſe eſt. Iam propter [illegible] quas eſſentiales appellauimus; vt ab eſſentia fluunt, eique neceſſariò adhærent, eius ſequuntur naturam, neque magis, quàm illa, factitiæ ſunt. Quod de accidentalibus proprietatibus, deque ipſis accidentibus peræquè non dixerim, quæ omnia profiteor & agnoſco factitia & aduentitia eſſe, ſiue ea ſummi Pontifices ipſi per ſe in Ordines Religioſos inuexerint, ſiue primi eorum inſtitutores, aut ſubſequuti reparatores, exigente temporum rerumque neceſſitate, Hierarchica auctoritate perpetuò iuſſerint obſeruari.

*Vt neque proprietates eſſentiales. Accidentalia Religionum ſunt factitia.*

Quamobrem

Quamobrem vt exemplis aliquibus res tota fiat illuſtrior, Religioſum *Res pluribus*
ſtatum ab Hierarchis pendere, neque vllum ſine eorum auctoritate inuehi *exemplis declaratur.*
poſſe, non fecit Eccleſia; quoniam illud eſt ei intrinſecum & eſſentiale: ve-
rùm priuatas aliquas Religiones, à ſolo Pontifice ſummo inſtitui & probari
debere, quòd poſt Lateranenſe Concilium ſub Innocentio III. & Lugdunen-
ſe ſub Gregorio X. vſurpatum vidimus, cum antea fuerit illa Epiſcopis om-
nibus communis iuriſdictio, hoc fecit Eccleſia. Vt Religioſus ſtatus tribus
ſubſtantialibus votis conſtet plenus & integer, perque ea ad propoſitam cari-
taris perfectionem pertingat, hoc non fecit Eccleſia: vt autem iſta vota cen-
ſeantur & ſint ſolennia aut ſimplicia; vt voto ſimplici religioſæ caſtitaris di-
rimatur matrimonium, ſimplici paupertatis non repugnet dominium bono-
rum, ſed tantùm vſus propius ſiue proprietas, quod Societatis noſtræ votis
ſimplicibus conceſſum eſt, ante cachinnos Aurelij, hoc fecit Eccleſia. Vt Aurel. pag. 683.
paupertas priuatos tantùm conſtringeret, domibus annuo reditu locupletatis,
aut mendicandi neceſſitatem imponeret; aut ne publicè quidem totus Ordo
rei vllius dominium obtineret, hoc fecit Eccleſia: ſed vt in vera & ſtricta
Religione ſinguli facultatibus abdicatis, nudi, egentes, anguſtiati, pauperta-
tem vouerent, hoc non fecit Eccleſia.

Quidni verò, inquiet Aurelius, ſi in his rebus & votis diſpenſare poteſt *Obiectio.*
Eccleſiæ Princeps cui poteſtatis plenitudo à Deo commiſſa eſt, vt euellat &
diſſipet, & plantet, & ædificet, vt tempori, Eccleſiæque neceſſitati conuenire
iudicabit? Quæ ſimplicia erant vota fecit ſolennia, quidni dempta ſolenni-
tate reuocare poſſit ſimplicitatem? Toti Fratrum Minorum Ordini, fuit ali-
quando quæ rei cuiuſlibet dominium non pateretur, paupertas: mutata mo-
dò eius voti natura, diuiſus ordo in Obſeruantes & Conuentuales, atque his
reditus annuos poſſidere permiſſum. De ſingulis partibus loquor, cum Tem-
plariorum & Humiliatorum Ordines vniuerſos de medio ſuſtulerit, quæ eos
fabricarat Eccleſia: tunc vaſa illa figulus infregit, & votorum magnorum
profeſſionem, quamlibet ſolennem, magiſtra omnium ſoluit Eccleſia. Quid
dicam de Auguſtinianorum Eremitarum Ordine, in quem, vt olim narraba-
mus, Eremitici alij Ordines coacti, & nomen & eſſentiam ſuam, vt deuoluti
in Oceanum fluuij, perdiderunt? Atque is ipſe vocatus è ſyluis & latibulis ab
Eccleſia, de Eremitico Mendicans, de contemplatiuo, & vni ſibi ſtudente, fa-
ctus eſt alienæ ſaluris curator. Hoc facere poſſet Eccleſia, ſi non eſſet ordo ipſe
factitius?

Reſpondeo rationes haſce, & exempla factitiorum ordinum, in quibus *Reſponſio.*
magnum factionis ſuæ robur ponunt aduerſarij, complecti me & oſculari,
tanquam doctrinæ meæ lucem & pondus immenſum. Tria enim tangit ob-
iectio, votorum etiam ſolennium diſpenſationem, inſtituti mutationem, Or-
dinis extinctionem, & omnia pugnat eſſe factitia. Ego in iſtis eſſentiam & *Solennitas*
accidentia, quod naturale, quodque factitium dici debet, claro meridie oſten- *votorũ fa-*
do. Solennitas votis religioſis accidit, cum abſque illa ſtatus religioſus ſaluus *ctitia eſt.*
ſit, & integer: eſto factitia. De diſpenſatione quid cenſes? Eam in Summi Pon- *Diſpenſatio*
tificis poteſtate non eſſe, pronunciat Summus Pontifex doctiſſimus, idemque *ſeruato ſtatu nulla.*
ſapientiſſimus Innocentius III. *Nec æſtimet Abbas quòd ſuper habenda proprietate* Decr. l. 3.
*poßit cum aliquo Monacho diſpenſare: quia abdicatio proprietatis, ſicut & cuſtodia caſti-* tit. 36. c. Cum ad
*tatis, adeo eſt annexa regulæ Monachali, vt contra eam nec Summus Pontifex poßit* Monaſterium.

*D. Th. 2. 2. q. 88. a. 11. in c.*

*licentiam indulgere.* Quod ſtrictiſſimè vult D. Thomas intelligi, ſimulque obedientiæ votum includit, in quo docet diſpenſari à Pontifice nunquam. Vides eſſentiam *poteſtatis plenitudini* non ſubditam. Sed hoc decretum alij mitius interpretati, diſpenſari poſſe putant à Pontifice, non ita tamen vt religioſus in eo homine ſtatus permaneat. Quocunque accipias modo, ſtat inuicta, immutabilis, & nulla ex parte factitia religionis eſſentia. Idem puta de Ordinis alicuius extinctione, & Templarijs voto ſolutis; quibus cum ſunt rupta votorum vincula, ſublata eſt Religio: non enim ea cum libertate, ſopita & eradicata illa Religioſi ſtatus ſpecie, iuſſi ſunt, aut exiſtimati vulgò in ſtatu religioſo perſiſtere: ſed redditi ſeculo, reſtituti libertati, ad opes, ad nuptias conuolare potuerunt. Inſtituti mutatio eandem habet conſiderationem. Nam ſi qua res tantùm exterior & accidentaria, in aliquibus regularibus obſeruantijs mutatur ab Eccleſia: & ſi innouata ea parte, ſalua nihilominùs perſeuerat Religioſi Ordinis eſſentia, dici non poteſt propriè Ordo mutari, ſed circa factitium aliquid Eccleſiæ poteſtas verſata cenſetur, vt in Ordine Minorum probat obiectio. Auguſtinianorum Eremitarum contraria ratio, propoſitum meum adiuuat. Nam vt liberè quod ſentio eloquar, in celebri illa vnione, turba Eremiticorum Ordinum ablata & ſuppreſſa eſt: quorum ſi qui à Guillelmitis non eſſentia ſpecifica, ſed accidentibus tantùm differebant, vt forma veſtium, calceamentorum corrigijs, & minutioribus regulis, illi ſeruata priore eſſentia, quod habebant factitium immutarunt: ſi qui ex illis ſpeciem conſtituebant propriam, eam non mutauit Eccleſia, ſed talem ſub genere ſpeciem intercidere voluit, vt ſoli Guillelmitæ in poſterum agnoſcerentur. Atque iſti ipſi Guillelmitæ cum ſunt à ſolitudinibus in vrbes traducti, & Mendicantibus adſcripti, Eremitæ ſolo nomine tenus eſſe cœperunt. Poſſum in rebus tum naturalibus tum artefactis ſimilem aut ſpeciei extinctionem, aut accidentium mutationem demonſtrare, ſeruata ſemper alijs in ſpeciebus integra generis natura, ſi Porphyrianam Iſagogen priuatim non legit Aurelius. At hoc peruidet, vt alibi deprehenſum eſt, in Vindicijs Franciſcus Halliet vt Theologus, ſed inuidioſè criminatur vt æmulus.

*Ordinis extinctio probat illum non eſſe factitium.*

*In inſtituto mutantur accidentalia, non eſſentialia.*

## *QVA MENTE S. ANSELMVS ET GERSON Factitios Ordines nuncuparint.*

### §. II.

*Superior doctrina ex Conc. Trid. probatur ſeſſ. 25 c. 1. de Refor.*

PRÆIT nobis ad eam ſubſtantiæ accidentiumque diſtinctionem Concilium Tridentinum, rei naturam ſecutum, dum Eccleſiaſticæ diſciplinæ refectionem ad Regulares extendens, iubet vt *in primis quæ ad ſua profeſſionis perfectionem, vt obedientia, paupertatis & caſtitatis, ac ſi quæ alia ſunt alicuius regulæ, & Ordinis peculiaria vota, & præcepta, ad eorum reſpectiuè eſſentiam; nec non ad communem vitam, victum, & veſtitum conſeruanda, pertinentia, fideliter obſeruent.* Hic aperta eſt trium votorum eſſentia generica; peculiarium votorum & præceptorum in quolibet Ordine, eſſentia ſpecifica; communis vita & victus, accidentia. Adijcit eſſe compertum *à ſuperioribus non poſſe ea quæ ad ſubſtantiam regularis vitæ pertinent, relaxari.* Poſſunt igitur alia, quæ non pertinent ad ſubſtantiam. Vtrum verò poſſint ab Eccleſiæ Principibus ſubſtantialia relaxari,

eaque

eaque facta relaxatione, ſtatus religioſus ſit permanſurus, non definit Concilium:quoniam id neque ad temporum de fidei rebus controuerſiam, neque ad reformationis neceſſitatem pertinebat.

Non dubitauit tamen Iacobus Lainius, qui Concilio Tridentino Pontificius Theologus interfuit, roganti S. Ignatio, quid de Religioſorum Ordinum conſtitutionibus regulíſque ſentiret, ſapienter reſpondere, *propius fidei eſſe, grauiſſima quæque & maxima inſtituti cuiuſque quaſi fundamenta, à Deo qui omnium Religionum fons eſt, Patribus illis* (fundatoribus) *tradita fuiſſe diuinitus. Reliqua quæ minora ſunt, & naturam ipſam Religionis propriè non attingunt, Deum prudentia eorum qui leges condiderunt, iudicioque reliquiſſe. Sicuti etiam feciſſe videmus cum Paſtoribus, ac Principibus Eccleſiæ, in ijs quidem quæ ad eius pertinent gubernationem. Tunc Ignatius: Tecum planè ſentio.* Quòd hiſtoricus *fundamenta* nominat, & id vocis ab ipſo profectum eſt Concilio, *Si enim illa quæ baſes ſunt & fundamenta totius Regularis diſciplinæ exactè non fuerint conſeruata, totum corruat ædificium neceſſe eſt.* Ea fundamenta in tribus eſſentialibus votis poſita, tanto ſtudio conſeruari cupit Illuſtriſſimus Bellicenſis, vt vniuersè pronunciet, quicquid aduersùs ea patratur, quæ ſemper & vbique obligant, peccatum eſſe mortiferum, quoniam conſilium per votum tranſit in præceptum. Alias autem regularum & conſtitutionum partes, mitiorem diſpenſationem ferre poſſe, cum in pleriſque Ordinibus earum obſeruatio prætermiſſa, ne veniale quidem peccatum inducat. Seueriùs quidem illud de votis dictum eſt, cum neque præcepta ipſa omnia peccati mortalis reatum de ſe inferant, & quæ natura ſua mortalia eſſe dicuntur peccata, ſæpenumero vel materiæ leuitate, vel quibuſdam alijs circumſtantijs ad venialia deſcendant. Sed tamen quanti facienda ſint illa fundamenta ſuæ opinionis auſteritate declarat: qui & rem noſtram eodem loco penitus affirmat, Præcipuum fundamentum totius vitæ Cœnobiticæ, tria illa videri vota ſolennia: ijs abolitis totum euelli inſtitutum Cœnobiticum. Hæc eſt in genere ſtatus Religioſi natura & eſſentia. Priuatis item Ordinibus priuatum eſſe finem, & fundamentum; eo deſtructo illud aliqua ratione tolli inſtitutum, at non quà Cœnobiticum eſt. Quia nimirum auulſo ramo truncus nihilominus perſeuerat; homine interempto, non occiditur totum animalis genus: at animam rationalem ab humana ſpecie ſi tollis, totam ſpeciem, ſaluo animalis genere, interimis.

*Memorabile dictum Iacobi Lainez, de Religionum eſſentia.*
Ribad. vitæ Ignat. l. 5. c. 1. Hiſt. Societ. l. 10. n. 63.
Concil. Trid. cit.
Ioan. Petr. Cam. in Melit. P. 1. pag. 87.

Eundem ſenſum aliter exprimit S. Anſelmus, quem malè intellectum, ac ne lectum quidem Petrus aſſert Aurelius, quaſi affirmet Religioſorum Ordinum eſſentiam eſſe factitiam. Comparat ille in Similitudinum ſuarum congerie, Monachum cum denario, in quo tres dotes poſtulat, vt ſit de puro ære, recto pondere, moneta legitima, id eſt, principis imagine rectè ſignatus. Monachi ergo puritas, obedientia eſt; pondus, ſtabilitas & conſtantia in propoſito; *Moneta, eſt habitus Monachalis, atque tonſura ante & retro, & his ſimilia,* ex quibus dignoſcitur cuius ſit Ordinis, vt denarius ex moneta, cuius regionis. Sine puritate adulterina eſt moneta, ſine moneta æs vſuale non eſt: quid prodeſt habitus Monacho ſi virtute deſtituitur? *Duo quippe ſunt ordinis genera viro religioſo conuenientia; vnum exterius, quo religioſus videtur: aliud interius, quo religioſus habetur. Et illud quidem exterius factitij, hoc verò interius naturalis eſt ordinis. Factitij quippe ordinis factitiæ ſunt conſuetudines, vt in ordine Monachorum reperiuntur plures: has enim homines adinuenerunt, & quibuſdam de cauſis ra-*

*Anſelmi doctrina exponitur.* l. de ſimil. c. 90. 91.
*Monachi comparatio cum denario.*
*Ordo naturalis & factitius.*

*tionabilibus ſeruandas inſtituerunt. Naturalis verò Ordinis naturales ſunt virtutes, vt humilitas, caritas, & aliæ plures: has enim Deus ipſe naturaliter indidit homini, ſuaque ſalutis cauſa ſeruandas mandauit. Ille itaque factitius ordo, ſine iſto nihil homini prodeſt:, iſte verò ſine illo etiam ſaluare hominem poteſt.* Pergit deinde ordinem vtrunque cum ſotulari & corrigia componere. Nam ſola corrigia pedem non munit, ſotularis munit, ſed ſine corrigia ipſi non poteſt inhærere. *Hinc eſt quod qui Religionem interiùs ſeruare deſiderat, habitu Monachali exteriùs ſe obligat, qui quod exteriùs demonſtrat, ſemper eum eſſe coarguat.* Sic ille Religioſi ſtatus & amator & verus æſtimator: qui cum adhuc iuuenis, de vitæ conditione ineunda, Maurilium Rothomagenſem Epiſcopum, virum ſanctiſſimum tanquam oraculum conſuleret, ab eo *ſine mora Monachicum Ordinem præ cæteris laudari, eiuſque propoſitum omnibus alijs anteferri* audiuit, vt in eius vita narratur.

*Comparatur cum ſotulari & corrigia.*

Edinerus in vita S. Anſelmi.

*Eadem doctrina in S. Bernardo* l. de Præcepto & diſpen. c. 2.

Confirmatur autem illa *naturalis & factitij* acceptio, ex eo quòd S. Bernardi tempore in vſu apud Monachos fuiſſe, & ab eodem S. Bernardo expoſita reperitur. Is enim Carnotenſibus Monachis, à quibus interrogatus fuerat, libro de præcepto & diſpenſatione reſpondens, *Omnia*, inquit, *S. Benedicti inſtituta, exceptis ſanè nonnullis de ſpiritualibus, verbi cauſa caritate, humilitate, manſuetudine; quæ non tam ipſum conſtat inſtituiſſe, quàm Deum, & ob hoc penitus non eſſe mutanda: de cætero reliqua vniuerſa, non profitentibus quidem monita tantum, ſeu conſilia cenſenda ſunt, cum tamen profitentibus in præcepta fiant: ſiue (vt veſtra vobis reddam) illis voluntaria vel factitia; iſtis neceſſaria & tanquam naturalia non immeritò reputantur.* Et inferiùs eodem libro. *Media ſunt è quibus illa, videlicet præcepta, conſtituuntur, quæ vos factitia nominatis: longè vtique diſparem à naturalibus, quantùm in ipſis eſt, gerentia neceſſitatem.* Aperta mens auctorum, ex ipſis eorum verbis, ſi colliguntur. *Eſſentiale* diximus; illi *naturale*, interius, naturaliter inditum, inſtitutum à Deo ſalutis cauſa: quod autem *accidentale* vocauimus, illi *factitium*, exterius, inuentum ab hominibus. Nos *eſſentiale* in votis, & medijs ad finem cuiuſque ordinis neceſſarijs; *accidentale*, in minoribus regulis & obſeruantijs poſuimus. Illi *naturale* ſuum, volunt eſſe ſpiritale, virtutes religioſo ſtatui conuenientes; quantò magis id de votis intelligunt, quæ ſtudio virtutum alligant? *factitium* autem eſſe dicunt conſuetudines, & præcepta maiorum. *Eſſentiale* noſtrum ſine deſtructione mutari non poſſe credimus; *accidentale* in hominum arbitrio rebus & temporibus ſe ſe accommodantium relinquimus. Apud illos *naturale* neceſſarium eſt, penitus non mutandum; *factitium* verò, conſilium ex ſe, voluntarium. Denique omnibus in commune, *naturale & eſſentiale*, intimum eſt, quo verè proprieque Deo teſte Religioſi ſumus; *accidentale & factitium* exterius in veſtibus, cibis, vigilijs, quo Religioſi videmur ab hominibus: interiorem, atque exteriorem perfectionem vocare poſſumus, Seguenoti verbo, ſi non ſenſu. Hæc S. Anſelmi ſententia, quantùm ab Aurelio remota, quantùm veritati nobiſque coniuncta eſt?

Ibid. c. 11.

*Aptatur ad noſtram opinionem.*

*Doctrina Gerſonis expenditur.* I de Perf. Religion. Conſid. 2. 3 4. 5.

In Gerſone *Religiones factitias* nominante, res minùs vt fatear, expedita: quia Regularibus neſcio qua ex cauſa offenſus, illud vocabuli genus non penitus in S. Anſelmi ſenſu accepit, & in hunc locum, ſatis alienum à propoſito, nimis altè repetita occaſione, intruſit. Dico tamen confidenter, Cancellarij mentem non aſſecutum Aurelium, tantùm ab eo diſſentire, quantùm explicata ſuperiùs ab vtroque. Nam *Religiones factitias* appellat Aurelius,

quarum

quarum eſſentia & natura ex nuda Eccleſiæ voluntate pendeat; quam augere aut minuere, additis mutatis, ſubtractis votis liceat ad arbitrium. Gerſon autem ſumptam vniuersè Religionem Chriſtianam in factitias diuidit, à quibus illa contrahitur: in iſtis eſſentiam omnibus communem vt genus quoddam agnoſcit. Illi factitium quiddam ſuperaddit, tanquam differentiam contrahentem & conſtituentem Ordines inter ſe diuerſos. Hæc illa eſt quam nos ſpecificam [illegible] abamus eſſentiam. Prius illud commune, genericum, eſſentiale vult eſſe, & immutabile, quod & nos diſputauimus. *Licet enim multiplicibus modis variæ ſint, vniuntur tamen triplici voto, ſcilicet obedientiæ, caſtitatis, & paupertatis: in quibus ſtat eſſentialis ratio talis factitiæ Religionis, prout alibi per Doctores latè & ſcientificè deductum eſt.* Audis Aurelii *ſtare* licet toto impetu pro ſuas *eſſentialem rationem*; adeoque non rectè dici illam *factitiam*, quaſi *voluntariam & liberam*. Vides illud probari à quibus *Doctoribus*, quos ita laudando probat ipſe Cancellarius. Quomodo? *ſcientificè*. Per cauſam igitur, & neceſſariò, vt in illis ſcientificè factis eueniat, ex hinc conſulto. Sciunt igitur *Doctores* illi citati à Gerſone, rem illam aliter ſe habere non poſſe. ſcientia enim non eſt contingentium. Itaque cum genericam habeant eſſentiam naturalem, & neceſſariam, quid tandem erit in illis *factitium*? Eſsentia ſpecifica; vt inferiùs non obſcurè indicat, cum ait. *Religionem factitiam tantò dici debere perfectiorem, quantò ad dilectionem Dei & caritatis augmentum propriùs appropinquat: ac proinde Religiones, quæ directè & medijs idoneis diſponunt ad contemplatiuam vitam, perfectiores eſſe dicendas.* Nobis ergo cum Gerſone in genere conuenit, quod genericam eſsentiam in votis tribus collocamus, & immutabilem eſse pugnamus. Diſſentimus autem in differentia, quam ſpeciei formam & eſsentiam eſse non negauerit: quam ille libera Eccleſiæ voluntate adinuentam, mutari poſse ſpecie fortaſse conſeruata putat, atque ab ea tanquam primaria parte, toti ſpeciei, *factitiæ* nomen attribuit: nos ita facimus immutabilem & neceſsariam, vt ſine ea ſpecies non poſſit ſubſiſtere, quemadmodum neque genus ſine ſubſtantia ſua. Rationem ergo *factitij* ad gradum inferiorem deprimimus accidentium, quæ ſine ſpeciei iniuria & corruptione poſsunt ab ea remoueri. Diſsentit autem ab Anſelmo, Bernardo, Gerſone, omnibus, Petrus Aurelius, in eo quod auiditate grammatica Gerſonis *factitium* arripiens, toti ſimul Religioni, & omnibus eius partibus, etiam eſſentiæ genericæ, contra ſcriptoris ſui mentem applicat: vt non immeritò poſſit à nobis audire, quod ſcribit aduerſario. *Hoc nunquam tibi ſuaſit Gerſon, nec Anſelmus, nec ſcriptor quiſquam idoneus. Nec te iuuat index ille Gerſonis operum, quem opponis, magis librorum indices, quàm penetralia conſulere ſuetus.* Si tamen vel ex indice *naturali* Gerſonis, non autem è *factitia* ſcheda vocem illam hauſiſſe credendus eſt.

*Eſſentia generica.*

*Eſſentia ſpecifica.*

*Comparatur eius opinio cum noſtra.*

*Petr. Aurelius diſſentit ab omnibus.*

Aurel. p. 662.

## *ALTERVM PETRI AVRELII ARGVMENtum, vno voto cætera contineri, conuellitur.*

### CAPVT XI.

*Aurelij ſententia proponitur in Vin. i. pag. 671.*

RELIGIOSI ſtatus eſſentia tam infeliciter mutil[illegible]ta, [illegible] trus Aurelius ad votorum ipſ[illegible] naturam, & vnit[illegible] nos in Hierarchia tantopere quærimus, ipſe noua epit[illegible] turum ſe confidit in virtutibus. Votum vnum ſuffi[illegible] re[illegible], & adoleſcentem illum *cui Chriſtus nihil ſupra mandatorum obſeruationem pro[illegible]uit, ſi perfectus eſſe vellet, quàm vt venditis omnibus ſe ſequeretur, futurum, ſi conſilio paruiſſet, in via perfectionis, etiam ſine ſpeciali voto caſtitatis aut obedientiæ.* Q[illegible]od nobili alia propoſitione ſtabilitum cupit, vt [illegible] onl[illegible] et vno [illegible]o-

*Idem pag. 675.*

rum votorum alia omnia contineri: quia *virtutes Chriſ[illegible]iana [illegible]uæ quodammodo ſunt,* inquit, *quando perfectæ ſunt, & qui vnam ſuſ[illegible]ipit, [illegible]uad[illegible]tenus vniuerſas; & qui ad vnam, per vnum conſilium graditur, omnes & om[illegible]a, quodammodo complecti, & in via ſtatuque perfectionis eſſe dicitur.*

*Refellitur contradictione, pag 673.*

Petri Aurelij dictum alio deinde dicto confutat Petrus Aure[illegible]us [illegible] tera poſt pagina, de ijs qui ſolam paupertatem profeſſi ſunt, [illegible]it *tali vitæ ſtatu non videri complexos omnia conſilia: palamque eſſe, Regulares non omn[illegible] us conſilijs per ea vota obligari, adeoque non omnia conſilia in eorum votorum pro[illegible] in[illegible]di.* Nam ſi tribus votis non omnia includuntur conſilia, q[illegible]i-

*Altera contradictio.*

co: Præterea mentem Petri Aurelij fallit Petri Aurelij aſſertio, v[illegible]nia contineri: quibus enim verbis duo reſecta vult, tria conced[illegible]is non expreſſa omnia. Quid autem refert exprimi, ſi verè & reipſa inc[illegible]duntur? Vnionem Cleopatræ mihi dones, an centies HS, ſiue ducenta qu[illegible]quaginta aureorum millia, minimùm intereſt, æquè diuitem red[illegible]

*Expenditur exemplum electum ab Aurelio.*

commodiùs locupletas, quem minùs oneras. Adde quod i[illegible] A[illegible]relium militat electum è tribus à Petro Aurelio votum paupert[illegible], & ad[illegible]ſcentis Euangelici exemplum. Nam addito illo, *Et veni, ſequere me,* quod tam attentè à S. Hieronymo conſideratur, Caſtitatem & Obedientiam imp[illegible]ari non temerè dixerim: cum eorum qui Chriſtum vocantem ſ[illegible]nt, [illegible] duabus illis caruerit virtutibus. Eoque referri poteſt non obſcur[illegible]e-

*Petr. Bleſ. ſerm 50. Dom. Sot. de Iuſt. & iure. l. 7. q. 5. a. 4.*

ſenſis, cum præclarè admonet, vt is *qui omnia relinquere diſponit, ſe quoque inter relinquenda numerare meminerit.* Quod & expreſſiùs docet Dominicus à Soto Theologus. Recidit igitur in tria vota, quæ tanto refugiebat opere P[illegible]rus Aurelius. Quæ ſi pergit à Religioſis Ordinibus ablegata velle, conſtruat mihi animo ſaltem ſuo, Monaſterium ijs ex hominibus, qui coniuges & li[illegible] voriua paupertate alendos habeant, qui nullo inter ſe agentium patie[illegible] que vinculo coniungantur, prærerquam ſimili voluntariæ mendic[illegible]tati poſito: Deus ſancte! quod monſtrum Religionis, qui ſtatus perfe[illegible]ionis, forma Monachatus! Ita mendicabulis iſtis, hominum contemptiſſimis, [illegible] tatem ſuam quocunque circumferentibus, ſeminudis, viti[illegible] inoſis, [illegible] bus, ad perfectam religionem [illegible] deeſt, Petro Aurelio iudi[illegible]e, ni[illegible] co[illegible] ne tectum, & eius paupertatis votum, qua obruuntur in[illegible]i.

Illud tectorium quod nouitati ſuæ Theologus inducit, de virtutum Chriſtianarum connexione, iam olim magna ex parte deletum eſt à nobis, cum S. Auguſtini, aliorumque Patrum malè citatos, & vt credibile eſt, ne lectos quidem locos pluribus in pronunciatis aduerſario eripuimus. Interque cætera pudendam obiecimus Aurelio labem, qui de virtutum nexu illam S. Auguſtino affingebat opinionem, quam ſanctus ipſe Doctor, non alio conſilio fuſiùs explicat, quàm vt refellat, & abdicet. Sed quoniam de re tanta nihil ſatis dici poteſt, in ea iterum pagina ne Lector habitare permittet, in qua licet adulteratam veritatem, & violatam cum Theologia Philoſophiam deprehendam, aſiaticum tamen dicendi genus, aliquantò quàm locis alijs iucundius, & nulla cuiuſquam, niſi auctoris ipſius offenſa noxium, mihi non parum arridet. Non eſt illa quidem oratio, ſed ſatura, vbi permiſcet omnia, habitus acquiſitos cum infuſis, virtutes cum votis, finem ſtatus religioſi cum medijs, virtutum ipſarum ſtatus diuerſos: & modò virtutis & connexionis in aliquo ſcriptore nomina inaudierit, eum ſibi patrocinari credit. Hæc lego, errores Aurelij intimè perſpicio, & tamen ita decipi delectat. Horum igitur aliqua ſpeculemur, & paginam verbis magnificam, ſenſibus vberem, Patribus, Concilijs, ſcriptura ipſa clauſam atque munitam ingrediamur.

*Aurelij argumentum de connexione virtutum.*

*Citati ab Aurelio Patres alibi ſunt explicati.*

Ad votum quodlibet religioſum, vota cætera, vt ad virtutem quamlibet, ſi perfecta eſt, virtutes omnes reduci affirmat Aurelius. Triplex hic inſtituenda comparatio, votorum inter ſe, votorum cum virtutibus, & ipſarum inuicem virtutum. De prima poſtulo, quodnam tantum ſit inter iſta vinculum, vt qui perfectam habet paupertatem, ipſo pauperior Diogene, continuò etiam ſibi venereorum, & propriæ voluntatis vſu interdicat? Sacerdotalis caſtitas inſolubili lege firmata, quam prædicat Aurelius longè regulari caſtitate perfectiorem, vt pote *alius generis, altioris, ſanctioris, diuturnioris ordinis*, vt in ea plenam reperiri perfectionem dubium non ſit, quid habet cum paupertate votiua, cum obedientia homini exhibita propter Deum, commune? Iam perfectio, quæ finis eſt ſtatùs, an pendet à votis? Nonne poſſunt vota & concipi ardenter, & curioſè obſeruari ab homine à caritate, hoc eſt, à perfectione alieniſſimo, vt frequenter admonet Illuſtriſſimus Bellicenſis? Num Abrahamo noſtrum omnium patri dictum eſt, *Ambula coram me, & eſto perfectus*, licet diuitijs abundaret, coniugio impediretur, ſui iuris eſſet?

*Inter vota non eſt neceſſaria connexio.*

*Aurel. p. 663.*

In altero comparationis membro eandem deprehendo votorum à reliquis virtutibus diſtantiam. Nam paupertas & caſtitas, prudentiam, iuſtitiam, caritatem in proximum, miſericordiam, vt ſunt priuatæ quædam virtutes, cognatione non attingunt. Atque hoc ipſum queror, votum à virtute non ſatis diſtingui apud Aurelium, neque perfectionis terminum eidem eſſe perſpectum. Paupertatem enim voueo, Religionem ineo, non vt votum, aut voti perfectionem acquiram, ſed per votum conceptum fio Religioſus, & in via perfectionis collocor, cuius terminus caritas eſt; inſtrumentum eſt votum, effectus vltimus caritas; medium eſt votum, finis caritas. Impedimenta per votum remoueo; id ſimul & ſemel conficitur, non per vices & incrementa: quia mihi nihil imperat agendum, ſed quædam conceſſa vno impetu præſcindit, eaque præciſio vno momento perficitur. Tum autem poſtea virtutem caſtitatis, obedientiæ, demiſſionis animi, patientiæ, caritatis in Deum, per-

*Vt neque votorum cum virtutibus.*

*Votorum diſcrimen à virtutibus.*

*Voti perfectio non eſt finis religionis.*

fectius perfectiuſque reperitis earum actibus, labore, ſtudio, mora tempo acquiro, & hac via ad perfectionem tendo, qui meus finis eſt. Quid mihi de perfecta paupertate loqueris, quam neque vt finem meum expeto, & ſine voto poſſum conſequi, & ſi conſequat, in perfectione non habito, quæ caritas eſt. Et illam virtutis vnius acquiſitæ perfectionem cum nominas, num ſentis a ſtatu Religioſo deſilire te, qui non eſt acquiſitæ, ſed acquirẽdæ perfectionis. Itaque licet tibi concedam in ſtatu perfectiſſimo nexum ſibi inuicem eſſe virtutum chorum, eam connexionem in minùs perfecto nunquam reperies, in quo verſari tantùm tenetur Religioſus, qui pluribus ideo intentus ſimul eſſe debet, vt ſaltem ad illam vnam deueniat, cui oportet reliquas comitari.

*De connexione virtutum malè philoſophatur Aurelius.*

In tertia denique comparationis parte, cum pronunciatum illud de connexione virtutum tam plauſibiliter amplificas, idem es, quem tu te eſſe gloriaris, Philoſophiæ interioris ignarus. Hoc enim ſignificari ſi putas, virtutis vnius acquiſitionem, eſſe formaliter aliarum omnium comparationem, vnius perfectionem, formaliter omnium eſſe perfectionem, toto cœlo aberras. Nam propriè loquendo habitus ille comparatur cuius actus efficiuntur: & licet per gradus communes duabus tribuſ-ve virtutibus, ad vnius nonnunquam culmen aſcendatur, illæ tamen aliæ non æquè acquiruntur. Sed fac heroïco actu vno intenſum comparari habitum; conſiſtet vir ille ſtatim in vnius faſtigio, qui virtutes plurimas ne ſalutarit quidem. Rem explico perpenſa & voluntatis propenſione, & virtutum ipſarum natura. Qui ſe virtutis vnius ſtudio totum addicit, is profectò vniuersè virtutem & honeſtatem amat & expetit, quantoque ardentiùs illam vnam exercet, tantò propenſiùs in reliquas inclinatur. Quis enim id in ſe, alijſque non experitur, vt viro alicui probo, temperantiam perfectè colenti, non ſit longa opus facundia ad ſuadendam iuſtitiam, cum eius animo eadem virtutis ſpecies, quæ eum ad perfectam deduxit temperantiam, in iuſtitia blandiatur? Eo tantùm ſenſu admitti poteſt Aurelianum pronunciatum, *qui virtutem vnam purè ac perfectè colit, omnes colere: qui tendit ad vnam, progredi ad omnes*: nimirum in præparatione animi, virtutis honeſtatem pulchritudinemque in vnius amore perfecto diligentis.

*Acquiſitione virtutis vnius, aliæ non acquiruntur.*

Quod autem ſubdit Aurelius, tanquam cœlo lapſum, & ſine ambiguitate credendum, *ſi illam aſſequetur, omnes aſſequatur neceſſe eſſe*, id à veritate procul abeſſe demonſtro, in aliarum natura & obiectis. Nam cum ſingula ſpecialem habeant boni acquirendi excellentiam, vel difficultatis alicuius ſuperandæ obicem, ſingulis obiectis ſuum proprium & peculiarem virtutis habitum doctrina morum aſſignat, quo per difficultates euictas liber animus ad excellens bonum peruadat. In iis obiectis, difficultatibus, boni excellentia, virtutes nonnullæ germana propinquitate ſe contingunt; quarum vnam ſi aſſequeris, indubiè facilis erit ad vicinas migratio. Vt qui temperantiam ſemel animo imbiberit, is facilè & caſtitati, & abſtinentiæ, & cognatis virtutibus exercendis vacabit. At obiecta ſunt alia diſſita, diſparia, ſolo virtutis & honeſtatis genere colligata, quarum vnum ſi apprehenderis, alia nihilominus longè remota videbis. Vt vir temperantiæ & modeſtiæ ſingularis, non ſtatim fortitudine ad toleranda aduerſa, aut magnanimitate ad grandia capeſſenda, aut magnificentia ad amplificandos ex rationis præſcripto ſumptus, inſtructus eſt. Qui ergo *virtutem vnam aſſequetur, omnes aſſequatur neceſſe non eſt.*

Sed

Sed qui capitalem vnam aſſequetur, aliquas obiecto, fine, ſimilitudine coniunctas aſſequetut, non remotiores alias. vt cui donata quercus eſt ramos poſſidet, at non omnes querceti totius arbores.

Hanc rtadidit doctrinam D.Thomas cum ſcriberet, *connexionem virtutum non intelligi ſecundùm actus, vt ſcilicet cuilibet competat habere actus omnium virtutum. Vnde actus magnanimitatis non competit cuilibet virtuoſo, ſed ſolùm magnis: ſed ſecundùm principia virtutum, quæ ſunt prudentia & gratia, omnes virtutes connexæ ſunt, ſecundùm habitus in anima ſimul exiſtẽtes, vel in actu, vel in propinqua diſpoſitione.* Cur hoc? Quia *nihil prohibet alicui virtuoſo ſuppetere materiam vnius virtutis, non autem materiam alterius. Sicut pauper habet materiam temperantiæ, non autem materiam magnificentiæ: poteſt tamen habere in præparatione animi propoſitum magnificos faciendi ſumptus, ſi ſibi competeret.* Illud *animi propoſitum*, ea *diſpoſitio propinqua* quid aliud eſt, quàm voluntas erga quamlibet virtutis ſpeciem ex amore generis, atque vnius acquiſitione rectè affecta? Quod ſi quæris vlteriùs è magno Doctore, cur tandem artibus & diſciplinis omnibus non ſit imbutus, qui vnam perfectè complectitur? Reſpondebit profectò aliud nihil, niſi quia *ſunt circa diuerſas materias ad inuicem non ordinatas, & ideo non inuenitur in eis connexio.* Id ſeiunctis illis virtutibus applica, & vide quæ ſit diuitiarum cum propria libertate, quæ corporearum voluptatum, cum diuitijs cognatio: ſuperata vitæ ſuperbia, nonne alia tibi reſtet lucta cum concupiſcentia oculorum? Poſt edomitam carnis rebellionem, nonne hoſtes alij tibi inſidientur, opum effrenata cupiditas, & ambitionis impotens appetitus? Noua ergo præter adeptam virtus deſideratur, illi vitio oppoſita, qua ſi caruero, ea ſemper parte claudicabo.

*Doctrina noſtra probatur ex* D.Th.2.2. q.129.a.3. ad 2.
Ibid.q.152 a.3. ad 2.
Idem 1.2. q 65.a.1. ad 3.

Sed quid alios moramur iudices, cum litem hanc Chriſtus ipſe exemplo terminet? Virtutes omnes ad vnam perfectam reduci putat Aurelius: ponamus exemplum in caſtitate, quam vouent Religioſi: poteſt ea virtus eſſe in vllo, quàm in Virginibus perfectior? Atqui parabolicæ Virgines (de quarum voto non inquirimus, cum eximiam caſtitatem habeamus; nec enim ſentit Aurelius voti religioni, ſed virtutis perfectioni neceſſariam ineſſe cum virtutibus cæteris connexionem.) Virgines inquam illæ prudentia carent, quia *fatuæ*: humilitate deſtitutæ ſunt, quia *non ſumpſerunt oleum ſecum*; id eſt, explicante S.Hieronymo, cuncta in hypocriſi faciunt, & S. Gregorio, *gloriam intra conſcientiam non habent, dum hanc ab ore proximorum quærunt*: qui ſenſus & S. Auguſtino ſemper placet. Eædem fidem operibus coniunctam non conſeruant, quia *lampades extinguuntur*, id eſt, *videntur ſimili quidem fide Dominum confiteri, ſed virtutum opera negligunt.* Caritate in Deum non animantur, quibus ſponſus dicit, *Neſcio vos: habent quippe laborem in conſeruando corpore, non habent decorem vultus in perfecta caritate.* Ita demum à nuptijs excluduntur, & cœlo: cumque perfectiſſima illa ſua caſtitate, in æternum à Deo exilium deportantur. Quæ falſa ſunt omnia, & malè à Chriſto narrata, peruerſè à Patribus explicata, ſi verè dicit Aurelius, virtute vnica perfecta virtutes omnes contineri.

*Declaratur exemplo Virginum fatuarum.* Matt.c.25.
Hieron. in eum locũ. Gre. hom. 12. in Eua. Augu ep. 120.& l.83. qq.q.59. Hier.cit. Greg l.6. in 1.Reg. c.vlt.

Video quò ſe recipere poſſit aduerſarius, quid obtendere: virtutes ſe loqui non Ethnicas, & profanas, ſed *Chriſtianas, indiuulſas à caritate, à qua vel ſimul omnes manant, vel cum ea ſimul omnes infunduntur.* At ego Chriſtum profiteor de Chriſtiana, non profana loqui caſtitate, cum Virgines omnes ex æquo pru-

*Obiectio Patris Aurelij.*

*Refellitur.* *Gre. hom. 12. in Euã. cit.* dentes & fatuas in *regno cælorum* eſſe natiat, id eſt explicante S.Gregorio, *id præſentis temporis Eccleſia.* Itaque caritatis perfectionem in perfecta religione, non ſuperſtitione Gentili conſidero, quam neque caſtitati, neque virtutibus alijs coniunctam reperio, & rogo quid ſit virtutes *indiuulſas eſſe à caritate, manare ab ea omnes ſimul?* Hunc enim niſi fallor, ea verba ſenſum accipiunt, vbicunque caritas inueniatur, ibi eſſe & virtutes cæteras; vbi vigeant virtutes omnes, inde caritatem non abeſſe. Eius autem vanitatem propoſitionis, manifeſta fides in ipſa fidei virtute arguit, quam ſine caritate, etiam vſque ad martyrium poſſe procedere, confirmat Apoſtolus. Idemque docet de omni ſubſtantia per ſummam liberalitatem & miſericordiam in pauperes diſtributa, vt duabus commemoratis virtutibus altera ſupernaturali, naturali altera, intelligamus omnes penitus virtutes à caritate poſſe diuelli. Redeuntum enim uerò ad ea quæ cum Seguenoto nuper diſputauimus, & ad rectæ Philoſophiæ regulas Aurelij grammatica dirigenda. Differt enim hic ab illo, quòd cum vterque ſummis & veris caritatem laudibus exornet, ille ſolam virtutem faciat, contemptis cæteris; hic alias agnoſcat, ſed omnes à caritate profectas.

*Caritas duplex, generalis & ſpecialis.* *Elogia caritatis ex* Richar. de S.Vict. l. de grad. carit. c. 1. Diſtinguamus hic iterum, ſi placet, caritatem quà generalis eſt virtus, à caritate quæ ſpecialis eſt: neque minùs cautè habitum caritatis, ab actu caritatis ſecernamus. Si de generali caritate ſermo eſt, fateor caritatem illam eſſe quodammodo virtutes omnes. Nam vt eleganter Richardus Victorinus, *ſola eſt quæ in aduerſis non deficit, quia patiens eſt: quæ iniurias non rependit, quia benigna eſt: quam felicitas aliena non cruciat, quia non æmulatur: quam conſcientia mala non pungit, quia non agit perperam: quæ honore non extollitur, quia non inflatur: quæ præeſſe non nititur, quia non eſt ambitioſa: quam cupiditas non coarctat, quia non quærit quæ ſua ſunt, &c. Hæc eſt quæ vitam ordinat, affectus inflammat, actus informat, exceſſus corrigit, mores componit, valens ad omnia, & omnibus præualens.* Sed idem de iuſtitia, idem ſuo etiam modo de prudentia non immeritò dixerimus, prout & ipſæ ſunt generalia moralium virtutum principia. Specialem ergo caritatem conſiderari oportet: à qua ſi dicit aduerſarius *indiuulſas eſſe virtutes* cæteras ſpeciales, exemplo propoſitæ virginitatis reuincitur: ſi affirmat ab ea, vt talis eſt, *virtutes ſimul omnes manare*, obiecta ſpecialia fineſque virtutum ſingularum minimè gentium diſtinguit; eſtque perquam alienum à vero, vt exiſtimem virtutem illam priuatam, quæ Dei bonitatem habet pro obiecto, amorem pro actu, eam efficere virtutem, quæ Dei veritatem pro obiecto, credulitatem pro actu ſortita ſit: ab ea vt ſic manare virtutem illam, cui ius ſit pro obiecto, pro actu, iuris vnicuique debiti redditio, aut illam quæ circa corporeas delectationes verſetur, eiſque moderãdis præſideat. Nam cum formæ cuiuſlibet effectus formalis, ſit ipſa ſui cõmunicatio, & vt loquuntur, ipſa forma in ſubiecto, quæ tale ſubiectum denominari facit, nemo poteſt à caritate, vt ſpeciali forma, niſi Deum amans, vt à fidè fidelis in Deum, à iuſtitia iuſtus appellari. Quemadmodum candor, licet aliorum colorum principium, quà tamen priuatus color eſt, candidam reddit veſtem, non purpuream.

*Caritas actualis & habitualis.* Iam actum caritatis, & habitum ſi attendimus, certum eſt ex ante diſputatis, ad obiecta virtutum ſingularum applicari non debere caritatis motiuum, vt ſolius caritatis actus, non autem iuſtitiæ, aut humilitatis eliciatur: poſſunt ergo diuelli ab actu caritatis, aliarum actus virtutum. Cumque actus exercerut caritatis, conſtat eo non produci, vel augeri habitum iuſtitiæ, aut

patientiæ, ſed caritatis vnius: non manant igitur ab ea virtutes aliæ, ſenſu quo vult Aurelius. De habitu dubitari non poteſt quod dictat fides, *indiuulſas* ab eo eſſe debere virtutes omnes, quæ viuæ, quæ formatæ, quæ meritoriæ de condigno fuerint: de quo Richardus noſter magnificè, *non tam virtus potens, quàm virtutum potentia dicenda eſt, eo quòd ab illa omnes accipiant vt vera virtutes ſint*, Deo acceptæ & meritoriæ. *Hæc vita fidei, robur ſpei, & omnium intima vis, & medulla virtutum*. Eo tantùm ſenſu ſcribere potuit Petrus Aurelius *virtutes omnes ad vnum ſpiritum redigi, & ad eum poſſeſſores ſuos redigere*, videlicet ad habitum caritatis, qui vnus viuus eſt & efficax æternæ ſalutis. Sed illo dicto non efficit quod maximè cupit, virtutes omnes eſſe *indiuiduas & totas in totis*; ſiquidem vnam ſine alia comparari monſtrauimus, neque eſſe *indiuulſas à caritate, aut ab ea manare*, cum virginitatem caritatis expertem à Chriſto accepimus: neque voto vno reliqua contineri, cum ſeparata viderimus. Bona igitur Aurelij venia, ternarium votorum numerum ſibi penitus eſſentialem perfectæ Religionis ſtatus conſeruabit. Lector autem virtutis ſtudioſus non indignabitur iam tertium à nobis de caritatis aliarumque ſimul virtutum merito diſceptari, cum repetita ſæpius recentibus in auctoribus eius opinionis renouatio, nos in iterata confutatione non ſinat eſſe importunos. Quanquam frequens eiuſdem materiæ tractatio, cum apud nos aliam ſemper atque aliam induerit formam, faſtidium, cuius aliàs mater eſſe ſolet, non ingrata, vt ſpes eſt, nouitate ſubleuabit. Richard. de S. Vict. cit.

---

## DE VOTIS SINGVLIS LIBATVM NONNIHIL.
### *Ac primò de paupertate, in quo ea poſita ſit, an Religioſa paupertas ſit Euangelica.*
### CAPVT XII.

NESCIO quid in paupertate vidit Aurelius quod amaret, & excluſis cæteris Religioſo ſtatui ſolum vellet eſſe conceſſum. Claudius Seguenotus qui Religioſam & voluntariam paupertatem, neceſſariæ mendicorum inopiæ poſtponit, alio iam à nobis confutatus eſt libro. Baſilianorum Monachorum ſtrictam paupertatem, à Nicolai le Maiſtre Theologi doctrina priùs etiam vindicauimus, vt mirum non ſit eandem ſæpe cuſtodiri ſemitam, quæ à diuerſis obſideretur: ſic autem iis locis de paupertate dictum eſt, vt iſto neque reperi quicquam, neque ſilentio neceſſaria prætermitti oporteat. *De paupertate iam alioquoties diſputatum.*

Preſsè quæritur in quo demum poſita ſit, & qualis dicenda Religioſi ſtatus paupertas? Eius rei definitio à diuiſione petitur, quæ multiplex à diuerſis formatur. Paupertas enim alia coacta, alia voluntaria eſt. Hæc iterum triplex in effectu, in affectu, in vtroque. Media ſi ſola eſt, votum non patitur, quò de agimus: prima laudem non habet quam volumus; pretium eſt in poſtrema, quæ tres cauſas agnoſcit, ortum, fortunam, voluntatem. Gaudet paupertate in qua nati ſunt Lazarus, Tobias, Seruulus, & ſimiles: fortunam amplectuntur (ſic enim loqui liceat cum pluribus) Iobus, Euſtachius, Origenes, alij. Quærunt paupertatem in ampla fortuna nati, relicto ſeculo Paula, Alexis, Florus, Placidus, innumeri. Vtraque hominum conditio paupertatem amat, illa quam colere cogitur, iſta ſine qua laudabiliter & ſplèdidè poteſt viuere: neutra diuitias *Diuiſio paupertatis.*

habet, illa quas non poteſt, iſta quas non vult: Deus illam ſolus, hanc homo facit cum Deo: illa Dei decretum ſequitur, hæc præuenit. Quæris vtra laudabilior, & Deo ſit acceptior? Deo iudice, inquiet Seguenotus, vincit illa quæ tota Dei eſt; hominibus arbitris ſuperat iſta, quæ plus admiſcet humani. At qui pronunciauit aliter iudex quem appellat, ſi Patribus omnibus fides vlla debetur; cum tres Eunuchorum ſpecies diſtinxit (caſtitatis autem & paupertatis eadem eſſe debet ratio) *ſunt Eunuchi qui de matris vtero ſic nati ſunt*; paupertatem in ortu cogita. *Sunt Eunuchi qui facti ſunt ab hominibus*; recole paupertatem, quam diximus à fortuna. *Sunt Eunuchi qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum cœlorum.* Agit hic voluntas, & vni illi dicitur, *qui poteſt capere, capiat.* Et eius inde dignitatem ſuprà cæteras ſapienter arceſſit Nicolaus le Maiſtre, *in Religioſis viris*, inquiens, *eò tantum meriti ac ſanctitatis locum ſpéciemque obtinet, quòd illam non iure gentium aliquo, non bellica clade, non calamitate parentum, ac natalium vilitate, ſed ſponte ſua & liberè pro Chriſto induerunt.* Poteſt quidem aduerſarius, Illuſtriſſimi Geneuenſis Franciſci Saleſij viri ſanctiſſimi dictum, in rem ſuam trahere, quo perfectus Hierarcha, veréque perfectiuus, naros in illa rerum omnium penuria conſolans, pluribus eam laudat & extollit. Verùm præterquam quòd abſoluto vtitur encomio, neque illam cum alia paupertatis ſpecie comparat, adeoque noſtræ quæſtionis ſtatum non attingit; eius præterea ſpectandum eſt conſilium, qui ea nolit ad ſeueritatis Theologiæ calculos expendi, quæ afflictorum ſolatio per diuinæ Rhetoricæ amplificationem impendit: non magis quàm Patres cæteri, quorum conciones zelus aliquando extra mediocritatis limites abripit. Quis autem ex aliis eius ſcriptis religioſæ profeſſionis dignitatem non æſtimat? Quis, ſi deeſſent ſcripta omnia, veritatem quam tuemur meridianis radijs exaratam, in Ordine Religioſarum Sanctimonialium ab eo ſanctè & feliciter inſtituto non perlegeret? Sed proſequor in diuiſione, nondum enim metas tango, cum reuocet ad carceres.

*Paupertatem coactam voluntaria præponit Seguenotus in l. de S. Virg p. 97. Refellitur.* Matt. c. 19. Nicol. le Maiſtre l. 1. inſtaur. Epiſ. prin. c. 12. *Explicatur dictum Illuſt. Geneu.*

Paupertas hæc voluntaria, quæ libera voluntate ſuſcipitur, ſiue bonis ante caruerit, ſiue ijs abundarit, bifariam ſecatur à nonnullis, in Euangelicam, & Cœnobiticam, quæ Philoſophica dici poteſt. Non enim aliter Claudius idem Seguenotus ab eo explicabitur, qui totum eius orationis contextum diligenter expenderit. Euangelica fuſiùs alibi exponitur, illa ipſa præcisè & literaliter, quam Chriſtus adoleſcenti conſulit, *vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni, ſequere me.* Quod perfectè impletur conſilium ſecundùm eius qui dedit intentionem, ab eo qui diſtractis in pauperes bonis ſuis propter Deum, de reliquo, ex Apoſtoli conſilio *laborat manibus ſuis quod bonum eſt*, non tantùm vt vitæ ſuæ conſulat, ſed etiam *vt habeat vnde tribuat neceſſitatem patienti.* Sic enim Gloſſa ordinaria locum fideliter interpretatur. Quod ſi hic ipſe morbo, mutilatione membrorum, vel quo alio caſu eò redactus eſt, vt ne ipſo quidem manuum labore ſuſtentare ſe poſſit, ad ſubeundam æquo animo mendicitatem paratus ſit. Cœnobitica illa eſt, qua priuatim ſinguli bonorum proprietate exuti, ea in commune poſſident, aut vt domini, vt qui reditibus annuis viuunt, aut vt vſufructuarij, vt ordo Minorum, qui vouent victuros ſe *ſine proprio*, non autem ſimpliciter in paupertate illa Euangelica. Vnde dicta *Expropriatio*, quod nominis genus etiam in Nicolao le Maiſtre legitur, licet ille latinam affectet elegantiam. Atque duæ iſtæ paupertatis ſpecies

*Alia diuiſio in Euangelicam & Cœnobiticam.* Seguenot. loco cit. pag 99 *Explicatur Euangelica paupertas ſecundùm illam opinionem.* Epheſ. c. 4 *Item Cœnobitica.* *Expropriatio.* Nicol. le Maiſtre cit.

cies votum habere poſſunt adiunctum: nam Expropriatio ſemper vouetur in clauſtris regularibus: paupertas Euangelica voueri poteſt in ſeculo, & quidem in eo ſolo, quia non tranſit ad Cœnobia. Hæc eſt celebris diuiſio, quam tanti videmus fieri, vt ea ſternatur ſolum, quo ad Religioſarũ profeſſionum deſtru-ctionem cũrritur; vt proinde in ea reuellenda labor non inutilis ponendus ſit.

*Refellitur ea ſententia, a nouitate.*

I. Ac primùm occurrit eius diuiſionis nouitas, non temerè inuehenda, non facilè admittenda. Siquidem tot ante ſeculis, tot in ſcriptoribus nuſquam reperietur paupertas Religioſa, contradiſtincta ab Euāgelica paupertate; nuſquam ſic ad vnguem explicata paupertas Euangelica, quaſi omnes illæ partes ſint neceſſariæ; nuſquam Religioſorum paupertas *Expropriatio* nudè & ſimpliciter appellata. Si fallo, proferant vnum aduerſarij de antiquis & Catholicis Patribus, de probatis Theologis, de Canonum Eccleſiaſticorum enarratoribus, qui hæc docuerit, qui ſit ita locutus, qui Religioſam paupertatem Euangelicam eſſe negauerit.

*Obiectio.*

Dices in illo argumento nullum nobis ius eſſe, cum ſuperiùs non ſemel periculoſum eſſe monſtrauerimus ad antiquitatem Eccleſiaſticam in rebus obſcuris, quæque mutationi obnoxiæ eſſe poſſunt, appellare. Non enim magis abſolutio Sacramentalis in antiquis patribus legitur, quàm Expropriatio Cœnobitica: ac licet Apoſtolicæ miſſionis formam modò non teneant Epiſcopi, *ſine pecunia in zonis, pera in via, calceamentis & virga*, non minùs tamen ſuccedunt Apoſtolis. Reſpondeo infirmum per ſe, & malignum argumentum, validi arietis vim habere, aduerſùs eos in quorum ore ſcriptiſque perpetuum eſt, dum nos ad Apoſtolica prouocant ſecula, vt antiquorum teſtimonio demonſtremus Apoſtolos *inſtituiſſe* ſtatum Religioſum, tria vota illi eſſentialia, in quo ſita ſit, quamque vetus eorum ſolennitas, vtrum eorum deſertoribus Apoſtaſiæ crimen obiectum ſit, & ſimilia. Quis enim vetet quin ab illis quæramus Auguſtini, Hieronymi, Gregorij Nazianzeni auctoritate inductam vocem *Expropriationis*, excluſam Religioſorum paupertatem ab Euangelica, negatum in Cœnobijs votum fieri paupertatis: idque fidentiùs poſtulo, quòd contraria omnia & ſcripſiſſe & ſenſiſſe conſtat omni Eccleſiæ ſeculo Pontifices ſummos, & alios doctrina inſignes, & ſanctitate conſpicuos.

*Reſponſio. Argumentũ eo vtimur aduerſariorum.*

*Vnius Baſilij auctoritate refellitur. in Conſtit. Monaſt. c.19.*

De ſexcentis vnum dicis cauſa hic nomino Baſilium, magnum hominem, & ſi creditur Aurelio, non Monachum. De canonicis, hoc eſt Regularibus ſcribit in Cœnobio agentibus. *Qui eiuſmodi ſunt, ſine controuerſia primi parentis noxam contegentes, antiquum bonum in priſtinum reuocant. Hi liberatoris noſtri, eiuſque vita dum inter nos verſaretur, inſtitutorum veri perfectique imitatores extiſtūt. Quemadmodum enim ille coacto Diſcipulorum choro, communia cuncta, ſeque ipſum communem, Apoſtolis præbuit, item hi quoque Antiſtiti ſuo obtemperantes* (ne deſit obedientia, quæ in Apoſtolica communitate non apparet aduerſarijs, quoniam Antiſtitem Chriſti loco regere non peruident) *genus viuendi Apoſtolorum ac Domini imitantur*. Potuit-ne meliùs illud Chriſtus *inſtituere*, quàm cum primus exercuit? *Hi dum laudabili ratione viuendi ſua, commubitateque, cæleſtis vitæ ac ſtatus egregiè formam effingunt, futura promiſſi regni bona præcipiunt*. Vbi promiſſum eſt regnum, niſi cum beati dicti ſunt *pauperes ſpiritu*, quam vocem repudiat Seguenotus? *Hi perfectè rerum omnium paupertatem tenent* (vera hic *Expropriationis* interpretatio) *in quibus nihil proprium cuiuſquam ſit, ſed communia omnium omnia*. Diuites igitur in commune tanquam *nihil habentes*, *&* *omnia*

*Τὴν τῶν Ἀποστόλων καὶ τοῦ Κυρίου πολιτείαν μετ' ἀκριβείας μεμίμηνται. Οὗτοι τὴν ἀκτησίαν τελείως κατώρθωσαν, οὐδὲν ἴδιον ἔχοντες, ἀλλήλων δὲ τὰ πάντα.*

1. Cor. 6. *poßidentes. Paupertatem* igitur veram & perfectam exercent Baſiliani Cœnobitæ, ſiue illam voueant, ſiue liberam habeant: eandem communitatem Chriſtus cum Apoſtolis obſeruauit; eſt igitur Euangelica: hanc modò votiua & ſolenni profeſſione ſequuntur Religioſi: habet ergo ex S. Baſilio paupertas Religioſa, vt ſit expers proprietatis, in commune locuples, Euangelica, perfecta, cœleſtis, qualem in Clauſtris voueri negant Seguenorus, & alij.

*Non debent omnia ſeruari ad literam.*

II. Vult aduerſarius præciſè ad literam Chriſti conſilium capi & exerceri. Cur nos in illas ſenſus literalis anguſtias conpingit? Illa-ne literæ ſeueritas omnibus in Chriſti præceptis & conſilijs mordicus tenenda eſt? Origenem roga; num is *Eunuchos* nimis literaliter amauit, *qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum cælorum*, & qui allegoriam frequenter in charta ſequitur, in cute literam ad viuum reſecuit, neque Deo probatus, neque hominibus? In ipſis parabolis multa conſtat ornatus gratia narrari, quæ ſibi literalis apodoſis non vendicat. Vere-ne Deus homo durus eſt, vt tollat quod non poſuit, metat quod non ſeminauit? An exactè refert ad literam eum iudicem, qui nec Deum reuerebatur, neque homines? Habet-ne pueros ſecum in cubili, qui prohibeant ne nocte concubia fores pulſanti amico ſatisfaciat?

*In parabolis quædam adijciuntur ad ornatum.* Matt. c. 25. Luc. c. 18. Luc. c. 11.

*Addunt aduerſarij ad literam Euangelij.*

III. Eſto tamen, literæ pedem aduerſario porrigamus. Cur eam ipſe aliena appendice corrumpit? Nam quod adijcit de labore manuum, Apoſtoli Pauli eſt, non Chriſti. Atque illic Apoſtolus ad literam non de conſilio paupertatis, de quo nobis ſermo eſt, ſed de morum in melius mutatione differit, eo ſenſu. *Qui furabatur, iam non furetur: magis autem laboret operando manibus ſuis.* Si quis veſtrum remotus olim à veritate, & Chriſti gratia bonis alienis per iniuriam inhiauit, iam Chriſto coniunctus mutata vitæ ratione, labore manuum vitam ſuſtineat, atque vice doli antiqui aut rapinæ, egentibus ſuperflua ſua eroget. Id aduerſarius ad verum paupertatis Euangelicæ conſilium parum literaliter traducit. Loquitur autem de manuum labore Apoſtolus; at aduerſarius qui ad eum omnes cogi non poſſe peruidet, laborem interpretatur corporalem vel ſpiritalem: hoc literale non eſt. Adijcit pauperem illum ſi laborandi facultas defuerit, mendicatò victitare debere: id quo ex Apoſtoli verbo, è quo Chriſti conſilio habet, præciſè & literaliter? Illa porro laboris ad opum abiectionem adiunctio ex Apoſtolo Paulo, licet parum germanè & literaliter explicato, cuius Apoſtoli, cuius Doctoris auctoritate inducitur? Gloſſam citant Ordinariam, è doctrina ſenſuque ſanctorum decerptam, vulgatum & fidelem diuinæ ſcripturæ interpretem. Dic amabo, quæ, cuiuſque ſit iſta Gloſſa Ordinaria? Non VValafridi Strabi quæ ipſa Patrum verba, ipſos locos integros adducit. Non Anſelmi Lucenſis, quæ Patrum ſenſum & ſuccum ſæpius moralem exprimit, & textui ſuperadijcit, inde dicta interlinearis. Non Nicolai Lyrani, qui de ſuo locos explicat. Non Bedæ, qui tamen ab aliquibus citatur. Cuius igitur auctoris illa eſt Gloſſa? Quis ille *vulgatus & fidelis interpres*? Nam eorum nullus quos nominaui ſiue in locum Matthæi, ſiue in dictum Apoſtoli deſignatum, duos hoſce locos in vnum ſenſum compingit, aut ad conſilium Chriſti, verba Apoſtoli de labore manuum addit: aut Apoſtoli præcepto, Chriſti de paupertate conſilium coagmentat.

*Explicatur Apoſtoli locus.* Epheſ. 4.

*Gloſſa ordinaria falsò citatur.*

Beda in c. 20. Act. Apoſt.

*Conditiones ſeptem nouæ huius paupertatis.*

IV. Itaque cum in paupertate, vt vera, perfecta, & Euangelica ſit deſiderentur ab aduerſario conditiones omnino ſeptem, quas & partes appellare poſſumus,

poſſumus, 1. Vt poſſeſſiones ſuas vendat: 2. Det pauperibus: 3. Sequatur Chriſtum: 4. Laboret operando manibus ſuis, vel ingenij viribus: 5. Tribuat neceſſitatem patienti, quod ſibi ſuperfuerit: 6. Vt ceſſante labore, mendicato, neque aliter victitet: 7. Vt ſi quis ad eam voto ſe vult obligare, faciat illud in ſeculo, non autem in Cœnobio. Iam recurro ad primum argumentum, & auctorem Catholicum poſtulo, ſupra decimum quintum retro ſeculum, eius explicationis fundum teſtem; Patrem dico Eccleſiæ, Theologum, ſcripturæ ſacræ interpretem: de ſeptem illis partibus quæro, vt à Magiſtro ſcholaſticus, ſint-ne eſſentiales omnes Euangelicæ paupertati, an integrantes? Vtrum ſublata vel vnica, pereat Euangelicæ paupertatis ſimulacrum, vt Minerua Phidiæ? Vtrum Romanus Pontifex cum plenitudine poteſtatis ab alicuius illarum partium neceſſitate ſic poſſit hominem abſoluere, vt tamen in ſtatu paupertatis Euangelicæ perſiſtat? Vt aliquem nobis indicet Pontificem, aut patrem vt Auguſtinum, Hieronymum, Gregorium, qui negarit, alibi quàm in ſeculo paupertatis Euangelicæ votum poſſe concipi, aut Religioſos Euangelicam in Cœnobijs vouere paupertatem: producat vnum in Eccleſia vetere ex vitis Patrum, hiſtoria tripartita, Metaphraſte, Lipomano, Surio, qui omnes illas exactè conditiones ad paupertatis profeſſionem attulerit. S. Alexium non dicet, qui nihil vendidit, nihil dedit, ne mendicato quidem in domo paterna vixit, in quam ſemel admiſſus, vitæ ſine labore partæ ſecurus fuit. S. Eugeniam Philippi filiam, aut Paulam S. Hieronymi alumnam non nominabit; quæ in Monaſterio vixerunt, quo paupertas Euangelica non penetrat. Paulum Eremitarum parentem non producet, qui neque manibus operatus eſſe dicitur, quem coruus paſcebat; neque comites habuiſſe pauperes, quos reliquijs aleret. Edicat quàm multos modò in illa eſſentiali & integra paupertatis Euangelicæ profeſſione in ſeculo agentes nouerit, ſiue eam illi vouerint, ſiue non vouerint, quandoquidem de conſilij Euangelici eſſentia votum eſſe denegatur. Si neque prioribus ſeculis tam frequenti ſanctitate, tam ardenti caritate, neque iſtis poſterioribus reperti ſunt vlli Euangelicæ paupertatis cum ſeptenario conditionum numero cultores, doceat velim quo euanuerit conſilium illud Chriſti? Cur id Chriſtus conſuluerit Euangelij ſui ſequacibus, quod à nemine vno eſſet vſurpandum? Quid quòd ad illud conſilium, cum nouæ expoſitionis additamento, plurimis fidelibus nullo ſtatu vinctis, nullo voto nexis, non licet aſpirare? Nam pauperes qui vendendum diſtribuendumque nihil habent, impuberes qui ſui nondum iuris ſunt, aut pupilli *ſub actoribus & tutoribus vſque ad præfinitum tempus à patre*, per leges ciuiles à diſtrahendo patrimonio, per ſeptem conditiones ab Euangelica paupertate arcentur, neque dulcem illam Chriſti vocem, cum Adoleſcente poſſunt audire, *Non longè es à regno Dei*. Quibus incommodis mederi oportet eos qui Cœnobiticam paupertatem ab Euangelica ſecernunt.

*Refellitur.*

*Nullus Euangelicam paupertatem cum illis conditionibus ſectatus eſt.*

*Multi non poſſunt illam ſequi.*

V. Sed quid homines conſulimus, cum Deus ipſe vult audiri? Chriſtus eo ſenſu paupertatis conſilium dedit, quo Petrus intellexit, & cum Apoſtolis exercuit: at ſimpliciter & ſine tot conditionum ſcrupuloſa appendice Petrus intellexit: ergo ſimpliciter & ſine illis conditionibus Chriſtus illud conſilium dedit. De propoſitione nulla poteſt, vel leuis ſuboriri dubitatio, cum præſens præſentis ſenſum Petrus hauriret, cum Petri expoſitionem Chriſtus non reprehenderet, ſed potiùs probaret, & promiſſa iudiciaria poteſtate laudaret;

*Vera Euangelica paupertatis explicatio.*

*Apoſtolus Petrus vt Chriſti conſilium intellexit.*

non facturus profectò in re tanti momenti, ſi perperam fuiſſet aliò detorta eius intentio. Nam fermentum Phariſæorum, cum de panibus intelligerent Apoſtoli, eos ad verum ſenſum traduxit: cum Petrus ſcandalum crucis ab eo vellet remotum, ire retro iuſſus eſt, quod non ſaperet quæ Dei ſunt, ſed ea quæ hominum: cum dormire Lazarum crederent, de morte manifeſtè loqui ſe monſtrauit: cum anxijs & hæſitantibus de reſurrectione promiſſa diſcipulis ambulans, ſcripturas aperuit. Capharnaitarũ ſchiſma, qui Euchariſticum ſermonem de corporis veritate & realitate capiebant, non impediuit, cauſatus eos ad prauum ſenſum deflectere; ſed eo tacitè probato, aliquid minùs ipſis credibile ſubiecit; quo facto Catholici doctores aduersùs neotericos Nouantes ſolidè & efficaciter demonſtrant, illo ſenſu de pane Euchariſtico locutum Chriſtum, quo loqui putauerunt Capharnaitæ. Quare à ſimili noſtro in propoſito concludimus, non aliter intelligendum Chriſti conſilium, quàm quomodo à Petro intellectum, non modò non teprehendit, ſed etiam ingenti mercede ſubdita comprobauit.

*Matt. c. 16. Ioan. c. 11. Luc. c. 24. Ioan. c. 6.*

*Quomodo Petrus Chriſti conſilium intellexerit.*

Quid ergò Petrus aut dixit aut fecit? Nam hoc in aſſumptione ponimus: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſequuti ſumus te.* Non ait, noſtra vendidimus, in pauperes erogauimus, labore manuum viximus, ad mendicandum oſtiatim parati ſumus, pauperes ſuperfluis noſtris aluimus. Quid ad hæc Chriſtus? *Vos qui ſequuti eſtis me, ſedebitis.* Neque vos ſoli, ſed *omnis qui reliquerit domum, aut fratres, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet.* Vbi grandis ille conditionum ſeptem apparatus? Vbi labor, vbi mendicitas, vbi pauperum ſuſtentatio? Duo poſtulantur, ſua relinquere, Chriſtum ſequi; hæc qui fecerit *centuplum accipiet, & vitam poſſidebit æternam.* Quòd ſi omnes Apoſtoli ore Petri ſic loquuti ſunt, non aliter certè vixerunt. Nam Petrus nauiculam ſuam non vendidit: Iacobus & Ioannes *relictis retibus & Zebedæo patre, ſecuti ſunt* vocantem; Zachæus dimidium effudit in pauperes, vt totum benè collocaret. Quandiu cum ipſo fuerunt benè ſani & valentes, ex ipſo laboris vſu euocati piſcatores, an vixerunt corporis aut animi laboribus? An nummulis ita comparatis pauperes aluerunt? Poſt aſcenſionem laboraſſe manibus Paulus legitur, ſed vnus ex omnibus, quod ipſe non ſilet, neque ſe illud neceſſitate ſeruandæ paupertatis Euangelicæ facere, ſed ne quenquam ſuis ſumptibus opprimeret, profitetur. Solus-ne Chriſti conſilium expiſcatus eſt Paulus? Si paupertas Apoſtolica laborem admittit in Paulo, laboris corporei defectus paupertatem Euangelicam à cæteris Apoſtolis an repellit?

*Quomodo illud exercuerint Apoſtoli. 1 Cor. 9. Vide Aug. l. de opere Monach.*

*Quæ verè ſit paupertas Euangelica. Eam vouent Religioſi.*

Itaque Apoſtolico ſenſu intellecta paupertas Euangelica, duas tantùm conditiones & partes neceſſarias complectitur, ſua relinquere, & Chriſtum ſequi: At præſtant vtrunque Religioſi in Cœnobijs, ſeu dotatis ſeu mendicantibus; & ad id voto ſe conſtringunt: ergo paupertatem Euangelicam Chriſti & Apoſtolorum ſenſu intellectam colunt in Cœnobijs Religioſi, & ad eam voto ſe obligant. Ergo Chriſti & Apoſtolorum ſenſui repugnat paupertatis diuiſio in Euangelicam & Cœnobiticam, & æquè praue negatur in Cœnobijs paupertatem aut voueri aut ſeruari poſſe Euangelicam. Quæ omnia nouum *Expropriationis* vocabulum, quà diſtinctum cenſetur à vera paupertate, in ius vocant, apud *vulgatos & fideles ſcripturæ ſacræ interpretes*, & perpetuum illi exilium in Nouatorum terras indicunt. Quòd autem paupertatem quæ vouetur in clauſtris, cum Philoſophica gentili comparat Seguenotus

*Non Philoſophicam, contra Seguenotum.*

notus, calumnia eſt contemptu & ſilentio refellenda, vt quæ ſcriptoris potiùs animum prodat, quàm contrariam vlla ex parte vulneret veritatem.

## *RELIGIOSÆ PAVPERTATIS SVAS IN ſpecies explicata diuiſio.*

§. I.

DEDVXIT nos diuiſio ſuperior ad eam quam inueſtigabamus Religioſam paupertatem, eandemque Euangelicam, cuius vnius modò diuerſæ ſpecies conſiderandæ nobis occurrunt, quas in Theologo Nicolao le Maiſtre primùm ſpectare conuenit; ſiquidem quinto huius operis libro *quadrifrontem* eius diuiſionem maiori Lectoris otio reſeruauimus. Is ergo monſtraturus paupertatem dominij & proprietatis expultricem, in antiquiore Monachorum inſtituto non fuiſſe obſeruatam, paupertatem ipſam ex Theologis Scholaſticis in quatuor membra ſpecieſque partitur. *Pauperum enim quatuor ordines diſtinguunt. Primum eorum qui nec licitè, nec validè quicquam poßident. Secundum eorum qui licet nullo iure incapaces dominij ſint ac proprietatis, tamen voto ſingulari & priuato dominium ac proprietatem eiurarunt. Tertium, eorum qui licet nec teneantur carere dominio, ſed & validè & licitè illud aſſequi poßint, tamen obligantur ad non vtendum re vlla tanquam propria. Quartum denique eorum, qui ita pauperes ſunt, vt in ſuperfluo onere diuitiarum & fortunarum cumulando non deſudent, ſed ſobria, ac moderata vitæ ratione vtentes, in neceſſarijs tantùm habendis ſunt intenti.* Auctorem habet hæc diuiſio Suarem, vnde ſumpta eſt à Doctore, ſed alio ſenſu & animo, quàm Suarez produxerit. Nam hic virum Religioſum priuatum conſiderat, & paupertatem perſonæ particularis vt talis eſt, non autem communitatis, & perſonæ quà pars illius eſt, ille verò paupertatis eam diuiſionem ad *inſtituta* traducit. Hic eius paupertatis, præſertim quæ in quarto gradu conſtituitur, exempla proponit in ſolitarijs, vt in Paulo, & Antonio, & Virginibus nonnullis, vt S. Gregorij amitis, de quibus affirmare non audet, eas in ſtatu religioſo vixiſſe; ille confidenter ijſdem exemplis inde aſſumptis vtitur, ad pronunciandum de toto *antiquiore Monachorum inſtituto*; tanquam certum habeat qui ſic pauperes fuerunt, eos nihilominus ſtatum religioſum exactum tenuiſſe. Hic in ea diuiſione aliquos nominat gradus, non qui verè in Eccleſia & Religione vigeant, aut vnquam viguerint, ſed qui poſſint exiſtere, Theologicæ accurationis licentia, vt ſtricta Religioſæ paupertatis eſſentia clariùs eluceſcat: Ille ſic eam refert, quaſi reapſe cultam exiſtimet in diuerſis Religioſorum Ordinibus, ſecundùm eos omnes qui referuntur ordines & gradus. Qua de re commonitum oportebat Lectorem, cui crux eo loco fixa eſt, dum quærit in præſentibus Religioſorum Ordinum ſpeciebus, paupertatis formam, quæ nuſquam reperitur. Quam perplexitatem Suaris prouidentia ſuſtulit, dum eos paupertatis gradus qui reipſa exiſtunt, ſic exprimit, *Primus modus, ſeu gradus eſt. Tertius gradus eſt*, &c. illos è diuerſo qui ſola cogitatione formantur, aliter explicat, *Secundus gradus erit: Quartus gradus erit*, &c. Denique in Suare, quàm in Nicolao le Maiſtre terſior eſt diuiſio, & apertior omnium inuicem membrorum oppoſitio, quæ poteſt ita breuiter colligi. Ad religioſum ſtatum conſtituendum, & in priuatis ſeruandum, neceſſi-

*Diuiſio quadrimembris* ex Nicol. le Maiſtre l. 1. de Inſt. Epiſ. prin. c. 12.

*A Suare ſumpta eſt ea diuiſio.* Tom. 3. de Relig. l. 8. c. 7 toto.

*Differt Nic. le Maiſtre à doctrina Suaris.*

*Diuiſionis euſdem aperta collectio.*

ria eſt paupertas aliqua vel ſeuera vel mitior. Seueriſſima eſt, in qua Religioſus quilibet, nec dominium, nec proprietatem rei cuiuſquam aut habeat aut habere poteſt. Mitiſſima, in qua dominium & proprietas rerum penitus ad vitam neceſſariarum, excluſa omni redundantia & ſuperfluitate, retineri poteſt. His extremis mediæ ſpecies duæ concluduntur: altera eius Religioſi, qui cum de ſe ſit capax dominij, tamen illud peculiari voto à ſe abdicet: altera eius qui & dominij ſit capax, & illud retineat. Neutri autem proprietas competit, ſiue vſus rei vt propriæ: in quo grauiter peccat aduerſarius, qui vt olim arguebamus, dominium & proprietatem eo ſenſu, habet pro ſynonymis, cum ea Suares accuratè & Theologicè diſtinguat.

*Explicatur primus gradus paupertatis ſtrictiſſimæ.*

Iam vt ea diuiſio ad illius mentem à quo primùm deducta eſt, exponatur, prima & arctiſſima paupertas quæ dominij & proprietatis, ſiue vſus proprij capacitatem excludit, in Eccleſia modo viget apud eos omnes, qui ſolenni paupertatis voto ſunt adſtricti. Id cum omnium etiam aduerſariorum conſenſu probetur, eorum plerique nouum hoc & ab Eccleſia iuſtas ob cauſas inductum fuiſſe volunt inſtitutum, cum antea Regulares Cœnobitæ ſuorum bonorum domini eſſent. Inductum, inquam, ſed tacita potiùs approbatione, quàm expreſſa voluntate. Nam Bonifacius VIII. continentiæ votum, quod in Ordinis ſacri ſuſceptione, vel Religioſa profeſſione concipitur, primus omnium ſolenne declarauit, eiuſque ſolennitatis effectus ille primarius eſt, vt contrahendum poſtea matrimonium faciat irritum. Subijt deinceps tacita Eccleſiæ approbatione, parem conditionem Religioſa paupertas, vt profeſſorem ſuum dominij incapacem, non aliter, quàm caſtitas matrimonij, redderet. Hac in dubitatione profitetur quidem Suares, neque Religioſo ſtatui eſſentialem eſſe, neque vetuſtiſſimis Eccleſiæ ſeculis ordinariam incapacitatem dominij extitiſſe: vnde ſequitur vt ea ſolennitas, vel ſolennitatis effectus Eccleſiæ arbitrio ſit inductus, eas ob cauſas, de quarum æquitate dubitare ſit nefas. Verùm id factum longè ante Bonifaciana tempora ſub Iuſtiniano, & ab ipſo Iuſtiniano, conſentientibus Epiſcopis, fuſiùs probat, cum inter cætera legem adducit, qua decernit Imperator, per Monachi profeſſionem, omnes res eius fieri Monaſterij, licet expreſsè non donentur, *& non erit*, inquiens, *ampliùs dominus illarum vllo modo.* Quas leges, ciuiles licet, & agnouit & ſecutus poſtea eſt magnus ille Gregorius, qui refertur à Gratiano. Habet igitur venerandam caniciem incapacitas illa dominij, & ſi in ea voti religioſi conſtituenda ſolennitas eſt, non deeſt quod obſcuram eius nouitatem obijcientibus reſpondeatur.

*Incapacitas dominij non eſt ſtatui eſſentialis.*

*Inducta tempore Iuſtiniani.*

*Quartus gradus laxiſſimæ paupertatis.*

Qui autem oppoſitus eſt, laxiſſimæ paupertatis gradus in ſola rerum neceſſariarum poſſeſſione atque propria vſurpatione poſitus, admiſſo retentoque tum dominio, tum proprietate ſiue vſu proprij, ſi Nicolao le Maiſtre credimus, in vetere Monachorum inſtituto communis fuit & vſitatus. Quod probat tribus maximè rationibus, exemplo nimirum Baſilianorum Monachorum; narratione S. Gregorij de Gordiana amita ſua: & teſtamentis quæ non tantùm in Antonio, ſed & vulgò in Monachis alijs apparent. De Baſilianis Monachis, iam antea & veritati, & muneri ſuſcepto ſatisfecimus, cum magni Patriarchæ Monachorum leges & inſtituta diuina panderemus. Reliqua duo argumenta è Suaris horto lecta ſunt: in eo proinde, tanquam in natiuo ſolo conſideranda. Rem ille plures in aſſertiones partitus, fatetur in prima, non

*Nicol. le Maiſtre non aliam paupertatem in Monachis veteribus agnoſcit.*

ma, non ſine aliqua veriſimilitudine dici poſſe, apud veteres Monachos dominium, & proprietatem, ſiue vſum proprium rerum ſuarum permanſiſſe, etiam cum Religionis ſubſtantia. Verum ex ſuo deinde ſenſu, aſſertione ſequenti, probalius aſſerit, *fuiſſe ſemper in Eccleſia vſitatum, vt in ſtatu perfectionis paupertas eſſet, per abdicationem proprietatis, ſaltem quantùm ad vſum; atque id eſſe moraliter neceſſarium ad proprium ſtatum perfectionis.* Hanc partem cum multis ſtabiliat argumentis, rationes etiam vt fieri ſolet prioris aſſertionis confirmatrices diſſoluit. Theologus autem aduerſatius, poſteriore diſſimulata aſſertione, & nodorum propoſitorum ſolutione, hæret in priori, eaque profert ad eius confirmationem, quæ & prolata ſcit a Suare, & ab eo diſſoluta neſcire non poteſt.

*Ea opinio Suaris probabilis eſt. Probabilior autem contraria.*

Itaque ſubſiſtat licet aduerſatius in limine, perſiſto ego ex Suaris ſententia aſſerere, veræ & perfectæ Religionis ſtatum in Eccleſia nullum fuiſſe, in qua dominium rerum & proprietas in vſu retineri potuerit: quod à Suare ſatis ſuperque firmatum, pro vero conſtantique ſuſcipio. Puduerit certè in primis illis Chriſtianæ Philoſophiæ heroibus, eandem agnoſcere paupertatem, quam à ſuis poſtulabat Epicurus cum ſcriberet, referente & laudante Seneca, *Si vis Pithoclea diuitem facere, non facultatibus adijcias, ſed cupiditatibus detrahas oportet.* Nam quæ dici poteſt Philoſophica paupertas, quam quæ *tantummodo liberat animum mordacibus curis, & contentioſa opum colligendarum ſolicitudine?* Altera Philoſophiæ ſeruit, altera Deo; illa ſtudio ſufficit, at non hæc amori ſuo, cui ſatis nihil eſſe poteſt, etiam vlcta inſaniam.

*Admittitur opinio poſterior.*

*Epicuri dictum laudabile.*

*Sene. ep. 21.*

At Paulus, inquies, & Hilarion, & nobiles illi Eremicolæ, rebus ſuis vtentes, & dominium habuerunt & proprietatem: & tamen exaggeratæ perfectionis ſtatum ſunt aſſecuti. Stat igitur paupertas ad miraculum religioſa, cum dominio & proprietate, in moderato rerum neceſſariarum vſu. Ad hæc duo reſpondet Suares. 1. Illorum vitam quamlibet admirabilem, in vero & proprio ſtatu religioſo non fuiſſe, vt ſentit Gratianus: quod alibi reſpondere me memini. 2. Edoctos diuinitus *potuiſſe & habere & ſeruare votum, nullum habendi dominium talium rerum, ideoque veriſimile eſſe illud habuiſſe.* Idem de vſu dicendum: eo modo quo non carebant obedientia, vel eius obligatione, cum vſu caterent, potuiſſe etiam habere, & ſine dubio habuiſſe vſum rerum non proprietarium, *Quod ſi carebant,* inquit, *ſubordinatione obedientiæ, mirum non eſt quod & proprietarium vſum habere poſſent, quia propriè & formaliter ſtatum religioſum non habebant, etiamſi eminenti quodam modo, & in præparatione animi duci poſſint illud habuiſſe.*

*Obiectio 1. de Solitarijs.*

*Reſponſio.*

*Non habebant propriè & formaliter ſtatum religioſum.*

At habuit agros Antonius quos coleret; habuit Gordiana S. Gregorij amita *conductorem agrorum ſuorum,* cui reſiliens à religioſo propoſito nuberet. Neque effugium eſt in negatione ſtatus religioſi: quis enim magis in ſtatu, quàm Antonius nobiliſſimi ſtatûs Religioſi Patriarcha? aut quæ magis religioſa virgo, quàm tres illæ ſacræ ſorores, quæ *ſub diſtrictione regulari degentes, in domo propria ſocialem vitam ducebant?* Reſpondet Suares, eorum ſolitariorum, qui Antonij nomine intelliguntur, bona ſeu ſtabilia, ſeu mobilia, dici poſſe in Eccleſiæ dominio fuiſſe, cuius illi Religioſi erant ſubditi, & principalem eorum adminiſtrationem, penes Epiſcopum eius loci, cui ſubijciebantur extitiſſe; de cuius licentia vſum tantùm actualem haberent. Neque tamen refugit agnoſcere, in vita illa priuata Monachos Eremitas, qui nullius eſſent partes

*Obiectio 2. de Agris proprijs.*

*Reſponſio.*

communitatis, nullius membra corporis, dominium earum recularum habuiſſe, quas vſu conſumebant. Vſum enim occupare ſine dominio perfectiſſimorum fuiſſe Anachoretarum, non communis perfectionis. Malim equidem illos ordinarie loquendo in ſtatu Religioſo non vixiſſe. Quòd ſi qui ſtatum habuerunt, ad Eccleſiam cuius erant membra, quamuis remota & occulta, bona illa ſpectaſſe, quibus tacito, & vt loquuntur, interpretatiuo Hierarcharum conſenſu, benè & ex inſtituti ſui ratione vtebantur. Quod pene in Carthuſianis ſolitarijs etiamnum videre eſt, qui laboris hortenſis fructus permittente ordine, ſalua paupertate, in quos voluerint vſus poſſunt diſtrahere, quaſi ſint hortulorum ſuorum domini, & opificiorum proprietarij.

*Explicata S. Gregorij narratio de amitis suis hom. 38 in Euang.*

*Concedi poteſt illas fuiſſe verè Religioſas.*

De Gregorianis verò amitis quid dicemus, quas ſub virginitatis velo, in diſtrictione regulari dominas agrorum videmus? Fatetur hic Suares ſibi non ſatis conſtare, an ſtatus illarum feminarum fuerit verè religioſus. Rem ego in vtranque partem, ſine religioſi inſtituti diſpendio, diſceptari poſſe contendo. Nam has virgines, verè fuiſſe Religioſas, multa nobis ſuadent, vt quòd *cunctæ tres ſacræ virgines fuerunt, ſub diſtrictione regulari vixerunt*, à *Laicis* diſtinctæ *ſanctimonialis habitus excellentiam* duæ ſeruarunt, tertia ab illo *corruit ad pœnam*: quòd tria vota non ſunt in illa profeſſione obſcura; *conſecratio* virginitatis, obedientia vel ſub Felice Papa illarum abauo, S. Gregorij atauo, & ſucceſſoribus, vel immediatè ſub Tarſilla trium maxima, quæ Gordianæ licentiam, & *Laicarum ſocietatem* increpabat: quo tempore illa *reſumebat vultum ſubitò grauitatis, inter verba correptionis*: quod non feciſſet pertæſa propoſiti, niſi ius & auctoritatem agnouiſſet in ſorore. Paupertas autem in *ſociali vita* quam *ducebant* manifeſta eſt, quæ cum paternos agros in commune poſſiderent, illiſque neceſſariò *conductorem* præfeciſſent, priuatim nihil ſuum eſſe ducebant, retento ſi vis eorum dominio, abdicata proprietate. Neque mirum tranſlatis in cœlum ſororibus, agros illos ante communes, in proprios vſus traduxiſſe Gordianam; cur enim paupertati religioſæ parceret, quæ *oblita pudoris & reuerentiæ, oblita conſecrationis*, voto virginitatis vim intulit, *à ſanctimonialis habitus excellentia corruit*, & cœlo ipſo iudice *inter Laicas deputata eſt*? Nihil habet igitur aduerſarius eo in exemplo, quo demonſtret *ſobria & moderata vitæ ratione* vſos veteres Monachos, dominium, ſimulque proprietatem, ſiue vſum proprium, ſaluo ſtatu religioſo, retinuiſſe.

*Negari poteſt fuiſſe ſtrictè loquendo Religioſas.*

Quod ſi ſtrictè & preſſè Religioſas fuiſſe negare volumus, eius rei præbet anſam S. ipſe Gregorius, qui vitam illam ſocialem *in domo propria duxiſſe* narrat, quò *multi viri ac feminæ conuenerunt*, cum animam ageret Tarſilla. Scimus autem ex olim dictis, conſecratas celebri velo Virgines alias vixiſſe *in Monaſterio ſub ordine regulari*, alias *ſub manu Epiſcopi*, quæ nimirum priuatam ab Epiſcopo regulam, & viuendi normam in priuatis tectis accipiebant; quod nobilibus illis virginibus, quæ Felicem, vt arbitror eius nominis III. Romanum Pontificem abauum ſuum agnoſcebant, potuit euenire, vt inde dictæ ſint *ſub diſtrictione regulari degentes*. Hoc in ſtatu, cum ſtrictam religionem non profiterentur, & ſolum corpus votiua virginitate Deo conſecraſſent, regerentur autem non tam imperio, quàm cura & auctoritate Epiſcopi, paternam hæreditatem adire, & proprio viuere potuerunt. Sic illa quæ ſui aſpectus copiam S Martino facere recuſauit, *illuſtris meriti puella*, in priuata domo propoſitum ſeruabat, habuitque de hortulo ſuo, vnde xenium ſancto Antiſtiti

*Virgines conſecratæ quomodo gubernatæ ab Epiſcopis.*

*Seuer. Sulpit. l. 2. Dial. c. 13.*

mitteret:

mitteret: quæ ſi vouiſſet obedientiam Hierarchæ, aſpectum ſui non poterat roganti ſubtrahere, licet *Religioſo* tantùm *officio*, eam *Epiſcopus* vellet *honorare*. Sic tutelaris noſtra S. Genoueſa, illibatum ſacri veli honorem annos octoginta ſeruauit, non alia paupertate diues, quam ruſticana & paſtoritia, non alia obedientia ſubacta, quàm paterna. Quamobrem ſi Romanæ illæ virgines Religioſæ non fuerunt, cur earum exemplum Religioſo ſtatui cenſerut officere?

*De Tertiarijs S. Franciſci.*

Factum vetus, recentiore iterum confirmamus exemplo, in S. Franciſci Tertiarijs vtriuſque ſexus; qui primæua & Seraphica inſtitutione, cum ſanctum virum de mundi contemptu concionantem audiſſent, ipſi coniugio poſſeſſionibuſque impediti, cum ipſa mundum deſerere non poſſent, à Seraphica manu methodum acceperunt, qua in ſeculo ſeculi victores, in delicijs Pœnitentiæ cultores eſſe poſſent. Et ne à blandis Sirenibus in Scyllam & naufragia abducerentur, placuit eorum conſtantiam aliqua promiſſione iuuare, qua vouent *ſeruare mandata Dei toto tempore vitæ ſuæ, & ſatisfacere, vt conuenit, tranſgreſſionibus contra regulam, & viuendi modum tertij Ordinis de Pœnitentia.* Qui pietatem ſuam his finibus continent; ſecularem vitam agunt, diuites, liberi, coniugati. Videas tamen locis aliquibus, deuotas illas Tertiarias virgines, in aliquam congregationis formam, ad nonnulla pietatis officia coëuntes; quæ viuendi ratio, neque ipſas à ſecularium nomine liberat, neque Religioſo ſtatui addicit. Habent tamen caſtitatem in propoſito, *ſobriam & moderatam vitæ rationem* in vſu; obedientiam, ſaltem quoad ſuſcipiendam à viſitatore Pœnitentiam, in voto. Quibus ita ſtantibus, Leo X. Summus Pontifex Ordinem inde Religioſum, vtrique ſexui erexit, qui modò feliciter viget ſub Pœnitentium titulo, qui dictæ profeſſioni, tria Religioſa vota ſuperaddunt, qualia in Ordine S. Franciſci nuncupantur, *viuendo etiam in Obedientia, ſine proprio, & in caſtitate.* Vt iam Fratres Sororeſque de Pœnitentia, ſiue Tertiarij, duplici in diſcrimine Deo ſeruiant, Religioſi alij, alij merè ſeculares.

*Prima inſtitutione ſeculares omnes fuerunt.*

*Tales adhuc aliqui remanent.*

*Alij Religioſi à Leone X.*

Qua ex doctrina corrigas licet Ioannis Choppini lapſus, in Iuriſconſulto non ſeuerè arguendos. Is enim Senatus Pariſienſis iudicia quædam refert, inuicem vt videtur contraria, quæ Tertiarias in parentum hæreditatem nonnunquam immittunt, nonnunquam ab ea excludunt. Quam ipſe *ἀντινομίαν* ita ſoluit, vt Religioſas dicat, quæ Monaſterium ingrediuntur addita trium profeſſione votorum, nullo iure paterna bona ſemel pro Deo relicta poſſe repetere, quod verum legitimumque eſt. Religioſas autem Monaſterio non clauſas, quæ ſimplex & vulgare votum Religionis emiſerunt, à paternis poſſeſſionibus non deijci, ſed in herciſcundæ hæreditatis partem venire. In quo peccat Iuriſconſultus, qui hoc votum Religionis, & illas Religioſas appellat, quæ verè ſeculares ſunt, neque ad Religionem vllo voto obligatæ: vt longè planior ipſi diſtinctio fuerit obuia, vt Religioſas à ſecularibus diſcerneret, ſub communi Tertiarum nomenclatione, & iſtis ad bona paterna ius manere diceret, non illis; quoniam aliæ Paupertatem Religioſam vouent, aliæ neutiquam.

*Refellitur Chopp. de Polit. Eccl. l. 2. tit. 8. n. 9.*

*Obiectio 5. de Teſtamentis.*

Supereſt actio teſtamenti, quæ dominij & proprietatis in veteribus Monachis locuples teſtis eſt. Nam ſi Conſtantinus *permiſit vt eis liceret teſtari, qui veraci Philoſophiæ vacarent,* vt refert Caſſiodorus: ſi veſtimenta ſua in hæredes diſtribuit moriturus Antonius, & S. Athanaſius *legatarius Antonij, tanquam*

Hieron. in vita S. Pauli.

*magna hæreditate ditatus*, lætitijs omnibus inceſſit, quis dubitat quin dominium & vſum proprium rerum ſuarum, cum religioſæ ſanctitatis excellentia conſeruarint? Reſpondeo credere me hiſtorijs, teſtamenta à Monachis condita eſſe, vel condi potuiſſe referentibus: (S. Antonij diſtributionem illam a S. Hieronymo deſcriptam non moror, quæ oratoriè & abuſiuè *teſtamentum* nuncupatur) & eodem seduco parentum ſucceſſiones, quæ nonnullis Religioſam vitam profitentibus obueniebant. Inde tamen vnum concludi poſſe agnoſco, ſaluum ipſis manſiſſe rerum dominium, cuius excl[illegible] ca-pacitas ad illud acquirendum aut ſeruandum, Religioſo v[illegible] ſtatui non eſt ſubſtantialis, vt in Societatis noſtræ cauſa defendenda probat, qui vtranque huius capitis paginam facit Suares. Satis enim conſilio Euangelico f[illegible]cit, qui Chriſtum ſequutus ſua relinquit, vt alienis vtatur, vt ad alterius arbitrium viuat & ſuſtentetur, vt S. Hieronymum audiat ſcribentem, *Iam non ſunt tua quæ poßides, ſed diſpenſatio tibi credita eſt*: imo nec ipſa diſpenſatio ab alterius voluntate independens relicta eſt. Quam in rem dictum ſubtiliter à Theodorico quondam Colonienſi Cancellario refert Carthuſianus in Suare, *magis nocere Religioſo vſum peculij ſine proprietate, quàm proprietatem ſine vſu.* Eſt igitur illa proprietas Religioſæ paupertati contraria, ſiue vſus proprius rei tanquam priuatæ & peculiaris; non dominium, in cuius amplitudine pauper es & nudus, ſi Superiori viſum fuerit.

*Reſponſio.*

Suar. tom. 4. de Reli. l. 4. c. 6.

Hier. ep. 8. ad Paulinum.

Suar. ibid. n. 13.

*Secundus paupertatis gradus.*

Atque hæc cum meditor, explicatis extremis duabus noſtræ diuiſionis partibus, ſenſim ſine ſenſu ad medias delapſus ſum: quarum vnam video dominij quidem per ſe capacem, at illud voto peculiari abdicantem: quam perfectiſſimis in vita ſolitaria hominibus attribuit Suares, vt ante diximus: neque dubium quin ea primis temporibus perfectio ſatis vulgaris fuerit, cum in hoc ſanctitatis gelu, & occaſu caritatis, tam multi publico voto dominium illud, & quod maius eſt, eius capacitatem à ſe abiudicent. Paupertas altera dominium retinet, quod poteſt, proprietatem & vſum rei tanquam propriæ eliminare contenta; de qua prolixè diſputantem Suarem Lector otio ſuo conſulet: vt & cætera indidem hauriet quæ ad Religioſam paupertatem ſpectare videntur. Cum autem hæc quæ de priuatis perſonis diſſeruimus, ad ipſas Religioſorum Ordinum ſodalitates, leui negotio transferri poſſint, iiſdemque omnia nitantur fundamentis, operæ pretium non arbitror in conquirendis diuiſionibus alijs immorati, cum hæc vna omnium inſtar eſſe poſſit, ac debeat.

*Tertius gradus paupertatis.*

Suares loco cit.

## *RELIGIOSA PAUPERTAS QUAM SIT vtilis, quamque ad perfectionem neceſſaria, ex Gullelmo Pariſienſi monſtratur.*

§. II.

*Cur auctoritas Gulielmi Pariſienſis huc aduocata.*

NON poſſum inſalutata matre ſuauiſſima, & Religioſorum Ordinum nutrice atque alumna prætervehi, vt alia vota conueniam: ſiquidem eius eximia ſpecies, & ſumma dignitas mentis aciem præſtringit, & poſt diuturnam, nec parum moleſtam cum aduerſarijs contentionem, in ſui obtutum & admirationem me totum abripit. Cum autem nulli de ea taceant ſcripto-

res

res aſcetici, ſi quis omnes colligere & epitomare ſtuduerit, is & Lectorem fatigabit, & otium ſuum perperam collocabit. Vnum de ſexcentis Guillelmum meum eligo, virum Bellarmini iudicio *admodum pium & doctum*, virtutis æſtimatorem optimum, præconem integerrimum, Epiſcopali officio perfectiuum, vitæ conditione non Monachum, ſed perfectum. Neque diſſimulo, cum nos *certis ingenijs immutriri* ſuadeat Seneca, *ſi volumus aliquid trahere quod in animo fideliter ſedeat*, illum mihi poſt veneranda Patrum, & Eccleſiæ doctorum capita, probari plurimùm & placere.

Bellarm. l. de ſcript. Eccl. ſecul. 13.

Sene. ep. 2.

Is ergo paupertatis tres numerat gradus. Primus eſt paupertas ipſa, videlicet carentia ſeu priuatio rerum humanarum. Alter *contemptus temporalium diuitiarum, & hæc eſt de virtutibus perfectioribus vna*, quam ſuperius dixit eſſe caritatis aſſeclam, & amoris rectiſſimi atque ſanctiſſimi comitem. Tertius amor ipſius paupertatis, *& hæc perfectiſſima, propter quod & rariſſima*. In primo gradu ſubſiſtit vt plurimùm laudata illa à Claudio Seguenoto neceſſitatis paupertas. In ſecundo repetitur illa *ſobria & moderata vitæ ratio in neceſſarijs tantùm habendis mentia*, quam ſolam veteribus Monachis ſuperiùs aſſignabat Nicolaus le Maiſtre. At egò perfectos omnes Religioſos volo ad tertium euadere, & voto concepto teſtari quanto eius virtutis amore teneantur, cuius perpetuum vſum ipſi ſibi imperant. Hæc eſt antonomaſticè, ni fallor, paupertas ſpiritûs à Patribus tantopere celebrata.

*Guill. Pariſ. doctrina de paupertate religioſa l. de Mor. c. 9. toto.*

*Tres gradus paupertatis.*

*Dicimus igitur quòd illud nihilum & vacuum paupertatis, fundamentum eſt, & firmamentum virorum perfectorum. Quemadmodum enim auari & cupidi, firmamentum & fundamentum ſuum habent diuitias: ſic viri ſanctitate perfecti, paupertatem iſtam. Chriſtus terram appendebat ſuper hoc nihilum, quando fundamentum Chriſtianæ religionis ponebat dicens, Beati pauperes ſpiritu, Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra: non aliter fundaturus in Apoſtolis Eccleſiam, niſi priùs eos ad iſtud nihilum deduxiſſet, & ipſos in eo ſtabiliuiſſet atque firmaſſet.* O nouum nouæ terræ in admirabili vacuo fundamentum! Quod iam ante ſpiritu prophetico Anna Samuelis mater præuiderat, cum caneret: *Domini enim ſunt pauperes terræ, & poſuit ſuper eos orbem:* pauperes, inquam, & Apoſtoli & Apoſtolorum imitatores Religioſi *virorum perfectorum* nomenclatura non indigni. Proſequitur enim Guillelmus. *Hoc nihilum fundamentum eſt omnis religionis, profeſſionis, & ordinis: vnde & nullus religionem aliquam intrat, niſi in iſto nihilo primò fundatus fuerit, & firmatus, niſi ad illud voto ſe adſtrinxerit, & in illo ſe perpetuò permanſurum promiſerit.* Audis Lector, illa paupertas quam Chriſtus docuit, quam in Apoſtolis ſtabiliuit, in religione vouetur, & ſine ea, eiuſque voto in Religionem nullus ingreditur: cum ante ſomniarent aduerſarij, Religioſorum paupertatem Euangelicam non eſſe, neque in clauſtra Cœnobiorum poſſe introduci. *Diuites enim in Religionem intrantes, quaſi cameli gibboſi per foramen acus intrant, & ideo gibboſitatem ſacculorum, & marſupiorum temporalium bonorum prius deponunt, alioquin non intrant.*

*Paupertas fundamentum Eccleſiæ & perfectionis.*

1. Reg. 2.

*Fundamentum omnis Religionis.*

*Diuites camelis ſimiles.*

Iam dubitare nemini conceditur, quam porro Apoſtolicam, & *virorum perfectorum* paupertatem intelligat, in quam tot deinceps congerit encomia, vt eam appellare non dubitet *matrem & nutricem, & cuſtodem Religionis, vallum fortiſſimum, ferculum Chriſti, & cibum delicatum, quem eſurijt in ipſis delicijs paradiſi, talentum pretioſiſſimum, & lucris ſpiritualibus aptiſſimum, pretium regni cæleſtis, pro quos cæleſtes diuitiæ à ſapientiſſimo mercatore Chriſto Domino ſcienter, & prudenter dantur.* Addit inſuper nobili paradoxo ditiſſimam & abundantiſſimam eſſe

*Paupertas mater & nutrix Religionis.*

*Abundantia paupertatis.* admirabili abundantia; *primùm ipſa carentia, qua abundat*, dicente ſcriptura, *Eſt vir deficiens virtute, & abundans paupertate.* Deinde quòd per eam *ditiſſima* (Eccl. c. 11.) *& abundantiſſima mens humana, etiam terrenis diuitijs, iure pleniſſimo poßidet illas, ac pro beneplacito ſuo vendit illas commutans cœleſtibus.* Rogante Petro, *Ecce nos reliquimus omnia, quid ergo erit nobis? Quaſi diceret, pro omnibus relictis quid dabis nobis? Sic relicta omnia, etiam qua non habebant, Chriſtò vendiderunt, eoque commercio ſua fecerunt omnia.* Mirum iſtud, dando poſſident, quæ ſeruando nunquam poſſediſſent: dant Chriſto, qui deſerunt pro Chriſto: deſerunt autem non magis qui habent, quàm qui habere deſiderant.

*Paupertas alienarum diuitiarum domina.* Aliud paupertatis bonum eſt *imperioſiſſima potentia, & dominatio in omnes alienas diuitias terrenas, inuitis earum poſſeſſoribus.* Qua in parte mira quædam deprehendit, *quòd eas abſque omni contractu, & dono ſuas efficit amator paupertatis,* dum ſic eas Chriſto vendit, & in cœli theſauros transfert: quòd illud ſine detrimento vllo, & poſſidentium facit iniuria, vt omnia rapiat, dum omnia relinquit: quòd illa vnius hominis poſſeſſio ſimilem alterius poſſeſſionem nec excludit, nec impedit. Id denique mirabile eſt, quod paupertas *de diuitijs qua nec ſunt, nec eſſe poſſunt, ditiſſimos efficit pauperes ſuos, qui de nihilo, & quaſi de chimaris diuites ſunt.* Laudabilem hanc diuitiarum communitatem, & alienarum opum ſine ſcelere prædatricem caritatem, ad animi bona egregiè traducit S. Baſilius, dum Religioſos, communem vitam agentes cum Angelis confert, apud quos nulla lis eſt, nulla contentio, *ſed cum habeat quiſque qua omnium ſunt, omnes tamen integras apud ſe diuitias ſuas conſeruant. Sine dubio tales ſunt veræ pietatis cultores, vt eorum non de rebus terrenis, ſed de cœleſtibus concertatio ſit, & indiuidua quadam diuiſione, eadem vniuerſi & ſinguli apud ſe quiſque conſeruent.* Quia nimirum materiæ ſunt expertes & Angelorum & Angelicorum hominum diuitiæ, *laudanda fraudatio, lacrymarum expers rapina, vbi inſatiabili auiditati præmium eſt: omnes rapiunt, & nemini fit iniuria, quæ quidem cauſa eſt cur diuitiarum illarum arbitra, & moderatrix ſit pax.*

*Id conſideratum in animis bonis. Baſil. l. Conſtit. Monaſt. c. 19 al. 18. Ἄριστος γὰρ ὁ [illegible]*

*Obiectio aduerſariorum.* Quantò ſanctiùs atque auguſtiùs de hac opum ſiue ſpiritalium, ſiue temporalium communitate apud religioſas familias, ſentiunt magni Antiſtites, quàm qui ſeculo iſto ſcribunt Expropriationem Cœnobiticam omnes ad ſe diuitias trahere tanquam ſpongiam, medicorumque cucurbitam? Voto expropriationis non intrare in paupertatem Religioſos, ſed in ampliſſimas diuitias, quantas ſingulis nulla vnquam fortuna congeſſiſſet in ſinum. Neque calumniam hanc tacitus prætermiſit Guillelmus noſter, longè ſubtiliùs diſputatam, quàm à neotericis aduerſatijs agitetur: & vt eadem illius quæ iſtorum controuerſia eſſe appareat, vltimam eius partis rationem in euidentiſſimo exemplo, cum quæſtionis concluſione paucis accipe. *Si centum marcas habeam in maſſa, vbi & multi alij tantundem habeant, non minùs habeo, quàm ſi per ſe illas centum marcas haberem. Quare ſi quis habeat in maſſa omnium bonorum Abbatiæ vnius prænominatam portionem, nec plus pauper eſt, nec minùs diues, quàm ſi haberet illam per ſe. Ita autem eſt de omnibus huiuſmodi Religioſis: quare inde diuites ſunt, & verè diuites, ſub nomine illo & habitu paupertatis.* Summa reſponſionis eſt, exui

*Refellitur.* Religioſum dominio & proprietate rerum ſuarum, quæ in res Monaſterij non acquirit, de quibus ne libellam quidem in alienos vſus traducere aut licitè poteſt, aut validè: neque verò ſibi quicquam petere aut arrogare determinatum de bonis communibus. *Etſi enim in communi maſſa, vt ita loquamur,*

*mur, bonorum Monaſteriorum, vſum habeant victus & veſtitus vt fratres, & filij, non tamen hanc partem numero, neque hunc vſum numero, ſed vſum in communi, & illum vſum neceſſarium.* Ac ne quis ſibi quærendas in Religione diuitias curarum expertes putet, tria illorum genera, quæ vtinam noſtris in moribus non reperirentur, exagitat. 1. Eorum *qui à parentibus & propinquis eo modo in clauſtro proijciuntur, quemadmodum catuli vel porculi, quos matres non ſufficiunt enutrire, vt hæreditaria illorum portio ad eos qui in ſeculo remanent, deuoluatur.* Quo in facto Simoniacam labem ineſſe pronunciat, probante admodum Dominico Traiano qui marginalibus notulis diſtinxit auctorem. 2. Eorum qui negatum à fortuna in ſeculo viuendi modum, à Religione ſperant; illos intrare dicit *non Religionem, ſed comeſtionem*, & cum bubus comparat ad præſepe alligatis, quos ad coquinam votum paupertatis alligat, dum refectorij profeſſionem faciunt, non regulæ. 3. Eorum qui introducuntur vt Prioratus, Præpoſituras, & alias adminiſtrationes ſortiantur, ſibi parentibuſque locupletandis idoneas. Hos fures vocat & latrones, quibus Monachali habitus ſit pro laribulo, bona temporalia in prædam. *Illi inſtar vulpis mortuos ſpiritaliter ſe ſimulant habitu, tonſura, vt de huiuſmodi prædam faciant.* Ita vir ille magnus, minimè factus ad aſſentationem, ſed magiſter verax, & viam Dei in veritate docens Hierarcha. Quod & aliter in explicanda Religioſæ paupertatis vtilitate, & ad aſſequendam perfectionem, ſiue remouendos perfectionis obices neceſſitate declarat, exemplo vulgari, qui ſtylus Doctoris eſt.

*In eos qui temporalia bona quærunt in Religione.*

*Dominic. Traianus ad eum loc.*

Paupertatem enim *vallum* eſſe dicit *ſiue foſſatum fortiſſimum ac profundiſſimum*, quo circumdatur muniturque Religio, tanquam arx quadam inacceſſa, & arte naturaque inexpugnabilis. Hæc enim eſt S. Anſelmi comparatio, cum villam inualidam Chriſtianiſmum communem eſſe velit, at Dongeonem cœlum ipſum, & *ſupra Monachatum, conuerſationem Angelorum.* Itaque *vallum literale nihil aliud eſt quàm terræ defectus, ſiue vacuitas: ſic & vallum ſpirituale, defectus terrenæ ſubſtantiæ.* Quantò igitur altius vallum eſt, tantò arx munitior: quique in illud hoſtes decidunt, certiori præcipitio diſpereunt, *& maximè ſuperbia fracto collo ſua ceruicoſitatis expirat.* Quæ ſi de paupertate ritè dicuntur, eius inimica opum abundantia ſine dubio agger eſt, quo implentur foſſæ, & ad arcem hoſti diabolo facilis datur acceſſus. Sicut ſcriptum eſt in Abacuc Propheta de Diabolo. *Super omnem munitionem ridebit, cum portabit aggerem, & capiet eum.* Inde fit ſæpiſſimè *vt quos vallum paupertatis prius defendebat, & cuſtodiebat mundos & immaculatos, velut compoſito aggere diuitiarum, & completo vallo huiuſmodi, hoſtes ſæpe dicti facillimè capiant miſerabiliter, & captiuent.* Eadem deinceps allegoria eos vehementer inſectatur Religioſos qui lucris & opibus inhiant, in aggerandas diuitias toti incumbunt, quaſi vallum ipſimet hoſtibus ſuis impleant: neque tantùm illud adæquant, ſed etiam circumadiacenti ſolo ſuperexaltant; *quia terrena ſubſtantia apud eos copioſior eſt longè, quàm apud vicinos eorum ſeculares.* Cumque terram illam egerere debeant, & foſſas reparare, malo ſuo miſeri gaudent, & reparatores profundatoreſque valli hoſtes reputant, quantoque poſſunt odio perſequuntur. *Quid ergo niſi capi volunt, atque in captione diabolica perpetuò detineri? Videant ipſi ne a promiſſa paupertate, primo voto religionis apoſtatent.*

*Paupertatis ad perfectionem neceſſitas.*

*Religio arci comparata.*

*Anſelm. l. ſimil. c. 76.*

*Paupertas vallum eſt.*

*Abundantia opum agger eſt.*

*Abac. c. 1.*

*In Religioſos opum ſtudioſos.*

Hactenus ea valli metaphora doctoris animum omnium oculis præclarè ſubijciens. Iam ductu ſimplici, & nullo colore adſcito nimiam accumulan-

*Abundantiæ incommoda in Religione.*

darum, opum cupiditatem in Religioſis exagitar, per nobilem paupertatis proſopopeiam. *Ego nutrix religionis, eam lacto, & impinguo: ſicut contraria mea eam fame attenuat & conſumit.* Ænigma profectò ſolis carnalibus tenebricoſum, ſed ſpiritualibus ſpiritualia comparantur. *Meditationes enim, ſanctas lectiones, & orationes, & alia ſacrarum exercitationum ſtudia, quibus religio paſcitur, ſtabilitur, & nutritur, in computationes, & ponderationes cuſtodiarum, acquiſitionum ſolicitudines, in lites, & iurgia pene totaliter transfert: perfunctoriè, & ex medullarum ſyncopis & apocopis detruncatum, inordinato ſtrepitu vertitur per eam diuinum ſeruitium, ita vt magis tumultus intolerabilis, quàm diuinum ſeruitium ſit dicendum.* Hæc qui faciant, illos putas ad propoſitum magnæ perfectionis ſcopum poſſe collimare? *Apud*

*Religioſi trapezitæ.*

*diuites Abbatias ſunt calculationes & ſupputationes redituum, expenſarum, receptarum longiſſimæ, exactiſſimæ; ita vt non clauſtrales, ſed magis trapezitæ huiuſmodi homines videantur.* Neque eſt quod non priuati peculij, ſed boni publici curam, hiſce virijs vllus obtendat: ſiquidem *quod amplius eſt in talibus, à malo eſt, vel infirmitatis huiuſmodi hominum, vel voluptuoſitatis, quæ non ſolum vana eſt & indecens religioni, ſed etiam peſtilentiſſima & inimica. Nihil enim magis indecens crucifixis, &*

*Religio omnis, crucifixio eſt.*

*varijs patibulis affixis, quàm delicia & ornatus: Religio autem omnis crucifixio eſt illam ſuſcipientis, & veraciter proficientis.* Hæc & alia verbis ſenſuque eximia magnificus Chriſtianarum virtutum buccinator, quæ qui volet legete, tantorum bonorum conciliatrici, malorum auerruncæ paupertati religioſæ, nihil veri honoris & laudis negandum eſſe fatebitur.

*Dictorum collectio in aduerſarios.*

Quæ vt in ſummam colligamus, ſapientiſſimus Pariſiorum Antiſtes, & digniſſimus S. Dionyſij ſucceſſor, ſanctorum Monachorum Ordinem, diuiduis vitis ex animo renunciantem, laudat & perficit vt S. Dionyſius: errantes ab officio, graui admonitione coërcet & increpat, vt S. Dionyſius Demophilum: paupertatem religioſam *nihilum, vacuum, priuationem, carentiam* eſſe putat, contra quàm Nicolaüs le Maiſtre, qui moderatas diuitias vult illorum ſingulis competere. In Apoſtolis à Chriſto fundatam, atque adeo Euangelicam ſimul & religioſam, ſine qua diuites in religionem non intrant, eſſe agnoſcit: cum ex aduerſo Claudius Seguenotus eam in clauſtris voueri deneget. Religionis fundamentum, vallum, matrem, nutricem appellat: licet Petrus Aurelius nullam eius voti neceſſitatem in ordine factitio peruideat. Omnia Cœnobij bona ab vniuerſis poſſideri, ſine priuata cuiuſquam proprietate & vſu determinato diſputat, ideoque ſingulos verè & ſtrictè pauperes & eſſe & haberi: cum alij Religioſos leui *expropriatione* ingentium bonorum dominos & poſſeſſores fieri proclament. Hic igitur *admodum pius & doctus* Hierarcha, tam verè, ſolidéque, & citra adulationis ſuſpicionem paupertatem religioſam laudat & ſuſpicit, quàm illi non eiuſdem auctoritatis homines & doctrinæ, malignè, & contumaciter cauillantur.

CONSI-

## CONSILIVM CASTITATIS IN RELIGIOSO *ſtatu ab Eccleſiæ naſcentis exordio viguiſſe multis confirmatur. Vbi fuſe de Eſſenis.*

## CAPVT XIII.

SOLICITATVR etiam ab aduerſarijs religioſa Caſtitas, cui non inurbanè quidam fecit nomen *Noli me tangere*. Virtutis quidem Angelicæ dignitatem, & proximam Deo incorruptionem, omnibus hominum linguis & encomijs ſuperiorem demirantur: ſed tantum illud bonum ſtatui religioſo neque verus, neque intrinſecum eſſe diſputant, vt nimiæ vanitatis arguatur, quæ ſe aduentitijs ornamentis velit iactare Religio. Verùm cum ea quæ pro ternario votorum numero hactenus diſſeruimus, caſtitatem, eamque præcipuè, omni neceſſitate includant; ijſque prætetea pro ſuauiſſimo illo flore conſeruando quamplurima primæ notæ poſſint adijci; noſtratum modò videtur eſſe partium, eius antiquitatem exquirere, & ſtatui Religioſo, à primis Eccleſiæ ſeculis aſſerere. Negat id quidem Petrus Aurelius, & *caſtitatem*, clamat, *ad regularis ſtatus eſſentiam adiunctam eſſe, non ſolùm Eccleſiaſtica institutione, ſed etiam non ita vetere, cum eiuſmodi eſſentiam ab initio in Eccleſia fuiſſe non conſtet, nec vllum eius teſtimonium proferri queat.* Huic autem aſſertioni ſatis ſe putat feciſſe, cum demonſtrandæ contrariæ neceſſitatem nobis impoſuit, quod eſt fallax oppugnationis genus. Quidni enim iure meo quæram laceſſitus, ſi vitæ regulari recens acceſſit votum Caſtitatis, edat aduerſarius quo ſeculo, quo Pontifice, qua ex cauſa ſit inſtitutum? Proferat auctores qui id teſtentur, qui diſertè aſſerant: det in Eccleſia vetere, quò ſæpe remittimur, hominem vnum, qui caſtitate ſolutus in ſtricto Monachatu perſeuerauerit.

[*Antiquitas religioſa caſtitatis oppugnatur ab aduerſarijs.*]

[Aurel. in Vind pag. 669.]

[*Refellitur ſuo argumento.*]

Verùm cauſæ fiducia liberalius aliquid à me poſtulat, vt rem ab altiore principio repetam, & quæſtionem in bono lumine collocem. Religioſæ caſtitatis nomine tria implicantur, quæ grammatica ſubtilitas nunquam extricauerit, caſtitatis conſilium, conſilij votum, voti ſolennitas. Conſilium in vita religioſa ſemper viguiſſe, nemo negabit, niſi qui dubitet ſolem lucere meridie. Voti obſcurior, non tamen incerta & inconſtans memoria eſt. De ſolennitatis antiquitate inter auctores controuertitur, & adhuc ſub iudice lis eſt: vetuſtatem demonſtrant non pauci; pugnant pro nouitate alij. In quorum ſubſidium veniunt Antiregulares omnes, quorum plerique fœdè labuntur in terminis, vt hic ipſe Petrus Aurelius, dum Caſtitatem, pro voti caſtitatis ſolennitate nominant, & recens adiunctam ex inſtitutione Eccleſiæ pronunciant, quoniam id dictum de voti ſolennitate legerunt. Vt igitur iſta clariùs veriuſque diſtinguantur, Religionem ſtrictam dico ſine caſtitate eſſe non debere; ſtatum ſine voto conſiſtere non poſſe: votum illud ſimplex an ſolenne ſit, ad ſtatus eſſentiam minimè pertinere: hoc tanquam certum, & probatum à Theologis accipio, ne curram extra lineam mihi deſcriptam; ſupereſt vt illud exſequar, caſtitatem & eius votum in Religioſo inſtituto ſemper floruiſſe.

[*Status quæſtionis exponitur.*]

[*Votum diſtinguendũ a voti ſolennitate.*]

[Vide Suar. tom. 3. de Relig. l. 1. c. 5 & tom. 4. l. 3. c. 3.]

*Probatur optimo exemplo Phariſæorum.*

Dubitari non poteſt quin Apoſtoli Spiritu Sancto inſtincti, tanquam os domini, pretioſum à vili ſepararint, & nonnulla Iudæorum inſtitua laude digna, reiectis vitijs & ſuperſtitionibus, in Eccleſiæ naſcentis mores infuderint. Quod inſinuat S. Hieronymus cum *Eccleſiam adhuc Iudaizantem* à Philone laudatam ſcribit. Vnum autem è pulcherrimis inſtitutis quæ illa vigebant tempeſtate, fuit amor continentiæ, & omni corporis maceratione quæſita caſtitas, quam S. Epiphanius in Phariſæorum ſecta, dignis verbis prædicare non poſſe videtur. *Quidam enim eorum quum ſe exercebant, praſcribebant decennium, aut octennium, aut quadriennium virginitatis & continentiæ, & frequentiùs orantes, crebriùs certamen hoc aggrediebantur, vt ne videlicet corporale quid eis accideret, aut clandeſtinè per ſomnia triſtis defluxio contingeret.* Temporariam illi habebant in propoſito caſtitatem, perpetuam fecerunt Apoſtoli concepto voto. *Et alij ex ipſis aſſeres ſibi ipſis parabant dodrantis tantùm latitudine, & in his ſe ad veſperam locabant, vt ſi quis dormiſſet, in pauimentum decideret, & rurſum excitaretur ad orationem. Alij lapillos ex aquis collectos ſibi ipſis ſternebant, vt dum his pungerentur, non in profundum ſomnū deferrentur. Alij ſpinas proſtrato habebant ob eandem cauſam.* Credas videre te Anachoretarum veterū, & Monachorum ἀσκήσιν, hac imagine ſolerter expreſſam. *Progrediebantur per amicula & alios ornatus, ac muliebria pallia, in latis crepidis, & calceamentorum fibulis procedentes, quo tempore continenter agebant, aut virginitatem exercebant, ad declarandum hominibus ſuam profeſſionem, vt nemo contingeret ſcilicet ſanctificatos.* Differebant quidem ab hominum vulgo tum Clerici tum Monachi, habitu qui profeſſionem & deceret, & oſtenderet; non eo tamen conſilio vt contactum arcerent, ex ſuperbia & hypocriſi Phariſaïca; nam communem hominum conſuetudinem fugiebant, Clerici quidem moribus & vita, Monachi autem ſemota præterea à turbis & tumultibus habitatione, veri omnes & ſpiritales Phariſæi.

*Epiph. hær. 16.*

*Mira eorum continentia.*

*Aliud exemplum in Eſſenis.*

*De illis ſcripſerunt inter alios Philo l. Quod omnis probus ſit liber. & l. de Supplicibus. Ioſeph. l. 18. Antiq. c. 2 & l. 2. de bello c. 7. Plin. l. 5. c. 17. Solin. in Poly. c. 36. Epiph. hær. 19. & 29. Philaſtr. Suidas. Serarius in Trihæres l. 3. Baron. ad an. 64. n. 3. tom. 1 Petauius in Epiph. Salmas in Solin. tom. 1 à p. 61n.*

Apertior eſt imago in Eſſenis, ſi tamen in omnibus imago, non res ipſa. Eſſenorum mores & inſtituta primus omnium deſcripſit Philo Iudæus, quem ſecutus & pene dicendo exprimit, & æquè ſectam deprædicat Ioſephus; ſucceſſerunt plures alij veteres & neoterici, ſacri & profani, in quibus diſtinctiſſimè Nicolaus Serarius in Trihæreſio, & Eminentiſſimus recentium Baronius hiſtoricam veritatem vndecunque concinnat, & pro antiqua Eccleſiaſtica ſanctitate pugnat. Ex his omnibus, qui quales-ve fuerint Eſſeni, cum poſſit exquirere ſtudioſus Lector, ad vnguem videtur non poſſe perdiſcere. De nomine, deque ſecta, magna lis: vnde vocati Eſſeni: eoſdem-ne homines tria vocabula nuncupent Haſidæi, Eſſeni, Oſſeni? Quocunque dicantur nomine, Iudæi ſint an Chriſtiani? Si Chriſtiani, rem meam agunt; ſi Iudæi, eandem promouent. Nam in illis vt Chriſtianis, verum Monachatus initium reperio; in iiſdem vt Iudæis, figuram & exemplum. Quare in hac controuerſia cum pars vtraque mea ſit, ſine præiudicio veritatis, veri quæ mihi apparet ſimilitudinem licet effari.

*Eſſeni diuerſi ab Oſſenis.*

In primis Eſſenos Philonis, ab Oſſenis S. Epiphanij diuerſos eſſe arbitror, quicquid contradicat Salmaſius. Id mihi ſuadent duo, hominum doctrina, & mores. Nam priores nullo errore in vera fide aduersùs Deum, nulla in moribus prauitate corrupti ſunt: imo in Dei cultu ſumma cum pietate verſantur, proque eo conſeruanda exquiſitiſſimis affecti ſupplicijs, omni tyrannorum crudelitate ſuperiores euaſere. At Epiphaniani Deum docentur denegare, &

Idololatriam

Idololatriam per ſummam perfidiam ſimulationemque profiteri. De Chriſto
quid illi ſentiant, neque ex Philone, neque ex Ioſepho agnoſci poteſt, vt ne-
que Spiritus Sancti nomen apud eos auditur. Iſti verò neſcio quid monſtro- *Oſſenorum*
ſum de Chriſti menſuris delirant, in longum miliaria nonaginta ſex, in latum *deliria.*
miliaria viginti quatuor porrectum: Spiritum Sanctum ſexu feminam, in-
ſtar ſimulacri ſupra nubem inter duos montes ſtate: & eiuſcemodi ſomnia.
Philonici orant ad ſolem Orientem conuerſi: Epiphaniani ad Ieroſolymam,
quocunque locorum ſitu; non enim illi cœlum, ſed vrbem aſpiciunt. Priori-
bus continentia & nuptiarum fuga in vſu eſt: poſteriores virginitatem ode-
runt, & ad nuptias compelluntur. Illi denique ſe a ſanctitate Eſſenos, iſti à
ſtabilitate & firmitate Oſſenos appellari volunt, vt etſi literis aliquantùm,
ſignificatione tamen minimè conueniant.

Neque ſic obijcias. Eſſenos ſuos in Palæſtina & Syria Philo collocat, Pli- *Obiectio.*
nius vltra lacum Aſphaltitem procul ab littore: ſuos item Oſſenos Epipha-
nius in eodem terrarum ſitu ad Nabathæam, Ituræam, Moabitidem regiones
trans mare mortuum habitare commemorat. Cur ergo ijdem eſſe negantur?
Reſpondeo enim primùm non legi apud S. Epiphanium, habitaſſe illa in re- *Reſponſio.*
gione Oſſenos, ſed profectos ex illa regione, idque famâ potiùs & traditione,
quàm ſcriptoris ipſius vera ſententia. Quamobrem impoſtores iſti nominis
potiùs, quàm loci abuſi vicinia, propagatos ſe iactabant ab ijs Eſſenis in Iu-
dæa Peræa trans Iordanem, aut Petræa, vnde & Thraconitis regio, incredibili
morum integritate florentibus. Præterea ſi quis eos ibi commoratos vltro
concedat, non inde tamen eoſdem eſſe conficiet, cum hic non ſanguinis &
propagationis, non virtutum naturalium, ſed morum & dogmatum fiat
quæſtio; quibus immutatis homines ipſi noui dicuntur, licet vetere loco de-
fixi. Nam Franci qui Galliam tenemus, non ijdem ſumus cum Gallis anti-
quis ſub Brenno & Vercingentorige: neque qui modò Romam incolunt, ſi
vitam & mores ſpectas, ſucceſſores ſunt Romanorum, ſub Camillo & Cæſa-
re. Quare cum Oſſenos ab impio Elxaï perfidiam nequitiamque omnem
edoctos eſſe conſtet, quantumlibet eos ab Eſſenis originem duxiſſe fateamur,
alios tamen, & degeneres à patribus fuiſſe agnoſcamus neceſſe eſt.

Non negat id aliquatenus in S. Epiphanij ſenſu dici poſſe Salmaſius: ſed vt *Malè repre-*
in ſuo ipſe perſtet de Eſſenis Oſſeniſque confundendi, dubiam & incertam *henditur à*
viri ſanctiſſimi atque eruditiſſimi narrationem de Elxaï cum fratre Iexco ha- *Salmaſio S.* *Epiphanius.*
bere ſe oſtendit, paucis contentus contemptum ſuum indicare, *vt vt ſit, &*
*quicquid hæc fides mereantur.* Cum ad hæc eleuanda validæ forent admouendæ
rationes: ſiquidem dubitare non poteſt S. potiùs Epiphanio, quàm nouo
nouatori credituros complures. Nam vt id vnum adferam, quàm verè dicit
Eſſenorum & Oſſenorum nomen idem eſſe, quia *Solem* (cholem vult intel-
ligi) *pro ſcheua, & contra ſæpe vſurpant Hebræi, & in exoticis nominibus Græci non*
*rarò mutant E in O.* Quàm enim variæ & pene pugnantes ſignificationes in *Eſſeni &*
Hebræa dialecto ex leuiſſimæ literæ, & minuti apicis mutatione naſcuntur? *Oſſeni no-*
Quod in regijs nominibus Ioakim, & Ioacin apparet, quæ Chriſti genealo- *mine diffe-* *runt*
giam ignorantibus faciunt imperfectam: & in decretorio illo Scibboleth, *Iudic.c.12.*
quod ex ſpica in onus grauiſſimum Sibboleth, ab Ephratæis linguæ vitio
vertebatur. Adde quòd Cholem, & Scheua maſſoretica puncta ſunt, poſt
Philonem & Ioſephum ab otioſis Rabbinis excogitata; vt dici non poſſint

*οὐκ ἀκριβεῖ τύπῳ διαλέκτῳ ἑλληνικῇ παρώνυμοι ὁσιότητος.* Philo l. quod omnis probus, &c.

veri germanique Hebræi apices illos inuicem petmutaſſe. Quare Eſſenos, non Oſſenos, philoſophos ſuos appellari voluit Philo, negauitque ſatis propriè & accuratè ad Græcam dialectum eſſe cognomines ſanctitati. Cumque circa S. Epiphanij tempora, illa vocalium Hebraïcarum argutia prodierit, facilè notaſſet vir Iudaicarum rerum ſcientiſſimus, Oſſenos antea Eſſenos dictos eſſe, & recens nomen mutaſſe, ſi reipſa id factum eſſet. Quapropter ſit aſſerta Eſſenis noſtris pietatis gloria, ijque ab impijs & profanis Oſſenis toto cœlo diſtincti.

*Eſſenorum ſpecies diſtincta.*

Vt ergo de ſolis agamus pietatis cultoribus, certum mihi eſt Philonis Eſſenos & Ioſephi eoſdem eſſe, ſed non omnes: conueniunt ſiquidem in genere, at non in ſingulis ſpeciebus. Duplicis enim conditionis Eſſenos exhibet Philo, alios Actiuos, alios contemplationi addictos: illos in Syria & Palæſtina, hos in Ægypto deſcribit: illos certo numero, ad quatuor millia complectitur, hos & plures facit, & in plura loca diſſipatos: in illis ſoli viri memorantur; apud hos etiam mulieres exerceri dicit. Ioſephus autem duas Eſſenorum aduehit formas, inuicem admodum diſcrepantes. Siquidem eorum alij perpetuam ſeruant continentiam, alij nuptias liberorum quærendorum cauſa ſuſcipiunt. Atque ſi verum eſt in vrbibus, quanquam non certis, Eſſenos aliquos morari, alios in agris; prius ego coniugatis Eſſenis, poſterius continentibus aſſignandum arbitror, ne ſecum, & cum Philone pugnare Ioſephus videatur: ſi alienos verè filios educandos excipiunt, & ad virtutem informandos, id ego iuſtiùs de continentibus, quàm de coniugatis intelligendum iudico. Denique tres Eſſenorum ſpecies à duobus hiſce ſcriptoribus induci pronuncio, Contemplatiuos, Actiuos continentes, Actiuos coniugatos. Qui cum rebus expoſitis differant, hoc habent omnes commune & genericum, quòd pietatem mirificè colunt, & iuſtitiam, diuitias animosè deſpiciunt, in commune viuunt, & laborant, omnes homines ſeque ipſos inuicem eximia beneuolentia proſequuntur, & alia eiuſdemmodi. Quòd ſi qua in re paulùm grauiori Ioſephus à Philone narrando videtur diſcrepare, eum ego ad Philonis regulam corrigendum autumo, quem & priorem tempore, & ſapientia potiorem non inuitus agnouerit.

*Singula ſpecies explicata.*

E tribus illis ſpeciebus, mediam tantùm eſſe puto propriè dictorum Eſſenorum; duabus igitur alijs ex aliqua vitæ ſimilitudine, & iuſtitiæ cultu nomen accommodatum: vtriuſque formæ Actiuos, eſſe Iudæos genere, Contemplatiuos neutiquam. In Actiuis coniugatis, qui minimè omnium nobiles, imaginem reperio eorum Chriſtianorum, qui primis ſeculis perfectam in coniugio, & moderata facultatum ſuarum poſſeſſione vitam exigebant. Et fortaſſe non ſine probabili coniectura credet aliquis, fuiſſe illos Chriſtianos qui audierint ab Apoſtolo, *Non habemus hic ciuitatem manentem, ſed futuram inquirimus*: & à Chriſto Domino, *Cum perſequentur vos in ciuitate iſta fugite in aliam.* Siquidem diſcipuli omnes, narrante S. Epiphanio à Chriſto de Ieroſolymorum excidio præmoniti, Pellæ habitarunt, in confinijs Perææ regionis, vnde Nazaræorum hæreſeos ſunt ducta primordia: Ioſephus autem admonet, *non eſſe* Eſſenis *illis vnam ciuitatem certam, ſed in ſingulas plurimos transferre domicilia.* Continentes autem Eſſeni omnium nominatiſſimi, quos Serarius eoſdem probat eſſe cum Rechabitis, & à Ietro Moſis ſocero duxiſſe originem, tam ſunt à Iudæorum moribus remoti, tam ſimiles Chriſtianis & quidem perfectiſſimis,

*Eſſeni actiui coniugati.* Heb. c. 13. Matt. c. 10. *Chriſtiani Pellam migrant.* Epiph. hær. 29. Euſeb. l. 7 hiſt. c. 5. *Eſſeni actiui continentes.* Serar. c. 9.

perfectiſſimis, vt vix iurare audeas fuiſſe Iudæos. Iudæos inquam, non eos qui Chriſti ſeculo florebant, ſola hypocriſi commendabiles, ſed etiam qui feliciſſimis ſub Dauide & Salomone temporibus piè ſanctèque, vt lex ferebat, diuina tractabant. Chriſtianum enim eſt, non Iudaïcum, graue corporis voluptatibus etiam licitis bellum indicere, conceſſo thalamo æternum abſtinere, promiſſæ renunciare fœcunditati. Chriſtianæ humilitatis eſt æqualitatem inter omnes affectare, prodeſſe omnibus, etiam extraneis & ignotis, caritatis oleum & miſericordiæ in omnes largè abundanterque diffundere. Aſpirantem ad cœleſtia Chriſtianum, non depreſſum in terrenas promiſſiones Iudæum, decet inſignis ille diuitiarum contemptus, & in communi omnium poſſeſſione ſingulis adamata paupertas. Quid dicam de ſacrificijs Moſaïcis quæ reſpuunt, bobus & animantibus mactandis abſtinentes, *ſanctioribus vſi caremonijs*, veri adoratores, qui *adorant Patrem in ſpiritu & veritate?* Quapropter, inquit Ioſephus, *excluſi à communi fano ſeorſum ſacrificant*, vt hac etiam in re conceptum à Iudæis aduersùs Chriſtianos odium tolerarent. Omitto minora, quòd inuicem amant vt fratres, quæ Chriſtianorum nota eſt; antelucanas celebrant preces, quod in ritu Iudaïco non facilè reperies; vultu ad Orientem ſolem conuerſo precantur, cum Iudæi cæteri vel Occidentem vel Templum ſemper ſpectarent.

*Virtutes Eſſenorum Chriſtianæ potius quàm Iudaica.*

Contemplatiuos autem Eſſenos, qui ſolum Philonem panegyriſten ſortiti ſunt, non appellari *genere Iudæos* ſolerter adnotauit Serarius, vt libera nobis ſit facultas aſſerendi, Chriſtianos fuiſſe, quibus ob virtutis præſtantiam inclytum Eſſenorum nomen attribuerit Iudæus ſcriptor, gentilitiæ gloriæ ſtudioſus. Hos ego confidenter aſſero primos fuiſſe Monachos, Eccleſiæ adhuc Iudaïzantis alumnos ſelectiſſimos: eamque probabilitatem conficio, non tantùm auctoritate S. Hieronymi, cuius aperta ſententia eſt in hoc ipſo propoſito, *talem primam in Chriſto credentium fuiſſe Eccleſiam, quales nunc Monachi eſſe nituntur & cupiunt*. Non certa S. Epiphanij aſſeueratione, hæc à Philone narrata *non de alijs, quàm de Chriſtianis*; qui vulgares cum intelligere non poſſit, in illa ſolitudine & vitæ conditione, Monachos hic Chriſtianorum nomine ſignificet neceſſe eſt. Non admonitione Caſſiani, Monachos Ægyptios à S. Marco eſſe inſtitutos: non illis inquam auctoritatibus, ſed ipſo narrationis aſpectu, quæ ſcriptores ſapientiſſimos in eam induxit opinionem. Enimuerò ſi Monachorum, & non quorumcunque Chriſtianorum eſt, vrbium tumultus, & populorum frequentiam vitare, vt verè ſolitarij & dicantur, & ſint; iſti facultatibus parentibuſque deſertis, in hortos & villas ſolitarias demigrant, amore ſolitudinis, non hominum odio, ſed cognatorum vitiorum fuga. Si Monachi à puro Dei famulatu nomen ſortiti ſunt, iſti Therapeutæ & Therapeutides nuncupantur. Si apud S. Diunyſium communi cognomine ſancti vocantur Monachi, iſtis celebre à ſanctitate nomen eſt Eſſæorum, ſiue Eſſenorum. Niſi quis non imperita curioſitate ἀπὸ τοῦ Ἐσσῆνος malit eam vocem deducere: eſt enim Suidæ Ἐσσὴν Rex apum, cuius populus, tanquam cœleſti rore viuentes apiculæ, iugi caſtimonia, labore innocuo, bonorum omnium communione in agris & hortis, Monaſteria pro aluearibus, cellas pro fauis habitat. Vel ne à ſanctitatis limitibus aberret appellatio, ab Eſſene, quem Græci λόγιον vocant, Rationale & Oraculum Latini, eſtque lamina aurea pontificium Ephod ad pectus claudens, gemmis duodecim diſtincta, cuius intuitu Deus

*Eſſeni contemplatiui, Monachi fuerunt.* Serar. c. 17.

*Probatur* ex Hier. l. de ſcript. Eccl. c. 18. Epiph. hær. 29. de Nazaræis.

Caſſ. l. 2. de inſt. Cœn. c. 5.

*Probatur ex vitæ ſimilitudine.*

*Nominis Eſſenorum, varia deriuationes.*

*Eſſen Rex apum*, Suid.

*Eſſen rationale.*

Ioſeph. Antiq. l. 3. c. 8. & 9.

Porphyr. apud Cyri. l. 5. in Iud.

olim reddebat oracula. Sunt enim Eſſeni noſtri pretioſiſſima portio veſtis Chriſti, pro hominibus legatione fungentes apud Deum, in perſcrutandis prophetis ſeduli, ideoque, teſte impio Porphyrio, rerum futurarum veritatem attigerunt. Si Monachi tota hebdomade ſoli ſedent in cellis, dominico autem die in templum omnes coëunt, vt olim deſcribebamus: Supplices Ægyptij reliquis diebus ne per feneſtram quidem domunculæ proſpiciunt, Sabbato autem (quem ego diem pro dominico ſcriptum arbitror ab Iudæo iſto auctore) in ædiculas & ſemnæa conueniunt ſcripturæ ſacræ expoſitionem audituri.

*Item ex regularibus quibuſdam obſeruantijs.*

Si Monachi diſciplinæ ſuæ ſtudioſos priùs explorant, quam admittantur interiùs; non dubium quin & iſti Ægyptiorum Eſſæi, non ſegniùs quam Syriæ Palæſtinæque Eſſeni, ad ſuum aſpirantes conſortium accurato probent diuturnoque examine, quale deſcribitur à Ioſepho, vt putes in eo te religioſum legere tirocinium. Si Monachi cœleſtibus delicijs animo ſaturi, perpetuam corpori ſuo non tantùm ab irritamentis gulæ, ſed etiam ab eſu pene neceſſario abſtinentiam imperant, Contemplantes Philonici nec cibum nec potum ſumunt ante ſolis occaſum, viuendi neceſſitatem tenebris occultantes; nonnulli ex his vix tertio quoque die famem ſentiunt, nec deſunt qui perdurent duplum eius temporis, & vix feſto die deguſtent cibum neceſſarium; atque is eſt in lautiſſimis epulis panis pro cibo, ſal pro opſonio, hyſſopus delicatis pro condimento, aqua calda ſenibus, frigida valentioribus. Credas te Caſſianum & vitas Patrum audire, cum hæc memorantur. Si Monachorum vilis veſtitus eſt, ſupellex plebeia, tectum humile; domicilia Eſſenorum æſtum arcent & frigora, cæterùm extemporanea, inornata: hieme craſſa tunica, æſtate linea exomis tegendo corpori, prætereà nihil. Lectiſternia tegetes ſunt rudes, viles, parabiles, ex indigena papyro: *in vniuerſum enim exercent modeſtiam, vt fontem veritatis; ſicut è faſtu mendacium prognatum autumant: profluunt enim ex mendacio varia malorum ſpecies, contrà ex veritate omnium felicitatum humanarum diuinarumque copia.* Si Monachi ſine famulitio externo, quod poſſunt ſibi inuicem exhibent miniſterium; Supplices Eſſeni ſeruitutem naturæ iniuriam, quæ liberos omnes genuit, interpretati, mancipijs carent, ingenuos ad miniſterium deligunt, vt cuique pulcherrima eſt ad virtutem indoles: hi ſenibus tanquam parentibus publicis germani filij, ſponte nutus præueniendo, liberaliſſima ἐθελοδουλείᾳ miniſtrant.

*Item ex conſiliorum Euangelicorum obſeruatione*

Denique ſi Monachi trium magnarum obſeruatione virtutum, Paupertatis, Obedientiæ, Caſtitatis, ſpectabiles ſunt; habent Eſſeni Ægyptij natu maximum grauem hominem, & dogmatum peritiſſimum quem auſcultent; non ſecus ac mitiores in Iudæa Eſſeni, *ſine curatoris præcepto nihil faciunt; & cognatis aliquid dare ſine curatoribus interdictum eſt.* Priuatam ſingulorum paupertatem, & collatos in commune labores, omnes paginæ loquuntur. De caſtimonia quæ huic excurſui anſam præbuit, quæ Iudæos æquè ac profanos ſcriptores ſtupore defixit, qui mirari ſatis non poſſunt gentem ſine venere propagatam, ſine puerperijs renaſcentem, eo loco ſitam qui ſit ipſe addictus pudicitiæ, de caſtitate inquam ſuperfluum eſt repetere, vbi fœminæ nullæ, niſi *anus ſed virgines, non coactæ caſtitatis, ſicut apud Græcos quædam ſacrificulæ; ſed ſponte continentes præ amore ſapientiæ, diuina non mortalis prolis cupidæ, quam ſola Deo cara anima ex ſeipſis pariunt, excipientes pro ſemine intelligibiles patris radios.* Vota

hic

hic exprimi à Philone, nemo quod credo, poſtulet, cum is, quos circa Paſchales tantùm ferias luſtrauit, vt narratur ab Epiphanio, non potuerit noſſe intimius. Non vanè tamen aliquis eiuſcemodi nonnihil ſuſpicari poſſit, ex Actiuis in Iudæa Eſſenis, quos refert Ioſephus neminem in ſodalitium ſuum admiſiſſe, niſi *magnis execrationibus adiuratum, ſe colere Deum*, iuſtitiam, virtutes. Quod ſi qui contra facere deprehenduntur, expelli à congregatione: taliqueque pœna mulctatos miſerabili exitu ſæpe conſumi. Vbi execrationis, & excommunicationis indicium eſt non obſcurum, quam mereri non poteſt qui ſponte in eo contubernio manſerit, laude dignior quòd ſic aliquandiu vixerit, quàm pœna quòd ſemper viuere recuſarit. Et hactenus de Eſſenis vel figura, vel primordijs Monachorum.

Epiph. hær. 89.

*De votis etiam non leuis eſt ſuſpicio in Ioſepho.*

## *VOTVM CASTITATIS IN RELIGIOSIS AB ortu Eccleſiæ conſideratum.*

§. I.

SI quæ de Eſſenorum religione & Monachatu ſunt à nobis diſputata, non omnem ex aliquorum animis euellunt ſcrupulum, quoniam ad immenſum illud tot ſeculorum ſpatium acies noſtra caligat, in ijs quæ ſcriptores Eccleſiaſtici tanquam priuata, & Eccleſiæ Catholicæ ſtatum non cernentia tantùm obiter perſtrinxerunt: non refugient vt opinor, certam conſtantemque inter Catholicos omnes traditionem, quæ caſtitatis in qua verſamur antiquitatem, in Religioſo ſtatu adeo validè fortiterque ſtabilit, vt nihil ſolidum, & cum tecta fide ſatis coniunctum opponi poſſe videatur.

Naſcentis Eccleſiæ Clericos Religioſos fuiſſe, & ea quæ ſuo loco protulimus, & infinita alia quæ poſſunt in eam rem afferri ſatis ſuperque declarant: Clericos autem illos, maiorum ſaltem Ordinum, perpetuam coluiſſe caſtitatem, & eam voto firmatam, conſtans Catholicorum doctorum opinio eſt, & Eccleſiæ traditio: omni ergo fide conteſtatum eſt naſcentis Eccleſiæ Religioſos, ſaltem aliquos, in votiua caſtitate vixiſſe. Continentiam in Clericis duplicem diſtinguimus, aut potiùs eandem duplici in caſu agnoſcimus. Nam qui Clero ſe ſe addicunt, vel matrimonio ſunt vincti, vt Apoſtolorum nonnulli, quando fuerunt in Chriſti comitatum adlecti; & his vſu coniugum poſt ſuſceptos ordines interdicitur: vel ſoluti coniugio, & ſui iuris liberum ordinationi caput ſubijciunt; & iſtis matrimonio in perpetuum interdicitur. Id quod iure fiat, diſceptant auctores, certi omnes ſic fieri, quod propoſito meo ſatis eſt. Nam ſiue diuino iure innata eſt, & intima ſupremis ordinibus caſtitas, ſiue Eccleſiaſtico iure adnexa, vndecunque veniat, ineſſe negari non poteſt. Id autem eò libertiùs fatebitur Petrus Aurelius, quòd mediam quandam ſequitur ſemitam, vt apud eum, *Sacerdotalis caſtitas, neque ſit prorſus proprieque iuris diuini & diuinæ præceptionis, neque propriè Eccleſiaſticæ inſtitutionis, ſed perpetua, inuiolabilisque traditionis, Euangelio ipſi æqualis, à Chriſti, ſi non certa lege,*

*Probatur aſſertio de primis clericis.*

*Duplex in Clericis continentia.*

*Pet. Aurel. ſua ratione refutatur* in Vind. pag 669.

*ſaltem exemplo & vſu nata.* In his ego contentioſum funem non traho: ſed quod ſubijcit in comparatione, quodque huic diſputationi theſin obiecit, *Caſtitatem eandem ad regularis ſtatus eſſentiam Eccleſiaſtica inſtitutione non veteri adiunctam eſſe*: hoc ipſum priore theſi conuello; ſiquidem æqualis Euangelicæ eſt Sacerdotalis caſtitas, & hæc ipſa caſtitas regularis eſt, quoniam Sacerdotes tum omnes regulares fuerunt. Vrgebis vlteriùs, ea-ne libera fuerit qualem modò in infimis apud pleroſque videmus ordinibus; an voti pr[illegible]ione ſancita? Neque de hoc controuerſor, licet in votum propendeam: eligat aduerſarius vtrum auguſtis altaribus, Euangelij perfectioni, miniſtrorum gloriæ, Chriſti exemplo, Apoſtolorum doctrinæ, primitijs ſpiritus, conuenientius iudicauerit: vnum modò meminerit, quicquid de ſanctiſſimis Sacerdotibus dixerit, eadem voce pro Regularibus eſſe dictum.

*Probatur de Monachis* ex Dion. c.6. Eccl. De Monachis id Aurelio probare difficilius eſt, ſi Dionyſiacæ doctrinæ aurem patientem non accommodat: vbi rogatur in conſecratione Monachus virum nuncium remittat diuiduis diſtinctiſque vitis & earum imaginationibus, id ſe facturum continenter profitetur: eaque renunciatio perfectiſſimam Monachorum Philoſophiam ſignificat. S. Maximus & Pachymeres fideliſſimi ſcholiaſtæ, inter ea quæ diuiduas vitas faciunt, *coniugium* numerant: idque vel maximè, ſi Dionyſij inſtitutorem Paulum Apoſtolum audimus,

1. Cor 7. *Qui cum vxore eſt ſolicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuiſus eſt.* Confirmatur illud ea Monachi nomenclatione quam tantopere S. Dionyſius æſtimat, *ab indiuidua & ſingulari vita*, quæ eius ſenſu in eo non eſt ſita, quòd ſolitariam in deſertis, procul ab humano conſortio vitam agat, ſed quod negotijs hinc inde animum diſtrahentibus & in ſe reduci prohibentibus abſtineat: quorum cum ſit primum & origo cæterorum, matrimonium, ab eius conſortij priuatione Monachus appellatur, vt expreſſè Caſſianus hoc ipſum Monachatus exordium indagans. *Qui paulatim*, inquit, *tempore procedente ſegregati à credentium turbis ab eo quòd à coniugijs abſtinerent, & à parentum ſe conſortio, mundique iſtius conuerſatione ſecernerent, Monachi, ſiue Monazontes, ſingularis ac ſolitariæ vitæ diſtinctione nominati ſunt.* Latinæ etiam linguæ proprietas ſolitudinem pro cœlibatu frequenter vſurpat; & *ſolam* Didonem coniuge priuatam ſoror appellat in Poëta, & ſignanter Eſſenos Plinius, *gentem ſolam* vocat, *ſine vlla femina, omni venere abdicata.*

*Monachi nuncupatio vnde deducta.*

Caſſi. coll. 17 c.5.

*Quid ſit ἀποταγή.* Iam in huius ſolitudinis profeſſione votum ineſſe, ex ipſa S. Dionyſij oratione conijcio. Hanc enim ἀποταγὴν dicit, & ἀποταγὴν τῶν διαιρετῶν ζωῶν. Eſt autem ἀποτάττειν vt docet Budæus, eruditorum gemma, ſecernere & ſeorſum deſtinare, & ἀποτεταγμένος deſponſus, deuotus, deſtinatus: hæc deuotio certa, ſtabilis eſt, ad vitam. ἀποταγὴ renunciatio, vt cum extremum ſalutamus, & ſalutem alicui vitæ inſtituto dicimus. Atqui, vt dicere me hoc libro memini, Dionyſiaca iſta *renunciatio* Lampetianos iugulat hæreticos, qui triennium tantùm in Monaſtico inſtituto exercebantur, eoque quaſi perfecti, in omne ſcelus ruebant præcipites, ſui penitus diſſimiles. Monachorum igitur profeſſio vitam totam tenere debuit, quod ſine voto non facilè intelligas, licet fortaſſe non ſatis expreſſo.

Budæus in Comment. l. Græcæ.

S. Max. in hunc locú Dionyſ.

*Votum continentiæ tacitum.*

Baſil. c.19. ad Amph. Nam S. Baſilius tacitum in illis ſolummodo agnoſcit, cum ad Amphilochium ſcribit. *Virorum profeſſiones non nouimus, præterquam ſi qui ſeipſos Monachorum*

*chorum ordini adiudicarint, qui tacitè videntur cælibatum agnoſcere*. Græca dictio duabus vocibus notanda eſt, cum profeſſionem eodem quo S. Dionyſius vocabulo exprimat, & Monachos vt Caſſianus, Monazontas appellet. Verum ne quiſquam tacita illa profeſſione abuſus, eam à ſe neget eſſe conceptam, addit decreto prouido, *in illis quoque illud præcedere oportere, vt ipſi interrogentur, & euidens ipſorum accipiatur profeßio*: ſic enim non Deo tantùm, ſed Eccleſia etiam iudice damnabuntur, ſi à propoſito per ſacrilegum nefas reſilierint: *vt ſi quando ſe ad libidinoſam & voluptariam vitam conuerterint, eorum qui fornicantur puniti oni ſubiaceant*. Quem locum commentator Balſamo ſic illuſtrat, vt expreſſiùs doceat, ſine expreſſa illa exteriùs profeſſione, in caſtitatis manum conueniſſe. *Ne dixeris quòd Monachi qui hanc profeßionem* (expreſſam, externam, rogati Preſbytero) *non fecere, inſontes nullique pœnæ obnoxij ſeruabuntur. Etſi enim non fuerit tonſus quiſpiam, ſed* ῥασοφορήσῃ, *non poterit mutare habitum, & ad nuptias conuolare, ſed inuitus ad habitum Monaſticum reuerti cogetur*. Qui locus vt verum fateat, obſcurus mihi eſt, licet pro me militet. Nam ῥάσον tunica eſt, materiâ vilis & rudis, colore nigra: idem eſt igitur ῥασοφορεῖν, ſiue ῥασοφορεῖν, quod tunicam ferre, & habitum Monaſticum. Sed quis hoc facit non tonſus in Monachum? Et tamen ea diſtinguit Græcus auctor, & habet pro diuerſis.

[Margin: [illegible Greek] Baſil. c. 19. ad Amphil. — Balſam. in eum locu. — [illegible Greek]]

Heribertus Roſvveydus ex Græcorum Euchologio, quod eſt quaſi Rituale, tres affert ritus donandi atque aſſumendi Monaſtici habitus. Primus eſt cum quis in Nouitium aſſumitur; hic tondetur in formam crucis, & taſam ſolam accipit, ſiue tunicâ, cum camelauchio, quod eſt tegmen capitis, & *galea* vocatur in traditione. Secundus cum induitur paruum ſchema, cuius præcipua pars, præter ſuperiores, eſt mandys ſeu pallium, quod magni habitus arrhabonem vocant: hoc arbitror in ipſa profeſſione fieri. Tertius, cum in præmium longæ & venerandæ exercitationis, viro inter athletas virtutis nobili, datur magnum ſchema, ſiue magnus & angelicus habitus; in quo peculiare vix quicquam video, præter ſcapulare, diuinæ crucis ſymbolum. In ſingulis horum rituum, antequam veſtis vlla tradatur, tonderi deſcribitur Monachus in formam crucis: & apud S. Dionyſium eadem capillorum detonſio veſtium mutationem præcedit. Cur ergo ſignificat Balſamon, taſam ferre Monachum qui tonſus non ſit? Nihil equidem certius video, quod ad hæc reſponderi poſſit, quàm à Balſamone tonſuram Monaſticam ab habitu Monaſtico diſtingui, & eius æuo tirocinium in habitu ſine tonſura peractum, quæ tantùm eo tempore ſuſcepta ſit, cum expleta vt loquimur probatione & nouitiatu, profeſſionem ederet Monaſticam. Id habeo ex eius ſcholijs ad Monachorum interrogationes Synodo Conſtantinopolitanæ oblatas. Quærunt illi, Monacho-ne liceat ad altare accedere? Reſpondent Patres, licere *propter Monachalis habitus honeſtatem*. Hic Balſamon diſtinguendum putat ex vſu. Siquidem ille Monachali habitu ornatus, etiam tonſuram eſt aſſecutus, nihil prohibere quò minùs cereos in altari accendat: ſin autem in eo tantùm habitu probatur, quem etiam intra triennium poſſit deponere, nulla eum ratione ad altare acceſſurum, vt qui nondum Monachus, ſed purè Laïcus ſit. Hæc inquam ex vſu & æui ſui conſuetudine: quibus addit è ſuo ſenſu, non probari ſibi tirocinium cum veſtibus ſacris Monachorum tranſigi, ſed cum Laïcis, ne forte cum Religioſi ſtatus ignominia, abijciantur à Nouitio. Plus igitur apud Balſamo-

[Margin: *Ritus Monaſtici habitus apud Græcos.* — Roſw. in vitas Patr. in Onom. V Raſa. — *Paruũ ſchema Monachi.* — *Magnum ſchema, habitus Angelicus.* — *Nouitij non tonſi.* — Balſ. reſp. ad interr. Monach. in Syn. CP. — *Nouitij probatio in veſte Laïca.*]

nem tonſura eſt, quàm habitus, licet ipſe cupiat ab habitu nunquam abeſſe tonſuram: id eſt veſte Religioſa indui, niſi profeſſum, neminem, quia tum exui, & haberi ludibrio non poteſt.

*Locus Balſamonis explicatur.*

Sic igitur mens Balſamonis ad S. Baſilij canonem explicanda eſt. Nemini dubium eſſe quin Monachus accepta tonſura, veſte religioſa ornatus, edita profeſſione, voto caſtitatis ſit adſtrictus: ſed ne nouitio quidem licere ad nuptias conuolare, ſi ante tonſuram ſiue profeſſionem, raſam & Monaſticum tulit habitum, vt ſuus veſti ſanctiſſimæ ſeruetur honor, quem vſqueadeo vult eſſe inuiolatum, vt ipſum nouitium à quo abiecta ſit, optet vel inuitum è fuga retrahi, & ad Monaſterium cogi. Seuerè id quidem & iniuſtè pro nouitio dicit, ſed verè & iuſtè de profeſſo Patriarcha Orientalis, atque adeò Baſilianus Monachus, inſtituti ſui regulam & obligationem profeſſionis explanans: vt hæc pauca in vtroque Patriarcha ſi leget Aurelius, reſponſum ſibi intelligat, de ijs *qui abdicata bonorum poſſeſſione, Monaſticam vitam iniſſe dicuntur, etſi nullum quod conſtet caſtitatis votum ſuſcepiſſent.*

Aurel. pag. 673.

*Votum caſtitatis ſimplex.* Concil. Chalced. can. 16.

Cæterùm homini illi à propoſito fœdè reſilienti, pœnam infligit Canon Baſilianus, eandem quam fornicarijs: Concilium deinde Chalcedonenſe conſtituit, *Virginem quæ ſe Domino conſecrauit, ſimiliter & Monachum, non licere nuptialia iura contrahere. Quòd ſi hoc inuenti fuerint perpetrantes, excommunicentur.* Quæ decreta cum irrita eſſe illorum nuptias non pronuncient, ſed eas tantùm licitè non contrahi, adeoque peccato pœnitentiam indicant; hinc non malè quis colligat, ea vota ſimplicia tantùm eſſe quæ à Prælatis ſolui poſſint: ita tamen vt ſimul & ab eo homine Monaſtica tollatur profeſſio. Lubet enim hic repetere, nunquam in Eccleſia viſum cum nuptijs Monachatum, nunquam integrum & perfectum inter coniugatos ſtatum Religioſum. Quod ampliùs confirmatur alio eiuſdem S. Patris Canone, qui in ſpeciem videtur eſſe contrarius. Sic autem habet.

*Explicatur S. Baſil. can. 6.*

*Canonicorum fornicatio pro matrimonio non reputetur; ſed eorum coniunctio omnino diuellatur.* Canonicos interprete Balſamone omnes intelligit qui ſunt in Canone, Clericos, Monachos, Monachas, Virginitatem profeſſos. Sanè Canonicorum nomine Monachos Cœnobijs coniunctos, Anachoretis abſimiles à S. Patriarcha intelligi in Conſtitutionibus Monaſticis ſuperiùs videbamus. Turpem igitur in ijs copulam pro fornicationis ſcelere, non pro vſu matrimonij vult haberi, & omnimodis diuelli, quodque inde conſequitur, inter fornicarios in Pœnitentia Deo & Eccleſiæ ſatisfacere. Decreti rationem ſubdit, *Hoc enim & Eccleſiæ ad ſecuritatem eſt vtile, & non dabit hæreticis aduerſus nos anſam, quòd propter peccandi libertatem ad nos attrahamus.* Poſſit autem aliquis hinc inferre, caſtitatis profeſſionem in Monacho eſſe ſolennem, & irritum reddere matrimonium. Sed alius eſt auctoris ſenſus, & enarratoris Theodori.

Balſa. in eum locū. Baſil. c. 3.

Qui ſacros inijt ordines ſi fornicatur, depoſitus ad Laïcam communionem reijcitur, vt antea de Diacono decretum eſt: præterea ne ea depoſitione, & quaſi Laïca conditione ad reliquæ vitæ intemperantiam abutatur, in peccato illo, velut coniugali conſortio, perſeuerare prohibetur, & matrimonij iure penitus ipſi interdicitur. Monachus autem qui ſacratis ordinibus caret, non habet gradum vnde deijciatur; ſed in ſuo Monachali ſtatu manere iuſſus, fornicariorum pœnitentiam ſubit, ablata in perpetuum ſacrilegij conſorte.

Quod

Quod quidem ex tei & ſtatus natura euenire non ſcribit Legidarot, ſed ab Eccleſia fieri, ne imptoborum nequitiæ, & hoſtium calumniæ pateat. Mùlri enim ſacrati homines liberum intempetanriæ vſum depoſitione, Monachi temporaria pœna tedimetent; quod cum hęreticæ ſectæ alumnis ſuis non permittanr, non temete gloriarentur a ſuis ad Carbolica caſtra nequiſſimos homines rranſire, quoniam in ijs libidinum ſuarum licentiam tepetirent. Sic expoſirus Canon irritas haberi nuprias non decernit, neque voti ſolennitatem indicat: ſed illud eximiè loquitut, non poſſe cum Monachatu ſtare matrimonium. Siquidem eo iuberur Monachus petſeuerare Monachus, & abſtinere ſe à peccato, ſeiungere ab illecebra: cui ne diutiùs vtetetut, indulgeri poruiſſet, ſi tes ea fieri potuiſſet: illo enim caſu neque Monachum ſuum amiſiſſet Eccleſiæ Canon, neque Carholicos criminati eſſent hæretici, quí illud petmittetent, quod neque ſtatus Monaſtici natura, neque Canones fieri prohiberent.

Admonet autem hic locus, vt de feminatum caſtitate nonnihil dicamus. Ad duas ſpecies illa pertinet, Virgines & Viduas. De harum voto iam ante diximus ex Apoſtolo: vnde & adulterij à nonnullis Patribus accuſantur, quæ poſt fidem Chriſto datam ſubſeſſores patiuntur. Admonet tamen Cornelius à Lapide, ad hoc inſtitutum accommodatè, Apoſtolum non ſic intelligi debere, *quaſi matrimonium quod poſt votum inibant, fuerit irritum: ſed quòd illud illicitè, ſacrilegè, & cum graui peccato mortali inirent.* Fuit igitur eiuſmodi votum, quod ſimplex appellamus: cui ſpecies quædam priuatæ paupertatis adiuncta eſt, cum bonis Eccleſiæ communibus alerentur: vnde pergit Apoſtolus decernere, *Si quis fidelis habet viduas, ſubminiſtret illis; & non grauetur Eccleſia, vt ijs quæ verè viduæ ſunt ſufficiat.* Quate cum Theophili Alexandrini edicto renunciari iubeatur Oeconomus, *vt bona Eccleſiæ vt debent inſumantur:* quid iſta ſignificet otatio Balſamon explicans, ait eſſe, illa impendere *in viduas, hoſpites, & pauperes.* Expectas Lector, vt his conſilijs obedientiam adijciam, quò perfecta etigatur Religio, maximè cum illis temporibus Virginum & Viduatum ſacratum cœrus agnoſcat Petrus Aurelius: & Balſamo noſter Antiochenum Canonem, quo vetatut *viduas præſidentes in Eccleſijs conſtitui,* pertinere nolit ad Monaſtetia feminarum, *in quibus vna mulier quæ præeſt omnibus præſidet.* Hoc tamen iſto loco à me non accipies: quippe qui ſolida nulla ratione, vel auctorirare probare poſſe videar, coactas fuiſſe in cœtum viduas illas, & vnam omnibus cum imperio & poteſtare præfuiſſe. Neque verò illarum produco exemplum, tanquam perfecti ſtatus Religioſi excultricum: quemadmodum antea in propoſito paupertatis, eos qui venditarum poſſeſſionum pretium ad pedes Apoſtolorum ex voto proijciebant, vetè perfecteque Religioſos fuiſſe non diſputaui: ſed vtroque Chriſtianorum ad perfectionem pleniorem aſpirantium facto ſub Apoſtolis, monſtrare volui ſingula fuiſſe in vſu vota, quæ omnia Chriſtiani quidam petfectiſſimi ducibus, & magiſtris Apoſtolis obſeruabant.

*Antiqua viduarum caſtitas cum voto.*
1. Tim 5.
Cornel. à Lapide in eum Pauli locum.
*Nutrita eadem ſacultatibus Eccleſiæ.*
Theo. can. 9. apud Balſam.
*Explicatur can. 11.* Concil. Antioch.

Virginum eadem eſt conſidetatio, ſiue illatum quæ degebant in Monaſterijs (ſiquidem apud Ægyptios Philonis Eſſenos virgines ætate grandes ſupra legebamus) ſiue illarum quæ domi paternæ ſub ſimplice virginitaris voto, florem illibatum cœleſti ſponſo ſeruabant. Probandum non eſt aut illas

*Simplex votum virginitatis.*

votum emiſiſſe caſtitatis, aut genialem torum illis occluſum eſſe, aut ſi quando lapſæ ſunt, Deo & Eccleſiæ ſacrilegij pœnas luiſſe. Sed earum votum, de cuius antiquitate dubitari non poteſt, ſimplex fuiſſe ex eo demonſtro, quòd productus Chalcedonenſis canon, eas quæ labuntur, tantùm excommunicat. S. autem Baſilius excommunicationem illam apud veteres fuiſſe fatetur annuam: ſed leuiorem exiſtimat, quàm pro delicto; eaſque adulterarum pœnis inexorabiliter addici iubet. Eliberitanum verò Concilium ſeuerioris diſciplinæ, *virgines quæ ſe Deo dedicauerunt, ſi pactum perdiderint virginitatū, atque eidem libidini ſeruierint*, communione priuat etiam in fine: quòd ſi a peccato cecesſerint, & toto vitæ tempore abſtinentes à coïtu, pœnitentiam egerint, ijs in fine communionem elargitur. In his ſimilibuſque decretis, voti violati peccatum, & peccati pœnam video, nuptias ſi quæ contrahuntur, irritas eſſe non lego. Imo non obſcura eſt S. Auguſtini doctrina, virgines eiuſmodi voto violato validè nubere, quando eas potiùs ad thalamum inuitat, quàm ad ignem, *non legem ſed remedium oſtendens*, vt alibi loquitur. Quin etiam in eo virginitatis voto diſpenſaſſe S. Cyprianum, arbitratur Eminentiſſimus Baronius, cum ſcribebat, *Si ex fide ſe Chriſto dedicauerunt, pudicè & caſtè ſine vlla fabula perſeuerent: ita fortes & ſtabiles præmium virginitatis expectent. Si autem perſeuerare nolunt, vel non poſſunt, melius eſt nubant, quàm in ignem delictis ſuis cadant*. Habemus igitur eas voto, ſed tantùm ſimplici nexas fuiſſe, quæ verè perfecteque Religioſum ſtatum tenuerunt, ſi alia conſilia, quæ dicimus eſſentialia, ſuperaddiderunt. Quia tamen pauciores eius generis reperire eſt, ideo ad ſolenniorem aliquam profeſſionem veniendum eſt.

Baſil can. 18. ad Amphil. Concil. Elib. c. 13. habetur 27 q. 1. Virgines quæ ſe.
Auguſt. l. S. Virg. c. 34. Idem de bono Viduit. c. 8. Cypr. ep. 62. Baron. ad an. 253. n. 46. tom 2.

## *VOTI CONTINENTIÆ SOLENNITAS IN quo maximè poſita eſſe cenſeatur.*

§. II.

*De voti ſolennitate poſt D. Th. 2. 2. q. 88. a. 7 tractãt Theologi* Caiet. ibi. Greg. a Val. ibi. diſp 6 q. 6. puncto 5 Suar to. 3 de Relig. l. 2. & 9. Sanch. l 7. de Matrim diſp. 25 & nuper. Mor. tom. 2. l. 5. c. 1. Leſſius de Iuſt. & Iure. l. 2. c. 40. dub. 19. & alij.

QVONIAM voti ſolennitatem in Religioſi ſtatus eſſentia non numeramus, liberum fuit ab ea penitus abſtinendo præteruehi, in qua explicanda Scholaſticæ Theologiæ tractatores omni ſubtilitatis ſuæ contentione verſantur. Sed ne hanc qualemcunque diſputationis partem omnino diſſimulemus, ſuadet lectoris vtilitas, quæ ſemper in promptu vult habere, quæ varijs aduerſariorum percontationibus reſpondeat. Quare pauciſſima ex innumeris ponendo veriùs quàm probando.

I. In primis certum habeo, ſolennitatem nihil voto adijcere eſſentiale & intimum, ſed tantùm accidentale, quo à ſimplice voto diſcernatur. Continet enim ſolenne votum exterius nonnihil, quo ſimplex caret; at in obligatione aduersùs Deum, & vinculi ratione, nullum eſt inter ea Deo teſte diſcrimen. Nam cum illa, vt dicemus, ſolennitas ab Eccleſiæ proueniat inſtituto, atque hæc rerum eſſentiam, & intimam ſubſtantiam non immutet, ſed tantùm robur addat aliquod præter conſuetum; conficitur omnino ſuperadditum illud in intimam eſſentiam non penetrare, ſed circumſtare, & accidentariò aduenire. Dixi *exterius nonnihil* ſpectata voti vniuersè, non voti ſolennis natura: nam huic illud *nonnihil* eſſentiale eſt, non illi: quemadmodum

*Solennitas eſt accidentalis voto.*

animali

animali rationali eſſentiale eſt vt ſit rationale, vel riſibile, non autem generico gradui.

II. Solennitatem hanc diuidendam cenſeo in eſſentialem, & accidentariam voto ipſi ſolenni, ſiue internam & externam: vt prior ſit poſita in ipſa ſolennitatis eſſentia, poſterior in circumſtantijs quibuſdam & accidentibus non exactè neceſſarijs. Prior, quoniam in hominum animis maximè reſidet, ſi ſola adhibetur, votum illud facit quod Hugo Victorinus, occultum & coram Deo tantùm appellat; atque manifeſto, & coram homine opponit: poſterior, ſi æquè ſola admouetur, votum facit, quod D. Thomas publicum vocat, diſtinguitque à ſolenni. Et quoniam hac in materia ſubſtantia ſine accidentibus,& accidentia ſine materia poſſunt reperiri:fieri poſſe aio votum ſolenne interiùs ſubſtantialiter, quod exteriùs & accidentaliter ſolenne non ſit: aliud item exteriùs & accidentaliter tantùm ſolenne, ſiue vno verbo publicum, quod verè & propriè ſolenne non ſit. Eſſe autem omni ex parte & abſolutiſſimè ſolennia, quæ ſubſtantiam ſolennitatis accidentibus ſuis conueſtitam continent; qualia in omnibus Religioſis ordinibus concipi ſolent, qualia vulgò intelligunt homines cum de votis loquuntur ſolennibus, qualia nos ad Religioſi ſtatus eſſentiam pertinere negamus, vt neque priora, quæ ſubſtantialiter ſolùm volumus eſſe ſolennia.

*Solennitatis diuiſio.* *Eſſentialis.* *Accidentalis.* *Votum publicum.*

III. Vtranque porro ſolennitatem, non diuini ſed Eccleſiaſtici iuris totam eſſe, & ab vno Eccleſiæ, eiuſque Principum arbitrio dimanare, dubitari non poteſt, poſt ipſorum Pontificum apertas, & ſumma cum auctoritate prolatas definitiones. Scribente videlicet Bonifacio VIII. *Nos attendentes quòd voti ſolennitas ex ſola Eccleſiæ conſtitutione eſt inuenta.* Et Gregorio XIII. aduerſùs quoſdam ſuperioris ſeculi Theologos, *Non conſiderantes voti ſolennitatem ſola Eccleſiæ conſtitutione inuentam eſſe.* Quamobrem vt de cæteris contractibus, ita de ſolennitate voti philoſophari nos oportet, vt illam non alibi requiramus, quàm vbi poſuit Eccleſia; non aliam putemus eſſe, quàm qualem fecit Eccleſia. Quo de fundamento iure videor poſſe deducere, locis & temporibus accommodandam eſſe ſolennitatem, vt aliquibus ſeculis, locis & regionibus nonnullis, eadem non fuerit quæ alijs. Quis enim vetet credere, cum priuatis Antiſtitibus creandarum confirmandarumque Religionum cura erat & poteſtas, ſi quæ illis ætatibus fuit votorum ſolennitas, eam ſingulos ſua in Diœceſi, in ea quam ſtabiliebant Religione, ad ſuum arbitrium finxiſſe? Verùm ex quo tota vis formandarum Religionum penes Romanum Pontificem reſedit, vt ipſe Oecumenicus Epiſcopus eſt,& vim ſuam in omnes orbis Chriſtiani regiones diffundit, ſic votorum ſolennitatem vbique locorum, & robur & firmitatem ſuam habituram conſtituit: vtque iuris iſtius poſitiui incerta poſſeſſio eſt,& ex domini arbitrio ad rerum momenta inclinans viciſſitudo, potuit eadem Eccleſia,& idem vniuerſalis Eccleſiæ Princeps, ſolennitatem addere primorum ſeculorum ſimplicitati, & poſtremis ætatibus eandem tollere ſolennitatem, vt ea rebus alijs applicetur, aut penitus ab vſu Eccleſię conuellatur.

*Solennitas eſt iuris Eccleſiaſtici.* in 6. c. vnico de voto & voti redempt. Greg. 13. Bulla Aſcendente Domino. an. 1584. *Solennitas locis & temporibus accommodanda.*

IV. Quid ergo tandem eſt iſta ſolennitas? Vniuerſè, quod Eccleſia vult illam eſſe. Quid autem vult illam eſſe? Fateor equidem, vt ab Academicis diſputari ſolet, dicturum me faciliùs quid illa non ſit, quàm præciſè quid eſſe putanda ſit. Non enim eſt cęremonia & ritus ille externus, quem videmus

*Solennitas non eſt externus ritus.*

nonnunquam in teſtibus, veſtium traditione,benedictione, & ſimilibus accidentibus, cum in occulto ſtare poſſit inter duos, vouentem & acceptantem. Vt ſummum enim externa eſt illa ſolennitas & accidentalis, quæ publicum efficiat votum: at nos ſubſtantiam quærimus. Non eſt inhabilitas ad matrimonium, neque vis & efficacia ad talem inhabilitatem inducendam: hæc enim proprietas eſt & affectio conſequens ſolennitatem, & eius effectus, iſque voluntarius: ſiquidem poſſet Eccleſia votum ſolenne decernere, quod nullum matrimonium ſolueret, neque antea ratum, neque poſtea contrahendum. Non eſt vouentis traditio, & Dei per Eccleſiæ miniſtros acceptatio. Nullum enim votum quantumuis ſimplex, eſt expers traditionis ex parte vouentis, & acceptationis, ſaltem à Deo. Certum quoque eſt ab Eccleſiæ miniſtris ad id auctoritatem habentibus eadem acceptari poſſe ſimplicia, quale in ſecularibus Tertiarijs S. Franciſci antea videbamus: qualia noſtræ huic Societati, non nouo, ſed renouato more conceſſerunt Pontifices, prima nimirum expleto probationis biennio emitti ſolita, in quibus tradit ſe vouens Religioni, eumque pro ſuo per ſuperiorem Religio ſuſcipit, veréque & ſubſtantialiter fit Religioſus, vt qui alijs in Ordinibus optimo iure. Non eſt obligatio mutua vouentem inter & admittentem, vt neque ille à propoſito reſilire poſſit cum lubebit, neque hic ipſum tali vinculo ſoluere ſi maximè velit. Eſt enim illam reperire in pleriſque ſimplicibus votis obligationem: vt ſi qui confeſſarius votum caſtitatis, aut religioſæ profeſſionis, aut Romanæ peregrinationis admittat, quo poteſt modo à pœnitente, quod ipſe poſtea neque mutare poſſit, neque ſoluere. Adde quòd vota etiam ſolennia quæ dicuntur, non tam Eccleſiæ Prælatus admittit, quàm Eccleſia per Prælatum: quare ſi mutua illa contrahitur inter vouentem priuatum & Eccleſiam obligatio, ſequitur ab Eccleſia relaxari non poſſe, non poſſe à Summo Pontifice votum ſolui, quod quis eo acceptante ſolenniter emiſerit, quod ijs accidit Clericis qui Ordines ſacros immediatè ab eo ſuſcipiunt. Id verò affirmari non debere, agnoſcet quiſquis priùs poſita à nobis fundamenta probauerit, ſolennitatem & extrinſecè, & ab Eccleſiæ ſolius inſtitutione voto ſimplici aduenire.

*Non inhabilitas ad matrimonium.* *Non traditio & acceptatio.* *Non obligatio mutua.*

V. Supereſt igitur vt ſolennitatem ab Eccleſia poſitam eſſe dicamus in profeſſione Religionis approbatæ, & Ordinis ſacri ſuſceptione. Ita Pontifice Bonifacio decernente, *Præſentis declarandum duximus oraculo ſanctionis, illud ſolum votum debere dici ſolenne, quantùm ad poſt contractum matrimonium dirimendum, quod ſolemnizatum fuerit per ſuſceptionem Ordinis ſacri, aut per profeſſionem expreſſam vel tacitam factam alicui de Religionibus per ſedem Apoſtolicam approbatis.* Ad hæc nonnulli volunt addi traditionem & acceptationem mutuam, perpetuam, quæ via ordinaria diſſolui nequeat. Sed hæc non tam ſolennitatis eſſentia, quàm eius proprietas eſſentialis videtur; nam cum in omni Religionis, & Ordinis ſuſceptione inſit neceſſariò traditio & acceptatio mutua; ex eo quòd voto ſolenni in Religione, & Ordine coniuncta eſt, inſolubilitatem accipit. Sunt igitur in duobus ſtatibus perfectionem profitentibus Clericali & Religioſo vota ſolennia, vnum vtrique commune Continentiæ, alia præterea duo, Paupertatis & Obedientiæ in Religioſo quolibet, & peculiaria quædam in priuatis Ordinibus approbatis.

*Sed in profeſſione Religionis approbatæ, aut Ordinis ſacri ſuſceptione.*

*1. obiectio.* Neque te moueat in primis quòd Ordinum maiorum inauguratio, & Religionis profeſſio multis ſeculis ſolennitatem præceſſit; vt inde ſequi omnino videatur,

videatur, diuerſa hæc eſſe, quæ tanto temporum interuallo ſeparata fuerunt. Solennitatem enim, vt rationem quandam extrinſecam & accidentalem fatemur rei præexiſtenti, ſola Eccleſiæ voluntate & determinatione aduenisse, & profeſſionem ex ſimplici ſolennem, vota religioſa ex ſimplicibus ſolennia facta, abſque intrinſeca mutatione: fuiſſe autem Eccleſiæ liberum ſolennitatem profeſſioni, potiùs quàm traditioni, aut externis ritibus affigere: ideoque hoc ſenſu verè dici ſolennitatem à profeſſione, & votis plurimum differre. Sic olim arcus cœleſtis mundo ipſi coæuus, cum ante vniuerſalem eluuionem naturale propinquæ pluuiæ ſignum eſſet, poſt illam, deſignante Deo, ceſſantis in æternum diluuij ſignum ſupernaturale factus eſt. Ita ſerpens ante Adami lapſum procuratum, in ventrem nixus, in ſpiras volutus, terram paſtus, hæc naturalia ſigna, in pœnam & infamiam pro homine ſeducto accepit. Dices-ne quicquam in eorum natura innouatum, aut alijs in rebus ea ſigna à Deo imprimi non potuiſſe? *Reſponſio.* *Solennitas votis religioſis aduenit.*

Neque ſecundò Religionem Societatis Ieſu opponas, in qua profeſſionem tenemus, ſtatum Religioſum, vota ſubſtantialia, matrimonij diremptionem expleto tirocinij biennio, & metam in votis ſimplicitatem videmus, eorum ſolennitate in longum religioſæ vitæ tempus reiecta, anno indefinito, ad arbitrium ſuperioris: ergo ſolennitas in religioſa profeſſione non conſiſtit. Eſt enim quod reſpondeam, poſita Eccleſiæ determinatione, orientem hunc Ordinem ſponte ſua & vſu communi, ad illam profeſſionis & votorum ſolennitatem deuenturum, niſi ſolennitatis arbitra & modiperatrix vetuiſſet Eccleſia, eaque iuſſiſſet eſſe ſimplicia, quæ tirocinio abſoluto ſuccederent, hæc eadem cum voluerit factura ſolennia. Ad idem arbitrium & inſtitutum reducenda eſt vis illis ipſis ſimplicibus indita, vt matrimonij vinculum ratum ſoluant, alligandum impediant, quæ ſolis antea ſolennibus conueniebat: quæ vna & vera ratio eſt, à Gregorio Pontifice prolata, vt ſuperiùs memorabamus. Vt hinc etiam efficaciter colligas, non vnam ſolennitatis vbique locorum, quocunque ſeculo fuiſſe in Eccleſia rationem ab antiquo, cum apertiſſimam determinationem ſequuta ſit mutatio. *2. obiectio.* *Reſponſio.* *Greg. 13. Bulla. Aſcendente Domino cit.*

## *VOTI SOLENNIS AFFECTIONES perſtringuntur.*

§. III.

VI. SIc explicatam ſolennitatem, ſequitur velut affectio neceſſaria, indiſſolubilitas, ex perfectiſſima quæ poteſt eſſe in rebus ſacris & profanis traditione & acceptatione, mutuam obligationem pariente, & nodum nectente Gordio fortiorem, cuius ſoluendi poteſtatem D. Thomas non veretur ab ipſo Eccleſiæ principe ſublatam, ad Deum ſolum traducere. Alij numero pluresdictum illud mitigant, & aliquo modo explicabilem nodum faciunt: qui à Prælato Religionis, ab Antiſtite ordinante reſolui poſſe negant, imo ab ipſo Summo Pontifice via ordinaria, ſed tantùm extra ordinem graues ob cauſas plenitudinem poteſtatis admouente. Votum enim aiunt quodlibet, nullo tempore definitum, natura ſua perpetuum eſſe; quippe cum vouens ſua ſponte & auctoritate illo ſe vinculo nequeat eximere: at ſimplicis *Proprietas ſolennitatis indiſſolubilitas.*

facilior eſt ſolutio, leuioribus de cauſis conceditur, ſæpius frequentatur, pluribus prælatis, nonnunquam etiam ſimplicibus confeſſarijs committitur. Hanc viam vocant ordinariam, quodque ſæpe ſit, modo dicunt ordinario poſſe fieri. Votorum autem ſolennium ſolus Pontifex immediatè iudex ſeder, grauiſſimarum rationum momenta ſeuera lance ponderat, Regnorum & Eccleſiæ neceſſitatem æſtimat, velut inter Deum & homines arbiter electus, boni publici curator, ſolennitatis dominus & artifex, totum diuinitus traditæ auctoritatis ius aduocat, vt in vno voto ſolenni, vno ſemel ſeculo diſpenſet: & pauca eius facti tot ætatibus proferuntur exempla: quis igitur id neget extraordinarium, & votum inſolubile, quod grauiſſima cum difficultate ſoluitur?

*Via extraordinaria ſoluitur.*

*Obiectio.*

Quod ſi pugnas abeſſe à voto ſolenni poſſe inſolubilitatem, ex eo quòd Eccleſia ſolennitatis arbitra, votum inſtituere poſſit ſolenne via ordinaria ſolubile. Reſpondeo ſolennitati qualis modò eſt, intimam eſſe omnimodam voti perpetuitatem, futurumque ea ſeruata votum illud via ordinaria ſolubile, non aliud quàm ſimplex. Poſſe tamen non nego, ab eadem Eccleſia diuerſam inſtitui ſolennitatis rationem, cuius eſſentialis proprietas, non ſit illa quam dixi perpetuitas.

*Reſponſio.*

VII. Ab ea inſolubilitate oritur celeberrimus ille effectus, vt votum ſolenne caſtitatis matrimonium ratum, ſed nondum conſummatum reſoluat, & poſtea contrahendum penitus impediat, faciatque irritum. Nam cum huius voti, quàm illius matrimonij perfectior ſit traditio, & vtrinque reperiatur quidem vinculum, ſed alterum altero ſtrictius & validius, illud huic cedere neceſſe eſt, & deſinere matrimonium adhuc quodammodo imperfectum, adueniente maiori & nobiliori ſpiritalis matrimonij vinculo. Sic & de ſponſalibus philoſophari poſſumus, quæ iam inita ſolui nihilominus per votum ſuſcipiendi ſacros Ordines multi probabiliter affirmant: omnes autem irritati per votum ineundæ Religionis conſtanter aſſeuerant. Sic enim ſe habet hoc votum ſimplex ad ſponſalia, vt ſolenne ad matrimonium ratum. Subſequentis quoque matrimonij, per hoc votum irritati, non eſt diſpar ratio. Nam quia iam perfectiſſimè traditus eſt homo Deo, & Eccleſiæ per miniſtros acceptanti, ſuique plenum dominium in eos tranſtulit, quomodo tandem illo ſtante vinculo ſibi Deoque ſurripere ſe poteſt & vxori tradere, vt fiat vnus cum ea ſpiritus, & vna caro? Adulterium ſpiritale facinus hoc Patres appellant, intolerabilem perfidiam & palmarem viri ſemper viuentis iniuriam. Et hæc quidem prærogatiua votis ſolennibus donata eſt, ſcribente Pontifice, *Reliqua vota etſi quandoque impediant matrimonium contrahendum, non tamen reſcindere poſſe matrimonia iam contracta*: non tamen ſolis, omnia in vniuerſum vota ſimplicia excludendo: indulſit enim Eccleſia ſimplici voto Caſtitatis in Societate Ieſu, illam contrahendi matrimonij inhabilitatem, & eius *contractum nullum & irritum eſſe, ante abſolutionem* illius voti, *& à Societate dimiſſionem*: cum ex aduerſo ſimplici paupertatis voto, non conceſſerit inhabilitatem ad dominium aut acquirendum, aut retinendum. Vt hinc etiam videas proprietatem, quæ nobis in quæſtione eſt, cum ſolenni voto in ſecundo gradu coniunctam eſſe, priorem autem ad quartum progredi: præterea Eccleſiam eſſe iuris iſtius artificem, quæ ſolennitatis effectum vni vero & ſubſtantiali Religionis voto aſſignat, & non alteri, cum vtrique poſſet concedere,

*Effectus ſolennitatis irritatio matrimonij contrahendi.*

In 6. c. vnico cit.

Greg. 13. Bulla cit.

vtrique negare: agnoſcatque Petrus Aurelius conuiciorum ſuorum lepore, cum iſtud diſcrimen ſubſannat, Eccleſiam a ſe & eius Principes, non vt arbitrarur, Ieſuitas derideri. Er hæc de ſubſtantiali voti ſolennitate.

VIII. De accidentali verò præfatus ſum, conſiſtere illam in circumſtan- *Solennitas accidentalis.*
tijs & accidentibus extetnis, quæ neque voti, neque ſolennitatis eſſentiam attingunt, qualia ſunt veſtium benedictio, publica voti nuncupatio, preces pro vouente conceptæ à Sacerdote, & ſimilia: quibus cæremonijs ſi deeſt Eccleſiæ per miniſtros acceptatio voti in ſolenne Religionis aut Ordinis ſacri, perpetuum, & modo explicato indiſſolubile, matrimonium irritans & dirimens, publicum eſſe poteſt, & ſolenne accidentaliter nuncupari; verè, pro- *Votum publicum.*
priè, ſubſtantialiter ſolenne cenſeri non poteſt. Hoc agnoſcere videtur Bonifacius Pontifex, cum ſcribit, *Quantò manifeſtiùs ſunt emiſſa* (vota à ſolennibus diuerſa) *tantò propter plurium ſcandalum & exemplum duriorem pœnitentiam tranſgreſſoribus deberi*. Hoc D. Thomas expreſsè publicum nominat, coram multis factum, & eius ſolennitatem *humanam* appellat, ſubſtantiali autem *Solennitas humana.*
ſolennitati *diuina* nomen attribuit. Hoc Eccleſia in Societate Ieſu vigere voluit, in qua Coadiutorum formatorum vota publicè in Templis emittuntur, ad formam Dauidicæ pietatis, *Vota mea Domino reddam in conſpectu omnis po-* *Pſal. 115.*
*puli eius, in atrijs domus Domini, in medio tui Ieruſalem*: ſimplicia tamen ſunt, non ſolennia, ex intentione emittentis & acceptantis, volente Romano Pontifice, vt nec emittantur tanquam ſolennia, neque pro talibus acceptentur. Indulſit tamen eadem Sedes Apoſtolica, vt quemadmodum primis votis, caſtitas matrimonij diremptrix eſt, ita ſecundis iſtis, paupertas dominij omnis aut acquirendi, aut in alium transferendi ſit incapax, quæ eſt ſubſtantialis ſolennitatis affectio. Habet igitur ex inſtituto Eccleſiæ Societas Ieſu vota *Votorum diuerſitas in Societate Ieſu.*
ſimplicia priuata poſt tirocinium, vota ſimplicia publica in Coadiutoribus formatis, vota ſolennia in Profeſſis. Et quemadmodum è Græcorum Euchologio paruum & magnum habitum in veteribus Monachis ſuperiùs conſiderabamus: ſic in nouo iſto Ordine; paruum & magnum ſchema diſtinguere poſſumus.

Sed obijcit ſe duplex animo ſcrupulus D. Thomæ dictum reuoluenti. Nam *1. obiectio.*
ſi harum ſolennitatum altera diuina tectè dicitur, humana altera, quomodo vtraque iuris tantùm Eccleſiaſtici, ac non potius ſubſtantialis ſolennitas diuini iuris, accidentalis Eccleſiaſtici eſſe perhibetur? Præterea cum diuini iuris *2. obiectio.*
infractio longè grauior ſit quàm humani, quomodo cum illa diuinæ & humanæ ſolennitatis diſtinctione, ſtare poteſt Cœleſtini Pontificis dictum, votum ſimplex non minùs obligare apud Deum, quàm ſolenne? Reſpondeo ad *Reſponſio ad 1.*
primum, ſolennitatem ſubſtantialem Doctoris Angelici ſententia, diuinam dici & ſpiritalem, quia in re ſpiritali conſiſtit, quæ ad Deum pertinet, videlicet in benedictione & conſecratione, cuius Deum auctorem eſſe vult: quam opinionem cum neque fidelis eius interpres Caietanus, neque alij probauerint, in aliam nos iuiſſe pedibus, quæ maiorem veri ſimilitudinem præfert: in qua ſubſtantialis ſolennitas ex mero Eccleſiaſtico iure procedit, quæ & ipſa diuinæ & ſpiritalis appellationi participare poteſt, quatenus emittentis admittentiſque mente conficitur, cum ordinem ſacrum, & Religionem approbatam profitetur, eumque Deo ſtrictiùs alligat: quem potiùs reſpicit quàm homines, externas cæremonias nulla neceſſitate requirendo, quæ ſæpè

1 Reg. 16. homines veriùs quàm Deum reſpiciunt: *Homo enim videt ea quæ parent, Deus autem intuetur cor.* Vnde cæremonialis illa, vt ſic loquar, & externa ſolennitas, quæ voto publico ſolet adeſſe, humana nuncupatur.

*Reſponſio ad 2.* Ad alteram dubitationem ex vtriuſque voti obligatione prognatam, aio Pontificis dictum ſpectata voti natura, & vouentis Deique acceptantis reſpectu, verum eſſe. Vt enim antea notabamus votum quodlibet nullis temporum terminis concluſum, de ſe perpetuũ eſt, & à ſolo ſuperiore, aut poteſtatem habẽte validè liciteque ſolui poteſt: itaque ſi quis ſua ſpõte illud violat, ſiue ſimplex ſiue ſolenne, vnius eiuſdemque ſpeciei peccatum perpetrat. Sed quia ſolennitas accidentale nõnihil adijcit ſimplicitati, fatendum eſt magis & minùs grauiter in ea diuerſitate peccari. Eſt enim maior voluntatis deliberatio, & obſtinatio, & quaſi radicatio in bono, cum ſolenne, quàm cum ſimplex votum concipit; perfectior eſt in ſolenni hominis traditio, adeoque maior in tranſgreſſione violentia, dum ſe ab obiecto cui validè adſtrictus erat, auellit: maiorem Eccleſia ſuſtinet infamiam, quæ per miniſtros admiſerat, quod ſumma cum leuitate ſurripitur: fœdiore ſcandalo concutitur populus, publicæ profeſſionis & ſuſcepti ordinis teſtis & exactor aſſiduus. Denique *votum ſolenne,* inquit S. Thomas, *habet fortiorem obligationem apud Deum, quàm votum ſimplex, & grauiùs peccat qui illud tranſgreditur:* ſpeciem tamen peccati non mutat ſolennitas.

*Grauior eſt infractio voti ſolenni, quam ſimplicis.*

*Solennitas accidentalis eſt ab initio in Eccleſia.* IX. In his ſolennitatis affectionibus antiquitatem requiret aliquis curioſiùs ſanè quàm vtiliùs. Quid enim refert quàm cana ſit inſtitutio, ſi proba & ſancta eſt? Concilia Generalia aut particularia nihil mutant, nihil innouant in Eccleſia? Dico igitur vniuersè, ſolennitatem ab Eccleſia inſtitutam, à pijs Clericis & Religioſis deuotè ſuſcipi, ſolis hæreticorum aut malè de fide Catholica ſentientium conuicijs peſſundari: antiquitatem exquirere tantùm eos, qui de ſanctitate dubitant. Ne quis hoc tamen velut effugium accipiat, de continentia in qua propriè verſamur, & ſolennitate accidentali, de qua proximè ſermo fuit, illam aio in Clericis Regularibuſque cum Eccleſia natam eſſe, ſi qua Dionyſiacæ fides Hierarchiæ, vbi Monaſticæ conſecrationis myſterium euoluitur, tacitis quidem votis, ſed eorum vſu non obſcuro, vt ante monſtratum eſt. Atque ea inſtitutio ſic narratur, tanquam communis in Eccleſia & vſitata, non minùs quàm Baptiſmi ritus, chriſmatis applicatio, myſterium Synaxeos, Hierarcharum Sacerdotumque ordinatio. Æqualis eſt & virginum conſecratio in celebri Flauiæ Domitillæ voto

*Virginum conſecratio antiquiſſima* per Clementem (cui S. Dionyſium debet Gallia) ſuſcepto, narrante eius vita dictum ab Eunucho, *Cupit virginitatis ſuæ votum manus tuæ velamento ſacrari.* Cui obſecundans ſanctus Pontifex, *abijt ad Domitillam, eamque conſecrauit.* Cui facto ritus alios deinde addidit Eccleſia, quos illa fortaſſe tempeſtate nondum aut adinuenerat, aut vſurpare poterat, tyrannicis vexationibus vndecunque agitata, quos ſuo loco à nobis indicatos meminiſſe tantùm oportet, quò hanc, vt minimum accidentalem ſolennitatem, in ipſa Euangelij origine viguiſſe fateamur.

Sur. in vita Nerei & Achill. 12. Maii.

VOTI

*VOTI SOLENNIS ANTIQVITAS exquiritur.*

§. IIII.

X. De ſolennitate verò ſubſtantiali & præcipua, obſcurior diuinatio, in qua ſolennitatis ipſius vocabulum requirendum non eſt; neque caſtitatis profeſſio in Religione approbata per ſedem Apoſtolicam, cum hæc approbatio recentior ſit: neque perfectiſſima traditio, & acceptatio, publico Eccleſiæ facta nomine, cum ea res quæ primis illis ſine dubio fiebat temporibus, iſtis nominibus poſtea fuerit indicata: ſed inſolubilitas, & quæ ex ea procedit matrimonij irritatio, qui ſunt effectus explicari, vt quam non poſſumus apertè à priori, non inefficaciter à poſteriori ſolennitatis antiquitatem oſtendamus. In hac autem probatione, velut in obſcuro lentè progrediendum eſt, & premenda in ſingulis gradibus veſtigia.

*Solennitatis ſubſtantialis antiquitas quomodo inueſtiganda.*

Certum enim eſt à Bonifacio VIII. inductam primùm continentiæ votiuæ matrimonium irritantis ſolennitatem non fuiſſe. Siquidem rogatus, *Quod votum debeat dici ſolenne, & ad dirimendum matrimonium efficax?* Reſpondet, *voti ſolennitatem ex ſola conſtitutione Eccleſiæ inuentam eſſe.* Interrogatur ergo de eo more qui iam vigeret, eumque inuentum iam ante ſua tempora, teſtatur ab Eccleſia. Quid igitur recens in Eccleſiam Bonifacius inducit? Non ſolennitatem, ſed certam & ſtabilem ſolennitatis ſedem, in Ordine ſacro, & Religioſa profeſſione. Nam cum olim Epiſcopi ſinguli Religiones approbarent, vota ſuſciperent, Virgines conſecrarent, ſuo quiſque arbitrio votis illis firmitatem & inſolubilitatem imponebant ad arbitrium, alius in hac, alius in illa re collocabat: vnde factum vt quod hic ſolenne erat, alibi ſimplex cenſeretur; quod in Gallia ſimplex, in Africa ſolenne putaretur. Quæ diuerſitas Biterrenſem Epiſcopum virum ſapientem cum perturbaret, à Chriſtianæ Religionis oraculo, certam poſtulauit regulam, qua ſolenne votum à ſimplici diſcerneret. Expreſſit Pontifex, quod antea parum certum videbatur, in Clericis caſtitatem, in Religioſis approbatis vota ſubſtantialia ſolennitatem ſortiri. Sic data ſolennitas Paupertati & Obedientiæ Religioſæ, & votis nonnullis priuatas Religiones à cæteris diſtinguentibus: & appoſita conditio, vt ea in approbata per Summum Pontificem Religione concipiantur: quæ eſt ſolennitatis coarctatio, non inſtitutio.

*Non eſt inuenta à Bonifacio 8.*

*Sed certà in rebus conſtituta.*

Toto ſeculo Bonifacium præceſſit Innocentius II. qui voce ſolennitatis abſtinens, effectum decernit vni continentiæ ſiue Clericali, ſiue Religioſæ, vt ea poſſit matrimonium dirimi, ſtatuto in Generali Concilio Lateranenſi primùm vt Subdiaconi, & ſuperiores Ordines *qui vxores vel concubinas habuerint, officio & beneficio careant*; quia ſunt *templum Dei, vaſa Domini, ſacrarium Spiritus Sancti.* Deinde vt eiuſmodi Sacerdotum Miſſas nullus audiat, quod à ſuperioribus Pontificibus decretum iam antea non tacet. Tum ſubdit eodem ipſo capite quæ referuntur à Gratiano. *Vt autem lex continentiæ, & Deo placens munditia in Eccleſiaſticis perſonis, & ſacris Ordinibus dilatetur, ſtatuimus quatenus Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Regulares Canonici, Monachi, atque Conuerſi profeſſi, qui ſanctum transgredientes propoſitum, vxores ſibi copulare præſumpſerint, ſeparentur.* Et infra *Idipſum quoque de ſanctimonialibus feminis, ſi, quod abſit, nubere*

*Innocentius 2. an tribuerit effectum ſolennitatis.* Concil. Later. c.6.

*attentauerint, obſeruari decernimus.* De *Perſonis* agit Concilium, & in iis *ſtatuit* non inſtitui de nouo, ſed *dilatari* continentiam matrimonium dirimentem, quæ in Subdiaconis, Monachis, Conuerſis, Sanctimonialibus ante fortaſſe non parebat, cum eſſent iſti votis tantùm ſimplicibus irretiti, & ſuperiorum decreta Pontificum ſeuerè non obſeruarentur. Quid autem eius ſeparationis nomine Patres intelligant, non obſcurè declarant. *Huiuſmodi namque copulationem, quam contra Eccleſiaſticam regulam conſtat eſſe contractam, matrimonium non eſſe cenſemus.* Hic Suarez opportunè verba duo expendit, vt ex iis deducat nouam non eſſe in illis conſtitutionem, ſed potiùs veteris confirmationem. Primum eſt, hæc matrimonia eſſe *contra Eccleſiaſticam regulam*, quæ certè voti obligationi aliquid addidit. Habebat ſiquidem votum caſtitatis ex iure diuino & naturali vt matrimonium impediret; ſaltem indirectè, quatenus obligat ad fidem Deo ſeruandam: *Eccleſiaſtica regula* fecit vt dirimeret: ſiquidem ex regula iuris, lex prohibens actum directè, & ſecundum ſe, irritat illum: quam legem nouè latam à ſe Concilium non ſignificat, ſed potiùs antiquam eſſe, & vſu communi in Eccleſia receptam. Alterum eſt verbum *cenſendi* quo Patres vtuntur: quod vt ſummum ambiguæ ſignificationis eſt, cum aliquando idem ſit quod arbitrari & iudicare, aliàs idem quod præcipere & conſtituere. Quis autem credat in nouo iure conſtituendo voce dubia tot tantoſque Patres vſuros? Cur præcisè de Subdiaconis & Sanctimonialibus agentes *decernere* ſe aiunt? cur Eccleſiaſticas enumerantes perſonas *ſtatuere* ſe dicunt, vt omnes illæ eo decreto comprehendantur: in decreti autem proferenda ratione *cenſendi* verbum mitius, & anceps adhibent, niſi quia veterem legem, ſiue *regulam Eccleſiaſticam*, quæ fortaſſe perperam à nonnullis in alium ſenſum detorquebatur, ſic intelligendam eſſe declarant? Adde quòd Clementinæ I. Gloſſa ſubtiliter notauit, quando conſtitutionis ratio eſt antiqua, tunc verbum *cenſendi* declarationem iuris antiqui, non conſtitutionem noui ſignificare. Itaque ſiue rationem illam eſſe voles, quòd ſint *matrimonia contracta contra Eccleſiaſticam regulam*; ſiue quòd Subdiaconi, (idemque de aliis Eccleſiaſticis perſonis quæ numerantur intellige) ſint *templum Dei, vaſa Domini, ſacrarium Spiritus Sancti*, vtranque rationem illo Concilio & Pontifice ſuperiorem eſſe nemo ſapiens negauerit. Superiorem igitur fontem veſtigare nos oportet, poſtquam tria Lectori inculcauerimus. 1. *Separandi* verbum ad nuptias non tantùm illicitas, ſed etiam nullas & irritas pertinere; vt cum ea vox in aliis Conciliorum Pontificumque decretis reperietur, non ſemper ſolam peccati pœnam, ſed etiam aliquando irritationis declarationem ſignificare credatur. Hæc enim irritatio pœna non eſt, quando poſt eam ſeparationem, eos pro ſacrilegii crimine *condignam agere pænitentiam* iubet Concilium. 2. Superiore Bonifacii decreto conſtricta vota, & certis ſtatibus alligata, iſto dilatatas perſonas; vtraque irritum declarari matrimonium, neutro illud recens inſtitui. 3. Inter Eccleſiaſticas perſonas, à maximo Concilio Epiſcoporum mille, numerari *Monachos, Conuerſos, Sanctimoniales feminas*, vt nobis tanta fultis auctoritate, debeat ignoſcere Franciſcus Hallier, ſi Monachos negamus Laïcis eſſe accenſendos.

*Explicatur Innocentii decretum.*

*Suar. tom. 3. de Reli. l. 9. c. 21. n. 10.*

*Cenſere quid ſignificet.*

*Quid Calixtus 2. & Vrbanus 2.*

Innocentii Pontificatum aliquot annis præceſſit Calixtus II. cuius edictum idem pene eſt, cum ante prolato, poſtea ſcripto, quod tamen ipſum Vrbano II. qui Calixtum ſuperat ætate, attribuit Gloſſa Gratiani; eoque vetantur in

maioribus

maioribus ordinibus conſtituti, & Monachi, *matrimonia contrahere, contracta* Diſt. 27. c.
*disiungi* iubentur, *& persona ad pœnitentiam redigi, iuxta ſacrorum Canonum defi-* Presbyte-
*nitiones.* Quod conſtitutum lucem accipit à ſuperiori, vt imperata diſiunctio, ris.
nihil ſit aliud quàm matrimonij irritatio, quæ tamen neque ab Vrbano, ne-
que à Calixto adinuenitur, ſed iuxta Canones facienda vrgetur.

Hos Canones profert Concilium Turonenſe ſub Ioanne III. circa annum *Concilij*
reparatæ ſalutis 570. in cauſa Virginum velatarum: quorum aliqui volunt eas *Turonenſis*
ſi nupſerint, *cum his quibus ſe alligauerunt communione priuari, ita vt eis poſtulanti-* *2. ſententia.*
*bus pœnitentia non negetur, ſed communio multo tempore differatur.* De irrito matri- cap. 21.
monio nulla hic mentio: ſed inferiùs Patres Concilij iubent eos excommu-
nicari, *ſi eſſe ſeparati noluerint.* De Monachis autem præcisè præcipiunt, vt ſi Ibid. cap.
quis *vxorem duxerit, excommunicetur, & de vxoris malè ſociata conſortio, etiam iu-* 16.
*dicis auxilio ſeparetur.* Si iudex id recuſet facere, excommunicetur: ſi alicuius
potentioris auctoritate ſe tuetur ille Monachus, cum ipſo ab Eccleſia ſegre-
getur. Quæ omnia tanto cum diſciplinæ vigore prolata & inculcata, plus ali-
quid, quàm contractas poſt votum ſimplex nuptias eloquuntur, quibus im-
poni poterat ob profanationem ſacrarum perſonarum dura & diuturna pœ-
nitentia, at non exigi ſeparatio, vt ordinaria diſpenſatione ratum haberetur
matrimonium. Denique *non alijs verbis,* vt notat Suarez *ſolent noua iura in-*
*ualiditatem talis matrimonij nobis ſignificare.* Quamobrem ad eundem ſenſum re-
uocandi ſunt affines iſtis Canones, quos in Gratiani collectione legimus.

Sed ecce ab eo Concilio ad Innocentium I. remittimur, epiſtola ad Victri- *Innocentij I.*
cium Rothomagenſem. Quid igitur ille? Virginum duo genera diſtinguit, *decretum*
velatarum, & nondum velatarum: in his votum agnoſcit, & ſi labuntur, le- *explicatur*
uem iniungit pœnitentiam; illarum libidinem longè ſeueriùs compeſcit. Et ep. ad Vict.
operæ pretium eſt audire decretum. *Quæ Chriſto ſpiritaliter nubunt, & à Sacerdote* Roth. c. 12.
*velantur, ſi poſtea publicè nupſerint, non eas admittendas eſſe ad pœnitentiam agendam,* habetur 27.
*niſi hi quibus ſe iunxerant à mundo receſſerint:* quia ſpecies adulterij eſt viuente q. 1. Quæ
ſponſo qui immortalis eſt, ad humanas nuptias conuolare. Non ſunt eæ nup- Chriſto.
tiæ, ſi vocari poſſunt adulterium: eas verò magnopere horret Pontifex, ſi negat *Virgines*
pœnitentiam ante mortem ſubſeſſoris, ne quo ſacrilegio celebre illud votum *velatæ.*
in Dei contumeliam violauit, eadem audacia magnæ pœnitentiæ ſanctita-
tem, vel in eius curſu, vel poſt reconciliationem repetito ſcelere, in Eccleſiæ
dedecus peſſundet. Non erunt igitur legitimæ vnquam nuptiæ, etiam auſtera
redemptæ pœnitentia, vt votum illud abſque dubio dirimendi matrimonij
potens eſſe iudicetur. Concilium Eliberitanum non poſtulat vt mœchi mors Concil.
expectetur, ſed ſi Virgines illæ ſacræ corporis infirmitate lapſæ ad ſanam men- Elib. c. 13.
tem redierint, abſtinere in poſterum coitu, & tota vita pœnitentiam agere iu- habetur
bentur, & ſic *in fine communionem accipere.* Seuera profectò pœna, impoſita adul- ibid. c. Vir-
teris, & grauiſſimorum criminum reis, vt ſimplici voto illigatas non putemus, gines.
& illegitimas ſciamus eſſe nuptias, à quibus abſtinere oporteat.

De ſimplici autem voto ſic loquitur Innocentius, *Hæ verò quæ necdum ſacro* *Virgines nō*
*velamine tectæ* (cuius proinde candidatas ſe profitentur) *tamen in propoſito vir-* *velatæ.*
*ginali ſemper ſe permanere ſimulauerunt.* Votum emiſerunt virginitatis, quo ad Innoc. ibi.
eius virtutis perpetuam ſub ſacro velo profeſſionem deuenturas ſe promiſe- c. 13. habe-
runt: quæ tamen promiſſio ſimulationi proxima eſt, quia leuis & inconſtans: tur ibid. c.
quemadmodum ſi quis è regulari tirocinio ſola animi leuitate, nulla proba- Hæ verò.

bili cauſa digreditur, is Religioſæ profeſſionis voluntatem ſimul laſſe dici poteſt. Quæ in Gratiani gratiam affertur à nobis explicatio, vel potiùs Turonenſis Concilij, in quo locus iſte ijs quæ protulimus verbis concipitur: cum ſimpliciùs ipſa Innocentij Epiſtola dixerit, vt à P. Iacobo Sirmondo eſt edita, *in propoſito virginali ſemper manere promiſerant, licet velata non ſint*, quamuis adhuc ſolenni virginitatis flammeo conſecratæ non ſint, *ſi forte nupſerint, his agenda aliquanto tempore pœnitentia eſt, quia ſponſio earum à Domino tenebatur*: nulla quidem ſolennitate hominibus cognita votum caſtitatis conceperant, ſed tamen Deo iudice voto ſimplici erant conſtrictæ: quod deinde cum bonæ fidei inter homines contractu comparat, & Viduis quæ ab Apoſtolo memorantur peiores eſſe declarat, quia *pactionis ſuæ fidem minimè ſeruauerunt.* Votum igitur Pontifex in ijs agnoſcit, ſed ſimplex, quo matrimonium non ſoluitur, cuius violatio leuiore pœna caſtigatur. Eadem planè Viduarum conditio, quæ quia veli ſacri accipiendi ab Hierarchis iure carent, ſimplex & ipſæ continentiæ votum poſſunt emittere: de quo, non autem de ſolenni, per ſanè difficilem S. Auguſtini locum, eo ſeculo florentis, vult Gratianus intelligi, verè quidem, ſed toti euellendæ difficultati non ſatis completè: eſt autem illa iſtiuſmodi.

Concil. Gallic. tom. 1.

Diſt 27 ad c. Presbyteris.

*Explicatur S. Auguſt. locus de nuptijs poſt votum continentiæ.*

l. de bono vidu. c. 8. habetur 27 q 1 c. Nuptiarum bonũ.

Viduam voto continentiæ obligatam magnus Doctor inſtituens, & ſanctam viduitatem ſuis exornans præconijs, tria docet hoc propoſitum ſpectantia. Primum, Viduas poſt votum continentiæ ſi nupſerint, grauiter peccaturas: quod Innocentius de Virginibus non velatis, & alij Pontifices Doctoreſque, poſt Apoſtolum magno conſenſu reſpondent. Alterum, nuptias nihilominus cum illo ſcelere contractas, ratas eſſe, & validum matrimonium. Quod innuit tacitè Innocentius, cum pœnitentia contentus, ſeiunctionem non requirit. Tertium in quo vis difficultatis, illorum qui tales nuptias inualidas eſſe volunt & irritas, falſam eſſe rationem, & *minùs conſideratam opinionem.* Eſt autem ratio à Pontifice producta, à Concilio Turonenſi recitata, cur velatarum Virginum matrimonia ſtare non poſſint, quæ ſunt potiùs adulteria, quia viuo Chriſto cui ſe addixerunt, alteri nubere præſumunt: eam S. Auguſtinus ſubtiliter peritéque confutat, ijs argumentis quæ apud ipſum videre eſt. Quibus poſitis apertum eſt dilemma: ſi vera eſt Innocentij ratio, nullæ nuptiæ poſt votum caſtitatis ratæ ſunt, non Virginum necdum velatarum, non Viduarum: ſi certa & proba S. Auguſtini refutatio, omnes nuptiæ poſt votum caſtitatis ratæ ſunt, etiam Virginum velatarum. Quamobrem ſi ex illo effectu penditur voti continentiæ ſolennitas, vel ſolenne nullum eſt, vel omnia ſolennia. Illi nodo cuneum adferam, ſi dixero Pontificis Innocentij ſententiam veram eſſe & ſecuram; at rationem qua confirmatur opinio, plauſibiliorem eſſe quàm fortiorem: quæ vt optimè confutatur à S. Auguſtino, ita populariter tantùm affertur ab Innocentio. Nam quòd irritum ſit matrimonium Virginum velatarum, non facit Chriſti ſponſi immortalitas, cui viuo alium hominem ſuperinducere ſit adulterium propriè & ſtrictè loquendo: ſed Eccleſiæ ita ſtatuentis auctoritas, quæ eundem voto ſimplici caſtitatis characterem non impreſſit. Quid igitur cauſæ eſt cur hanc Pontifex rationem tacuerit, illam protulerit? Quia hæc communi & generali Eccleſiæ conſuetudine recepta non erat; cum vt diximus ſingulorum Epiſcoporum his in rebus magna vis eſſet, & poteſtas; atque hic ipſe ſanctus Pontifex, *formam quam tenet Eccleſia*

*Conciliatur dictum Innocẽtij cum ſententia Auguſtini.*

*Eccleſia Romana* in Gallias ea epiſtola conetur inducere. Alia autem cauſa prorſus omnium animis ad virtutem & honeſtatem tendentibus excipienda videbatur, licet difficultatem quam periti ſoli viderent, pateretur.

Itaque decretum Innocentij I. ſic habet, quod tamen ab eo non eſt primitus excogitatum: id enim conceptis ipſe verbis profitetur, *Non quò noua præcepta aliqua imperentur, ſed ea quæ per deſidiam aliquorum neglecta ſunt, ab omnibus obſeruari cupiamus: quæ tamen Apoſtolica & Patrum traditione ſunt conſtituta.* Bonum factum; dum gradatim aſcendimus, & ſecula ſeculis rimando contexímus, dum perennem conſuetudinis fluxum ſequuti, ſurſum ad fontem regredimur, illum eadem opera in *Apoſtolica traditione*, & vſum in perpetua memoria inuenimus: vt iam quærenti, quàm ſit antiqua voti continentiæ matrimonium irritantis ſolennitas, Innocentij I. auctoritate fretus reſpondere non dubitem, eſſe *Apoſtolica, & Patrum traditione conſtitutam,* à ſecutis Pontificibus, vt poſcebant tempora explicatam, conſtrictam, amplificatam. *Effectus ſolennitatis eſt ab Apoſtolica traditione.*

Quæret hic aliquis, illa ſolennitatis prærogatiua, tam antiqua in vſu Eccleſiæ, tam inolita, qui tandem ad ſtatus Religioſi dignitatem conferat, cum in Virginibus conſecratis ſolùm à nobis monſtrata ſit? Reſpondeo non deeſſe Theologos qui Virgines eiuſcemodi verè proprieque Religioſas trium obſeruatione votorum fuiſſe opinentur. Et certè Philippus Gamalchæus Doctor Pariſienſis, qui voti ſolennitatem in explicato irritationis matrimonij effectu collocat, votum in Malcho Monacho ſolenne agnoſcit, quem refert S. Hieronymus herili coactum tyrannide, cum muliere concaptiua nuptias iniiſſe, ſed eas tantùm ſimulatas, proindeque irritas. A Tiberiano quoque hæretico filiam ſanctimonialem nuptui datam ait, ex eodem S. Hieronymo, ſed eas nuptias veras ſolidaſque non fuiſſe. De Gordiana quoque ſanctimoniali S. Gregorij amita, quæ conductori agrorum ſuorum nupſit, eam ſubijcit dici à Pontifice ſanctiſſimo, eſſe damnatam: nimirum quoniam thorus ille legitimus non erat, ſed perpetua fornicatio. Suarez autem de his ipſis Virginibus cõſecratis pronunciat verè proprieque Religioſas fuiſſe, etiam eas quæ extra Monaſteria in parentum domibus ſanctitatem illam ſub veli religione, & cura Epiſcopi profitebantur. Quam ego ſententiam ſatis incertam eſſe arbitror: cumque Suari conceſſero modum illum Religioſi ſtatus in priuata vel ſolitaria vita eſſe poſſibilem, & eiuſmodi extitiſſe conſecratas aliquas Virgines; id mihi tamen de omnibus ægrè perſuaſerit; cum multas offerant fideles hiſtoriæ, ſola virginitate velata ſpectabiles; in quo vno voto ſtrictam Religionis eſſentiam non collocat. Exempla pariter à Gamaſchæo prolata, vel incerta ſunt, vel aliena. Siquidem ſimulata Malchi coniunx, viuo adhuc marito copulata erat, vt ſi vel ſimplex Malcho votum caſtitatis defuiſſet, ad tales nuptias conuolare non potuiſſet. Tiberianus hæreticus bis lapſus, quò virginem filiam per vim adegerit, curandum non eſt, neque diſputandum, fuerint-ne illæ legitimæ nuptiæ, aut ſecus? In facto Gordianæ par conſideratio, quam voti violati iure optimo reprehendit Gregorius; at fuiſſe illud ſolenne, aut irritas nuptias, nuſquam ſignificat.

*Effectum illi ſe fuerit necne olim in ſtatu Religioſo.* Gamac. in 3. p. de ſacr. Matr. c. 18. Hier. in vita Malchi. Idem l. de ſcript. Eccl. c. 135. Suar. tom. 3. de Reli. l. 1. c. 4. n. 8. *Refellitur ſuperior reſponſio.*

Itaque certiùs Reſpondeo, fuiſſe ſolennem quoad hunc effectum caſtitatem in aliquo ſtatu Religioſo, ijs in regionibus in quibus Hierarchæ Virgines conſecratas, vel in Monaſterijs, vel in priuatis domibus, habebant pro ve- *Non omnis caſtitas religioſa habuit ſolennitatis effectum.*

ris perfectiſque Religioſis. In pleriſque autem Monachorum Ordinibus, non habere me quo validè demonſtrem, illud voti genus priſcis temporibus ſolennitate ſua diremiſſe matrimonia: neque verò id à nobis magnopere requiri oportere, cum in hac perfectione tantum accidentali, externa, & meræ inſtitutionis Eccleſiaſticæ, Religioſi ſtatus diuinitus inſtituti, cum Euangelio nati, non ponatur eſſentia. Addo tamen tantæ ſemper venerationi fuiſſe votum caſtitatis; vt qui eo licet ſimplici exciderent, non ſine infamia inter fideles viuerent, & apoſtataſſe putarentur. Sic enim S. Gregorius loqui non veretur de viduis, in quibus ſimplex votum ſpectauimus: *Quantò magis viduæ, quæ habitum Religionis aſſumpſerunt, & demum apoſtatauerunt, atque ad priorem vomitum ſunt reuerſæ.* Quod ab Apoſtolo dicitur, *primam fidem irritam facere*, & expreſsè in alia ſcriptura, *Virum & mulieres apoſtatare faciunt ſapientes.* Eundem præferunt ſenſum conſimiles Conciliorum locutiones: vt in Arauſicano legimus, *Viduam profeſſionis deſertricem*: in Toletano, *Feminæ venientes ad ſacram Religionem, non ſinantur relabi ad præuaricationis audaciam.* Quòd ſi vnius voti tranſgreſſio ab antiquis Patribus & Concilijs, apoſtaſia rectè vocata eſt, quis iure ſuccenſeat, eos qui à Religioſæ vitæ ſanctitate tribuſque votis, impellente diabolo per ſummam in Deum perfidiam deficiunt, vulgò apoſtatas nominari?

*Apoſtatare à Voto.*

17 q. 1. cit. C. Viduas.

Eccl. c. 19.

Ibid. c. Viduitatis.

Ibi. c. Omnes feminæ.

## PAVCA QVÆDAM RELIGIOSÆ CASTITATIS neceſſitati à Petro Aurelio oppoſita diluuntur.

§. V.

CASTITATIS votum à Religioſa profeſſione, vt auellat Petrus Aurelius, romphæam coruſcat vtraque parte acutam, & modò ſolitariam, modò cum Sacerdotali comparatam aggreditur: hac longè inferiorem dignitate, firmitateque conficit, quod expendere non eſt huius loci ac temporis. Solam verò cum ſpectat, nulla neceſſitate cum ſtatu Religioſo coniunctam eſſe, duobus potiſſimùm argumentis comprobat, auctoritate & exemplo. Auctoritatem ſic vrget. Apoſtolicorum temporum fideles, forma & exemplar Monaſticorum fuerunt inſtitutorum. Hoc ſi de eximia fidelium parte vult intelligi, qui viam inibant perfectiſſimam, id ipſi eò libentiùs concedo, quòd illud ipſum ab alijs antiregularibus video pernegari: ſolent enim qui à ſcopo veritatis aberrant, ferire inuicem & collidi. Proſequitur Aurelius, Quamobrem *Petrus Bleſenſis ad hoc exemplum, regularis ſtatus ſubſtantiam collocat in caritate fraterna, in communi ſubſtantia, in communi obedientia: quæ tria, inquit, caput ſunt Monaſticæ Religionis. Caſtitatem omittit, quia eam non reperit in primo illo cœtu, à quo tamen regularis ſtatus perfectionem repetendam eſſe ait.* Eodem colliment, qui quoniam laudari ſæpè à Religioſis ſcriptoribus audiunt Apoſtolicos illos pauperes, qui venditorum lariſundiorum pretium ad Apoſtolorum pedes abijciebant, præcisè ſibi reſponderi poſtulant, eos-ne tum Religioſos, aut Religioſorum formam fuiſſe agnoſcamus? Hinc enim, cum illi matrimonio coniuncti fuerint, vt ex Anania & Sapphira perſpicuum eſt, ſequi volunt votum caſtitatis ad Religioſi ſtatus perfectionem neceſſarium non videri. Quibus tam expeditè probabiliterque ſatisfieri poteſt, vt mirum ſit à cordatis

*Aurelius auctoritate Petri Bleſenſis impugnat* in Vind. pag. 672.

Petr. Bleſenſ. ferm. 4. & 50.

*Lemuar obiectio naturaliſ ſolutur.*

datis

datis viris poſſe obijci: habuiſſe illos priùs vxores, quàm Religioſum ſtatum amplecterentur, ſed poſt eam profeſſionem illarum vſu ſibi interdictum putaſſe: idque eo factum ſeculo, quo Apoſtolorum plurimi à matrimonio ad Chriſtum venerunt, quo Epiſcopi Epiſcopas, Preſbyteri Preſbyteras, Diaconi Diaconas repudiare vetiti ſunt, dummodo carnalibus liberis operam non darent. Itaque leuiſſima hac ratione breuiter eleuata, ad Petri Aurelij, Petrum Bleſenſem regredior, & nego hunc ab illo vel lectum eſſe, vel intellectum.

Nam ſi credit Petrus Aurelius actum eo loco à Petro Bleſenſi de *ſtatus regularis ſubſtantia*, id eſt, votis ſubſtantialibus, quæ ad conflandam eſſentiam neceſſaria eſſe pugnamus, errat profectò, cum nullus vnquam Theologus, Canonum interpres nullus, nullus in Eccleſia Pontifex, *caritatem fraternam* in eo ſubſtantia nominarit. Deinde ſi putat Actuum Apoſtolicorum ſcripturam, aut ſcripturæ ſenſum, omni qua fieri poteſt accuratione à Bleſenſi referri, certè hallucinatur: cum nonnulla ad accommodatiorem ſenſum detorqueat, quod Patribus familiare eſt, licet id Aurelius *ſacrilegia* & *profanationes* appellet. In his enim verbis obedientiam Religioſam vt quærat, *Ponebant ante pedes Apoſtolorum*, adiungit de ſuo Bleſenſis, *& obediebant eis*, cum eo in facto ſacra potiùs verba votum paupertatis adſtruant, eaque ſit Patrum veterum ſententia. Præterea ſi *caput Monaſticæ Religionis* in Bleſenſi hoc loco ſignificare arbitratur, *regularis ſtatus ſubſtantiam*, omnino Bleſenſem non legit. Diſtinguit enim auctor vt in arbore, ſic in Religioſo ſtatu tria tempora; *initium*, quando ſemen iactum in terræ viſceribus germinar, quod *initium regularis cohabitatio habuit in Sion, temporibus Apoſtolorum*. Deinde *Principium, id eſt, primum caput, cum rupta terra ſuperficie tenuis emergit virgula*: quod *Principium habuit quædam à domino Benedicto, quædam à Doctore Auguſtino*. Tertiò denique *cum arbor deriuatur in ramulos, tunc habet exordium, cum ex vno multa oriuntur*: quod exordium *habuit in diebus noſtris, ſub incertis tamen auctoribus, deriuationes enim multa exorta ſunt*. Vide Lector, an *caput* illud, ſiue *principium* ſic explicatum, *ſubſtantiam* & eſſentiam in Petri Aurelij lexico aptè ſignificet, maximè cum ab inſtitutoribus S. Auguſtino & S. Benedicto Religioſus ſtatus hoc *caput* accepiſſe dicatur, vota verò ſubſtantialia diuino habeat inſtituto. Remota igitur allegoria, id tantùm vult Petrus Bleſenſis à nobis intelligi, ſtatus Religioſi iacta in Apoſtolicis fidelibus, in vrbe Ieroſolyma ſemina, diu in locis deſertis, tanquam ſub terra latuiſſe: ij ſunt quos in prima ætate olim conſiderabamus. Verùm Clericos Regulares reparante S. Auguſtino, Monachos nouis legibus informante S. Benedicto, *caput* extuliſſe, & foras quaſi prodijſſe, toti Eccleſiæ conſpicuum & vtilem ſtatum Religionis; quæ eſt ætas media, ſuo item loco à nobis explicata. Suo demum ſeculo, corroborato velut trunco ramos huc illuc ſparſiſſe, Ordinibus Carmelitarum, Guillelmitarum, Præmonſtratenſium, Militaribus plurimis recens exortis, *ſub incertis auctoribus*, cum neque Ordinum illorum parentes tum temporis eam nominis & gloriæ celebritatem adepti eſſent, quam præcedentes Patriarchæ, forentque pene adhuc obſcuri: neque hactenus ſatis pateret, ipſi ne nouam inſtituiſſent regulam, an veteribus vterentur. Poſtremò ſi negat Petrus Aurelius à Petro Bleſenſi religioſam caſtitatem inter eſſentialia recenſeri, fœdè ab amanuenſibus ſuis deceptus eſt, qui luculenta illa verba, ex eo ipſo qui citatur ſermone, deſcri-

*Explicatur locus & mens Petri Bleſenſis.*

*Religioſi ſtatus initium.*

*Principium, ſiue primum caput.*

*Exordium.*

*Vera mens Petri Bleſenſis.*

*Caſtitatem Religioſam agnoſcit verum Bleſenſis. ſerm. 50.*

bete pigritati ſunt. *Vir clauſtralis eligat Dominum in partem ſibi*, ( quaſi præcipuè Clericus ) *& dicat: Alij alia eligunt; quidam voluptatem corporis ſectando, porcum viuunt: alius theſauriZat, & ignorat cui congregabit ea: hi in curribus, & hi in equis gloriantes alleuantur.* Potuit-ne apertioribus verbis trium votorum hoſtes exprimere? *Tu autem ſolus es portio mea Domine. Hoc penſans vir clauſtralis, & carnalium voluptatum venena depoſuit virulenta, grauemque ſarcinam, & molam aſinariam negotiorum reiecit ſecularium.*

*Mala fides aduerſary.*

Habes ex ijs, Lector, & Archidiaconi mentem, & Aurelij fidem, qui cum primam Religionis formam in Apoſtolicis illis fidelibus, Patrum teſtimonio agnitam fateri cogatur, omiſſis antiquioribus, quos ſua in cauſa tam glorioſè venditat, vnum è duodecimo ſeculo, pene nobis vicinum Petrum Bleſenſem producit, à quo minus aliquid in laudem Religioſi ſtatus afferri putat, quàm à vetuſtioribus. Atque hunc ipſum Bleſenſem ne lectum quidem, infideliter citat, ſuppreſſo illuſtri quo iugulatur loco. Illud etiam iure meo queri poſſe videor, hinc illinc corradi ex hoc ſcriptore, quem zelus nonnunquam extra limites abripit, ſententiolas, & verborum vibrantes igniculos, eoſque à Petro Aurelio, & Franciſco Hallier in Religioſi ſtatus contumeliam auidè immitti, cum luculentiſſimæ in eiuſdem ſtatus gloriam paginæ, quibus tanquam ſtellis diſtinctus eſt idem auctor, non recto conſilio, diſſimulatione prætermittantur: quod certiſſimum malæ cauſæ indicium eſſe, noui veteresque circa diuinos codices hæretici omnibus ſeculis demonſtrarunt.

*Suaris auctoritatem malè aduocat Aurelius.*

Petrum Bleſenſem ſequitur in Petro Aurelio S. Bernardus, cuius exponendi commodiorem locum dabit votum obedientiæ mox delibandum. Solicitatis ergo Patribus iſtis duobus, Suarem præponit Theologum, quem locis duobus teſtem & ſuffragatorem ſuum producit. Quo tandem iure, cum ſuperbiſſimo contemptu hominem, & indecoris cachinnis ſemper excipiat? Eſto tamen, interrogetur Suarez. Quid ait? *Religionis ſtatum abſolutè, ſine caſtitatis profeßione poſſe conſiſtere; & tunc Religionis eſſentiam ſaluam fore; aliquid tamen eius integritati & perfectioni defuturum.* Vbi Suarez doctrinam illam tradit Aureli? *Tom.3. de Relig. l.2.c.2.* Vel ſemel pragmaticis tuis imperaſſes, vt operam fideliter locarent ſuam; ne-ue tibi nobiſque vellent ſemper illuſum! Illo enim maximè omnium capite, totus Suarez eſt in eo multis aſſertionibus rationibuſque conficiendo, quod iſti tuæ doctrinæ repugnat maximè: nimirum *ad Religioſum ſtatum ſimpliciter, ſeu perfectum, ac propriè dictum, neceſſaria & eſſentialia eſſe tria conſilia Paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ:* illaque *per ſe ſufficere ad ſubſtantiam ſtatus Religioſi conſtituendam.* De ſingulis priuatim, de tribus omnibus communiter aſſertionem ſuam probat, D. Thomæ ſecutus doctrinam, more ſuo non breuiſſimè. Quibus omnibus tertiam adijcit aſſertionem, *qui tantùm vnum vel alterum ex his principalibus conſilijs, vel omnia incompletè & imperfectè profitetur, quamuis ſimpliciter ſtatum Religionis non aſſumat, nihilominùs ſtatum Religioſum aliquo modo participare, & in lata ſignificatione ſeu analogia quadam ſtatum illum dici poſſe Religioſum.* Qui alio deinde libro ſubſtantiam Religioſæ profeſſionis ex traditione & tribus votis eſſentialibus coaleſcere probat, vt eius opinio nemini obſcura eſſe poſſit ac debeat. Quamobrem cum *libro* poſtea *9. c.26.* qui eſt alter locus è Suare citatus, in ſolenne Religioſæ caſtitatis votum alicuiuſmodi cadere poſſe diſpenſationem, noua & pene ſingulari ſententia conficere conatur: cum præterea tomo altero, de Militaribus Ordinibus

*Aurel p. 671.*

*Suar. tom. 3. de Reli. li.2. c.2. n.3. Ibid. 2. aſſert. n.11. Ibid. 3. aſſert. n.17.*

*Ibid. l.6 c.2.*

*Explicatur Suar. citatus ibid. l. 9. c.26.*

nibus diſputat, de quibus modò, eorumque nonnullos ait in ipſo coniugio eſſe Religioſos, ad ſuperiorem trutinam de completo, perfecto, abſoluto ſimpliciter, & ex aduerſa parte, incompleto, imperfecto, analogico ſtatu Religionis examinandus eſt. Quibus omnibus locis, vt & alijs quibus in Paupertate & Obedientia diſpenſati poſſe aſſerit, negare non poteſt Aurelius, expoſci ſemper à Suare aliquam Paupertatis, Obedientiæ, Caſtitatiſque formam, ſine qua nullum agnoſcit ſtatum Religioſum: quæ quantò fuerit imperfectior, tantò longiùs à completa perfectaque Religione receſſurum cenſet. Suarem igitur Aurelius in caſtra ſua malè transfert, affirmantem *abſque voto caſtitatis perfectam & integram Religionem ſtare poſſe.*

Idem tom. 4. de Reli. tr. 9. c. 4.

Alterum argumentum ab exemplo ducitur, & ipſum cum duobus auctorum nominibus coniungitur, ne Aurelio deſit vſpiam binarius, antiquis parum felix creditus. *Eccleſia*, inquit, *nuper approbauit nouum genus Religionis, qua votum caſtitatis & paupertatis non dirimit matrimonium, nec proprietatem excludit; eiuſmodi votiuam Religionem non viderat Eccleſia, nec illo ſeculo audierat: quicquid ad tegendam illius nouitatem ex Patribus congerant Suarez & Vaſquez, quorum omnia ad vnum exempla, & teſtimonia falſa ſunt.* Ad oraculum remittis Aureli, vt illius, qualis tandem cunque eſt Religionis nomen edoceamur; quid diuinare cogis, & cogitatis reſpondere, quaſi verbis parum peccaretur? Societatem Ieſu, quod arbitror, non tangis, in qua neque paupertas dominium, neque caſtitas per ſe matrimoninm dirimat: tum quia verè caſtitas matrimonium dirimit, verè paupertas proprietatem, id eſt vſum priuatum rei tanquam propriæ tollit, Si quid ergo his in rebus conijcere & ſcire poſſum, Hiſpanos milites D. Iacobi, Calatrauæ & Alcantaræ indicas, de quibus qua animorum contentione inter Hiſpanicos ſcriptores digladiatum ſit, ignorare non debes; alijs Religioſos negantibus prout hoc ſeculo viuunt, & cum votorum diſpenſatione, ſublatum ſimul Religioſum ſtatum contendentibus: alijs Religionem ipſis etiamnum aſſerentibus, quam in prima ſui inſtitutione omnium conſenſu habuerunt; adeoque ſubſtantialia in ijs vota tria, quanquam admodum contracta, & imperfecta recognoſcentibus. Itaque cum infeſtis inuicem armis concurrant, omnes vno animo in te impreſſionem faciunt, his Religioſos negantibus, quia tria vota non amplexantur; illis affirmantibus, quia illis non carent. Tu auctores conſule; Hiſpanienſem ego controuerſiam quid ingrediar, Anglicana nimiùm fatigatus?

*Aurelij 2. argumentũ ab exemplo quorundam Religioſorũ* pag. 676.

Aurel. p. 683.

*Ordines militares.*

Sanchez opere Morali l. 4. c. 16. n. 11. 12. *Multos eſſe in vtramque partem, & ipſe in affirmante eſt.*

In Suare & Vaſque refellendis modeſtiam alij requirent tuam, ego operam. Quid enim probant illi? vbi? quibus è Patribus? Quam nouitatem? Quæ exempla? Quæ teſtimonia afferunt? Loëmelio ad Hieronymum Platum ſimpliciter remittenti, ius tibi eſſe putas reſpondendi, quod alio in propoſito arguebam, *Plati verba notata oportuit.* Ad Petrum Bleſenſem vniuerſè laudatum ab eodem Loëmelio, reſpondere non verecundatur Doctor Hallier, *ſi locum citaſſet, refutari potuiſſe.* Quod vos ergo de libris perquam mediocribus licere vobis vultis, ego in tanta, non librorum, ſed bibliothecarum mole ſemel non audeam? Neutrius igitur certum attingo locum, ſi tamen eorum ſtetur principijs, nunquam id quod affertur, ab illis fuiſſe prolatum exiſtimo. Nam in tractatu de Militaribus illis Ordinibus, quorum Religionem quantùm poteſt extendit, & amplificat Suarez, docet eos *quoad paupertatem reuera incapaces dominij, & omnis vſus, ſine diſpoſitionis eius, ſine ſuperioris facultate*: quod

*Sententia Suarij & Vaſquez vindicatur.*

Aurel. p. 647.

Hallier in Vind. pag. 650.

Suar. tom. 4. de Reli. tr. 9. c. 4. n. 5.

& oppoſitum eſt Aureliano dicto, & ad Religionem conſtituendam ſufficit. Idem aſſerit de obedientia, cum ex vi inſtituti teneantur ad obediendum in re ardua & difficili, nimirum ad fidei tutelam belli pericula fortiter aggredi. Caſtitatem autem integram in prima ſui inſtitutione obſeruaſſe non obſcu-

Ibid. n. 7.

rè admonet: quæ quoniam in nonnullis defluxit, cum paupertatis incolumitate, addit idem Suarez, in ijs Ordinibus quorum profeſſores caſtitatem ſolummodo coniugalem vouent, verum perſeuerare ſtatum Religioſum. Quod

Aurel. p. 677.

verum Petro Aurelio non videtur, qui ſublata caſtitate Monachatum, & Religioſum ſtatum ſolui, non Sacerdotium, agnoſcit: in quo & me habet conſentientem. Plus igitur ſuæ ipſius opinioni repugnat Aurelius, quàm Suarez:

Vaſq. in 1. 2. q. 96. diſp. 165. c. 5. Aurel. p. 683.

Vaſquem autem lego alicubi verè & ſolidè probantem, rerum dominia Religioſis erepta eſſe, non ex votorum natura, ſed ex mera Eccleſiæ inſtitutione; proprietatem conceſſam non dicit: locos ex iure tum Canonico tum ciuili profert veros, legitimos, opportunos. Niſi fortaſſe, quod alicunde apud te ſuſpicari videor, idem putas eſſe dominium & proprietatem, ſiue propriæ rei vſum à ſuperiore independentem: in quo errore Nicolaum le Maiſtre Theologum alibi offendimus. Si nihil aliud expreſſius oſtenditur, equidem non video quàm ſecura præfidentia prouocare audeas, ſi quis Suarem & Vaſquem oſtendere velit in omnibus non eſſe mentitos.

---

## DE OBEDIENTIÆ RELIGIOSÆ, CONSILIO; *eiuſque præſtantia & neceſſitate.*

## CAPVT XIIII.

Multi aduerſus votum Obedientiæ declamant.

TERTIVM Religioſæ profeſſionis votum, tam varijs aduerſariorum telis impetitur, vt facilè appareat ingens quoddam bonum eſſe, quod ſupremam inter cætera difficultatis, dignitatiſque ſedem occupet. Obedientiam quippe conſilium Euangelicum eſſe negat Claudius Seguenotus. Obedientiæ virtutem veteribus Monachis concedit Nicolaus le Maiſtre, votum negat. Specialem obedientiam neceſſariam non agnoſcit Petrus Aurelius; ſed eam vnam quæ in Baptiſmo Prælatis Eccleſiæ promittitur, & reliqua vita exhibetur: & ſi quidem plus aliquid in Religione vouetur, illud eſſe putat vniuerſæ regulæ obſeruantiam, non accuratam & humilem Obedientiam ad nutum Superioris inclinantem. Hæreti-

Suar. tom. 3. de Relig. l. 10. c. 1. n. 1.

cos hic non compello, qui vt ſtrictè loquitur Suarez, *non minùs reijciunt Obedientiæ conſilium, quàm cætera; nec minùs contemnunt Obedientiæ votum, quàm alia.* Nam vt ſunt primogeniti Satanæ ſuperbiæ parentis, humilitatem Catholicam æquo animo ferre non poſſunt, & votiuam in Eccleſia Obedientiam nolunt agnoſcere, quòd eius virtutis defectu hæretici eſſe voluerint. Superiores ergo ſolos Catholicos ſcriptores conuenio ſeparatim, & poſtremum hunc de votis tractatum in tria diuido capita, vt demonſtrem Obedientiam Religioſam Euangelicum eſſe conſilium, addi conſilio votum à Religioſis, atque illud votum ſpeciale, priuatum, à voto Baptiſmatis eſſe diuerſum.

Obedientia eſt conſilium Euangelicum.

Ordior à primo. Claudij Seguenoti nota vox, *Obedientiam non eſſe opus conſilij*, à ſacra Facultate Pariſienſi damnata, & iure quidem maximo. Eſt enim

apertum

apertum Chriſti Domini inſtitutum, & Patrum explicatio, & communis Chriſtianorum ſenſus, adoleſcenti illi perfectionis ſtudioſo conſilia expreſsè duo fuiſſe propoſita, paupertatis & obedientiæ, cum paulùm antea de caſtitate præclara dixiſſet. *Si vis perfectus eſſe vade, & vende omnia quæ habes, & veni, ſequere me.* Hoc enim merum eſſe conſilium, vel cœcus quiuis agnoſcat: ſiquidem & obſeruationi præceptorum adijcitur, & ad perfectionem vulgo maiorem aſpiranti proponitur, & in libera ipſius electione relinquitur. Duplici autem conſilio grauidam eſſe illam ſententiam, ex eo facilè conficitur, quòd opum contemptus, & latifundiorum ſubhaſtatio, coniunctum non habet neceſſariò comitatum illum Chriſti qui ſuadetur. Poteſt enimuerò non philoſophica tantùm, ſed etiam Chriſtiana realis paupertas ab homine Deum amante aſſumi, qui tamen peculiare de ſequendo Chriſto votum & conſilium non admittat. Aliud ergo verbis illis conſulit Chriſtus *vade vende*, aliud iſtis *veni ſequere me*. Quòd ſi priora paupertatem ſonant, poſterioribus ſubiectionem ſub alicuius ductu & imperio, ſiue obedientiam non obſcurè indicari, vel hinc conficitur, quòd nulla vnquam familia & ſocietas ritè atque honeſtè collecta fuit ſine principe & capite, cuius dicto parerent cæteri, & in communem vtilitatem regerentur. Quod ſi de humano quolibet conuictu verè dicitur, quantò id æquiùs eſt aſſeuerare de ſacro Chriſti collegio, quod Apoſtolis Diſcipuliſque conſtabat? Pono enim, quod negari non poſſe arbitror, comitatum illum ad quem Chriſtus iuuenem inuitauit, fuiſſe realem, & corporeum; qualem intellexit Petrus cum hoc in propoſito ſubiungeret, *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te:* qualem promittebat alius ille qui ſepeliendi priùs patris rogabat poteſtatem. Itaque concludo duplex conſilium voluntariæ paupertatis, & obedientiæ verbis illis contineri, cui nonnulli vocati & electi obtemperarunt: alij tantùm vocati, ſine detrimento quidem habitualis gratiæ, ſed non ſine perfectionis damno defuerunt.

*aduerſùs ſequentes.* *Nota ad l. de S. Virg. pag 51.* Matt. c.19. Marc. c.10. Luc. c.18.

*Chriſtus iuuenem ad realem comitatum vocauit.*

Matt. c.8. Luc. c.9.

Primos autem illa conſilia voto firmaſſe, ſuadent ij Patres qui paupertatis votum in Apoſtolicis verbis agnoſcunt, *Ecce nos reliquimus omnia.* Eadem enim opera votum obedientiæ latere dicendum eſt in ſequentibus, *& ſecuti ſumus te.* Firmis certè vinculis ad Chriſti latus alligatos hæſiſſe, vel illud docet inter cætera, quòd Capharnaïtis ob doctrinæ difficultatem retro cedentibus, Apoſtolos compellat, *Nunquid & vos vultis abire?* Permitto recedere, ſed vt Capharnaïtas cum peccato. Cui Petrus, *Ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.* Nemo alius perfectam ad cœlum viam, quam quærimus, docere nos poteſt, quæ cauſa nos vni tibi adeo fortiter adſtringit, vt alium in terris perfectionis doctorem deſiderare non poſſimus. Fateor equidem eius in Euangelio voti memoriam exprimi nullam; verùm illud à Patribus hauriri, quos Spiritu Sancto afflatos, ſummæ perfectionis formam animo comprehendiſſe nemo ſapiens negauerit. Neque minùs agnoſco, id quod expoſui, conſtante mentis propoſito fieri citra votum potuiſſe. Sed id de plebeio & vulgari iuſto cum facilè conceſſero, in Chriſti ſcholam oculos reflectam, & Apoſtolos Chriſtianæ perfectionis principes & diribitores, ſub tanto inſtitutore & Hierarcha, ad ipſam perfectionis arcem, caritatis culmen eductos conſiderabo, vt cuilibet parti nulli addicto non ægrè perſuadeam, rationi admodum eſſe conſentaneum vt credamus, quod dicit D. Thomas, *immobilitatem ſequelæ Chriſti firmari per votum.*

*Sequela Chriſti voto ſtabilita.*

Ioan. c.6.

S.Th. 2.2. q.186. a 6. ad 4.

*Quanta obedientia dignitas & neceſſitas.* Guil. Pari. l. de Virt. c. 9.

Et erat profectò in virtutis eius dignitate, atque ad aſſequendam perfectionem opportunitate quod amaret Chriſtus, quod ſequacibus ſuaderet, quod vouerent Apoſtoli. Nam ſi verum eius principium inueſtigamus, non alibi quàm in Caritate reperiemus, verè Guillelmo Pariſienſi ſcribente *proportionabiliter habere ſe obedientiam ad obediendum, & amorem ad amandum.* Quare cum ex eodem illuſtri Antiſtite ſuperiùs declaratum ſit, ex inſania amoris, & ardenti caritatis exceſſu, facultatibus ſuis omnibus nudari hominem, vt Religioſo ſe Ordini deuoueat, ſequitur manifeſtè ſupremo illi amori ſummam & nulli rei comparabilem reſpondere obedientiam. Præterea Religioſa profeſſio, quid aliud eſt quàm eximia Dei glorificatio, dum homo quo ſummè poteſt modo, diuinam ſupra ſe naturam euehens, illi ſe totum penituſque ſubijcit & addicit? Id autem niſi conſecrata, & quaſi mactata per obedientiæ votum libertate, facere poteſt nemo. Eſt enim libertas quaſi quædam creaturæ rationalis vita, quæ in Dei obſequium impendi & ſuperimpendi debet: quemadmodum in ſacrificijs altum Dei dominium animalia moriendo reſtantur, quoque minùs de illis in holocauſto reſeruatur, eò perfectiùs diuinam ſuo modo adorant maieſtatem. Hoc intelligi voluit à nobis D. Gregorius, cum prælatam victimis obedientiam meditatur. *Siquidem per victimas aliena caro, per obedientiam verò voluntas propria mactatur.* Et quidem in holocauſtum: ex tribus enim votis docet D. Thomas fieri holocauſta Regulares, *& propter holocauſti excellentiam antonomaſticè Religioſos vocari*: in tribus autem *præcipuum eſſe obedientiæ* votum multis comprobat. *Nihil enim fragrat ita Domino in odorem ſuauitatis*, vt teſtatur S. Bonauentura, *quàm ſi mactetur Domino vitulus propriæ voluntatis. Nimirum altiſſimum eſt in homine rationalis voluntas; altiſſimum ergo eſt ſacrificium eam totaliter Domino conſecrare, non tantùm ipſi Deo obediendo, ſed etiam homini propter Deum, cum & ipſe ad hoc docendum, parentum ſuorum fuerit ſubditus voluntati.* Itaque pars illa perfectionis, cum tanti ſit momenti, quis putet eam à ſtatu perfectionis abeſſe poſſe? Quis credat inſtitutam à Chriſto perfectorum Religionem, quæ hoc conſilio caritura ſit? Sed quid ego virtutis illius panegyricum inſtituo, cum eius laudibus aſceteria omnia quotidie reſonent, cum totæ ſint in ea commendanda veterum Patrum aſceticæ paræneſes, cum nos ipſi toto opere multa, nec ea contemnenda ſparſerimus? Vnum tamen Ioannem Climacum nemo nobis inuideat, qui cum finio.

*Religioſorũ holocauſtũ.* Greg. l. 35. Moral. c. 12. *Religioſi antonomaſticè dicti.* S. Thom. Opuſ. 18. c. 11. Bonau. in c. 1. Reg. Frat. Min. Suar. tom. 4. de Reli. tr. 9. l. 4. c. 14. 15. Iul. Nigr. tom. 2. Comm. ad reg. 15.

*Obedientiæ deſcriptio ex Ioanne Climaco in Scala. c. 4.* Schol. 4. apud Rad. [illegible]

Is primum ſcalæ ſuæ gradum, ex quo quis in Monaſterium pedem poſuit, vult eſſe Obedientiam vt caritatis filiam, ſic humilitatis parentem, aſperam quidem ad cœlum viam, ſed oppidò compendioſam. Eſt enim Obedientia vt pro more definit, *ſenſuum in anima viuente mactatio, mors voluntaria, incurioſa vita, ſecurum periculum, expedita apud Deum defenſio, mortis ſecuritas, nauigatio ſine periculo, iter dormiendo confectũ.* Quod *periculum* vocat *ſecurum* rectè Scholion admonet de corporali intelligi, non de ſpirituali, cui ſi verus obediẽs cæco impetu in procelloſa nauigatione, inhoſpitali peregrinatione, labore vires ſuperante ſe obijcit, etiam vſque ad mortem reipſa in pulcherrimo conatu obeundam, ſecurus tamen eſt, quòd optimè norit ſibi obedientiam ſine timida diſcuſſione atque examine peragenti, *in coronam martyrij ceſſuram.* Quod cum de hora vitæ ſuprema verè dicatur, quis etiam vetet ad ſingula Religioſarum actionum momenta transferre, vt quoniam perpetuo obedientiæ imperio ardua quæque & corruptæ humanitati admodum difficilia peraguntur, quibus ſine dubio

dubio vitæ ſumma breuior redditur, Obedientia illo nomine dicatur & ſit longum diuturnumque martyrium? Pergit auctor, *Obedientia eſt animi in morte ſecuritas*, vt qui ſemel in ſinum ſuperioris ſe ſuaque coniecerit, & ſecurus conquieſcat, dum ille peruigilat quaſi pro animabus noſtris rationem redditurus. *Sepulcrum voluntatis, excitatio humilitatis, quæ non obloquitur, non diiudicat, nec bona, tanquam mortua, nec vulgi opinione mala ſentit.* Præclarè Scholion Euagrij, *Mentem tum virtutes tum vitia cæcam reddunt: virtutes quidem, ne mens vitia reſpiciat; vitia verò ne virtutes agnoſcat.* Pergit Climacus, *Obedientia eſt iudicij cum ſummo iudicio abdicatio.* Principium huiuſce mortis, labor merus eſt; medium, labor quiete temperatus; finis, doloris vacuitas, & quies à labore. Et hic ego à deſcribendi labore quieſco. Tu cætera benè longa otioſus euolue.

*Mens cæca. Schol. 7. apud Rad.*

## *OBEDIENTIAM RELIGIOSAM ABSQVE voto ſtare non poſſe demonſtratur.*

### §. I.

HEROICAM veterum Monachorum Obedientiam non in ſolo Climaco, ſed & in alijs auctoribus, nobiſcum deiniratur & prædicat Nicolaus le Maiſtre Theologus, ſed illam à noſtrate Regularium Obedientia longè diuerſam facit, paulùm implicatiore diſcurſu, cuius, ſi quid capio, ſumma hæc eſt. Obligan⁎is regulæ inſtituendæ, confirmandæque auctoritatem in Epiſcopis ſolis reſidere; quod nos ſemper toto hoc opere profitemur, cum ſint ipſi Reip. Chriſtianæ principes, quorum eſt Remp. ordinare. Illam autem inſtitutionem auctoritatemque illis eremi incolis defuiſſe: quod vt omni fide contestatum auctor ſimpliciter aſſerit, cum pro fundamento firmiter ſtabilire debuerit. Fuiſſe porro genera præceptorum duo alumnis impoſita, externa alia, alia interiora: illa ad veſtes, cibum, ſomnum, laborem, & reliquam vitæ œconomiam ſpectare, in quibus inferiorum non tam Religioſa, quàm œconomica & domeſtica fuerit ſubiectio. Hæc ad animi cultum, & ſtudium ſanctitatis pertinere, & eſſe non imperia, ſed documenta; non à Rectoris poteſtate, ſed magiſtri ſapientia profecta; quibus proinde vt doctoribus conſulentibus, non vt imperantibus Prælatis obtemperatur. Nam illiuſmodi homines tale ius in diſcipulos vnde tandem habuiſſent? à natura? à Deo? ab Eccleſia? Ipſi autem diſcipuli qua tandem auctoritate in eorum ſe ditionem contuliſſent, cum ſuperiorum ſibi naturalium, putà Epiſcopi & Parochi diſpendio? Præſertim cum vota reliqua Deo tradant hominem, Obedientia homini, qui peccato & errori obnoxius eſt. Ex quibus omnibus facilè deducitur, Obedientiam religioſam votiuá in vſu veterum Monachorú non fuiſſe. Ita de Philoſophis Chriſtianis philoſophatur Theologus, à quo *antiqui Principatus Epiſcoporum inſtauratio* in eo locatur, vt Monachi & Regulares noſtrates veterú inſtar, rerum ſuarum dominio & proprietate retenta, magiſtris ſuis ſola Obedientia œconomica ſuppoſiti, Epiſcopis & Parochis ſubditi, in horrendas ſolitudines amandentur. Quaſi vnum illud dignitati ſanctitatique Præſulum officiat, & poſteaquam ſuperiorum ſuorum Obediétiam exuerint Religioſi, maieſtatem Nicæni & Chalcedonenſis ſeculi recuperaturi ſint Epiſcopi. Quocunque

*Propoſitur opinio Nicolai le Maiſtre. l. 1. de Inſtaur. Prin. Epiſc. c. 12.*

*Conſilium aduerſarij.*

*Status quæſtionis.*

id eueniat modo, ſtatus quæſtionis hic indagandus eſt. De antiquis Monachis agit auctor, non de noſtraribus Regularibus, in quibus Obedientiæ votum agnoſcit: de ijs qui domiciliijs coniuncti vixerunt, non de illis Anachoretis ſolitarijs, vt Hilarione, Paulo, Simeone: virtutem Obedientiæ in illis heroibus inſignem, exaggeratam, ad miraculum ſtupendam fuiſſe non negat, quam nobiſcum legit in hiſtoria rerum aſceticarum: non diſputat fuiſſe Epiſcopis ſubiectos, nam & illos, & nos in eorum eſſe ditione, neque aliter poſſe in Eccleſia retineri, ſæpe profeſſi ſumus. Quid eſt igitur in eius doctrina controuerſum? Omnino quatuor ad libellam noſtram expendenda. 1. Monachos illos nulla Epiſcoporum auctoritate præditos alijs alios imperaſſe, & obtemperaſſe. 2. Obedientiam Prælatis exhibitam œconomicam fuiſſe ac liberam, non Religioſam & votiuam. 3. Strictum imperium in ſubditos nullo ſibi iure arrogare potuiſſe Abbates. 4. Votum Obedientiæ non Deo concipi, ſed homini. Quorum ſingula expendo, & aduerſarij premo veſtigia.

*Veteres Religioſi non fuerunt ſine Epiſcoporum auctoritate.*

I. Primum caput non tam probat, vt præmonui, quàm ponit, in quo tamen magnum ad ſubſtructionem vniuerſam momentum perſpicio. Nam ſi ſuapte ipſi ſponte, nulla Hierarcharum accedente auctoritate in ſodalitates coïerunt, præclarè ſequitur ſtatum illum Hierarchicum non extitiſſe, ius nullum ſuperioribus in ſubditos, legitimam ſubditorum aduersùs ſuperiores Obedientiam obſeruantiamque non fuiſſe. Quæ omnia quoniam hac in diſceptatione admitti poſſe non arbitror, dico ego ex aduerſo, nullam veterum Monachorum ſocietatem, abſque expreſſo vel tacito Epiſcoporum conſenſu & approbatione coaluiſſe. Id enim mihi perſuadet, & repetita ſæpe ad faſtidium Monachi in S. Dionyſio conſecratio, & ab Hierarcha proximè percepta perfectio: & Ægyptia Monaſteria quæ inſtitutore S. Marco gloriantur: & Catholicorum Epiſcoporum aduersùs Monachos amor & ſancta veneratio: & eorundem Epiſcoporum ad Simeonem Stilitem legatio: & Conciliorum honorificentiſſima de Monachis mentio curaque præcipua: & populorum omnium conſentiens ardor ad rapiendos è ſolitudinibus Monachos, quorum ſacræ poteſtati ſe ſe committerent: cui obſecundantes Hierarchæ eorum vitæ inſtituta probarunt, quorum verticem ſacro oleo perfuderunt. Non ſunt à nobis iſta fuſiùs hoc loco pandenda, quoniam vel notiſſimam habent in Chriſtianorum omnium animis memoriam, vel ſuis locis hoc in opere ſunt demonſtrata. Imo Suaris ipſa quam profert auctor ſententia, ipſum ferit incautum, quæ non tantùm id ita fieri debuiſſe, ſed etiam reipſa factum eſſe confirmat. Non eſt igitur quod hoc in propoſito *verſicolores chimaras*, *& gigantæa facinora* Religioſis obijciat.

*Obedientia virtutem ſine voto non habuerunt.*

II. Ad ſecundum quòd ſpectat, cum eximiam in veteribus illis Obedientiæ virtutem agnoſcat Theologus, votum Obedientiæ nolit agnoſcere, œconomica contentus Obedientia; votum ego ex virtute, & Religioſam Obedientiam ex œconomica diſciplina non futiliter, meo quidem iudicio, colligo & comprobo. Virtutes in quibus neceſſitatem ad acquirendam perfectionem & maiorem communibus viribus difficultatem peruidit Chriſtus, conſilij eſſe voluit non præcepti. Ad illa verò conſilia voto adſtringi fideles perfectionis amantes voluerunt Apoſtoli, qui Dei inſtinctu Religiones inchoarunt, tum vt ſtatum in eis erigerent, tum vt earum alumni Deo conſtantiùs inhærerent

ſunt

ſunt enim vota vt aiunt, *inſtabilitati humanæ præuiſa remedia.* Quamobrem quæcunque conſilia ad acquirendam perfectionem neceſſaria, maiorem communibus viribus difficultatem continent, ea voto firmata eſſe ab alumnis Religioſi ſtatus oportet. Nam quæ rationes & aliqua in Religione vota neceſſariò concipi oportere, & hæc, non alia concipi debere perſuadent; eædem Obedientiæ votum in Religione neceſſarium eſſe demonſtrant. Cur enim paupertas voluntaria, cur caſtitas conſulitur? Quia communis Chriſtianorum perfectionis limites tranſilit. Cur illa conſilia voto ſtabiliuntur in Religione? Quia vim naturæ corruptæ cum faciat auſteriorum virtutum vſus, diuturnus eſſe vix poteſt, niſi ſanctiore aliquo retinaculo coſtringatur. Idem pura de Obedientia qua nihil ſeuerius. Dulcem in perpetuum libertatem auctorare, decollare voluntatem, excæcare iudicium, manus pedeſque hominis aliquando ignori, duri, non amiciſſimi nutui addicere, animi corporiſque ſenſus & motus omnes ad alienum arbitrium tota vita fingere, nihil velle aut nolle, quod alius neque doctior, neque prudentior velle te nolit: alterius affectiones animo inſerere, & amorem atque odium non tuum producere, faciliuſ eſſe putas, quàm venerem fugere, opes proijcere, nihil habere & omnia poſſidere?

Hæc omnia conficit, inquis, Obedientia œconomica, quam filius patri, ſeruus domino præſtat, imo lenior obſeruantia, quæ priuatis quoque doctoribus debetur, cum ij ſacrorum Canonum & ſcripturarum auctoritate nobis ſtudium pietatis indicunt. Non eſt, Theologe, Religioſorum Obedientia res fouendo corpori, ſed animo perdomando inſtituta: externum œconomica regimen aſpicit, Religioſa internum: facit illa vt quietè pacatéque viuatur, hæc vt perfectè: res illa vt plurimum faciles & ſenſibus iucundas præcipit; hæc corpori animoque difficiles & permoleſtas: illa filium liberaliter habet, ſeruum moderatè; hæc corpus vt mancipium ſubigit, animo ſemper imminet, peruigil, circumſpectatrix cum oculis emiſſitijs. Quamobrem niſi maiore vi, & potentiore ſtimulo nos adigat Religio ad illos carnis & amoris natiui perrumpendos obices, fatiſcet nimirum, & ad actus omnes reluctante membrorum lege retundetur. Id ſpecta, Lector, in tabula Ioannis Climaci, apud quam nuper te reliqui, & æſtima poſſit-ne pluribus hominum tam pertinax & obfirmatum ſine voto eſſe propoſitum, vt tota vita id agere ſint parati, quod ſemel à libertate ſua extruderunt. Vide Tabenenſes Monachos in Caſſiano, apud quos *tanta obſeruantia Obedientiæ regula cuſtoditur, vt iuniores abſque præpoſiti ſui ſcientia vel permiſſu, non ſolùm non audeant extra cellam progredi, ſed ne ipſi quidem communi ac naturali neceſſitati ſatisfacere ſua auctoritate præſumant.* Eius autem virtutis tantum eſſe pretium volunt, tantam in vita religiosè agenda neceſſitatem, vt eam *cunctis virtutibus præferant, vt huic iudicent omnia poſtponenda, & vniuerſa diſpendia ſubire contenti ſint, dummodo hoc bonum in nullo violaſſe videantur.* Quis vnquam auditor ita ſe finxit ad priuati doctoris nutum? Aut quis omnibus ſeculis concionator illud Obedientiæ genus ab auditore vno exegit aut ſperauit? Eadem mens Ægyptijs communiter Monachis apud Seuerum Sulpitium. *Præcipua ibi virtus, & prima Obedientia, neque aliter adueniens ad Monaſterium Abbatis ſuſcipitur, quàm qui tentatus priùs fuerit & probatus, nullum vnquam recuſaturus quamlibet arduum ac difficile, indignumque toleratu Abbatis imperium.* Quàm multos concionatores

*Non ſufficit illa obedientia œconomica.*

Clim. c. 4. cit.

Caſſi. l. 4. Inſt. c. 8.

Ibid. c. 12.

Seuer. Sul. Dial. 1. de vita S. Mart.

noſtri numerarent hac lege & conditione è frigentibus exedris auditores?

*Sine voto obedientia ordo eſſe non poteſt.* Adde quòd Religio quælibet Ordo eſt, in qua proinde collocationem ſuperiorum & inferiorum per gradus inuicem pendentes & ſubordinatos reperire eſt. Obedientiam igitur exhibeant oportet ſuperioribus inferiores, qua illorum benignos influxus in ſe admittant, & Hierarchicas actiones patiantur. Vnum hic quæro, ſi quis vnus, ſi duo, ſi plures illis refragentur imperijs, & quod ait hic, ille neget, quod in œconomica re frequenter euenit ſi virtutis alicuius imperato exercitio, alij ſe ad illud accingunt, alij ad virtutem aliam properant, alij adhortantis facundiam laudare contenti, circa omnia alia ſatagunt, quo ſacros concionatores modo quotidie tractamus, quæro inquam, ſit-ne futura illa Religio digna Ordinis nomine, in qua mera rerum omnium licentia & perturbatio reperiatur? Qui ſic autem ſe gerant, ij-ne peccatum ſint contracturi, an non: Liberos profectò dicas oportet, ſi non aliam ſuperiores, quàm *priuati Doctores* obtinent poteſtatem: & tamen *inobedientiæ ſcelus & vitium*, in Caſſiano aſceticiſque legimus. Ad eundem pertinet ordinem quod Theologus Inſtaurator vim coërcendorum Monachorum agnoſcit in Preſbyteris, quos eo diſſentiente ſeculares Parochos non fuiſſe, ſuo loco monſtrauimus: ſupereſt igitur vt ſtrictum Monachi vnius in alios imperium fateatur, ſeu Preſbyter ille Abbas fuerit, ſiue ab Abbate diuerſus. Id à quo ſit factum Palladius non explicat, contentus narrare in monte Nitriæ ad maximam Eccleſiam tres palmas extitiſſe, ex quibus flagella penderent *ad caſtigandos Monachos qui delinquunt.* Neque hic imperium Iuriſdictionemque prætermittit Caſſianus, cum narrat, *magnum fuiſſe crimen ex ore Monachi proceſſiſſe codicem meum, tabulas meas, graphium meum, vt qui pro hoc digna pœnitentia ſatisfacturus eſſet.* Ius illius coërcitionis concionatoribus quantalibet *ſacrorum Canonum ac ſcripturarum maieſtate communitu* nunquam in nos lex vlla conceſſit. Religioſam igitur, & votiuam Obedientiam, non tantùm œconomicam, & priuatis doctoribus debitam Monachi veteres vſurparunt.

Pallad. in Lauſi. c. 7.

Caſſi. l. 4. cit. c. 13.

*OBEDIENTIAM RELIGIOSAM NULLI REpugnare iuri, eandemque Deo veriùs quàm homini exhiberi declaratur.*

§. II.

*Aduerſarij contumelioſa vox.* III. TERTIVM caput videre intereſt qua tandem ratione ſcriptor diſſerat. *Quibus*, inquit, *argumentis ſuperciloſam ſibi in reliquos fratres, Abbates primi adrogaſſent poteſtatem?* Contumelioſa vox, & ſcriptore modeſtiam profeſſo parum digna. Nam ſuperba illa & arroganti *ſupercilioſa poteſtatis* appellatione, ſi vult à nobis intelligi ſuo in minores imperio, & horum aduersùs illos obſeruátia, atque animi demiſſione abuti ſolitos ſenes optimos, eorum ſanctitati, quam tantopere demiratur, mirum quantùm detrahit, dominoſq; facit non patres; non æqualium Prælatos, ſed tyrannos: maximè cum ſuperbiæ crimen in ſuperiore, omne ſcelerũ genus complecti cenſeatur. Quòd ſi paterna illa poteſtate benè, & ex virtutis præſcripto vſos eſſe fatetur, quod equidem veriùs exiſtimo, & nihiloſecius *ſuperciloſam* id eſt, arrogantiæ plenã,

faſtoſam

faſtoſam inſolentem nuncupat, viderit vbi modeſtam, & rationis tanquã regulis coërcitam reperturus ſit. Fac enim Antonium, Pacomium, Dorotheum ſanctè atque integrè cœtus ſibi ſubditos gubernãtes, *ſuperciliosã exercuiſſe poteſtatem*, iam reliqui omnium Religioſorũ magiſtratus, imo & Epiſcopi in Clericos, patres & filios, principes in ſubditos, quantũlibet moderatè ſe gerant, *ſuperciliosam poteſtatem* exercere dicẽtur, cum poſt eiuſmodi ſanctorum exempla, nulla *poteſtas ſuperciliosa* cenſeri non poſſit, & debeat. Edicat verò aduerſatius, cur illud conuicium veteres potiùs Abbates feriat, quàm poſteriores, & noſtrates? Si *poteſtas* Antonij *in reliquos fratres ſuperciliosa* fuit, cur Priorum & Guardianorum poteſtas in cœtus familiaſque ſuas modeſta ſit? Cumque Probus Ambroſio ius gladij tradẽs, regere populum moneret, non vt Iudicem, ſed vt Epiſcopum, clementiam in Eccleſiaſtico magiſtratu, ſeueritatem in ciuili ineſſe ſignificans, quo credam argumento Ambroſij ipſius iam Epiſcopi moderatam fuiſſe iuriſdictionem, ſi Antonio cum omni humilitate ſua, cæteriſque ſumnis virtutibus, non alia tribuitur *poteſtas*, quàm *ſuperciliosa*? Neque cauſam adferas, quòd eam *ſibi adrogaſſent*, quæ *de Summi Pontificu, aut Epiſcoporum nutu non promanabat*. Iam enim ſocietates illas Epiſcoporum conſenſu coaluiſſe monſtrauimus: neque crebrius quicquam in aſcetica hiſtoria legimus, quàm omni ope atque induſtria recuſatam à magnis illis patribus *in reliquos fratres poteſtatem*; tantùm abeſt vt eam ipſi ſibi *ſuperciliosa αὐθεντίᾳ arrogarint*. Itaque vel virorum illorum *poteſtas in reliquos ſuperciliosa* contumelia dedecorari non debuit, vel quælibet alterius poteſtas eandem meretur appellationem, quod verè Chriſtianeque dici non poteſt.

Triplici porrò ratione, vel potius iuris in tria membra partitione, diſputat non potuiſſe veteres Monachos primis Abbatibus mancipari. Ac licet obſoleta tantùm vetuſtate tempora tangere videatur, militant tamen aduersùs hoc ſeculum eius argumenta, & ſi quid conficiunt, nullo vnquam tempore Obedientiam Religioſam admitti poſſe probant. Imo & quod grauius eſt, quamlibet in alios poteſtatem conuellunt: quæ eſt infinitæ perturbationis origo. *Nec enim ea auctoritas de naturæ fontibus promanaſſet: nam omnes naſcimur liberi, & iure ac ditione aliena non niſi gentium moribus illigamur.* Vellem hoc dicendi genere Theologus abſtineret. Nam præterquam quòd poteſtatem omnem in alios, ſactam æquè ac profanam, Eccleſiaſticam ac ciuilem, neque magis *Abbatum in reliquos fratres*, quàm Regum in ſubditos profligat; habet etiam aliunde quandam cum hæreticorum ſenſu cognationem, vel Suare teſte, quem auctor non negligit. Is enim poſteaquam veteres nouoſque ſectarios recenſuit Religioſæ hoſtes Obediẽtiæ, hanc profert rationem eorum opinationi ſuffragantem. *Addere etiam poſſent, videri contra ius & inſtitutionem naturæ, quæ hominem fecit liberum; ipſe autem ſe reddit captiuum, dum alteri Obedientiam promittit.* Adduco igitur in medium huic argumento qui ſatisfaciant, omnes quæſtionum controuerſarum ſcriptores, Iuriſconſultos omnes, omnes eorum aduerſarios & malleos qui *dominationem ſpernunt, maieſtatem autem blaſphemant*, vt Theologo demonſtrent, Superiorum quorumlibet poteſtatem in ſubditos, iuri naturali non repugnare.

*Obedientia Religioſa non repugnat iuri naturali.*

Suar. tom. 3. de Reli. cit. l. 10. c. 2. n. 8.

Deſcendit deinde ad ius diuinum. *Nec de Chriſti ſanctione poteſtas ea deriuata: alioquin Pontifices ſummi illam ab Eccleſia tollere non poſſent, nec res Chriſtiana deſtituta Abbatibus, ſtare valeret, ac conſiſtere.* Ablegat nos hæc ratio ad ſuperio-

*Non iure diuino.*

rem de Religioſis Ordinibus à Chriſto inſtitutis diſputationem: qui nomine ipſo ordinem præferentes, ſuperiorum & inferiorum connexionem diſpoſitionemque neceſſariò eloquuntur. In ea autem ſuperfluè quæritur, poſſint-ne ab Eccleſiæ principe tolli omnes in poſterum, cum ab ineunte Eccleſia ſemper virtutibus & votis ſuis aliqui claruerint: neque in antiquandis, ſed reſtaurandis veteribus, nouiſque ſubinde procreandis hactenus occupata fuerit. Longè inſulſior obijcitur quæſtio, poſſit-ne ſine Abbatibus, id eſt, vt ego interpretor, Religioſis Eccleſia conſiſtere. Illa enim curioſitas quæ nemini adhuc Theologo venit in mentem, *quæſtiones præſtat magis, quàm ædificationem Dei, quæ eſt in fide.*

1. Tim. 1. Non iuri humano. Terminat in iure humano, in hunc modum. *Nec denique ex mutuo contractu & conſenſu veluti Abbatis & Monachi: quaſi hic ditioni & dominio Abbatis ſui ſponte auctoratus, deinceps ſua careat libertate.* Memini quendam quaſi contractum agnoſcere nos cum Theologis, inter profitentem Religioſum & Ordinem admittentem. Id pactionis genus euertere ſtudet hic Theologus, hac ratione, quòd nemo de re non ſua validè contrahit: atqui Monachus ſui iuris non eſt, alteri iam domino mancipatus, *Epiſcopi videlicet & Parochi curæ ac ſolicitudini commiſſus, in quorum poteſtatem naſcentes tranſimus. Quapropter non eſt liberum nobis alienum ducem ex animi libertate ſectari, qui ſuper Cathedram minimè ſedet, qui in locum & faſtigium pontificatus non aſcendit.* Hoc loco mirum mihi videtur, baratrum à Theologo non præuiſum quò præcipitat incautus, dum Obedientiæ votum ſuperiori nuncupatæ, quod in Religioſis Ordinibus tantopere probat Eccleſia, ad quod tam ardenter Patres omnes inuitant, quod viri tot ſeculis ſanctiſſimi religioſè, ne dicam anxiè coluerunt, naturæ iuri aduerſari, ſubditos naturalibus ſuperioribus eripere, ad eos transferre Prælatos qui *Cathedra*, ſiue auctoritate & poteſtate careant, aſſeuerat. Nam ſi non eſt nobis liberum, alienum ducem ſectari, libera modò non eſt Ordinis Religioſi ſuſcipiendi voluntas: ſi Religioſus ſuperior *ſuper Cathedram minimè ſedet*, tam ille ſuis iniuſtè imperat, quàm illi ſtolidè & peruersè obtemperant; quique vtrunque ſuadent, ſanè peccant; quæ vtrunque probat Eccleſia, pene dicam fallitur. Quis verò non animaduertit huic facilè rationi ſubſcriptutum VVicleffum, qui olim ſcripſit *peccaſſe Sanctos inſtituendo Religiones priuatas. Benedictum, Bernardum damnatos eſſe, niſi pænituerint de hoc quòd inſtituerunt, & intrauerunt Religiones priuatas.* Si Chriſtianus nemo ſui iuris eſt, non tantùm ad Religionem tranſgredi non licet, ſed ne Laïco quidem in aliam regionem tranſire, ſine iuris naturalis iniuria fas eſt, & libero voluntatis arbitrio alienum ducem ſectari, in cuius poteſtatem naſcens non tranſiuit. Hic enim aut illic naſcendo ſui iuris eſſe deſijt, & vni domino mancipari, videlicet Epiſcopo incœpit & Parocho. Quæ ratio ipſum etiam Epiſcopum & Parochum ferit, qui cum ante ſuſceptas eas dignitates ſui iuris non eſſent, ſed originis Epiſcopo & Parocho mancipati, libero animi propoſito contra ius naturæ, illis ſe Prælatis eripuerunt, dum aliorum prælaturam ſuſceperunt. Quid dicam de Societatibus liberis, quas tantopere prædicat Seguenotus, quarum inſtitutum amplecti, eſt vnum Parocho ſuo ſubditum eripere, quem ſuperiori alteri addicat, cui liberrima voluntate paretur. Plura in huius opinionis ruinam, quæ magnam in Eccleſia ruinam creare poteſt, non adfero, conſecutionum iſtarum patente periculo.

Periculoſa aduerſary doctrina.

Concil. Conſt. ſeſſ. 8.

*Reſponſio.*

Ad rationes tantùm ſtringendas, dico cum *non ſit poteſtas niſi à Deo,* illam Abbatis & ſuperioris poteſtatem diuinitus traditam eſſe, per Eccleſiam Ordines Religioſos inſtituentem approbantemque. Sic illos *ſuper Cathedram ſedere*, licet *in faſtigium pontificatus non aſcendant*: non poſſe ſaluo ordine ſtatuque ordinem illum imperantium, & obedientium diſſipari. Licere cuilibet ſine priuati Parochi iniuria ex animi libidine, aut exigentibus negotijs in alterius Curati poteſtatem ſe tradere, quantò iuſtiùs inſtinctu diuino in alterius ſuperioris Religioſi quaſi Curati ſinum conuolare? Eo loco ſubiectos eſſe Epiſcopis Religioſos, ijs in rebus, à quibus peculiari priuilegio non ſunt exempti.

*In voti obedientia natura labitur aduerſarius.*

IV. Quartum caput, idemque poſtremum, paucis verbis ab auctore, quaſi neglectim iacitur, in quo tamen graue momentum eſt ad declarandam voti Obedientiæ naturam, atque id quod non ſemel monuimus, Regularium vota & inſtituta viris ſecularibus non eſſe ſatis intimè perſpecta, qui proinde de re ſibi parum cognita, tanquam icterici de coloribus diſputant. *Differentiam* ergo Theologus *voti Obedientiæ & aliarum rerum*, in eo collocat, quòd *caſtitatem*, exempli cauſa, *ſi quis etiam nullo teſte Deo polliceatur, attamen tenetur voto ſe ſo exſoluere. Hæc enim non tam homini ſpondetur, quàm Deo: at obedientia humano hominem tradit imperio, & mentem alterius ditioni regendam credit, cuius conſilia & nutus in errorem poſſunt incidere.* Quàm ſubtiliter iſta dicuntur, tam parum ad rem noſtram opportunè. Illi enim boni viri *ſolitudinum comites*, de quibus in ſpeciem tota eſt Theologi noſtri diſputatio, Orientales illi Monachi & Anachoretæ *Laïcales perſonæ*, verſabant animo ſcilicet vtrum homini ſoli, an Deo ſoli voueri poſſit Obedientia? Vtrum illa primariò Deum ſpectet an hominem? Vtrum prælato facta promiſſio, à voto differat quod Deo concipitur? & eiuſmodi ſcholaſticarum quæſtionum tormenta, quæ doctrinæ perparum, ſanctitatis nihil conferre poſſunt. Malebant illi Theologicè viuere quàm dicere, & ignari quid animo ſeparari poſſit, quid poſt longam commentationem fieri, ſatis habebant id facere quod mos & virtus poſtulat, quod nos ipſi etiamnum minùs ſubtiles quàm religioſi facimus, cum vota noſtra nuncupamus, Deo vouemus Obedientiam, homini vt Deo præſtandam.

*Mutat ſtatum quæſtionis.*

*Natura voti obedientiæ.*

*Votum ſoli Deo fit*, vt præciſè D. Thomas, non homini: ea re votum aliud alteri non antecellit. Sed quia vota cætera paupertatis, & continentiæ abſoluta ſunt, & vt ſic loquar, immanentia: Obedientia autem relatiuè hominem ſpectat, cui exhibetur propter Deum, inde fit vt Obedientiæ Religioſæ voto adiuncta ſit promiſſio homini facta, quæ & ipſa voti materia eſſe poteſt: *& per hunc modum intelligendum eſt votum, quo quis vouet aliquid Prælatis, vt ipſa promiſſio facta Prælatis cadat ſub voto materialiter, in quantùm ſcilicet obligat, vouet Deo ſe impleturum quod Prælatis promittit.* Non fit igitur homini votum Obedientiæ, ſed Deo, non aliter quàm caſtitatis; ſed fit homini promiſſio ſtabilita per votum, quam malè Theologus cum voto videtur confundere, cum anteponit caſtitatem, quòd in ea reſpectus ille ad hominem non repetiatur.

D.Th. 2.2. q.88. a.5. ad 3.

*Superior vice Dei ſpectatur.*

Addidi Obedientiam homini tanquam Deo præſtari: eſt enim ille primus apex Religioſorum rudimentorum nouis nouitijs propoſitorum, Deum imperantem in ſuperiore ſpectari oportere: ſic Apoſtolo præcipiente, obediendum dominis *ſicut Chriſto, non ad oculum ſeruientes, quaſi hominibus placentes, ſed vt ſeruos Chriſti, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate ſeruientes, ſi-*

Eph. c. 5.

*cut Domino & non hominibus*. Quare Tabenneſiotæ Monachi apud Caſſianum,
Caſſi. l. 4. Inſt. c. 30. *Uniuerſa complere quæcunque fuerint à Præpoſito præcepta, tanquam ſi à Deo ſint cæli-*
*tus edita, ſine vlla diſcuſſione feſtinant*. Sic in Ioanne Climaco, Iſidorus duriſſi-
Climac. in Scala. c. 4. mo tentatus imperio, *paruit ſuo Præſidi, non ſecus atque Angelus Deo*. Et Lau-
rentius octogenarius ſenex, ſatis contemptim habitus ab Abbate, reſpondit,
*Chriſti perſonam Antiſtiti meo aſſignans, non ab homine, ſed planè ab ipſo Deo mihi*
obedientia cæca. *præcepta edi cogitaui*. Hinc illa nobilis Obedientia cæca, dum ſuperioris vocem,
tanquam diuinum oraculum ſuſcipiens Religioſus, *ſine vlla diſcuſſione* rectè-
nè an perperam imperetur, ad exequendum mandatum properat, cum illa
tamen reſtrictione, modò peccatum non præcipiatur: illo enim caſu non
vt à Deo, ſed vt à Dæmone profectum imperium prætereundum eſt. Hanc vt
opinor perſpiciebat animo S. Baſilius, cum obedire nos iuberet vt *Martyres*
obedientia comparatio cum fide. *fidei*. Vt enim obſcura fides eſt, & Dei ſolius reuelantis, atque Eccleſiæ propo-
nentis auctoritate nititur, eius autem myſteria diſcurere, & curioſiùs inueſti-
gare haudquaquam ſecurum eſt: ita præceptum ſola imperantis auctoritate
ſuſceptum, abſque humani ingenij examine, tãquam à Deo profectum confi-
citur. In quo neſcio quomodo certiùs hæremus in Obediẽtia, quàm fide. Nam
ſi quem mihi falsò perſuaſero articulum eſſe reuelatum, quantumlibet circa
illum, actum fidei coner & videar exercere, nunquam tamen ipſa creduli-
tas illa erit actus fidei, quæ niſi circa obiectum verè reuelatum verſari non
poteſt: at ſuperioris imperium, etiam cum eius peccato & errore coniun-
ctum, etiam de re minùs per ſe laudabili, quàm foret oppoſita, certiſſimè à
Deo eſt, pluſque inuehit meriti in obſequentem, quàm ſi ſuapte ſponte, &
humana prudentia maius aliquid aggrederetur. Tunc enim melius eſt facere
quod melius non eſt, neque in opere materia actionis, ſed in voluntate, voti
& Obedientiæ forma ſpectatur. Cenſum Auguſti Cæſaris conſidera, & non
imparem Dauidicæ tam grauiter caſtigatæ ſuperbiam, cui tamen & Ioſephus
& Virgo ſuauiſſima plena Deo rectè atque honeſtè obtemperarunt. Dubitas
quin ſacrificium præſtantiſſimus ſit Religionis actus? Eum tamen in Saüle
1. Reg. 15. Deus exhorruit, iſque à Prælato audiuit, *Melior eſt obedientia quàm victima, &*
*auſcultare magis quàm offerre adipem arietum*. Poteſt igitur malè imperare ſupe-
rior non mala, malè obediendo facere non poteſt inferior; vt in Religioſo
Suar. tom. 4. de Relig. tr. 10. l. 4. c. 15. cæca atque indiſcreta obedientia, non poſſit eſſe non eximiè meritoria, quod
multis auctoritatibus probat Suarez alibi citatus; ac proinde illi virtutis voti-
que dignitati officere non debet, quòd ſuperior cui obedientia promittitur,
*in errorem poſſit incidere*, vt obijciebat aduerſarius.

## *OBEDIENTIÆ RELIGIOSÆ VOTUM NON eſſe generale, ſed ſpeciale & priuatum demonſtratur.*

## §. III.

Exponitur opinio Petri Aurelij, & ſtatus quæſtionis. POSTQVAM Obedientiæ virtutem in conſilijs Euangelicis numerari
Claudio Seguenoto probauimus; atque illi conſilio ab antiquis Orienta-
libus Monachis votum fuiſſe additum, probum, legitimum, ſanctum, Nicolao
le Maiſtre perſuaſimus; ſupereſt denique vt votum illud non generale & va-
gum, ſed limitibus virtutis vnius conſtrictum, & priuatum eſſe in mediæ

ætatis

ætati Monachis, omnibuſque vniuersè Religioſis, Petro Aurelio demonſtremus. Duobus maximè modis intelligi poteſt fuſa illa & lata Obedientia; priore quatenus cum alijs Chriſtianis comparatur, poſteriore quatenus cum alijs Religioſorum virtutibus regulisque confunditur. Quare priuata & ſpecialis ex aduerſo illa eſt, quam præter fideles cæteros vouent Religioſi, quæque apud illos non æque regulas omnes obſeruantiaſque, ſed vnius priuatæ virtutis vſum complectitur. Hanc nos tuemur, impugnat Aurelius, & latam ſufficere arbitratur: cuius in priori capite pedem non figit, quòd eam doctrinam firmam ſatis, & ſtabilem non eſſe ſine dubitatione conijciat. Reperiuntur tamen qui ad idem ſaxum impingant, publicè profeſſi, vnam ſe agnoſcere obedientiam, quam Deo in baptiſmate vouemus ſinguli.

Sic igitur diſſerit. Adoleſcenti ad perfectionem inuitato vnum paupertatis conſilium fuiſſe à Chriſto propoſitum: eam proinde perfectionem ſine ſpeciali voto caſtitatis aſſequi potuiſſe, *aut Obedientiæ maioris, quàm quæ ipſi vt Eccleſiæ præpoſito debebatur, ac deinceps vicarijs eius. Nefas eſſe id negare, & Chriſti voci manifeſtè repugnare, qui ei ad viam ſtatumque perfectionis hoc vnum indixit.* Quæ cum ſcribit Theologus, non peruidet quod ineunte capite fuſiùs declaratum à nobis eſt, illi paupertatis conſilio adiunctum aliud realis ſequelæ, in qua Obedientiæ conſilium aperuimus: quæ duo ſic expreſſa, tertium aduocant caſtitatis, quam in Apoſtolis Chriſtum ſequentibus omnis agnoſcit Eccleſiæ antiquitas. Id autem percommodè & æquiſſima ratione conſultum à Chriſto fuiſſe, comprobatur argumentis omnibus, quæ ſtatum Religioſum ex votis aliquibus conflandum eſſe neceſſariò conficiunt; eadem enim pro ſingulis eorum atque omnibus ſimul tribus apertè militat, vt patebit ea ex dictis præcedentibus replicanti, quibus ego inutiliter repetendis ſuperſedeo. Vnum tamen huic loco conueniens admonendum eſt, communem ſubditorum Obedientiam quæ in baptiſmate ſuſcipitur, vt & communem Eccleſiaſticorum Prælatorum curam & ſolicitudinem, ad virturem communi ſuperiorem non deducere, neque poſſe à nobis quicquam exigere amplius, quàm vt obſeruandis ſimpliciter præceptis purè Chriſtiani ſimus: at Religio conſilia complectitur, ſtudium perfectionis inſpirat, & quod Baptiſmus incœpit, aſſiduo labore perpolit, & ad maiora ſemper ſemperque prouehit. Quamobrem ſi Virgines conſecratæ olim ſub cura & tutela Epiſcopi, quantùm ad perfectionem attinet, non fuerunt aliter quàm vulgares Chriſtiani, quod in aliquibus ſaltem Eccleſijs eueniſſe non dubito, illis ad perfectum ſtrictæ Religionis ſtatum Obedientiam defuiſſe exiſtimo.

*Obedientia Religioſa diuerſa eſt ab ea quæ promittitur in Baptiſmo.*

Aurel. in Vind. pag. 672.

Dices fortaſſe ſubditos ex rei natura Hierarchis Religioſos, ab ijs per ſuperiores proximos regi, quo ante modo explicuimus, quemadmodum fideles cæteros per interpoſitam operam Parochorum: quare ſi abſque ſpeciali voto iſti Prælatis ſuis obtemperant, quid cauſæ eſt cur illud in Regularibus requiratur? Quod & ex ordine ciuili confirmatur, in quo eadem Obedientia in qua nati ſumus ſub Principe, nos ſine noua fidelitatis profeſſione, Magiſtratibus ſubijcit à Principe conſtitutis. Reſpondeo latum eſſe inter Obedientiam Chriſtianorum Parochis, & Obedientiam Religioſorum ſuperioribus ſuis exhibitam diſcrimen: ſi enim cauſam inſpicimus, altera quaſi neceſſaria eſt, & naturalis cum qua renaſcimur; altera voluntaria, & ex libera electione ſuſcepta; ad illam proinde nos ipſa natiuitas, aut alia ſimilis obligatio adigit,

*Obiectio.*

*Reſponſio. Obedientia Religioſa à communi diſcrimen.*

ad hanc nulla neceſſitate conſtringimur: quare cuilibet liceret ſalua virtute & Religione, ab ea reſilire ad arbitrium, & in ijs domibus, quas vocamus Ordines, maximam parere perturbationem. Quòd ſi moramur in obiecto, cum longè grauiora Prælati Religioſorum, quàm Parochi ſubditis imponant onera, ſitque periculum ne victa nonnullorum natura ſuccumbat, niſi fortius inſtabilitati humanæ remedium prouideatur, neceſſarium videtur voto ad iſtud conſilium obligari, ſicut profeſſione Chriſtiana ad præceptum fideles conſtringuntur. Finem etiam ſpeculari poſſumus, quæ perfectior in Religioſis caritas eſt, & planior ad illam via: qui peculiariter ſibi dictum audiunt, *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam quotidie, & ſequatur me.* Nemo autem proprie ſemetipſum abnegat, niſi qui abdicata voluntate propria propter Deum, in alterius nutu & poteſtate ſe collocat. Itaque ſuperiori peculiarem promittere Obedientiam debet Religioſus, fidelis Parocho non tenetur.

Luc. c. 9.

*Negat Aurelius in ordine S. Benedicti ſpeciale votum Obedientiæ fieri.*

Poſteriorem generalis Obedientiæ modum ſtudioſiùs premit Aurelius, probatque in S. Benedicti regula, illa Occidentalium matrice, ſpecialem non voueri Obedienriam, ex D. Bernardi mente: *Non quin Obedientiam quoque ſponderent Monachi, ſed quia ſpeciale votum Obedientiæ non fieret, plus quàm cæterarum obſeruantiarum Religionis, ſed generale tantùm; quatenus & Obedientia vnum eorum erat quæ regula præciperet.* Hoc ait ſcriptor, in celebri S. Benedicti regula, & D. Bernardi ſtrictiore obſeruantia, priuatum obediendi votum non concipi, ſed generalius aliquid à profitente promitti, videlicet totius in vniuerſum tegulæ obſeruationem, qua & Obedientia, & ieiunium, & ſilentium, & fraterna caritas continetur, quæ nemo dixerit ſpeciali voto ſponderi. Atque illud profert exemplum Petrus Aurelius, vt tria vota ad conflandam Religionis eſſentiam neceſſaria non eſſe conficiat: cuius proinde theſis vanitatem in S. Benedicti regula, & mente D. Bernardi monſtrare nos oportet, antequam priuatim de Obedientia diſſeramus.

*Refellitur ex ipſa regula.*

Fatemur quidem vnicum è ſubſtantialibus illis votis in profeſſione Benedictina nomine ſuo appellari, promittente Nouitio *ſtabilitatem ſuam, & conuerſionem morum ſuorum, & Obedientiam ſecundùm Regulam S. Benedicti*: ſiue vt fert textus regulæ, *de ſtabilitate ſua, & conuerſione morum ſuorum, & Obedientia coram Deo & ſanctis eius.* Verùm ignorare non poteſt aduerſarius, ſi de Regularium inſtitutis ſolidam vult inire diſceptationem, ea formula trium votorum intelligi nuncuparionem, poſt tot ſeculorum conſuetudinem, fideliſſimam legum interpretem, poſt tot Pontificum decreta, Conciliorum Canones, doctorum reſponſa. Neque aliter etiamnum concipi in ſelectiſſimis eius ordinis Conuentibus; admonente dudum Cardinale à Turrecremata, *Nullum debere calumniari hanc profeſſionis formam, tanquam minus completam, eò quòd expreſſa in ea non fiat mentio de ſeruanda caſtitate, & proprio non habendo. Quoniam eò ipſo quòd quis aſſumit habitum Monachalem, & Obedientiam cum morum conuerſione promittit, caſtitatem ſeruare, & renunciare proprijs intelligitur, cum iſta ſint de ſubſtantia Monaſticæ vitæ: vt Extra. de ſtatu Monachorum. in Capitulo Cum ad Monaſterium.* Quod neque tacita omnium hominum voce poſtularetur, neque à tanto viro ſic excuſaretur, niſi & ea tria eſſentiam Religionis componerent, & ſpecialis Obedientia, vt & caſtitas, paupertaſque ſponderetur, & hic eſſet Regulæ præſtantiſſimæ genuina ſententia. Imo tam ſunt inſita in eius regulæ ſubſtantia

Reg. S. Bene. c. 58.

*Ea formula comprehenduntur tria vota ſubſtantialia.*

Turrec. in Reg. S. Bened. c. 130.

tria

tria vota, cum expreſſa ſtabilitate, vt eius laudandæ caput deſumat idem Theologus in purpura, *ab eminentia Euangelicæ perfectionis, vt qua planè nihil de voluntate propria, nihil de corporis proprij poteſtate, nihil de rerum mundanarum poſſeſſione, nihil de tempore dereliquit.* Poſtulabis fortaſſe cur è tribus quæ intelliguntur votis, Obedientia potiùs, quàm vllum aliorum exprimatur? Reſpondeo in conuerſione morum contemptum ſeculi, & diuitiarum coniugijque fugam reperiri: & ſi fiat votorum inuicem collatio, *vniuerſalius eſſe* D. Thomæ ſententia, *Obedientiæ votum quàm continentiæ & paupertatis, & quodammodo includere vtrumque*; qua propriæ voluntatis vſum applicat homo ad exteriora, ipſumque corpus: quamobrem *qui propriam voluntatem dat, totum dediſſe videtur.* Ne cui tamen pateret calumniæ B. Franciſcus in ordine Seraphico conſtituendo, poſt promiſſam vniuersè vitam ſecundùm Euangelium, promitti à ſuis expreſsè voluit obſeruationem regulæ, *viuendo in Obedientia, ſine proprio, & in caſtitate.* Is autem non temerè à nobis credi poteſt D. Benedicti regulam conſuluiſſe, & ab ea nonnihil in hortum ſuum deriuaſſe, ac proinde hanc profeſſionem illius ſuperioris aut imitationem, aut explicationem videri poſſe.

Item epi. ad Aiſon nium.
*Cur Obedientia potiùs exprimatur, quàm alia vota.*
D Thom. Opuſc. 18. c. 11.
*Regula ſeraphica vota tria exprimit.*

De S. Bernardi mente, dubitare nemo poterit, quin is nobilia tria in Religioſis agnoſcat vota, qui citatum explicatumque à Suare dictum eius recoler, ſermone ad Abbates congregatos, de tribus Ordinibus Eccleſiæ, quem pro ſua ſententia citare non veretur Petrus Aurelius. Religioſum quemlibet turbulentos ſeculi fluctus ponte tranſmittere, & ad beatitatis littus ea via peruenire declamat. Eum pontem non ſic anguſtum intelligi, licet anguſta ſit ad cœlum via, quin *tribus ſit compactus lignis: hæc autem ſunt pœna corporis, paupertas ſubſtantiæ mundialis, & humilitas Obedientiæ.* In primo caſtitatem corporis afflictatricem benè interpretatur idem Suarez, quæ in ijs ſecura eſſe non poteſt, qui carnem ſuam non crucifixerunt cum vitijs & concupiſcentijs. Quanta ſit autem eorum omnium neceſſitas, & mutua colligatio, rectè declarat. *Hæc ſibi inuicem compacta eſſe neceſſe eſt. Nam nec pœna corporis inter diuitias ſtabilis, nec Obedientia ſine pœna facilè poteſt eſſe diſcreta: & paupertas in voluptate, & voluntate propria, nullius poteſt eſſe momenti: & Obedientia in diuitijs & voluptate nec ſtabilis, nec glorioſa. At verò his ritè compoſitis, vide ſi non tria maris huius pericula euaſiſti, concupiſcentiam carnis, concupiſcentiam oculorum, & ſuperbiam vitæ. Ritè inquam compoſitis,* &c. Quos Chriſtianæ virtutis hoſtes, nemo non ſentit trium Religioſorum votorum obſeruatione & exercitio vinci & profligari. Alio loco tria Magorum Chriſtum adorantium munera, ad tres Religioſi viri virtutes accommodat, aurum ad paupertatem, thus ad obedientiam, licet obſcuriùs, myrrham ad carnis afflictationem, quæ caſtitatem, & facit & conſeruat. De hac autem quæ huius maximè capitis eſt Obedientia, quid non ſubtiliter & eximiè ſcribit, ſiue cum *familiarem & amicam ſalutis Obedientiam, ſed Obedientiam firmam & ſtabilem, quæ fundata eſt ſuper petram*, appellat; qualis ea ſola eſt quæ voti Religione firmatur: ſiue cum Religioſum vetat eſſe prudentem, ſed præcipit *vt ſtultus fiat, vt ſit ſapiens, & hæc omnis eius ſit diſcretio, vt in hoc nulla ſit ei diſcretio, quia patris ſpiritualis eſt diſcernere, aliorum obedire*: ſiue cum admonet, *quicquid vice Dei præcipit homo, haud ſecus omnino accipiendum eſſe, quàm ſi præcipiat Deus.*

*Refellitur Aurelij ſententia ex dictis S. Bernardi.*
Serm. de trib ordin. Eccleſ.
Suar. tom. 3. de Reli. l. 2. c. 2. n. 12.
Bern. ſerm. 3. in Epiph.
Serm. Ecce nos reliq. omnia.
l. de vita Solitaria.
l. de Præc. & diſpenſ. c. 12.

Itaque tum Benedictinæ regulæ, tum D. Bernardi mens vna eſt, & mos *Speculo*

*Obedientia vouetur, non tantùm generalis.*

antiquis, voueri tria vota ſubſtantialia, vnum expreſsè & ſpecialiter, nimirum Obedientiam, cætera implicitè, & paulùm obſcuriùs. Vnde facili conſecutione deducitur, ſpecialem promitti Obedientiam, cum hæc virtus præter cæteras peculiariter exprimatur. Nam ſi generalem tantùm profeſſio intelligit Obedientiam, quæ ad virtutes regula præceptas extendatur, nonne illa conuerſione morum & ſtabilitate contenta eſſe cenſeri poteſt? Si Obedientiam vouet profitens, quia illa vna eſt è virtutibus regula contentis, (qui verus eſt Aurelij ſenſus) cur hanc potiùs quàm reliquas, vt humilitatem cuius ipſa primus dicitur gradus, vt pietatem cuius ſtudium tantopere commendat, vt caritatem cæterarum omnium finem & principem? Reſpondendum eſt voueri Obedientiam ſecundùm regulam, id eſt obedire regulæ vniuerſæ, quod de humilitate, & pietate dici non poterat. Verùm quid hæc verba ſignificent poſtea videbimus: nunc in Aureliana hætenus opinione, quæ ab ea reſponſione procul diſſita eſt, Obedientiam voueri, quia *vnum eorum eſt quæ regula præcipit*. Ius igitur ad illam reſponſionem nullum habet, & in explicatione ſua fateatur oportet, vnam aliquam priuatam ſpecialem virtutem eſſe Obedientiam quæ vouetur, quando ex aliarum aceruo exempta ſola exprimitur, licet & ipſa inter eas virtutes recenſeatur, quarum obſeruationem regula præcipit. Nam cum in omnibus Ordinibus tres voueantur virtutes, eædem ipſæ poſtea magnam regularum partem faciunt, vt earum vſus & opportunitas fuſiùs edoceatur: & tamen ſpecialia ſunt ſingularum virtutum vota, non *generale tantùm*, *quatenus vnum eorum ſunt*, *quæ regula præcipit*. Falsò igitur aſſerit Aurelius *ſpeciale votum Obedientiæ non fieri plus*, *quàm cæterarum obſeruantiarum Religionis*. Quod & ex vltima diſputatione clariùs patebit, in qua probandum nobis eſt, *cæteras obſeruantias* propriè non voueri: neceſſarium igitur eſt Obedientiæ votum eſſe ſpeciale, quando ex omnibus obſeruantijs, vt vult Aurelius, ſola vouetur.

## *EXPLICATVR D. BERNARDI LOCVS DE profeſſione Obedientiæ ſecundùm Regulam S. Benedicti.*

## §. IIII.

*S. Bernardi locus ex ep. 7. ad Adã Monachum.*

NIHILOMINVS D. Bernardum opponit aduerſarius, ſed infideliter, qui textum non inutili voce detruncat; ſed infeliciter, qui ea auctoritate nullo modo rem ſuam promouet; ſed perturbatè, qui diuini ſcriptoris mentem non aſſequitur, ſuam implicat. Tria dico, & omnia præſto; & ſi S. Bernardi locum conſulere dignatus eſſet Petrus Aurelius, non exceptoribus credere, noſtræ operæ ſuoque nomini conſultiùs pepercíſſet. Locus eſt in Epiſtola ad Adam Monachum, qui ſic ab Aurelio citatur. *Tu profeſſus ſecundùm regulam S. Benedicti, promiſiſti Obedientiam, promiſiſti & ſtabilitatem.* Sic autem ſcripſit S. Bernardus. *Dico Abbati per omnia obtemperandum, ſed ſalua profeſſione. Verùm tu profeſſus ſecundùm regulam S. Benedicti, vbi promiſiſti Obedientiam, promiſiſti & ſtabilitatem.* Non caret omiſſa vox *vbi* emphaſi ſua, vrgetque aduerſarium. Fateris conceptam à te profeſſionem in S. Benedicti familia, ad formam & mentem tradiræ ab eo regulæ: ideoque *vbi* & quo loco promiſiſti Obedientiam quam obtendis, illic & in eodem promiſiſti ſtabilitatem quam violas.

*Petrus Aurelius locum non citat ſatis fideliter.*

violas. Nam *ſi obedieris quidem, ſtabilis autem non fueris, dum offendis in vno, factus es omnium reus: ſi omnium, & ipſius Obedientiæ*, quæ in hoc ordine vera eſſe non poteſt, niſi ſtabilitati coniuncta. Vota igitur duo, loco iungit *vbi* ſcriptum à S. Bernardo: eſt autem à Petro prætermiſſum Aurelio, vt votum Obedientiæ ſignificet in regulam cadere, vt *generatim ſtabilis obſeruantia regulæ Monaſterij promittatur.* Quod vt à textus, ſic à S. Doctoris mente alienum eſt.

*Locus ille non fauet Aurelio.*

Vis deprehendere quàm parum Aurelianæ ſententiæ faueat idem locus? Duo probanda ſunt, alterum, *expreſſum Obedientiæ votum non conſueuiſſe fieri* à Benedictinis. Id ſibi monſtrari Lector poſtulat. Subijcit Aurelius S. Bernardi verba. *Tu profeſſus ſecundum regulam S. Benedicti promiſiſti Obedientiam*: & hoc verbum in ipſa profeſſione enunciatur. Votum igitur Obedientiæ fieri conſueuit expreſſum, quæ Aurelianæ opinionis contradictoria propoſitio eſt. Alterum quod conficere conatur, votum iſtud Obedientiæ *non eſſe ſpeciale, ſed generale tantùm, quatenus & Obedientia vnum eorum erat quæ regula præciperet.* Id cum nulla quæ ſuperiùs protulit ex D. Bernardo verba vel obſcurè ſignificent, ſubijcit iſta tanquam certam probationem: *Vniuerſaliter, inquit, præcipitur, & nemo excipitur, vt omnes ſcilicet per omnia magiſtram ſequantur regulam, nec ab ea temerè deuietur à quoquam.* Quæ vox tuam hic propoſitionem credi ſuadet? Vbi legis *generale Obedientiæ votum?* Vnde diſcis promitti Obedientiam, *quatenus vnum eorum eſt quæ regula præcipit?* Non hoc, inquis, ſonant verba, ſed mentem conſulo: *Innuit enim promitti generatim regulæ obſeruantiam.* Excluſus igitur à verbis, ad cogitata prouocas. Cuius? Regulæ ipſius, an Bernardi? Imo vtriuſque. Quid igitur Regula? Iubet in negotijs momenti alicuius aduocari fratrum Concilium, & ſententias dici à ſubditis, rem definiri ab Abbate, ad mentem regulæ; vt ſubditorum *nullus in Monaſterio* conſilium dando, *ſequatur proprij cordis voluntatem*, ſed *magiſtram regulam.* Abbas autem in decernendo *cum timore Dei, & obſeruatione Regulæ omnia faciat.* Hæc-ne omnia loquuntur *generale votum Obedientiæ, quatenus vnum eorum eſt quæ regula præcipit?* Nec alia mens Abbatis Claræuallenſis. Abbas enim Arnoldus imperauerat, Adamus cum ſocijs obtemperauerat in eo quod regulæ repugnabat. Peruerſè vterque, cum regulæ magiſterium ſequi Abbas iubendo debuerit, ſubditus obediendo. *Viderit Abbas meus* (cui Obedientiam promiſi, non vniuersè, ſed *ſecundùm regulam*) *quid ſibi faciendum putet de eo, quod ex regula ad ipſum ſpecialiter dirigitur, vt præſentem regulam in omnibus conſeruet.* Eius eſt videre ne quid regula detrimenti capiat, quod & ipſum ei regula præcipit. *Et item quod vniuerſaliter præcipitur* (non quod vouetur expreſsè in profeſſione, de qua tantùm nobis eſt controuerſia, ſed decernitur in corpore regulæ) *& nemo excipitur* (non Abbas quantacunque ſe poteſtate præditum putet, non ſubditus quocunque ſe Abbatis imperio adigi prætendat) *vt omnes ſcilicet per omnia magiſtram ſequantur regulam* (in rebus dubijs decernendis, in quolibet mandato vel imponendo, vel exequendo) *nec ab ea temerè deuietur à quoquam.* (& ſi quando negotij alicuius natura, ſi temporum iniquitas, ſi publicum Monaſterij, aut priuatum ingens ſubditi alicuius bonum coëgerit nonnihil inflecti regulam,

*Contradictorii oppoſitum eſt S. Bernardo.*

*Regulæ ſenſus explicatur c. 3.*

*S. Bernardi locus exponitur.*

Bern. l. de Præ: & Diſp. c. 7.

& vt loquitur D. Bernardus *interdum regula litera cedat pro tempore caritati, cum ratio neceßitatis vel caritatis exegerit*, id non *temerè*, ſed grauibus de cauſis, & maturo fiat conſilio. In hac allati loci pura puta explicatione, quid habes, quo conficias *promitti generatim conſueuiſſe regulæ ſtabilem obſeruantiam?* Hic de profeſſione tractatur? de voto? de ſtabilitate? de obedientia *quatenus vnum eorum eſt quæ regula præcipit?* Quamobrem ſi neque verba, neque ſenſus aut regulæ, aut S. Bernardi tibi fauent, hac auctoritate promenda quid tandem promoues? Sed hæc tertij capitis inueſtigatione fient clariora.

*Arnoldi Abbatis hiſtoria* ex S. Bern. ep. ep. 6 & 7.

Quod vt exequar, hypotheſim hiſtoricam ſubſterno, & quidem quo veriorem ſcias, ipſius S. Bernardi verbis ex Epiſtola conſarcinatam. Arnoldus Morimundenſis Abbas, *in graue totius ordinis* Ciſtercienſis *ſcandalum, ſuum Monaſterium ſatis inordinatè deſeruit, quippe qui nec coabbatum ſuorum in tam ſcrupuloſo facto expectauit conſilium, nec ipſius cui præcipuam debebat ſubiectionem, Abbatis ſcilicet Ciſtercienſis licentiam vel aſſenſum:* nec Epiſcopi *cuius quia non fuit expectatus conſenſus, inexcuſabilis fuit & contemptus:* impetrata tantùm Romani Pontificis licentia, *aut circumuenti mendacio, aut importunitate victi.* Neque id ſolus: ſed *de magna multitudine Monachorum, paucis admodum relictis deſolatis, meliores quoſque & perfectiores ſui ſocios erroris aſſumpſit.* Inter quos Adam fuit Monachus *illorum temporum Paulus ſimplex*, vt iocatur, quem ab eiuſcemodi aut fuga, aut peregrinatione intempeſtiua reuocare conatus S. Bernardus, refractarium, etiam Arnaldo mortuo reperit, obtendentem Abbatis imperium, cui Obedientiam voto firmatam promiſiſſet, atque ita *vaniſsimam præſumptionem, turpiſsimam leuitatem, crudeliſsimam diſſenſionem, Obedientiæ, modeſtiæ, manſuetudinis nominibus velantem.* Iam occupas, Lector, cogitatione quid iſta parturire poſſit narratio. Quid enim ad ſpiritus illos peruincendos, & falſæ Obedientiæ tectorium deſtruendum Bernardus?

*Bernardus impugnat Obedientiã temerariam.*

Illam non eſſe Obedientiam *qua peior inuenta eſt homicidio*; nullum poſſe cogi *obedire contra caritatem, obedire in ſua ſalutis periculum; Deo quippe imperanti contraria. Maiorum inſtitutis minorum non eſſe præponenda, aut communibus priuata non præiudicare imperia, & ex regula S. Benedicti hoc haberi. Duo præcipua in Monaſterijs obſeruanda tradi, ſubiectionem Abbati & ſtabilitatem in loco.* Iudicabit hic Lector, vtrum S. Bernardus ſtatus regularis naturam expendat, vt credere nos iubet Aurelius, & cur duo iſta obſeruantiæ regularis capita ex omnibus ſecernat. *Neutrum alteri præiudicare debere.* Quòd ſi ſe tuetur Adam obedientia promiſſa, obijci etiam poſſe ſtabilitatem in profeſſione expreſſam.

*Refellitur Aurelius.*

Peccat hic etiam Aurelius quòd promitti dicit *regulæ ſtabilem obſeruantiam*, quaſi votum illud ſit vnicum, quæ manifeſtè & profeſſio, & D. Bernardus ſeiungit, *promiſiſti Obedientiam, promiſiſti & ſtabilitatem*, & vtrunque *ſecundum regulam S. Benedicti*, quæ vtrũque diſtinguit, ſed neutrum ab altero ſeparat, vt Obediẽtia ſine ſtabilitate, non ſit profeſſio ſecundùm regulam S. Benedicti. Sunt igitur hæc vota duo, quæ ſola ſunt in quæſtione, quorum alterum ab Adam malè intelligitur, alterum à S. Bernardo benè obijcitur. Denique vt ſtabilitatem ſecundùm regulam, Obedientiæ contra regulam, quod ratio veritaſque poſtulat, anteferendam probet, addit *in profeßione regulari ſic promitti ſtabilitatem, vt de ſubiectione Abbati exhibenda nulla penitus fiat mentio.* Non enim promittitur Obedientia indefinitè, in omnibus quæ Abbati col-

libuerit imperare, ſed legitimis totius regulę finibus circumſcripta: vt non tam Abbati, quàm regulæ ſubiectio ſponderi videatur. Quo ex ſenſu addit inferiùs, *profiteri quemlibet in præſentia Abbatis, non ad nutum ipſius, vt qui tantùm teſtis adhibeatur, non dictator profeſsionis; adiutor, non fraudator adimpletionis, vindex, non auctor præuaricationis*: hoc eſt verbo vno, *profiteri ſecundùm regulam*, non ad Abbatis arbitrium, & *omnes magiſtram ſequi regulam*, non regulæ præuaricatorem.

*Aurelius propoſitiones ſuas ex D. Bernardo non probat.*

*1. Propoſitio.*

Ex his omnibus quæro quid in rem ſuam euincat Aurelius? Legamus eius veſtigia, & ſingula dicta conſulamus. Tres propoſitiones ſuſcipit D. Bernardi auctoritates firmandas. Prima generalis eſt, eſſentiam Religioſi ſtatus ex tribus nominatiſſimis votis non conflari: quod in hunc modum probat. *Diuus Bernardus ſtatus regularis naturam expendens, eam ex duobus præcipuis componit, ſubiectione Abbati, & ſtabilitate in loco*, Primùm id nego, expendi naturam ſtatus hoc loco: ſiquidem in ea natura ſtabilitatem in loco, nemo vnquam numerauit. Deinde non profeſſionem tangit S. Bernardus, ſed ea quæ ſtrictè obſeruanda traduntur. Præterea cum conceſſero duo hæc in profeſſione contineri, totam nihilominus *Regularis ſtatus naturam* explere non fatebor: nam qui hæc *præcipua* vocat, alia non excludit: imo plura ineſſe ſignificat, ſed hæc ad præſentis diſputationis ſtatum ſelecta ſufficere. Diuus ergo Bernardus ſtatus regularis naturam ex duobus præcipuis non componit.

*2. Propoſitio.*

Altera propoſitio, *expreſſum votum obedientiæ non conſueuiſſe fieri à ſui ordinis regularibus*, quia *de ſubiectione Abbati exhibenda nulla fit mentio in profeſsione regulari.* Fideliter orationem Bernardi deſcribit Aurelius, ſententiam non exprimit. Aliud enim eſt *Obedientiæ votum* hoc in propoſito, aliud *ſubiectio Abbati exhibenda.* Nam cum in ipſa *profeſsione Regulari* exprimatur *Obedientia*, quod S. Bernardus non tantùm non negat, ſed & diſertè agnoſcit, eam prauè interpretabatur Adam, *ſubiectionem Abbati exhibendam* in omnibus, etiam contra regulam, contra caritatem, contra ſalutem. Quod præciſè fortiterque negat Bernardus; eſt enim virtus Obedientia, hæc autem ſubiectio *peior homicidio*: quare huius in profeſſione regulari nullam fieri mentionem rectè Bernardus admonet; malè Aurelius explicat, expreſſum Obedientiæ votum non conſueuiſſe fieri.

*3. Propoſitio.*

*Aurelij contradictio.*

Tertia propoſitio, *promiſſam ab ijs fuiſſe Obedientiam*, id tamen *votum ſpeciale Obedientiæ non fuiſſe, ſed generale tantùm, quatenus & Obedientia vnum eorum erat, quæ regula præciperet.* Quænam iſta perturbatio eſt? Dic ſemel Aureli, aut nega. Expreſſum Obedientiæ votum fecerunt Regulares ordinis Benedictini, an ſecus? Feciſſe putat & docet S. Bernardus, an non? Eodem loco, continenti oratione idem affirmare, idem negare fluctuantis eſt ingenij, non Theologi diſputantis. Eam rem habes pro dubia, quæ in vtranque partem poſſit diſſeri? Cur aſſeris, cur negas affirmatè? Ancipitem te facit ipſa Bernardi oratio obſcurior & perplexa? Hic gloriæ campus: ſenſum inueſtiga, verba euolue, tanti Patris doctrinam in bono lumine colloca; ſimul cum fœdæ contradictionis laqueis exolues, ſimul opinionem tuam conſtitues in ſolido. Periculoſum eſt auctorum fruſta hinc inde corrogata, tanquam malè coctos cibos auido Lectori exponere. Nos verò quod certum, & apertum eſt in S. Bernardo accipimus, *expreſſum fieri votum Obedientiæ.* Id Petrus Aurelius vult eſſe *generale tantùm, quo promittitur generatim regulæ ſtabilis obſeruantia.* Sed iſtud ne-

que loquitur, neque ſignificat Bernardus, neque ab eo ſignificari prob- Aurclius, vt nos ante monſtrauimus: & ſi talis vouetur Obedientia, vouen- æquè ſeniorum obſeruantia, iuniorum amor, riſus fuga, non velle dici ſan- ctum antequam ſit, accipere in cibum duo pulmentaria cocta, panis libram vnam propenſam, heminam vini in potum, poſt ſextam ſurgentes à menſa pauſare in lectis ſuis cum omni ſilentio, & ſimilia; quibus in regula perle- ctis, nemo ſapiens dixerit *ſpeciale votum Obedientiæ non fieri plus, quàm cætera- rum obſeruantiarum Religionis, qualeſcunque ea ſint.* Quapropter ex S. Bernardo non probat Petrus Aurelius, generale tantùm eſſe votum Obedientiæ, non fieri ex- preſſum; & vniuersè, non eſſe tria vota de natura ſtatus regularis.

Reg. S. Bene. c. 4.
c. 39.
c. 40.
c. 48.

## *VOTVM OBEDIENTIÆ SECVNDVM REGU- lam quid obligationis inducat, ex mente D. Bernardi, & aliorum exquiritur.*

§. V.

*Qua occaſione S. Bernardus librum ſcripſerit de Præcepto & Diſpenſatione.*

ERROR hic Aurelianus, voueri totam regulam æquali obſeruantia, ne- que plus obligare votum Obedientiæ, quàm *cæteras obſeruantias qualeſcun- que ea ſint*, veniam merebatur, ſi ſteriſſet intra priuatam ignorantiam, neque tanta confidentia, tantiſque clamoribus in publicum prodiiſſet. Licebat enim homini ſeculari, Religioſorum omnium aduerſatio, veteris Eccleſiæ refectio- nem meditanti, religioſa neſcire inſtituta; vel alicunde libata, non ſatis fide- liter interpretari, quorum germanam ſignificationem Carnotenſes olim Mo- nachi cum ignorarent, ſcriptis ad S. Bernardum literis flagitarunt. Nam flu- ctuantis conſcientiæ procellis agitati, credebant ex Obediedientiæ voto ſic eſſe indictam regulæ obſeruationem, vt periurio ſacrilegioque ſe obſtringe- ret, qui vel minimum mandatum prætcriret. Quare literis ad S. Bernardum exclamabant. *Quod ergo iam Monacho poterit veniale peccatum eſſe, aut leue, cum vniuerſæ actioni crimen inſidiatur inobedientiæ?* Quæ lex illa eſt quæ tranſgreſſio- nes non tantùm non coërceat, *ſed & augeat inſuper crimine periurij: ſiquidem id nos promittere in noſtra profeſſione credamus, quod certum eſt non poſſe teneri?* Sed quo- niam ea quæſtio librum expreſſit Religioſis omnibus valdè vtilem, De Præ- cepto & Diſpenſatione, ad eum Lectorem remitto vt in illo multa legat & ad hanc theſin ſpectantia, & Aurelianæ doctrinæ parum conſenta- nea. Eandem tractat doctiſſimus Cardinalis à Turrecremata S. Benedicti re- gulam explanaturus; neque in ſua Seraphica omittit S. Bonauentura. Vt alios taceam Theologos tum antiquiores, tum recentiores, & ipſum Suarem, ean- dem conceptis verbis fusè more ſuo tractantem.

Ibid c. 14.
Ibid. c. 16.
Bonau. in Reg. Frat. Min.
Turrec. in Reg. S. Bened. Prol. tr. 5.
Suar. tom. 3. de Reli. l. 10. c. 7 & tom. 4. l. 1. c. 2.

I. Tum de ea vt breuiter quod ad huius loci elucidationem ſpectat, ediſſe- ram, à verbis ordior, ne ad quæſtiones de nomine adhæreſcamus. Vouere re- gulam, obedire regulæ, obedire ſecundùm regulam, & ſi quæ ſunt aliæ dicen- di vouendique formulæ, verbis aliquantùm, re autem ipſa parum differunt, ſi vouentium ſenſus conſideratur, in quo ſubtilius aliquid perueſtigandum eſt. Nam qui regulam vouet, hoc tantùm intelligit, obediturum ſe regulæ, & Præ- lato regulæ cuſtodi, ſecundùm mentem, atque intentionem regulæ. Quod vt apertiùs exponatur, diſtinguamus ſi placet regulam, & vota, & quod voto ſpecialiter,

*Vouere regulam, & ſecundùm regulam idem ſignificant.*

ſpecialiter, & immediatè promittitur, attendamus. Tria ſunt vota, ad quæ *Quid ſit*
ſe profitens immediatè obligat, ſed ea ſignificat à ſe ſic intelligi, proüt regula *vouere re-*
continentur, vt non tantùm obediat, ſed & paupertatem colat, & caſtitatem, *gulam.*
qualis regula ſua explicatur. Id in prima votorum ſimplicium nuncupatione
Societas Ieſu apertè exprimit, *omnia intelligendo iuxta ipſius Societatis conſtitutio-*
*nes*: & in poſtrema profeſſione, *proüt in literis Apoſtolicis, & Conſtitutionibus So-*
*cietatis Ieſu continetur*. Hoc ego interpretor, pauperem eſſe, caſtum, obedien-
tem ſecundùm regulam; & hæc conſilia dico immediatè voueri, regulam au-
tem quaſi mediatè: quia ſecundùm illam, & proüt approbata eſt ab Eccleſia,
vouentur. Sed quoniam præter hæc conſilia, & Canones illorum enarratores,
alia quamplurima in regula leguntur: ſi quis regulam ipſam, quæque illa con-
tinentur omnia, vouet immediatè, is tribus præcedentibus quartum adijcit
votum, ſeque vi illius reddit vniuerſæ regulæ faciendæ debitorem. Quod aper- D Thom.
tè D. Thomas admonet. *Si Religioſus profitendo voueret ſe regulam ſeruaturum, vi-* Quodlib. 1.
*deretur ſe obligare voto ad ſingula quæ continentur in regula, & ſic contra quodlibet eorum* q. 9. a. 20.
*agendo peccaret mortaliter*: niſi aut materiæ leuitas, aut inopia iudicij, ſimileſ-
que cauſæ peccati grauitatem tollerent. Hic eſt propriè Carnotenſium Mo-
nachorum ſcrupulus, hic error Petri Aurelij, qui tamen à Religioſorum vſu
alienus eſt, cum nemo illorum quarto ſe voto huiuſmodi vincire velit; neque
porro ea ſit mens Eccleſiæ regulas illas approbantis, & profitenti cuilibet ob-
ſeruandas proponentis. Itaque qui regulam vouet, non ipſam immediatè, ſed
Obedientiam vouet, quo ex voto in obligationem ſe regulæ, & Prælati regu-
lam exigentis induit, vt obediat & præcipienti regulæ, & Prælato per eam di-
rigenti. Additur enim *ſecundùm regulam*: hoc eſt, interprete S. Bernardo, *Spon-* Bern. cit.
*det Obedientiam, non tamen omnimodam, ſed determinatè ſecundùm regulam; nec aliam* c. 7.
*quàm S. Benedicti, non ergo ſecundùm voluntatem præpoſiti: nec quodlibet rectum ſed*
*hoc tantùm quod prædictus pater inſtituit, aut certè ſecundùm quod inſtituit.*

II. Cum autem Obedientiæ ſubiecta materia ſit præceptum, illudque vel *Diuiſio eo-*
à iure, vel ab homine, hoc eſt à regula, aut Prælato prodeat; atque illi præce- *rum quæ re-*
pto reſpondeat in ſubdito neceſſitas & obligatio ad parendum: quæritur modò *gula conti-*
quàm arcta, cuiuſque ſpeciei ſit illa obligatio, qua ſe peccati labe commacu- *nentur.*
let qui ei non ſatisfaciat? Pendet ea res duplici ex capite; ipſa obiecti mate-
rialis natura, & intentione iubentis. D. Bernardus regularem obſeruationem
in duo membra partitur, *præcepta & remedia, præceptis inſtituitur vita contra pec-* Bern. c. 16.
*catum, remedijs reſtituitur poſt peccatum innocentia*. Inter remedia eſt correctio re-
gularis, quam ſi quis poſt præcepti tranſgreſſionem volens libens ſubierit, *etſi*
*conuincitur tranſgreſſor mandati, non tamen pacti præuaricator*. Qui verò contemp-
ſerit, & ſuaue illud iugum excuſſerit filius Belial, is omnino regulam & obe-
dientiæ votum violatit. *Solum itaque cenſuerim*, ait S. Doctor, *fregiſſe votum, vio-*
*laſſe propoſitum, pactum præuaricaſſe, qui & præceptum contempſerit, & remedium.*
Itaque ſancti Patris ſententia, in obſeruatione regulæ prætermiſſa diuerſi ſunt
peccantium gradus, adeoque diuerſa obligatio. Sed expreſſius aliquid diſtin-
guit Cardinalis à Turrecremata, in eandem D. Benedicti regulam prolocutus: Turrec. cit.
multis enim probat nec totam regulam in profeſſione voueri, ſic nimirum
vt ſacrilegij reus ſit qui *obſeruantias omnes qualeſcunque eæ ſint* tranſgrediatur,
vt putat Aurelius; nec omnia in regula contenta cadere ſub præceptum.
Quo loco id docet, quod ad propoſitum noſtrum eximiè conducit, re-

gulæ finem eſſe perfectionem caritatis : quæ eò deducunt eſſentialiter, vt iuſtitia, humilitas, dilectio proximi, ea dici debere præcepta, licet præcipientis modo non imperentur. Quæ verò finem proximè non attingunt, ita tamen neceſſaria ſunt, vt ſine ijs non poſſit Religionis acquiri finis, ea ſub præcepto, aut voto Religionis cadere, *ſicut eſt voluntaria paupertas, perpetua continentia, & Obedientia.* Quæ verò ſunt eiuſmodi vt abſolutè loquendo ſine ijs haberi poſſit finis; ea non intelligi præcepta ſecundùm ſe, *ſicut ſunt conſtituta de ſilentio, de abſtinentia carnium, de vigilijs, de aliquibus ieiunijs regularibus, & huiuſmodi quæ pertinent ad macerationem carnis.*

*Refellitur Aurelius.*

Quæ quidem regularis obligationis expoſitio multis nominibus lædit Aurelium. Oſtendit enim quem neceſſitatis gradum teneant in illis obſeruationibus tria ſpecialia, pro quibus pugnamus vota : longè minorem in Religione obſeruantiarum quas vocamus, haberi rationem, vt quæ ſint meræ diſpoſitiones ad finem meliùs & expeditiùs acquirendum: harum obſeruationem nec generatim nec ſpeciatim voueri, nimirum ſub peccato, ſed tantùm ſub onere ſubeundæ pœnæ, *vt ne peccando quidem à regula recedatur*, vt loquitur S. Bernardus. Neque minus aperta eſt S. Bonauenturæ doctrina, eandem aliter diſtinctionem tradentis: eſſe in S. Franciſci regula quædam *præceptoriè impoſita*, alia *monitoriè propoſita*: id eſt alia præcipi & imperari, alia ſuaderi & conſuli. Cum igitur eius alumni *voueant & promittant toto vitæ ſuæ tempore ſeruare regulam Fratrum Minorum*, egregie interpretatur. *Sic vouent totam regulam, vt non omni eius parti ſe obligatoriè adſtringant. Vouent enim ſe totam regulam pro regula habituros ſecundùm mandantis intentionem, vt quadam ad obſeruandum omnimodè, quadam ad habendum pro ſalutaribus hortamentis.* Quid autem magis *obſeruari* debet *omnimodè*, quàm quod ad ſubſtantialia vota pertinet? Quid in *ſalutarium hortamentorum* numero cenſeri, quàm minus eſſentiales obſeruantiæ, vt ieiunij, ſilentij, vigiliarum, ad quæ *non adſtringunt ſe obligatoriè*: ſub pœna videlicet peccati, licet aliquando ſub onere correctionis regularis? Neque aliter verba in eorum profeſſione concepta intelligo, cum promittunt viuere *ſecundùm Euangelium*, hoc eſt Euangelica præcepta habere pro præceptis, conſilia pro conſilijs, ad quorum aliqua voto ſe obligant, ſecundùm Chriſti Legiſlatoris intentionem. Ergo *ſpeciale votum Obedientiæ plus fit, quàm cæterarum obſeruantiarum Religionis, qualeſcunque ea ſint*; & in Monaſticorum inſtitutorum obligatione magnum diſcrimen eſt, quod impugnat Aurelius.

*Bonau. in Reg. Frat. Min. c. 1.*

*Ibid. c. 2.*

*Præcipientis intentio metienda eſt ex natura præcepti.*

III. Et quoniam admonet S. Bonauentura ſpectandam eſſe *mandantis intentionem*, quod eſt alterum caput à nobis propoſitum : id primum ſpecto, duos eſſe qui mandent & imperent, Regulam & Prælatum. De priore legimus *omnes per omnia magiſtram ſequantur regulam.* De poſteriore, illum imperare debere quod Fundator inſtituit, aut certè quod ſit ſecundùm quod inſtituit: hoc eſt, quod expreſsè vel tacitè regula continetur, & ad eius perfectiorem obſeruationem aliqua ratione confert. Vnde deducitur altera conſideratio, vttiuſque mandantis intenrionem ab obiecti materialis natura & neceſſitate nunquam eſſe debere ſeiunctam. Hoc dico, præcipientis intentionem, & implendi præcepti obligationem in ſubdito, grauiorem aut leuiorem æſtimari oportere, quatenus ad acquirendam ſtatus ſui perfectionem votorum ſubſtantialium obſeruationem, bonum totius ordinis publicum, aut priuatæ cuiuſlibet perſonæ, plus, minus-ve conducit. Hoc ſignificat S. Bernardus

Bernardus, cum ſcribit *nullam prorſus inobedientiam parui ducendam*, *non tamen* Bern. cit.
*omnem pari æſtimandam periculo. Siquidem & ex ore ipſo Dei non æqualia ſunt promul-* c. 9.
*gata, & ideo non æquali cuncta vigilantia obſeruanda.* Quamobrem *ſicut non omnia* Ibid. c. 14.
*vnius eſſe conſtat vel neceſſitatis, vel vtilitatis, vel dignitatis: ſic non vna de omnium*
*tranſgreſſione fertur ſententia, nec parua manent diſcrimina diſpares culpas. Porro nec*
*pari culpa negliguntur, quæ non pari cura præcipiuntur, nec pari proinde pœna puniun-*
*tur.* Hunc igitur ordinem in eiuſmodi præceptis obſeruare oportet, vt Præla-
tus regulæ ſubordinatus ſit, neque tantùm ea imperet quæ ſunt ſecundùm
regulam, ſed etiam eadem intentione qua regula, eiuſque vultu iubeat & iu-
dicet. Vterque autem tam regula, quàm Prælatus, *neceſſitatis*, *vtilitatis*, *digni-* *Prælatus quomodo*
*tatis* rei habeant in præcipiendo grauiùs aut remiſſiùs rationem. Vnde ſequi- *præcipere*
tur neque grauia leuiter, neque leuia grauiter imperari poſſe, aut ſubditum *debeat.*
obligare quali tandem cunque intentione præcipiantur. Nam voti materia
grauis quantacunque verborum leuitate imperetur, grauiter obligat: materia
voti leuiſſima, aut parum admodum neceſſaria regularis obſeruantia, vel ſu-
perioris mandatum, licet horribili verborum tonitru proferatur, leuem indu-
cit obligationem. Quod in regulis & ſuperiorum ordinationibus videre eſt,
in quibus verba ſolennia *in virtute ſanctæ Obedientiæ* non legimus aut audi- *Præceptum*
mus, niſi res imperata ſummæ ſit *neceſſitatis*, *vtilitatis*, *dignitatis*, cui nimirum *in virtute*
dignè tunc applicatur voti ſacramentum, & ſupremæ inter morales virtutis *ſanctæ obe-*
neceſſitas. Quod quoniam eo modo leuioribus applicari præceptis & obſer- *dientiæ.*
uantijs nec poteſt, nec debet, manifeſtum eſt *cæteras obſeruantias religionis qua-*
*leſcunque eæ ſint*, non eadem qua *Obedientiam*, & vota cætera neceſſitate &
obligatione voueri.

IV. Objici tamen poteſt in Petri Aurelij gratiam, quod ipſe non perui- *obiectio.*
dit, eius qui regulam, aut Obedientiam regulæ vouet, votum in regulam vni-
uerſam æquè cadere, licet non æqualiter ab ſingulis canonibus, vt ſic loquar,
participetur. Quemadmodum profeſſio paupertatis omnem æquè proprieta-
tem, ſiue rei tanquam propriæ vſum excludit: etiamſi non æqualiter pecca-
turus ſit qui minimum aliquid, & qui grandem ſummam in ſuos vſus con-
uerterit: quæ inæqualitas non à voto, quod æquè de ſe obligat, ſed extrinſe-
cus à materia prouenit, cuius leuitate peccatum imminuitur. Idem de inobe-
dientia docet D. Bernardus, & pluribus circumſtantijs peccatum eleuat. *Inte-* Bern. cit.
*reſt ſanè qua cauſa, quo affectu, qua intentione, quo præcipiente, in quo ve præcepto ma-* c. 9.
*lum hoc committatur.* Non fit ergo ſpeciale votum obedientiæ, ſed generale tan-
tùm, & illam virtutem & obſeruantias cæteras complectens, quæ ſi non æqua-
liter obligant, non voti, ſed rerum ipſarum diſcrimen eſt.

Reſpondere iure meo poſſum, vltra theſis propoſitæ terminos excurrere *Reſponſio.*
obiectionem, quando in D. Benedicti regula, & D. Bernardi auctoritate quam
modò explicamus, ea profeſſio non reperitur. Sed ne quid eludam effugio, fa-
teor equidem in communi mente ſic vouentium, de qua dictum ſuperiùs eſt,
votum complecti vniuerſam regulam, ſed obligatione admodum inæquali,
eamque inæqualitatem non tantum à materiæ diuerſitate, ſed etiam à præci-
pientis intentione proficiſci, vt inde non poſſit conficere Petrus Aurelius, *non*
*plus votum Obedientiæ fieri, quàm cæterarum obſeruantiarum qualeſcunque eæ ſint.*
Nam quia diuerſitatem illam agnoſcere debet Aurelius in materia, lubet
modò ab ea diſputationem abducere, & præcisè in regulæ præcipientis inten-

*Regulæ aliquæ obligant, aliæ non obligant.*

tione ſtatuere. Patriarchę nonnulli leges è ſuis aliquas obligare voluerunt in conſcientia & foro interno, vt loquimur, idque ordinis vtilitate ſpectata, aut veniali peccato: vt S. Franciſcus nudis pedibus incedere iubet, curru vel equo vetat iter facere, pecuniam vel manu tractari prohibet. Alij foro quaſi externo contenti, volunt pœna aliqua pro tranſgreſſione regulatis obſeruantiæ ſatisfieri, in conſcientia autem nullam peccati quantumlibet leuis, ſi contemptus abeſt, obligationem imponunt. Hanc eſſe mentem arbitror regularum mitiſſimæ, S. videlicet Auguſtini, neque ſtrictum præceptum ea ſignificare verba in aditu; *Hæc ſunt quæ vt obſeruetis præcipimus in Monaſterio conſtituti.* Neque aliam video in S. Benedicti regula, quàm ſubeundę vindictæ, ſiue diſciplinæ regularis obligationem. Eadem ſpiritus libertate nobis latæ ſunt Conſtitutiones noſtræ, quæ & iniungunt *aliquoties ſingulis annis à ſuperiore pœnitentias ſibi iniungi, propter defectum obſeruationis regularum, peti ab omnibus.* Iam ergo quæ leges ita ſunt conceptę, itàque neceſſariæ, vt vim & virtutem voti Obedientiæ exigant aut ſupponant, illis Obedientiæ votum obligationem ſub peccati lethalis conſcientia adijcit, licet fortaſſe ſpectata rei natura nudo hominis pręcepto non poſſet tam grauis aduenire obligatio. Nimirum grauem & tanto ponderi recipiendo ſatis idoneam materiam eſſe volo, quæ quia verum legitimumque pręceptum eſt, voti Obedientiæ limites ingreditur, ea verò maior debetur regulæ, quàm Pręlato; cum & ipſius magiſtra ſit regula. Si ergo Pręlatus imperans in virtute ſanctæ Obedientiæ obligare poteſt nonnunquam ſub peccato mortali; quantò validiùs id faciet omnium domina & magiſtra regula? Si neceſſitatem vtilitatemque rei ſpectamus, priuati hominis, aut Monaſterij vnius bono grandem illam auctoritatem Pręlatus impendet: regula toti conſulit Ordini, & diuinæ voluntatis radios circumquaque diffundit. Supremæ poteſtatis gladium exerens ſuperior, ita vel qua animi perturbatione pręceps errare poteſt, vt licet metuenda ſemper ſit pręcepti omiſſio, dubitari tamen poſſit, ſit-ne futura pręuaricatio: regula nemini iraſcitur, omnes adſtringit, peccare non poteſt ab Hierarchis probata, ſpatio ſeculorum corroborata, vſu communi recepta, ipſis nonnullorum pręuaricationibus ſtabilita, tot Monaſteriorum fundatrix, tot ſanctorum parens: Et dubitas quin illi maior ſit & efficacior ad pręcipiendum poteſtas, quàm Prælato?

Reg. S. Augu. c. 1.

Conſt. 3 P. c. 1. §. 18.

*Quæ obligant ſub mortali.*

*Regulæ præceptũ quàm prælati potentius eſt.*

*Quæ obligant ſub veniali.*

Quòd ſi regula venialem tantùm obligationem importat, conſiſtit etiam tum in voti Obedientiæ ditione, quia pręceptum eſt; ideoque vi voti peccatum imponitur veniale ex intentione regulæ, contra virtutem religionis, cui leuis iſta voti pręuaricatio pręiudicat. Hoc innuit S. Bernardus exemplo propoſito. *Si iubente ſeniore vt ſileam, verbum mihi forte per obliuionem elabitur, reum me fateor inobedientiæ, ſed venialiter.* Videtur duplex hic peccatum Suarez agnoſcere, aliud regulæ, aliud altioris ſpeciei, voto Obedientiæ contrarium, vtrunque veniale: vnicum ego malim, quia obligationem hanc, vt & ſuperiorem ex vi ſolius regulę inductam contemplor, quę me non vinciret, niſi Obedientię votum concepiſſem. Nam leui eroganda eleemoſyna ſi poſſum abſtinere ante votum, abſque damno caritatis; poſt votum ſoli religionis virtuti repugno vna veniali culpa: idem de ieiunio per regulam indicto cum onere leuioris peccati cenſere quid prohibet?

Bern. l. cit. c. 19.

Suar. l. 10. cit. c. 7. n. 12.

*Quæ tãtùm*

Denique ſi pœnam regula minatur, at reatum non inducit, tum enimverò

uerò ex Obedientiæ voto nulla peccati mortalis, aut venialis exurgit obliga- *obligant ſub pœna.*
rio, & ſi contemptus abeſt aut negligentia, ex vi præcisè voti aut regulæ, poteſt innocenter omitti quod proponitur. Fertur enim Obedientia tantum in præceptum, quod hoc loco nullum eſt, ſi preſsè loqui volumus, vt admonet D. Bonauentura, hos regulæ Canones vocans *monitoriè propoſitos*, & à *præceptoriè impoſitis* diſtinguens. Itaque S. Bernardus de hiſce regularibus obſeruantijs, quæ ſoli pœnæ ſunt obnoxiæ, diſputans, cum eas mandatorum & præceptorum nomine conueſtit, ea vocabula in latiorem ſignificationem videtur extendere, ijs quibus ſcribit gratificatus, vt omiſſionis culpam augendo potiùs quàm minuendo, quicquid erat dubij diſſiparet. *Sic ergo*, inquit, *vtraque* Bern. cit. c. 16.
*iſta complectitur noſtra profeſſio, vt profeſſus quiſque cum in aliquo forte regularium mandatorum deliquerit, ſi ad remedium æquè regulare confugerit, etſi conuincitur transgreſſor mandati, non tamen pacti præuaricator.* Licet regulam monentem audire prætermiſerit, in votum tamen Obedientiæ non peccauit, quia pœnæ per regulam imperatæ ſatisfecit. Hæc cum verè & Theologorum doctrinæ con- D. Th. 2.2. q. 186. a. 9. ad 1.
ſentaneè dicantur, eſt tamen ambabus vlnis amplectenda Suaris admonitio, in eiuſmodi tranſgreſſionibus ſi non peccatum, at certè imperfectionem reperiri: quatenus Obedientiam perfectam, ad ſolum ſuperioris nutum expoſitam, reddunt tardiorem, hominemque ni prouidet ad veram inobedientiam diſponunt. *In iſtis non eſt peccatum, ſed imperfectio.* Verùm hæc vmbra tantùm peccati eſt, ſuperiores culpæ le- Suar. cit. n. 17.
uiores, primę letales: quibus ita diſtinctis, credes-ne Lector Aurelio ſine diſcrimine affirmanti, in Regula S. Benedicti, ex mente D. Bernardi vniuerſam regulam æqualiter voueri, neque *plus Obedientiæ votum fieri, quàm cæterarum obſeruantiarum Religionis, qualeſcunque eæ ſint?*

---

## *RELIGIOSI STATUS PERFECTIO CUM alijs collata, ducto à Laicis initio.*

## CAPVT XV.

SOLA ſe nobis hactenus ſpectandam exhibuit Religioſa perfe- *Proluſio in ſequentem tractatum.*
ctio, licet conſilia & vota, materiam & mediæ perfectionis non ſola profiteatur. Nunc aſſerta confirmataque naturæ ſuæ ſubſtantia, in aliorum ſtatuum comitatu videri non erubeſcit, vt ſi quid par à Deo, vel fortaſſe melius nonnullis eorum conſecuta eſt, gratias auctori ſuo referat ampliores. Periculoſa res bonorum comparatio, quæ iam à primis ſeculis Ioſephi fratribus inuidiæ & odij fomitem miniſtrauit. Hirpos ferunt gentem Italam per ignes illæſis pedibus incedere; Marſos autem ſecuris manibus ſerpentes attrectare ſolitos. Non ſatis dixerim vtra mihi virtus hoc loco magis optanda ſit: niſi poſteaquam caritatis & prudentiæ leges mihi veritas præſcripſerit, humanitatem quoque pro ſe Lector adijciat, vt ſi qui lapſus fuerit in lubrico, meam potiùs miſereatur imperitiam, quàm maleuolentiam incuſet. Laicam virtutem, clericalem perfectionem, Epiſcopalem *De ſtatu, non de perſonis ag tur.*
ſanctitatem in ſtatu conſidero, perſonas non tango: ſiquidem virginibus fatuis plus honorantur viduæ quæ verè viduæ ſunt; & Sapricio Preſbytero Nicephorum Laïcum antepoſuit caritas, vt eſt in hiſtoria Eccleſiaſtica, & quan-

tùm Apoſtolatus dignitate diſcipulatum, tantùm Matthias Iudam ſanctitate ſuperauit. Progrediuntur ij ſtatus ad perfectionem quæ caritas eſt, per media ſibi intrinſeca & conuenientia, quibus & via conficitur, & obices remouentur. Sed quoniam diuerſa eſt caritatis amplitudo & perfectio, pro rata portione à ſingulis participatur: aſſerente Chriſto, in domo Patris ſui, ſiue hac terreſtri Eccleſia, in qua meritum ſeminamus, ſiue illa cæleſti, in qua æqualem merito gloriam metimus, manſiones eſſe multas & varias. Sumitur autem ea proportio à medijs ipſis, quoniam illa caritatem, tanquam conficientes cauſæ morales aut producunt, aut amplificant. vnde conſequitur vt maiorem aut minorem perfectionem ſtatus ex ſe poſtulet, in ſe contineat, ad eam tendat, quò pluribus, maioribus, efficacioribuſque medijs ad eam comparandam ex intima ſui natura fuerit inſtructus.

*Varij ſunt perfectionis gradus.*

Idem argumentum pleniùs tractans S. Bonauentura, Caritati ſtatum aſſignat triplicem, infimum qui neceſſitatis eſt, in obſeruantia mandatorum; de quo dictum in Deuteronomio: *Perfectus eris & abſque macula coram domino Deo tuo.* Medium qui ſupererogationis in adimpletione ſpiritualium conſiliorum: de quo conſultum: *Si vis perfectus eſſe, vade, vende.* Quod explicans S. Hieronymus, *Perfectus*, inquit, *ſeruus Chriſti, nihil præter Chriſtum habet; aut ſi præter ipſum aliquid habet, perfectus non eſt.* Tertium qui priorum merces eſt, in fruitione ſempiternalium iucunditatum. Primus actus caritatis, gradum illum efficiens, procedit *ab habitu virtutis ſecundùm legem præcepti, & obligationis neceſſariæ, & vniuerſalis: alter ab eadem virtute ſecundùm legem conſilij & obligationis ſpontaneæ & ſpecialis:* poſterior priorem includit, & aliquid ſuperaddit; ille bonum facit, hic meliorem; ille vitam animæ conſeruat, iſte robuſtam reddit & vegetam; ille cœlum metetur, hic nobilem in cœlo ſedem; denique *ſecundus cum primo perfectus eſt; primus abſque ſecundo comparatione ſecundi vocatur imperfectus.*

*Triplex Caritatis ſtatus.*
Bona. Apo. paup. p. 1. c. 3.
Deut. c. 18.
Hier. ep. ad Heliod.

Cæterùm tam præcepta, quàm conſilia media ſunt ad caritatem & perfectionem, alia neceſſitatis, alia ſupererogationis; ac licet propriè loquendo ſola ſupererogatio perfectionis nomine digna ſit, vt tamen latior aperiatur diſputationi noſtræ campus, omnes Eccleſiæ ſtatus ad perfectionem volo tendere, omnes eſſe modo ſuo acquirendæ perfectionis ſtatus, vt hic ſit quæſtionis ſtatus, cui tandem illorum potiora & validiora ineſſe dicantur media, perfectiorem caritatis gradum via ordinaria producentia. Nam & ille gradus illi ſtatui intrinſecus eſt, cui media eiuſmodi ſunt intrinſeca: & ſi qui maiorem minorem-ve ſtatu ſuo ſanctitatem aſſequitur, is à via ordinaria deflectere, & plus aliquid aut minùs, quàm quod ſuæ conditionis natura poſtulet, efficere cenſendus eſt. Nemo vt ſtatui ſuo poſſit iraſci, aut depreſſiori feruentior, aut ſublimiori negligentior; cum illi perfectionem ſupra debitum affectanti, media non deſint neceſſaria, licet aliunde quàm à ſtatu: & huic infra ſtatus obligationem tepeſcenti, nihil imperet ſuſcepta conditio, quàm quod præſidijs ſibi intimis parabile eſt.

*Status quæſtionis.*

Quamobrem vt ordiamur à Laïco, cuius facilior eſt victoria, tum ex ijs quæ libro ſeptimo fusè diſputauimus, tum ex anticipata Chriſtianorum omnium opinione, dico Laïcos in ſtatu perfectionis acquirendæ verſari, in quo per ſacram lauationem poſiti ſunt: ſed eam perfectionem tam eſſe vulgarem, media quibus ad illam tendunt adeo eſſe communia, vt religioſi ſtatus

*Laïci quomodo ſint in ſtatu perfectionis, reſpectu Religioſorum.*

reſpectu

reſpectu vix dici poſſint eſſe perfecti. Qua de cauſa nata eſt hac in controuerſia celebris diuiſio Religionis communis, & perfectorum; repertique ſunt qui ſtrictiùs loquendo, ſolis Religioſis ſtatum acquirendæ perfectionis attribuerent. Nam communis illa Religio mandatorum obſeruatione tota exſe ſe terminatur, ex qua caritas ad ſalutem neceſſaria generatur; cui ſi qui fortè quæpiam addunt conſilia, ea & leuiora ſunt, & ſtatum ſuperant; vt perſonis perfectionem vulgari maiorem expetentibus, quàm ipſi communis Chriſtianitatis conditioni iuſtiùs aſſignentur. Religioſus autem ſtatus grandia præceptis ſuperadijcit conſilia, quorum præſidio & obices omnes fortiter perrumpit, & exaggeratam virtutem aſſequitur, & in eximia perfectione caritateque conſiſtit. Neque quicquam hac in re dubium eſſe permittit centies apud Patres & Theologos omnes lectum, à nobis ſæpius expenſum Chriſti ſeruatoris oraculum, ad eum adoleſcentem, qui mandatis exequendis Dei gratiam erat promeritus, quem nobili gloriatione illud ipſum iactantem, non contemptu, vt ſuperbum; non indignatione, vt mendacem; ſed more, vt perfectum Chriſtus excepit, monuitque humaniter, vt quod ad explendam præclaræ virtutis indolem, quod ad augendam multis partibus perfectionem gratiamque deerat, illud ſuperaddere ne grauaretur. *Vnum tibi deeſt, ſi vis perfectus eſſe, vade, vende quæ habes.* Dolebat enimuerò natum ad magna iuuuenem, in vulgaribus conſiſtere, & quem opes & latifundia à præceptorum ſanctitate non auerterant, ad conſiliorum perfectionem per voluntariam paupertatem euadere cupiebat. Nullum potentius reperit exemplum S. Hieronymus, quo Vigilantium retunderet, ſtatum ſecularium Religioſorum ſtatui præferre conantem: quem ſic imitantur nonnulli, vt quia palam præferre non audent, ſaltem æquare contendant.

*Religio communis & perfectorum.*

*Probatur exemplo adoleſcentis; Matt. c. 19. Marc. c. 10.*

Hier. ep. 53. aduerſ. Vigilant.

Accedit ad hæc conſilia votorum fides, caritatis & religionis præſtantiſſimarum virtutum partus, cupiditatum omnium ingens frenum, difficultatum & periculorum quæ viam perfectionis obſident, potentiſſima auerruncatrix: quæ cum ipſam Religioſi ſtatus eſſentiam conſtituat, non ſit autem ex aduerſo de Laïcalis ſtatus natura, dubium Chriſtiano nemini poteſt eſſe, quin Religioſa perfectio Laïcalem multis partibus antecedat. Omitto regulares obſeruantias cum conſilijs votiſque coniunctas; iuge & pertinax virtutum omnium exercitium, ad quod humilitas profeſſionis, & mortificationis neceſſitas adigit; rerum diuinarum in contemplatione paſſionem, in actione ardorem, in mixto genere caritatem. Quo de propoſito diuinè philoſophatur S. Bonauentura, perfectionem Euangelicam in ijs conſiſtere quæ ſunt ſupererogationis: hanc ſupererogationem non tantùm complecti dona Chariſmatum, verùm etiam exercitia virtutum: iſta fieri aut ex mera voluntate abſque obligatione; & tunc dicere quandam obligationem actionis & meriti: aut cum ſuperinducta obligatione ex voto emiſſo, vel officio iniuncto, & tunc dicere perfectionem ſtatus & Ordinis, *in quo videlicet quis actibus perfectis non ſolum eſt deditus* (quod Laïcorum eſt) *verùm etiam ad actus perfectionis adſtrictus.* Et ne redeamus ad profligatam de libertate ſublata quæſtionem, ſtatim adijcit. *Quæ quidem adſtrictio de perfectione non minuit, ſed potiùs culmen ſuperinducit: quia de temporali facit æternum, dum non licet reſilire à voto; & de noſtro diuinum facit, dum non ſolùm actum, ſed etiam voluntatem dedicans Deo, totum illi offert, & redigit ſub iure diuino: dumque propriam ſacrificat voluntatem, quæ eſt inæſtimabile bo-*

*Vota Religioſorum.*

*Obſeruantiæ regulares.*

Bon. Apol. paup. Reſ. 1. c. 3.

*Votorum obligatio non minuit perfectionem.*

*Religioſa conſecratio*

*num, & maximè earum & intimum.* Non repeto denique peculiarem Nazaræorum iſtorum conſecrationem, Eccleſiæ & Hierarcharum in eos vim ſanctificatiuam, qua humo ſublati, è grege fidelium electi, ad cœleſtem traducti conuerſationem, quaſi generis humani primitiæ, & nobilia anathemata toti dicantur, Deo vt Laicis ſibi liceat rebuſque terrenis vacare: qua dedicatione ad ſtatus Hierarchici naturam euehuntur, & actiones etiam tenuiores, etiam indifferentes, Hierarchica dignitate nobilitant. Quibus omnibus Laïcam perfectionem carere neceſſe eſt, & multis magniſque nominibus religioſæ faſces ſubmittere.

*Obiectio.*

Scio equidem Chriſtianis omnibus cum aquis luſtralibus conſecrationem quaſi aliquam infundi, quæ eos in Hierarchia collocet, vt libro tertio diſputauimus; ſed hæc nimis ampla & fuſa eſt Hierarchia, qua prætermiſſa ſtrictam explicuimus, in cuius nobiliſſimis ordinibus Religioſi reperti ſunt, non Laici: & illa conſecratio generalis eſt, in qua vt omnes clericos, ipſoſque Hierarchas ſortiti ſunt pares; ita peculiari alia dedicatione in qua vim perfectionis, & apicem dignitatis vidimus, ab ijs ſuperari non diffitentur.

## *IN BAPTISMO QVALE VOTVM EDATVR, eiuſque cum Religioſis comparatio.*

### §. Vnicus.

*Putant aliqui propriè votum fieri in Baptiſmo.*

NONNVLLOS etiam repetire eſt Theologos, quibus placear in eodem regenerationis fonte vera emitti vota Chriſtianæ religionis profeſſionem, & præceptorum Dei atque Eccleſiæ obſeruationem complexa; vt ſuam Religioſus ſtatus votorum prærogatiuam ſuprà communem Chriſtianæ & Laïcæ profeſſionis ſtatum non poſſit educere. Cuius opinionis auctor vulgò producitur Magiſter Sententiarum: pro qua laudari video D. Auguſtinum in illa Pſalmi verba, *Vouete & reddite Domino Deo veſtro*, S. Thomam, S. Bonauenturam, & Eminentiſſimum doctrina & pietate Cardinalem Berulæum vltimo tractatu de Admirandis Domini Ieſu. Dubium relinquit ſenſum ſuum Ioannes Gerſon, dum promiſſionem ſeu votum profeſſionis baptiſmalis appellat, & fidem in baptiſmo promiſſam non minus obligare Deo docet, quàm votum voluntarium. Eandem apertè propugnat in hac ipſa Cœnobitici & communis ſtatus comparatione Illuſtriſſimus Bellicenſis: & in iiſdem partibus videri ſe cupit Claudius Seguenotus, dum negat votum quicquam interius addere ad Chriſtianam perfectionem, & eam quæ in Baptiſmo vouetur. Immeritò hic quidem: nam ſi tantopere Religioſa vota contemnenda putat præ libertate, cur ab eo affectantur in Laïcis? Si tantùm imperfectos vota conſtringunt, cur in hanc imperfectionem omnes compelluntur? Si liberum aliò vocantis Dei afflatum impediunt vota, quem in tota Eccleſia ſibi obſequentem liberè Deus inueniet?

*Gerſ. 3. p. tr. de perfectione cordis. Ioan. Petr. Camus in Melitone p. 2. pag. 71. 73. Seguenot. not. in l. de S. Virg. p. 18. Peculiariter confutatur.*

*Communis opinio negat. Magiſt. in 4. diſt. 38.*

Communior Theologorum opinio eſt, vota in Baptiſmo propriè & ſtrictè loquendo non emitti, ſed tantùm fusè ſumpta votorum ſignificatione. Ea videtur eſſe Magiſtri Sententiarum, vbi votum diuidens in commune & ſingulare, commune explicat, *vt illud quod in Baptiſmo omnes faciunt, cum ſpondent renunciare Diabolo & pompis eius.* Nam D. Thomas in eius diuiſionis expoſitione,

illam

illam docet eſſe *analogam, prædicari per prius & poſterius de ſuis diuidentibus, ſicut ens de ſubſtantia & accidente*: quare *ſingulare eſſe propriè votum, non autem commune.* Neque aliter ſentiunt aut D.Bonauentura, aut Eminentiſſimus Berulæus, qui hoc propoſitum ne verbo quidem citatis locis attingunt. Niſi forte inſertum in S.Bonauenturæ opera textum Magiſtri, commentarijs poſtea explicandum, incautiuſus aliquis & indiligens amanuenſis, pro ipſius Bonauenturæ doctrina putauit accipiendum. Diuini quoque Auguſtini auctoritas huic ſententiæ momentum omnino nullum eſt allatura; vt qui de voto in Baptiſmate concepto neutiquam agat. Nam cum fidelibus loquatur, & iam baptiſmo luſtratis, eos admonet, vt omnes communiter voueant *credere in Deum, ſperare ab illo vitam æternam, bene viuere ſecundùm communem modum*, qui præceptis diuinis continetur: non putat igitur illa iam ante voto promiſſa in regeneratione Baptiſmi. Subdit deinde præterea *vota eſſe propria ſingulorum*, cum alius voueat Deo caſtitatem coniugalem, alius virginitatem ipſam ab ineunte ætate: *alius relinquere omnia ſua diſtribuendo pauperibus, & ire in communem vitam, in ſocietatem ſanctorum: magnum votum vouit.* Ex quibus apparet eam communis & ſingularis voti diuiſionem ab Auguſtino profectam, ab eodem præceptis diuinis, à Magiſtro autem abrenunciationi baptiſmali applicatam, à S.Thoma impropriam & analogam appellari. Peculiariter autem ad hunc locum S. Auguſtini, commentatorem Claudium Seguenotum aduoco, vt clarè agnoſcat communibus præceptorum votis, per *vota propria ſingulorum* addi plurimùm perfectionis; *magnum votum* hic vocari tantùm duplex, hoſpitalitatis, & Religioſæ paupertatis; eam paupertatem iam ab antiquo fuiſſe voto ſtabilitam in Monaſterijs; illam voti perfectionem extrinſecam non eſſe, cum in rebus moralibus extrinſeci operis leuiſſima ratio habeatur. Et hæc de eorum auctoritate qui pro votis baptiſmalibus ſine multo examine proferuntur.

*D. Tho. in eum locū a. 2. Quo falsò citatur pro contraria ſententia.*

*Vt & S. Bonauent. & Cardin. Berulam.*

*Item S. Auguſt. in Pſ. 75.*

*Voti diuiſio in commune & ſingulare à S. Auguſtino profecta.*

*Ex eo Seguenotus refutatur.*

Rationes autem negantis ſententiæ neque leues, neque infirmæ, ab alijs non contemnendæ fidei Theologis promuntur, vt quòd in Baptiſmi ritibus ſtricti illius & propriè dicti voti nullum ſit veſtigium, cum verba *abrenuncio, volo, credo*, promiſſionem ſtrictam non importent: quòd ſuſceptor voto ſuo neſcientem puerum illigare non poſſit; quòd præcepti vnius violatio vnicum ſit peccatum, vni contrarium virtuti, & ſuæ in illa oppoſitione ſpeciei, ſi autem votiua promiſſione à furto v. g. deberet abſtinere Chriſtianus, rem alienam iniuſtè rapiendo, non iuſtitiæ tantùm, ſed etiam religioni vim inferret, & iniquus ſimul & ſacrilegus. Hoc argumentum poſtquam D. Thomas protulit ad labefactandam Magiſtri diuiſionem, reſpondet voti communis tranſgreſſione *non fieri ſpeciale peccatum, ſed* tantùm *addi peccato ſpecialem deformitatem. Magis enim peccat baptizatus eodem genere peccati, quàm non baptizatus.* Cur autem ſpeciale peccatum infractionis voti non committitur, niſi quia votum ſpeciale & proprium non emittitur? Quòd ſi nuncuparetur, & omnibus fidelium tranſgreſſionibus, ſacrilegij crimen inſidiaretur, hoc ego in re Chriſtiana tanti eſſe momenti arbitror, vt aſſerere non dubitem, peccaſſe priorum ſeculorum Theologos, Canoniſtas, ſupremos ipſos Pontifices, qui mores Chriſtianos tam indigna labe maculari permiſerunt: cumque alia crimina, vt vſuram, ſanguinis in re coniugali affinitatem, rerum factarum redemptionem omni ex parte elucidarint, iſtud ſacrilegij genus Chriſtiano populo ad euitādū

*Probatur ea ſententia rationibus.*

*D.Th loco cit. ad 3.*

*Baptizatus magis peccat.*

*Eccleſiæ ſilentium ea de ſententia.*

nunquam propoſuerunt. Putas-ne otioſum eſſe in te tanta Eccleſiæ totius ſilentium? Nihil æſtimas Chriſtiani populi ſuper hoc propoſito conſenſum, qui ſi rogetur in furto, in calumnia, in inferendo vulnere, in meretricijs amoribus, credat ne votum à ſe violari, & ſacrilegium committi, ore vno reſponſurus eſt, id ſibi neque à Magiſtris ſuis vnquam eſſe indicatum, neque ſibi in mentem venire debuiſſe. At inquies iſtud aliqui Patres & Doctores non ſilent, qui votorum Baptiſmalium meminerunt. Quàm paucis id excidit? Quàm laxè voti ſignificationem extenderunt? Quàm multis & nobilibus ſcriptoribus ea non probatur opinio?

*Obiectio ex prærogatiuis voti baptiſmalis ſupra Religioſa.*

Nihilo tamen minùs prærogatiuæ quædam voti baptiſmalis afferuntur, ad illud ſupra Cœnobiticam profeſſionem euehendum. In primis quod hæc Chriſtianæ Religionis votiua profeſſio in Baptiſmo fiat, Religioſa cum nullo ſacramento coniuncta ſit. Deinde quòd hoc ſacramentum ſit penitus ad ſalutem neceſſarium, non autem ſtatus Religioſus. Tum quòd omni reatus pœnæque remiſſo debito, nouæ tabulæ fiant in Baptiſmo, non autem in Cœnobitica profeſſione, quæ licet à Patribus nonnulli Baptiſmus alter putetur, ea tamen imperfecta, & incerta ſimilitudo eſt, cum ab homine concipi poſſit conſcientia peccati lethalis iterato. Adde quòd Baptiſmale votum Religioſo vniuerſalius eſt, magiſque ad ſalutem neceſſarium; ſiquidem & abſque Baptiſmo Chriſtianum fieri, & abſque mandatorum obſeruatione ad Chriſtianam perfectionem & cœlum peruenire impoſſibile eſt; quod de vitæ Religioſæ profeſſione nemo dixerit, ſine qua & Chriſtianus & perfectus eſſe poſſum. Vnde ſequitur quintò, vt vota Cœnobitica peculiaria ſint perfectionis inſtrumenta, vtilia quidem illa, non autem neceſſaria ad eam adipiſcendam: at votum Baptiſmale ipſam perfectionis eſſentiam, charitatem videlicet complectatur. Denique quantacunque votis Religioſis ſolennitas aſtruatur, ſolui poſſunt à Pontifice, quicquid contrà ſentiat D. Thomas: Baptiſmalis autẽ profeſſio inuictæ cuiuſdã auctoritatis nullam admittit diſpenſationem.

*Reſpondetur vniuerſè ad obiectionem.*

Hæc ſpecioſè populariterque obijciuntur: quibus antequam reſpondeam, notari à me neceſſe eſt, ſupponi tanquam certum & probatũ quod quærimus, quod negamus, vota in Baptiſmo propriè & ſtrictè concipi. Corruit enim omnis illa ſubſtructio, ſi falſa hæc eſt propoſitio, quam nullus vnquam Patrum expreſſè tradidit, pauci ex antiquis Theologis Petri Lombardi allatam diuiſionem malè interpretati probarunt, plures & meliores iure optimo reiecerunt. Recolere quoque conuenit orationem hanc totam laudato D. Auguſtini loco repugnare, vbi vota communia, à votis proprijs ſingulorum amplitudine, dignitateque ſuperari admonet, & in his priuatim Religioſæ abnegationis *votum magnum* appellat, & verè magni facit. Præterea ex ijs quæ nuper cum Doctore Hallier diſputabamus, meminiſſe oportet, in Religioſæ profeſſionis conſideratione præcepta nunquam à conſilijs eſſe ſeiungenda; eum hæc faciat Religioſus, & illa non omittat, Laïco ſaltem inde perfectior, quia plures perfectionis partes aſſequitur. Si duobus igitur fratribus ex hæreditate paterna ingentis pretij adamas obuenerit, & eorum alter illo vno vtatur ad vitam, alter plures inſuper vniones acquirat, vtrum dicemus locupletiorem? Quamobrem votum Baptiſmale admittatur, ſexcentis ornetur priuilegijs, eo quàm æquiſſimè glorietur Laïcus, idem, & aliquid amplius in bonis ſuis Cœnobita numerabit.

Relego priuilegia ſingula. Votum Chriſtianitatis fit in ſacramento, non votum Religionis. Quid facit ad perfectionem quam petimus cognatio cum ſacramentis? Fur & vſurarius in ſacramento Pœnitentiæ votum faciunt commune, & implicitum, ſimile Baptiſmali, aliena bona reſtituendi, neque ampliùs vnquam illicitè appetẽdi, hos præferes Apoſtolis extra ſacramentum dicentibus, *Ecce nos reliquimus omnia?* Continentiam coniugalem communi & implicito voto ſpondent in ſacramento Matrimonij contrahentes; illos Eunuchis Euangelicis æquatos voles, extra ſacramentum virginitatem caſtitatemque vouentibus? ſatisfit ſingulis obiectionibus per ordinem. Ad 1.

Baptiſmus, inquit, neceſſarius eſt ad ſalutem, non priuata Religio. Accipiunt hoc dictum in ſui commendationem Religioſi, qui neceſſitati omnibus communi, voluntate priuata nonnihil ſupererogant, & gradum neceſſitatis audiunt à D. Bonauentura reſpectu ſupererogationis imperfectum dici; qui præceptis addunt conſilia *tantò gratiora, quantò magis indebita*; qui magnam præceptis mercedem promitti nòrunt, conſilijs maiorem. *Conſilium enim qui libenter audierit, maiorem gloriam habebit*: quas S. Auguſtini ſententias à Segueno citatas lego. Ac licet voueri poſſit quod eſt in præcepto, & ad ſalutem neceſſarium, certum tamen eſt in vouendis conſilijs plus ineſſe virtutis; & ad Laïcos potiùs, quàm Religioſos pertinere Chriſti monitum, *Cum feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite, ſerui inutiles ſumus.* Ad 2. Conſilia præceptis ex S. Auguſtino præpon. ne ſeguenum pag. 44. 63.

Remittitur in Baptiſmo culpæ pœnæque debitum, non in Religioſa profeſſione. Nimirum effectus ille Baptiſmi eſt, non voti; qui, ſi omne votum commune aut ſingulare à Baptiſmo remoues, perſtabit tamen, & renato primam innocentiæ ſtolam reſtituet. Non eſt enim à Deo prouiſum in voto præteriti peccati remedium illud efficax; ſed futuri cautela, remotis peccandi illecebris. Confer igitur non Baptiſmum cum ſtatu Religioſo, ſed votum Baptiſmale, cum votis Religioſæ profeſſionis, & de perfectione inter vtraque pronuncia. Transfer quoque animum ad ſolenne votum Clericalis continentiæ in Ordine ſacro nuncupatum; ad votum præſtantiſſimæ caritatis in Epiſcopali conſecratione ſuſceptum: & vide vtrum iſta quæ in ſtatu peccati mortalis poſſunt concipi, voto baptiſmali de non furando, non fornicando, non occidendo audeas poſtponere. Eſt enim operæ pretium ſæpius admonere eadem ſecuri, quæ in Religioſa vota immittitur, Clericalem & Epiſcopalem ſtatum votis nobiliſſimis fulgentem vulnerari. Ad 3.

Baptiſmale votum, inquis, vniuerſalius eſt, & magis neceſſarium, quàm Cœnobiticum. Hoc eſt quod eius dignitatem minuit, quo verum, proprium, ſtrictum eſſe denegatur, quo vniuerſalem & omnibus vniuerſè propoſitam perfectionem tantùm attingit, vltra quam peculiaris alia inueſtigatur; quo vniuerſè, id eſt ſpiſsè & obtusè Chriſtianæ vitæ officia declinandi à malo, & faciendi bonum, tanquam genericæ quædam ideæ mente concipiuntur: at quoniam actiones ſunt ſingularium, in ipſo virtutis exercitio, hanc & illam peculiariter ſibi Clericus & Religioſus efficaciter & ſolidè proponunt aſſequendam. Ad 4.

Reditur ad voti Baptiſmalis neceſſitatem, cui oppoſita Religioſa, tantùm vtilia ſunt inſtrumenta, Inſtrumenta certè, ſed & partes perfectionis; media, ſed & membra; via regia ad perfectionem, ſed communi maiorem. Quid eſt autem quod in obiectione dicitur, votum baptiſmale ipſam perfectionis eſ- Ad 5.

ſentiam, nimirum caritatem continere? De voto Clericali, de Epiſcopali, de Religioſo cur illud potiùs negatur? Quam enim caritatem complectitur votum de non peierando, verbi gratia, non mentiendo, non conuiciando? Habitualem? At nullius præcisè voti emiſſio primam gratiam obliterato peccati reatu redonat: at cum iſta moralia ſint, pugnabunt aduerſarij vt Petrus Aurelius, vt Claudius Seguenotus, bona non eſſe, niſi ex caritate fiant actuali, & motiuo caritatis. Actualem igitur? Qui credam in infante, in fatuo, in dormiente, quibus donum Baptiſmi neſcientibus illabitur? A profeſſione autem Religioſa cur eliminatur caritas, aut actualis, cum ea non niſi ex diuini amoris abundantia, & quadam inſania ineatur; aut habitualis, cum ad eam omnibus ſacramentorum, & còrporearum afflictationum expiationibus profitentis animus præparetur?

*Ad 6.* Æternum eſt, aiunt, votum baptiſmale, Religionis ſolenne votum arbitrio Pontificis ſoluitur. Volunt-ne in ipſo voto impreſſum illum perennitatis characterem, qui nulla potentia deleatur, an potiùs in Baptiſmi ſacramento? Si poſterius, extra collationem procedit, cum vota votis, non ſacramentum profeſſioni Religioſæ comparetur. Si prius, illa quæ dicitur æternitas nulli obnoxia diſpenſationi, non ex voti vinculo, ſed ex rerum ipſarum natura proficiſcitur, vt nullus Papa hominem eximere poſſit obligatione ſeruandæ legis diuinæ, & vitij fugiendi. Hominem dico etiam Iudæum, etiam Saracenum, qui ea neceſſitate naſcendo vincti ſunt, etiam ſine Baptiſmo. Quid quòd eadem eſt Chriſtiani in ſacramento Pœnitentiæ obligatio, dum dolore de præteritis ſceleribus concepto, proponit in poſterum declinare à malo, & facere bonum? A quo ſiue voto communi, ſiue propoſito, nunquam erit Romani Pontificis tam potens potentia, ſi ſic loqui fas eſt cum Petro Aurelio, vt licitè ſoluat & validè: illud tamen votis omnibus ſingularibus qui anteponat, legimus aut audiuimus neminem.

*Exemplum ponitur in adoleſcente ad perfectionem vocato. Matt. c. 19.* Denique vt hæc omnia in breui tabula ſpectentur, iuuenis ille ſalutis ſuæ ſtudioſus, qui Chriſtum de via ad vitam æternam rogauit, Iudæus à Iudæis circumciſionem acceperat, ſacramentum ſummæ apud illos neceſſitatis, quo peccatum originis, & ei debita pœna obliterabatur. In eo debitorem ſe reddiderat omnis legis faciendæ, qua Deum ſuper omnia, proximum ſicut ſeipſum diligere, declinare à malo & facere bonum iubebatur, quibus præceptis neque vniuerſalius quicquam, neque magis ad ſalutem neceſſarium eſſe poteſt: quorum obſeruationem relaxare, & in aſſumpta per ſacramentum obligatione diſpenſare non potuerunt, non dico Pontifices Iudæi, qui leproſos hominum conſuetudini reſtituebant, ſed ne ipſi quidem Apoſtoli nouæ legis Antiſtites. Hunc ſi dicimus votum ſtrictum eius obſeruationis in circumciſione emiſiſſe, doctrinam afferimus hactenus inauditam. Si negamus emiſiſſe, voto illo communi, improprio, & analogico contenti, quæ tandem ratio eſt cur ſtrictum & proprium Baptiſmo aſſignemus? Qualecunque autem votum in illo agnoſcamus, etiam ſtrictiſſimæ neceſſitatis, fide diuina certum eſt, poſt obſeruationem mandatorum ex voto perfectam, vnum ipſi defuiſſe ad perfectionem ſtrictiorem, videlicet venditis omnibus Chriſtum ſequi corporaliter. Credendum igitur eſt fide diuina, à pati, mandatorum obſeruationi, quatumuis illa in Baptiſmo propriiſſimè voueretur,

qui

qui relictis facultatibus ſuis corporalem Chriſti ſequelam adijciunt, perfectos præ alijs & eſſe, & dici debere: illos autem Laïcos eſſe cum voto ſuo baptiſmali; hos Religioſos, & ratio clamat, & Patres docent, & Concilia teſtantur, & vox atque ſenſus Eccleſiæ confitetur: eſt igitur certum funditus, Religioſorum perfectionem, Laïcali perfectione eſſe maiorem.

---

## *RELIGIOSI STATUS CUM STATU CLERIcorum ſecularium comparatio inſtituitur.*

## CAPUT XVI.

SACRORUM myſteriorum ſcientiam ſpectabat olim S. Dionyſius, cum ſcriberet ſanctorum Monachorum ordinem quantùm licet, ad Sacerdotum vitam formari debere, *quòd ei ordini in multis ordo ille ſimilis ſit, & vnus ex omnibus ordinibus eorum qui initiantur, ad eum proximè accedat.* Florebat enimuero tum temporis omnibus virtutum ornamentis Religioſus Clericatus, & nobiles Seraphini alas duas viriliter extendebant, introrſus alteram qua Deum contingerent, alteram exteriùs qua proximum complecterentur. Decebat autem vt Clericos Monachi, parentes ſuos filij, omni qua fas eſſet ſimilitudine referrent: cumque exteriùs ad inſtituendum proximum non prodirent, ſacrorum diſciplina leuiùs illos tingi ſufficiebat, interioribus autem virtutibus quæ vitam vniuſmodi conficerent, ad vnguem expoliri oportebat. Qua oratione nos ad eam quam inſtituimus comparationem benignè inuitat Hierophanta ſapientiſſimus, eo quidem conſilio, vt dum ordo vterque nobili æmulatione inuicem ſuperare contendit, præſtantior finis Hierarchiæ comparetur. Sed in hac comparatione non eadem penitus via progrediendum eſt, quam ſeculo ſuo teri S. Dionyſius iuſſiſſet; quoniam moribus tum iniuria mortalitatis, tum Eccleſiæ arbitrio mutantibus, & à Clericatu Religioſæ diſciplinæ vigor defluxit, & ad ſtatum Religioſum magna ex parte Clericalia munia peruenerunt. Inde profecta Religioſorum, ſiuè Regularium, & Clericorum ſecularium diſtinctio, de qua iam olim plura diximus, ipſis etiam Generalibus nota Concilijs. Siquidem *Clericos ſeculares*, *Eccleſias ſeculares*, quæ nimirum à Presbyteris ſecularibus reguntur, in ijs legimus; & Ioannes de Polemar in Baſileenſi fuſiùs declarat, quinam dici debeant Clerici ſeculares, qui videlicet *poſſunt habere proprium, ſicut Laici, cum Religioſi hoc non poſſint*: vnde poſtea *Clericos* appellat *non Religioſos, qui voto ad hoc non ſe obligarunt.* Quos tamen ſi caſtitatem ſeruare, & in commune volunt viuere, *Clericos Religioſos* propter religioſorum votorum participationem vocat Concilium Romanum 1. ſub Alexandro II. celebratum.

*Vtriuſque ſtatus comparationem iudicat S. Dionyſius c.6 Eccl. Hier.* in Cont.

*Religioſorũ & Clericorum ſecularium diſtinctio.*

Concil. Trid. ſeſſ. 21. c. 2. de Reform.

Ioan. de Polem. in orat. habita in Conc. Baſileenſi de ciuil. dom. Cler.

Concil. Rom. 1. ſub Alex. 2.

His igitur de nomine non inutiliter præmiſſis, vt ad rem accedamus, ducem huius Hierarchiæ S. Bonauenturam conſulamus neceſſe eſt, vt *in comparatione perfectionis ad perfectionem ſecundùm præeminentiæ rationem* certa præſcribat capita, in quibus pedem figere valeamus. Is ergo tria proponit, & *perfectionem ſupererogationis*, in qua ſtatus vterque verſatur, conſiſtere ait *in exercitio*

*Partitio huius capitis* ex Bonau. Apo. paup. Reſ. 1. c. 3.

*virtutis, voto religionis, officio prælationis.* De hoc poſtremo, nulla quæſtio, vbi de ſtatu diſputatur, qui in multis integer eſt ſine prælatione; virtutis & voti iuſta comparatio; quod ea & ad ſtatus ſubſtantiam pertineant, & in vtroque reperiantur. In iis Clericorum ſecularium ſtatum, qualem modò videmus in Eccleſia, ſuperari à ſtatu Religioſorum hac ratione conficio. In comparatione duorum ſtatuum, qui ad ſimilem perfectionem communi maiorem vocantur à Deo, melior ille & optabilior eſt, qui plura & efficaciora poſſidet media, eſtque natura ſua ab omnibus impedimentis remotior: ſic autem ſe habet ſtatus Religioſus, cum ſtatu Cleri ſecularis comparatus: ille igitur iſto melior eſt, & optabilior. Propoſitionis licet ipſa ſe prodat veritas, ſic tamen illuſtriùs exponi poſſe & debere arbitror; optimum eſſe ſtatum illum qui & ad comparandam caritatem media, & ad exercendam facultates quamplurimas nobiliſſimaſque poſſideat: qui ſine dubio Epiſcopalis eſt, acquiſitæ ſiue exercendæ virtutis & caritatis ſtatus præſtantiſſimus: proximum qui donet inſtrumenta quibus acquiri poſſit, eaque & multitudine & efficacitate ſpectanda: minimè autem appetendum illum, qui requirit potiùs aliquid perfectionis adeptæ, quàm eam per media ſibi innata faciat adipiſci; aut ſi quæ habet media, ea ſunt & numero pauca, & viribus minùs potentia ad perfectionem omnem, quam ſtatus ille omni ex parte poſtulat acquirendam. Hæc quæ à nemine negari poſſunt qui rationem habuerit in conſilio, inſuper exemplo declarantur, eorum in Repub. ſtatuum qui circa diuitias verſantur. Illorum enim extra conuerſiam excellentiſſimus eſt Regius, qui & theſauros habet in ſubditorum opibus ad ſe, prout ſaluti publicæ conducit adducendis; & rurſum nobiles & illuſtres cauſas in quas impendat corrogatas. Secundum vtilitatis gradum obtinent, qui vias & artes quaſlibet bonas atque expeditas diteſcendi ſolerter inueſtigant & norunt, licet ad grandes impenſas nulla conditioni ſuæ innata neceſſitate, ſed ex mera liberalitatis erogatione adigantur. Quibus certè deterior eſt conditio in eo ordine poſitorum, ſiue genus, ſiue magiſtratum ſpectes, in quo profuſionis & magnificentiæ vſus requiratur, qui tamen aut nullos, aut paucos auri argentique fontes recludat.

*Notabilis ſyllogiſmus.*

*Differentia inter ſtatus perfectionis.*

In aſſumptione confirmanda tripartitò incedendum eſt. Nam in primis parem dico, ſi non etiam maiorem, exigi à ſtatu Clericali quàm à Monaſtico perfectionem. Id multis Patrum veterum teſtimonijs ſolidè comprobat Doctor Hallier, tum in Vindicijs, tum in poſteriori opere de Sacris Ordinationibus. Et priore quidem loco, quamuis Epiſcopos cum Religioſis componat, eamque collationem directè promoueant probati ſcriptores, verè tamen admonet eam orationem ad inferiores etiam Clericos, & vniuersè ſtatum Clericalem poſſe applicari. Poſteriore autem libro eos qui de ſeculari vita ad ſacros Ordines aſpirant, præclaris *Monitis* inſtruens, licet cum ſolis Laïcis conferat, iiſque perfectiores eſſe debere demonſtret, iiſdem tamen rationibus, iiſdemque ſanctorum auctoritatibus vti poteſt ad ſtudium perfectionis Regularibus viris ſeriò ſuadendum. Eandem igitur perfectionis viam terunt vtrique, ad eundem tendunt terminum, in eodem ſaltem caritatis gradu ſtare iubentur. Plus aliquid ab alteris poſtulari ſignifico. Nam Monachorum perfectio eò minor eſſe poteſt, quòd in alienam ſalutem redundare non debet: Clericalium autem Religionum & Mendicantium opera in proximos,

*Ad ſimilem perfectionem Clerici & Monachi obligantur.*

Hallier in Vind. pag. 671. & l. de ſacr. ordin. pag. 158.

à caritate

à caritate rora eſt. At Clericorum ſecularium, quorum plerique ex officio in animarum cura verſantur, actiones ex obligatione iuſtitiæ naſcuntur, vt longe ſit tolerabilius priuatum aliquem Religioſum, quàm Parœciæ vni addictum vicarium, aut confeſſarium à perfectione ſtatui ſuo debita tecedere.

*Plura ad perfectionem habent media Religioſi quam Clerici ſeculares.*

Alterum in aſſumptione ſtabiliendum eſt, Religioſo ſtatui ad illam perfectionem plura & efficaciora ineſſe media, quàm Clero ſeculari. Patres à Franciſco Hallier citati, ea ponunt in conſiliorum Euangelicorum, & omnium virtutum exercitio, quæ D. Bonauenturæ diuiſio eſt. Vtris igitur plura propoſita ſunt conſilia? vtri ea perfectiùs exequuntur? Votum ſolenne Caſtitaris vtrique ſtatui commune & æquale eſt. Obedientiam Epiſcopo in ordinatione promiſſam, & votum eſſe putas, & tam latè patere affirmas, & ad ſubigendum animum, & ſuperbiam vitæ comprimendam non minùs efficacitatis habere contendis, quàm quæ in Religioſa profeſſione vouetur? Quotuſquiſque ſecularis Clericus ſacrilegio ſe pollui exiſtimat, ſi quando Epiſcopi ſui voluntatibus minùs religioſe obſecundat? Ridere autem arbitror in re ſeria Doctorem eundem Hallier, dum Epiſcopos ſcribit, *maius obedientia meritum acquirere, dum omnium quibus imperant ſerui ſiunt, quàm ſi vni obedirent.* Deinde multis probat Epiſcopatum ſeruitutem eſſe, vocari ſummum Pontificem *ſeruum ſeruorum Dei.* Quaſi verò ſtrictè voces illas capere oporteat, noſque ſubditi ſuperiores Hierarcharum ſimus, quibus imperando maioris meriti daturi ſimus occaſionem; & ipſi ſi recuſant parere, contrà obedientiæ virtutem grauiter peccent. Quæ & ad Parochos extendi poteſt ratio, ijque rogari, credant-ne ſibi mercedem obedientiæ deberi à Deo, ſi quando Laïcorum quibus præſunt commodis ſeruiunt.

*Refellitur Hallier in Vind pag. 603.*

*De paupertate & communitate clericorum 12 q. 1*

*Nicol. le le Maiſtre l. 1 Inſtau. princ. c. 6.*

De paupertate quid dicam, quæ neque vouetur à Clericis, neque obſeruatur? Fateor equidem vitæ communis conſortium Clericis omnibus aut conſuli, aut imperari apud Gratiarum; communitatem à Clericis non à Monachis incœpiſſe, licet non validiſſimè probet Nicolus le Maiſtre, me tamen aſſentiente ſcribit: res Eccleſiæ à Clericis neque in omnes promiſcuè vſus conuerti, neque teſtamento legari poſſe admitto. Sed in ijs primùm non paupertatem, ſed ſtrictiorem vſum diuitiarum agnoſco; qui & in Eccleſiæ commodum, & in bonum proprium pro animi arbitrio, ſine ſuperioris cuiuſquam auctoritate, mirum quantùm amplificatur. Deinde illi Clerico Eccleſiaſticas opes parciùs vſurpanti, ex hæreditate paterna bona poſſunt obuenire, in quæ ius habet ampliſſimum, non minus quàm fratres & ſorores familia & liberis onerati. Certè cum hac proprietate & dominio ſtatum Clericalem integrè poſſidet, & ſi bonis bene vtitur, non realis meritum paupertatis, ſed facultatum honeſtè & ex virtute adminiſtratarum laudem aſſequitur, quæ Abrahamo, & Iſaaco diuitibus laïcis & ſanctis ſolet attribui; ſed quæ à Religioſorum votiua paupertate infinitis partibus ſuperatur, vt ex huius libri diſputatione monſtratur. Itaque votorum ſolennium numero & magnitudine ſtatui Religioſo cedit Clericalis in ſeculo liberior. Iam ex votis virtutum exercitium facilè colligimus, cum & ipſa ſint vallum, quo virtutes cæteræ tutæ ſunt ab hoſtibus; & aſſiduus virtutum vſus vota ſemper habeat in procinctu. Denique Religionem ſcholam eſſe virtutum, & multis ante Hieronymus Platus oſtendit, & nos ſpatſim hoc libro indicauimus. Hanc ego nuncupationem

*Platus l. 1. de bono ſtat. Relig. c. 21.*

Clero ſeculari arributam nunquam legere memini, & ſi qui Parres de Clericorum virturibus admiranda quædam prædicanr, hæc eorum plurimi rum ſcribebanr, cum ſtatus adhuc Religioſus in Clero vigebar. Quòd ſi vrges, nulla ſatis virture Sarerdorium aurerni, aur dignè exerceri poſſe; ſatisfaciam ex priori aſſerrione, Clerum ad magnam obligari perfectionem, cuius media ex ſe non obriner ſecularis.

*Plura ſecularu Clericus patitur impedimenta, quam Religioſus.*

Terria aſſumprionis propoſitio hæc eſt, in perfectionis irinere pluribus obicibus rerardari Clericum ſecularem, quàm Religioſum. Non larer aduerſarios hic ſcopulus, qui magna ingeniorum conrenrione probare nitunrur, votorum vtilitari parricipare Clericos, & molem corporis, opum ſarcinam, propriæ voluntaris remoram à viris Eccleſiaſticis abijci in ſeculo conſtitutis. Placer Franciſco Hallier hac in re Iſidorus: *Clericis*, inquiens, *lege Patrum caue-tur, vt à vulgari vita ſecluſi, à mundi voluptatibus ſe ſe abſtineant, non ſpectaculis, non pompis interſint, conuiuia publica fugiant, amorem pecuniæ quaſi materiam cunctorum criminum fugiant; viduarum ac virginum viſitationes frequentiſſimas effugiant, caſtimoniam quoque inuiolati corporis perpetuò conſeruare ſtudeant, aut certè vnius vinculo matrimonij copulentur*, &c. Hæc & plura poſteaquam Doctor recenſuir, interprerarionem addir de ſuo veram & legirimam, illis Euangelicis conſilijs. Clericos omnes obſtringi, *quorum alia ad concupiſcentiam carnis, alia ad concupiſcentiam oculorum, alia ad ſuperbiam vitæ refrenandam, & ad perfectionem, quæ interclusis vitiorum iſtis fontibus facilius hauritur, obtinendam conducunt.* Huic ego obſeruarioni, meam æquè adijcio paulò fuſiorem. In primis enim certum eſt

Hallier p. 675. ex Iſidor. l. 1. de Eccleſ. offi c. 9.

*Expenditur locus citatus.*

quod prima noſtra propoſitione conrinetur, ad eximiam perfectionem obligari Clericos omnes, eriam ſeculares, quam non ſolus Iſidorus, ſed & alij Patres magna verborum ſenſuumque maieſtare ſemper docuerunr. Deinde curſum ad eam perfectionem inrercipere tres illos *vitiorum fontes*, qui proinde *conſilijs Euangelicis intercludi* debent. Tum hæc conſilia quæ à S. Iſidoro proferuntur, minuriora eſſe, & magnorum quaſi particulas conſiliorum, de quibus multa diſputauimus; Paupertatis inquam, Caſtitatis, & Obedienriæ, quibus ſimul & ſemel præſcinduntur omnes rerum temporalium tricæ, volupratibus omnibus ſempirernum bellum indicitur, grauis ſui ſarcina abijcitur. Prætereà hanc eſſe *legem Patrum* à qua filiorum mores non parum diſcrepant; latam eſſe *legem* eiuſmodi *à Patribus*, cum religioſa ſanctitas, & votorum cuſtodia regnaret in Clero: nunc aurem alia eſſe rempora, mores alios, neque ſtrictam Religionem, neque vora rria profitentibus Clericis ſecularibus; quos aduerſarij dicanr oporret integrum Clericalem ſtatum non poſſidere, vr olim S. Auguſtinus Clericos proprium habentes *dimidios cecidiſſe* prædicabat, aut certè magna rria conſilia ad ſtatus Clericalis eſſentiam non pertinere. Denique *fontes* illos *vitiorum*, non ram *intercludi*, quàm recludi libero diuitiarum vſu, quamuis legirimo; perpetua virorum ſeminarumque ſecularium conſuetudine, quamliber honeſta; plena ſui rerumque ſuarum libertare, quantumuis moderata. Quamobrem obicibus omnibus circumſeptos eſſe Clericos in ſeculo; quos à ſe ſorrirer reiecerunr viri Religioſi vororum obligarione, regularum obſeruanria, clauſtri ſolirudine, ſuperiorum vigilanria, mortificarione corporum, animorum ſubactione: vr non iniuria quis poſſit dicere, ſcriptas olim Clericis leges, à Religioſis accurarè ſeruari, quoniam illi de Religioſis facti ſunt ſeculares, hi ſuis conſtricti regulis permanſerunr. Iraque in eodem

*Quo tempore leges Clericis latæ.*

vterque

vterque ſtadio currimus;ego ſolus,expeditus,alacer,nuſquamà ſacra linea deflexus,inter adhortantiũ fauores,plauſus æqualium ad deſtinatum perſequor, ad brauium ſupernæ vocationis:tu oneribus degrauatus,curis ſecularibus impeditus, turbarum frequentia retardatus, incertus viæ, ignarus periculi. Eandem vterque munditiem iubemur procurare: ego ab omnibus rerum externarum ſordibus remotiſſimus, tu in luto & pice toto corpore volutatus. Ad eandem vterque pugnam ab iiſdem hoſtibus prouocamur: ego fidelibus munitus armis & vndique cataphractus progredior in campum, vim hoſtis habeo cognitam,artes perdidici, rarò victus, ſæpe victor euaſi: tu latus nudas, cauere neſcis, ſæpè proſtratus, vulneribus exhauſtus, vix vt poſſis ſperare victoriam. Ad idem in cœlo præmium inuitamur vterque: ego callem obſcurum rimatus, via tenui & aſpera cum paucis ad anguſtam portam erepo, illa ſubeo nudus veſtibus, ieiunijs extenuatus, pœnitentiæ laboribus & lacrymis pene eliquatus; tu bene curato corpore, ſplendidè veſtitus, lata via, in multorum conſortio ridens & hilaris eò putas peruenire?

*Res declaratur exemplo.*

Quæ omnia licet vſus quotidianus reddat manifeſta, non tamen inutiliter magnorum virorum auctoritate confici poſſunt ac debent. Vidimus enim aliàs D. Auguſtinum de eorum ſalute Clericorum dubitantem,qui in Monaſterio ſecum habitare, & Eccleſiæ bonis in commune ſine proprio nollent ſuſtentari.Petrum Bleſenſem audiuimus in aduerſarium Religioſum grauiùs commotum, de ſtatu tamen Religioſo clamantem, *Non præfero Religioni, quæ ad Deum via certa & directa eſt, noſtra ſecularitatis incertum; neque homines Angelis, neque comparo terras cælis.* Tertiam è noſtris rationibus tangere videtur, cum antea ſecundam maniſtè tradidiſſet. *Scio quia præ cunctis ſecularibus & Clericis & Laicis tantò differentius virtutum titulos referunt, quantò impreſſioribus veſtigijs Apoſtolorum regulis inhæſerunt.* Hæc iam olim prolata replicamus. Recens adducitur à D. Bonauentura S. Hieronymus,qui vitiorum fontes fuga intercludi & obrurari diſertiſſimè demonſtrat,idque in eremo & Religione tutiùs,quàm in medijs ſeculi illecebris. *Cur, inquies, pergis ad eremum? Videlicet vt te non videam, te non audiam, vt tuo furore non mouear, vt tua bella non patiar, ne me rapiat oculus meretricis, ne me forma pulcherrima ad illicitos ducat amplexus. Fateor imbecillitatem meam, nolo ſpe pugnare victoriæ, ne perdam aliquando victoriam. Nulla ſecuritas eſt vicino ſerpente dormire.* In eo periculo perire plurimos è ſecularibus dolet Petrus Damiani. *Eſt aliud quod mihi de Sacerdotibus ſeculis ordinis diſplicet, quia ſicut ſecularibus mixta regionariæ ciuilitatis habitatione colliminant, ita nihilominùs plerique ab eorum conuerſatione & inconditis moribus non diſcordant: curis ſecularibus indifferenter inſeruiunt, ab otioſi ſe ſermonis ineptijs non compeſcunt: imo per lites & iurgia frequenter à proximorum ſuorum caritate reſiliunt, & cum liuoris vel cuiuſlibet terrenæ concupiſcentiæ flammas in ſuis pectoribus feruere non neſciunt, venerandis tamen altaribus ſe impudenter ingerunt, & ab offerendi ſacroſancti libaminis miniſterio non recedunt.* Quos in præſtantiſſimi officij natura, extra ſecularitatis labes conſideratos, vocat *contubernales & condomeſticos Angelorum, & ſacramentorum cæleſtium Deo cooperatores & diſpinſatores.* Nota ex aduerſo S. Bernardi oratio ( nam Bleſenſem Regularis inſtituti laudatorem antea produximus ) qua Religioſæ vitæ commoda, ſecularibus incommodis contraria vir ſanctus & expertus enumerat, propoſita pretioſæ margaritæ parabola. *Nonne hæc Religio ſancta, pura, & immaculata, in qua homo viuit puriùs, cadit rariùs, ſurgit velociùs, incedit cautiùs,*

*Idem conficitur Patrũ authoritate.*

Aug. ſerm. 49.

Petr Bleſ. l. in deprauat. operũ.

Hier. ep. 53.

Petr. Dam. l. 4. ep. 14.

*Religioſi ſtatus encomium.*

Bern. ſerm. in parab. de Marg. pretioſa.

*irroratur frequentiùs, quieſcit ſecuriùs, moritur fiducius, purgatur citiùs, præmiatur copioſiùs. Hæc eſt quæ reſpuit auaritiam, horret luxuriam, fugit furorem, firmat amorem, calcat ſuperbiam, linguam continet, componit mores, odit malitiam, excludit nequitiam, cogit que hominem Dei amore omnia libenter ſufferre. O ſolitudo beata: o ereme mors vitiorum, vita virtutum! te lex & propheta mirantur; & quicunque ad perfectionem venerunt, per te in paradiſum intrauerunt.* Et eiuſdem ſpiritus alia compluria, quæ id oſtendunt quod agimus, in Religione, quàm in ſeculari Clericatu plura ineſſe media ad perfringendos obices, & debitam ſtatui perfectionem acquirendam.

---

## *EADEM COMPARATIO EX MVTVA vtriuſque ſtatus in alterum commutatione illuſtratur.*

## CAPVT XVII.

*Inter Clericatum & Religioſum ſtatum aſſinitas.*

ELEMENTA quæ ſymbola dicimus, leui quadam transfuſione inuicem mutari facit natura, ſtatus iſtos Religio: quippe qui conueniant in plurimis, & poſtquam diu in domo Dei ambulauerunt cum conſenſu ad eundem perfectioris terminum, ſola rerum mortalium infirmitate, à ſe inuicem ſeiuncti ſunt; cumque Clericatus ſeculi ſtudio Regularem ſtatum deſeruerit, non priùs quieuit iſte, quàm illum ad ſe in Mendicantibus, & Clericis Regularibus reuocarit. Hanc ergo commutationem vt via quadam & ordine contemplemur, occurrit animo meo lepida Petri Abaëlardi cum Canonico de perfectione contentio, quam huic ſectioni pro fundamento cupio eſſe ſubſtratam. De Clericis & Monachis vniuersè diſputat Doctor ſubtilitatis eximiæ, Dialecticorum, quàm Rhetorum ingenijs aptior.

*Pet. Abaëlardi rationes pro ſtatu Monaſtico Clericatui ſeculari præferendo. Ep 3. inter varias.*

*Dicis, vt dicunt, longè ordine tuo noſtrum inferiorem eſſe, & plurimùm Monachos à dignitate Clericorum abeſſe.* Aperta & vt in ſchola theſis. Sequitur diſtinctio. *In quo quidem primùm à te ſciſcitari volumus, de qua id dignitate intelligas, vtrum prælationis inter homines, an Religionis apud Deum?* Poſteriorem hanc priori poſtquam prætulit, & Religionis dignitatem dixit eſſe veriſſimam, priore Clericis tacitè conceſſa, poſteriorem ipſis ereptam ad Monachos traducit, quatuor potiſſimùm argumentis. 1. Quòd Clericis ad Monaſticum ſtatum tranſire liceat, non autem ab eo iterum ad Clericatum regredi. 2. Quòd Monachi ſi quando dignitate Eccleſiaſtica exornantur, habitum nunquam deponant; Clerici verò ad Monaſterium adeuntes, ſuum cum Monaſtico commutent. 3. Quòd plerique è Monaſterio ad Epiſcopalem thronum euehantur Monachi, atque adeo Clericis præficiantur & imperent: ex aduerſo autem qui Monaſterium ingrediuntur Clerici, *Abbates in Monaſterijs non fiant, vel officiorum Monachicorum curam ſuſcipiant.* 4. Quia in ſupplicatione Litaniarum canitur ab Eccleſia, *Omnes ſancti Monachi & Eremitæ*: non verò, omnes ſancti Clerici, vel ſancti Preſbyteri. Cuius ratiunculæ leuitatem vanitatemque iure optimo Pariſienſis Facultas explodit atque exſibilat: eo facto teſtata & totum locum ad trutinam Theologicam expenſum, & priores rationes obliterata vnica à ſe fuiſſe ſuſceptas: vt eas nemo, ipſamque ſententiam poſſit arguere, qui non

*Cenſura Pariſienſis facultatis in eum locum.*

eadem cenſura Doctorum Pariſienſium iudicia configat. Videamus igitur
quæ tandem cauſæ & opinionem illam Abaëlardo, & eius approbationem
Facultati religioſiſſimæ perſuaſerint.

Magnum profectò primæ rationis pondus eſt, ſi quidem pars eius prior ac- *A Clericatu ſecu-*
curatiùs conſideratur. Eſt enim Eccleſiæ decretis ſtabilitum, vt à Clericorum *lari ad Re-*
ſecularium ſtatu, ad Regularem quia perfectior eſt, tranſire memini non li- *ligionem*
ceat. Ita nimirum Tolerano Concilio definitur: *Clerici qui Monachorum pro* *tranſire li-ceat.*
*poſitum appetunt, (quia meliorem vitam ſequi cupiunt) liberos eis ab Epiſcopo in Mo-* Concil.
*naſterijs largiri oportet ingreſſus.* Quem Canonem ſecularibus ſcriptum eſſe, Tolet. 4. c. 49.
docent alij apud Gratianum, qui Canonicis regulariter profeſſis, etiam diſtri- 19. q. 3. c.
ctioris Religionis obtentu, Monaſterij aditu interdicunt, eoſque vetant ab Clerici.
Abbate & Monachis ad habitum admitti, *quandiu ordinis ſui Eccleſiam inuenire* Ibid. q. 3. c.
*quiuerint, in qua canonicè viuendo, Deo ſeruire, & animam ſuam ſaluare poſſint.* Cle- Nullus Abbas.
ricis ergo Regularibus ſtatum mutare in Monaſticum Eccleſia non permit-
tit, quia in ſuo *canonicè viuere, & animam ſaluare poſſunt*: Clericis ſecularibus
illud ipſum volens libens concedit, *quia meliorem vitam ſequi cupiunt*: hoc eſt,
vt Lector quilibet non acutiſſimus facilè colligat, canonicè viuere in ſecu-
lo, & animam ſaluare vix poſſunt. Tanto autem ſtudio ſalutis noſtræ parens
amantiſſima mutationem in meliorem vitam promouet, vt licet Clericos ad
alienam Eccleſiam tranſire, & abſque venia Epiſcopi ſuſcipi prohibeat, Mo-
naſteria tamen patere velit, inuito etiam Epiſcopo; cum Vrbanus II. legem *Etiam Epiſ-*
publicam Canonum ea in re legi priuatæ ſpiritus Dei iubeat cedere, & Cle- *copo contra-*
ricus qui *in Eccleſia ſua ſub Epiſcopo proprium retinet, & ſeculariter viuit, ſi affla-* *dicente* Ibid. q. 2. c.
*tus Spiritu Sancto in aliquo Monaſterio, vel regulari canonica ſaluare ſe velit, etiam* Duæ ſunt.
*Epiſcopo ſuo contradicente, eat,* inquit, *liber noſtra auctoritate. Iuſto enim lex non eſt*
*poſita.* Deus ſancte! quantùm in ea mutatione momenti ad ſalutem oportet
eſſe, quæ cum ipſo ſanctiſſimorum Canonum, & obedientiæ Hierarchis iu-
ratæ diſpendio tantùm non imperatur! Humaniùs, licet ad propoſitum non
minùs efficaciter, Gregorius Pontifex, quem merita Magnum fecerunt, Deſi-
derio Epiſcopo ſanctam illam ἡσυχίαν modis omnibus impedienti, iam olim
ſcribebat, quod S. Bonauentura deſcribere non negligit. *Hortamur vt eam* Greg. l. 12. Regiſt. ep.
*promptæ deuotioni eius, quam in ſancto ſtudet habere propoſito, minimè veſtra ſit im-* 38. Indict. 6.
*pedimento fraternitas. Magis autem quibus valetis adhortationibus paſtorali admoni-*
*tione ſuccendite, vt feruor huius deſiderij in eo non tepeſcat: vt qui à turbulento ſecu-*
*larium turbarum tumultu ſe ſegregans, quietis deſiderio Monaſterij portum appetit, rur-*
*ſus in Eccleſiaſticarum curarum non debeat perturbationibus implicari; ſed in Dei lau-*
*dibus permittatur ſecurè ab ijs omnibus permanere vt poſtulat.* Id aliquantò fuſiùs Anſel. ep.
& eloquentiùs exponens S. Anſelmus, & cum amico Epiſcopo deſignatus 10. ad Gulf.
Archiepiſcopus amanter expoſtulans, quòd Eccleſiæ Cantorem à Monaſte- Paril. Epiſ.
rio reduxiſſet: *Si quis,* inquit, *ſeparat pretioſum à vili, id eſt, animam à ſeculo, tan-*
*quam os Dei, ſcriptum eſt, erit: ille cuius os & manus retrahunt animam adhærentem*
*poſt Deum, ad ſeculum, quid erit? Horrendum eſt etiam auditui, vt quod Chriſtus*
*elegit de mundo, Epiſcopus religet in mundo; vt quod Chriſtus trahit ad portum de pro-*
*cellis & tempeſtatibus mundi, hoc Epiſcopus retrahat à portu in naufragoſos turbines*
*mundi, vt quod Chriſtus abſcondit in ouili à multitudine inſidiantium luporum, hoc*
*Epiſcopus rapiat de ouili, & exponat multitudini luporum. Mi Reuerende Pater, ne ſit*
*moleſtum prudentiæ veſtræ quia ſic loquor.* Scribit iſta S. Anſelmus de Cantore

Cathedralis Eccleſiæ *ſtrenuo Clerico*, ad Religioſum ſtatum aſpirante, & in tertia propoſitione à nobis nuper expoſita ſuam exercet facundiam. Quæ & ijs ſimilia contemplatus D. Bonauentura, concludit in hunc modum. *Hoc autem quia non ſolum auctoritatibus probari poteſt, ſed etiam vniuerſis ſanctorum exemplis, qui de Clericali ſtatu ad Religionem tranſierunt, adeo certum eſt, vt ſi quis contraire voluerit, non minùs videatur deſipere, quàm errare.*

Bonauent. Apo. paup. Reſp. 1. c. 3.

*Obiectio ex S. Hier. ep. 4. ad Ruſt.*

Atenim inquies, longè alia de Clericorum ſanctitate cum Monachis collata ſentit Hieronymus, qui Monachi incunabula, moreſque diſcutiens, *Sancti ſunt*, inquit, *Clerici, & omnium vita laudabilis: Ita ergo age & viue in Monaſterio, vt Clericus eſſe merearis, vt ad altare Chriſti, quaſi de thalamo virgo procedas; cum ad perfectam ætatem veneris, & te vel populus vel Pontifex ciuitatis in Clerum elegerit, agito quæ Clerici ſunt.* Vult igitur Doctor Monachus, virtutis Monaſticæ præmium eſſe Clericatum, & ad altare Chriſti Monaſterij gradibus perueniri.

*Reſponſio, & explicatio S. Hier.*

Vergit hæc obiectio in partem alteram eius rationis quæ nobis præ manibus eſt, negatque Monacho licere ad Clericatum redire. Ad cuius expoſitionem meminiſſe tituli oportet & inſtituti noſtri, quod non Clericatum quemlibet cum Monachatu, ſed ſecularem cum ſtatu Religioſo componit. Cum enim S. Hieronymi ætate Clericorum optimi Religioſis votis aſtricti, veri eſſent Religioſi, & in Clericorum Monaſterio ſub peculiari Epiſcopi cura fouerentur, ſitque ſtatus Clericalis non minùs exercendæ quàm acquirendæ virtutis, quæ in apertum ex vmbraculis Monaſticis prodire niſi perfecta non debet; cui tandem homini dubium eſſe poteſt, quin Monachus cum Religioſo Clericatu, quàm ſimpliciter in ſtatu ſolitario ſit perfectior? Talem vult eſſe S. Hieronymus Ruſticum, & accurata Monaſterij diſciplina ſubactum, *diſcere quod poßit docere, ne miles ante, quàm tiro; ne priùs magiſter ſit quàm diſcipulus.* Tales erant S. Fulgentij Ruſpenſis comites, Monachi æquè ac Clerici: *niſi quòd magis illi Monachi qui Beatum Fulgentium ſequebantur, diſtrictioris abſtinentiæ regulam cuſtodientes, nihil omnino proprium poßidebant, nec inter alios Clericos, Clericorum more viuebant.* Ita videlicet illi vixerant in Monaſterio, vt non tantùm Clerici, ſed etiam Clericorum perfectiſſimi eſſe mererentur: qui modò præclarè à noſtratibus Monachis & Mendicantium ordinibus, neque minus graphicè à Clericis Regularibus exprimuntur. Sed ad iſtud Clericorum genus Doctoris Abaëlardi ratio, & comparatio noſtra non pertinet: verùm ad eos qui ſtrictæ Religioni non obligati, Clericatum exercent in ſeculo. Ad hanc enim viuendi formam, excuſſo iugo, perfractis clauſtri repagulis, abiecta veſte tranſilire poſſe Monachum negamus: illum Clericatum nunquam putauit S. Hieronymus Monaſticæ exercitationis eſſe mercedem: in eum populus vel Pontifex ciuitatis neminem eligit; quia ſi Clericus in Monaſterio *meliorem vitam ſequi cupit*, certè Monachus in tali Clericatu deteriorem appetit: vt iuſtiùs mutata modò ſententia dici poſſit, ſic viue in Clericatu, vt Monachus dici merearis. Ea tamen mutatio, cum S. Gregori ætate eſſet fortaſſe frequentior, Clericalibus Monaſticiſque ſtudijs temporum iniuria plurimùm remiſſis: illam decreto repreſſit vigilantiſſimus Pontifex, *Si quos qualibet occaſione à Clericatu in Monachicam conuerſionem venire contigerit, non liceat eis ad eandem vel aliam Eccleſiam, quarum pridem milites fuerant, ſua voluntate denuo remeare.* Permittit tamen Epiſcopo, vt eos è Monaſterio deducat, & Eccleſijs addicat, ſi quando

*Monachatus cum Clericatu perfectior.*

In vita S. Fulg. c. 20. apud Sur. 1. Ian.

*Religioſus non poteſt tranſire ad Clericatum ſecularem.*

*Id vetitum à S. Gregorio l. 1. Regeſt. ep. 40 Indict. 9.*

quando Clericalibus munijs dignos iudicabit. Quod cum S. Hieronymi monito ad Ruſticum pulcherrime conſonuit.

*Secunda Abailardi ratio probatur in obſeruantijs Regularibus.*

Altera Dialectici doctoris ratio leuior eſt, ſi hæremus in habitu, qui nunquam mutetur a Monacho, etiam ad Clericatum aſſumpto. Nam & Seraphicas alas in Monaſtica veſte dimenſas antea riſimus, & ſcimus ad Eminentiſſimam Senatus purpurati dignitatem euocatos Religioſos, habitum non ponere vt dibaphum induant, & Cœleſtinum Pontificem repetito Monachatu Tiaram diadematam, & omnia ſupremi Pontificatus inſignia cum vili cuculla, & vſitatis in Monaſterio veſtibus commutaſſe: quis tamen ſapiens ſacratiſſimis illis dignitatibus Monaſticam humilitatem anteferet? Tranſeamus igitur ab habitu, ad religioſas quas vocamus obſeruantias, à quibus non tenue momentum Abaëlardi ſubtilitas accipiet. Tam enim conſtanter hominis animo inhęret Religioſus ſtatus, tam eſt eius ad virtutem exercitatio neceſſaria, vt nulla ſuperioris ſtatus adeptione tolli poſſit & obliterari. Secum defert Religioſus etiam ad Pedum, & infulas earum neceſſitatem obſeruantiarum, quæ cum noua vitæ conditione ſocietatem inire poſſunt: quod recenti exemplo docuit Bellarminus in purpura, qui ſolicitè cauebat ne domeſtica ſupellex Cardinali neceſſaria, Religioſę paupertatis terminos tranſiliret: & ſubductis anno vertente rationibus, pecuniarum nihil in ſequentem reſeruabat; quòd opum cumulos diceret Religioſo profeſſo non conuenire. Qui autem è Clero & ſeculo Religionem ingreditur, ad illas ſe relictis prioribus adigit, & ſpoliari cogitur, non ſuperueſtiri. Imo etiam officij Eccleſiaſtici abſque Religionis propoſito poteſt obligationem abijcere: Religioſus ſiue in Monaſterio lateat, ſiue ad Clericalia munia prodeat, ſuis ſemper conſtringitur obſeruantijs. Quippe qui, vt D. Thomas admonet, *totam vitam ſuam obligat ad perfectionis ſtudium. Presbyter autem Curatus, vel Archidiaconus non obligat totam vitam ſuam ad curam animarum, nec ei competit principalem curam ſubditorum habere, ſed quadam particularia committuntur. Et ideo comparatio ſtatus Religionis ad eorum officium, eſt ſicut vniuerſalis ad particulare, & ſicut holocauſti ad ſacrificium, quod eſt minus holocauſto, vt patet per Gregorium ſuper Ezechielem.* Diſſimulat hanc rationem Doctor Hallier, & in alium trahit ſenſum retinendarum obſeruantiarum obligationem. *Ideo*, inquit, *cum Monaſticæ virtutes in Epiſcopo eſſe poßint, Canonibus Eccleſiaſticis iuſſum, vt ex Monachis Epiſcopi ordinati, Monachi propoſitum non amittant.* Virtutes confundit cum obſeruantijs, quæ ſunt virtutum vel parentes vel ſoboles; Monaſticas virtutes eſſe ait poſſe in Epiſcopo; imo eſſe debent, neque aliam ob cauſam educitur ad Epiſcopatum Monachus è clauſtro, niſi quia in illa virtutum ſchola & officina eas comparaſſe cenſetur, quæ tantæ dignitati adminiſtrandæ ſint idoneæ. Regulas tacet & obſeruantias, quæ Religioſum quocunque ierit tanquam aſſiduæ comites ſequuntur, quia in quolibet ſtatu fuerit, per Religioſam profeſſionem *totam vitam ſuam obligauit ad perfectionis ſtudium.* Itaque non malè huc referas ex S. Bernardo Chtiſti Ieroſolymam triumpho inuecti, & procedentium cum eo turbarum ingenioſam allegoriam. Duo conſiderat hominum genera Chiiſto famulari, Laïcos qui ex eo quod abundat veſtimenta ſternant in via per eleemoſynas. Paſtorès animarum qui ex arboribus ramos cædant, quãdo ſubditis ſuis euangelizant: ſed tertium animal eſſe cui Chtiſtus inſideat, quod ſe totũ illius obſequio, quandiu

*Religioſus in dignitate Clericali tenetur ad quaſdam obſeruantias Regulares.*

*Religioſus totam vitã obligat, non Curatus. D.Th 2.2. q.184. a.8.*

*Refellitur Hallier in Vind. pag. 603.*

*Allegoria S. Bernardi ſerm. 1 de Ramis pal.*

ipſe velit, quocunque ducat, proximè, laborioſiſſimè, vtiliſſimè ſubijciat. *Silendum-ne mihi eſt, vt elationem caueatis, an magis loquar vt habeatis conſolationem? Iumentum cui inſidet Chriſtus, nonne vos eſtis, iuxta præceptum Apoſtoli, glorificantes & portantes Deum in corporibus veſtris?*

*Religioſi educuntur ad Clerum vt præſint, Clerici intrant Monaſterium vt ſubſint.*

In tertio argumento vim non contemnendam ponit Abaëlardus, quod ipſum iure ſuo Doctorum Pariſienſium meruit ſuffragium. Nam è ſeptis Monaſteriorum non auelluntur Religioſi, niſi vt publicam Eccleſiæ nauent operam, & populis, ipſiſque Clericis præficiantur: & qui ſe abdunt in Monaſterij latebras Clerici, profectò priuati degunt, neque Monachorum præfecturam ipſo ingreſſu nanciſcuntur. Habent igitur Religioſi virtutum ſupellectilem, quanta ſufficit ad perfectionem in luce publica & ſeculi turbinibus exercendam: non habent ſeculares Clerici doteis eas & virtutes quæ Regularium magiſterio, & virorum magnis itineribus ad perfectionem tendentium, ductui aptos efficiant. Neque dicas mirum iſtud non videri, ſiquidem rituales clauſtrorum libros, & incuruicemicum genus cæremoniarum perdiſcere viri ſeculares non tenentur. Hoc enim tali reſponſione tantum euinces, Eccleſiaſticorum Canonum diſciplinam in Monaſterio percipi, Regulareſque vſu peritos Eccleſiæ gubernaculo admoueri; obſeruantias autem Regularium, quæ vigilijs, abſtinentia, corporeis macerationibus, moderato linguæ vſu, ſimilibuſque virtutum exercitijs continentur, ordinario ſaltem vſu in ſeculo à pluribus Clericis ignorari. Quare S. Benedictus admittendos in Monaſteria ſua deſcribens *Clericos*, iubet *loco mediocri collocari*: Sacerdotem vero *poſt Abbatem ſtare*, neque quicquam ſine Abbatis imperio præſumere: *Sciens*, inquit, *ſe diſciplinæ regulari ſubditum, magis humilitatis exempla omnibus det.* Et in publicis conſeſſibus tractandiſque negotijs, *illum locum attendat quando ingreſſus eſt in Monaſterium, non illum qui ei pro reuerentia Sacerdotij conceſſus eſt.* Eius diſpoſitionis rationem adfert Abaëlardus ſuo dignam animo. *Quis indigniſſimum cenſetur, vt eius vita regimini laxior præponatur, pro qua etiam ipſa contemnenda eſt, & vt diximus, per eam corrigenda.* Mitiorem allegat S. Gregorius, alibi expenſus à nobis, non tamen abſque Clericorum reprehenſione. *Dum hi qui ſunt in Eccleſijs fingunt ſe religioſè viuere, Monaſterijs præponi appetunt, & per eorum vitam Monaſteria deſtruuntur. Ego nullo modo patiar vt loca ſacra per Clericorum ambitum deſtruantur* Hanc igitur Prælaturam multi tum affectabant indigni Clerici: regimen autem Eccleſiæ quò ſunt illo digniores Monachi, eò grauiùs reformidant, perfectionis differentiam vel illo facto manifeſtantes. Illis certè officijs pares & idoneos eſſe Religioſos aduersùs Petrum Aurelium ſuo loco probatum eſt, conſentiente Doctore Hallier, qui fert ægrè à nonnullis voto priuato eorum ſuſcipiendorum poteſtatem à ſe abdicari: ſcimus tamen quanta animorum contentione tam grauia onera defugerint optimi quique, quàm ardenter ſub ijs fatiſcentes vitæ prioris ſanctitatem expetierint. Audiamus vnum de ſexcentis Petrum Damiani, ſacratiſſimi Senatus Principem, repulſam paſſum à reditu in Monaſterium. *Ego, ego, proh dolor! tanquam alter Samſon ſeptiformis Spiritus Sancti dona, quaſi ſeptem crines amiſiſſe me doleo, & effoſſis oculis non frontis, ſed cordis, curarum ſecularium molam voluo. Ego ille Sedechias, cui Rex Babylonicus priùs filios interficiens bonorum operum fructus abſtulit, poſtmodum oculos eruit, dum contemplationis intima luce priuauit.* Se vir etiam in ſeculo ſanctiſſimus, in Epiſcopatu humillimus, in maximis Eccleſiæ negotijs ſtrenuus, extra Monaſterium

*Canones Eccleſiaſtici vſu diſcuntur in Religione.*

Reg. S. Bene. c. 60.

Greg. l. 4 ep. 1. Ind. 13.

*Petri Damiani querela de ſui ſtatus mutatione. l. 1. ep. 10.*

& oculis,

& oculis, & viribus, & bonotum operum fructu priuarum eſſe ingemiſcit. Ab eodem Dei ſpiritu profecta eſt Roberti Bellarmini adhuc inter nos degentis *Egregium Bellarmini dictum.* egregia vox, quam is ipſe mihi tetulit vir omni fide dignus qui eam expreſſit. Cum enim de eo Romæ in purpuratum Collegium adlegendo ageretur, narrabat à ſe rogarum inueniliter, ecquid ſciret qui tanta de re tota vrbe crebreſcerent ſermones: Nullam· ne porto ad id conſilij diſturbandum ex voto & Societatis conſuetudine machinam admoueret? Otioſum videri tanto in periculo, & Stoïco ſimilem de quo legitur, *& nihil eorum Gallioni cura erat.* Ad hæc reſpondiſſe Bellarminum; & hoc ſcire ſe, & interiectos à ſe obices qui conſcientiæ ſuæ, & inſtituto Societatis ſatis eſſent: ſtatum modò partium eſſe ad Dei arbitrium ſe ſe totum non minùs componere, quàm ſi ad pontem S. Angeli deduci, & infami patibulo iuberet appendi. Hic togatorem illum ſubridentem intuliſſe: Nimirum, mi Pater, vaſtum eſt inter illa diſcrimen, & longè molliùs Deo patetur ad pileum vocanti, quàm ad laqueum. At vitum ſapientem grauiter addidiſſe. Carnem ſpectas, & hominum iudicia, Deum ego & ſalutem: poſſum ad infamem nodum mentem ferre cupientem diſſolui & eſſe cum Chriſto, & è cruce gradum facere ad cœlum; in Eccleſiaſticis autem dignitatibus propiùs eſt vt peream; aut certè ſi quid vnquam ex virtute feci, & Religioſos annorum quadraginta labores periculo ſalutis obijciam.

---

*INGRESSVS IN RELIGIOSI STATVS CVM Epiſcopali comparationem per explicationem ſtatus acquirendæ & acquiſitæ perfectionis.*

## CAPVT XVIII.

SI Reges verbis tantùm byſſinis compellari volebat generoſa Paryſatis, quibus alijs quàm Angelicis vos alloqui debeo diuini Hierarchæ, qui homines inter Deumque medij, aurea nos catena cum principio noſtro colligatis, & in deifotmem ſtatum reuocatis? *Non eſt ambitioſa ſtatus Religioſi cum Epiſcopali comparatio.* Quibus oculis ſuſpiciam Deo affinem naturam, Dei cooperatricem conditionem, deificam ſanctitatem veſtram, vt ea quantùm quidem fieri poteſt, cum mortali noſtra perfectione comparetur? Non eſt ſuperbiæ conatus iſte, ſed indolis. Non poſſunt in ſecundis tertijſque Religioſi honeſtè ſubſiſtere, niſi ſumma perrentent. Iam olim Dionyſiaca nos admonuit aliquorum verſio, *perficientis Pontificum ordinis ſtatum exprimere conari Monachos*: id certè conſtar, Dion. c. 6. ab Hierarchis perfici Monachos, tanquam à Magiſtris diſcipulos: non poſſe Eccleſ. autem eſſe glorioſius aut iuſtius diſcipulo votum, quàm vt *ſit ſicut magiſter eius.* Religioſos eſſe Hierarcharum filios, nemo vnquam negauerit Catholicus; filios autem ad patentum aſpirare ſimilitudinem in gratiæ dotibus quæ tandem inuidia eſt, quam natura quærit in vultus lineamentis? Non erimus regno ſacto indecores, ſi monſtramus humanæ ſanctitatis archetypa, cœleſtis puritatis ſoles, diuinæ bonitatis principes adminiſtros à Regularibus attingi proximè, eorum vitâ & virtutibus graphicè exprimi: ſiquidem *filius ſapiens lætificat patrem.* Prou. c. 10. Denique nos Deo patri vult eius filius eſſe quamſimillimos, *Eſtote perfecti, ſicut & pater veſter cœleſtis perfectus eſt*, quantò Matt. c. 5.

magis ad humanæ ſanctitatis expreſſionem inuitat. Hunc igitur campum veſtra fretus humanitate lætus ingredior, & ab aliquot vocum elucidatione duco exordium; quas in hunc locum reieci, quia de perfectione cum ſupremo eius ſtatu diſſeritur.

*Tria diſtinguuntur Status, Ordo, Officiũ. ex D Tho. 2 2 q. 184. a. 8.*

D. Thomas in Religioſorum cum alijs comparatione tria diſtinguit, Statum, Ordinem, Officium. Hæ ſunt vt alibi diximus, alia nomenclatura tres noſtræ Hierarchiæ: Status enim Hierarchiam Gratiarum, Ordo ſui nominis Hierarchiam ſecundam, Officium Iuriſdictionem ſonat. Religioſus ſtatum habet ſine Ordine ſtrictè dicto: Clericus in ſtatu per Ordinem collocatur: officium neque ſtatus, neque ordo ex ſe eſt, ſed huic adiungitur. Officium itaque nonnihil addit Ordini, ſed mutabile: Ordo vel ſtatum facit, vel ſtatui ſuperaddit aliquid perpetuum: qui à ſtatu tranſit ad Ordinem, addit perfectioni dignitatem: qui ab alterutro ad officium, ſuperaddit dignitati poteſtatem: qui à poſtremis duobus aſcendit ad primum, quærit miniſterio complementum, miniſtro ſanctitatem. Singula ergo ſi ſpectentur, eminet ſtatus perfectione, ordo dignitate, officium poteſtate: inuicem non facilè compares, quia excedunt, exceduntur que. Papa non ordinatus, iam tum caput Eccleſiæ, non eſt vndecunque minor Sacerdotibus. Religioſus Laïcus Presbytero ſimplici dignitate cedit: Preſbyter cum tota ſua in verum Chriſti corpus poteſtate, illi ſubditur, qui in myſticum corpus poteſtatem exercet. Qui priora duo complectatur, vltimo ſit melior neceſſe eſt: qui duo poſteriora, malè cum primo confertur, quia vltimum ſtatus non eſt: & tamen in ea comparatione iniquè ſemper verſantur aduerſarij, cum Parochos & Archidiaconos cum Religioſis comparant, licet de ſolo ſtatu mota ſit quæſtio. Præterea idem eſt in vtriſque Ordo, qui proinde diuerſitatem non admittit; poteſtas autem in diuerſis varia, multiplex, diſſipata, cui difficile eſt in communem aliquam rationem conuenire qua conferri poſſit. Quamobrem hactenus in ſtatu, cuius explicamus Hierarchiam, & eius perfectionem ſpeculamur.

*Ad ſtatum ſacrum duo requiruntur D. Th 2. 2. q 183. a 1. & q 184. a. 4.*

Ad ſacrum autem ſtatum, de quo ſola quæſtio eſt, duo requiri nos admonet S. Thomas, immobilitatem voluntatis ſecundũ nunquam inducitur obligatio: & ſolennitatem aliquo ritu externo adhibitam, ſine qua vota priuata ſtatum eiuſcemodi non faciunt. Per eam enim vniuerſa obligatur vita in Dei obſequium perfectiori modo impendenda; quod ſine perfecto & ardenti Dei amore rite fieri non poteſt. Hinc illa deuotio & ſeruitus hominis ex ſolo Dei nutu pendentis, & libertas vitæ communis voluptates voto abdicantis: eſt enim ſtatus ſeruitutis diuinæ, quæ veram parit libertatem. Hoc votum in Religioſis triplex eſt, in Hierarchis duplex; Ordinis cui adiuncta caſtitas, & curæ animarum, quam ſolennis profeſſio caritatis perpetuam facit. In Clericis ſimplex, Ordinis ſeu caſtitatis ordini appoſitæ; curam enim animarum neque ex voto, neque per ritum ſuſcipiunt: ideo illa ex parte Clericos ſeculares Religioſis ſimiles diximus; ex hac autem cura, Epiſcopos iiſdem & Clericis & Regularibus conſtat eſſe ſuperiores.

*Perfectio eſt in caritate. D Th q. 184. a. 1.*

Perfectionem verò vitæ Chriſtianæ cum Paulo Apoſtolo, cum S. Auguſtino, cum D. Thoma & Theologis, ſanctiſque omnibus, præcipuè in caritate ponimus, tanquam in primo, vt aiunt, analogato, ex cuius acceſſu & receſſu virtutum omnium modus & menſura ducitur. Ad eam nemo Chriſtianus non tendit in hac vita & via, ſeu primò acquirenda eſt, & à lethalis culpæ ſtatu, ad

gratiæ

gratiæ ſtatum trans eundum, ſeu augenda perficiendaque: tamque immenſæ amplitudinis eſt, vt acquiri tota ab homine vno, imo neque ab omnibus ſimul creaturis poſſit, quia modus amandi Deum eſt ſine modo, neque finitis actibus à finitis potentijs infinita bonitas diligendo exhauritur. Creſcit igitur etiam in perfectis perfectio, & omnes quoad viuimus in acquirenda perfectione laboramus. Et tamen in perfectioribus tantùm Chriſtianis ſtatum perfectionis ſtrictius dictum ponit Theologia; quòd ea voce ſignificare velit maiorem vulgari perfectionem, per alia à communibus media, videlicet conſilia, comparandam. *Ibid. a. 5.*

Eſt autem ſtatus ille perfectionis omnino duplex, qui dicitur acquirendæ, & qui acquiſitæ perfectionis ſiue virtutis. Acquirendam dicimus, non primò, id enim & omnibus competit Chriſtianis, & nulla vitæ conditio ſolenniter ſe tantùm obligat ad gratiæ amiſſæ recuperationem: ſed augendam atque amplificandam intelligimus, vt Petro Aurelio monſtratum ſuperiùs eſt. Siquidem abſurdum fuerit arbitrari Catechumenos & Pœnitentes (qui ſoli primò acquirendam gratiam & perfectionem habent) ſolennibus ritibus immobiliter obligari ab Eccleſia ad primæ gratiæ conſecutionem, cum ex ſe ſtatus diuturnam & ſæpius perpetuam inducat neceſſitatem; iſti autem ordines gratiam nouè ambientium, quò breuiores, eò ſint gratiores. Hic idem ſtatus propriæ perfectionis appellatur, cum ſit eorum qui ſibi tantùm, & augendæ ſuæ perfectioni ſolenni obligatione vacare tenentur; quales Anachoretæ veteres, & ſub Antonio atque Pachomio Monachi; imo omnes ex vi ſtatus ſui genericè ſpectati Religioſi: ad quos etiam referes qui Religioſis aliquo voto ſunt affines, de quibus mox dicemus, vt vniuersè verum ſit illud pronuntiatum, Religionem omnem & ſolam eſſe ſtatum acquirendæ, & propriæ perfectionis. Acquiſitam verò appellamus perfectionem, ſiue exercendam, ſiue alijs communicandam, quæ transfunditur in alios, ideoque iam poſſideri ab exercente cenſetur, quia nemo dat illud quo caret. In eo ſtatu verſantur qui ad procurandam aliorum ſalutem, & actus purgationis, illuminationis, perfectionis in proximis exercendos voti ſolennitate ſe deuouent: ſpectamus hic enim transeuntes tantùm actiones. Non ſunt autem ſic inuicem eius diuiſionis oppoſita membra, vt alterum excludatur ab altero omni ex parte ſpectato, cum poſſit aliquis ſimul & ſemel in ſtatu acquirendæ, & acquiſitæ caritatis conſtitui. Quod vt faciliùs exponatur, notari oportet virtutem eſſe duplicem, aliam priuatam, quæ ſuum perficiat ſubiectum, quales ſunt animi demiſſio, patientia, ſtudium orationis: aliam politicam, ſic enim in re ſacra loqui licet, quæ aliorum regimini & perfectioni conducit, vt zelus animarum, crucis appetitio, fortitudo, conſtantia in Euangelij prædicatione, qualem Ieremiæ Deus indidit, peritia in animis ad Deum reducendis. Primum genus propriam facit & adiuuat perfectionem, poſterius alienam conciliat, & auget. Animaduerti præterea opus eſt virtutem acquirendam cum acquiſita duobus modis poſſe conferri: primo vt terminum à quo, cum termino ad quem, qua ratione opponi inuicem manifeſtum eſt: virtus enim acquirenda virtus non eſt, ſed eius priuatio in virtutis ſtudioſo: virtus autem acquiſita virtus perfectò eſt, & in ſuo termino, nec vlteriùs vt ſic, debet progredi. Secundo vt eſt in motu, in quo partim poſſidetur virtus, & acquiſita eſt; partim ad eam per media conuenientia tenditur, & eſt acquirenda. Ne-

*Status perfectionis acquirenda & acquiſita.*

*Non eſt primò acquirenda gratia.*

*Status propria perfectionis.*

*Perfectio acquiſita non excludit acquirendam.*

*Virtutes priuata & politica.*

*Virtus acquirenda dupliciter conſideratur.*

que admodum hoc loco ponderanda videtur vocum aliquatum velut obſcurarum notio, & diſcrimen inter virtutem acquirere, acquiſitam habere, exercere, alijs communicare. Nam exercendo acquiri virtutem nemini eſt ignotum: in hoc tamen propoſito exercitium ſæpius acquiſitæ virtuti attribui quàm acquirendæ, conſtat ex communi doctorum ſenſu, virtutem in re Hierarchica exerceri dicentium, quoties in aliorum traducitur vtilitatem & ſalutem. Acquiſitam porro habere poteſt qui ſit otioſus, & illam in alium non exerat, neque perpetuò & omni occaſione tenetur exercere; ſed exercere tempori non poteſt niſi poſſideat acquiſitam.

*Religioſi ſtatu acquirendæ perfectionis.*

Iam de tribus hominum generibus ad hos ſtatus admouendis quæſtio eſt, Religioſis, Clericis, Epiſcopis. E quibus Religioſi ſunt in ſtatu perfectionis acquirendæ, poſteriore modo conſideratæ, vt motum dicit ad virtutem, non virtutis priuationem. Habet quippe deliberatum apud ſe Religioſus, & penitus conſtitutum, Deum perfectiùs quàm faciant viri ſeculares, diligere, eamque voluntatem vouet ſe nunquam retractaturum, multò minùs ex toto depoſiturum: ſed ex ea intentione media electurum, quæ cum ſint valdè vtilia ad perfectionem, neceſſaria tamen ex ſe non videntur, quia in præceptis non numerantur, ipſe priuato propoſito ſibi tanquam neceſſaria imponit, ac decernit exequi. Quam in rem ſolennitate quadam conſecratur auctoritate Hierarcharum, & ad talis perfectionis per ea media proſecutionem, Eccleſiæ nomine deſtinatur. In eo curſu ſi verſatur fideliter, tam eſſe & à Deo, & à virtute derelictus non poteſt, nullam vt vnquam omni ſuo conatu perfectionem acquirat, ſed ſemper ad acquirendam, & abſentem anhelet, vt Tantalum fingunt Poëtæ, ad aquas malignè recedentes, quæ mens alicubi videtur eſſe Doctoris Hallier, vt infra videbimus. Verùm labore tandem ſuo virtutes ſibi comparat, ſeque ipſum aſſiduo illarum exercitio quantùm poteſt perficit, vt verè & ſolidè dici poſſit perfectionem habere acquiſitam, & nihilominus in acquirendæ ſtatu perpetuò demorari. Tum quia vi ſtatus ſui quæ retro ſunt obliuiſcitur, & ad anteriora ſeipſum extendit, ſemperque verè exclamare poteſt, *non arbitror me comprehendiſſe* terminum perfectionis à Deo mihi propoſitæ: tum quia ex eiuſdem ſtatus natura primariò virtutibus tantùm priuatis ſtudet, politicas autem neque omnes Religioſi comparant, & qui eas acquirunt ſecundariò tantùm, & ex quadam cum priuatis cognatione ad illas progrediuntur: tum quia qui Chariſmata illa poſſideot, non ideo tamen ea vi ſtatus Religioſi præcisè aduersùs proximum exercere poſſunt; quin potiùs tenentur alte in terra defodere, donec præter & ſupra debitum ſtatus Religioſi genericè ſpectati, ad officium acquiſitæ, ſiue communicandæ perfectionis ab Eccleſia aduocentur. Cui quidem officio ſi nulla noua ſuperuenit voluntatis immobilitas & obligatio, nulla recentis conſecrationis ſolennitas, ad ſtatum communicandæ eius perfectionis quam actu communicant, non traducentur: ſicque in priore ſtatu perfectionis acquirendæ ſemper morabuntur, quantumcunque acquiſitam communicando exerceant.

*Poteſt acquiſitam poſſidere.*

*Nihilominus ſemper eſt in ſtatu acquirendæ.*

*Clerici ſunt in ſtatu acquirendæ perfectionis.*

Huic Religionis perfectioni participat Clericatus, in ijs maximè qui maiores Ordines aſſecuti ad ſuperiorem communi perfectionem per conſilia præceptis altiora ſolenni ritu, & immobili voluntate ſe obligarunt, verè in ſtatu perfectionis acquirendæ poſiti, & ea parte Religioſi, qua vnum è magnis conſilijs, caſtitatem vouerunt. Illos ad propriæ perfectionis, & priuatæ

virtutis

virtutis ſtudium *lege patrum* obligati ſuperiùs monebat Doctor Hallier, nobis aſſentientibus, & locum Iſidori ponderantibus. Ex ijs aliqui, quos apertioris diſtinctionis gratia Clericos ſeu Sacerdotes ſimplices appellamus, nunquam ab Hierarchis, aut inferioribus Prælatis ad exercendam acquiſitam perfectionem, & alijs communicandam virtutem adhibentur, vt Religioſis nonnullis euenire diximus; quos manifeſtum eſt ad ſtatum acquiſitæ virtutis non tranſgredi. Alios ſeu temporaria commiſſio, ſeu ſuſceptum officium alienæ perfectioni curandæ admouet: cuius generis ſunt Parochi, quibus incumbit quidem aliorum deducendorum obligatio, at non ex ſtatu, quippe qui curam animarum neque immobili voluntate, neque ſolenni conſecratione ſuſcipiunt, vt ex D. Thoma ante monuimus: quos eius exemplo vſi conferre poſſumus cum Senatore, qui à Senatu amotus, dignitatem magis perdit quàm ſtatum: non enim propriè loquendo ſtatum poſſidet, qui officio ſuo nulla obligatione conſtrictus, liber perſeuerat. Manent igitur in ſtatu perfectionis acquirendæ, dum acquiſitam in gradu & officio ſuo exercent. Quòd ſi Ioannes Gerſon Curatorum ſtatum nihilo minùs appellat, quàm ſtatum Prælatorum, fuſè ſtatum accipit etiam pro gradu & officio; nam & ſtatum Priuilegiatorum explicat, in ordine ad perfectionem alijs communicandam per confeſſiones & prædicationes, & tamen Monachos vt ſic, in ſtatu non eſſe conſtat, quantumlibet illis priuilegijs fruantur. Verùm meo quidem iudicio abſimilis eſt ratio Clericalium, & Mendicantium ordinum, qui ad docendum, & prædicandum inſtituti, hæc officia ex peculiari talium Religionum eſſentia, volente Eccleſia adminiſtrant, licet ea priuatorum ſingulis non committantur. Quapropter hi Clerici tum ſeculares tum Religioſi, perfectionis acquirendæ ſtudium, non perfectè ſatis complectuntur, niſi æquè politicis virtutibus atque priuatis comparandis inuigilent; ſeque eos reddant, qui reipſa ad acquiſitæ, & exercendæ perfectionis gradum, aut ſtatum poſſint applicari.

*Parochi non ſunt in ſtatu perfectionis acquiſitæ.*

*D. Th. 2. 2. q. 184. a. 8.*

*Gerſ. tr. de ſtatib. Eccl.*

Is eſt præcipuè ordo Hierarchatum, in quo ſtatus duos habemus mente diſtinguendos, Clericalem, & Epiſcopalem. Quà Clericalis, Religioni participat, perfectioni acquirendæ ſtudet, priuatis virtutibus animum exornat; quam ad acquiſitionem obligatione perpetua cum ſolennitate ſe aliorum more Clericorum obſtrinxit. Quà Epiſcopalis, in ſolenni & publica conſecratione immobilem accipit obligationem Hierarchici officij aduersùs ſubditos exercendi, qui ſtatus eſt alienæ ſalutis curandæ, & perfectionis communicandæ. Poſteriorem hunc priore illuſtriorem multa faciunt. Primùm enim ſi debitè ſuſcipitur, & ritè perficitur, priorem continet vt fundamentum, & meritum, & perbenè à priuatis virtutibus, ad politicarum vſum aſcenditur. Deinde videtur ab Eccleſia quaſi prioris finis deſtinari; quandoquidem Clericos & Religioſos perfectæ virtutis homines cupidè ad ſacram adminiſtrationem euocat, & ſublatis modij tenebris, lucernam ſuper candelabrum in media domo collocat. Præterea *beatius eſt magis dare quàm accipere:* prior autem perficiendus eſt, poſterior perfectiuus; prior accipit id quo caret, poſterior donat id quo redundat; prior eſt in motu, poſterior quodammodo in termino. Quamobrem licet vtrunque ſtatum Epiſcopalis principatus compectatur, à nobiliori tamen nuncupationem ſuſcipit, vt acquiſitæ, ſiue exercendæ in alios, & communicandæ perfectionis ſtatus dicatur & ſit. Ex quibus apparet ſupremum hunc ſtatum non ita ſe alijs impendere, ſe vt negligat;

*Epiſcopi ſunt in ſtatu perfectionis acquiſitæ.*

que admodum hoc loco ponderanda videtur vocum aliquatum velut obſcurarum notio, & diſcrimen inter virtutem acquirere, acquiſitam habere, exercere, alijs communicare. Nam exercendo acquiri virtutem nemini eſt ignotum: in hoc tamen propoſito exercitium ſæpius acquiſitæ virtuti attribui quàm acquirendæ, conſtat ex communi doctorum ſenſu, virtutem in re Hierarchica exerceri dicentium, quoties in aliorum traducitur vtilitatem & ſalutem. Acquiſitam porro habere poteſt qui ſit otioſus, & illam in alium non exerat, neque perpetuò & omni occaſione tenetur exercere; ſed exercere tempori non poteſt niſi poſſideat acquiſitam.

*Religioſi ſtatus acquirendæ perfectionis.*

Iam de tribus hominum generibus ad hos ſtatus admouendis quæſtio eſt, Religioſis, Clericis, Epiſcopis. E quibus Religioſi ſunt in ſtatu perfectionis acquirendæ, poſteriore modo conſideratæ, vt motum dicit ad virtutem, non virtutis priuationem. Habet quippe deliberatum apud ſe Religioſus, & penitus conſtitutum, Deum perfectiùs quàm faciant viri ſeculares, diligere, eamque voluntatem vouet ſe nunquam tettacturum, multò minùs ex toto depoſiturum: ſed ex ea intentione media electurum, quæ cum ſint valdè vtilia ad perfectionem, neceſſaria tamen ex ſe non videntur, quia in præceptis non numerantur, ipſe priuato propoſito ſibi tanquam neceſſaria imponit, ac decernit exequi. Quam in rem ſolennitate quadam conſectatur auctoritate Hierarcharum, & ad talis perfectionis per ea media proſecutionem, Eccleſiæ nomine deſtinatur. In eo curſu ſi verſatur fideliter, tam eſſe & à Deo, & à virtute derelictus non poteſt, nullam vt vnquam omni ſuo conatu perfectionem acquirat, ſed ſemper ad acquirendam, & abſentem anhelet, vt Tantalum fingunt Poëtæ, ad aquas malignè recedentes, quæ mens alicubi videtur eſſe Doctoris Halliet, vt infra videbimus. Verùm labore tandem ſuo virtutes ſibi comparat, ſeque ipſum aſſiduo illarum exercitio quantùm poteſt perficit, vt verè & ſolidè dici poſſit perfectionem habere acquiſitam, & nihilominus in acquirendæ ſtatu perpetuò demorari. Tum quia vi ſtatus ſui quæ retro ſunt obliuiſcitur, & ad anteriora ſeipſum extendit, ſemperque verè exclamare poteſt, *non arbitror me comprehendiſſe* terminum perfectionis à Deo mihi propoſitæ: tum quia ex eiuſdem ſtatus natura primariò virtutibus tantùm priuatis ſtudet, politicas autem neque omnes Religioſi comparant, & qui eas acquirunt ſecundariò tantùm, & ex quadam cum priuatis cognatione ad illas progrediuntur: tum quia qui Chariſmata illa poſſident, non ideo tamen ea vi ſtatus Religioſi præcisè aduersùs proximum exercere poſſunt; quin potiùs tenentur alte in terra defodere, donec præter & ſupra debitum ſtatus Religioſi genericè ſpectati, ad officium acquiſitæ, ſiue communicandæ perfectionis ab Eccleſia aduocentur. Cui quidem officio ſi nulla noua ſupetuenit voluntatis immobilitas & obligatio, nulla recentis conſecrationis ſolennitas, ad ſtatum communicandæ eius perfectionis quam actu communicant, non traducentur: ſicque in priore ſtatu perfectionis acquirendæ ſemper morabuntur, quantumcunque acquiſitam communicando exerceant.

*Poteſt acquiſitam poſſidere.*

*Nihilominus ſemper eſt in ſtatu acquirendæ.*

*Clerici ſunt in ſtatu acquirendæ perfectionis.*

Huic Religionis perfectioni participat Clericatus, in ijs maximè qui maiores Ordines aſſecuti ad ſuperiorem communi perfectionem per conſilia præceptis altiora ſolenni ritu, & immobili voluntate ſe obligarunt, verè in ſtatu perfectionis acquirendæ poſiti, & ea parte Religioſi, qua vnum è magnis conſilijs, caſtitatem vouerunt. Illos ad propriæ perfectionis, & priuatæ

virtutis ſtudium *lege patrum* obligari ſuperiùs monebat Doctor Hallier, nobis aſſentientibus, & locum Iſidori ponderantibus. Ex ijs aliqui, quos apertioris diſtinctionis gratia Clericos ſeu Sacerdotes ſimplices appellamus, nunquam ab Hierarchis, aut inferioribus Prælatis ad exercendam acquiſitam perfectionem, & alijs communicandam virtutem adhibentur, vt Religioſis nonnullis euenire diximus; quos manifeſtum eſt ad ſtatum acquiſitæ virtutis non tranſgredi. Alios ſeu temporaria commiſſio, ſeu ſuſceptum officium alienæ perfectioni curandæ admouet: cuius generis ſunt Parochi, quibus incumbit quidem aliorum deducendorum obligatio, at non ex ſtatu, quippe qui curam animarum neque immobili voluntate, neque ſolenni conſecratione ſuſcipiunt, vt ex D. Thoma ante monuimus: quos eius exemplo vſi conferre poſſumus cum Senatore, qui à Senatu amotus, dignitatem magis perdit quàm ſtatum: non enim propriè loquendo ſtatum poſſidet, qui officio ſuo nulla obligatione conſtrictus, liber perſeuerat. Manent igitur in ſtatu perfectionis acquirendæ, dum acquiſitam in gradu & officio ſuo exercent. Quòd ſi Ioannes Gerſon Curatorum ſtatum nihilo minùs appellat, quàm ſtatum Prælatorum, fusè ſtatum accipit etiam pro gradu & officio; nam & ſtatum Priuilegiatorum explicat, in ordine ad perfectionem alijs communicandam per confeſſiones & prædicationes, & tamen Monachos vt ſic, in ſtatu non eſſe conſtat, quantumlibet illis priuilegijs fruantur. Verùm meo quidem iudicio abſimilis eſt ratio Clericalium, & Mendicantium ordinum, qui ad docendum, & prædicandum inſtituti, hæc officia ex peculiari talium Religionum eſſentia, volente Eccleſia adminiſtrant, licet ea priuatorum ſingulis non committantur. Quapropter hi Clerici tum ſeculares tum Religioſi, perfectionis acquirendæ ſtudium, non perfectè ſatis complectuntur, niſi æquè politicis virtutibus atque priuatis comparandis inuigilent; ſeque eos reddant, qui reipſa ad acquiſitæ, & exercendæ perfectionis gradum, aut ſtatum poſſint applicari.

*Parochi non ſunt in ſtatu perfectionis acquiſitæ.*

D. Th. 2. 2. q. 184. a. 8.

Gerſ. tr. de ſtatib. Eccl.

Is eſt præcipuè ordo Hierarcharum, in quo ſtatus duos habemus mente diſtinguendos, Clericalem, & Epiſcopalem. Quà Clericalis, Religioni participat, perfectioni acquirendæ ſtudet, priuatis virtutibus animum exornat; quam ad acquiſitionem obligatione perpetua cum ſolennitate ſe aliorum more Clericorum obſtrinxit. Quà Epiſcopalis, in ſolenni & publica conſecratione immobilem accipit obligationem Hierarchici officij aduerſùs ſubditos exercendi, qui ſtatus eſt alienæ ſalutis curandæ, & perfectionis communicandæ. Poſteriorem hunc priore illuſtriorem multa faciunt. Primùm enim ſi debitè ſuſcipitur, & ritè perficitur, priorem continet vt fundamentum, & meritum, & perbenè à priuatis virtutibus, ad politicarum vſum aſcenditur. Deinde videtur ab Eccleſia quaſi prioris finis deſtinari; quandoquidem Clericos & Religioſos perfectæ virtutis homines cupidè ad ſacram adminiſtrationem euocat, & ſublatis modij tenebris, lucernam ſuper candelabrum in media domo collocat. Præterea *beatius eſt magis dare quàm accipere:* prior autem perficiendus eſt, poſterior perfectiuus; prior accipit id quo caret, poſterior donat id quo redundat; prior eſt in motu, poſterior quodammodo in termino. Quamobrem licet vtrunque ſtatum Epiſcopalis principatus compectatur, à nobiliori tamen nuncupationem ſuſcipit, vt acquiſitæ, ſiue exercendæ in alios, & communicandæ perfectionis ſtatus dicatur & ſit. Ex quibus apparet ſupremum hunc ſtatum non ita ſe alijs impendere, ſe vt negligat;

*Epiſcopi ſunt in ſtatu perfectionis acquiſitæ.*

Iiii iij

*Aliqui ſunt in ſtatu perfectionis imperfecti.* D. Th. cit. a. 4.

& ita vouere aliorum adiuuandam perſectionem, vt ſuæ virtuti ex obligatione inuigilet. Neque inde deducas Epiſcopum omnem perfectum eſſe, aut Epiſcopum non eſſe. Nam vt optimè S. Thomas, *aliqui ſe obligant qui non ſeruant: & ideo nihil prohibet aliquos eſſe in ſtatu perfectionis, qui tamen non ſint perfecti.* Atque vt in rebus politicis multos videre eſt Reip. adminiſtrandæ dotibus eſſe præditos, vt prouidentia, rerum agendarum peritia, liberalitate, ſtudio iuſtitiæ; qui tamen priuatis & domeſticis moribus, vt concordia, filiorum educatione, rei familiaris conſeruatione ſint deſtituti: ſic in ſacra politia ſuam poteſt non amare perfectionem, qui ſeueriùs exigat alienam; quod

1. Cor. 9.

Apoſtolus ſibi nolebat euenire cum ſcriberet, *Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo*, quæ priuata virtus eſt, *ne forte cum alijs prædicauero* ex officij Apoſtolici obligatione, *ipſe reprobus efficiar*; & alios eò deducam, quò ipſe nolim peruenire. Sunt igitur in acquirendæ perfectionis ſtatu tria hominum genera, Religioſi, Clerici, Epiſcopi, quorum Religioſi primum ſunt analogatum, Religio commune vinculum. Sunt in ſtatu perfectionis acquiſitæ ſoli Epiſcopi: ſed illis participant Parochi officio, Sacerdotes ſimplices & Religioſi ad proximum applicati, temporaria commiſſione.

## *OPINIONES DOCTRINÆ EXPOSITÆ REPUGNANTES CONFUTANTUR.*

§. I.

*Ioannes Maior negat Religionem eſſe ſtatum perfectionis.* in 4 diſt. 38 q 6.

LICET nobiles propriæ perfectionis partes ſint humilitas, patientia, mortificatio, inque ijs acquirendis ſtudium ſuum Deo Religioſus deuoueat, ambitionis tamen notam effugere non potuit apud æmulos, ex quo à Principe Theologorum edoctus, in ſtatu perfectionis verſari ſe profeſſus eſt. Profert enim Ioannes Maior Gerſonem, *circa finem primæ partis, dicentem Religiones factitias ſatis impropriè & abuſiuè, & forſitan arroganter dictas eſſe ſtatus perfectionis.* Cui dicto ſuum adijciens calculum Theologus ſubdit. *Quod verum eſt; nam contingit homines imperfectiſſimos tales Ordines profiteri. Modò non propter perfectionem acquirendam, ſed acquiſitam debet dici ſtatus perfectionis. Et infert. Propterea meliùs nominaretur via quadam, inſtrumentum, vel diſpoſitio ad perfectionem acquirendam. Nam ſicut iuuat quoſdam ad perfectionem vera Religionis Chriſtiana, ſic multos impedit atque præcipitat, quos tutius fuerat in ſeculo remanſiſſe. Sic ille.*

Hallier in Vind. pag. 619.

Gerſonis mentem non aliter explicat, ſed aliter citat Franciſcus Hallier 3. *P. de Conſil. Euangel. & ſtatu perfectionis. Religioſos propriè non eſſe in ſtatu perfectionis, & eſſe in ſtatu perfectionis acquirendæ, non eſſe propriè in ſtatu perfectionis eſſe.* Ad hæc tria

*Reſponſio.*

reſpondeo I. A Ioanne Maiore, Ioannem Gerſonem iniurioſè & contumelioſè citari, à Doctore Hallier infideliter, ab vtroque falsò.

*Falsò citatur Gerſon ab aduerſarijs.* Tract. contra proprietarios Reg. Aug. p. 2 apud Gerſ. 2. p.

Nam Maior *circa finem primæ partis* ait iſta ſcribi, cum tota prima parte hanc controuerſiam non tangat; quique illam claudit Tractatus contra proprietarios regulæ Auguſtini, neque Gerſonis partus ſit, neque aliam de Religioſorum ſtatu doctrinam tradat, quàm quæ à nobis ex D. Thoma eſt expoſita. In tertia eius operum parte ſæpe recurrit hæc quæſtio, ſed non Tractatu de Conſilijs Euangelicis, quem citat Hallier. In opuſculo autem de Religionis perfectione, id tantùm lego quod Maioris mentem ſatis inutiliter adiuuare poſſit. *Religio factitia, ſiue dicatur*

*tur ſtatus, ſiue Ordo, ſiue gradus in Eccleſia; illa tamen non eſt de ſe ſtatus, vel Ordo, vel gradus perfectionis exercendæ, ſed acquirendæ.* Definire refugit gradus ſit an ſtatus, ſed quocunque appelletur nomine, eſſe acquirendæ perfectionis agnoſcit. *Alioquin malè nimis eſſet multis Religionem profitentibus, qui imperfectos ſe eſſe cognoſcunt, aut valde deſipiunt.* Hoc vt verè, ita ſine contumelia, qualem fingit Maior, dicitur. Inferiùs autem poſtquam docuit Cartuſienſium Ordinis profeſſores, quem peculiari amabat ſtudio, non omnes contemplationi aptos eſſe, & ideo exercitationum corporalium omnibus præſcribi regulas, adijcit ad extremum; *Concupiſcentijs non edomitis contemplari quæreret homo nedum inutiliter, nedum arroganter, ſed in magnam ſæpe ſui perniciem, prout ex Vitas patrum claret.* Cancellarij verum & ſapiens dictum multorum temeritas deploranda comprobat: ſed eo non conficitur ſtatum religioſum *impropriè, abuſiuè, arroganter* ſtatum perfectionis appellari. Ac ne quid diſſimulem, Dialogo de Perfectione cordis, expreſſius aliquid dicit aduerſariorum noſtrorum conforme ſententiæ. *Dum ſtatus perfectionis ille dicitur qui non ex ſe perfectos habet, ſed perficiendos, videat logicus ſi ſequitur: Iſte eſt ſtatus perfectionis acquirendæ, ergo eſt ſtatus perfectionis. Nunquid non aptiùs vocatur ſchola, vel via, vel diſciplina ad perfectionem adipiſcendam, quàm ſtatus perfectionis abſolutè?* Sed hunc locum ſi reſpexit Doctor Hallier, minùs ſyncerè agit cum Lectore. Nam cum in eiuſmodi dialogis didaſcalicis alter diſcipuli & rogantis, alter docentis affirmatéque pronunciantis partes ſuſtineat, huic non illi aſſignatur ſcriptoris ſententia: has ergo voces ab Anima Chriſtiana quæ ſe rogat inſtrui profectas eſſe, tacere non debuit Franciſcus, & omittere quod à Theologo reſpondetur, eam rem in dubio relinquente: *Nolumus vt prædiximus, vbi de re conſtiterit, deſeruire contentioni de nomine.* Neuter igitur magnum Cancellarium verè fideliterque producit; quæ eſt prima noſtra reſponſio.

Gerſ. 3. p. Opuſc. de Religionis perfectione. Conſid. 4.

Ibid. Conſid. 8.

Idem 3. p. Tract. de Perfectione cordis.

Reſpondeo deinde ſine contumelijs tanto viro indignis, ſine odio in Religioſos, quod Chriſtianæ caritati nunquam prætulit, admiſſo in Ioanne Gerſone ſolo partium ſtudio, eoque non mediocri, vero admodum mihi ſimile videri, ſenſiſſe illum Religionem propriè ſtatum non eſſe, impropriè dici ſtatum acquirendæ perfectionis, longè minus vocari poſſe ſtatum perfectorum: nouam hanc eſſe *ſecūdum modernos, antiquis ſilentibus* appellationem. Et vniuerſè fateor in nobili Cancellario iacta reperiri ſemina, quæ noſtro ſeculo nonnullorum Antiregularium contentione, & libera nimis exaggeratione in infinitum ſtatus Religioſi contemptum infeliciter pullularunt. Nouit hoc Doctor Hallier qui non rarò eius ſententias, rationes, verba ipſa deſcribit, ne indicata quidem Gerſonis auctoritate: norunt qui controuerſiam de ſtatus perfectione, vltro citroque libris vernaculis agitatam, cum doctrina Gerſonis conferre voluerunt. Nimirum ſanctis etiam viris nimius ſuæ conditionis amor illudit, & vbi totum cordis agrum non ſatis liberaliter diuinæ caritatis arationi committimus, latenter & furtim ab inimico homine ſparguntur zizania, quæ bonum ſemen inficiant. Poterat in altum educi Curatorum ſtatus, etiam non depreſſis Religioſis: potuit Chriſtiana ſuaderi perfectio, & ſpiritalis paupertas atque obedientia doceri, licet in ſuo gradu conſiliorum Euangelicorum realis profeſſio ſeruaretur: & ſi priuilegiatorum nonnulli ea tempeſtate fines officij & virtutis prætervecti ſunt, potuerunt non incuſatis priuilegijs coërceri; quod cum modeſtè Cancellarius faciat, & in tota de per-

*Gerſonem probabile eſt eius eſſe opinionis.*

Tr. de Perfectione cordis. 3. p. Tr. de Conſil. Euang. & ſtatu perf.

fectione ſtatuum quæſtione mulrorum imperfectionem verè libereque re darguar, non debuerunt poſteriores eius aburi virrute & doctrina ad quæſtionem à perſonis ad ſtarum reducendam.

*Soluuntur rationes ex eo allatæ.*
Geſ. Tr. de Perf. cord.

Reſpondeo igitur tertio ſiue Gerſonis, ſiue Maioris explicando rationes; ex perſonarum vitio ſtatus imperfectionem malè colligi. Quod expreſsè Gerſon admonet in propoſito. *Religiones huiuſmodi factitias nequaquam date perfectionem, ſed frequenter in contrarium eius quod intenderunt, non ſui, ſed abutentium vitio, videlicet ex improportionatis ſuis moribus, vita ſeu viuendi regulis, ſe fortaſſe altioribus, miſerabiliter dilabi.* Quæ cauſa ſi ſtatum arguit imperfectum, ede in qua tandem Religione, in quo ſtatu reperiatur perfectio? Non certè in Chriſtiana quæ infinitorum hominum *abutentium vitio, nequaquam dat perfectionem:* Non in Epiſcopali & Clericali, cum idem peculiaribus opuſculis Chriſtianiſſima libertate *defectus virorum Eccleſiaſticorum* deſcribat, & in *ſignu ruina Eccleſiæ* collocet. Quis enim ea ratione Apoſtolicum ſtatum perfectionis aut acquiſitæ aut acquirendæ dixerit, in quo Iudas prodidit, Petrus peierauit, omnes magiſtrum inter manus carnificum deſeruerunt? Eſt inquit, potiùs *via, inſtrumentum, diſpoſitio, ad acquirendam perfectionem.* Omnino: ſed in illa *via* progredi, illo vti *inſtrumento*, illa *diſpoſitione* ad habitum tendere voto ſolenni nos obligamus, in quo ſi non Gerſon, aut Maior, aduerſarij certè noſtri poſt D. Thomam ſtatus naturam conſtitui concedunt. Quam Theologi principis doctrinam, de duabus conditionibus ſtatum altè immobiliterque pangentibus, cum à Gerſone quantumcunque conatum adhibeat, validè labefactati contrarijs rationibus non videam, concludo nihil afferri ex Cancellario ſolidum cur in ſtatu Religioſi negentur eſſe, Curati affirmentur.

Idem 1. p. tr. Declar. defect. virtut. Eccl.
Ibid. de ſignis ruinæ Eccleſiæ.
Tr. de Perf. cordis cit.

*Fr. Hallier ſtatum perfectionis aliter diſtinguit. in vind. à p. 662.*
*Exponitur eius opinio.*

Traditam de ſtatu duplici perfectionis doctrinam, alia via idem qui frequenter Doctor Hallier impugnat, dum Religioſos eſſe fatetur in ſtatu perfectionis, quod antea negabat cum Gerſone: ſed ſtatum illum perfectionis triplicem facit, ſtatum propriæ perfectionis acquirendæ, ſtatum propriæ perfectionis acquiſitæ ſiue exercendæ, ſtatum alienæ perfectionis, ſiue alijs communicandæ. Primis duobus communem vult eſſe obligationem tendendi in vitam æternam per media à præceptis diuerſa: ſed in eo differre, quòd ſtatus propriæ perfectionis acquiſitæ, vi ſua debeat obfirmatam habere voluntatem, per habitus & virtutes acquiſitas: id verò ſtatus propriæ perfectionis acquirendæ non poſtulet. Inde fieri vt ille iſto ſit longè perfectior, quia immobilitati ex obligatione prouenienti, ſuperaddit neceſſariam immobilitatem virtutum & habituum. Præterea ſtatum illum propriæ perfectionis acquiſitæ, eundem eſſe cum ſtatu perfectionis exercendæ; vt qui non debet in otio torpeſcere, ſed totus in exercitio virtutis teri. Ad tertium poſtea ſtatum progreſſus, alienæ perfectionis, ſiue alijs communicandæ, duo ipſum ait includere, obligationem ad communicandam perfectionem, & ius peculiare ad exercendas actiones illius communicationis. Vnde fit vt non minùs hic, quàm ſuperior obligationem includat, ſitque ſeruitutis; ſed prætetea ius habeat ad illarum actionum exercitium, ſitque illa parte libertatis ſtatus. Neque dicas eundem videri ſtatum acquiſitæ perfectionis, cum ſtatu alijs communicãdæ. Sunt enim ſaltem formaliter diuerſi; imo etiam materialiter & ſubiectiuè diſtinguuntur. Nam Beati ſunt in ſtatu perfectionis acquiſitæ, non tamen communicandæ: & ſi puer in cunis conſecraretur Epiſcopus, eſſet in ſtatu

communicandæ

communicandæ perfectionis, non tamen in acquiſitæ. Qui caſus contra legem eſt, ideoque in iure cenſetur eſſe impoſſibilis: & cum in hac diſputatione, de viæ, non de patriæ ſtatu quæſtio ſit, exemplum Beatorum huic loco parum conuenire videtur. Ex tribus hiſce ſtatibus, primus propriæ perfectionis acquirendæ Religioſorum eſt, tum vt opponitur ſtatui propriæ perfectionis exercendæ aut alijs communicandæ, tum vt opponitur ſtatui perfectionis acquiſitæ, ſiue quatenus perfectionis acquiſitæ ſtatui è diametro comparatur. Siquidem ad virtutem habendam, aut virtutum & habituum firmitatem non obligantur, vt patet in adoleſcentibus nondum prouectæ ætatis, aut virtutis, in flagitioſis Religionem profitentibus, in profeſſis vnius diei, qui ſine virtute, & firmitate ſunt verè Religioſi, & omnem ſtatus Religioſi obligationem explent. Status alter propriæ virtutis acquiſitæ & exercendæ Sacerdotalem ordinem continet, cui ex vi ſtatus immutabilis conſtantia in perfectionis ſcientia & praxi neceſſaria eſt. Quare S. Auguſtinus Preſbyteros, & Diaconos, Monachis in eo præfert, quòd *hi ſint vbi viuere diſcitur*, id eſt, in ſtatu perfectionis acquirendæ; *illi vbi viuitur*, id eſt, in ſtatu perfectionis exercendæ. Tertium ſtatum obtinent Epiſcopi, qui ſunt in ſtatu perfectionis propriæ tam acquiſitæ, quàm exercendæ: nec non etiam in ſtatu perfectionis alijs communicandæ, ſeu in alios transfundendæ. Hæc eſt doctrina Franciſci Hallier, quæ vt in pauciora contrahetetur, præciſæ ſunt laciniæ quædam non magis probabiles, quàm neceſſariæ: totam verò probabilitate carere, multis oſtendo rationibus.

*Refellitur ea ſententia.*

In primis enim nouitatis charactere ſignari debet ea ſententia, cuius priorem auctorem agnoſcit, aut producit Theologum neminem. Et D. Thomæ, cæteriſque Scholaſticis vſitata vox eſt, Religioſos eſſe in ſtatu perfectionis acquirendæ, Epiſcopos in acquiſitæ: neque vllus eorum propriam acquirendam, propriam acquiſitam, & alienam communicandam, velut tres ſtatus diuerſos appellat. Ioannes ipſe Gerſon cui non omnino vox acquirendæ perfectionis arridet, quique ſtatum Curatorum proximum facit ſtatui Epiſcoporum, exercendam perfectionem à communicanda non diſtinguit; neque propriæ virtutis ſic exercendæ vel per vmbram meminit.

*D Th. 2. 2. q. 185. a. 1. ad 2. a. 8. &c.*

*Virtutis acquiſita habitus ſtatum non facit.*

Deinde quem ſtatum vocat acquiſitæ perfectionis, quæro per quam immobilitatem & ſolennitatem acquiratur? De ſolennitate reſpondere non poteſt: immobilitatem ponit in voluntate obfirmata per habitus & virtutes. Id ſi verè dicitur, Laïci omnes eſſe poſſunt in eo virtutis acquiſitę ſtatu, in quibus nemo negat habitus eſſe poſſe, & virtutes conſtantiſſimè inhęrentes. Cur autem potiùs in Diaconis, aut Sacerdotibus ſimplicibus reperiri debet ea voluntatis obfirmatio per virtutes & habitus, quàm in Religioſis? Quia, inquit, per hoc in ſtatu virtutis acquiſitæ conſtituuntur. Quidni & Religioſi eadem via? Eſt enim neceſſe vt aut Religioſi vi ſtatus ſui ab acquiſita perfectione penitus excludantur, qua de re modò; aut acquirendę perfectionis ſtudio & opera ad acquiſitę ſtatum per virtutes & habitus perueniant. Sed de quibus agitur virtutibus, & habitibus? De infuſis & ſupernaturalibus? Non ſunt ita in animo noſtro infixi, quin poſſint ſinguli vno lethali peccato interire: vbi eſt igitur firma illa voluntatis immobilitas? De moralibus & acquiſitis? Sublata ab animo gratia negabit eos permanere Seguenotus; ego ſi conceſſero, politicum tunc temporis agnoſcam ſtatum, non ſacrum quem volu-

mus. Quanquam ſi quicquam attendimus, nulla eſt quantumuis intenſa virtus naturalis, quæ non poſſit ſola habentis voluntate diſperdi, atque ipſa otioſitate diſſipari. Quæ eſt igitur firmitas illa à ſola virtute profecta ſtatum factura immobilem? Quid eam in via fruſtra quærimus, quæ ſoli debetur patriæ, in qua beatitudo, conſummata & perfecta virtus eſt, ideo firma, quoniam Beatus intellectu & voluntate principio ſuo fortiter adhæret: nos autem quid ſumus niſi fragiles & infirmi, lutea vaſa portantes, corpus videlicet quod corrumpitur & aggrauat animam deprimitque?

*Virtus immobilis eſt tantùm in patria.*

*Status propria virtutis acquiſita non differt à cæteris.*

Præterea quam habent peculiarem ſignificationem illa verba, propria perfectio acquiſita exercenda, vt ſtatum faciant, vel à propria perfectione acquirenda, vel ab aliena communicanda diſtinctum? Nam propria eſt priuata, quæ ſubiectum ſuum perficit & exornat; aliena quæ alios: iam, exercenda eſt vel quæ exercitio comparatur ab agente, & redit ad propriam, vel quæ exercitio alios perficit, & tranſit ad communicandam. Ad alterutrum ergo ſtatum reduci debet, qui fingitur ab vtroque diſtinctus: quæ eſt expreſſa Gerſonis doctrina, perfectionem acquiſitam & exercendam cum communicanda confundentis. *Differentia inter ſtatum perfectionis acquirendæ, & ſtatum perfectionis exercendæ à fine ſumenda eſt. Status nempe perfectionis exercendæ intendit bonum ſuum in alios effundere, & multiplicare: ſtatus verò perfectionis acquirendæ, bonum illud quod iam alius diffundit, intendit, nititur, & feſtinat in ſe acquirere. Primus ex abundantia in alios redundat, ſecundus in ſe ſtat.* In primo deinde Curatos ponit cum Epiſcopis, *quia eadem opera eis incumbunt, etſi non in tam excellenti gradu.* Non agnoſcit igitur Cancellarius Doctoris Halliet ſubtilitatem, vt acquiſitam propriam perfectionem confundat, & exercendâ à communicanda ſeiungat. Præterea vtroque ſtatu tam acquiſitæ, quàm acquirendæ propriæ perfectionis, ait *obligationem duntaxat induci ad perfectionem habendam, & media* propriæ *perfectionis amplectenda.* Nulla eſt igitur in illo exercendæ obligatio, ſine qua ſtabilem & immobilem ſtatum quomodo Doctor intelligat, non ſatis capio.

Gerſ. 3. p. Tr. de Perfectione cordis.

## *DOCTRINA HÆC NOVA IN SINGULIS perfectionis ſtatibus expenditur.*

### §. II.

*Hæc opinio ſtatum Religioſum excludit ab acquiſita virtute.*

VENIO ad ſtatus quibus hæ perfectionis conditiones conuenire dicuntur. Religioſos ait Doctor eſſe *propriè in ſtatu perfectionis acquirendæ, quatenus ille perfectionis acquiſitæ ſtatui è diametro comparatur.* Status autem acquiſitæ is eſt, qui virtutes habet & habitus acquiſitos: igitur ex mente Doctoris Hallier, Religioſi nullam habent virtutem acquiſitam, nullum habitum; aliàs à ſtatu perfectionis acquirendæ tranſgrederentur ad ſtatum acquiſitæ. Quare virtutem acquirendam in priore duorum modorum accipit, prout terminum à quo dicit, & virtutis priuationem: cuiuſmodi ſtatum in Eccleſia nullum eſſe aio, nec verò eſſe poſſe, vt qui ſit monſtro ſimilis, & Deo contumelioſus. Nam cum votum ſit de meliori bono, non poteſt Religioſus vouere nunquam habere virtutem acquiſitam; non poteſt obligare totam vitam ſuam illi conditioni, in qua ſemper debeat eſſe virtute priuatus: imo ipſe ſibi contradiceret profeſſus, qui ex voto & ſtatu ſubibit obligationem acquirendæ eius perfectionis,

*Quod fieri non poteſt.*

ctionis, quam teipſa nunquam poterit vlla ex parte aſſequi. Vouebit prætere omnem perpetuò imperfectionem: virtus enim acquiréda vt ſic, excludit acquiſitam; ſiquidem futurum cum præterito non incidit, quodque faciendũ eſt, quandiu faciendum, factum eſſe non poteſt: acquirenda priuationem notat acquiſitæ, acquiſita occaſum & deſitionem acquirendæ, quod philoſophi dicunt, priuationem deſinendo eſſe principium. Quare alteri opponitur altera, neque minùs acquiſita acquirendæ, quàm acquirenda repugnat acquiſitæ. Vnde ſequitur vt ſtatus virtutis acquirendæ ſemper imperfectionem teneat, & virtutis acquiſitæ priuationem. Quòd ſi opponis qualitates magis minus ve intenſas, qualis eſt virtus & perfectio, ſic acquiri, vt aliqui gradus in motu ſint acquiſiti, alij acquirendi, eius proinde ſubiecti ſtatum, ſi ſic loqui fas eſt, mixtum eſſe ex acquiſito & acquirendo. Reſpondebo cum veritate & rerum natura explicationi illi perbene conuenire, quæ à nobis producta eſt in poſteriore modo, quo virtus acquirenda cum acquiſita conſertur: ſed non cum oratione aduerſarij. Vult enim ſtatus iſtos ita eſſe diſtinctos, vt ipſo etiam ſubiecto, vna ſaltem ex parte ſeparentur: ſiquidem ſtatum acquirendæ virtutis in Religioſo *è diametro* opponit ſtatui acquiſitæ perfectionis, qui eſt in Sacerdote. In qualitate autem naturali comparanda, calore putà aut frigore, qui tepidus eſt, gradus caloris ſimul acquiſitos poſſidet, & poſtulat acquirendos, cum illud ſubiectum eſſe cenſeatur in motu: at Franciſcus Halliet nos iubet Sacerdotem cum acquiſita perfectione in termino ad quem, Religioſum autem cum acquirenda virtute in termino à quo ſpeculari; neutrum verò in motu: non poteſt igitur in opinionis ſuæ expoſitionem iuuari rei naturalis exemplo.

*Qualitatum intenſinarum acquiſitio non ſuffragatur huic opinioni.*

Eſt in eadem profeſſione alia quædam conſideratio, quæ ridiculam hanc ſententiam eſſe demonſtrat, quòd vocationis Religioſæ ſtatum non niſi ex amore Dei pios homines amplecti & ſcribunt Patres, & docet experientia. Cum autem in amore Dei perfectio conſtituta ſit, & ad illum ex illo, per vota vt perfectionis inſtrumenta tendatur, quis niſi ſomniando dicat, ex intentione diuinæ caritatis aſſumere me inſtrumenta, quæ cum de ſe caritatem efficiant, quia tamen ad illa voto me obligo nunquam ſint illud acquiſitura quod poſtulo? Fac hominem ſolo propoſito, & perfectionis cupiditate, tria amplexum conſilia: ea ſi non conducunt ad perfectionem, media & inſtrumenta non ſunt; ſi reipſa deducunt, is vt arbitror aliquid acquiret perfectionis, vt acquiſitam poſſidere cenſeatur, licet abſit à ſtatu acquiſitæ; quæ fortuna nunquam aſpiciet Religioſum, ex eo quòd magno caritatis actu, ex virtute Religionis, voto ſe in perpetuum Deo obligarit; vt iam vota ſint meri perfectionis obices, & Religio *non niſi abuſiuè & impropriè* dici poſſit ſtatus perfectionis, quod alio ex capite Maior ante credebat.

*Refellitur ex ratione & cauſa profeſſionis Religioſæ.*

A profeſſione ad vitam Religioſam tranſeamus. Ea vocatur ſchola virtutum, & Religioſi ex S. Auguſtino, inquit Halliet, *ſunt vbi viuere diſcitur, & in ſchola perfectionis addiſcendæ*. Prætermitto reſpondere id ſcribi tantùm à S. Auguſtino de Monachis ab vrbibus & hominum ſequentia remotis, non de Clericis Religioſis, non de Monaſterijs, quæ verbis mox ſequentibus in oppidis

*Item ex eo quòd Religio eſt ſchola virtutum.*

*Explicatur locus Aug. l. 1 de Mor. rib Eccl. c. 33.*

collocat, & Mediolani atque Romæ vidiſſe commemorat: vt non immeritò credere poſſimus, hanc orationem ad ſolitarios tantùm pertinere, cum alij in vrbibus Religioſi degant *vbi viuitur*, non minùs quàm Clerici. Sed hanc remitto conſiderationem; volo Religioſos omnes ex æquo verſari *vbi viuere diſcitur*, in ſchola virtutum, tam-ne illos duro & obtuſo vis eſſe ingenio, & quidem ex vi ſtatus ſui neceſſariò, & eſſentialiter, nullam vt vnquam ſcientiæ partem acquirant in quam tota vita tenentur incumbere? Vt ſi qui fuerunt in ſeculo *ſeipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi*, ſint in ſchola virtutum ij qui ante, *ſemper diſcentes, & nunquam ad ſcientiam veritatis peruenientes?* vt in ijs fiat quod monet Apoſtolus, *habentes quidem ſpeciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes. Et hos deuita.* Doce amabo Ruſticum illum magnæ indolis iuuenem, ad quem in Monaſterio virtuti ſtudentem ſcribit S. Hieronymus, vt ex tirone miles fiat, vt Clericus eſſe mereatur ex Monacho. Id enim quo tandem modo aſſequetur, ſi non poteſt vnquam acquiſitam in numerato habere virtutem, ſed ſemper ad acquirendam & abſentem aſpirat? Enimuerò cum nos voti Religione ad virtutis proſecutionem tendamus, cum infinita in eam ſubſidia à ſuperioribus, à ſocijs, à regulis, ab exercitijs, à ſolitudine, ab humana conſuetudine, à ſacrificijs & precibus habeamus: cum ſinguli noſtri paſſus, aſpectus ſinguli, voces omnes virtutis eſſe debeant, vt ab obedientia, à diſcretione, à regulæ nutu & imperio profectæ: cum ſempiterna voluntatum noſtrarum abnegatio, vſus paupertatis in infinitorum priuatione commodorum, ſpiritus aduersùs carnem lucta & diſcordia perpetua immenſam comparandæ virtutis ſegetem nobis ſubminiſtret, næ admodum malo fato nati ſumus, ſi poſt aliquot annorum curriculum voluntatem noſtram non obſirmauimus per virtutes & habitus acquiſitos. Quid quòd apud ipſos ſpiritalis vitæ tirones decantatum eſt pronunciatum, in via virtutis qui non progrediatur, eum regredi? Quid quod intendi bonis operibus quibuſlibet caritatem habitualem, & augeri Theologorum placitum eſt?

2. Tim. 3.

Hier. ep. 4. ad Ruſtic.

Pudet huius dicti Theologum, ſpecie pulchra meram inanitatem animo noſtro offerentis, verituſque ne ſubtilitatis ſuæ fœtum hunc eſſe credamus, tribus protiſſimùm modis illud à ſe abdicat. Primum enim apertè legitimam & noſtram ſtatûs acquirendæ perfectionis explicationem agnoſcit; acquiſitæ perfectionis ſtatum non ſic appellari, quaſi ſit in vltimo termino, neque reſtet quicquam vlterius acquirendum: ſtatum verò acquirendæ non intelligi eſſe *in ipſo perfectionis acquirendæ veſtibulo, nullamque acquiſiuiſſe: ſed ſi qui iam perfectiſſimi ſunt, quos ex ſuo ſtatu non ſit neceſſe eſſe perfectos, dici tamen eſſe in ſtatu perfectionis acquirendæ, ad cuius proſecutionem ſe adſtrinxerunt.* Quod dictum veritati conforme, ſi videbitur cum eo conferet, quo ſuperiùs poſuit ſtatum propriæ perfectionis acquirendæ ad Religioſos ſpectare *quatenus propriæ perfectionis acquiſitæ ſtatui è diametro comparatur*: exponetque comparata, ſiue oppoſita *è diametro* qua in re conueniant, in qua differant: præſertim cum ſtatum acquiſitæ perfectionis inde ſumendum doceat, quod virtutes & habitus acquiſitos habeat. Non poſſum enim huic oppoſitum *è diametro* ſtatum acquirendæ perfectionis alium animo informare, quàm qui virtutes & habitus acquiſitos non habet: & tamen in hoc fatetur reperiri *perfectiſſimos.*

*Refellitur eadem opinio ex contradictione auctoris.*

*1. Contradictio Fran. Halluer.* p. 663.

Secundò

*2. Contradictio Fr. Hallier. p.667.*

Secundò ſtatum acquirendæ perfectionis quo excluditur acquiſita, S. Dionyſij & eius enarraroris S. Maximi auctoritate impugnat, eo ipſo loco, ipſo argumento quo debet ſtabilire. In illo enim quem producit ritu, lego *ſummum ordinem ſanctorum Monachorum, perfectiſſimorum Monachorum Philoſophiam, ordinem omni ſanctimonia expiatum, perfici, ad diuinam ſcientiam facilè traduci, ad ſummam perfectionem euehi*, quod fieri non poteſt, ſi *ex diametro perfectionis acquiſitæ ſtatui opponitur*. Video & *Sacerdotum ordines affectantem, perficientis Pontificum ordinis ſtatum exprimere conari*. Qui conatus non tantùm in Monacho, ſed etiam in Pontifice perfectionem tradenre vanus eſt & irritus, ſi ſui ſtatus eſſentiâ ab acquiſita perfectione diuellitur. Aut ſi dicis exeri conatum illum à Pontifice, vt per virtutem quam comparabit Monachus, ad acquiſitæ ſtatum tranſeat, & Sacerdotum ordines quos affectarur, tandem poſſit aſſequi: deducam ego ex ea reſponſione facilem conſecutionem, propoſitum ergo fuiſſe ſemper Eccleſiæ, & eius Hierarchis, Monachos ad Clericalia munera, & fidelium regimen admouere, idque ipſi ſtatui Monaſtico intimum eſſe; ſiquidem ex eſſenria ſua immediatè ſubijcitur Pontifici perficiendus, cum ſanctus Populus immediatè à Sacerdotali ordine illuminetur. Quod neſcio ſit ne conceſſurus Franciſcus Doctor, qui rarionibus decem & octo probat nulli Regularium Ordini debitum eſſe Sacerdotium. Huic Dionyſiaco Monachorum encomio, addo laudes virtutis ſanctitatiſque Monaſticæ libro ineunte propoſitas, à Doctore Hallier deſcriptas ex Euſebio, S. Chryſoſtomo, & S. Auguſtino, eo libro quo ſcripſit Monachos eſſe *vbi viuere diſcitur*, Clericos *vbi viuitur*: vt ſciamus locum *vbi viuere diſcitur*, eſſe virtuti acquiſitæ peruium, non rantùm expoſitum acquirendæ.

*Conſecutio principijs Fr. Hallier oppoſita.*

*3. Contradictio Franc. Hallier ex eius principijs.*

Tertius modus ſimulacri illius inaniſſimæ perfectionis euertendi, ex ipſius Doctoris aſſertionibus & principijs rite deſumitur. Nam cum vt hoc loco dicitur, Sacerdotium ſtatus ſit acquiſitæ propriæ perfectionis; libro autem ſeptimo viderimus in eodem auctore, Monaſticum ſtatum eſſe priuato cuilibet ornamento, & cum Eccleſia Laïcos in minoribus ordinibus diutius retineat & probet, Monachum priuilegio *ſancti propoſiti* hanc conſequi prærogatiuam, vt *completo anno ſit Presbyter*: cenſet profectò cum Eccleſia Theologus, in illo acquirendæ perfectionis ſtatu nonnihil acquiſitæ poſſideri, quo breui dignum ſe reddat ſtatu perfectionis exercendæ. Quæ propoſitio ne incomitata pareat, pluresalias ex eodem libro mihi reuocat in mentem, cogitque aduerſarios rogare, vt in deprimendi Religioſi ſtatus natura conſtanter aliquid omnes proferant, in quo approbando, vel reuincendo pedem figere poſſimus. Superiùs enim Franciſcus hic idem Doctor noſter, Sacerdotium monebat eſſe *Religioſo ſtatui periculoſum, ac pernicioſum*. Affirmabat ex aduerſo Petrus Aurelius, *Ieſuitas ad Sacerdotium votis obligari; & Mendicantium Ordines non minùs quàm Ieſuitas ad Clericalem gradum, & ad functiones Eccleſiaſticas inſtitutos eſſe*. Hoc autem loco is ipſe Doctor Hallier, Sacerdotium ſtatum eſſe ait acquiſitæ propriæ perfectionis; & Religioſos omnes ab acquiſita perfectione ex vi ſtatus ſui & eſſentialiter abeſſe, neque quandiu Religioſi fuerint (erunt autem ad ſupremum vitæ halitum, licet facilem ijs apoſtaſiam eſſe Theologus hic vaticinetur) poſſe ad acquiſitam perfectionem attingere. Quæ omnia vide porro quàm commodè in vnum faſcem colligata cohæreant. Nam ſi Religio perfectionem acquirit, tendit ad acquiſitâ vt ad finem; acquiſita iuncta

*Aduerſariorum contradictiones.*

eſt cum Sacerdotio; aſpirat igitur ad Sacerdotium: atqui Sacerdotium il ſtatui periculoſum eſt & pernicioſum, licet cum fine neceſſariò coniunctum: ad perniciem ergo ſuam eſſentia & vi ſtatus ſui, finem petendo progreditur Verùm eius incolumitati prouiſum eſt, quòd ad illam acquiſitam perfectionem, ad quam, vt pote finem, omni virium contentione vi ſtatus ſui anhelat, eodem ſtatu prohibente nunquam in æternum perueniet. O tricas! o labyrinthos!

*Medij ſtatus comparatio cum Religioſo.*

Status alter perfectionis propriæ acquiſitæ ſiue exercendæ, Clericorum eſt, & Sacerdotum, qui quia medius, cum extremo vtroque conferri poteſt, à quo ſui partem mutuatur. Nam quà propriæ perfectionis eſt, incidit cum Religioſo; quà acquiſitæ & exercendæ, cum Epiſcopali. Primæ comparationis multas iam partes exhauſimus. Perfectionem namque propriam eſſe diximus, quæ preſsè loquendo alterum non perficit; per habitus & virtutes ſtatum comparari negauimus; non deeſſe Religioſis acquiſitas virtutes monſtrauimus. Tres præterea mentem vexant ſcrupuli, quos auelli mihi à Doctore poſtulo. Primus eſt, vtrum ſtatus Sacerdotalis acquiſitam neceſſariò virtutem petat? Quidni autem cum ſit acquiſitæ ſtatus, quæ exerceri non poteſt ſi non eſt acquiſita? Sed poteſt ſecularis aliquis ex imperfecta vita, ad Sacerdotium euehi: non certè minùs quàm alij ad ſummam dignitatem, ex aulica vt Nectarius, ex laïca vt Photius, ex Catechumenatu vt Ambroſius, per hæreticam factionem vt Felix Romanus, per impium pactum vt Vigilius, poſt fidei abnegationem vt Euſebius Cæſarienſis, in hæreſi vt innumerabiles, puer ille qui eſt in Halleriana hypotheſi conſecratus in cunis: ij-ne omnes derepente cum charactere acquiſitam accipiunt perfectionem, & eius ſtatum, id eſt virtutes & habitus acquiſitos? Affirmas? Id & rationi repugnat & veritati; neque ad illud ſtatuendum cogi poteſt, niſi qui Sacerdotem eſſe poſſe negauerit, qui ſit virtutis expers, quod ſalua fide Catholica credi non poteſt. Negas? Non eſt igitur Sacerdotium virtutis acquiſitæ ſtatus ex tuis principijs: ſiquidem eo nomine ſtatum Religioſum eſſe perfectionis acquiſitæ negas, quod illi *virtutum & habituum conſtantia non debeatur: quippe cum profeßi vnius diei, & adoleſcentes nondum prouectæ ætatis aut virtutis, ſint verè Religioſi: & liceat ad religionem etiam flagitioſos, & multorum criminum reos admittere.* Quæ omnia phyſicè loquendo de Sacerdotio dici poſſunt; neutri ergo illo ex capite acquiſita perfectio in virtutum & habituum conſtantia poſita debetur.

*Medium ſtatus poteſt eſſe in homine ſine virtute actu acquiſita.*

Hilliet p. 606.

*Status ille mera ceſſatione deperditur.*

Quæro etiam, in eo Sacerdote qui perfectionem acquiſitam exerceat, Parœciæ præpoſitus aut Vicarius, quando is ſacro illo magiſtratu ſe abdicat, curam deponit, & priuatam in otio vitam degit, quod tum etiam accidit cùm ſe Monaſterio ad virtutem acquirendam addicit, & motu non retrogrado à poſſeſſione perfectionis acquiſitæ, ad priuationem acquirendæ progreditur, (quo in facto difficilè explicabit aduerſarius quomodo *meliorem vitam ſequi cupiat*,) id inquam cum facit quod ſæpenumero euenit, quid fiat illâ virtutum & habituum conſtantiâ? an perſeueret in ſtatu ſuo? Num actûs omnis ceſſatione illi habitus euaneſcant, & infringatur conſtantia? Si reſpondes manere; philoſophos aduocabo morales, qui habitus acquiſitos otio & torpore dicent perire. Si fateris interire, præſertim cum relicto onere, ſoluta etiam ſit obligatio in qua vim facis, qualis ille ſtatus eſt, quàm firmus & immobilis qui labatur otiando?

Explicari

Explicari etiam nobis tertio poſtulo, idem ille ex Parocho Religioſus, aut ex Religioſo Sacerdos & Parochus, num ſimul & ſemel acquirendæ & acquiſitæ propriè perfectionis ſtatum poſſideat? Id vt fiat quid opus tota illa ſubtilitas de diuiſione ſtatuum, de oppoſitione *è diametro*, de ſtatu ex virtutum & habituum conſtantia, de exercenda virtute quæ non communicetur, & ſimilia, cum communis opinio ſimpliciùs, abſque tot ingenij tormentis, veritatem ſuam proponat omnibus, neque illa Doctoris ſolertia vel ſtatum Religioſum admodum inferne deijciat, vel ſtatum Sacerdotalem ſuperne multùm educat, quæ duo ſunt Halleriani capita inſtituti?

*Simul eſt in ſtatu acquirendæ perfectionis & acquiſitæ.*

Ad comparationem denique medij ſtatus eiuſdem cum ſupremo Epiſcopali, iam monuimus perfectionem exercendam à communicanda perperam diſtingui, eoſdem pene Hierarchicos actus pro rata portione ab vtroque exerceri: illos enim cogito, quos dudum *minores Epiſcopos* Petrus Aurelius appellabat. Superſunt tamen quæpiam explicatione fuſiori declaranda. Primum eſto, cum ſtatus perfectionis acquiſitæ *obligationem duntaxat inducat ad perfectionem habendam*, adeoque non ad exercendam, & ſtatus perfectionis alienæ obligationem includat ad communicandam alijs perfectionem, quare prior ſtatus huius comparatione, dicatur *obligationis meræ, & ſeruitutis*, non iſte? Nam in vtroque & obligationem video & ſeruitutem; quandoquidem vterque ſtatus eſſe dicitur ad alienum bonum comparatus. De Epiſcopali nemini dubium eſt: de Curatis præcisè pronunciat Gerſon, eos *iure naturali & diuino obligari curam & ſolicitudinem gerere, ac rationem diſtinctam reddere de ouibus ſibi commiſſis. Teneri etiam in caſu, ſicut Epiſcopos, animas pro ouibus ponere.* Alterum eſto, cur ſtatus perfectionis communicandæ ſiue Epiſcopalis, præter obligationem, dicatur præterea ius ad exercendas illas actiones habere peculiare ac proprium? Nam ſi proprium intelligitur cum ſtatu vel officio coniunctum, habet & ad actiones perfectionis alienæ ius proprium Parochus. Si proprium dicitur tanquam independens & authenticum, ius illud non habet Parochus, habet Epiſcopus, at non quà perfectionem ſubditis communicat, verùm quà princeps Hierarchiæ, caput & principium Hierarchicæ omnis actionis. Poſteriore ſenſu nemo poteſt cum Hierarcha conferri, priore ſuppar eſt Parochus, qui proinde non differt ab Epiſcopo in eo, quòd iure proprio careat ad perfectionis alienæ actiones exercendas. Tertium eſto, cur ſtatus communicandæ perfectionis, ex illo iure ſtatus libertatis dicatur, alter autem meræ obligationis? Nam ſi ius eſt in vtroque ſimile, obligatio autem quo maior, eò ſtrictior ſeruitus; vnde *& ipſe ſummus Pontifex*, vt ait Gerſon, *propter magnitudinem obligationis vocat ſe ſeruum ſeruorum*: & Epiſcopos docet Hallier, *obedientiæ meritum maius acquirere, dum omnium quibus imperant ſerui fiunt, quàm ſi vni obedirent*: ſequitur omnino vt ſit in Epiſcopis, quàm in Parochis maior ſeruitus. Quibus ſi addis, quod modò expendebamus in auctore, ſtatum Sacerdotalem inducere duntaxat obligationem ad perfectionem habendam, ex eaque obligatione ſeruitutem exurgere; cum & hanc propriæ, & illam alienæ perfectionis obligationem ſtatus Epiſcopalis induat, nonne duplici nomine ſeruus eſſe dicetur? Arrentiùs ſpeculanti plura occurrunt in hac doctrina leuioris fidei: ſed hæc ſatis eſſe poſſunt, tum vt vniuersè Doctoris huiuſce Theologia vim illam ſolidam vbique non habere ſciatur, quam prima fron-

*Eiuſdem ſtatus comparatio cum Epiſcopali.*
Hallier p. 664.
*In vtroque admitti debet obligatio.*
Gerſ. tr. de Conſil. Euang.
*In vtroque ius eſt ad exercendas actiones.*
*Vterque eſt ſtatus ſeruitutis.*
Gerſ. tr. cit. de Conſil. Euang.
Hallier. p. 603.

te oſtentat; tum vt priuatim hac in quęſtione appareat, duobus perfectionis ſtatibus, quos communis Theologorum agnoſcit opinio, neque Religioſum detrahi, neque Sacerdotalem adijci oportere.

---

## *STATVS RELIGIOSVS CVM EPISCOPALI confertur in eo quòd vterque ſit perfectionis acquirendæ.*

## CAPVT XIX.

*Status Epiſcopalis eſt acquirendæ perfectionis.*

HABEMVS è ſuperiori diſputatione ſtabilitum, neutri ſtatui tantam eſſe cum altero diſcordiam, vt inuicem non conueniant vno in homine, vnoque in officio. Quare in hoc comparationis aditu affirmare non vereor, ſtatum Epiſcopalem acquirendam continere perfectionem, per media ſtatui ipſi propria. Nam illud de Religioſo fruſtrà probetur, quod nulli dubium eſſe poteſt. Duo igitur de ſupremo ſtatu dico: primum eſt, eſſe illum acquirendæ perfectionis ſtatum, quæ eſt expreſſa Ioannis Gerſonis doctrina auctoritate Apoſtoli comprobata. *Non quod iam acceperim, aut perfectus ſim; hoc eſt ſic, quin amplius perfici poſſim: ſequor autem ſi quo modo comprehendam.* Id prętereà docet Hierarchica lex, quæ ſuperiora dotibus inferiorum vult eſſe prędita: cum ergo ſubditi gradus purgentur, perficiantur, idque illis ſaluti ſit & decori, non debet ab illis officij Hierarchici partibus ſuſcipiendis, Hierarcha ipſe illorum auctor excludi. Tertio non aliud rerum natura pati poteſt, ſiue hominum in via conditionem conſideras, in qua progredi ſemper & vſque debent, ſiuè caritatis immenſitatem, quæ exhauriri tota nunquam poteſt. Rationem hanc vrget Petrus Aurelius, & oratoriè amplificat, ſtatum Epiſcopalem *augmentum ſanctitatis per ſe intueri neceſſariò ex lege viatorij ſtatus, ex ſpeciali lege ſtatus Euangelici, & ſummi Euangelici ſtatus, & ſpecialiori etiam lege ſtatus caritatis, & ſummæ omnium caritatis.* Quæ ad propoſitum parum facit exaggeratio gradilis; ſiquidem *generali lege viatorij ſtatus,* non magis *neceſſariò* caritatis augmentum intueri Chriſtianus debet, quam Turca & Saracenus: *lege ſtatus Euangelici,* non magis Epiſcopus, quàm agricola, aut mercator Catholicus: ex lege autem *ſummi ſtatus, & ſummæ caritatis*, potiùs in termino & acquiſita perfectione ſpectatur, quàm in acquirenda; vt ſuperflua & amputanda videantur eius figurę membra, quę corpus diſputationis in enormem tumorem exuberare faciunt.

*Gerſ. tr. de Conſil. Euang. Phil. c. 3.*

*Aurel. in Vind. pag. 615.*

*Aurelius malè probat hanc aſſertionem ex ratione magiſterij. p. 616.*

Aliam affert idem Aurelius conſiderationem in officio Magiſtri, quod non tantùm ſupra fideles cæteros, ſed etiàm idque maximè & immediatè ſupra Monachos, Epiſcopalem euehit perfectionem, vt alibi monſtratum eſt, & nos hoc capite neceſſariò repetemus. Nullum eſt, inquit, in rebus diuinis atque humanis *magiſterium merum, diſcipulatus expers, imo per ſe & directè intuetur progreſſionem, & incrementum magiſtri, quando magiſter ſine ea ſufficere nequit muneri ſuo.* Vnde colligit Epiſcopum quantumuis magiſtrum, diſcere tamen, & in ea quam docet ſcientia progreſſum facere. Hęc ego dicta ſcire velim qua ratione ijs aptari poſſint, quę verè loco eodem profert *diſcipulatum per ſe perfectionem non ſonare, ſed imperfectionem*, & quòd idem ſuadet ex aduerſo magiſterium

*Sibi contradicit. p. 618.*

giſterium *per ſe & directè perfectionem ſonare*; quod quiſquis alteri committit per ectum putat, aut certè priuſquam illud exerceat perficiendum. Cum igitur magiſter non raiò docendo d[illegible]at, & perficiendo perficiatur, illud tantùm hominis ipſius imperfectioni aſſignandum eſt, quantùm naturæ magiſterij detrahitur: vt is titulus Epiſcopum in perfectione potius acquiſita collocet, quàm acquirenda.

Dico præterea ſtatu Epiſcopali media propria & idonea perfectionis acquirendæ contineri, neque illa aliunde aduocanda eſſe. Hoc cum fusè probent Petrus Aurelius, & Franciſcus Hallier, pauca tantùm addo è principijs noſtris deducta. Nam cum omnis contemplationis & ſacræ actionis principem & fontem Hierarcham eſſe monſtrauerimus, eiuſque tantùm auctoritate & virtute influente, illas Hierarchicas eſſe in Ordinibus conſecratis, quibus actionibus ipſi ſe purgant, illuminant, atque perficiunt, quis dicat vim illam ſic in alios effuſam à capite, vt nullam ſibi eius partem conſeruet? *Qui plantauit aurem non audiet, aut qui finxit oculum non conſiderat? Nunquid ego qui alios parere facio, ipſe non pariam dicit dominus? Si ego qui generationem cæteris tribuo, ſterilis ero, ait Dominus Deus tuus?* Eſt autem actio duplex priuata & publica, quam politicam ſacram appellauimus, tranſiens & immanens, ſui & aliorum, imo ſui quia aliorum perfectiua, quam vtranque de ſuo accipit Hierarcha, cum alijs tradat, vt illi verè dicere poſſimus, quod Herodi Attico Sophiſtæ græculus, *tui particulæ ſumus.* Ille eſt pater familias qui filijs theſaurizat, virtute imperator, miles manu, ſine cuius nutu nulla manus mouetur. Quod à S. Dionyſio traditum lego his verbis quæ in pauciora contraho. *Ieſus omnis Hierarchiæ principium vt Angelicas, ſic noſtras diſſimilitudines coniungit & conſtringit* (Hierarchæ loquitur Hierarcha, Dionyſius Timotheo) *atque vbi nos in vitam vniuſmodi atque diuina perfecerit, dat habitum & efficaciam gratia Sacerdotibus dignam, ex qua ad naturas illas cæleſtes propiùs accedamus, conſtantiæ & firmitatis imitatione. Ex hac cum in beatum diuinumque Ieſu radium aciem mentis intenderimus, & myſtica contemplationum ſcientia illuſtrati fuerimus, tum fieri poterimus conſecrati & conſecrantes, illuſtrati & illuſtrantes, perfecti & perficientes.* Quæ doctrina poſitam à me ſuperiùs & aſſertam validè confirmat, omnes in Hierarchia, ipſos etiam Hierarchas pati, qui tantùm videntur ad agendum nati, ne vana prædicatione, & aliquo nouitatis ſtudio, paſſionis præſtantia in re Hierarchica efferri à nobis videatur.

Sunt verò hic quæpiam obſeruatione digna, quæ comparationem noſtram promouent. Primum, virtutis & perfectionis priuatæ media vtrique ſtatui tum Epiſcopali tum Religioſo eſſe æquè intrinſeca & eſſentialia; qualia ſunt negotiorum abdicatio ſecularium, oratio, ſacræ ſcripturæ intenta lectio, frequens Sacramenti Pœnitentiæ, & auguſtiſſimæ Euchariſtiæ perceptio, inſanorum in corpore motuum per caſtitatem perpetua repreſſio. Nam cum Religio ſit eſſentialiter diuiduarum vitarum abrenunciatio, & purus Dei famulatus; ſtatus autem Epiſcopalis Religionem in ſe contineat eſſentialiter, ſequitur tum in hoc, tum in illo ſtatu media ineſſe perfectionem acquirentia. Neque moueat quòd medium illud à Religione ſtatui Hierarchico dicam communicari, quando ſic admonet S. Dionyſius, cum ſcribit ordine Hierarchico, *ſecundùm Hierarchiæ ritus, diuinus Hierarcha initiatus ſeu conſecratus, omnium graduum inferiorum particeps erit.* Vnde aſſentiri non poſſum Fran-

*In ſtatu Epiſcopali ſunt media perfect. acquirenda.*
Aurel. à pag 612.
Hallier in Vind. l. 4. c. 8 & 9. paſſim.
Pſal 93.
Iſa. c. 66.
D. or. c. 5. Eccl.
[illegible Greek marginal note]
*Media perfectionis acquirenda ſunt æquè intrinſeca vtrique ſtatui.*
Dion. c. 5. Eccleſ. cit.

*Refellitur Hallier p. 603.*

ciſco Hallier vniuersè dicenti, Religioſos *bene agendi materiam aliunde accerſere, & ab Epiſcopali munere decerpere:* quod de exercenda perfectione tantum debet intelligi: cum potiùs ex aduerſo Epiſcopi à Religioſæ vitæ exercitijs, priuatam perfectionem quo diximus modo accerſant, in quibus ſi volet attendere ex Caſſiano & Climaco ſatis amplam *bene agendi materiam* reperiet. Equidem Antonium non video, aut Benedictum, Romualdum aut Macarium, ex Epiſcopalibus muneribus ſanctitatem ſuam emendicaſſe. Quandoquidem igitur ea in re maieſtatem ſui principatus deprimit Hierarcha, & ſe ſtatui Religioſo exæquat, abſurdum non eſt exiſtimare, priuatam eius augeri perfectionem Religioſorum more, qui ſe inuicem verbo exhortationis, exemplo ſanctitatis, ſine Imperio & iuriſdictione Hierarchizant. Quidni enim hoc modo purgari & illuminari poſſit à ſubdito, à Religioſo, à Laïco Hierarcha? In tota hac Chariſmatum Hierarchia quis principatui locus eſt aut ſubiectioni? Nonne Catharinam Senenſem ad Pontifices legauit Deus, quemadmodum Debboram ad Barac, Thecuitidem ad Dauidem? Neque dubitare poſſum quin S. Athanaſius per ſe ipſe vir maximus, diuini tamen luminis aliquid ope S. Antonij acceperit: aut S. Audoënus Rothomagenſis Antiſtes S. Vandregiſili religioſas dotes in ſe, humilitate Chriſtiana, Hierarchica virtute expreſſerit.

*Poteſt Epiſcopus illuminari & purgar. ab inferiore.*

*Media ſtatum Religioſi verò accipiunt a ſtatu Epiſcopali.*

Fatendum tamen ſecundò, perfectionis iſtius priuatæ acquirendæ, ſi non materiam, vim certè omnem, & Hierarchicum vigorem ab Epiſcopali ſtatu in Religioſum deriuari, cum Religio res Hierarchica eſſe non poſſit, ſine Hierarcharum conſecratione, & inſtitutione ſolenni; cum publicum valorem ab Epiſcoporum benedictione religioſæ virtutis opera accipiant; cum Religioſus ſtatus nullus eſſet, niſi priùs eſſet Epiſcopalis. Quare ſtatum Religionis ſcribit D Thomas comparari ad ſtatum Epiſcopalem, ſicut diſciplinam ad magiſterium, & diſpoſitionem ad perfectionem. Eſt enim ordo ille in S. Dionyſio perficiens & perfectiuus, Monaſticus autem perficiendus. Quò refertur diſcipulatus ille Religioſo ſtatui eſſentialis, de quo ſuo loco multa diximus, etiam in regularibus obſeruantijs, quæ non niſi Hierarcharum auctoritate aut probantur, aut exercentur. Quod ſi tantùm vellet Doctor Hallier nuper citatus, eſſet omnino tolerandus. Quare eximia ſtatus Hierarchici ſupra Religioſum prærogatiua hæc eſt, vt quanquam priuatas virtutes eaſdem cum Religioſo exerceat, & eadem ad acquirendam perfectionem via graſſetur, in hac tamen via, & in his actionibus inferior à ſuperiore, diſcipulus à magiſtro, Religioſus ab Hierarcha neceſſariò & eſſentialiter pendeat.

*Religioſi Epiſcoporum diſcipuli*

D Th. 2. 2. q. 185. a. 8.

*Hierarcha vt ſic eſt potiùs in acquiſita quàm acquirenda perfectione.*

Fatendum etiam tertiò ſtatum Epiſcopalem præcisè ſpectatum & formaliter, non *ex lege viatorij ſtatus, aut lege ſpeciali ſtatus Euangelici*, ſed proüt dicit rerum diuinarum in Hierarchia principatum, & omnis actionis ſacræ principium, actionem potiùs inferre quàm paſſionem, & actiuam, quàm paſſiuam perfectionem; idque quoniam ipſi vt ſic & conuenientius &glorioſius eſt, eo nomine ſæpius ſignificari. Quo dignitatis ſplendore decipi eos oportet, ſi qui putant acquirendam perfectionem ab Epiſcopali ſtatu, qui eſt acquiſitæ virtutis, procul abeſſe. Quem ſcopulum vitandum monet Gerſon, docetque dici potiùs perfectionis exercendæ ſtatum quàm acquirendæ. *Quia principaliter datur & inſtituitur ex officio & ordine vt bonum quod in eo eſt, extendat & deriuet in alios: & quia maxima ex parte iam perfectionis eſt, ſicut perfectus doctor & Clericus*

Gerſ. tr. de Conſil. Euang.

*& Clericus dicitur, quia excellenter profecit in doctrina, quanquam omni die proficiat in ea:* quod & inferius ex D.Thoma videbimus. Quamobrem nulli reprehenſioni ſubiacebit vt opinor, qui dixerit Hierarcham vt ſic, ſpectare primariò proximum, quo rite curato, ſibi etiam ſecundariò, quanquam eadem opera, imo & opere proſpicit: vt illi quatenus tali accidentarium ſit quòd in perfectione ſuccreſcat. Religioſus autem ſtatus, & hac in parte minor, quòd primario perfectioni propriæ inuigilat, de qua ſi quid exuberat, in alios ſecundariò permittit effluere. Specta in imagine quod dico. Caput in corpore (nam hæc Apoſtolica allegoria eſt) & membrum eſt, & caput, id eſt membrum primarium. Quà membrum, creſcit primariò, ſuoque incremento corpus totum perficit, qui ſecundarius & reliquis communis effectus eſt: quà caput, influit in membra primariò, illoque influxu redundantem in ſe perfectionem ſecundariò recipit. Hierarcha ſimiliter caput Eccleſiæ eſt, & membrum ſacrum ad diuinos vſus Hierarchicè deſtinatum. Vt membrum & acquirendæ perfectionis ſtatu præditus, medijs quæ ſunt illi ſtatui communia in debitam creſcit perfectionem, eoque incremento ſanitatem, robur, decorem corpori conciliat. Vt caput & Hierarcha proprijs ſupremo ſtatui actionibus ſubditos vitali influxu auget & conſeruat, indeque ipſius maior reſultat perfectio. Itaque cum propriè ſibi vacat, creſcit vt agat; cum alios curat, agit vt creſcat: illud æquè Religioſis vt ipſi conuenit, hoc eius ſtatus & officij maximè proprium eſt. Quare quod ſuperiùs ex S.Dionyſio producebamus, cum ſcientiam Hierarchicam fuerimus adepti, *fieri poterimus conſecrati & conſecrantes, illuſtrati & illuſtrantes*, non ſignificat Hierarcham vt ſic conſecrari, illuſtrari, perfici, cum à Magiſtro ponatur iam ante perfectus & conſecratus; ſed per ampliationem, vt loquuntur, nos qui perfecti erimus & illuſtrati, ſimiles Angelis, & Ieſum propiùs ſpeculantes, alios illuſtrabimus & perficiemus.

*Probatur exemplo capitis in corpore humano.*

*Explicatur S. Dionyſius.*

---

## *ALTERA COMPARATIO IN EA PERFECtione ponitur quam ſtatus vterque ante ſui profeſsionem requirit.*

## CAPVT XX.

VT IN rebus naturalibus, ſic in hiſce diuinis, vt forma conuenienter introducatur, diſpoſitiones quaſi præambulæ debent præcedere, quæ dignum aduenienti perfectioni hoſpitium comparent, ſeque formæ ad agendum aut patiendum velut comites & adminiſtras præbeant. Eſt autem triplex earum genus, cum aliæ materiam perfectiſſimè & integerrimè diſpoſitam formæ aduenire geſtienti, & leuiſſimas moras exoſæ offerant: aliæ minori quodam apparatu contentæ, ſufficientem ſubiecti diſpoſitionem moliantur, pene non tam vt in eo dignitatem aduocandæ formæ conficiant, quàm vt indignitatem repellant, ſi quando illa Deo volente obuenerit: aliæ demum vel inducendæ formæ ſunt contrariæ, vel certè ſic ab illa remoræ, quanquam paulò magis indifferentes, vt ea non niſi violento impetu in tale ſubiectum, & contra rerum naturam contrudi poſſe videatur.

*Triplex ſubiecti diſpoſitio ad formam recipiendam.*

*Perfectiſſima diſpoſitio ad ſtatum Epiſcopalem*
Greg. in l. Paſtorali.
Chryſ. l. de Sacerdot.
Bern. l. de Conſid. ad Eugen.
Petr. Bleſ. in Canone Epiſc. & ep. 15
Hallier in Vind. a p. 674
*Diſpoſitio ad ineundam Religionem.*

Si dignitatem maieſtatemque Hierarchici ſpectas officij, quantam poſtulari cenſes perfectionem vt in apice caritatis, in operoſiſſima vitæ conditione, in excellentiſſimo ſtatu cum laude conſiſtat Hierarcha? Duplex illa eſt virtutis & ſcientiæ, & vtriuſque quidem omnigenæ, in qua deſcribenda nondum ſatis ſunt vberes fœtus ingenij magni Gregorij in toto Paſtorali; parum diſerta eloquentia diuini Chryſoſtomi tot libris de Sacerdotio; leuis & ſtricta D. Bernardi meditatio in grandi opere de Conſideratione; breuis & ſuccinctus Petri Bleſenſis Canon Epiſcopalis ad Epiſcopum Vigornienſem, & Parænesis Epiſtolica ad Electum Epiſcopum Carnotenſem; nimiùm parci loci communes Doctoris Hallier; quia quicquid de futuri Epiſcopi apparatu & diſpoſitione dixeris, eius officio minus eſt. Puta igitur hæc à me collecta & deſcripta omnia, puta ab eo quem Deus ad tantam dignitatem deſignet, omnia iam comparata, & nihilominus acquirenda ſupereſſe quamplurima, ad artem artium dignè Deo profitendam. Religio ex aduerſo mentes albas, virtutum pene dicam priuationem in candidato ſuo tolerat; qualem Doſitheum deſcribit Dorotheus, quales pueros admiſerunt ſancti, vt Theodorum Pacomius, Placidum Benedictus. Diſcriminis aperta ratio eſt in ſtatu nuper explicato, ſupremæ virtutis acquiſitæ in Epiſcopo, acquirendæ in Religioſo. Non ideo tamen virtutem ſcientiamque excludit Religio, ſed ſummam pariter & admittit; quantam in Caſſiodoro Senatore, in S. Petro Morono, in Epiſcopis omnibus concipio, qui è dignitatis ſuæ culmine, ad Religioſam humilitatem deſcendunt. Differunt igitur ſtatus hi, quòd Epiſcopalis pro dignitate maximam præ requirit perfectionem; Religioſus cum nullam ex officio poſtulet, poteſt omnem pro ſanctitate ſuſcipere: conueniunt autem in eo, quòd vterque ſaluus & integer homini poſſit donari, qui non ſit virtutum illarum dotibus ad miraculum ſpectabilis.

*Mediocris & ſufficiens diſpoſitio ad ſtatum Epiſcopalem.*
Aurel. pag. 624.
*Explicatur Apoſtoli locus.*
1. Tim. 3.
ad Tit. c. 1.

Nam ſi qui diſpoſitione illa quam mediam recenſuimus, ſatis ſe robuſtum putat, vt oneri Angelicis humeris formidando, ſuos ipſe ſubijciat, nihil prohibet quin Hierarchicam ritè atque legitimè conſecrationem ſuſcipiat. Petrus Aurelius ſatis eſſe arbitratur, *dummodo quis diuino impulſu, nullo quæſtu aut cupidine animi, conſtituto in Eccleſia more vocetur, nec vllius impedimenti conſcius, paratus ſit omnia facere, vt ad perfectionem euadat, & tanto munere ritè fungatur.* Apoſtolus certè ſiue ad Titum ſcribens, ſiue ad Timotheum, virtutes non admodum ſupra vulgares deſiderat in Epiſcopo. *Si quis*, inquit, *ſine crimine eſt*, & *Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe.* Quæ verba videri fateor non Chryſoſtomo ſoli & eius ſcholæ, ſed etiam Latinis quibuſdam Patribus admirabilem quandam continere perfectionem; ſed ab illis exiſtimo locum oratoriè potiùs, & ſpectata officij dignitate ſuperiùs conſiderata, quàm literaliter explicari. Siquidem Græca vox ἀνέγκλητος, eum tantùm ſignificat, qui iudicio criminis alicuius non ſit poſtulatus: & explicatiùs deinde traduntur ab Apoſtolo, quæ obſcuriùs eo verbo continebantur. Hæc autem ſunt crimina Chriſtianis communiter omnibus euitanda; quemadmodum Coloſſenſes vult

Colo. c. 1.
Galat. c. 2.

idem Apoſtolus eſſe *ſanctos, & immaculatos, & irreprehenſibiles coram Chriſto.* Et aliàs Petrum pro perfecto Epiſcopo habebat Paulus, quando *in faciem reſtitit ei, quoniam reprehenſibilis erat.* Minus ergo aliquid, quàm ſummam perfectionem poſtulat in Epiſcopo, quum illum cupit eſſe irreprehenſibilem: & S. Anſelmus crimen quo carere debet Epiſcopus, explicat *graue peccatum, accuſatione & dam-*

Anſelm. in ep. ad Tit. c. 1.

*& damnatione digniſſimum, ſicuti eſt homicidium, adulterium, aliqua immunditia fornicationis, furtum, fraus, ſacrilegium.* Et breuiùs D. Thomas eligi vult Epiſcopum, non eum qui Baptiſmi innocentiam lethali peccato non violauerit, ſed qui crimine infami aut accuſatione digno non notetur. Eadem eſt Gratiani ſententia, ad quem lectorem remitto, deprehenſurum criminibus nonnullis infamem ab Epiſcopatu procul haberi, non vi ſtatus ipſius, ſed optimo Eccleſiæ inſtituto, eximiam quantùm quidem fieri poteſt ſanctitatem in miniſtris ſuis exigentis. Gratian. à diſt. 24. ad 62.

In hac Paulini loci expoſitione morari ſumus expreſſa opera; quoniam eo Franciſcus Hallier vtitur ad probandum *ad Epiſcopalem ſtatum non niſi qui perfectioris virtutis ſunt, aſſumi debere.* *Fr. Hallier refellitur 598.* Quod vt conforme ſacris Canonibus, & officij magnitudini, bonis omnibus in voto eſſe debet: in vſu tamen viderit an ſit perpetuum. Aliter certè fieri iam olim querebatur S. Hieronymus, ſi tamen Hieronymus, eo loco quem olim ad libellam expendimus. Hier. in ep. ad Tit. c. 1. *Nunc cernimus plurimos hanc rem beneficium facere, vt non quærant eos in Eccleſia columnas erigere, quos plus cognoſcunt Eccleſiæ prodeſſe; ſed quos vel ipſi amant, vel quorum ſunt obſequijs deliniti; vel pro quibus maiorum quiſpiam rogauerit, & (vt deteriora taceamus) qui vt Clerici fierent muneribus impetrarunt.* Magnis etiam viris rationes humanas ſcimus non tatò eiuſmodi parentum atque amicorum ordinationes perſuaſiſſe; & à S. Baſilio Eccleſiaſtica narrat hiſtoria, Sazimis vili ac deſpecto oppido erectam Epiſcopatus ſedem, *Sazimorum Epiſcopatus erectus à S. Baſilio.* vt in ea conſtitutus Gregorius Nazianzenus amici ſui partes; aduersùs Anthimum ſecundæ Cappadociæ Metropolitanum tueretur. Quo in facto ſi vnicam Dei ſpectaſſet gloriam, neque terreni deſiderij quicquam admiſcuiſſet, priùs faciliuſque ſine dubio ceſſiſſet Baſilio Gregorius, neque tandiu ſubamaras contentiones & altercationes continuaſſet, quæ in eius Epiſtolis leguntur, & in Annalibus cum totius cauſæ narratione colliguntur. Baron. ad an. 371. tom. 4. Potuit ergo S. Baſilius, vt Eccleſiæ ſuæ Metropolitanæ dignitatem amplificaret, nouos Epiſcopatus ſibi ſubditos, quos Suffraganeos appellamus inſtituere, non poterit ſanctus alius ſimili ex cauſa veteri Epiſcopatui fratrem & conſanguineum ſuum, aut amicorum fideliſſimum præficere? Reſpondebis hæc à pleriſque vitiosè fieri: at ego tamen fieri dicam, & ſine vitio eos etiam aſſumi poſſe, qui non ſunt *perfectioris virtutis.* Sic enim electori præcipit D. Thomas, *Non teneri cum aſſumere meliorem ſimpliciter, quod eſt ſecundum caritatem, ſed meliorem quoad regimen Eccleſiæ, qui ſcilicet poßit Eccleſiam & inſtruere, & defendere, & pacificè gubernare:* *Non ſemper eligendum neceſſariò perfectiſſimum.* quod poſſunt aliqui non *perfectioris virtutis*, interioris nimirum & priuatæ, modò politicis virtutibus ſint præditi, quas tu *perfectiores*, ego illuſtriores & hominum oculis magis expoſitas voco, D. Th. 2. 2. q. 185. a. 3. indeque oſtendo caput illud tuum Epiſcopalis perfectionis, quòd *perfectiores virtutes* exigat, facilè explicari, de ſplendidioribus politiciſque, non de ijs quæ maiorem Dei amorem pariunt.

Deſcendamus porro ad ſubiectum aut nullis conuenientibus, aut contrarijs diſpoſitionibus malè præparatum: *De eo qui nullam habeat diſpoſitionem ad illos ſtatus.* hominem ſpectemus qui terrenis hactenus lucris inhiarit, inuidiæ, zeli, ambitionis tormento animum ſuum cruciarit, corpus & oculos à flagitijs nunquam abduxerit; illum ego ſi Eccleſiaſticos attendo Canones, ad Religioſam conuerſionem & validè & licitè admitti poſſe dico, ad Epiſcopalem characterem validè quidem, at non licitè. Peccaturum igitur qui talis conſecrari appetat, qui talem conſecret, ſed fie-

*Differentia inter vtrunque ſtatum*

mum conſecrato characterem inhæſurum: laudabilitet ex aduerſo & meritoriè facturum qui eius propoſiti virum ad Religioſam admittat profeſſionem. Quæ omnia clarum habent diſcrimen in ipſa ſtatus natura; cum ab eo ſtaru conueniat non arceri peccatores, qui per purgationem & illuminationem aſpirat ad perfectionem: ſit autem decentiſſimum Hierarchico ſtatu, qui propriè perfectorum eſt, & alijs vacat perficiendis, non inaugurari eum qui purgatione & illuminatione indigeat. Eſt verò & in his notanda hæc differentia, quòd præcisè loquendo, poſſint vtroque ſtatu initiari imperfecti; ſed illi ſæpiùs in Epiſcopali maneant imperfecti, in Religioſo autem modum viuendi ſanctiorem accipere ſoleant. Nimirum qui ſtatum Epiſcopalem circum obſidet fulgor, mentem à ſe procul auocat, & ordo alijs perficiendis natus, in externa munia, & alienam ſalutem totum hominem extra ſe niſi prouidet, abripit & effundit. Status autem Religioſus purgationem primariò & pœnitentiam alumnis ſuis objjcit, eoque animo à facinoroſis initur, vt ſit baptiſma, depoſitio ſordium, non carnis ſed animi, & longa poſt innocentiæ naufragium tabula. Quamobrem non inuenuſtè Religionem cum Arca Noë conferre poſſumus, quomodo S. Chryſoſtomus Eccleſiam vniuerſam, *quæ mutas pecudes, & brutas animantes accepit, brutas ſeruauit: rationis expertes homines accipit Religio, nec ſeruat tantùm, ſed immutat: coruum accepit columbam emittit; accipit lupum, & ouem illum emittit.* Eodem ſenſu dictum Lactátij de luſtrali Eccleſiæ lauacro, ad ſecundum baptiſmum Religionis non incommodè transferri poteſt. *Da mihi virum qui ſit iracundus, maledicus, effrenatus: pauciſsimis Dei verbis tam placidum quàm ouem reddam. Da cupidum, auarum, tenacem; iam tibi eum liberalem dabo, & pecuniam ſuam proprijs manibus largientem. Da libidinoſum, adulterum, ganconem; tam ſobrium, caſtum, continentem videbis. Vno enim lauacro malitia omnis abolebitur. Pauca Dei præcepta* (quantò magis conſilia voto firmata? *Sic totum hominem immutant, & expolito vetere nouum reddunt, vt non cognoſcas eundem eſſe.* Docent id aſceticorum Patrum vt Ioannis Climaci, vt Ioannis Caſſiani narrationes, & liber Vitas patrum complexus; neque certius vt arbitror teſtimonium peti poteſt ac debet, quàm à quotidiana quam oculis vſurpamus experientia.

*Religio cum Arca Noë comparata.*

Chry. ſer. 6. in Terræ motum & Lazar.

Lactā. l. 3. diuin. Inſt. c. 26.

---

*TERTIUM COMPARATIONIS CAPUT, IN ipſa vtriuſque ſtatus conſecratione & profeſſione perpenditur.*

## CAPVT XXI.

*Epiſcopalis profeſsio quo voto contineatur.*

DVo ſe nobis objjciunt hoc loco ponderanda, quod à profitentibus donatur & offertur Deo, quodque viciſſim ab ijſdem in illa conſecratione ſuſcipitur. Votum offert Epiſcopus, offert & Religioſus. Duplex eſt in Epiſcopo, caſtitatis, & caritatis; triplex in Religioſo. Caſtitatem habet ſolennem Epiſcopus, cum Religioſis omnibuſque Sacerdoribus communem. Votum Epiſcopale caritatis in eo conſiſtit, *quòd ex diuina dilectione ſe obligat ad hoc quòd ſaluti proximorum inſiſtat.* Ideo ad hoc tenetur *quòd omnia ſua pro honore Dei, & ſalute ſui gregis contemnat, cum opus fuerit, vel pauperibus ſui gregis largiendo, vel rapinam bonorum ſuorum cum gaudio ſuſtinendo.*

D. Th. 2. 2. q. 185. a. 4. Ibi. q. 184. a. 7. ad 3.

*ſuſtinendo*. Imo & vitam ipſam omnibus cum opus eſt periculis exponat: *cum bonus paſtor animam ſuam ponere teneatur per ouibus ſuis*. Cui S. Bernardus tam pro ſpiritalibus bonis, quàm pro temporalibus dicat: *Praes ſingulariter, ad quid? Nunquid vt de ſubditis creſcas? Nequaquam, ſed vt ipſi de te: principem te conſtituerunt, ſed ſibi non tibi*. Cum autem illa nobili caritate nihil maius perfectiuſque eſſe ſanctiſſimum principis paſtorum oraculum declararit; nihil habet in votis ſuis omnibus iſti comparandum Religio: tum quia Religioſa vota non ſunt ipſa perfectio, ſed via & media ad perfectionem; Caritas autem Epiſcopali profeſſioni intima, eſt ipſiſſima quæ in Hierarchia petitur, perfectio, & abſoluta boni Paſtoris imitatio; tum quia ſe voto illo totum ſupremæ bonitatis more & exemplo in aliorum commodum effundit Epiſcopus; communicando melior & felicior, quàm accipiendo; & quia in apice perfectionis voti ſtabilitate conſiſtit, aliorum eſſentialiter perfectiuus & perfector eſt. Inde Apoſtolo Epiſcopatus *bonum opus* dicitur; quia explicante S. Thoma *Epiſcopalis operatio, per quam vtilitati proximorum intenditur, principale, & finale eſt illius ſtatus*. Inde officium Hierarchicum totum ad alios, purgatio, illuminatio, perfectio: inde nomen ipſum Hierarchæ, cum principatus ſit τῶν ἱερῶν τι. Quod votum, vt ſæpe diximus, Epiſcopos ſupra omnium, maximéque Religioſorum capita euehit, vt qui & ſibi vacant, & ab Hierarcha perficiuntur.

*[margin: Ibi. q. 185. a. 5. — Bern. l. 3. de Conſi. c. 5. — Religioſa profeſſio illi dignitate cedit. — Epiſcopatus bonum opus. — D. Th. ibi. q. 185 a. 1.]*

Iam verò quanquam vetet Apoſtolus quæri *quis prior dedit ei, & retribuetur ei?* cum ſe Deus liberalitate vinci nunquam permittat, videndum quid vterque à Deo, & Eccleſia recipiat. Ante omnia ex voto ſolenni exurgit obligatio, & ſtatus ſeruitutis, cui ſi fuerit opus tollendo & mutando ſuprema Eccleſiæ Principis auctoritas neceſſaria eſt, vt de Religioſo ſupra probauimus. De Epiſcopo monet apertè D. Thomas *ſoli Papæ licere diſpenſare in voto perpetuo, quo quis ſe ad curam ſubditorum adſtrinxit Epiſcopatum ſuſcipiens*. In quo tamen ex principijs Doctoris huius eximij, fateri neceſſarium foret vim minorem ineſſe quàm Religioſo; in quod ne ipſi quidem Eccleſiæ vniuerſæ Principi, Dei Vicario poteſtatem relinquit ad ſoluendum, ex ratione ſolennitatis, de qua ante tractauimus. Deinde conſecratio Epiſcopalis characterem inducit, ſiue nouum à Sacerdotali diſtinctum, ſiue eundem ſed extenſum, vel altiùs impreſſum & radicatum; id enim apud Theologos controuertitur: at Religioſi profeſſio, licet & ipſa in Patribus & Concilijs glorioſo conſecrationis vocabulo decoretur, expers tamen characteris eſt, & ſoluta voti obligatione tota obliteratur; cum perennet Epiſcopalis in conſecrato poteſtas, licet nonnunquam *propter impedimentum ſuperueniens remaneat abſque actu*.

*[margin: Solennitas vtriuſque profeſſionis. — D. Tho. q. 185. cit. a. 4. — Character Epiſcopalis. — Ibid. ad 3.]*

Præterea diuinitus concedi gratiam vtrique ſtatum ſuum ineunti nemo dubitat, ſed de ea nonnihil ampliùs inquirendum videtur. Primam enim gratiam, ab exiſtentis gratiæ & caritatis incremento: deinde gratiam ſanctificantem à gratuita ſiue gratis data: tum id quod omni neceſſitate conſequitur, ab eo quod benè laudabiliterque fieri concipitur, diſtingui oportet. Quibus expenſis ad vtranque conſecrationem dico bonum, ſanctum, conuenientiſſimum eſſe, afferri à profitente animum gratia ſanctificante ornatum, quem nouus ille ſtatus, & Chriſtiana vulgari ſublimior perfectionis profeſſio maioribus diuinæ gratiæ donis, & ampliori merito locupletet. Quæ aſſertio

*[margin: Neceſſaria non eſt in profeſſione gratia ſanctificans.]*

nemini dubia eſſe poteſt, neque in ea confirmanda immoror, vt adijciam ſtrictè tamen & preſsè loquendo; fieri aliter poſſe, vt in peccato lethifero conſtitutus Hierarchicum vnguentum capite excipiat, aut Religioſa vota labijs diſtinguat: verus ſine gratia ſanctificante Religioſus & Hierarcha. De Religioſa profeſſione notauit illud ſolertet Illuſtriſſimus Bellicenſis, aduerſùs nonnullos ſui ſtatûs plusiuſto amantes, & ſanctitatis, quæ cum omni votorum & obſeruantiarum cuſtodia poteſt ab animo exulare, nimios oſtenratores. Fateri nihilominus oportet rariſſimam in terris auem eſſe illam, ſiueritus ſpectantor in ea profeſſione adhiberi ſoliti, pœnitentiam & humilitatem ſpirantes; ſiue neceſſitas futuræ vitæ & difficilis, in quam volens ſciens profeſſus ſe ſe induit; ſiue rerum omnium è quibus peccata naſcuntur abdicatio perpetua; ſiue animus antea generali confeſſione purgatus; ſiue diuinus inſtinctus qui cum ad Epiſcopalem æquè ac Religioſum ſtatum amplectendum neceſſarius ſit, minùs tamen vitio noſtro huic deeſt, quàm illi, & ad illum frequentiùs acceditur humani boni intuitu, quàm ad iſtum. Denique *locus ſuperior* (Epiſcopalis) *etſi ita adminiſtretur vt decet, tamen indecenter appetitur.* Religionis autem deſiderium, & ingreſſus, non tantùm bonum eſt, ſed etiam melius bonum; quique eius conſilium alterius animo inſtillant, *non ſolùm non peccant, ſed etiam magnum præmium merentur.* Eodem refero ſæpius dictum Baptiſmum qui in habitus Religioſi ſuſceptione, contractas in ſeculo ſordes omnes peccatorum eluere dicitur, etiam à S. Thoma: quam prærogatiuam cum rideret, & ſtatui Religioſo vellet ereptam VVicleffus, Thomas VValdenſis fuſiori diſputatione tuetur & aſſerit.

*Rarum id in Religioſo.*
Aug. l. 19. de Ciuit. c. 19.
D. Th. 2. 2. q. 189. a. 10.
Ibid. a. 9.
*Baptiſmus ſecundus.*
D. Th. ibi. a. 1. ad 3.
Th. Wald. tom. 3 de Sacra. tit. 9. c. 80.

*Epiſcopali profeſſione non acquiritur prima gratia.*

Epiſcopali quoque profeſſione primam non acquiri gratiam, quaſi ea ex opere operato cum Ordinis charactere infundatur, ex eo validè conficitur, quòd neque ſacramentum Ordinis, neque character Epiſcopalis, vt neque votum Religioſum, ſit formaliter ſanctitas, aut ad formalem ſanctitatem vltima & neceſſaria diſpoſitio: nullam igitur habenti ſanctitatem, primam gratiam ex opere operato non cõfert. Deinde peccati lepram nemo deponit vt iuſtitiæ reſtituatur & gratiæ, niſi per actum, aut cum actu voluntatis, qui ſit retractatio, & præteritæ culpæ odium atque diſplicentia: conſtat autem characteris Epiſcopalis ſuſceptionem, vt & votorum nuncupationem, non eſſe actum illum, nec ipſum includere, characterem ipſum nulla formalitate opponi habituali peccato. Nam & ab illo ſuſcipi poteſt qui obfirmatam habeat in lethali noxa voluntatem, & qui ſuſcepit, aliquando gratiam poteſt amittere, charactere conſeruato. Quare character Epiſcopalis, vt & Religioſa profeſſio, primam gratiam de ſe ex opere operato non tribuit.

*Epiſcopalis conſecratio confert gratias gratuitas.*

De gratijs gratuitis ita philoſophari conuenit. Quia conſecratio Epiſcopalis aut ſacramentum eſt, aut ex communiori ſententia res ſacramentalis, & Ordinis Sacerdotalis perfectio, gratiam confert conſecrato ſacramentalem, qui eſt communis ſacramentorum effectus. Quæ licet vi ſacramenti conferatur, pro rata tamen portione diſpoſitionis maiorem aut minorem conſecratus accipit, *quam Spiritus Sanctus partitur ſingulis prout vult, & ſecundum propriam cuiuſque diſpoſitionem & cooperationem.* Quia verò ex altera parte character Epiſcopalis ſanctificatiuus & perfectiuus eſt, totuſque in aliorum commodum refertur: quia cum eo accipit homo plenitudinem poteſtatis ad actus

Concil. Trid. ſeſſ. 6. c. 7.

Hierarchicos

Hierarchicos exercendum : ideo in conſecratione accipit Epiſcopus velut teſſeram ſeu promiſſionem Chriſti, aut ſi mauis, ius ad gratias actuales paſtorales, tempori accipiendas ; qualis eſt prudentia politica, ſacra fortitudo, & quæcunque in principe & Hierarcha requiruntur. Atque cum effectus Ordinis proprius non ſit gratia ſanctificans præcisè, ſed augmentum gratiæ in bene diſpoſito, vt quis fiat idoneus miniſter : non puto dubitari poſſe quin cæteris paribus plus gratiæ ſecundùm effectus, ſeu dona Hierarchica, id eſt propria virtutis gubernatiuæ, conferatur vi ſacramenti Ordinis & conſecrationis Epiſcopalis, quàm donetur vi cuiuſcunque alterius ſacramenti. Qui autem vitio ſuo malè diſpoſitus , & tamen ad id officij & ſtatus vocatur à Deo, ſi delibutus vnguine Hierarchico gratiæ ſanctificantis eſſe particeps non poteſt, gratias certè gratuitas & regendis ſubditis neceſſarias cum charactere percipere putandus eſt, vel Caïphæ ſimilis, qui *cum eſſet Pontifex anni illius, prophetauit*: Ioan. c. 11. vel Saülis, qui vnctus in Regem *mutatus eſt in virum alium* , & plenus 1. Reg 10. curis grandibus, nuper aſinarius inueſtigator regnum ſuum à diſſimulatione, regiarum virtutum difficillima auſpicatus eſt. Ita characteris Hierarchici impreſſionem ſemper comitatur aut ingens gratiæ ſanctificantis incrementum, cum Chariſmatis, & donis gratuitis ; aut ſola hæc dona poſſeſſorem ſuum ſanctificare non valentia, ſed aliorum perfectioni opportuna. Religioſæ verò profeſſionis alia ratio eſt, ad quam ſi qui gratia ſanctificante deſtitutus acceſſerit, neque primam Iuſtitiam, neque eius augmentum , neque gratias gratis datas accipiet : quoniam neque tum illius capax eſt, neque ad iſtas exercendas & communicandas inſtituta Religio.

Inuitat me materiæ benignitas vt prouehar vlteriùs à gratia & merito ad *Aureola Epiſcoporum.* præmium, quod accidentale tantùm in Aureola conſidero. Eſt autem recepta Theologorum doctrina, ſeruari doctoribus Aureolam in cœlo , non minùs quàm Martyribus, & Virginibus, de qua plura ſcribit D. Thomas Magiſtrum interpretatus: D Th. in 4 diſt. 49. tota. eaque Danielem habet veluti prædem, *qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* Danı. c. 12. Quæ ſi debetur doctoribus & prædicatoribus, docentibus ex officio vel commiſſione, cui iuſtiùs reddi poteſt quàm Epiſcopo, cuius tota quaſi natura doctoris eſt , à quo Doctores creantur, vt dictum à nobis, cuius commiſſio eſt temporaria priuatorum doctrina populo expoſita? qui perficiendorum ordines ſub ſe videt, quorum ipſe princeps perfectiuus eſt? Vult autem D. Thomas eos tantùm Prælatos Aureolam Ibid. a. 3. ad 3. q. promereri, qui actu docendi officium exerceant , *quia* , inquit , *corona non debetur habituali, ſed actuali pugnæ.* Religioſis quoque ſuam non defore Aureolam *Aureola Religioſorum.* in cœlo, multa mihi probabiliter perſuadent. Nam ſi eſt Aureola præmium accidentale beatorum, de operibus perfectionis ſecundum perfectam victoriam, quæ ſunt maioris opera perfectionis, quàm quæ toto vitæ curſu Religioſus exequitur ? Quis fortius carnem & dæmonem , & ſeipſum quàm Religioſus vincit & perdomat ? Si virginitatis certamini donatur Aureola , licet ea nullam à ſtatu & voto habeat firmitatem , cur caſtitati voto ſtabilitæ negabitur , quæ perpetuam carnis aduersùs ſpiritum luctam in nobis operatur ? Si corona Martyribus etiam ſine ſanguine, & gladio mortuis præparatur , quid eſt aliud Religio , quàm lentum & viuax Martyrium ? Si doctores inter ſplendidos illos ignes firmamenti ſua merces , ſua

expectat Aureola, non poterunt eius eſſe participes Religioſi Ordines Mendicantes ad docendum & prædicandum erecti, qui ſe ex inſtituto ſuo ad id officij comparant, & ex Hierarchatum commiſſione illud feliciter exequuntur? Si tiæ à nonnullis tres Aureolæ diſtinguuntur, *ſecundùm ea quibus Chriſto nobi-* Ibid. a 5. *liſſimè conformamur*, poteſt-ne vanitatis argui, qui dicat perfecti Religioſi vitam, expreſſam eſſe Chriſti viuentis æquè ac morientis imaginem? Ne- Beda l. 2. de Tabernac. c. 6. que ab hoc propoſito abludit Beda locum Exodi commentatus; vnde nomen Aureolæ ſumpſerunt Theologi. *Quòd verò deſcripta priùs vna corona, ſub-* Exod c. 25. *iungitur, Et ſupra illam alteram coronam aureolam, de illorum poteſt præmio rectè intelligi, qui generalia ſcripturæ ſacræ mandata, ſpontanea vita perfectioris electione tranſcendunt, ideoque ſpecialem præ cæteris fidelibus retributionem voluntariæ oblatio-* Gloſſa in eum locũ. *nis expectant*. Eundem ſecuta ducem Gloſſa *perfectionis vitæ & oblationis voluntariæ* Aureolam nominat. Atque idem Beda, coronam ait auream ijs promitti, qui mandata cuſtodiunt, quibus dicitur à Chriſto, *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. Illi Aureolam ſuperponi, cum dicitur, Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia.* Video equidem eiuſmodi explicationem D. Thomæ non probari, qui paupertati Religioſæ non Aureolam, ſed iudiciariam poteſtatem promiſſam recolit: verùm id eo maximè conſilio videtur ſcribere, vt ternarium numerum in Aureolis conſeruet, neque eas ad alia ſupererogationis & con- *Seguenotus ridet doctrinam de Aureolis in l. de S. Vir. p. 74. Condemnatus in hac parte.* ſilij opera extendat. Non aſſentietur & huic in Religioſi ſtatus gratiam prærogatiuæ, qui omnes ridet Aureolas Claudius Seguenotus. Sed dicta noſtra veriſimilitudine non carere agnoſcent Doctores Aureolam ſperantes in cœlo, qui Seguenoti articulum in hæc verba damnauerunt. *Quæ aſſerit de Aureolis ſanctorum, quas dicit nouitium inuentum Theologorum, & ſine fundamento in ſcripturis; ſunt falſa, temeraria, ſcholis etiam veterum Theologorum iniurioſa.*

## *EXPENSA IN HOC PROPOSITO Petri Aurelij doctrina.*

### §. Vnicus.

*Petri Aurelij doctrina exponitur. p. 614.* POSITVM eſt in aſſertione, hominem illum qui vacuus habituali gratia in Hierarcham conſecretur, verum & legitimum fore Epiſcopum: quod & in priori comparatione notatum, nullis præditum virtutibus hominem, non quidem licitè, validè tamen & verè characterem Epiſcopalem ſuſcipere. Cui doctrinæ Catholicorum omnium probatæ conſenſu, ſi pugnantia non loquitur Petrus Aurelius, cauſam non video, cur ſe tamdiu verſet, & implicet, & inſtar ſepiæ atramenti ſui tenebris circumuoluat. Sic enim diſſerit, triplicem in ſtatu Epiſcopali perfectionem ſpectari, primam quæ ad illum adfertur, de qua ſuperiori capite tractauimus: alteram, *quam ipſi ſtatus Epiſcopalis ſuſceptio, ſua vi & efficacitate, ſine hominis ipſius labore & conatu tribuit*, quæ huius capitis propria eſt: tertiam, *quam Epiſcopus toto muneris vitæque decurſu quærere & perpetuò ſectari debet*, de qua ſequenti mox capite diſſeremus. Priores duas pertinere ad ſtatum perfectionis acquiſitæ, cum *hoc ipſo ſupponantur habita & acquiſitæ, quòd quis ad ſtatum Epiſcopalem euectus eſt. Per has enim in illo conſtituitur:*

*tuitur: per priorem quidem vt diſpoſitionem neceſſariam; per poſteriorem autem vt formam quodammodo & animam ſtatus Epiſcopalis.* Probat id *ex Chriſti mente,* qui cum ſtatum ſic inſtituit, *vt ſine hac plenitudine & perfectione gratiæ ſuſcipi nollet.* Deinde ex antiquo more Eccleſiæ, quæ illa carentes gratia, *pro Epiſcopis non habebat, & tanquam vitio creatos deponebat.* Ad extremum, ex alio veteris Eccleſiæ more, in qua *Clericus omnis, multoque magis Epiſcopus mortali peccato, & pænitentia reatu, è Cleri totius ordine labebatur. Cum hoc ipſo quòd peccator eſt, ſtatum amittat ex primæuo iure, nec ampliùs in eo ſit.* Memini me propoſitionem hanc tertiam alibi proferre potiùs quàm expendere, & cum nonnullis VVicleffi & Huſſij propoſitionibus ſtrictim collatam offerre Lectori. Nunc tota hæc doctrina examen noſtrum loco non importuno poſtulat, reſectis ijs quæ neceſſariò iterationem non exigunt.

Prior enim, inquis, perfectio eſt *diſpoſitio neceſſaria,* poſterior *forma & anima:* per hanc ergo perfectionem formaliter *conſtituitur* in ſtatu Epiſcopali, per illam ita diſponitur, vt abſque illa in ſubiectum malè præparatum, niſi miraculo aliquo, præter naturæ ordinem forma Epiſcopalis introduci non poſſit. Nam cum ignis agit in lignum, ſiccitatem & calorem vt *diſpoſitiones neceſſarias* primùm intromittit, ſine quibus, niſi per miraculum & ſupremam naturæ auctoris poteſtatem, ignis formam nunquam lignum concipiet: illis autem poſitis de ligno ignis nunquam fiet, niſi forma ignis ſubſtantialis in materiam ligni ſic diſpoſitam introëat. Sic igitur colligo. Si prior illa perfectio eſt *diſpoſitio neceſſaria* ad recipiendam formam Epiſcopi, quemadmodum calor & ſiccitas ad formam ignis, illam qui non eſt aſſecutus, vel omnino Epiſcopus eſſe non poteſt; vel ſi verè ſit Epiſcopus, illud naturaliter non euenit, ſed diuinæ potentiæ miraculo, quod in Patribus & Concilijs nouis & antiquis non leget Aurelius. Video enim non paucis Patribus placere donatum Euchariſtia fuiſſe Iudam ſub ipſum ſacrilegæ proditionis ictum: factum proinde cum cæteris & Sacerdotem, & Epiſcopum; nemini tamen venit in mentem ſcribere factum illud miraculo, quòd *diſpoſitione neceſſaria* non eſſet inſtructus. Ac licet *mentem* illam *Chriſti* ſciamus eſſe, vt nemo niſi cum diſpoſitione conuenientiſſima ad tantum onus ſtatumque accedat, eam tamen *diſpoſitionem* adeo *neceſſariam* eſſe noluit, vt qui ea careat, aut Epiſcopus eſſe non poſſit, aut miraculo fiat Epiſcopus.

*Refellitur in ea diſpoſitione neceſſaria quà aſſerit.*

Poſterior, inquis, perfectio eſt *forma & anima ſtatus Epiſcopalis.* Non ſunt ergo conſecrationis verba quibus character imprimitur, forma Epiſcopalis, ſed *plenitudo perfectionis;* per hanc vt *per formam,* non per illa conſtituitur in eſſe Epiſcopi; vt lignum per ſubſtantialem ignis formam, fit ignis formaliter. Vide quò præcipites. Ergo ſine Epiſcopali charactere & conſecratione poteſt aliquis Epiſcopus fieri per diſpoſitionem hanc poſteriorem, videlicet *plenitudinem gratiæ.* Quod libenter Ioannes Hus audierit, cuius eſt dogma damnatum in Conſtantienſi, *Eum qui rectè viuit, eſſe Diaconum vel Sacerdotem,* quod Doctori Hallier probari non poterit, qui ad VVicleffi & Huſſij errores accedere putat eos, qui credant ſanctitate, pietate, quacunque arctioris vitæ & ſanctioris profeſſione ad Sacerdotium & Hierarchicam poteſtatem attolli, vt libro ſuperiore vidimus. Ergo cum omni charactere, & inauguratione, qui perfectione careat, is in ſtatu Epiſcopali non erit. Et hoc VVicleffo plurimùm arridebit, cuius articulus proſcriptus eſt, *Epiſcopum aut Sacerdotem exi-*

*Refellitur in forma & anima ſtatus Epiſcopalis quam exterguat.*

*Periculoſa Aurelij doctrina.*

Concil. Conſt. ſeſſ. 15.

Wicleffi articul. 4. damnatus.

*ſtentem in peccato mortali non ordinare, non conſecrare, non conficere, non baptizare.* Se quoque Ioannes Hus in his partibus videbit, cum ſcribit, *Niſi eſſet lex caritatis intrinſecùs, nemo propter chartas vel bullas habet habilitatem, vel inſtitiam plus vel minùs.* Ergo qui certus eſt ſe ſtatum Epiſcopalem ſuſcepiſſe, certus etiam eſt habere ſe *plenitudinem gratiæ:* licet ea conſecratio non ſit ſacramentum, vt vocant, mortuorum: & hoc ei beneficium aduenire oportet ex opere operato, quemadmodum de infante recens baptizato pronunciamus; ſiquidem gradum hunc ſecundæ perfectionis cenſet Aurelius *vi & efficacitate ſuſceptionis ſtatus, ſine hominis ipſius labore & conatu tribui.* At iſtud ſcriptura non facilè con-

Eccl. c. 9. 1. Cor. 4.

cedat: *Neſcit homo vtrum amore, an odio dignus ſit; ſed omnia in futurum ſeruantur incerta.* Neque Pauli Apoſtoli & Epiſcopi perfectiſſimi modeſtia: *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum.* Neque Tridentino ſatis conueniat di-

Concil. Trid. ſeſſ. 6. can. 9.

centi, *quemlibet dum ſeipſum ſuamque propriam infirmitatem & indiſpoſitionem reſpicit, de ſua gratia formidare ac timere poſſe.* Quid autem dicis de eo qui ſtatum Epiſcopalem confert, ipſe in illa *plenitudine gratiæ* non conſtitutus? Fateriſ-

1. Cor. 16.

ne conferre? At ea *Chriſti mens* non eſt, qui iubet omnia noſtra fieri in caritate. Negas teipſa conferre? Caue Donatiſtarum Africanorum ſectam, ſan-

*Error Donatiſtarum.*

ctitatem & collationem ſacramentorum à Miniſtri dignitate accerſentium, tu inquam, qui de opere loqueris operato. Et in eam impingere te demonſtro ex ea quam ſtringis comparatione. Nam cum ſcribis, *tanquam vitio ordinatos deponi ſolitos, quantumuis characterem accepiſſent:* ad Magiſtratus alludis vitio creatos, qui verè Magiſtratus non erant, neque vnquam legitimè Remp. adminiſtrarunt, coacti cedere melioribus verè & auſpicatò creatis. Si quis igitur neque plenitudinem gratiæ in ipſa ſuſceptione ſtatus accipit, neque ab eo ſtatum ſuſcipit qui *plenitudinem gratiæ* poſſideat, eum oportet *vitio ordinatum*, id eſt verè & realiter ordinatum non eſſe, *quantumuis characterem acceperit;* cui propoſitioni nemo Donatiſta non ſubſcribet.

*Refellitur in aſſertione de depoſitione Epiſcopi.*

Eſt aliquid vlterius quò progrediar. Nam ſi *gratiæ plenitudo* eſt verè *quaſi forma & anima ſtatus Epiſcopalis*, illa qui excidit, à ſtatu excidit. Omnino, inquit Aurelius, nam qui eiuſmodi, *tanquam vitio ordinati deponebantur.* Et *Epiſcopus mortali peccato, & reatu pœnitentiæ è Cleri totius ordine labebatur.* Aurelianam hic grammaticam conſulo, quàm propriè appellet *reatum pœnitentiæ?* Cum pœnitentia reatus deleatur, neque peccetur agendo pœnitentiam, ſed ex pœnitentia colligatur peccatum, quod per pœnitentiam corrigitur. Addo etiam credat-ne ſynonyma eſſe *deponi* & *labi?* *Deponitur* enim qui aliena opera magiſtratu abdicatur; *labitur* qui ſuapte ſponte excidit: *deponitur* qui ſententia iudicis exauctoratur; *labitur* qui ſe ipſe ſiue volens ſiue incautus affligit. Vtrunque ſignificat Aurelius; ego neutrum verè dici poſſe contendo. Nam à depoſitione vt auſpicer, vel vnum è tota antiquitate nominet Petrus Aurelius, ea præciſè de cauſa depoſitum ab Epiſcopatu, quòd vel priorem perfectionem ad ſtatum Epiſcopalem non attulerit, vel quòd cum charactere gratiæ plenitudinem, quæ eſt ſecunda diſpoſitio, ex opere operato non acceperit: hoc enim in quæſtione nobis eſt. Teſtem citat Canonem 68. Concilij Carthaginenſis 4. *Ex pœnitentibus* (*quamuis ſit bonus*) *Clericus non ordinetur.* Hic de

*Explicatur* Concil. Cartha. 4. can. 68.

gratia habituali ſermo non eſt, ſed de externa Eccleſiæ diſciplina, quæ Pœnitentiæ publicæ & ſolenni, quod ante retulimus, irregularitatem adnexuit. *Si per ignorantiam Epiſcopi factum fuerit* (Clericus ordinatus fuerit) *deponatur à*

*Clero;*

*Clero; quia ſe ordinationis tempore non prodidit fuiſſe pœnitentem.* Nam quia leges Eccleſiæ violauit decepto Epiſcopo, deijci debet de gradu illo & honore, quem malis artibus conſequutus eſt. *Si autem ſciens Epiſcopus ordinauerit talem, etiam ab Epiſcopatus ſui, ordinandi duntaxat, poteſtate priuetur*: vt qui contra Canones fecerit, bono fortaſſe animo, ſed malo exemplo. Quid autem ex hoc deducitur loco? [*Qui fruſtra citatur ab Aurelio.*] quæ tandem hæc argumentandi, & aſſertionem ſuam confirmandi forma? De Epiſcopo agimus ordinato: tu Clericum obtrudis: de eo qui *gratia plenitudinem, formam & animam ſtatus Epiſcopalis* non habeat, tu pœnitentem publicum opponis: de Epiſcopo qui *deponatur tanquam vitiè ordinatus*, tu loqueris ordinantem Epiſcopum, qui vna tantùm officij ſui parte priuetur. Hoc non eſt abuti Canonibus, & Concilia terrendis imperitis producere, quæ vel ſemidocti aliena eſſe ab inſtituto peruideant?

Venio ad lapſum, non tam peccantis Epiſcopi, quàm errantis Aurelij. [*Refellitur ea aſſertio de lapſu Epiſcopi de gradu ſuo.* p. 629.] *Epiſcopus*, inquit, *mortali peccato, & reatu pœnitentiæ è Cleri totius ordine labebatur. Hoc ipſo quòd peccator eſt, non eſt ampliùs in ſtatu Epiſcopali.* Dixit ergo verè VViclefſus, malè damnatus à Concilio Conſtantienſi, ſi proba eſt Aurelij ſententia, *Nullus eſt dominus ciuilis, nullus eſt Prælatus, nullus eſt Epiſcopus, dum eſt in peccato mortali.* [*Wicleff articulus* 15. *damnatus in Concil. Conſt. ſeſſ.* 8] Et eius diſcipulus Ioannes Hus, *Sicut princeps vel dominus, tempore quo eſt in peccato mortali, non ſortitur nomen officij illius niſi nomine tenus, & ſatis æquiuocè: ſic nec Papa, Epiſcopus, vel Sacerdos dùm lapſus fuerit in mortali peccato.* Ergo temporarius eſt Epiſcopi ſtatus, rerum mutationi obnoxius, peccato mortali fit iterum Laïcus; [*Ex ea aſſertione multa deducuntur abſurda.*] quod Tridentino contrarium eſt: *Meritò ſancta Synodus damnauit eorum ſententiam qui aſſerunt, Noui Teſtamenti Sacerdotes temporariam tantummodo poteſtatem habere, ac ſemel ritè ordinatos iterum Laïcos effici poſſe.* [Concil. Trid. ſeſſ. 23. c. 4.] Ergo ſtatus Epiſcopalis res tantùm interior eſt, ſoli Deo nota quæ ſub aſpectum non cadit; incertum me facis vnde ſacramenta hauriam, à quo conſecrationem poſtulem, quem verum agnoſcam Epiſcopum. Quis enim ſciat an hic aut ille Deo iudice iuſtus ſit, aut peccator? Et hic Tridentinum interloquitur, & anathema dicit ei *qui dixerit, non eſſe in Nouo Teſtamento Sacerdotium viſibile & externum.* [Ibid. c. 1.] Quæro autem, niſi moleſtum eſt, *lapſus* ille & *peccator*, quando è *reatu pœnitentiæ* reſurgit, redeat-ne poſtliminio ad ſtatum Epiſcopalem? Quo id fit modo? Sola gratiæ ſanctificantis receptione, an noua conſecratione? Aueo ſcire de Angelo ſiue Epiſcopo Epheſino quid cenſeas, cui Chriſtus lapſum exprobrat, *caritatem tuam primam reliquiſti.* [Apo. c. 2.] Quem non ad *reatum*, ſed ad fletum *pœnitentiæ* reuocat. *Memor eſto vnde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac*: non propriæ tantùm perfectionis acquirendæ, ſed etiam alienæ communicandæ. *Sin autem, venio tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco ſuo.* Non igitur ante dimouerat, neque lucernam extinxerat; & cum obiurgatione diuina dignus eſſet, è ſtatu Epiſcopali lapſus non erat. Denique hoc poſtulo, cum *olim ex primæuo iure*, *lapſus* & *peccator* ſtatum Epiſcopalem amitteret, nunc in noua Eccleſia quid fiat? *Cadit*, inquit, *in ſtatum ſtatu ſuo infinitè abiectiorem.* [Aurel. pag. 629.] Hic ſi ſtatus peccatoris eſt, communem illum habet cum veteribus Epiſcopis lapſis, imo cum omnibus omnium temporum fidelibus, mortali peccato infectis: ſin alius aliquis eſt, ede quo appelletur nomine, quem habeat ille ſtatus in Theologia locum? *E quo ad priorem redire non poſſet.* [*Error contradictio.*] Excidit igitur aliquo ſtatu, & tamen verbis immediatè præcedentibus aiebas, *nunc peccantem Epiſcopum non excidere gradu, & in eo neceſſaria Eccleſiæ in-*

*dulgentia retineri.* Non rediret tamen, *niſi Eccleſiæ indulgentia reſtitueretur.* Qualis illa & quanta indulgentia eſt? Quibus Concilijs, quibus Canonibus decreta? Quo ſeculo cœpit, qua auctoritate corroborata eſt? Nomina ſtatum a quo excidit, ſtatum in quem cadit, indulgentiam qua reſtituitur. Edicas & illud, ſit-ne noſtris temporibus mutata ſtatus Epiſcopalis natura, vt cum *olim ex primæuo iure, forma & anima* ſtatus illius Angelici, eſſet *gratiæ & perfectionis plenitudo,* ſine qua Epiſcopus *è ſtatu labebatur, & amplius in eo non erat,* nunc alia ſit *forma & anima* ſtatus Hierarchici, vt *peccans Epiſcopus non excidat gradu,* ſed in eo mitiore & magis indulgenti forma retineatur? Quæ omnia cum perplexa ſint & moleſta, non miror equidem *conſecutionibus* tam eſſe infenſum Aurelium, quibus obruitur: ſed hoc mihi ſtupendum videtur, totam hanc diſputationem ab Aurelio Grammatico verbis & loquendi formis corruptam, à Theologo non fuiſſe recognitam, quæ nimis ſupina ſecuritas eſt. Neque ſe verbis

Idem pag. 628.

tegat clarioribus, vt dicat de ſtatu pœnitentiæ agere ſe, quem ſi quis crimine ſuo mereretur, aut ad Epiſcopatum admiſſus non eſt, aut Epiſcopatu pulſus & abdicatus. Id enim cum verè dicatur, quæro pœnitentiæ publicæ ſolennis ad hoc propoſitum quàm ſit neceſſaria mentio? Is-ne ſolùm ſit indignus Epiſcopatu, qui crimen publica expiandum pœnitentia commiſerit? An illa *diſpoſitio neceſſaria,* illa *quaſi forma & anima ſtatus Epiſcopalis,* illa *plenitudo & perfectio gratiæ,* ſine qua Chriſtus ſtatum illum ſuſcipi noluit, ſit eo carere peccato, quod hominem in Ordine Pœnitentium eſſe cogat? Quæro præterea *pelli gradu & abdicari,* ſit-ne in Latina Grammatica, *hoc ipſo quod peccator eſt, ſtatum amittere, amplius in eo non eſſe, labi ex ordine, excidere gradu?* Itaque ad ſeueritatis Theologicæ ſenſum facundiam ſuam propiùs accommodabit, ſi mihi credet Aurelius.

---

*QUARTA COMPARATIO IN MEDIIS CONſtituitur, quibus vterque ſtatus amiſſam gratiam recuperat.*

## CAPVT XXII.

De medijs ad augendam gratiam.

SVo vterque in ſtatu collocati Epiſcopus & Religioſus ſacrum perfectionis ſtadium decurrunt, & ad brauium aſpirant. Quæris quibus alis euolent, quibus medijs gratiam habitualem, qua vt ſupponimus potiuntur, augeant, quibus vijs perfectionem amplificent? Breuiter ſatisfacio, pluribus, potioribus, illuſtrioribus Epiſcopus; obſcurioribus, ſed tutioribus Religioſus. Rem incertam & ignotam nemini, iam ante in comparatione prima expoſitam breuitatis cauſa prætereuehor.

De medijs ad recuperandam gratiam.

Quæris deinde offendentes in curſu, quibus auxilijs reſurgant, deperditam peccato lethali gratiam & caritatem habitualem, quibus vterque medijs ſtatui ſuo eſſentialibus & proprijs recuperet? Proprijs inquam, non ex lege viatorij ſtatus aut Euangelici, ſed ex Hierarchica vt ſic operatione, ex Religioſa vt ſic exercitatione. Certum eſt hoc loco primas Religioſo ſtatui deberi, vt qui pœnitentiæ ſit & mortificationis, cum Monachus *plangentis habeat officium,* cum in Religione *homo viuat puriùs, cadat rariùs, ſurgat velociùs:* cum Epiſcopus ipſe ſi quando ceciderit, vim & virtutem reſurgendi à virtutibus

actibuſque

actibuſque ſtarui Religioſo conuenientibus debeat mutuari. Nam intimis ſibi quà actiuus in alios, & perfectiuus eſt, non excitari Epiſcopum à peccato lethali ad gratiam habitualem, tam verum eſt, tamque confirmatum, vt ſine temeritate & errore negari non poſſit. Enimuerò Scribæ & Phariſæi ſcripturas explicantes & docentes, qui actus eſt illuminationis Hierarchicæ, iubentur audiri tanquam legitimi doctores, & tamen multis ſceleribus coopertí reprehenduntur, & eorum opera imitando fieri vetantur à Chriſto. Paulus timet cum alijs prædicauerit, ipſe reprobus effici. Prædicatio fieri poteſt ex indifferente, imo & malo motiuo, ſcribente Apoſtolo, *Quidam quidem & propter inuidiam, & contentionem Chriſtum annunciant, non ſyncerè, exiſtimantes preſſuram ſe ſuſcitare vinculis meis. Quid enim? Dum omni modo, ſiue per occaſionem, ſiue per veritatem Chriſtus annuncietur; & in hoc gaudeo:* vbi factum Paulus approbat, non voluntatem. Ergo prædicatio & ſimiles Hierarchicæ actiones non conferunt primam gratiam. Deinde gratiæ gratuitæ è quarum numero eſt poteſtas Hierarchica, quæque eam comitantur dotes ad proximorum vtilitatem relatæ, non præexigunt nec ſecum adferunt caritatem habitualem. Nam in die iudicij *multi dicent, in nomine tuo dæmonia eiecimus, & virtutes multas fecimus.* Neque dubium quin Iudas verus eſſet Apoſtolus, vera cum ſocijs patraret miracula, verè Chriſtum prædicaret vt cæteri, etiam cum Iudas erat, id eſt animo fur & proditor. Præterea, Epiſcopalia munera neque formaliter, neque virtualiter præteritæ culpæ retractatio ſunt, & contritio, ſeu perfecta & interior pœnitentia, neque exterior mortificatio, vel imperfecta attritio. Id enim ſi eſſet, quàm ſuperfluè quæreretur à Theologis, liceat-ne in peccato mortali Euchariſtiam miniſtrare, conferre Baptiſmum, pœnitentem ex confeſſione audire? ſiquidem illi ipſi actus Sacerdotem quemlibet ad Dei gratiam reuocarent. Addi multa poſſunt quibus Doctores Catholici aduersùs hæreticos diligenter à moribus poteſtatem, à vita doctrinam, à miniſtro ſacramenta diſcernunt.

*Epiſcopatus vt ſic non habet illa media ſibi propria.*

Matt. c. 23. 1. Cor. 9.

Phil. c. 1.

Matt. c. 7.

Eandem veritatem probè agnoſcit Petrus Aurelius, ſed ex principijs ſuis malè comprobat. *Ineptum*, inquiens, *& inſcitum eſt, quærere an Epiſcopatus media propria habeat ex ſtatu, quibus à peccato ad gratiam reuertatur. Clariſſimum enim eſt, Epiſcopum peccatorem reſurgere non poſſe per media ſtatui propria, cum hoc ipſo quòd peccator eſt, ſtatum amittat ex primæuo iure, nec ampliùs in eo ſit.* Quaſi dicat, non poteſt reſurgere vt Epiſcopus, quia cadendo Epiſcopus eſſe deſijt. Quod abundè confutatum eſt ſuperius, & ſatis conſtat excidere poſſe à gratia Epiſcopum eo lethali peccato, quo pœnitentiæ publicæ reus non fit, id eſt exauctorationis, etiam *ex primæuo iure*. Omiſſa igitur ratione, theſim amplector, & lectorem hortor, vt eam cum hac altera Petri Aurelij propoſitione connectat. *Si operum, & mediorum pœnitentia ratio haberetur, nullus eſſet ſtatus digniorũ, efficaciorũ, nobilioris pœnitentiæ, nec vbi peccata faciliùs & diuiniùs expungi poſſent.* Fallor tota latinitate, niſi affirmat Aurelius *Epiſcopatum media propria habere ex ſtatu, quibus à peccato ad gratiam reuertatur*, quod ipſum non dicam aſſerere, ſed vel quærere, modò *ineptum, & inſcitum eſſe* dicebat. Rem autem non vno probat argumento.

*Probat eam opinionem Aurelius in vin. pag. 628.*

*Qui ſibi contradicit* pag. 631.

Primum eſt Caritatis, quæ ſumma in ſtatu Epiſcopali: *Nulla enim altior, diuiniorque pœnitentia quàm caritas, quæ ſtatui Epiſcopali ſupra omnes Eccleſiæ ſtatus propria eſt.* Quænam autem illa Caritas? *Qua Magdalenæ dimiſſa ſunt peccata*

1. *Obiectio ex Petro Aurelio* pag. 631.

*Reſponſio.* *multa, quoniam dilexit multùm.* Satis inſcirè dictum; nam ea caritas cui Magdalenæ peccata donata ſunt, *propria* non eſt *ſtatus Epiſcopalis*, vel in ſtatu Epiſcopali Magdalena fuit. Ea caritas qua peccata obliterantur, eſt eorum dolor & verecundia ex perfecto Dei amore, quam Chriſtianis omnibus propoſitam eſſe conſtat, non ſolis Hierarchis. Caritas autem Hierarchica, ea eſt propriè quæ cæteros purgat, non ipſum Hierarcham. Caritas ergo primæ gratiæ reparatrix, non eſt *propria ſtatus Epiſcopalis.*

*2. obiectio ex eodem. Ibid.* Alterum argumentum ducitur ab Hierarchicis actionibus. Sic enim Aurelius *ridiculam Spongiæ inſcitiam*, appellat, *exiſtimantis actiones Epiſcopo proprias non eſſe opera vera pœnitentiæ, nec per eas ſanari peccata, ſeu baptizet Epiſcopus, ſeu ſignet Baptizatorum frontes, conſecret Sacerdotes, Euangelium prædicet, excommunicet contumaces.* Fateor equidem actuum iſtorum nonnullos ita eſſe proprios *Reſponſio.* ſtatus Epiſcopalis, vt vel à ſolo Epiſcopo, vel ſola Epiſcopi auctoritate poſſint perfici: at eſſe illos opera vera pœnitentiæ, peruidere me non poſſe profiteor. Edicat enim mihi Theologus iſte, in Baptiſmo vel chriſmate conferendo quis inſit præteriti peccati dolor, cum emendationis propoſito, & voto con- *Opera Hierarchica non ſunt vera pœnitentia.* feſſionis? Doceat conſecratio Sacerdotum quam habeat formalem cum peccato à ſe commiſſo oppoſitionem? Si verum illud eſt, admoneat qui tandem fieri poſſit, vt ea ſacramenta ab indignis & lethali noxa inquinatis conferantur? De contumacium excommunicatione, riſimus iam olim nouum illum atque omnibus importunum pœnitentiæ genus, vt cum aliquis Epiſcopus; (quod auertat Deus) à gratiæ ſtatu exciderit, exſuſcitet ipſe ſe mucronem excommunicationis in miſerorum ſubditorum iugulum altè demittendo, eò iuſtior apud Deum, quò iratior. Priuatim etiam prædicationem verbi diuini *opus verum pœnitentiæ* vult eſſe aduerſarius, allato S. Ambroſij dicto, Pe- *Explicatur dictum S. Ambroſij.* trum *paſcendo cibo fidei gregem Chriſti, culpam lapſus prioris aboleuiſſe.* Verùm Ambroſianum iſtud ad propoſitam ſpectare quæſtionem, mihi tum demum perſuadebit Aurelius, cum monſtrauerit prædicationem eſſe formaliter dolorem de offenſa Dei; non poſſe hominem cum mortalis peccati conſcientia concionari; non ante iuſtificatum à periurio S. Petrum, licet egreſſus foras amarè fleuerit, licet priuatim ei reſurgens Chriſtus apparuerit, licet Eccleſiæ principem & fundamentum in eximij amoris mercedem illum conſtituerit, licet igne Spiritus Sancti Pentecoſtes die purgauerit, atque inflammarit, quàm actu & reipſa gregem Chriſti diuini verbi pabulo refecerit. Non hoc igitur cenſet S. Ambroſius, quòd ſomniat Petrus Aurelius, ſed perfidiæ ſuperioris apud homines infamiam, impenſa ſedulò aduersùs ipſos opera & caritate glorioſè deleuiſſe: non autem ab illo peccato, tali prædicatione purgatum fuiſſe. Nam vt ſimili vtamur exemplo, ſi Rex Babylonius ex Danielis conſilio peccata ſua redemit eleemoſynis, poteſt-ne dici eo liberalitatis opere *culpam lapſus prioris aboleuiſſe* præcisè & formaliter? Id certè non conceſſerit Claudius Seguenotus, cui talis miſericordia ne opus quidem veræ virtutis eſſe videatur.

*3. obiectio ex ipſius Aurelij principijs. pag. 619.* Tertia ratione Petri Aurelij ſententiam Petrus impugnat Aurelius, quæ licet ad demonſtrandum perfectionis augmentum afferatur ab eo, non minorem tamen vim habet ad primam gratiæ recuperationem medijs Epiſcopalibus aſſerendam. *Alia*, inquit, *ratio noua legi ſpecialis eſt, quia & Epiſcopus, & quiuis alius fidelis nihil agere poteſt, ſine peculiari motu & ope Dei.* Theſis hæc aperta, cui

cui ſubditur conſecutio. *Unde vt alios erudiat & regat, neceſſe eſt quæri ab eo diligenti orationu, & bonorum operum aßiduitate perpetuum Dei auxilium, & incrementum lucis, vt medium neceſſarium, ſine quo alios docere, regereque non poßit.* Adde poſtulandam ab eo primam gratiam *vt medium neceſſarium*, quo illas officij ſui partes ritè, meritoriè, & *ex mente Chriſti* exequatur. Corollarium ſequitur Aureliana manu dignum. *Sed hæc Molniſtis ignota ſunt, quibus diuina gratiæ ſcientiam ignorare ludus eſt.* Triplex hic lapſus ab eo reuincendus qui diuinæ gratiæ ſcientiam non ignoret. Reſponſio. 1. Si motum quemlibet diuinum, cum Chriſti gratia vult confuſum, reſpondere debet Auguſtino, Polemonis petulantis conuerſionem ad modeſtiam, aſſignanti *Deo creatori & perfectori naturæ*, à quo ſunt etiam bona corporis, *ſicut forma, & vires, & ſalus, & ſi quid eiuſmodi eſt.* Idque quia Polemo non ita *ex luxurioſo continens factus eſt, vt ſciret cuius eſſet hoc donum.* Hanc Dei gratiam agnoſcebat Pelagius, cum ſimplicioribus Catholicis illuderet, & ſine Dei gratia, id eſt naturalibus bonis à Deo acceptis, bonos fieri homines negaret. Loquendo igitur vniuersè, falſum eſt diuinum omnem motum *nouæ legi eſſe ſpecialem.*

1. Error Aurelij.

Polemonis conuerſio ad frugem. Augu. ep. 130.

2. Si gratiam per Chriſtum datam vult adeo *nouæ legi eſſe ſpecialem*; quod eius oratio videtur indicare, vt in prioribus legibus naturali & Moſaïca bonæ actiones & Deo acceptæ *ſine peculiari motu & ope Dei* ex Chriſti merito ſint factæ, merum Pelagianiſmum reuehit, nullo correctum temperamento. Quo enim frequentiore argumento gratiæ per Chriſtum neceſſitatem impugnauit Pelagius, quàm bonorum operum à ſanctis viris patratorum, qui Chriſtum ætate præceſſerunt, non arbitratus hominem Deum qui non exiſteret, quicquam moraliter & meritoriè influere poſſe in effectus? Verum igitur non eſt ſi de ſanctis viris & bonis operibus vniuersè agitur, *nouæ legi ſpeciale eſſe, quòd fidelis nihil agere poßit ſine peculiari motu, & ope Dei.*

2. Lapſus Aurelij.

3. Si *Dei auxilium, & incrementum lucis vt medium neceſſarium* ad alios docendos & regendos, vult eſſe gratiam iuſtificantem, quæ ſemper aut primam gratiam reſtituat, aut adaugeat perfectionem, fallitur tota via, cum ſint illæ gratiæ gratis datæ, quæ nulla neceſſitate caritatem habitualem in anima ſupponunt. Nullius ergo virtutis eſt illa conſecutio, vt quis ex eo vel gratiam nouè conſequi, vel amplificare dicatur, quòd *ſine peculiari motu & ope Dei* alios docere & regere non poſſit. Huc accedit quòd peculiaris illa gratiæ neceſſitas, non eſt Epiſcopo peculiaris, ſed ad quemuis alium fidelem pertinet, vt benè monet Aurelius: medium quoque quo impetratur, *diligens* nimirum *orationis & bonorum operum aßiduitas*, omnibus ex æquo Chriſtianis commune eſſe poteſt, vt indicare videtur idem Aurelius, dum affirmat hanc rationem eſſe *nouæ legi ſpecialem.* In hac igitur quæſtione ſatis intempeſtiuè profertur, in qua de medijs Epiſcopali ſtatui proprijs ſermo eſt.

3. Aurelij hallucinatio.

Quarta ratio quæ per media Epiſcopalia gratiam reparari ſuadet in Aurelianis principijs, hæc eſt, quòd *niſi alios ſaluet* Epiſcopus, *ſeipſum ſaluare non poteſt: quia ſalus eius ſic aliorum ſalute pendet atque inuoluitur, vt neutra ſine altera conſuli, neutra ſine altera perfici poßit: quia non ſe ſolum Epiſcopus, ſed alios ſaluare iuſſus eſt, & vt eos ſaluet, ſeipſum ſaluare debet, vt eos in cælum ducat, ipſe ire.* Vnde ſequitur vt alterum originali labe non poſſit eluere, aut actualibus abſoluere peccatis, quin ipſe ſibi conſulat, ſeque ſaluet. Opportuna ſanè parandæ ſalutis methodus ſi vera: imo reijcienda quia falſa, vt quæ graue inducit imperium, nouum, & ἀδυνάτον, quod ne cuſtodibus quidem Angelis imponi poſſit ac

4. obiectio ex eiuſdem principijs. pag. 622.

Reſponſio.

debeat, ſi certam ac ſecuram beatitudinem nondum forent aſſecuti. Nam labore vigilantiaque Prælati non contentus Aurelius, ipſum eius conatus effectum deſiderat, & ſaluati negat Epiſcopum, qui alios reipſa non ſaluet. Cum autem nemo vnquam repertus ſit, qui ſubditos ſuos omnes & ſingulos ſaluos effecerit, neceſſe eſt vt in partes diſtrahatur, & cum ijs quos actu ſaluabit, ſaluetur; cum improbis quos è vitiorum cœno educere non potuerit, pereat & condemnetur. Quid autem illud eſt, *vt alios ſaluet, ſeipſum ſaluare debet?* An ſi ipſe ſe non ſaluat, ſubditi non ſaluantur? An illos ſanctificare non poteſt, niſi ipſe ſanctus ſit? Denique quis vnquam in vetere aut noua Eccleſia ſenſit aut dixit, Epiſcopi ſalutem à ſubditorum ſalute pendere, & ſine illa non poſſe perfici?.

---

## *QUINTUS ET POSTREMUS COLLATIONIS articulus, in mutua ſtatus vtriuſque mutatione declaratur.*

## CAPVT XXIII.

*Religioſi ad Epiſcopatum ſunt idonei.*

FVIT olim apud Hebræos Regiæ Sacerdotalique tribui coniugiorum & ſanguinis conceſſa permixtio, vt quæ in dignitate abſimiles non erant, ſua ſibi bona inuicem communicarent. Si mihi licet hoc loco Reges ſacrorum, & ſacros Principes Hierarchas cum regia tribu comparare, Religioſos in Leuitica ſpectabo, propriam ſanctitatem futuris Hierarchis donantes, à quibus & ipſi viciſſim accipiunt aliquem velut hæreditatis funiculum, & certam in Diœceſi ſtationem. Regulares enim aptos & idoneos eſſe ad tractanda Eccleſiæ gubernacula, liber Septimus probauit Aurelio, conſentiente Doctore Hallier, & regularem docente inſtitutionem priuato vniuſcuiuſque hominis eſſe ornamento. Quis enim aptior eſt ad exercendam perfectionem, quàm qui in acquirenda diu multumque laborauit? Quis copioſius virtutem inſtillet alteri, quàm qui ea ipſe redundat? Quis perfectiùs magiſterium pietatis exerceat, quàm qui eius diſcipulatum tota vita profeſſus eſt? Quod ſi de omnibus vniuersè Regularibus verè dicitur, quid de ijs ſentire conuenit, qui ad docendum & prædicandum inſtituti, actus illos Hierarchicos ſumma cum dignitate, & publica vtilitate exercuerunt? Quid illis nouum occurret in Pontificatu, quid intentatum aggredientur in plena poteſtate, quam difficultatem non animo ante præceperint, vſu mollierint, conſtantia fregerint?

*Hallier in vin'l. page 411.*

*Qui vouit Religionem, an poſſit acceptare Epiſcopatum.*

Neque alienum fuerit ab hac comparatione quærere, an qui Religionis ingreſſum vouit, ſolutus ſit voto, ſi primum gradum in Epiſcopatu figat? An potiùs repudiatis inſulis in Religioſa clauſtra ſe ſe abdere teneatur? Vtraque pars auctores habet, ſed iſta & ſecuritate vincit, & numero; cui & ipſe me adiungo, hac potiſſimùm de cauſa, quòd qui Religionem vouet, ſuum ſibi bonum quærere, ſuam optare perfectionem, Deo pro peccatis ſuis ſatisfacere, ſecularium omnium curarum, honorumque ſplendorem negligere, abiectus eſſe in domo Dei ſui eligere, ſuam ſalutem cum timore & tremore operari velle cenſeatur. Quod in Epiſcopali numere non facilè aſſequetur, vbi radios infularum, throni celſitudinem, viſcus diuitiarum, adulationem aſſeclarum,

epularum

epularum lautitiam, veſtium delicias reperturus eſt: & vt hæc omnia fortiter & generosè abdicet, totus aliorum, totus ſubditorum Hierarcha erit, neque ſe, niſi velut ſecundariò & penè dicam indirectè, perficiet. Quæ vt arbitror cauſa eſt, cur in eo animi fluctu conſtitutum Gratianopolitanum Epiſcopum hortetur Pontifex, *vt ſi ſuam ſanare deſiderat conſcientiam, regimen reſignet Eccleſiæ, ac reddat altiſſimo vota ſua.* Quod in foro conſcientiæ conſulendum D. Thomas admonet, maximè ſi tantùm electus ſit ille ad dignitatem, nondum autem conſecratus. In ipſa verò conſecratione, putat Panormitanus *renunciare* illum *debere vt votum impleat.* Adeo ſancta eſt Religioſæ profeſſionis religio, vt in eiuſmodi biuio, ad eam potiùs, quàm ad Epiſcopalem conſecrationem cogamur appellere.

Extra. c. Per tuas. de voto.

D. Th. 2. 2i q. 189. a. 3. ad 1.

Vide Henr. l. 10. c. 32. n. 5

Iam autem conſecratis Hierarchis, & populos ſubditos ſumma cum poteſtatè regentibus, ſublimé illam profeſſionem iuſtis de cauſis, auctoritate legitima deſerere, & ad Religioſam humilitatem regredi permittit Eccleſia, quæ pars altera noſtræ collationis eſt, & Religioſæ vitæ dignitas ſingularis. Quantùm enim putas eſſe quòd Hierarchæ illi Deo proximi, deifici principes, propriæ ſibi infirmitatis conſcij, acquirendæ quàm exercendæ perfectionis appetentiores, diuinum robur, & virtutum panopliam in Religioſo ſtatu requirunt, quam habere ſe non ſperant in Hierarchico? Mirati ſunt homines ad Prophetæ vocem in horologio Achaz ſolem retrogagi, vt reſtitutæ ſanitatis certum rex pius haberet oraculum: quis non obſtupeſcat illos Chriſtianæ Religionis ſoles gradum ſuum reflectere, & propriam in latebris quærere ſanctitatem? Hic ego non diſputo cum Anglicanis ſcriptoribus, illos eo facto *non omnino deſcendere, ſed dici poſſe aliquo modo altiùs volare*: libentiſſimis oculis Aurelianam lego facundiam *in pennis & volatu*, earumque explicanda metaphora exultantem. Eſto ſanè non aſcendant, ſiquidem à ſtatu perficiente, ad eum qui perficitur retrocedunt: at certè in ſecurum præſidium conuolant, ſuam in tuto ſalutem collocant, Angelorum gaudio, hominum laudibus, fauore, admiratione tolluntur in cœlum: Chriſtum imitantur, *qui cum in forma Dei eſſet, exinaniuit ſemetipſum formam ſerui accipiens.* Petro Damiani notæ ſanctitatis viro fides danda, ſcribenti, *Plerique pontificatus iura non deſerunt, & de ſiniſtris ſunt. Quotquot autem legimus recta intentione dimiſiſſe, certa ſpes eſt eos de æterna cum Chriſto ſocietate gaudere*; Siue illi non ſatis ex virtute ſuſceptum implerent officium, ſiue in ea dignitate omnibus perfectorum Hierarcharum numeris eſſent abſoluti. Nam in eo quem idem Cardinalis in exemplum adducit catalogo, non paucos legere eſt ex Epiſcopis Monachos, qui etiam in ſumma dignitate miraculis claruerunt. Quorum eò virtus cenſeri debet illuſtrior, quòd id reipſa perfecerunt, cuius deſiderium cura ſalutis nonnullorum animis inſpirauit, quos ad tantum opus vires ſpiritus defecerunt. Id profitetur & exprobrat Innocentius III. in Concilio Lateranenſi. *Quidam cedendi licentiam cum inſtantia poſtulantes, ea obtenta cedere prætermittunt.*

*Epiſcopi ſtatum Religioſum poſſunt appetere.*

*Dicuntur eo facto deſcendere.*

Aurel. in vind. pag. 549.

Petr. Dam. l. 1. ep. 9. & 10.

Concil. Later. c. 28.

Signanter dictum *licentiam poſtulantes* à ſuprema poteſtate, quæ ſola voti tam ſolennis, tam nobilis vinculum poteſt ſoluere, eamque *licentiam* non niſi maturo conſilio, & grauiſſimis de cauſis concedit. Quamobrem ſapienter Petrus idem Damiani admonet, *Neque tamen hoc dicimus, vt paſſim deſeri Epiſcopatum liceat; niſi videlicet id fieri neceſſitas, ſiue rationalis quælibet cauſa depoſcat.* Duplicem porrò affert Innocentius Pontifex eius poſtulati rationabilem cauſam:

*Quibus de cauſis id fieri poſſit.*

Hallier p. 612.

Petr. Dam. cit.

Concil. Later. cit.

*eum in poſtulatione huiuſmodi aut Eccleſiarum commoda quibus præſunt, aut ſalutem videantur propriam attendiſſe; quorum neutrum nolumus impedire.* Et quidem vt alio loco adijcit, quando *cedendi voluntas cælitus inſpiratur.* Non eſt autem è iuſtis illis cauſis vna & ſolida, laboris fuga, & ſanctæ quietis appetitio. Siquidem à Liberio Pontifice iure ac meritò reprehenduntur Epiſcopi, *qui pro ouibus ſibi commiſſis laborare negligunt, & Monaſteriorum ſe quieti contradere feſtinant, & vacationem ab Epiſcopatus laboribus eligere, & in ſilentio atque otio vitam degere magis appetunt, quàm in his quæ ſibi commiſſa ſunt, permanere.* Iiſdem pene verbis Ruſticum Narbonenſem Epiſcopum idem cogitantem, obiurgat Leo magnus. *Miror autem dilectionem tuam in tantùm ſcandalorum, quacunque occaſione naſcentium, aduerſitate turbari, vt vacationem ab Epiſcopatus laboribus optare te dicas, & malle in ſilentio atque otio vitam degere.* Quæ Pontificum dicta cum proferat expendatque Franciſcus Hallier, obſeruare potuit iam ſeculis illis antiquiſſimis, Religioſæ profeſſionis ſanctitatem mirabiles in clariſſimorum Hierarcharum animis ſui amores excitaſſe, & ſanctiſſimis Epiſcoporum ab omni æuo fouendorum Monaſteriorum ad quæ aſpirabant, ardens ſtudium inſediſſe.

Habetur 7 q. 1. c. Sug-geſtum. Malè ab Hallier citatur 16.

S. Leo ep. 92.

Hallier in vin. l. pag. 616. 617.

## EPISCOPORUM IN MONASTERIA MIGRAtio quantùm ſtatui Religioſo dignitatis afferat.

§. Vnicus.

*Obiectio in illis cauſis non enumerari Religionem.*

SED ea dignitas à tantis viris, tam illuſtri exemplo Religioſo ſtatui conciliata, mirum ſi ab æmulis non pulſaretur, qui factum ſæpiſſimè eum negare non poſſint, omnibus hiſtorijs conuicti, quod ſupereſt negant fieri glorioſè. Sic enim diſputant, ſi quibus Epiſcopis ea miſſio indulgetur ab Eccleſia, dari ex cauſis & per ſe indecoris, & Religioſorum gloriam minimè ſpectantibus. Patet illud ex Innocentij III. decreto, *quo propoſitis & ſumma eruditione explanatis ſex cauſis*, inquit Petrus Aurelius, *quibus Epiſcopatum dimittere ſit fas, quarum prima eſt Conſcientia criminis, 2. Debilitas corporis. 3. Defectus ſcientiæ. 4. Malitia plebis. 5. Scandalum. 6. Irregularitas; non ijs annumerat voluntatem tranſeundi ad regularem vitam. Imo hanc generatim excludit, addens. Verùm ſi propter alias cauſas ceſſionem affectes, non eſt in hoc tibi poſtulanti fauendum.* Hæc breuiter Aurelius, & pauca quæ ſequuntur. Sed accuratior Doctor Hallier Epiſtolam Pontificis vniuerſam momentis ſuis expendit, & collectis ex ea decem rationibus, concludit ſtatum Epiſcopalem nobiliorem eſſe Religioſo; de quo nulla nobis controuerſia eſt. Vincit hic igitur Aurelius iudicio, qui opportuniore loco & iuſtiore propoſito refert Epiſtolam; doctrina Franciſcus, qui enucleatiùs illam examinat: neuter autem veritatem omnino aſſequitur, dum Religioſi ſtatus deprimendi occaſionem à maximo Pontifice arripit.

Extra. de Renunciatione. C. Niſi cum pridē. Pet. Aurel. p. 547.

Hallier in vin. à pag. 617.

*Refellitur Petr. Aurelius.*

Suppetunt enim plura quibus ſatisfaciam. Sed in primis lubet Petrum Aurelium priuatim ex hoc loco conuenire. Nam ſi *conſcientia criminis, defectus ſcientiæ, irregularitas, ſcandalum*, iuſtam offerunt Epiſcopo cauſam miſſionis poſtulandæ, quandiu poſtulabit, donec eam impetret, & conceſſa vtatur, Epiſcopus perſeuerat; & ſi nunquam à Pontifice veniam illam precibus extorqueat, nunquam ſtatu priuatus cenſebitur. Vbi eſt igitur illa diſpoſitio, *formæ*

*quodammodo*

*quodammodo & anima ſtatus Epiſcopalis?* Vbi leges illæ quæ declarant Epiſcopum *hoc ipſo quod peccator eſt, ſtatum amittere, nec ampliùs in eo eſſe?* Maximè cum addit Pontifex *non cuiuſlibet criminis* conſcientiæ dandam eſſe ceſſionem, *ſed duntaxat illius, propter quod ipſius officij executio poſt peractam pœnitentiam impeditur.* Eſt igitur Innocentij III. ſenſu falſum vniuersè loquendo, vt ſcripſit Aurelius, Epiſcopum *hoc ipſo quòd peccator eſt, ſtatum amittere.*

*Reſpondetur obiectioni.*

Iam ad mentem Pontificis Reſpondeo. 1. Peruidendam eſſe illam in propoſita materia, & Claritano cui ſcribit Epiſcopo: non enim ſequitur eſſe ad omnes extendendum, quod vni conſideratis circumſtantijs omnibus præcipitur, aut ſuadetur. Dolebat enim virum tali dignum miniſterio, qui ſuam aliquandiu non ſine laude rexerat Eccleſiam, laborum & moleſtiarum, quæ plurimæ in eo incurrunt, pertæſum, animo concidere, & abiecta nimis puſillanimitate otium & quietem quantumlibet contemplatiuam in Monaſterio quærere, idque pertinaciùs, quàm hominem deceret ſanctitatis propriæ ſtudioſum: quippe qui diceret afflatu ſe diuino miſſionem habere, quam homines denegarent. Ingenio ſic comparato non debuit Pontifex inter cauſas honeſtæ & licitæ miſſionis, *annumerare voluntatem tranſeundi ad regularem vitam.* Cui cum accuratè tum veras, tum falſas cauſas ceſſionis enumerat, oſtenditque veris non contineri, non obſcurè indicat ab eo falſas obtendi, quibus extorqueret quod *importunè* flagitabat.

*Mens Pontificis explicata.*

*Non omnes cauſas enumerat.*

Reſpondeo 2. non omnes cauſas ſex illis enumeratis contineri. Nam eius precibus fatigatus Pontifex cedit, *ſi propter aliquam cauſam vtilem & honeſtam in propoſito perſeueret.* Quare cauſas illas diuidere licet, in neceſſarias, quæ ſunt ſenario numero comprehenſæ, & à Pontifice expoſitæ: & vtiles atque honeſtas, quæ plures eſſe poſſunt, ab eodem Innocentio ad capita duo relatæ in Concilio Lateranenſi, vt ante monebamus. Reſpondeo 3. dubitari non poſſe quin *voluntas tranſeundi ad regularem vitam*, vna ſit è cauſis vtilibus & honeſtis, quando Pontificibus alijs viſa eſt rationalis ad donandam ceſſionem, vt & pluribus Epiſcopis ad eam impetrandam. Nam ſi quis cum Petro Aurelio dixerit, excluſam eſſe illam à legitimo numero, vel Innocẽtium arguet nimiùm ſtricti & anguſti muneri, vel alios Pontifices nimiùm amplificati, & additæ ad alias nouæ rationis, contra ius & præſcriptos ab Eccleſia Canones.

*Res declaratur exemplo.*

*Aurel. pag 550.*

Id autem factum cum laude & gloria declarat vel vnum Virdunenſis Epiſcopi exemplum, in quo eleuando magnopere ſe torquet Aurelius, & Gregorij XV. facilitatem in ea conceſſione, reijcit in Principis perſonam, quaſi ob crimina ſua eo gradu deijci debuiſſet, è quo ſponte deuoluebatur. Quæ calumnia ne innocentiſſimi optimique viri memoriam commaculet, alia omnia certis mihi teſtibus cognita, non ſuperbiæ & gloriationi, ſed veritati & Apologiæ cogor hoc loco impendere: quæ ſi non Petrus Aurelius, Lector certè pius & beneuolus poſteritati traditum libenter accipiet. Carolum à Lotharingia, & eius annuculum Erricum principes viros, Virdunenſes Epiſcopos Societatem Ieſu appetijſſe, ſeculo noſtro ignotum eſſe non poteſt: hunc periculo ſuo non impetraſſe à Clemẽte VIII. cum is diceret, Eccleſiæ maiorem eſſe inopiam à ſanctis Epiſcopis, quàm à pijs Religioſis: illum Auunculi exemplo permouiſſe Gregorium XV. ad ſuæ velificandum voluntati. Quàm pulchrum Deo & Angelis fuiſſe putamus ſpectaculum, Errici adhuc adoleſcentis, Romam ad ponendas infulas, quò ad ambiendas alij concurrunt, proficiſcentis

*Erricus à Lotharingia Virdunenſis Epiſcopus.*

eum numeroſo comitatu, quem ipſe ſibi collegerat, ex ijs qui Religionis idem inſtitutum animo conceperant? Quàm admirabile hominibus, videre Principem in repulſa ſua confectum lacrymis, irarum natalibus ſuis, pene dicam & ſtatui, quòd ab ea excluderetur gratiâ, in quam domeſticos omnes gratulabatur admitti? Quæ mœſtitia ne anno quidem huius ſeculi primo ex eius animo erat obliterata, eum conſolatorias ad eum ſcriberet literas Bellarminus, iam tinctus purpura. Quod vitæ ſuperfuit, & humanæ imbecillitatis ſpeculum fuit, & eius deſiderij æquitatem, & Epiſcopalis dignitatis periculum monſtrauit: tandemque inter Religioſorum manus mortuus eſt, quibuſcum viuere ſemper optauerat. Carolus autem & exemplo cautior, & propoſito fortior, & ſucceſſu felicior, in ſuas virtutes omnium ora oculoſque defixit; de quibus ea tantùm ſtringo, quæ Religioſæ vocationis beneficium in tanto viro demonſtrant. Nam poſt vitam à prima pueritia innocentiſſimè actam, in Epiſcopatu ſanctiſſimè, hanc ei mentem Spiritus Sanctus iniecit, qua deinde dies noctéſque tanquam ſuauiſſima cogitatione moleſtias Epiſcopalis officij temperabat. Audita eſt eius vox à familiari: Si ad ineundam Societatem neceſſaria eſſet ad Indos & Braſilos nauigatio, ſi nudis pedibus & mendicatò incedendum, iturum ſe enimuerò, & tantum bonum omnibus laboribus redempturum. Miſit & aliquando Kal. Ian. Virdunenſes Patres ſalutatum hac oratione, tanti ſibi eſſe illorum filium & fratrem viuere, vt hac conditione cœlum conſequi mallet, quàm vniuerſi orbis imperio, licet idem ſibi gloriæ gradus à Deo promitteretur. O animum verè Principem! Iam verò Religioſus quotidie à ſomno, formata ſtatim cruce, tunicam oſculabatur: ipſaque illi eius habitus vilitas, & Ordinis contemptio ingens erat ad eius amorem ſtimulus.

*Fuligati in vita Bellar. c.17.*

*Carolus à Lotharingia Virdunenſis Epiſcopus.*

*Eius illuſtre dictum.*

Extat adhuc ab eo Burdigalæ tum agére ad vnum è Patribus Epiſtola, in qua hæc leguntur, aureis literis deſcribenda. *Quò maiore in odio Societatem noſtram apud homines video, teneriore affectu & obſeruantia illam deoſculor. Atque vbi exortam alicunde aduerſùm nos procellam audio, S. Ignatio ſtatim promitto, eius me ingreſſurum Societatem, ſi adhuc ab ea viuerem ſeparatus. Quanta enim miſero mihi gloria eſt, inter tam pios Dei famulos nonnihil pro eo pati?* Quæ verba dulciora ſuper mel & fauum, Aurelianam perſecutionem incredibili ſapore condiunt, noſque magis ac magis impellunt, improperium crucis Chriſti maiores diuitias æſtimare theſauro Ægyptiorum. Atque hic ſenſus noſtrum non magis ordinem extollit, quàm alios; cum cæteri ſuum iure optimo ſinguli, cum hic quoque ſi vocatus aliò foret, alium æquali honore proſecutus eſſet, & ſolita calumnia ſcribat Aurelius, *ab vnius humilitate Ieſuitas omnes ſuperbiendi materiam corripere.*

*Dignitas Religioſi ſtatus ex eo capite.*

Hæc dum attentiùs conſidero, mirari ſatis non poſſum, homines tot inſtructos dotibus, tot ornatos virtutibus, quos nulla rhetorum eloquentia ſatis vnquam laudando expreſſerit, ex apice Chriſtianæ perfectionis deſcendere, voto eximiæ caritatis, cui par nullum in Religione, nullum ſecundum eſt, abſolui; tam graues, tam infinitas bene agendi, Deumque ipſum omni operum ſublimitate imitandi occaſiones relinquere velle, vt in habitus Religioſi ſordibus iaceant, vt in regularis domus tenebris deliteſcant, vt ab Hierarchia exturbati, Antiregularium petulantia & pedibus proterantur: abijcere ad pedes Prælati regularis, caput illud Hierarchicis infulis decoratum; demittere

demittere ad humillima quæque officiorum manus pedo paſtorali nuper illuſtres; ſublimem, ac ne Angelis quidem, ſi fides aduerſarijs, conceſſum Paſtoris titulum, in ouiculæ ſimplicis, & priuatæ nomen commutare. Et hoc viros grauiſſimos votis omnibus ambire, hoc vltimis precibus rogare & in ſummi beneficij loco ponere. Pontificem autem in illa ſapientiæ arce ſedentem cum Senatoribus & conſulibus terræ, talem cauſam æqua iudicij lance librantem, publici quàm priuati boni ſtudioſiorem, ſtatuum omnium, perfectioniſque arbitrum, diuinæ voluntatis interpretem, ſtatuere tandem vt liceat vitam priuatam in Religione, Hierarchico in Eccleſia gradui; ſtatum acquirendæ perfectionis, exercendæ ſtatui; vota Religionis eſſentialia, voto ſtatus Epiſcopalis; verbo vno Religionem Epiſcopatui præferre: illudque decretum à Deo probari, laudari ab Eccleſia gentium omnium linguis, mandari ſcriptis ad memoriam poſteritatis ſempiternam. Omnes & omnia & ipſam Eccleſiam falli oportet, ſi melius in Religione, quàm in Epiſcopatu nihil eſt. Itaque cum omnia facundiæ cuiuſlibet vela fuerint expanſa, cum linguis hominum & Angelorum ſtatus Epiſcopalis pene ſupra quicquid in cœlo & terra humanum eſt, iure fuerit elatus, hoc tantùm ſubijciam, Atqui ab illo venitur ad clauſtrum.

---

## *TOTIVS OPERIS PER ANACEPHALÆOSIM collecta concluſio.*

## CAPVT XXIIII.

DVM progredior in opere Hierarchico, ad Hierarchicorum operum finem ſponte deuenio, illam quam diu quærimus *ædificationem corporis Chriſti connexi per omnem iuncturam*, Hierarchis, Clericis, Religioſis *in menſuram vniuſcuiuſque membri, ad conſummationem ſanctorum* feliciter *coagmentatam*. Siquidem Hierarchiam exponendo, vel in Hierarcha tanquam in capite morati ſumus, vel ab eo ad inferiora membra profecti, eum in illis ſemper inuenimus agentem, mouentem, influentem, vt poëticum illud animo non profano præfigere licuerit, *Ab Ioue principium, Muſæ, Iouis omnia plena.* Sic in numeris neque vnitas ab ipſis, neque ipſi ab vnitate ſeparari poſſunt: quid eſt enim numerus niſi repetita vnitas? Quid Hierarchia niſi Hierarchæ actio cum ſcientia ordinem faciens per ſe aut aliorum interuentu? Numerum omnem parit vnitas, actionem omnem ſacram Hierarcha. Quamobrem ſponſæ verbis meo ſenſu expoſitis gloriari ſic poſſe videor, vt auguſtiſſima Trinitas, omnium Hierarchiarum cauſa & origo, & Spiritus Sanctus prima in creatas Hierarchias effuſio, *Ordinarit in me caritatem*, ad vnum principium reuocatam. *Finis Hierarchiæ in hoc tractatu repertus.*

Specta rem totam velut in breui tabula. Rudis linearum ductus, Libro Primo principia dedit è definitione, & diuiſione, cum Hierarchici officij partibus tribus, actionibus plurimis. Sumpta Libro Secundo è cœleſtibus ordinibus idea, ſecundùm quam terreſtris & Eccleſiaſtica deformaretur: hic certè ad vnitatem in Trinitate reuocata omnia. Terreſtrem igitur Hierarchiam, de qua certamen, pingere aggreſſus Tertius, tres in vna imagine di- *Epitome & ordo operis vniuerſi.*

ſtinxit ordines. Quorum omnium notiſſimum Quartus explicuit, Gradum Iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, in ſuas partes diſtributum, ſub vno principe Epiſcoporum Epiſcopo Pontifice Romano : & ad eos per eiuſdem Pontificis priuilegia, & inferiorum Hierarcharum commiſſionem, Religioſos velut auxiliares copias Quintus adiunxit. Medium ordinem ſuſcepit Sextus, ipſum Ordinem ſacrum in altaris miniſterio proximè vel remotè occupatum, ſub eo quem S. Dionyſius deſcribit, Hieratcha : à quo excludi non poſſe Regulares vt Clericos, Septimus declarauit. In ſupremo ſtatu Chariſmatibus referto, quorum fons eſt charactet Epiſcopalis, exſpatiarus Octauus; conſortes Chariſmatum eſſe ſuo in ſtatu Religioſos, demonſtrari voluit in Nono : quæ omnia *operatur vnus atque idem ſpiritus* caritatis, & ipſa Caritas, *diuidens ſingulis proüt vult.* Cum igitur & ab vno Hieratcha omnia, & ad vnum Hietarcham omnia, & per vnum in vno Deo omnia, quid obſtrepunt aduerſarij vt filios à parentibus ſeiungant, vt principes in ſubditos exſtimulent ? Videbit hic vt ſpero Lector ſtudio partium vacuus, vel Religioſos cum Hierarchis eſſe coniunctos, vel non eſſe Religioſos : agnoſcet Eccleſiaſticæ pacis & Hieratchicæ dignitatis violatores eſſe, qui Hierarchicos homines in Eccleſia à Religioſis ſeparant; cum & hi ſint Hierarchici, & illi Religioſi, & omnes vnum in Chriſto.

Admonitio ad Lectores. Ad eam vnitatem contendiſſe me profiteor quàm potui efficaciſſimè, & extra amfractus, quàm breuiſſimè, & citra offenſam, quàm benigniſſimè. Via recta ad caritatem, caritas eſt: via regia ad Hierarchiæ finem, animorum doctrinæque conſenſio. Pauci qui ponebant obices, diſputando repulſi, cum
Galat. c. 5 grauius aliquid optaret Apoſtolus, *Utinam & abſcindantur qui vos conturbant.* In his *multa quæſita potiùs, quàm inuenta* nonnullis videbuntur, vt de quibuſdam ſuis loquitur S. Auguſtinus: erunt qui lapſus deptehendant, vt in homine: quibus obſcurior nonnunquam appareat oratio, vt in parum erudito. *Quiſquis*
Augu. l. 1. de Trinit. c. 3. *ergo cum legit, dicit, hoc non benè dictum eſt, quoniam non intelligo; locutionem meam reprehendit, non fidem : & forte verè potuit dici planius : verumtamen nullus hominum ita locutus eſt, vt in omnibus ab omnibus intelligeretur. Qui verò hæc legens dicit, intelligo quidem quid dictum ſit, ſed non verè dictum eſt: aſſerat ſi placet ſententiam ſuam, & redarguat meam ſi poteſt: nec pudebit ſicubi erro, diſcere. Quod ſi cum caritate & veritate fecerit, mihique etiam cognoſcendum facere curauerit* (*cum caritate* inquam, abſque contumelia, *cum veritate* procul à calumnia) *vberrimum fructum huius laboris mei cepero.* Denique *quiſquis hæc legit, vbi pariter certus eſt, pergat mecum : vbi pariter hæſitat, quærat mecum : vbi errorem ſuum cognoſcit, redeat ad me : vbi meum, reuocet*
Pſal. 104. *me. Ita ingrediamur ſimul caritatis viam, tendentes ad eum de quo dictum eſt, Quærite faciem eius ſemper.* Votum hoc noſtrum eſt, ſanctiſſima Hierarchiæ omnis origo Trinitas, vt ad te per Hierarchas tuos perfecti perueniamus : tum *ceſſabunt*
Augu. l. 15. de Trinit. c. 28. *multa iſta quæ dicimus, & manebis vnus omnia in omnibus, & ſine fine dicemus vnum, laudantes te in vnum, & in te facti etiam nos vnum Domine Deus, Deus Trinitas, quæcunque dixi in his libris de tuo, agnoſcant & tui : ſi qua de meo, & tu ignoſce, & tui. Amen.*

FINIS.

tra, certè præter legiſlatoris animum fieri. Neque admodum diuerſa mihi vi- *S. Bernardi de Arnoldo Abbate querela.*
detur diligentiùs perueſtigâti, querela S. Bernardi, de Arnoldo Abbate Mori-
mundi, qui cum electis ſuorum peregrinationẽ, relicto Monaſterio aggredie-
batur. Illam enim peregrinationem à tanto viro, quem *magnam Ordinis colum-*
*nam*, appellat aduerſarius, qui *non ruere ſe reſpondet, ſed ſcire quod facit, bonam ha-* Bern. ep. 4.
*bere conſcientiam*, prætextu pietatis ſuſceptam eſſe oportuit: ſed & votiuæ ſtabi-
litati contrariam, & promiſſæ ſuperioribus obedientię repugnantẽ. Talis cer-
tè non foret ſimplex & nuda ſummi Pontificis permiſſu expetita peregrina-
tio, præſertim ſi Ordinis Ciſtertienſis propoſitum & habitum non mutaret.
Atqui Henricum laudat vnum ex Arnoldi Monachis, quod *citò reſipiſcens ab* Idem ep. 7.
*errore, & reuerſus ex itinere, inter fratres in propoſito & ordine ſuo, ſine querela conuer-*
*ſetur*. Cæteri ergo Abbatem ſecuti, propoſitum & ordinem ſuum deſeruerant.
Et inferiùs ſe probat Ciſtertio digreſſum, ſtabilitatis votum non præuaricari,
ex eo quòd *etſi corpus abſentauit obedientia* (à Ciſtertienſi Monaſterio) *ſed ſpiritum*
*ſemper ibidem præſentem tenet concors deuotio, & in illo diſſimilis conuerſatio.* Aſſu-
mebat igitur Arnoldus *diſſimilem conuerſationem*, non tamen in alia congrega-
tione, purà apud Cluniacenſes, vt Robertus ille, de quo prima Epiſtola ſcri-
ptum legimus. Quare vitam ſuſpicor ab eo tentatam Anachoreticæ ſimilem,
in qua *facturum ſe dignos fructus pœnitentiæ conſideret, ſoli animæ ſuæ conſuleret, ſoli*
*deinceps ſibi viueret*. Quæ quoniam pugnat cum Cœnobialis regulæ ſtabilitate,
& ignaro, ſi non etiam inuito Ciſtertienſi Abbate, decepta nobilium aliquot
Monachorum ſimplicitate, temerè inibatur, eam iure optimo S. Bernardus
damnat, & omni ope impedire conatur.

His de mediæ ætatis eremo breuiter, occaſione Benedictinæ Regulæ con- *Vnicus*
ſideratis, ad Cœnobialem vitam accedo, in qua vt Prælatos ante omnia ſpe- *Abbas in*
culer, S. Baſilium audio communem vitam & ordinem ad humani corporis *Monaſterio.*
ſimilitudinem dirigentem: *vt videlicet alius ſit qui oculi locum obtineat, cui ſcili-* Baſil. Reg.
*cet regendæ totius ſocietatis delata procuratio ſit, quique & quæ iam facta ſint, aut pro-* fuſ. reſ. 24.
*bet, aut improbet, & quæ facienda ante prouideat, diligenterque conſideret. Alius*
*item qui aurium ac manus, in ijs audiendis tractandiſque, quæ audiri ac tractari conue-*
*niat. Quæ in re ſinguli ex ordine ſingulorum inter ſe membrorum ſimilitudinem attin-*
*gant*. Ab illis igitur oculis exordium ducendo, vnum ſolummodo in ſingulis
Monaſterijs vult eſſe Antiſtitem, neque plures permitti, qui cæteros regere
poſſint, vt diſcordiarum & ambitionis cauſæ amputentur. Sed ſi qui præte-
rea reperti tales fuerint, Antiſtitis abſentis aut occupati vices gerant: *vt & qui* Ibid. reſp. 35.
*remanſerint vnius conſilio gubernentur, neque abſente magiſtro ad formam quandam po-* Ibid. reſp.
*pularis ſtatus familia traducatur, atque eo modo regulæ & traditæ diſciplinæ ſeueri-* 45.
*tas imminuatur.* Eodem modo S. Benedictus penes Abbatem, totius Mona- Bene. Reg.
ſterij curam & adminiſtrationem, & ſupemam in Monachos poteſtatem c. 65.
vult eſſe. Præpoſitos autem ſub ea collocat, qui ne maligno ſuperbiæ ſpiri-
tu afflati, exiſtiment ſe ſecundos Abbates eſſe, eos ab Abbate ipſo eligi, &
ab eius nutu arbitrioque pendere imperat: ſignificatque, malle ſe Mona-
ſterium in Decanias diuidi, illiſque ab Abbate item nominatos Decanos
præfici, *vt dum ordinatio Monaſterij pluribus committitur, vnus non ſuperbiat.*
Extat & Concilij Cabilonenſis canon ſub Clodouæo II. vt duo Abbates Concil.
in vno Monaſterio eſſe non debeant: ne ſub obtentu poteſtatis, ſimultas Cabilon. can. 12.

# INDEX RERVM MEMORABILIVM QVÆ HOC opere continentur.

## A.


Aaron terram promiſſam non eſt ingreſſus. 116
Aaronis veſtis. 729
Aaron primus Sacerdos & eius poſteri. 98
Abaëlardus in ſchola docet. 293
Abbas Chriſti perſonam gerit. 280. abſurdum eſt quærere an Abbatem Chriſtus habuerit. 241
Abbas nomen venerationis. 261. eſt Patriarcha. 343. princeps Monaſterij. 267 ſedet in Concilijs. 344. ſubſcribit poſt Epiſcopos. ibid.
Abbas idem & Epiſcopus. 152. multi Abbates lectores creant. 596
Abbas Monaſterij S. Columbani ſupra Epiſcopos. 252.253
Abbas idem qui Preſbyter Monaſterij. 247. Non eſt ſubditus Oſtiario. 596
Abbatis libera electio. 385.388. Clerici non debent fieri Abbates. 386. vnicus eſt in Monaſterio. 279.295.296
Abbatis iuramentum in electione. 345
Abbatis autoritas in ſubditos. 261.270. 280. ne ſeruiat in Monachos. 243. eius poteſtas in Monaſterijs exemptis. 362.
Abbas multis parœcijs prouidet. 383.389
Abbas in caſtris. 273
Abbatiſſarum benedictio. 460. aliquarum inſolentia. ibid.
Abram vnde dictus Abraham. 741
Abrahami migratio Charram. 97
Abrahamus ante legem iuſtificatus. 116
Abrahamus obedientiæ columna. 288
Abſciſſionis ferrum in religione. 290
Abſentium commemoratio in Monaſt. 291
Abuſu non tollitur priuilegium. 372
Academiæ Iudaicæ doctores. 702
Academiæ Pariſienſis priuilegia. 357. origo & encomium. 703
Acephali hæretici. 646
Acolytorum ordo. 471
Acroaſis Catechumenorum. 431
Actio Hierarchica quæ? 8.20.370. quotuplex. 21.693
Actio Hierarchica immanens. 426.697
Actio contemplatiuorum. 695. contemplationi ſubſeruitur. 745. Non omnis actio Hierarchica eſt in inferiorem. 24. 45.148.682. quod videtur in infimo Angelo. 71. & in mẽbris corporis. 681
Actiones Hierarchicæ in Hierarchia Ordinis. 425.441. Non communicantur Preſbyteris. 460.688
Actiones Hierarchicæ in Hierarchia Chariſmatum. 741
Actio phyſica Hierarchica Angelorum. 79.80. Moralis. 82.83. ſit-ne ordinis naturalis. 87.88
Actionis perfectio. 746
Actionum ſacrificium. 759
Actiones quatuor circa cõcupiſcentiã. 121
Actiua vita Eccleſiam Hierarchizat. 745
Actiua vita ſeruit contemplatiuæ. 694
Actus Hierarchici tres. 16.136
Adamus futurus Hierarcha. 32
Adam Monachus. 902
Adeodatus filius Auguſtini. 301
Admiratio. 16
Adoleſcentis ad cõſilia vocatio per Chriſtum. 668.887.897.911.916
Adrianus Abbas in Anglia vir doctus. 292
Aduerſarij Religioſorum quales. 573
Ægyptij Sacerdotes circumciſi. 118
Ægyptiorum Monachorum eleemoſynæ. 294. multitudo & ſanctitas. 767
Aërius Hierarchiam confudit. 216. eius ſecta furioſa. 219
Agapeti virgines. 454
Agapetus Anthimum ſede pellit. 186
Agathonis Papæ ſæculum nõ peritũ. 178
Aidanus Abbas & Epiſcop. in Anglia. 252

Albaſpinæus Aurelianenſis Epiſc. 478
S. Albertus Carmelita. 299. 321.
Albigenſes hæretici. 647
Alcaotaræ equites an ſint Religioſi. 885
Alexandrinæ Eccleſiæ conſuetudo. 470
Alexandrina ſchola. 542. 702
Alexandrinæ ſedis priuilegia. 355
Alipius nudis pedibus incedit. 302
Almaricus hæreticus. 647
Altare. 466. à ſolo Epiſcopo conſecratur. 449.
Ambo ſiue apſis in templo. 432. cui vſui. 433.
Ambroſij non eſt commentarius in Epiſtolas Pauli. 690
Ambroſius Calepinus Auguſtinianus. 313
Amor ſui rectus. 46
Amoris Seraphici dotes. 742
Amor ſemper mobilis, calidus, &c. 743
Amor ſummus. 750
Amor incomparabilis, incontaminabilis, &c. 758
Amoris inſania. 760
Anachoretæ qui? 257. non omnes ſunt in ſtatu Religioſo. 258
Anachoretæ pauci in Occidente. 270
Anachoretæ agunt in Hierarchia. 763
Anacletus pſeudo Papa. 632
Ananiæ & Sapphiræ peccatum. 829
Anaſtaſius Hieroſolymit. Patriarcha. 659
Aocherius Francus Auguſtinianus. 311
Ἀνέγκλητος. 946
Angelorum encomia. 92
Angeli ſunt libri intellectuales. 77. ſpecula ſpiritualia. 23
Angeli quomodo Deum cognoſcant. 17. & ament. 38. quo ordine decreta Dei cognoſcant. 55
Angeli ſunt liberi & ligati. 803
Angelorum tres Hierarchiæ & ordines. 52. nouem ordines Angelorum. 158
Angelicarum Hierarchiarum diſpoſitio. 54. ordo Angelorum. 60. collocatio ſub ſanctiſſima Trinitate. 59. 61
Angeli circa Ieſum ſtantes. 48. 59. 89. Chriſto miniſtrarunt. 69. gratia per Chriſtum donati. 105
Angeli in quo ſtatu habeãt Hierarchiã. 51
Angeli omnes agunt in Hierarchia. 22. Deum laudant. 72. 73
Angelus vltimus nullum inferiorem illuminat. 25
Angeli quomodo hierarchizentur. 74
Angelorũ puritas & purgatio. 18. 19. 74
Angelorum primæ Hierarchiæ diſpoſitio. 57. immediate illuminantur à Deo. ibi. Nomina eorũ quẽ habeant reſpectũ. 63
Angelorum prima Hierarchia Thronica eſt. 56. Item Seraphica. 64
Angeli ſunt primogeniti hominum. 145. doctores hominum. 91
Angeli omnes mittuntur, 70. cum bobus comparati. 91
Angeli ſunt in Hierarchia ſuperiores miniſtri. 80. non inferiores Epiſc. 87. 88
Angeli habent Epiſc. appellationem. 86. cum Epiſcopis concurrunt. 88. 89
Angeli an poſſint dici paſtores. 89
Angelorũ miniſteriũ in ſacrificio. 83 ſunt cauſæ inſtrumẽtales Sacramentorũ, 87 operantur ad illuminationem. 92
Angelus purgans Iſaiam. 15. 85
Angeli quomodo noſtras orationes deferant. 82
Sine Angelo non poteſt homo beatitudinem conſequi. 34
Angelorum contentio in Daniele explicata. 75
S. Angelus Carmelita Martyr. 699
Anglicanus Clerus coniunctus cum Monachis. 251
Anglos Martyres laudat Vrbanus Papa. 518.
S. Anſelmus Monachus. 836
Antichriſti prædicatores. 132
Antidorum apud Græcos. 478. an datum ſolùm non communicantibus. ibid.
Antiochena ſedes à Romana dirigitur. 186.
Antiphonæ à quoad Miſſam additæ. 544
Antiquitatem reuocare velle abſurdum eſt. 240. & periculoſum in Eccleſia. 827
S. Antonius hæreticorum hoſtis. 644. habuit donum fidei. 669
Apoſtolis ſimillimus. 767
Apoſtaſia dicitur defectus à Religioſa profeſſione. 271. 495. 882
Apoſtatarum pœna. 868
Apoſtolatus conſideratio. 190. eſt donum gratiæ Dei. 668
Apoſtolia quæ ſint. 356
Apoſtoli omnes pares in Apoſtolatu, 438
Apoſtoli ſunt primi in Hierarchia. 672. aucti gratijs. 676
Apoſtoli Angelos aliqua docuerunt. 37. 78. non tamen illos Hierarchizarũt. 37
Apoſtoli vota emiſerunt. 327. primi Clericorum Religionem exercuerunt. 243
Apoſtolica paupertas quæ. 848
Apoſtolici fideles an fuerint Religioſi. 883.
Ἀπαρχή. 866
Appetitus hominis triplex. 180
Appetitus ſenſitiuus caret libertate. 181

Appetitus

Appetitus boni, gradus contemplationis. 748.
Approbatio Religionum olim ab Epiſcopis. 315. à ſummo Pontifice. ibid.
Approbatio quid ſit & quomodo à iuriſdictione differat. 398
Approbatio olim non fuit. 398. non eſt neceſſaria pro Religioſis audiendis. 403
Approbatio ſemel cóceſſa, vbiq; valet. 401
Approbatio an debeat reſtringi digno. 403
Approbatio de ſe perpetua eſt. 402
Approbatione indebitè recuſata, an poſſint audiri Confeſſiones. 400
Apſis in templo. 432
Archicapellanus palatinus in Gallia. 203. ſuperior Clericorum aulicorum. 359
Archicapellanus præſedit ſynodis regiis. 203 exemptus à reſidentia. 359
Archidiaconus in Eccleſia & palatio CP. 360.
Archidiaconus quomodo reconciliet pœnitentes. 526
Archidiaconi quidam imperiti. 526
Archimandritæ Orientales. 343
Area ante templum. 431
Arelatenſis Eccleſiæ priuilegia: 355
Ariſtotelis dæmon è cœlo veneris. 430
Ariſtotelis doctrina non remotiſſima à Chriſtianis. ibid.
Ariſtoteles non eſt autor ſententiæ de vnitate intellectus humani. 731
Arius fuit Parochus. 304
Armétarius in Epiſcopatũ intruſus. 484
Arnobius Rhetor. 533
Arnoldus Abbas Morimundéſis. 279. 902
Atrienſis ſerui officium. 694
Atrium templi. 431
Attritio. 423
Autorem ſequi oportet in profeſſione ſcientiæ. 727
Autores varij de iiſdẽ rebus ſcripſerũt. 715
Autoritas quid & quotuplex. 139. eſt ſine imperio in ſubditis. 771
Autoritas Eccleſiaſtica pendet ab Epiſcopo. 139
Audientes vbi poſiti in templo. 532
Auditio. 499. 531
S. Audoenus Monaſteriorũ fundatur. 274
S. Auguſtini vita diuiditur. 301
S. Auguſtinus poſt Baptiſmum tantum rediit in Africam. 301
S. Auguſtinus an fuerit Monachus. 300. 656. vbi vixerit Monachus. 303
S. Auguſt. Monaſteriũ habuit duplex. 304
S. Auguſtinus regulam Monachis ſcripſit. 308. non ſolis fœminis. ibid. an tres regulas ſcripſerit. 312
S. Auguſt. reformator Clericorum. 246
S. Auguſtini regula cum eius ordine comparata. 314
S. Auguſtinus an fuerit Parochus. 304
S. Auguſtinus Presbyter concionatus coram Epiſcopo. 461
S. Auguſt. euectus ad Epiſcopatum. 310
S. Auguſtini reliquiæ in Monaſterio Ticinenſi. 306
S. Auguſtinus in quos ſcripſerit librum de opere Monachorum. 260. eius mens explicatur. 324. libri de ciuitate Dei. 541. liber de Catechiſandis rudibus. ib.
S. Auguſtinus Anglicanus vixit cum Clericis. 251
Auguſtiniani Eremitæ. 300. eorũ habitus. 310. ex illis plures Prælati. 312
Auguſtinianorũ Clericorum habitus. 311
Aulici Regis Galliæ exempti. 359
Aureola Doctorum. 951. Epiſcoporum, & Religioſorum. ibid.
Authentica imperia liberi arbitrij. 748
Axiomata. 274


B.


Baccalaureus qui ſubdoctor. 703
Balſaci de Petro Aurelio iudicium. Præfat.
Baptiſmales fontes in Monaſterio. 382. 389 Non in magnatum capellis. 429
Baptiſmus publicus & priuatus. 422. 424
Baptiſmus vino fieri non poteſt. 197
Baptiſmi Character & conſecratio. 146. 149. 424. 444.
Baptiſmi ritus explicati Catechumenis poſt Baptiſmum. 540. 541
Baptiſmus comparatur cum Confirmatione. 451
In Baptiſmo an fiant vota. 912. 913
Votum Baptiſmale comparatum cum Cœnobitico. 914
Baptiſterium in porticu templi. 431. Eo non ingreſſi Catechumeni. 533
Baptiſta Mantuanus. 299
Baptizatus magis peccat nõbaptizato. 913
Barnabas dux verbi. 668
Baronius Cardinalis. 255
Barſumas Archimandrita. 344
S. Baſilius Monachorum inſtitutor. 273. fuit Monachus. 656. iunxit vitam Cœnobiticam cum Eremitica. 276
Beati ſoli habẽt virtutẽ immobilem. 936
Beati an ſint de Hierarchia. 62
Beatitudines omnibus à Chriſto propoſitæ. 573. 574
Beda. 292
Beguardorum & Beguinarum error. 606

Bellarmini dictũ de ſua creatione in Cardinalem. 927. de ſententia Molinæ. 733. factum pro paupertate Religioſa. 925
Benedictio in Miſſa per Presbyteros. 545
S. Benedictus Ordinis fundator. 276. non fuit Sacerdos. 521
Benedictini Ordinis profeſſio tria vota cõplectitur. 898. regulæ præſtantia. 899
Benedictini Ordinis encomium. 275. penetrauit in Ægyptum. 275. reformationes plures. 275. 276
Benedictini Monachi nigri. 274. ſoli in Gallia Monachi. ibi. Ex eo Ordine Prælati 657. viri docti. 292
Benedictini excellunt in obſeruantijs regularibus. 327
Berengarius à Monachis confutatus. 647
S. Bernardus cur ſcripſerit librum de præcepto & diſpenſatione. 904
Berulæus Cardinalis. 255
Bibliothecæ copioſæ. 712
Bibliotheca Pariſienſis Eccleſiæ olim tennis. 712
Bona ſua cæteris modeſtè præferre licet. 754.
S. Bonauentura Religioſos defendit. 165. Eius libellus Quare Fratres Minores prædicent, &c. 349
Bonifacij quarti decretũ expenditur. 776
Bonifacius octauus votorum ſolennitatem non inſtituit. 877
S. Bonifacius Epiſcopus. 292
Bonitas Hierarchia. 661
Bononius Abbas. 275
Borbonij Cardinalis dictum ſapiens. 317

## C.

CAlatranæ equites an ſint Religioſi? 885.
Caluomontenſis Parochi priuilegiũ. 357
Cancelli in templo. 432
Candida matrona. 482
S. Candidi Parochia Rothomagenſis. 359
Canon. 470
Canonarcha quis? 470
Canones mutantur pro tempore. 266
Canonum obſeruantia. 708. viget in Religioſis Ordinibus. 630
Canonici vnde dicti. 244. 600
Canonici inſtituti ab Apoſtolis. 243. ad quid inſtituti? 426. 750
Canonici ſæculares & regulares. 253. origo eorum diſciplinæ à Monachis. 254. coniuncti virtutibus cum Monachis. 251. eorum mores. 254
Canonici prope templum in clauſtro. 251. 254.
Canonici fratres Epiſcopi. 207. quem locum obtineant in Hierarchia. 471. 751
Canonici Lateranẽſes. 253. renouati. 254
E Canonicis regularibus multi Præſules & Sancti. 256. 657
Canonicorum Carnotenſium priuilegium. 356
Canonicorum Cenomanenſium priuilegium. 356. 365
Canonicorum Pariſienſium priuilegium. 356. 366. Regij Sacelli Pariſienſis. 359
Canonicorum Pictauiẽſium priuilegium, 356.
Canonicorum Rauennatum priuilegium. 356. Remenſis Prouinciæ. 356. Rothomagenſium. ibid.
Canonici iuris ſcholæ duplices Pariſ. 708
Canoniſtarum laudes. 706. Thronis Angelis comparati. ibid. Excuſatio quòd aliquando peccent. 707
Cantores Canonici. 433. 469
Cantorum elogium. 471
Cantores iidem qui Pſalmiſtæ & Lectores. 469. ſabarij dicti. 471. an habeant Ordinem. 469
Cantus Romanus inuectus in Galliã. 440
Capitis poteſtas in Põtifice Romano. 185
Capitulum Senatus Epiſcopi. 177. ſine eius conſenſu nihil facit Epiſcopus. 206
Capituli conſenſus an conſilium requiratur? 207
Capitulo Epiſcopus non mandat, ſed rogat. 362
Capitulorum exemptiones variæ. 356
Cardinales vnde dicti. 187. eorum Tituli. ibid. Officium. 188
Cardinales cum Angelis comparati. 172. 187. cum Apoſtolis. ibid. ſuccedunt Diſcipulis. 331
Cardinales ſunt ab exordio Eccleſiæ. 187 ſunt in ſtatu perfectionis. 188
Cardinalium opera in Concilijs. 177. locus in Hierarchia. 189
Cardinales collum Eccleſiæ. 188
Cardinales impugnati à ſchiſmaticis. 216
Caritas quid ſit? 161. eius laudes, & effectus. 842
Caritas prima intelligitur cùm Deus extra ſe agit. 44
Caritas virtus generalis. 126. 842. continet vota omnia Religioſa. 779. an contineat omnes virtutes. 842
Caritas virtus ſpecialis. 842. non eſt tota perfectio. 786. eſt interior perfectio. 797. at non ſola. 792. 798
Caritatis actus & habitus. 842. 843
Caritatis ſtatus triplex. 910

Caritas ſamotiuum. 795. ſine eo non peccamus. 793. ſine eo mereri poſſumus. 124. 795.
Opus caritatis, ex caritate, in caritate. 125
Caritas finis Hierarchiæ. 740. Deo propior quam ſapientia. 15
Caritas propria ſtatus Epiſcopalis. 958
Caritati graue nihil eſt. 126
Caritas caritatis. 758
Caritatis venenum. 758
Caritatis ſodalitas. 473
Carmelitarum Ordinis inſtitutio. 298
Carmelitæ diſcalceati. 299. euangelizant Aſiis. ibid.
Carnotenſes Monachi conſulunt S. Bernardum. 904
Carolus Magnus an habuerit ius eligendi Pontificem Romanum. 227
Carolus Rex Cenomanenſis Eccleſiæ Canonicus. 365
Caroli octaui Regis factum. 358
Carolus a Lotharingia Epiſcopus Virdunenſis. 964
Carthuſienſium ordo. 262
Caſſianus defenditur. 648
Caſſinenſium Monachorum hiſtoria. 632
Caſtitas Religioſa. 287
Caſtitas perfectio Hierarchiæ. 757
Catiuum conſcientiæ ſtudium. 714
Catalonenſis Capituli cauſa contra Epiſcopum. 363
Catecheſeon ſchola Alexandriæ. 542
Ad Catecheſes non omnes admitti. 476
Catechiſmus quid? 538. eius commendatio & vſus. 542. 543
Catechiſmi materia. 540. plurium inuicem connexio. 539
Catechiſmus ſimplex ſermocinatio. 538. negatus Audientibus & Gentilibus. ibid. an fieri poſſit à fœminis. 544
Catechiſtæ qui olim? 541. 672. iidem qui & Euangeliſtæ. 672
Catechiſtæ fiunt ſine conſecratione. 472
Catechumenea. 430. in iis hoſpitari Epiſcopi. 431. & peregrini Clerici. 483
Catechumeni propriè dicti. 534. tres eorum ſpecies. 531
Catechumenorum honorificæ appellationes. 541. eorum aliqui cum Spiritu Sancto. 531
Catechumeni admitti ad Catechumenatum cum aliquo ritu. 533. diu in eo ſtatu eſſe potuerunt. 534
Catechumeni cruce ſignati. 533. 541. qualis eorum fides. 794
Catechumenus bonus melior malo fideli. 541. poteſt eſſe Monachus. 318
Catechumeni non participant eulogiis. 546. non fuerunt benedicti cum fidelibus. 545. cōparati cum fœtibus. 531
Catechumeni ad baptiſterium ne admittantur. 432. dimittuntur a Diaconis. 433. propriè non ſunt in Eccleſia. 149
Cum Catechumenis orare, quid? 482
Catechumeni arreptitij. 529
Ex Cathedra loqui tres infert conditiones. 198
Celerinus Lector. 433
Cellararius in Monaſterio. 281
Cellia quis locus. 263
Cenſere quid ſignificet? 878
Cenſus annuus ne detur Epiſcopis. 448
Centuriones in Monaſterio. 261
Ceſſione priuilegiū priuati perditur. 372
Character Ordinis quid efficiat. 424
Character Baptiſmi. 424
Character Epiſcopalis & Sacerdot. 444
Chariſmata ſunt Hierarc. fundamēta. 659
Chariſmatum diuiſio ex Apoſtolo. 666
Chariſmatum Hierarchiæ definitio. 663. in ea multi reponuntur. 757
Chartularij S. Sophiæ arrogantia. 218
Cherubim vniti Verbo. 64. cur oculati. ib.
Chorepiſcopi vnde dicti. 212: creati ad exemplum. 70. ſeniorum. 332
Chorepiſcopi an fuerint ordine Epiſcopi. 213. ſint-ne iidem cum Parochis. 215. 233. voluerūt pares eſſe Epiſcopis. 216
Chorepiſcoporum poteſtas. 214
Chorepiſcopi conferunt minores ordines 447. creati ex Religioſis. 284. 651
Chorepiſcopi exterminantur. 332
Chariſma conficit ſolus Epiſcopus. 447. malè à Græcis venditur. 448
Chriſmatis vſus ſimplici Sacerdoti conceditur. 448. 449
Chriſtiani omnes ſacrati, & Sacerdotes. 146. Chriſto ſimiles per characterē. ibi.
Chriſtianorum duo genera. 555. 558
Chriſtus ſupremus Hierarcha. 32. 58. Seraphinus eſt. 63
Chriſtus exemplar Hierarchiæ. 48. agit in cœlum & inferos. 39. in omnes ſubditos ſibi. 49. immediatè Angelos illuminat. 89
Chriſti humanitas. 81. oleum & vnguentum. 49. religio incommunicabilis. 151
Chriſtus caput Eccleſiæ gratiam influit. 146 680. Rex eſt. 330. Regi ſimilis. 676
Chriſto capiti debēt reſpōdere mēbra. 679
Chriſtus quomodo impleatur. 680
Chriſtus eſt omnia in Eccleſia. 671. Sacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech. 49. via, veritas, & vita. 135

Chriſti actio phyſica in Hierarchia. 81
Chriſtus auctor legis Euãgelicæ.131.cauſa principalis Sacrameotorum. 87
Chriſti actiones an fuerint omnino neceſſariæ. 830
Chriſtus mendicauit. 579
Chriſti humilitas etiam in cœlo. 46
Chriſti agonia explicatur. 806
Chriſtus potuit vota emittere. 809
S. Chryſoſtomus quo animo in Monachos fuerit. 322. Religioſorum laudator. 573. Inter Thronos in cœlo. 706
S. Chryſoſtomi factum cum Monachis Ægyptijs. 483
Cilicium pœnitentibus impoſitum. 500
Circa quis? 292
Circulus intellectualis. 749
Circumciſio. 117. data Iudæis in ſignum. 118. in Ægypto vſitata. ibid.
Circumciſiones Iudæorum duæ. 117
Ciſtertienſis ordo. 275. 292. columna Eccleſiæ. ibid.
Ciſtertienſe Monaſterium exempium 403
Ciſtertienſes exempti à decimis. 362
Claritano Epiſcopo negata ceſſio ab Epiſcopatu. 963
Claudius Segoenotus. V. Segnenotus.
Clauis prima & ſecunda. 700
Clementis VIII. conatus in cauſa Molinæ. 733
Clericalis vocatio eſt à Deo. 554
Clericales ordines duplicem finem habent. 604
In Clericali ordine omnes ſunt Clerici. ibid.
Clericatus, onus propter populum. 246. 264. Monachis vetitus. 268. 296
Clerici vnde dicti. 553
Clerici ſunt omnes deſtinati ad Dei cultum. 554. Sanctificantur ab Eccleſia. 421.
Clericorum ſpecies duæ. 599. res duas profitentur. 246
Clerici triplicis generis. 254
Clerici Regulares ſunt in Hierarchia. 600. poſſunt profiteri nondum Clerici. ibid.
Clericorum Religioſorum primi Apoſtoli. 243
Clerici veteres caſtitatem vouerunt. 865. & paupertatem ſub S. Auguſtino. 246. vixerunt in commune. 244. fuerunt primitus Religioſi. 244. 653
Clericorum mores & vita communis. 251.
A Clericis incœpit communitas. 244. diſciplina regularis tranſijt ad Monachos. Ibid.
Clerici S. Auguſtini. 246. 304. eorum habitus. 311. regula.. 246
Clerici Eccleſiaſtici ordinis. 429
Clerici ſeculares. 917. comparantur cum Religiosis in obligatione ad perfectionem. 919
Clericorum cum Religioſis affinitas. 558. 559. 652. 922. 930.
Clerici ſunt in ſtatu aequirendæ perfectionis. 930. obligantur ad parem cum Religioſis perfectionem. 918. multa habent ad eam impedimenta. 920
Clerici ſeculares ſunt in ſtatu ſeruitutis. 821.
Clericorum ſecularium paupertas laxior quam Religioſa. 919
Clericus dimidius quis dicatur à S. Auguſtino. 250
Clerici poſſunt tranſire ad Religionem. 590. 923. etiam repugnante Epiſcopo. ibid. Ineuntes Monaſterium non ſuſcipiunt eius curam. 926
Clerici ſeculares ne accedant ad Monaſteria. 264. ne fiant Abbates. 386. ne præſint Monaſterijs. 631. 926
Clerici exempti a decimis. 362
Clerici Palatij regij exempti. 359
Clerici inferiores ſeiuncti ab alijs. 251. aliqui coniugati. 468. puniuntur vt Laici. 598
Clerici peregrinati cum literis. 484
Clericorum pœnitentia qualis. 490
Clericorum pœua; peregrina communio. 484.
Clerici fornicarij pœna, 868. eius qui furtum fecerit in Eccleſiâ. 483. qui defuncti Epiſcopi bona diripuerit. ibid.
Clerus Eccleſiæ cum cœlo comparatur. 336.
Clerus ſecularis ſimplex non eſt in Hierarchia Iuriſdictionis. 346
Clerus Anglicanus coniunctus cum Monachis. 252
Clerum Romanum Cyprianus conſulit. 237.
Clerus Auguſtalis Conſtantinopolitanus. 360.
Clinici. 535
Cluniacenſis ordo. 275
Cluniacenſis Monaſterij exemptio. 368. 388. 389. 403.
Cluniacenſis Abbas. 383. eius inſignia & ornamenta. 406
Inter Cluniacenſes & Ciſtertienſes contentio. 406
Cœleſtinus tribus Patriarchis imperat. 186.

186. addidit Miſſæ antiphonas. 544
Cœlum triplex in contemplatione. 747
Cœnobitæ Monachi. 259
Cœnobitarum fortiſſimum genus. 277. 278.
Cogitatio quid? 746
Cognitionis Dei gradus diuerſi. 16
Cognitio arcanorum Dei in contemplatione. 749
Collecta Monachorum duplex. 268
S. Columbanus Britannos conuertit ad fidem. 252. eius regula & inſtitutum floret. 274
Comites Apoſtolorum. 207
Commendatitiæ literæ. 485
Commentarius in Epiſtolas Pauli, non eſt Ambroſij. 690
Commiſſionis in Hierarchia conditiones. 346.
Commonitorium Legatis Pontificijs datum. 196
Communio quid ſit? 479. 509. quo facta ordine. 477. 567. præcipuè dicitur de Euchariſtia. 480
Communio ſine oblatione. 480. 481. in precibus. 482
Communio plena. 481
Communio viatica. 512
Communio peregrina. 483. pœna Clericorum. 484
Communionem nec in fine accipere. 489.
Communio aliquibus negata, pœnitentia data. 511
Communitas bonorum in Monaſterio. 287.
Communitatis priuilegio non poteſt cedere priuatus. 372
Competentes. 531. vnde dicti. 535. quæ illorum ſtudia. ibid. quadraginta diebus comparati. ibid. exorcizati. 537. acceperunt ſymbolum & orationem Dominicam. 539
Competentium Paſcha. 539
Conciliorum locus in Secretario. 434
In Concilijs quomodo res inueſtigentur. 176.
Conciliorum generalium conſideratio. 194. eorum raritas optanda. 198
Concilia generalia ſimul à Papa, & Imperatoribus collecta. 195
Concilia generalia poſſunt concedere exemptiones. 361
Concilium generale Apoſtolorum. 194. quaſi Prouinciale. 199. quaſi diœceſanum. 205. in electione Diaconorum. 224.
Conciliorum Prouincialium auctoritas à Scriptura, & Concilijs Generalibus. 202. auctoritas à Papa 199. vt & approbatio. 204
Conciliorum Prouincialium egregia opera. 201. quid in ijs tractetur. ibid.
Concilia Prouincialia bis ſingulis annis celebranda. 199. 200.
Concilium Diœceſanum. 205. eius auctoritas à generalibus. 208. vtilitas. ibid. frequentia. 209
Concilia regia in Gallijs. 203
Concilium Sanhedrim apud Iudæos. 99
Concionatoris in auditores qualis iuriſdictio. 177
Concionatores mendicant appoſitè. 317
Conciones quomodo differant à catechiſmo? 538. 539. an differant materia? 540
Conciones audire permiſſum omnibus. 476.
Concordatum Leonis decimi & Franciſci primi. 373
Concupiſcentia lex mortis & peccati. 108. per legem augetur. 122
Confeſſio auricularis. 488
Confeſſio Catechumenorum. 536. comparata cum baptiſmate Ioannis. ibid.
Confeſſiones fidelium excipiunt Monachi. 395. id aliquando prohibitum. 412
Confeſſiones Paſchales Religioſis factæ approbatæ per Concilia. 414. quæ illis opponantur. 412
Confeſſoriæ literæ. 485
Confirmationis inſtitutio. 452. neceſſitas. 451. Character. 444
Confirmatio comparatur cum Baptiſmo. 451.
Confirmatio poteſt committi ſimplici Preſbytero. 377. 378. 449. 450
Congregatio Feigionaria 254. Carthuſianorum ibi. S. Genouefæ Pariſienſis. ibid. Patrum Oratorij. 255
Qui conſecrat non ſemper perficit. 565
Conſecratio Monachi. 569. 778. 866. in perpetuum. 822. Hierarchica eſt. 570. antiqua in Eccleſia. 768
Conſecratio virginum. 458
Conſeruatores Vniuerſitatis Pariſienſis. 357. Monaſterij S. Genouefæ. ibid.
Conſilia ſunt præceptis perfectiora. 782. non ſunt à præceptis ſeparanda. 784. non ſunt præcepta per inſpirationem diuinam 812. non plus obligant quàm præcepta. 818
Conſilia ſunt perfectionis inſtrumenta. 779. & partes. 779. 785

Conſilium conditionatum & abſolutum. 914.
In Conſilijs duo conſideranda. ibid.
Conſilia Deus inſpirat quæ non vult perfici. 813
In Conſilio ſpernendo quid gratiæ amittatur. 816. quid inſit aliquando periculi. ibid.
Conſulatus vacatio. 237
Conſummatio Sanctorum quid propriè. 678.
Contemplatio definitur. 746. quomodo differat à cogitatione, meditatione &c. ibid.
Contemplationis gradus ad Angelicas Hierarchias accommodati. 747
Contemplatio in caligine, quid. 749
Contemplatiuæ vitæ ſeruit actiua. 694
Contemplatiui oculis ſimiles 694. quomodo imperent & præcipiant. 696. 762.
Contemplatiui ſunt actuoſi. 694. actione immanenti. 694. 697
Contemplatiui agunt in Hierarchia. 752. 763. proſunt alijs. 764
Contemplatiui incidunt cum Monachis. 762.
Conuerſio propriè quid. 283
Conuerſa quæ? 283
Conuerſi ad Clericatum. 283. de Conuerſis fusè. ibid.
Conuerſorum origo in Monaſterijs. 271
Conuerſi Nutritos malè habuerunt. 284
Conuerſi Fratres in Cœnobijs. 284
Conuerſi qui corrogant Eleemoſynas cum Angelis comparantur in Hierarchia. 285
Cornelij Centurionis fides qualis. 794
Crudelitas in Religioſos. 166. non ſunt diuellendi ab Epiſcopis. Præfat.
Cudbertus Monachus. 384
Cultus diuini partes. 426
Cupiditas vitium generale. 126
Curatus non obligat totam vitam. 925. non habet principalem curam animarum. ibid.
Curati non ſunt in ſtatu perfectionis acquiſitæ. 931. ſed acquirendæ vt cæteri Clerici. ibid. V. Parochus.
S. Cyprianus doctor ſuauiſſimus. 738
S. Cypriani doctrina de Pœnitentium reconciliatione explicatur. 520
S. Cyrillus Alexandrinus an fuerit Carmelita. 299. 656
S. Cyrillus Ieroſolymitanus. 472

D.

DÆmones quales Magis apparenti 70.
Dæmoniacus cæcus & mutus ſanatus. 20.
Dalmatius Archimandrita. 344. 646
Daniel excellens Propheta. 670
Danielis viſio de Angelorum contentione explicata. 75
Dauid homo non de veteri teſtamento. 105. Templi Ieroſolymitani auctor. 415
Decani in Monaſterio. 261. 279
Decanus ſenior. 280
Decimæ præſtantur Epiſcopo. 362
A Decimis exempti Clerici & Religioſorum aliqui. 362
Defectus à Religioſo ordine Apoſtaſia eſt. 271. ſacrilegium. 290
Demophilus Monachus. 489. 504. 562
Depoſitio Clericorum ſine excommunicatione. 491. fuit perpetua. 492. grauior excommunicatione. 491
Deputati. 433. 436
Deſertores Religionis ne recipiantur hoſpitio. 290. aut iuuentur pecunia. 649.
Deſertores Religionis ſint ne ab ea alendi. 638
Deſertores Religionis ab ea non ſunt arcendi. 638. 640. in eam iterum admittantur. 290
Deus actus puriſſimus. 423
Deus quomodo ſit in Angelis. 70. dici poteſt Seraphinus. 63
Deus eſt principium illuminandi. 27
Deus quomodo concurrat cum cauſis ſecundis in Hierarchia. 423
Deus eſt velut Abbas Chriſti. 242
Diaconia quid. 294. vt ab Apoſtolo recenſetur. 674
Diaconi ſunt velut Angeli 80. 416. 462. oculi Epiſcopi. 208. 417. velut Architecti Eccleſiæ. 426. Speculatores. 428. gubernatores in Eccleſia. 674
Diaconi non ſunt Hierarchæ. 7. propriam auctoritatem non habent. 229. ſtant in Concilijs Prouincialibus. 200
Diaconorum inſtitutio. 667. quot in Eccleſijs ordinati. 463
Diaconi ſuccedunt Diſcipulis. 333. ſunt miniſtri Epiſcoporum. 416. Epiſcopum cuſtodiunt. 222
Diaconi miniſtrant Euchariſtiam. 419. concionantur. 462. ſunt Euangeliſtæ. 676. docent Catechiſmum. 543

Diaconi tradunt diſciplinam. 439. præſunt locorum diſpoſitioni in Eccleſia. 475.463. ſunt diſpenſatores pecuniæ Eccleſiaſticæ. 463
Diaconi an miniſtrarint menſis communibus. 463
Diaconus an ſit extraordinarius miniſter Baptiſmi. 464
Diaconi an Hierarchiæ ent tantùm extraneos ab Eccleſia. 488
Diaconi quomodo reconciliarint lapſos. 523. an reconcilient Pœnitentes. 523. 525.
Diaconi quid agant erga Catechumenos. 533. dimittunt Catechumenos è templo. 433.544. cantant Catechumenis Miſſam. 544
Diaconorum opera erga Energumenos. 528.
Diaconi aliqui perturbatores Hierarchiæ. 218. inſolentes aduersùs Presbyteros. 219.463.
Diaconicum in Templo. 435
Diaconiſſæ. 458. an conſecratæ. 459. quem in vſum. 464. cuſtodes portarum Templi. 474
Dialecticam fides Chriſtiana non timet. 730.
Diaocœa. 175
Didymus Grammaticus. 711
Difficultas operis an augeat meritum. 580.
Diocletianus diuiſit Imperium. 234
Diodorus Tharſenſis laudatus. 646.648
Diœceſana lex Epiſcopi. 363
S. Dionyſius libros ſuos vbi ſcripſerit. 2. 418 quam explicuerit Hierarchiam. 417.
S. Dionyſius dicta S. Hierothei exponit. 716.
S. Dionyſius explicatur in Hierarch. Eccl. 132.
S. Dionyſij librorum præcipuorum materia. 30. Epitome libri de Hierarchia Eccleſ. 137.418
S. Dionyſij Monaſterium. V. Monaſterium.
S. Dionyſius Papa ex Monacho. 655
Dioſcorus aduersùs S. Leonem. 216
Diptycha. 516. quinam in ijs nominati. 517. qua parte ſacrificij. ibid.
Diſcipulis multi in Eccleſia ſuccedunt. 331.
Diſcordia Clericorum à Monachis. 297
Diſcretio ſpirituum. 669
Diſpoſitiones trium generum. 945
Diuites comparati cum camelis. 855
Doctoratus gradus literarius. 703
Doctores creantur auctoritate Epiſcopi. 704.
Doctores lingua Eccleſiæ. 672. multum ipſi proſunt. 703
Doctorum opera in Concilijs. 177.178.
Doctores Theologici duplicis generis. 723.
Doctores puerorum Eccleſiaſtici. 677
Doctores aliqui ſunt ſine Magiſtratu Eccleſiaſtico. 677
Doctores Theologiæ non indigent approbatione. 399. non poſſunt examinari. ibid.
Doctores ſunt in Hierarchia. 703. non Ordinis aut Iuriſdictionis. 705
Doctores Pariſienſes laudati. 713
Doctores Pariſienſes Catechiſtæ. 542
Doctorum Aureola. 951
Dogma Antichriſtianum. 569
Domeſticus Cantorum. 470
Dominationes vnde dicantur. 67. Earum officium. ibid.
S. Dominicus Ordinis Prædic. Fundator. 297.
Dominium bonorum veteres Monachi retinuerunt. 289
Dona Spiritus S. conſiſtunt in recipiendo. 761
Donatus regulam S. Auguſtini vexit in Hiſpaniam. 307
Dracontius Epiſcopatum recuſat. 654
Duuallius laudatur. 171

## E.

Eccleſia & Hierarchia Eccleſiaſticā poſſunt incidere. 144.145
Eccleſia primitiuorum. 145
Eccleſiæ fundamentum in cœlo eſt 659
Eccleſiæ regimen quale. 236. incommunicabile Presbyteris. ibid.
Eccleſiæ ſtatus omnes tendunt ad perfectionem. 910
Eccleſiam inter & Religioſos ordines pactum eſt. 316.610
Eccleſiæ humano corpore comparatio. 671.
Eccleſiæ vnitas. 185.192
Eccleſiæ opes figuratæ in Iacob. 320
Eccleſiæ Gallicanæ immunitates. 358
Eccleſiam Mendicant. Religioſis conſtruere, quam Clericis ſecularibus magis eſt meritorium. 318
Electio Epiſcoporum canonica. 225. diuerſi eius modi 226. eſt à Deo. 443
Electi Catechumeni. 531

Eligi non ſemper debet perfectiſſimus. 947
Eleemoſynam Religioſis Mendic. libenter erogant ſeculares. 580, quod eſt valdè meritorium. 318
Eliæ ſedes in circumciſione. 85
Eliberitani Concilij auctoritas. 550
Elxai Oſſenorum inſtitutor. 861
Emmanuel Rodericus. 298.635
Energumenorum tres ſpecies. 526
Energumeni quales deſcripti à S. Dionyſio. 528
Energumeni ſunt irregulares. 529
Energumenis vbi conceſſa communio. 530.551. vbi negata. 529
Epicuri dictum laudabile. 851
Epiſcopalis profeſſio. 151. Characterem relinquit. 949
Epiſcopalis character. 424. collatus cum Sacerdotali. 443. cum Baptiſmi charactere. 444
Epiſcopale votum & eius dignitas. 948. in eo ſolus Papa diſpenſat. 949
Epiſcopalis ſtatus continet acquirendam perfectionem. 942. cum medijs ad illam. 943
Epiſcopalis ſtatus potiùs actionem dicit, quàm paſſionem. 944
Epiſcopalis ſtatus Religioſo perfectior. 944.
Ad Epiſcopalem ſtatum quæ ſit perfectiſſima diſpoſitio, quæ ſufficiens. 946. ſine illa poteſt aliquis validè conſecrari. 953.
Epiſcopalis profeſſio maior Religioſa 949. non dat neceſſariò primam gratiam. 950. ſed gratias gratuitas. 951. neque neceſſariò requirit perfectionem tanquam formam contra Aurelium. 953
Epiſcopalis ordo patres gignit. 446
Epiſcopales ſedes mutatæ in Archiepiſcopales. 355.356
Epiſcopatus bonum opus. 949. vt ſic non habet media ad reſurgendum à peccato. 954
Epiſcopatui eſſentiale eſt magiſterium. 336.
Epiſcopatus eſt Apoſtolatus. 701. plenum Sacerdotium. 700
Epiſcopatus an moriatur in Eccleſia. 237. an permaneat mortuo Epiſcopo. 238
Epiſcopus ſolus eſt Hierarcha. 6. eius Hierarchicæ actiones. 21.426
Epiſcopus eſt Chriſti imago. 49. maius aliquid efficit quàm Angelus. 86. minor Angelo in Hierarchia. 83.
Epiſcopi ſunt Apoſtolorum ſucceſſores. 191. 676. Apoſtolorum imitatores. 438. Papæ in Eccleſia regenda adiutores. 193.194
Epiſcopi ſunt principales artifices. 699. conferuntur cum principe politico. 683. cum capite. 945
Epiſcopi ſunt legati ad Deum & populum. 700. ſunt ſpecula. 25. omnes æquales ordine. 220.438
In Epiſcopo eſt plenitudo chariſmatum. 683.
Ab Epiſcopo omnis ſacra auctoritas eſt. 139.698. eius officium quintuplex. 700
Epiſcopus omnia agit in omnibus. 439. maiora tantùm per ſe. 699
Epiſcopi Catechiſtæ. 541
Epiſcopi Iuriſdictio de ſe vniuerſalis eſt. 192. mediatè à Deo. 192.228
Epiſcopi dignitas. 429. encomium. 190. prærogatiua ſupra Preſbyteros. 220. 444.461.
Epiſcopi ſedes in templo. 432. ſupra Preſbyteros. 445
Epiſcoporum poteſtas in ſuam Eccleſiam. 191. non ſunt in ea vicarij Papæ. 194. veteres à Papa confirmati. 193
Epiſcopi ſunt iure diuino Concilium generale Eccleſiæ. 194
Epiſcoporum opera in Concilijs. 177
Epiſcopi doctrina quæ? ibid.
Epiſcopo ſacra doctrina neceſſaria. 704
Epiſcopi auctoritate Doctores Theologi creantur. 704
Epiſcopus contemplationi maximè deditus. 700. non ſine actione. ibid.
Epiſcoporum aureola. 951
Epiſcopus ſine conſilio nihil decernit. 205. populum non obligat lege priuata ſine eius conſenſu. 208
Epiſcopus eſt proprius Sacerdos. 397. cum Parocho comparatus. 228.233
Epiſcopus non debet conſtitui in paruis vrbibus. 234
Epiſcopi aliqui exempti à Metropolitanis. 356
Epiſcopi honorandi. 362.416
Epiſcopo omnes obediant. 419.462
Sine Epiſcopo nihil fiat. 419. nihil ſine eius permiſſu. 461
Epiſcopus amari debet non timeri. 267
Epiſcopi ſoli conſecrant Virgines. 457. curam illarum gerunt. 458
Epiſcopus ſolus publicè reconciliat Pœnitentes. 446
Epiſcopi hoſpitalitas. 304.485.
Epiſcopis ſubiecti Clerici. 559

Epiſcopus Monachos perficit. 564. 565. 679.
Epiſcopus Monachorum ſuperior. 265. 267. 280. idque eſſentialiter. 348. etiã in Regularibus obſeruantijs. 351
Epiſcopi ſunt legiſlatores Religionum. 336. expreſsè vel tacitè approbarunt veteres Religiones. 890. quod non fit ampliùs. 315
Epiſcopi geſſerunt curam Monachorum. 348.
Epiſcoporum amor in Mendicantes Religioſos. 394
Epiſcoporum viſitationes oe ſint graues. 385. aliqui Monaſteria grauarunt. 367
Epiſcopi concedunt priuilegia & exemptiones. 362
Epiſcoporum conſenſus in exemptionibus Monaſteriorum. 368. 385
Epiſcopi facti ex Monachis propoſitum non deſerunt. 613. non regulares obſeruantias. 925
Epiſcopi plurimi ex Monachis in Occidente. 272. in Oriente, omnes. 275
Epiſcopi quidam Abbati ſubiecti. 252. 253.
Epiſcopus ex Monaſterio S. Dionyſij. 390. aliquo modo ſubditus Abbati. ibid.
Epiſcopus idem & Abbas. 252
In Epiſcopum ne conſecretur Abbas. 387.
Epiſcopi ad Religionem tranſitus. 590. 961. quibus de cauſis permittatur. 961 non ob ſugam laboris. 962
Epiſcopus eſt in ſtatu perfectionis acquiſitæ & acquirendæ. 931. non ſunt tamen omnes perfecti. 932
Epiſcopus non deponitur ex eo quod careat gratia habituali. 954
Epiſcopus non debet ſaluare alios vt ſe ſaluet. 959
Epiſcopi ſine Eccleſijs certis. 141. ſine titulo. 191. carentes plebe. 159. 231
Epiſcopi adoleſcentuli & ſeculares. 351
Ἐπαναςικός. 118
Ἐπιτάττειν. 181
Equites Alcantaræ, Calatrauæ, &c. an ſint Religioſi. 885
Eremitæ duplicis generis. 257. Græci. 276.
Eremitæ Monachi perfectiores Cœnobitis. 277. 278. eorum inſtituta. 278. pendent ab vno Priore. 278. non ſatis conformes regulæ S. Benedicti. ibid.
Eremitæ ſunt actuoſi in Hierarchia. 763
Eremitę Auguſtiniani. 300. cum ijs vniti omnes Eremitici Ordines. 308. aggregati Mendicantibus. ibid.
Eremi laudes. 763. abducit à vitijs. 921
Eremus Fontis Auellani. 278
Ericus à Lotharingia Epiſcopus Virdunenſis. 963. 964
Eſaü circumciſionis violator. 118
Eſſen rex apum. 863
Eſſen Rationale. ibid.
Eſſeni diuerſi ab Oſſeois. 860. vnde ſic dicti. 863
Eſſeni triplicis generis. 862. coniugati ſimiles primis Chriſtianis. ibid.
Eſſeni contemplatiui fuerunt Monachi Chriſtiani. 863. eorum vita & inſtituta. 864.
Ethelnoldus Decanus Monaſterij. 285
Euangelij canendi ritus. 433
Euangeliorum lectio opus Hierarchicum. 466. eſt quaſi oratio. ibid.
Euangeliorum liber in Concilijs. 176
Euangeliſtæ. 422. 676. 677. bobus comparati. 91
Euchariſtia propriè communio. 480. 500 dicitur & oblatio. 482
Euchariſtia immortalitatis medicamentum. 419. alimentum. 437
Euchariſtię efficacia. 451. quomodo ſit medium gratiarum. 437
Euchariſtia miſſa pro Eulogijs. 547
Euchariſtia mortuis data. 515. Energumenis. 530
S. Eucherius non fuit Monachus Lerinenſis. 775
Eucherius Abbas Lerinenſis. ibib.
Eulogiæ quæ ſint. 546. non ſunt datæ Catechumenis. ibid.
Eulogiarum apud antiquos quis vſus. 478.
Eunomiani confutati à Monachis. 646
Eundius eomes S. Auguſtini. 302
S. Euſebius Vercellenſis. 245
Euſtatius ſiue Eutactus & Eutactiani. 348. 616. cum ijs Monachos Hallier malè comparat. ibid.
Eutropius Eccleſię violator. 361
Eutyches Archimandrita. 646. contra Neſtorium in Concilio Epheſino. 344.
Examen Regularium fit à ſuperioribus. 400.
Exceſſus theorici in contẽplatione. 749
Excommunicati differunt à Pœnitentibus. 493
Excommunicati aliquando communicarunt. 524
Excommunicatio mucro Epiſcopi. 446. aliquando frequens. 525

Excommunicatio an fuerit in Pœnitentia. 493
Excommunicatio ſine pœnitentia. 496
Excommunicatio Clericorum ſiue depoſitione. 490
Excommunicationes diuerſæ. 496
Exemplum res eſt Hierarchica. 21. 427. 661. 741. non tendit ad inferiorem. 25
Exempli boni neceſſitas. 695
Exemplo ſubditos incendunt Seraphini. 64. 741.
Exemplo inuicem Hierarchizant Angeli. 73
Exemplo docent Prælati. 695. ipſi etiam inferiores. ibid.
Exemptio quid. 353. 361 quotuplex. 361. cur Monaſterijs conceſſa. 385
Exomologeſis quid. 489
Exorcizati Catechumeni. 534. quo ritu. 537.
Exorciſmus Catechumenorum non differt à ſcrutinio. 537
Exorciſmorum orationes quomodo terminatæ. 528. 538
Exorciſta. 425. 427. 471. ſiue Ephorciſta, & Eporciſta. 742. non ordinatur. 471. 679. imperat ſpiritibus. 528. & cum ijs luctatur. ibid.
Exorciſtæ ſunt varij. 528. ſunt in Eccleſia virtutes. 673
Expropriatio pro paupertate dicta. 844

F.

FAbarij qui. 471
Fabiolæ pœnitentia. 498
Faces geſtatæ à Catechumenis in exorciſmo. 537
Factitij ordines qui dicantur. 833
Falſitas in priuilegia non poteſt irrepere. 376. 377.
Fauſtus Abbas Lerinenſis. 597
Fauſtus Regienſis. 648
Feminæ etiam circumciſæ. 118
Feminæ vaſa infirmiora. 268. cum ijs quomodo agendum. 287
Feminæ poſſunt habere iuriſdictionem Eccleſiaſticam. 167
Feminæ an Catechizent. 544
Feminæ ſeparatæ à viris in templo. 432. porta peculiari templum ingreſſæ. 432. 474.
Feminæ prophetides. 681. Eſſenæ. 864.
Feminæ cum hæreticorum anteſignanis. 644.
Ferrum abſciſſionis in Religione. 290
Feruor amoris. 758
Fides an ſit intuitiua. 579
Fidei donum quale ſit. 669
Finis triplex in vniuerſo. 54
Finis donorum Spiritus Sancti. 678
Ex Fine conſideratur diſtinctio Hierarchiarum. 56. & ad eum diſponitur prima Angelorum Hierarchia. 66
Finis Religioſorum ordinum conſideratus. 316. 906
Finem Hierarchiæ ſequuntur Religiones. 314. 601. media ad illum finem. 316. ijs ſublatis tollitur finis. 618
Flagella è palma pendentia. 264
Flauiæ Domitillæ conſecratio. 876
Fletus Pœnitentiæ gradus. 497. V. Luctus.
Fontis Auellani eremus. 278
Formatæ literæ. 485
Formatas literas Choreþiſcopi dare potuerunt. 214
Formula literarum Epiſcoporum Gallican. 193
Fortitudinis donum & virtus. 701
Fortitudo amoris. 759
S. Franciſcus vir Seraphicus. 771. an fuerit Auguſtinianus. 313. non fuit Sacerdos. 611
S. Franciſci ſtigmatum impreſſio. 773
S. Franciſcus lingua Francorum Deum laudat. 315
S. Franciſci Teſtamentum. 314
S. Franciſci regula obligat in aliquibus ſub peccato. 908
Frãciſcus Hallier ſedulus Gratiani lector. 707. non legit libros qui citantur. 341. 450.
Franciſcus Hallier Pontificibus Romanis iniurius. 378. 408. 409. 410. dat conſilium Pontifici. 620. incurrit cenſuram Pontificiam. 634
Franc. Hallier ridet Anglos Martyres. 518 & Monachorum appellationem. 256
Franc. Hallier ſimulat caritatem in Religioſos. 95. illos ait eſſe ex fæce populi. 102. & non neceſſarios in Eccleſia. ibi. comparat cum hæreticis. 615. 616. 617 eorum fidem calumniatur. 642. ait hæreſes fouere. 644. mirè cõtemnit. 679
Franc. Hallier priuilegijs infenſus. 408. 632. nec recognoſcit priuilegia Regularium. 634. tollenda diſputat. 618. 619. 620. 623. 626. malè probat eſſe reuocata. 637
Franc. Hallier opus Vindiciarum. 716. & de ſacris Ordinat. Præfat.
Franc. Hallier paralogiſmi. 378. 349. 407. 632.

Franc.Hallier contradictiones. 556.602. 624 625.628.629.768.938.939.
Franc.Hallier retractatio.555.785.tacita. 215.loquitur inconſtanter. 684
Franc. Hallier male citat Tridentinum. 639.ſeptimam Synodum. 344. Theodoretum.648.Petrum Bleſenſem.367 407.Gerſonem. 932
Franc.Hallier malè explicat Paulũ Apoſt. 679. Acta Apoſtol. 689. Concilium Sardicenſe. 210. Synodum Romanam 595. Concil. Gangrenſe 348. S.Hieronymum.220.381.Euſebium.556. S. Dionyſium. 561. 570. S.Chryſoſtomum. 572. S.Bernardum. 405. Leonem Oſtienſem. 632
Franc.Hallier refellitur in definitione Hierarchiæ Eccleſiaſticæ.134.166. in forma regiminis Eccleſiaſtici.238.in Hierarchia Chariſmatum. 689
In eo quod Epiſcopi obediãt ſubditis. 919
In dignitate Parochorum. 233. in eorum ſucceſſione cum diſcipulis. 333. in ſucceſſione cum Choreoiſcopis.215. quod ſint Hierarchæ. 7
In Diaconorum auctoritate. 227. in voce Ordinationis a populo.226.in miniſtro cõfirmationis 450.in Clero ſecul. 246
In Eutacto & Eutactianis. 348.616
In ſucceſſione Religioſorũ cum diſcipulis. 337.Clericis Monaſteria regẽtibus. 630
In priuilegijs Regularium.620.624.638. Monaſteriorum. 369. notitia priuilegiorum.375.vſu eorundem. 406
In explicatione ſtatus propriæ perfectionis. 935. votorum merito tantùm extenſiuo. 781.& alibi.
Franc. Hallier contrarius Petro Aurelio. 244 209.
Franciſcus Onophrius Philoſophiæ profeſſor. 731
Franciſcus Saleſius Geneuenſis. 844
Franciſcus Toletus laudatur. 713
S.Franc.Xauerius,in Iaponia. 601
Frigionaria congregatio. 254
S.Fulgẽtius Epiſcopus & Monachus. 250. 613.cum Clericis & Monachis. 250
Fundamenta Religionum. 835
Fundamentum Eccleſiæ eſt in cœlo. 659

G.

GAbriel Vaſquez defenditur. 886
Gallia priuilegiorum ſuorum conſeruatrix. 354. non pendit tributum Romæ. 366
Galliæ merita in Eccleſiam. ibid.
Gallicanæ Eccleſiæ exemptiones. 358. immunitates.371.ingenua libertas.366
Gallicana Eccleſia RomanoPontifici ſemper coniuncta. 366. Romano officio nonnihil contulit. 440
Gallicani Epiſcopi erga ſedem Romanam pij. 193
Gelaſius Canonicos Regulares conſtituit in Italia. 253
Generis & ſpeciei conſideratio. 83
S.Genoueſa virgo velata. 457. rure vixit in paterna domo. 853
Gentilium virtutes imperfectæ & falſæ. 127. 129. inani gloria corruptæ. 795. laudandæ tamen 791. earum merces quæ. 794
Geraſinus Anachoreta. 258
Gerſon Catechiſtam egit. 542. parum æquus in Religioſos. 933
Gerſonis auctoritas.158.leuior in re pontificia. 171
Gerſonis liber de poteſtate Eccleſiaſtica perſtringitur. 169
De Gerſone iudicium. 171
Gloſſa Ordinaria falſo citatur. 846
Gordiana S.Gregorij amita. 852.881
Grammatica vtilis ad reuincendas hæreſes. 737
Grammaticæ magiſtri. 705
Grandimontenſis ordo. 307
Grandiores admiſſi in Monaſterium. 281
Gratia Dei creatoris. 959
Gratia per Chriſtum omnibus data. 105. 127. fuit intima non accidentalis legi veteri.111.eam negligunt Iudæi. 110
Gratiæ gratis datæ. 660. non ex toto in alios tranſeunt. 664. 666. 668.681. non adminiſtrantur decorè niſi a ſanctis. 422
Gratianus nimis credulus. 221.227
S.Gregorius non dedit primus Monaſterijs priuilegia.384.Græcè neſciuit.178
S.Gregorius pluribus Monaſterijs per priuilegia conſulit. 385
S.Gregorij priuilegium Monaſterio S.Medardi conceſſum expenditur. 387
S.Gregorij liber paſtoralis cõmendatur.21
S.Gregorij amitæ an fuerint Religioſæ. 852.
Gregorius Ariminẽſis Auguſtinianus. 312
Gregorius 13.Concil.Tridentini obſeruator accuratus. 633
S.Gregorius Nazianz. cur Sazimorum factus Epiſcop.947.fuit Monachus. 656
S.Gregorij Nazianz.de S. Baſilio querela. 947.
S.Gregorij Nazianz.Catechiſmus. 542
S.Gregorius Nyſſenus fuit Monach. 656. eius Catechiſmus. 542

Oooo

Gregorius de Valentia. 732
Gubernationes in Eccleſia,quæ ſint. 674
S.Guillelmus Aquitanus, vnde Guillelmitæ. 307
Guilielmus Biſchopius. 346
Guillelmus Cremonenſis Auguſtinianus. 306.
Guillelmi Pariſienſis encomium. 855
Gyronagi Monachi. 260

H.

HAbitus Angelicus 867
Habitus Clerici Religioſus eſt. 559
Habitus Monaſtici diuerſæ formæ. 867
Habitus virtutum non faciunt ſtatum. 935.
R. Haccanas. 113
Hæreſim profeſſi à quibuſdam Religionibus excluduntur. 725
Hæretici Bibliorum corruptores. 738. Monachis infeſti. 645. cur obedientiæ conſilium impugnent. 886
Hæreticorum fugienda communio. 479
Hebraïcæ linguæ ſanctitas. 722. in ea leuis mutatio ſenſum reddit alienum. 861.
Helenenſis Epiſcopatus. 356
Heraclas docet cum Origene. 703
Hermæ Paſtoris liber. 90.507
Hermodori viator incognitus. 720
Hiemanites qui. 497.527
Hierarcha vocatur Angelus. 34.36.153
Hierarcha quis dicendus. 6
Hierarcha perficitur,vt alios perficiat. 136. 153.
Hierarcha omnia agit in omnibus. 439. 965.
Hierarchæ dignitas. 439
Hierarchæ principes qui. 31
Hierarchæ principes ſanctificationis. 422. perfectiui ex ſe. 438
Hierarcharum veneratio Religioſis commendata. præfat.
Hierarchiæ tabula. 5
Hierarchiæ notatio. 6
Hierarchiæ definitio. 9. ridicula explicatio. 601
Hierarchiæ diuiſio in ſpecies. 30
Hierarchiæ obiectum & eius partes. 142
Hierarchia hierarchizans & hierarchizata. 28.29
Hierarchiæ fundamenta ſunt Chariſmata. 659
Hierarchiæ finis. 12
Hierarchiæ doctrina in vtranque partem breuiter collecta. 3
Hierarchiæ notanda axiomata. 77. 681.
In Hierarchia tria ſunt omnia. 53
Eſſe de Hierarchia & in Hierarchia, quid. 7.
Hierarchiæ totalis expoſitio. 31.661
Hierarchiæ generalis ordo. 33.34. 80.
Hierarchia diuina conſideratur. 43
Hierarchia cœleſtis nobilior humana. 35. 36.71.79. eſt exemplar Eccleſiaſticæ. 42.
Hierarchiæ Eccleſiaſticæ definitio. 135. diuiſio fuſiſſima. 143.144. cum cœleſti collatio. 151
Hierarchiæ latioris diſpoſitio ex S.Bonauentura. 760
Hierarchia ſtrictè ſumpta diuiditur & explicatur. 154 155. ea diuiſio probatur. 158.161.
Hierarchiæ Eccleſiaſticæ finis. 135,965. 966.
Hierarchiæ Eccleſ.ordo. 422. non petitur à gratia ſed à poteſtate. 856
Hierarchia confertur cum cœleſti. 155. 156. cum legali. 157
Hierarchia Iuriſdictionis definitur. 167. refertur ad Angelicam. 172. ad potentias humani animi. 174
Hierarchia Ordinis definitur. 420. eam deſcripſit S. Dionyſius. 417
Hierarchia bonitatis. 661. pietatis. 682.
Hierarchiæ Chariſmatum varia nomina. 661. neceſſitas eius admittendæ. 157 688.
Hierarchia Chariſmatum noua non eſt. 160.
Hierarchiæ Chariſmatum definitio. 661. accommodatio ad cœleſtem. 682
Ad Hierarchiam Chariſmatum multi pertinent. 757
Hierarchia legalis. 97.98
Hierarchia imperfectior in lege naturæ. 96.97.
Hierarchicę operationes Epiſcopi alijs incommunicabiles. 231
Hierarchicę actiones non ſunt opera pœnitentię. 958. S. Hieronymus hęreticorum malleus. 648. Monachorum laudator. 652
S.Hieronymus nulli cum ſuis affixus Eccleſię. 211
S.Hieronymi Monaſterium exemptum. 380.
S.Hieronymi doctrina non fauet Aërio. 219.

Hieronymus Platus. 586.825
S.Hierothens. 23
Hildebaldus Archiepiſcopus Colonienſis. 203
Holocauſtom Religioſi. 759
Homo tribus rebus fit bonus. 137
Homines cœli & Dei. 741
Ab Honore præſtando nulla exemptio. 363.
Hoſpitalitas Epiſcopi. 304
Hoſpitalitatem vouere, magnum votum. 913.
Hugo à S. Victore Theologus. 709
Hydeſtis Inſula donata Monaſterio. 383
Hypoſtaſes tres an dicendæ in Trinitate. 737.
Hyſychaſtæ. 276

I.

IAcobus Laynius Theologus pontificius in Concilio Tridentino. 726. eius doctrina. 712. dictum de Religionum eſſentia. 835
Iapones cur non conuertantur ad fidem. 611.
Iaſpis gemma. 706
Iconomachorum hæreſis aduersùs Euchariſtiam. 436
S. Ignatius Antiochenus Hierarchiam Ordinis deſcripſit. 418. pſalmodiæ alternantis inuentor. 751
S.Ignatius Patriarcha Conſtantin. 647
S.Ignatij Loyolæ monitum ad Theologos Pontificios. 726
Illuminatio.16.19.quomodo fiat. 23. 77. 81.
Imaginatio rationalis. 175
Imperator CP. vbi coronatus. 434. quo ritu. 435
Impoſitæ manus pœnitentibus. 500. quo fructu. 503
Impoſitio illa manuum quotuplex. 504
Impropriè tribus modis dicitur. 27
Immunitates Eccleſiæ Gallicanæ. 371
Incognitus in Pſalmos quis. 299
Indultorum priuilegium. 360. vetus. 372.
Infallibilitas Eccleſiæ duplex. 197
Infames ob crimina a quibuſdam Religionibus excluduntur. 584
Initiari & perfici diuerſa ſunt. 563. 564.
Innocentius 2. votorum ſolennitatem dilatauit in perſonis. 878
Inſania amoris. 760
Inſtrumenti virtus & dignitas vnde. 86.
Inſtrumentum non habet vim eandem cum cauſa principali. 228.229
Inſtrumentum duplex. 423
Intellectus triplex. 174. ſimilis Angelis. ibid.
Intellectus quomodo purgetur. 74
Intellectus donum. 762
Intelligentia pura in contemplatione. 749.
Interpellatio pars diuini cultus. 426
Interpretes. 70. prophetæ fuerunt. 670
Interpretes Scripturæ ſacræ. 672. quales eſſe debeant. 740
Interpretes linguarum. 670
Interſtitia Ordinum ſacrorum, non ſunt iuris diuini. 624. non ſunt obſeruata à ſanctis quibuſdam. 625
Interſtitia contrahuntur pro Religioſis. 622.
In Interſtitijs diſpenſat Epiſcopus. 622
Ioachim Abbas. 762
Ioannes Archicantor Romanus vir doctus. 292
Ioannes Azorius. 713
S.Ioannes Baptiſta noluit putari Chriſtus. 660. miſit diſcipulos ad Chriſtum. 119. exegit confeſſionem à Publicanis, 536.
Ioannes Bonus Eremita. 307
Ioannis Cappadocis hiſtoria. 593
S.Ioannes Euangeliſta habuit ſermonem ſapientiæ. 769
Ioannis Fileſaci ſelecta. 720. opera in excudendo Aurelio. Præfat.
Ioannis Hus errores. 321.691.953.954 955.
Ioannes Hus Religioſis infectus. 691
Ioannes Ieiunator Patriarcha. 217.
Ioannis à Laſco hæreſis. 436
Ioannis Maioris opinio de miniſtro confirmationis. 377. de Religioſorum perfectione. 932
Ioannes Maior Gerſonem malè citat. 932.
Ioannis de Poliaco dogma. 396. ab eo retractatum. 414
Ioannes Saguntinus Auguſtinianus. 312.
Ioannes de Spelunca Auguſtinianus. 311.
Iordanis fluuius. 2.314
Irenes Auguſtæ factum. 593
Irregularitas ſequitur pœnitentiam publicam. 508.590

Iſaiæ purgatio per Seraphinum. 15. 85. 662. 663.
Iudæorum diuerſi ordines. 113. ſtatus peior quàm Gentilium. 115
Iudæorum error circa legem & opera. 109.
Iudæi à regione ſua excluſi. 118
Iudæi non citò baptizati. 534
Iudices apud Hebræos ritu aliquo ordinati. 99
Iulianus Cæſar fuit Lector in Eccleſia. 467. 593.
Iuriſdictio quid. 138
Iuriſdictio duplex. 167. triplex. 191
Iuriſdictionis & ordinis poteſtas. 139. 140.
Iuriſdictionis Hierarchia definitur. 167
Iuriſdictionis Hierarchia comparata cum Angelica. 172. cum animæ potentijs. 174.
Iuriſdictio Eccleſiaſtica differt ab approbatione. 398. poteſt committi Laicis & feminis. 167. credita eſt à S. Hieronymo eſſe tantum in is Eccleſiaſtici. 221
Iuriſdictio Eccleſiaſtica an peruadat cœlum & inferos. 38
Iuriſdictio Abbatis vnius in Epiſcopos. 252. 253.
Ius Canonicum quo in pretio apud ſapientes. 708
Iuris Canonici duplex ſchola Pariſijs. 708.
Iuſtitiæ diuerſæ ætates. 119
Iuſtitia hominis. 110
Iuſtitia terrena & carnalis. 111
Iuſtitia ex lege, iuſtitia legis, iuſtitia ex fide quo differant. 108
Iuſtus Monachus. 515

L.

Labor manuum oratione temperandus eſt. 295. moderatus eſſe debet. 294
Labor manuum quibus imperetur. 320. 324. quas ob cauſas. 320
Labor manuum an ſit imperatus Fratribus Minoribus. 325
Laborem manuum Chriſtus non aſſumpſit. 325. Vide Opus manuum.
Laborantes Clerici. 473
Laici ſunt de Hierarchia fusè ſumpta. 147 principatus aliquo modo participes. 150. iuriſdictionis item Eccleſiaſt. 167
Laicis non permittitur Epiſcoporum electio. 224. ſed tantùm poſtulatio. ibid. conſenſus & teſtimonium. 225
Laici aliqui prędicarunt & catechizarunt. 543.
Laici poſſunt ingredi Concilia Prouincialia. 200. & Diœceſana. 206. 208. non autem in Conciliis decernere. 178
Laicis etiam peregrinantibus datæ literæ ab Epiſcopis. 486
Laici in perfectione cum Religioſis comparati. 568 911
Lampetiani hæretici. 526. 868
Lanfrancus Sepulanus Auguſtinianus. 311.
Lanſſelius interpres S. Dionyſij. 560
Lapſi pacem a martyribus exorqnebant. 520. quæ ſit illa pax. 521. quales illi lapſi. 522
Lecticarij qui. 473
Lectionis ſacrę frequentia & vtilitas. 247
Lector velut agricola. 427. confertur cum Scribis. 467
Lectoris officium. 466. honorabile. 467
Lectores ſumpti aliquando ex Catechumenis. 470
Lectores educati à Presbyteris. 467. examinati diligenter. 408. fuerunt magno numero. ibid.
Lectores curam vocis habuerunt. 469
Lectores nouos fructus benedicunt. 468.
Legiſlatores aliqui non obligant ſub peccato. 908
Legiſlatoris intentio conſideranda. 906
Leo Armenus canere ſolitus in Eccleſia. 476.
Leonis Armeni cædes. 360
Leonis 9. factum. 364
Lerinenſis Inſula. 272. ferax Sacerdotum. 651.
Lerone Inſula. 775
Leuitarum ingens numerus. 611
Lex primordialis. 114
Lex duplex apud Rabbinos. 101
Lex triplex à Deo data. 96
Lex naturalis conſiderata. ibid.
Lex vetus ſiue Moſaica fusè conſiderata. 98. 99. defenſa à calumnijs Petri Aurelij. 104. à doctrina Seguenoti. 810
Lex vetus data per Angelos. 97. collata cum lege naturæ. 114. cum Euangelica. 116
Lex vetus ſeruitus. 117: quomodo virtus peccati. 115. 122. quomodo infirmatur per carnem. 112
Lex mortis & peccati non eſt lex Moſis. 108.
Lex pędagogus. 119
Lex operum, & lex fidei. 109

Lex hominis. 109
Lex Hebræorum cur dicta lex fortunæ. 112.
Lex vetus & noua lex vna eſt. 107
Lex vetus eſt vmbra nouæ. 117
Lex noua veterem obliterat. 119.132
Lex noua gratiam habet ampliorem. 120.
Legem Chriſtus perficit. 130
Lex noua media inter cœleſtem & Moſaicam. 130.133
Lex noua non eſt iota interior. 124
Lex Epiſcopalis duplex. 363
Liæ & Rachelis allegoria. 751
Liber futuræ innocentiæ. 587
Libri de vitis Pontificum auctoritas. 655.
Librorum multitudo à primis ſeculis. 711. 713.
Librorum ſcriptio viris doctis innata. 711
Libros de eadem materia ſcribere multi poſſunt. 715
Libros deſcribere labor monachorum. 294.
Liberi arbitrij authentica imperia. 748.
Libertas voluntati competit. 180
Libertas quid ſit. 800
Libertas Chriſtiana. 120.801
Libertas ſtat cum votis. 800
Linguæ Hebraïcæ ſanctitas. 722
Linguarum diuerſitatem Angeli impreſſerunt. 69
Linguarum donum. 670. non eſt interpretatio myſteriorum. 689. eſt infimum Chariſmatum. 675.76
Linguarum notitia vtilis Eccleſiæ. 705. 737.
Litera Occidens. 122
Literalis ſcripturæ ſenſus. 665
Literæ commendatitiæ. 485. ab Epiſcopo datæ. 350
Literæ confeſſoriæ. 485. dimiſſoriæ. 627. formatæ. 485
Literarum profanarum ſtudium cur aſſumatur. 729. cur à ſacris viris doceatur. 293. moderatum eſſe debet in viris Eccleſiaſticis. 738
Literarum profanarum cognitio neceſſaria ad explicationem ſcripturæ. 736. & Patrum. 738. ad ornamentum Eccleſiæ. 738. ad refellendos aduerſarios. 736. & errores demonſtrandos. 737
Literas occultè recipere vetantur Regulares. 247
Lucifer deſtinatus Hierarcha vniuerſalis. 31.

Lucius Arianus. 645.651
Luctus Pœnitentiæ publicæ gradus. 497. ſemper ne fuerit primus. 498
In Luctu ineundo Pœnitentes ſolui à graui excommunicatione. 498
S. Ludouici Regis in Religioſos mendicantes liberalitas. 319
Ludouicus Pius pœnitens. 593
Ludouici Molinæ cauſa & hiſtoria. 732
Lutherus blaſphemus in Moſem & legem. 106. vota Religioſa cupit deprimi. 780.

M.

Magiſtri Grammaticæ. 705
Magiſtris literarum ſacri prouentus dati. 704
Magiſtri libellorum ſupplicum, ſiue Requeſtarum. 354
Maiorum virtutes poſteris proponuntur. 753.
Malchi monachi matrimonium. 881
Malmeſburienſis Abbas impoſtor. 407
Maleacenſis ſedes Epiſcopalis. 356
Manus impoſitæ Pœnitentibus vbi. 501. quoties. 504. quid ea proſit impoſitio. 503. reconciliatoria manus impoſitio. 505
Maria Virgo in Hierarchia vt collum & inſtrumentum. 32.33.50.58.79
Maria habet principatum dimidij regni Dei. 46
Maria pons Dei. 45
Mariæ votum virginitatis. 583. quando emiſſum. 808. poteſt dici conditionatum & abſolutum. ibid.
Mariæ maternitas non fuit formalis perfectio. 808
Mariæ fides & virginitas maternitati præferenda. 808
Mariæ amor in filium. 46. meritorius de congruo. 47
Mariæ actiones Hierarchicæ. 50.81
Mariæ & Marthæ ſororum allegoria. 751
Marinianus Abbas & Epiſcopus. 367. monachis parum æquus. 774
Martyrarij qui. 350
Martyres quid lapſis dederint. 520
Maſſalianorum ſiue Meſſalianorum error. 822.
Mathematica ſcientia. 175
Matrimonij vinculum minus vinculo voti ſolennis. 874
Matthæi Kelliſoni propoſitiones. 217
S. Matthiæ electio qualis. 554
Maucleri opus de monarchia. 145.692.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Manrilius RothomagenſisEpiſcopus conſulit Monachatum. 836

Meditatio quid. 746

Media neceſſaria negari non poſſunt ab eo qui finem exigat. 316

Medium generale. 451

Mendaeium procedit ex faſtu. 864

Mendicãtes Ordines primarij quatuor, & totidem illis adiuncti. 314. qua forma regantur. 316

Mendicantes Ordines ad actus Hierarchicos inſtitui. 602. ſunt in Hierarchia Ordinis. 601

Mendicantium Ordinum forma Apoſtolicis temporibus. 331

Mendicantes magis imitantur Apoſtolos quàm alij. 327

Mendicantes comparati cum Diſcipulis in miſſionibus. 335

Mendicantes cum priuilegijs nati. 371. 518. ea illis neceſſaria. 373. quæ ſit eorum origo. 392

Mendicantium priuilegia pro concionibus. 393. pro confeſſionibus. 395

Mendicantiũ honor erga Epiſcopos. 394

Mendicantes Religioſos alere quam ſit meritorium. 318. 580

Mendicitas Ordinum Mendicantium. 317 opportuna ad prædicationem. ibid.

Mens humana. 174

Mens activa, factiua. 697

Mens cæca. 889

Mentes contemplatiuorum Hierarchicæ. 747.

Mercurij Triſmegiſti libri de Dijs. 711

Meritum an augeatur operis difficultate. 805.

Merouæus detruſus in Monaſterium. 592

Metaphyſica ſcientia. 175

Methodi plures profitendæ ſcientiæ. 727

Metropolitanus ſolus nihil ordinat in prouincia. 202

S. Michaël an ſit Hierarcha vniuerſalis. 31. 62. 152.

Mildeburgenſis Epiſcopatus. 356

Milites quomodo admittendi ad Monaſterium. 282

Minorum Ordo Inſtitutus. 298. doctos multos, & Epiſcopos innumerabiles protulit. ibid. non admittit infames perſonas. 584

Milenus Epiſcopus pœnitens. 514

Miſſa Catechumenorum. 544

Miſſa fidelium vnde incipiat. 545

Miſſa parochialis frequentanda. 391. 411. 412.

Miſſionariorum vocatio. 217

Miſſiones frequentes in Societate Ieſu. 635

Miſſionum votum in Societate Ieſu. 607. fit tantum à Sacerdotibus. 635

Moliniſtarum nomen malè inuentum ab Aurelio. 733

Monachi vnde dicti. 246. 866

Monachorum nomen ſpretum olim. 256. laudatum a Patribus. 257

Monachorum duo genera. 257. 276

Monachi Cœnobitæ. 259. Eremitæ. 277

Monachi quaſi Dij. 766. primitiæ generis humani. 764. Chriſtianorum Philoſophi. 762

Monachorum veterum laudes. 766. 767. calumniæ gentilium & hæreticorum. 582.

Monachi perficiuntur ab Hierarcha. 564. 939.

Monachi ſunt Clerici. 599. eorum cum Clericis affinitas. 559. 652. cum Sacerdotibus. 567. 696. 917

Monachorum conſecratio. 757. 822. eos à populo ſeparat. 569. 599

Monachorum à Laïcis differentia. 557. 878. locus ſuperior in templo. 432

Monachi nuſquam Laïci vocantur a S. Dionyſio. 560. expreſsè ab ijs ſeparantur. 563

Monachi veteres vota emiſerunt. 822. vouerunt caſtitatem. 867

Monachi nunquam conſecrati fuerunt ſine votis. 823

Monachi veteres quomodo paupertatem ſeruarint. 851

Monachi comparantur cum denario. 835 cum ſotulari & corrigia. 836. cum arbore & fructu. 807. cum arbore emergente. 883

Monachorum zelus. 645. agunt in Hierarchia. 696. 763

Monachi hæreticorum Arianorum aduerſarij 645. Eunomianorum. 646. Acephalorum. 647. Monothelitarum. ibi.

Monachorum auctoritas erga populum. 645. multi ſunt amici etiam ignoti. 763

Monachi an fugere debeant ab vrbibus. 322. eorum ſolitudo etiam in vrbibus. 273.

Monachi apti ad Eccleſiaſtica munera. 652. ad confeſſiones adhibiti. 395. ſacramenta ritè adminiſtrant. 383. 396

Monachorum Orientalium & Occidentalium comparatio in muneribus Eccleſiaſticis. 296

Monachi Baſiliani patum docti. 291. Benedictini eruditi. 291. 296

Monachi ſerò in Occidentem venerunt. 596.
Monachi nigri vnde vocati. 274
Monachi ad Sacerdotium compulſi. 296. non ordinandi ſine conſenſu Abbatis. 386. ordinantur à quorumque voluerint Antiſtite. 389
Monachus in Epiſcopum ne conſecretur. 387.
Monachi ad Epiſcopatus euecti. 272. 656. in officijs cubiculi pontifici. 273
Monachi Epiſcopis ſubditi. 265. 267. non Parochis. 263. oppreſſi à nonnullis Epiſcopis. 367
Monachi quidam illiterati. 261. etiam Laici poſſunt cereos in altari accendere. 471. 557
Monachi quidam anthropomorphitæ. 261. nùmmicolæ. 288
Monachi rei puniuntur vt Laïci. 598
Monachi fornicarij pœna. 868. eius qui vxorem duxerit. 879
Monachorum Ægyptiorum eleemoſynæ. 294.
Monachi Carnotenſes conſulunt S. Bernardum. 904
Monachicus & Monadicus qui differant. 775.
Monachiſmus Apoſtolatui ſucceſſit in ſanctitate. 326
Monachiſmus ſeminarium Epiſcoporum. 655. & Sacerdotum. 651. 652. 654
Monarchia in rebus. 698. in Eccleſia. 192 in familia. 185
Monaſteria Monachorum & Clericorum. 246. 559. à S. Auguſtino erecta. 304
Monaſteria in Occidente plurima. 270. inſtituta ab Abbatibus. ibid.
Monaſterijs donatæ ingentes poſſeſſiones. 383
Monaſteriorum ſerui & vectigales. 282
Monaſteriorum ordo ad ſimilitudinem humani corporis. 279
In Monaſterio duo fuerunt Magiſtratus. 248. an ſoli in eo manſerint Laici. 249
In Monaſterium detrudi, non eſt fieri Monachum. 592
Monaſterium deſerere apoſtaſia eſt. 271
De Monaſterio proijci. 290
Ad Monaſteria ne accedant Clerici. 264
Monaſteria ne adminiſtrentur per Clericos. 631
Ad Monaſterij Eccleſiam vocati Presbyteri. 268
In Monaſterij Eccleſia Sacramenta populo adminiſtrata. 391
Monaſterium naturale. 273 303
Monaſteria Byzancena. 344. plura apud Caſſinum monte. 316. in Neuſtria. 274
Monaſterium S. Auguſtini. 246. Andegauenſe SS. omnium. 254. Bethlemi S. Hieronymi. 262. S. Columbani. 252. Chinoboſciorum. 269. Cluniacenſe. 275. Craterenſe. 386. Croilãdiæ. 274. S. Fulgentij. 250. Gemmeticum. 274. S. Genoueſæ Pariſienſ. 254. Lerinenſe. 272. S. Martini. 272. Marcianum. 386. Mediolanenſe. 270. Sigebergenſe. 253. Tabennenſe. 266. Ticinenſe. 306
Monaſterium exemptum. Ariminenſe. 386. Auguſtodinenſe. 386. Bethlemiticum S. Hieronymi. 380. Ciſtercienſe. 405. Claſſitanum 367. 385. 386. Cluniacenſe. 361. 368. Corbeienſe. 368. 369. Euaſenſe. 368. S. Germani Pratenſis. 362. 384. 389. Maius Monaſterium. 369. Maſſilienſe. 385. S. Mauri de Foſſatis. 361. S. Medardi. 368. 371. 382. 384. 387. S. Vandregiſili. 363.
Monaſterii S. Dionyſii priuilegium inſigne. 390
Monaſticæ vitæ excellentia. 556
Monaſticæ diſciplinę primus titulus. 288
Monaſticus ordo inferiores complectitur. 564.
Monaſtici ordinis Inſtitutio antiquiſſima. 654.
Monaſtici habitus aſſumendi ritus. 867
Moniales ad Canadenſem oram profectę. 746.
Monothelitę heretici. 647.
Montaniſtarum Epiſcopi. 474
Montiſpeſſulani Epiſcopatus. 355
Moralis Theologia. 707
Morales virtutes ſupernaturales. 796
Mortui in ſacris nominati. 516
Mortui aliqui reconciliati. 515
Mortuis ſine pœnitentia non communicandum. 514
Mortuorum corporibus data Euchariſtia 515.
Moyſes Legiſlator & Hierarcha. 98. Pontifex & Propheta. 699
Moyſes terrã promiſſam non intrauit. 116
Moyſen calumniatur Lutherus. 106
Moyſes Saracenorum Epiſcopus. 656
Mulieres Preſbyteræ. 459
Muſici modi tres. 470
Muſach in templo Ieroſolym. 433

N.

Natalis pœnitentia. 498
Nathanaël Anachoreta. 265
Naturale oppoſitum factitio. 836

Nazareorum conſecratio. 570. cum illis comparati Religioſi. ibid.
Nauis templi 432
Neceſſitas non facit conſilia imperfectiora pręceptis. 785. non minuit operum meritum. 802
Neſtorius hereſiarcha. 646
Neuſtria monaſterijs referta. 274
Nicęnorum Patrum numerus myſticus. 196.
Nicolaus Frogerius. 255
Nicolaus le maiſtre, malè reprehendit Religioſos arrogantię. 265. & eorum Superiores. 892
Nicolai le maiſtre conſilium aperitur. 889. explicatur opinio de obedientia veterum Religioſorum. 889. refellitur. 890
Nicolaus le maiſtre Suarem parum fideliter ſequitur. 851
Nicolaus le maiſtre refellitur, in Prępoſito & Abbate. 248. in obſeruantijs regularibus. 241
In enumeratione monachorum. 260. diuiſione ſeruientium Deo. 323
In origine monachatus. 329
In Eccleſia monaſterij. 269
In opibus Religioſorum. 320. In eorum habitatione in vrbibus. 322
In criminatione Religioſorum. 329
In ſubiectione monachorum ſub Parochis. 263
In obedientia Religioſorum. 280. 891
In diuiſione paupertatis Religioſę. 849
In paupertate Benedictinorum. 288. & Baſilianorum. 289
In dominio & proprietate. 850
In ſcholis habendis per monachos. 293
Nicolaus le maiſtre malè negat monachatum S. Auguſtini. 304. & eius regulam. 309.
Nomen offerre, quid. 517
S. Nonnus monachus Tabennenſis. 268
S. Norbertus Pręmonſtratenſium inſtitutor. 253
Nouitiatus triennalis. 867
Nouitij monachi probandi cum habitu Laïco. 867. induendi veſtibus regularibus anno 20. 285
Nouitii non tonſi. 867
Nutritorũ origo in monaſterijs. 271. educatio. 281. contentio cum Conuerſis. 284.

O.

Obedientia fideliũ ſub Apoſtolis. 827
Obedientia eſt martyrium. 889. Chriſti conſilium. 887
Obedientiæ principium eſt caritas. 888
Obedientię encomium. 888. 896. neceſſitas. 888
Obedientia impetitur à plurimis. 886
Obedientia non repugnat iuri naturali. 893. nec diuino. ibid. nec humano. 894
Obedientia nulla contra Deum. 902
Obedientia ſusè ſun pia. 897
Obedientia monachorum. 268. 286. 891. cæca. 896. diuerſa a Baptiſmali. 897. ab obedientia per Laicos Parochis pręſtita. 898
voti Obedientię natura 895. an Deo voueatur an homini. ibid. homini pręſtatur vt Deo. 896
Obedientię votum neceſſarium in Religione. 891. obedientia œconomica non ſufficit. ibid.
Obedientia ſpecialis vouetur non generalis. 900
Obedientię votum aliis vniuerſalius. 899
Obediendum Superiori etiam cum peccato imperanti. 896
In virtute ſanctę Obedientię quando imperatur. 907
Obedientię Religioſę dignitas. 570
Obedientia reducit ad Hierarchiam. 757. illuminat Hierarchicè. 770
Oblatio quid. 478. 480
Oblationes dictę ſacramenta. 466
Sine Oblatione communicare. 480. 481
Obſcœna ſcribendo tangere coguntur Patres aliqui. 722
Obſeruantię regularis capita duo. 903
Obſeruantię regulares ad perfectionem conducunt. 911. ſine ijs haberi poteſt finis Religionis. 906
Obſeruantię regulares pœnam inducunt non reatum. 909
Obſeruantię regulares apud antiquos non fuerunt in vſu. 241. mutantur pro temporum ratione. 265
Obſeruantiæ regulares obſeruatę à Clericis S. Auguſtini. 247
Obſeruantię regulares quomodo conueniant cum officijs Eccleſiaſticis. 631
Obſeruantię regulares non omnes dimittuntur à Religioſis ad Epiſcopatum aſſumptis. 925
Oculus triplex. 747
Oecumenici titulus. 217
Offerre quid. 517
Offerentium nomina publicè recitata. 518
Officiariorum regiorum exemptio. 762
Officium quid. 138. 928. comparatur cum ſtatu & ordine. ibid.
Officium differt à poteſtate. 138

Officium

Officium Hierarchiæ. 14. tres eius partes. 15.16.
Oleum ſacrum ne vendatur. 448
Onuphrius Panninius Auguſtinianus. 313
Operario quæ. 697
Opificia ſua Monachi vendunt. 295
Opitulationes quæ ſint propriè. 673. quæ ſenſu accommodatitio. 674
Opratus Subdiaconus. 467. doctor Audieorium. 468.472
Opus manuum Monachis commendatum a S.Baſilio. 294. quibus conueniat in Monaſterio. 271
Opus manuum Clericis imperatum. 294. Religioſis S.Auguſtini. 247
Opus manuum moderatum in Monachis Tabennenſibus. 268. in Benedictinis. 293.294. in Mendicatoribus. 320
De Opere manuum cur ſcripſerit S. Auguſtinus. 324. in quos ſcripſerit. 260
Orant pœnitẽtes in luctu quomodo. 498
Oratio publica & priuata. 421
Oratio Dominica data Catechumenis. 539.
Oratio perfectiſſima. 72
Oratio pone Ambonem. 433
Oratio inter laborandum. 295
Orationes hominum quomodo deferant Angeli. 82
Oratorium Monaſterij. 269
Ordinare quid ſit. 181
Ordinarius triplex. 627
Ordo quid. 9.10.928
Ordo cõparatur cum ſtatu & officio. 928
Ordo populi in templo. 475
Ordo vniuerſus non poteſt repelli a Sacerdotio. 610
Ordo factitius qui ſit. 833
Ordo in Religione ſine obedientiæ voto eſſe non poteſt. 892
Ordo Romanus, liber. 524
Ordinis tres partes. 20
Ordinis poteſtas differt à Iuriſdictione. 139.140.
Ordo præcipuè ſpectatur in Hierarchia Ordinis. 420. & in Hierarchia Chariſmatum. 663
Ordinis Hierarchia deſcribitur à S. Dionyſio. 417. à S.Ignatio. 418. a Concilio Tridentino. 419
Ordinis Hierarchia definitur. 420
Ordines Eccleſiaſtici apud hæreticos perturbari. 474
Ordines Eccleſiaſtici duplicis generis. 428.
Ordines minores ſanctificatiui ſunt. 425
Ordines Hierarchizati excellentes. 487
Ordinum ſuſceptio pro Religioſis. 622
Ordinantur Monachi tantum cum conſenſu Abbatis. 386.388. à quocunque voluerint Antiſtite. 389
Origenes adhuc Laïcus docet Catechiſmum. 543. diuidit officium docendi. 703.
Origenes coram Epiſcopis concionatus. 461. quod factum defendunt Epiſcopi. 543
Oſculum mortuis datum. 515
Oſſeni qui. 861. diuerſi ab Eſſenis. ibid.
Oſtiarius. 425.428.474
Oxyrinchi Monaſteria. 262

## P.

S. PAchomius Tabennenſium inſtitutor. 266. viſitator. 267
S.Pachomij factum. 515
E Palma flagella pendentia. 264.892
Papa caput Eccleſię. 184.185.205. eligitur ex Cardinalibus. 188. a Cardinalibus. ibid.
Papę plenitudo auctoritatis. 173. Primatus. 185
Papę primatus fidei. 195. 204. & rituum atque doctrinę. 440
Papę Iuriſdictiones plures. 183. eſt proprius Sacerdus. 396
Papa indicit Concilia Generalia. 194. cum Imperatore. 195
Papę in Concilijs auctoritas. 176
Papa non poteſt ſibi Concilium Generale eligere. 194
Papa proponit iudicanda in Cõcilijs. 196. quę non proponit, irrita ſunt. ibid.
Papę auctoritas in Concilia Prouincialia. 204.
Papa ſolus nihil definit. 177.182.198. vt priuatus poteſt errare. 197
Papa quomodo loquatur ex cathedra. 198
Papa malè cum Concilio comparatur. ibi.
Papa Religioſos Ordines inſtituit. 315. Dat votis ſolennitatem. 871
Papa poteſt priuilegia concedere. 353
Papę poteſtas in priuilegiorum conceſſione monſtratur. 353.410
In Parabolis quædam dicuntur ornatus gratia. 846
Pariſienſis Academiæ origo & encomium 703. laudes & priuilegia. 357
Pariſienſis Academia Philoſophiam Ariſtotelis amplectitur. 730
Pariſienſis Academia doctrinam Societatis Ieſu probauit in cauſa Molinę. 732.

Parochia comparata cum matrice Eccleſia. 233
Parochia diuerſa eſt ab Eccleſia Monaſterij. 262.268
Parochia S. Candidi Rothomagenſis. 559
Parochi reſpondent Archangelis. 152. Angelis. 155
Parochi dici poſſunt Archipreſbyteri. 152
Parochi ius habent ad communicandam perfectionem. 941
Parochi ſunt paſtores. 677. minores Epiſcopo. 228. cum Epiſcopo malè æquātur ab Aurelio. 233
Parochi non ſunt Hierarchæ. 7. non ſunt ſoli ſecundi ordinis Sacerdotes. 442. 443.
Parochi non ſunt in ſtatu. 925
Parochi in Concilijs Generalibus non ſedent. 178. non ſubſcribunt. 195
Parochorum poteſtas immediatè ab Epiſcopis. 396.676
Parochus an poſſit approbare ad confeſſiones. 398
Parochus non admittens Regularem miſſum peccat mortaliter. 397
Parochi carentes plebe, nulli. 168
Parochi Caluomontenſis priuilegium. 357
Parochus eductus ex Monaſterio. 384
Pars potentialis eſt alterius ſpeciei à toto. 229.
Paſcha Competentium. 539
Paſſio nobilior actione in diuinis rebus. 23
Paſſio priùs conſiderata in Angelis. 63.67. 69. in hominibus. 136. 148. in Chariſmatis. 681. in donis Spiritu Sancti. 761.
Paſſioni ſunt ſubditi omnes in Hierarchia. 22.604.943.
Paſtophoria duo in templo. 433
Paſtor an ſuas tantùm oues paſcat. 90
Pater familias fuit aliquādo Hierarcha. 97
Patres Eccleſiæ Religioſi pro Religioſis citari poſſunt. 330
Patriarchæ veteres vocati Chriſti. 49
Patriarchæ à Pontifice Romano iudicati. 186.
Patriarchis Diœceſes definitæ ab Eccleſia. 184
Paulinianus ordinatus ab Epiphanio. 263 370.
Paulus Apoſtolus Angelorum euangeliſta. 37. fuit Catechiſta. 542. habuit ſermonem ſcientiæ. 769
Paulus quomodo diſputet aduersùs Iudæos. 113
Paulus dialecticam exercuit. 730
Paulus tradidit Hierarchiam Chariſmatum. 664
Paulus Venetus Auguſtinianus. 312
Pauperes ſpiritu laudati à Chriſto. 576. à Patribus. 578. à ſecularibus viris. 579. a Chriſtianis. 580
Paupertatis diuiſio. 845. ex Suare. 849
Paupertas philoſophica. 578. coacta & vulgaris. 568. 577. eius conſolatio. 844. voluntaria. 568
Paupertas Apoſtolica quæ. 847
Paupertas Religioſa an ſit Euāgelica. 845
Paupertas interior, quæ. 329
Paupertas exterior vſurpata ab Apoſtolis. 329
Ad Paupertatem Euangelicam an ſint neceſſariæ conditiones. 847
Paupertatis tres gradus. 855
Paupertas Religioſi ſtricta. 579
Paupertas priuatorum in Monaſterijs dotatis. 288
Paupertas Baſilianorum Monachorum. 289.
Paupertas qualis fuerit in veteribus Monachis. 851. non ſemper expers dominij. 854
Paupertatis conſilium à Chriſto. 569
Paupertatis votum ſolenne [illegible] ab antiquo 850.
Paupertatis laudes ex S. Baſilio. 845. ex Guillelmo Pariſienſi. 855.856
Paupertas prima virtutum. 785. neceſſaria ad perfectionem. 857. vtilis ad prædicationem. 318
Paupertas fundamentum Eccleſiæ & Religioſorum Ordinum. 855. primus titulus Monaſticæ diſciplinæ. 288
Paupertas aptè comparata cum vallo. 857
Paupertas bonum ſine calumnia. 579
Pax Eccleſiaſtica quotuplex. 521
Pax data lapſis rogatu Martyrum. ibid.
Peccata Religioſorum an grauiora quàm ſecularium. 575
Pelagia Catechumena. 534. eius conuerſio. 431
Pelagiani in Monachos contumelioſi. 582
Pelagianorum error. 606
Pelagij fraus. 959
Pellam confugerunt fideles. 862
Peregrinationes Monac. non vetādæ. 295
Perfecti Catechumeni. 531
Perfectio actus Hierarchicus. 18.19
Perfectio in quo ſit poſita. 928. media ad illam. 910
Perfectio eadem an propoſita Monachis & Laicis. 573.574
Ad perfectionem poſſunt omnes tendere. 910.

Per-

Perfectionis varij ſunt gradus. 910. ſtatus diuerſi. 918
Perfectionis acquiſitæ & acquirendæ diſcrimen. 929
An perfectio acquirenda excludat acquiſitam. 937
Perfectionis acquirendæ ſtatum multi habent. 824
Perfici & Initiari ſunt diuerſa. 563.564
Periodeutę qui. 211
Petilianus declamat in Monachos. 305
S. Petrus accepit claues pro Eccleſia. 660
S. Petrus habuit diſcretionem ſpirituum. 669.
In S. Petro triplex dignitas. 190
Petrus Aurelius cur Vindicias ſcripſerit præfat. cur diſtinguatur in Theologum & Grammaticum. ibid.
Petri Aurelij vindiciæ quid contineant. pręfat. 716.
Petrus Aurelius Ieſuitas omnes hęreſeos accuſat. 725. Semipelagianiſmi. 732
Petrus Aurelius refellitur, in voce Hierarchia Hierarchizata. 28
In Angelorum paſtorali munere. 90. & quod excludantur ab Hierarchia. 92
In prophetis quod non ſint de Hierarchia. 101.
In pluribus pronunciatis contra legem veterem. 104. & ſequent.
In doctrina de Caritate & virtutum operibus. 123. de virtutum connexione. 127.839.
In Hierarchię Euangelicę comparatione cum legali. 131
In ampla ſignificatione Hierarchię. 143. 148. quid ſit eſſe de Hierarchia. 7
In ordinibus Hierarchizatis. 488
In gradibus Hierarchicis. 684
In gubernationem & opitulationum ſignificatione. 674
In prophetis Euangelicis. 686
In doctrina de electione Epiſcoporum. 225. de eorum iuriſdictione. 228. 230. de diſpoſitione & forma ſtatus Epiſcopalis. 953 de depoſitione Epiſcopi. 954. de cauſa Epiſcop. deſerendi. 962
In effectu Confirmationis. 452. explicatione primæ gratię. 734. ſtatu primo acquirendæ gratię. 735
In pœnitentibus extra Eccleſiam. 494. Energumenis. 529. Catechumenis. 547
In eſſentia Religionis. 883. quod non ſit inſtitutionis diuinæ. 828. quòd ſit factitia. 830. quod ſit tantùm pœnitentiæ ſtatus. 581
In ſucceſſione Regularium cum diſcipulis. 332. 337. reprehenſione Stephani Bineti. 339
In perfectione Eremitarum. 277. ſanctitate Monaſtica. 282. Monachis parum idoneis ad Eccleſiaſtica munera. 649
In ſtatu Religioſo nullis votis conſtante. 825. quòd vnu voto contineantur cætera. 838
In voto Obedientiæ. 897. ex mente S. Bernardi. 901
In contemptu Canoniſtarum. 709. Thomę Sanchez inuectiua. 719. nomine Moliniſtarum adinuento. 723
In S. Eucherio quod fuerit Monachus Lerinenſis. 774
In querela de librorum multitudine. 711
In peruerſa citatione Apoſtoli Pauli. 666. 667. S. Auguſtini. 127. 129 179. 652. S. Bernardi. 900. Concilij Carthaginenſ. 4. 957. Sardicenſis. 207. aliorum complurium. 141. S. Chryſoſtomi. 651. S. Cypriani. 225. S. Dionyſij. 128. Gerſonis. 170. S. Hieronymi. 653. S. Leonis. 141. Petri Bleſenſis. 884. Seueri Sulpitij. 651. Sidonij Apollinaris. 775. Soaris. 884. S. Thomę. 335
Petrus Aurelius non legit auctores qui citantur. 340. vt S. Dionyſium. 86. S. Cyprianum. 548. Bellarminum. 655. S. Dionyſij interpretationem. 560. Emmanuelem Sa. 453. Petrum Damiani in Epiſtola quam exagitat. 774. Suarem 600. Thomam Sanchez. 719
Petrus Aurelius labitur circa legem peccati. 108. legem operum & fidei. 110. legem quamlibet. 105. circa gratiam. 106. circa peccatum ortum ex precepto. 115. precepta moralia & cęremonialia. 117. caritatem ab Apoſtolo laudatam. 125. in materialibus virtutum obiectis. 129. in legis Euangelicę natura. 131. 133. poteſtate Ordinis & Iuriſdictionis. 142
Petri Aurelij grauis lapſus in habitu fidei. 179. concluſione Theologica. ibid. in propoſitione damnata a Theologis Pariſienſibus. 606. circa gratias gratuitas. 687. gratiam nouę legis. 959
Petri Aurelij propoſitiones collatę cum Huſſio & Wicleffo. 232. 953. 955. Aërio. 233. Donatiſtis. 954. Caluiniſtis. 436. Pelagianis. 582. Semipelagianis. 734.
Petrus Aurelius conſequentias non admittit. 179
Petri Aurelij Parentyrſus. 675
Petri Aurelij contradictiones. 142. 170. 171. 232. 233. 236. 237. 238. 685. 686.

774.838.903.942.955.957.
Petr. Aurelius quàm grauiter peccet. 709
Petrus Aurelius contumelioſus in Hierarchas. 140
Petri Aurelij calumnia. 187
Ad Petrum Aurelium admonitio. 776
Petrus Aurelius incurrit pontificiam cenſuram. 634
Petrus Cerebroſus ſimilis Petro Aurelio 776.
Petrus Damiani. 277.278. luget excludi ſe a Monaſterio. 926
De Petri Damiani Epiſtola iudicium. 396. 771. & ſequen.
Petrus Thomas Carmelita. 299
Phariſæorum continentia & mortificatio. 860.
Philibertus Abbas Gemmeticenſis. 274
Philippus Gamachæus. 414
Philoſophia ſecularis cautè vſurpāda. 643
Platonica periculoſa. 729
Philoſophia Ariſtotelica ſequenda. 730. qui eius nævi. ibid.
Philumena Apellis. 526.667
Photius in Nicolaum Papam. 216
Phyſica ſcientia. 175
Piggardorum hęreſis. 436
Pius 2. pontifex. 373
Plato ab alijs ſua ſumpſit. 729
Pœnitentia duplex. 489. eius encomium. 507.
Pœnitentia vt virtus non ſupponit neceſſariò peccatum. 588
Pœnitentia Clericorum qualis & quotuplex. 490. comparata cum Pœnitentia Laicorum. 496
Pœnitentia an fuerit Religionis profeſſio. 494.
Pœnitentia publica comparatur cum ſtatu Religioſo. 587
Pœnitentia plena ſiue legitima. 497
Pœnitentia donum quod neſcientibus illabitur. 511
Pœnitentia data morientibus quid ſit. 510
Pœnitentia data, communio aliquibus negata. 511
Pœnitentia morientibus nunquam negata. 509.510
In Pœnitentia morientibus data plena communio. 510
Mortui in Pœnitentia reconciliati cenſebantur. 515
Pœnitentia multis precibus exorata. 493
Pœnitentiæ dandę ritus recentior. 324
Pœnitentiæ opera grauia. 501
In Pœnitentia gradu ſuo deiecti. 490
Pœnitentia publica vna. 506. baptiſmo ſimilis. ibid.
Pœnitentiam deſerere non licuit. 508
Pœnitentiam publicam ſequuta irregularitas. 508
Poſt Pœnitentiam aliquid obſeruandum fuit. ibid.
Pœnitentes differunt ab excommunicatis. 493
Pœnitentes eiecti extra Eccleſiam, quo ritu. 500
Pœnitentes non ſunt extra Eccleſiā. 494
Pœnitentes non ſunt in ſtatu. 494. habēt certum veſtis genus. ibid.
Pœnitentes ſi conualuiſſent peregere Pœnitentiam. 513
Pœnitentium diuerſi gradus. 496
Pœnitentium reconciliatio. 502
Pœnitentiarius Sacerdos. 446
Pœnitentes S. Franciſci. 453
Polemonis conuerſio. 959
S. Polycarpus Aſiæ princeps. 440
Populus legem Epiſcopi non ſemper admittit. 2.8
Portæ tres in templis. 432
Porticus templi. 431
Potentia proxima & remota. 138
Potentia & poteſtas differunt. ibid.
Poteſtas ordinis & iuriſdictionis. 139.140
Poteſtates Angelicę vnde dictę & earum officium. 68. pręſunt dęmonibus. ibid.
Præceptores in Monaſterijs. 292
Pręcepta moralia communia legibus omnibus. 132
Pręcepta non bona quę ſint. 112.117
Pręceptum ſine gratia nullum eſt. 106
Prędicatorum ordo inſtitutus. 298. comparatur cum S. Paulo. 341. ex eo multi Pręlati prodierunt. 298
Prę monſtratenſium ordo. 253
Prępoſitus in Monaſterio quis. 248. diuerſus ab Abbate. 248.252. 267. ſecundus ab illo. 267.279.280
Pręputij reparatio. 118
Pręſcriptione priuilegium perditur. 372
Pręſentatio ad examen. 400
Pragmatica ſanctio. 373
Presbyterę mulieres & pręſidentes. 459
Presbyteri collegæ Epiſcoporum. 211. ſuccedunt. 70. diſcipulis. 333. at nō ſoll. 337
Presbyteri comparati cum Epiſcopis. 233. eos Epiſcopis ęquauit Aërius. 216
Presbyterorum officium. 699. dignitas & poteſtas. 220
Presbytero committi poteſt confirmatio. 449.450.
Presbyteri mittuntur ab Epiſcopis. 338. poteſtatem ab illis accipiunt. 211.234

Preſbyteros conſecrat ſolus Epiſcopus. 447
Preſbyter nihil facit ſine conſenſu Epiſcopi. 461.
Preſbyter non reconciliat publicè pœnitentes. 446.
Preſbyteri in Concilijs Prouincialibus. 200
Preſbyteri non ab antiquo benedicunt in Miſſa. 545
Preſbyteri non habent curam principalem Eccleſię. 212. ſunt veluti mater familias. 212
Per Preſbyteros Apoſtolus Parochos intelligit. 209
Preſbyteri an poſſint ſupplere regimen Eccleſię. 236
Preſbyteros S. Dionyſius non nominat. 417
Preſbyterorum aliquorum inſolentia. 235
Preſbyteri omnes nō ſunt affixi Parochiæ. 249
Preſbyteris Monachi non ſunt ſubditi. 204. 386. 566. 679.
Preſbyteri Monaſteriorum Monachi. 264
Presbyter in Monaſterio idem qui Abbas. 247
Presbyterorum Septimaniæ poſtulatio. 385
Primicerius Lectorum. 468
Principatus Angeli conſiderati. 69
Principatus non requiritur in omni parte Hierarchiæ. 426. 428. 663
Principatus analogicè ad omnes ciues pertinet. 150
Principum vſurpatio in electione Pontificum. 226. 227.
Prioratus ruſtici ſub Abbatibus vnde nati. 278
Priores in Monaſterijs. 278. 267. 280
Prior Generalis Eremitarum. 278
Priores Cluniacenſes in itinere quot ſocios ducant. 295
Priores & Doctores non ſubſcribunt Concilijs. 648
Priuatorum ſanctitas perficit Eccleſiam. 421
Priuatorum culpa non nocet Ordinibus. 376. 407. 643.
Priuilegium quid ſit. 360
Priuilegium ad conciones, quale. 391. ad confeſſiones. 395. circa approbationem. 401
Priuilegia poſſunt Principes cōcedere. 354. 361
Priuilegia Papæ poteſtatem oſtendunt. 369. proſunt Eccleſiæ. 365
Priuilegijs qui reſiſtunt ſunt ipſo facto excommunicati. 396
Priuilegiorum in Mendicantibus origo, & hiſtoria. 392. iam non ſunt Priuilegia, ſed ius. 393.
Priuilegia dantur meritis. 366. conceduntur ad tranquillitatem poſſidentium. ibid. & in tertij fauorem. 370
Priuilegia data Monaſterijs, ex Fundatorum voluntate. 368
Priuilegiorum cauſa diuerſitas iuriſdictionis. 369. 370.
Priuilegia non faciunt alijs iniuriam. 409. non Parochis. 411 imo illos adiuuant. ibid.
Priuilegiorum antiquitas. 371 neceſſitas. 373 notitia. 374
Priuilegia multa data à S. Gregorio. 385
Priuilegia dantur cum conſenſu Epiſcoporum. 368. 385.
Priuilegiorum omnium eadem eſt cauſa. 354.
Priuilegiorum ſuorum ſtudioſa conſeruatrix Gallia. ibid.
Priuilegia Monaſteriorum nota ſunt Epiſcopis. 374. non debent recognoſci. 407. 408
Priuilegiorum noua approbatio ab Vrbano 8. 379.
Vox, Priuilegij prætextu, quid ſignificet in Bullis. 657
Priuilegium datum meritis, non tollitur. [illegible].
Priuilegium communitatis ceſſione non perditur. 372
Priuilegium tollitur ſola Superioris ſententia. 372. non autem ſolo abuſu. ibid.
Priuilegia malè conceſſa improbantur. 403. empta pretio. 406
Proceſſio in templis. 435. 476
Profeſſio Epiſcopalis de ſe non tribuit primam gratiam. 950. in ea dantur gratiæ gratuitæ. 951.
Profeſſio Epiſcopalis cum Religioſa confertur. 949.
Cum Profeſſione Religioſa ſæpe coniungitur prima gratia. 950
Profeſſio Religioſa Hierarchica eſt. 570. Baptiſmo comparata. 587
Profeſſio benedictini Ordinis tria vota complectitur. 898. in Ordine S. Franciſci exprimuntur. 899
Prophetę cur videntes dicti. 97. 100. fuerunt de Hierarchia legali. 100
Prophetę fuerunt Iudæorum Doctores. 702. Religioſorum figura. 102
Prophetę Noui Teſtamenti. 672. ſunt in Hierarchia. 686. an habeant auctoritatem concionandi. 689
Prophetia perfecta, quę. 670
Proprie tribus modis dicitur. 27
Proprietatis periculum. 278
Proprietarij cum Iuda comparati. 288. nummicolæ. ibid.
Prothesis in templo. 435
Protocanonarcha. 472
Protopapas. 360
Prodentes propriè qui. 697
Prudentia cum ſapientia comparatur. 694
Prudentiæ ſpecies ad primam Angelorum Hierarchiam applicatæ. 66. ad ſecundam. 67.

Pppp

Pſalmiſtæ ijdem qui Cātores & Lectores. 469. eorum electio. ibid.
Pſalmodia in Monaſterio. 291
Pſalmorum modulatio in Eccleſia. 470. à quo inuenta. 751
Pſeudomonachi. 260.376
Pueri in Monaſterium admiſſi à S. Pachomio. 267. a S. Baſilio. & S. Benedicto. 281
Pueri communiter admiſſi in Religionem. 584. non ſunt prohibendi à Religione. 585. aptiores ad id inſtitutum quàm grandiores. 587
Pueri literis inſtitui in Monaſterio. 282
Porgatio. 16.17. quid ſit. 18
Purgatio intellectus Angelici. 74
Purgant aliqui ſe qui non illuminant. 149

Q.

QValitatum actiuarum conſideratio. 444
Quindecigimi Cœcorum hoſpitale Pariſijs. 357
Quiniſexta Synodus. 434

R.

RAbanus Archiepiſcopus. 292
Rachelis & Liæ allegoria. 751
Rainaldus Abbas Caſſinenſis. 632
Rapſodus cum magnete comparatur. 35
Raſa quid. 867. ῥαψῳδεῖν. ibid.
Ratiocinatio in imaginatione. 748
Rationibus obligati quomodo in Monaſterium admittendi. 282
Rauennatum Canonicorum priuilegium. 356
Rechabitæ ijdem cum Eſſenis. 862. eorum virtutes Chriſtianæ. 863
Reconciliatio Pœnitentium quotuplex. 502. prima reatu ſoluit, non omni cenſura. 503. 507. 510. 513. 523. 525.
Reconciliationis publicæ miniſter eſt Epiſcopus. 519. cum Clero. ibid.
Reconciliationis priuatæ miniſter aliquando Preſbyter. 519. aliquando Diaconus, & quomodo. 520
Sine Reconciliatione mortui, damnati. 514
Reconciliatoria manus impoſitio. 505
Regia domus in templo Ieroſolym. 433
Regis preclari dotes. 699
Regum Galliæ priuilegia & prærogatiuæ. 358. 362.
Regiminis Ordinum Mendicantium forma. 316
Regula S. Auguſtini. 246. 254. ſcripta Monachis. 308
Regulę S. Auguſtini cum eius Ordine collata. 311.
Regula S. Auguſt. non obligat ſub peccato. 908
Regulas tres an ſcripſerit S. Auguſtinus. 312
Regulæ Benedictinæ præſtantia. 899
Regula non omnia eodem modo præcipit. 907
Regulæ maior auctoritas quam Superioris. 908
Regulæ aliquæ non obligant ſub peccato. ibid.
In Regula quando peccetur venialiter. ibid.
In Regula contentorum conſideratio. 906
Regulæ pręcepta & remedia. 905
Regulam vouere, obedire regulæ, & ſecundum regulam. 904
Vouere ſe Regulam ſeruaturum. 905
Regulam ſequi magiſtram. 901
Regulæ litera cedat caritati. 902
Regulæ communi Conſtitutiones priuatæ adduntur. 309
Regulares debent examinari à ſuis Superioribus 393. 400. non poſſunt iterum ab eodem examinari & approbari. 402
Regularibus dignis non poteſt limitari approbatio. 403
Regulares poſſunt audire confeſſiones approbatione indebitè recuſata. 400
Pro Regularibus audiendis neceſſaria non eſt approbatio. 403
Regularium priuilegia pro concionibus. 393
Regulares in alienis Eccleſijs non prędicent ſine conſenſu. 394
Reipublicæ bona ordinatio. 150
Reipublicæ ciues efficiuntur ſigno viſibili. 149
Reip. ciues ſunt quodammodo participes principatus. 150
Religio communis & ſtricta. 243. 822
Religio communis & perfectorum. 911
Religio latè ſumpta poteſt carere aliquo è votis ſubſtantialibus. 884
Religionis eſſentia conſiderata. 831. 832. non eſt factitia. 832. nec eius proprietates eſſentiales. ibid. ſed accidentia. ibid.
Religionis ordo ad ſimilitudinem humani corporis. 279
Religionum Inſtitutio primùm ab Epiſcopis. 336. & approbatio. 315. deinde à ſolo ſummo Pontifice. 315
Religionum fundatores aliqui non Sacerdotes. 309.
Religionum inſtitutio ſolemnitatem votorum præceſſit. 873
Inter Religiones & Eccleſiam pactum eſt. 316. 610.
Religionum duæ ſpecies. 603. 609
Religiones ad actiones Hierarchicas inſtitutæ. 602.
In Religione Clericali omnes ſunt Clerici. 603
Religio comparata cum arce & dōgeone. 857. cum Arca Noë. 948. cum ponte. 899
Religio eſt ſchola virtutum. 919. 937
Religionis encomium. 921. 922
Religionis perfectio cum Laicali cōparata. 911
In Religione multa ſubſidia ad virtutis acquiſitionem. 938

Religionem vouere magnum votum. 913
Ad Religionem ineundam magna deliberatione opus non eſt. 815
Religionem ingredi in iuuentute an ſenectute vtrum melius. 585
A Religionis propoſito auocare non licet. 923
Religionem qui vouit, an poſſit priùs conſecrari Epiſcopus. 960
Religionem amplecti poſſunt Epiſcopi. 961. non tamen ob laboris fugam. 962. ex eo capite Religionis dignitas conſiderata. 964
Religionem intrantes Clerici, meliorem vitam ſequi cupiunt. 923
Religionem qui intrant vt alantur & diteſcant. 857.
Religio dimiſſos aut eiectos alere non tenetur. 638.640.
Religionis deſertores. 271. eiecti de Religione. 290.
Inter Religionem & Religioſum contractus eſt. 612.894. etiam inter Nouitios. 615
Religioſa vita incœpit ſub Apoſtolis. 828.829
Religioſa profeſſio debet eſſe voluntaria. 591. 592.
Religioſæ profeſſionis cum Epiſcopali comparatio. 950.951
Religioſi antonomaſticè dicti. 888
Religioſi Chriſtum imitantur. 825. ſunt altare domini. 770. ſacrificium & holocauſtum. 759.764.825.888. ſors Dei. 555
Religioſi cum Seraphinis comparati. 769. cum Angelis. 803.856. cum Angelis & hominibus beatis. 284. cum animali cui Chriſtus inſidet. 926. cum ſeruis & villicis. 571
Religioſi collati cum ſecularibus. 807.819
Religioſi comparati cum Prophetis. 102
Religioſi ſuccedunt Diſcipulis. 332.341
Religioſi ſunt diſcipuli Epiſcoporum. 336. eſſentialiter ſubiecti Epiſcopis. 347.348. etiã in Regularibus obſeruantijs. 351
Religioſi canones Eccleſiæ obſeruant. 630
Religioſi ſunt in ſtatu acquirendæ perfectionis. 930. poſſunt etiam poſſidere acquiſitam. ibid.
Religioſi totam vitam obligant ad ſtudium perfectionis. 925
Religioſorum culpæ an ſint grauiores quàm ſecularium. 575
Religioſi ſatisfaciunt pro peccatis alienis. 588. 589.
Religioſi ſunt perpetui in virtutũ actibus. 787
Religioſi cum votis ſuis liberi ſunt. 801
Religioſi quomodo ſint in Hierarchia. 692
Religioſi ſimplices an ſint in Hierarchia iuriſdict. 170.173 346
Religioſi non ſunt ſuperflui in Eccleſia contra Halliet. 103
Religioſi mittuntur ad conuerſionẽ Gentilium. 334.
Religioſi fugiunt onera Eccleſiaſtica. 926
Religioſi ab antiquo clericalia munera obierunt. 614
Religioſi ad ſacros ordines faciliùs promouentur. 590. 649. etiam contra cis interſtitia 622.650.
Religioſi non educuntur è Monaſterio niſi vt præficiantur Eccleſiæ. 926
Religioſi poſſunt eſſe doctores Theologiæ. 704
Religioſorum Aureola. 952
In Religioſos diuitiarum appetentes. 8[illegible]7.858
Religioſi habentes bona in communi, nihilominus pauperes ſunt. 857. poſſunt de Euangelio viuere. [illegible]15
Religioſi tepidi ſæpe peccant. 805
Religioſorum aduerſarij quales ſint. 5[illegible]3.582
Religioſus ſtatus laudatur à ſanctis viris. 790. laudari poteſt a Religioſis. 755. eius laudatores reprehenduntur a Seguenoto. 577
Religioſo ſtatui multa opponuntur quæ probari non poſſunt. 824
Religioſi ſtatus commendatio. 555.643. vtilitas ex Petro Bleſenſi. 571
Religioſi ſtatus tria tempora. 883
Religioſus ſtatus eſt diuinæ inſtitutionis. 830. pendet à ſtatu Epiſcopali. 944
Religioſus ſtatus conſilia ſimul & præcepta complectitur. 784.914
Religioſo ſtatui vota ſunt neceſſaria. 822. tria omnia. 825. non autem vota omnium conſiliorum. 826
Religioſus ſtatus an ſit pœnitentiæ. 583.586
Religioſis ſtatus cum pœnitentibus publicis comparatus. 587. eſt efficacioris pœnitentiæ. 589
Reliquiæ in templo vbi poſitæ. 433.434
S. Remigius in cœleſti Hierarchia. 155
Renuitæ Monachi. 260
Reſpecta Maſſilienſis Abbatiſſa. 385
Reſpondere vehementer aduerſarijs licet. 166
Reuelatio. 749
Reũoionis feſtum. 308
Rhinocolorenſes Clerici. 245
Richardus Smitheus. 346
Richerius ſententiam retractauit. 218
Richerium conatur Halliei explicare. ibid.
Robertus Bellarminus. V. Bellarminus.
Robertus de Sorbona. 721
Romana Eccleſia pura ab hæreſi. 440
Romana Eccleſia rituum Eccleſiaſticorum origo. ibid.
Rupiſucaldius S.R.E. Cardinalis laudatus. 254.

S.

SAcer ordo quis. 11
Sacerdos hominum aduocatus. 426. architectus.agricola.&c. 427. procurator Eccleſiæ.476.quaſi mater familias. 446
Sacerdos Epiſcopi Collega. 445. minor Epiſcopo in ordine. 446. non eſt hierarcha. 7. non ſedet in Concilijs. 178
Sacerdote, Epiſc. æquare voluit Aërius. 216
Sacerdos proprius quadruplex. 396
Sacerdotes ſunt aſſeſſores Epiſcopi.416.miniſtri publici Eccleſiæ.421.velut inſtrumenta Epiſcopi. 424
Sacerdotes omnes ſuccedunt diſcipulis. 332
Sacerdotum ordo illuminatiuus. 442. poſſunt confirmare. 377
Sacerdotum dignitas.441.442.inſtitutio quomodo facta. 230
Sacerdotalis character cum Epiſcopali comparatus. 444
Sacerdotum tria genera. 209
Sacerdotes ſimplices. 159.210
Sacerdotes ſeculares an ſint in hierarchia. 169. an habeant Iuriſdictionem. 442. ex commiſſione.173.pauci perfecti. 611
Sacerdotes ſimplices ſeculares an ſint gubernatores Eccleſiæ. 217. non ſunt omnes addicti vni Eccleſiæ. 211
Sacerdotes ſummi duo apud Hebræos. 98
Sacerdotum diſtributio & numerus in lege. 99
Sacerdotũ nimia multitudo eſſe non poteſt. 611
Sacerdos ſecularis non poteſt audire confeſſiones ſine approbatione. 400. poteſt iterum approbari. 402
Sacerdotes ieiunant cum Pœnitentibus. 524
Sacérdotum & Monachorum affinitas. 567
Sacerdotes quomodo ad Monaſterium admiſſi. 280.282.926.
Sacerdotum fornicantium pœna. 877
Sacerdotes incontinentes retruſi in Monaſterium. 591
In malos Sacerdotes declamatio. 376.921
Mali Sacerdotes quomodo ferant preces Eccleſiæ. 476
Sacerdotij gradus duplex. 151
Ad Sacerdotium ex imperfecta vita deueniri poteſt. 940
Ad Sacerdotium adacti rei. 593
Sacerdotium an Religioſis pernicioſum. 613
Sacerdotij dignitas non violatur à Regular. 629
Sacramenta cur in cœlo non ſint. 39
Sacramenta in Monaſterijs miniſtrata. 382
Sacramento Deus coniungitur. 425
Sacramentum pro oblatione ſumptum. 466
Sacramentum puerorum. 545
Sacramentalium vis ad ſanctificationem. 425
Sacrarium in templo. 435
Sacrificia tria. 759
Sacrificium actionum. 759
Sacrificium Religioſi. 759.764
Sal Catechumenorum Sacramentũ. 545.547
Salomon ducuit populum. 702.ſeptem ſcholas extruxit. ibid.
Sancti homines an pertineant ad Hierarchiam cœleſtem. 62
Sanctimoniales viduæ. 455
Sanctimoniales in Hierarchia. 751
Sanctimoniales feminæ ſi fornicantur: 877
Sanctitas & ſanctificatio quid. 421
Sanctitas formalis. 423
Sanhedrin Concilium apud Iudæos. 99
Sapientia. 668.de ea doctrina Ariſtotelis. 693
Sapientia actionum gubernatrix. 750
Ad Sapientiam qua via deueniatur: 694
Sapientia remota à Deo. 25
Sarabaïtæ Monachi. 260
Sazimorum Epiſcopatus cur & à quo erectus. 947.
Scalæ Iacob allegoria. 752
Schema magnum parnum. 867
Schola Catecheſeon Alexandriæ. 542
Scholæ in Monaſterijs. 282.293
Scientia. 16
Scientiæ diuinæ Hierarchia. 662
Scripturę ſacræ interpretes quales eſſe debeant. 665.
In Scriptura licet aliquando verba mutare. 340
Scripturæ ſacræ ſenſus duplex. 685. triplex & in eo veſtigium Trinitatis. 694. reſpondet officijs Hierarchicis. ibid.
Scripturæ ſacræ ſenſus literalis. 665
Scrutinium Catechumenorum vnde dictum. 537.idem eſt cum exorciſmo. 536.539
Scrutinia ſeptem fiunt. 537
Scrutinium in Monaſterio Epiſcopus ne exerceat. 363.369.389
Scyllacenorum ſacrilegium. 740
Secretarium. 433.434
Secundicerius Apoſtolici Ordinis: 331
Sede vacante a quo ſuppleatur Eccleſiæ regimen. 237.
Seguenotus opiniones ſuos deſerit. 789
Seguenotus à Facultate Pariſienſi damnatur. 454.789.952.
Seguenotus arguit Concilium Tridentinum. 458.contrarius S.Auguſtino. 458.568. D. Thomam ſugillat. 789. & Patres omnes Religioſi ſtatus laudatores. 577
Seguenotus votis contrarius. 788
Seguenotus refellitur in doctrina paupertatis Religioſę.576.virginitatis.569. contemptu & depreſſione votorum.790. ſequent. 912. 913.de aureolis. 952. de virtutibus moralibus & caritate. 792
Senatus Pariſienſis priuilegium. 360

Senſitiuus

Senſitiuus appetitus caret libertate. 181
Sententiarij qui. 709
Separandi verbum ad quas nuptias pertineat. 878.
Septuaginta Seniores inſtituti à Moyſe. 445
Sepultura in Eccleſia. 516
Seraphici amoris dotes quinque. 742
Seraphinus purgauit Iſaiam. 14.662.663
Seraphinorum conſideratio. 63.64
Seraphinorum dotes. 741. applicatæ Religioſis. 769.770
Seraphinorum proprietas. 15
Seraphinorum Triſagion. 450
Seraphini quomodo ad inferiores tendãt. 744
Seraphini purgant & illuminant. 693
Seraphini exemplo Hierarchizant. 696
Serui in Monaſterium admiſſi. 282
Sigebergenſe Monaſterium. 253
Signum ſupernaturale additum rebus naturalibus. 873
Simon Magus. 216
Simplices apprehenſiones. 748
Societas Ieſu eſt ordo mendicans. 314
Societas Ieſu eſt Religio Clericorum. 605. in ea omnes ſunt Clerici. 604
Societas Ieſu eſt Religio Presbyterorum. 607. ad Sacerdotium votis obligatur. 606. deſtinatur ad Eccleſiaſtica munia. ibid.
Societas Ieſu conſeruat votum miſſionum. 607
Societas Ieſu profecta eſt à Theologia Pariſienſi. 724. & eam perpetuò colit. 726. academiam Pariſienſem docendo imitatur. 726
Societas Ieſu ſequitur doctrinam S. Thomæ. 728. & Ariſtotelis. 731. non autem neceſſariò doctrinam Molinæ. 733. Moliniſtarum nomen ridiculè ei imponitur ab Aurelio. 733.734.
Societas Ieſu nouitatẽ in doctrina refugit. 726
Societatis Ieſu doctrina Catholica eſt. 725
Societas Ieſu canonum ſtudium promouet. 714. commendat vſum Catechiſmi. 543. literas humaniores ex neceſſitate profitetur. 738
Societas Ieſu an ſit cauſa librorum qui ſcribuntur. 713
Societas Ieſu non admittit hereticos aut ſchiſmaticos. 726. nec perſonas infames. 584
In Societate Ieſu ſunt Scholaſtici approbati. 606. quo ſtudiorum ordine vitam decurrant. 739.
Societatis Ieſu vota ſimplicia. 872. 873. faciunt veros Religioſos. 606. vota publica ſimplicia. 875
Societatis Ieſu regula non obligat ſub peccato. 908.
Societatis Ieſu inſtitutum non poteſt impugnari abſque cenſura. 634.636
Societatis Ieſu obſeruantia erga Epiſcopos. 404.
Societatis Ieſu priuilegium ad conciones. 3[illegible] ad confeſſiones. 395 pro approbatione. 4[illegible] pro non ſeruandis interſtitijs. 6[illegible]3
Societas Ieſu non tenetur alere deſertores. 640
Societas Ieſu amat & colit ceteros Religioſos Ordines. 756
Socratis dictum refellitur. 41
Sodalitas Caritatis. 473
Sodalitas doctrinę Chriſtianę. 542
Soleas in templis quid. 4[illegible]4
Solennitas votorum à profeſſione diſtinguitur. 827
Solennitas eſt accidentalis voto. 870. & ſtatui Religioſo. 882
Solennitas duplex. 871. vtraque iuris Eccleſiaſtici. 871.8[illegible]3
Solennitas eſſentialis in quo poſita. 872. accidentalis quę & humana. 875
Solenne & publicum differunt. ibid.
Solenne votum qui violat grauius peccat. 876
Solennitas non eſt inuenta à Bonifacio 8. 877. ſed eius ſedes ſtabilis. ibid.
Solennitas voti paupertatis antiqua. 850. & voti caſtitatis. 881
Quod ſolennitas irritet matrimonium, eſt ab apoſtolica traditione. ibid.
Solitudo vitiorum occaſiones remouet. 921
Solitudines Ægyptię. 259
Somnia prophetica. 670
Sozomeni fides in hiſtoria. 349
Spatiſther, quid. 118
Speculatio quid. 746
Spiridion Epiſcopus. 178
Spiritus ſanctus primò conſideratur in Hierarchię ordine. 57.666
Spiritus ſanctus eſt digitus Dei. 122
Sponſalia per votum ſoluuntur. 874
Sportulantes, qui. 244
Stabilitatis votum. 278.286.903
Stagirius Monachus Energumenus. 527
Status quid ſit. 820. 928. comparatus cum officio & ordine. ibid.
Status ſeruitutis eſt vel libertatis. 821
Status firmitas moralis eſt. ibid.
Ad ſtatum quid requiratur. 928
Statum non facit habitus virtutis. 935
Status Hierarchia. 662
Status primò acquirendę gratię nullus eſt. 735 929.
Status perfectionis optimus, quis. 918
Status perfectionis acquiſitę. 929. perfectionis acquirendę. ibid. in hoc plurimi continentur. 824
Status omnes Eccleſię tendunt ad perfectionem. 910
Stellæ varijs Religionibus applicatę. 68
Stephani Papę opinio non admiſſa in Eccleſia. 197.

Stephanus Grandimontenſium fundator. 307. 309.
Stephani Bineti defenſio aduersùs Aureliū. 339
Studium Religioſis imperatum. 398
Subdiaconus. 427. Ioannis Præcurſoris figura. 465. emittitur e templo Catechumenos. 545
Subdiaconus vbi tangit ſacra vaſa. 434. vbi non tangit. 436. 465
Subdiaconi officium. 465
Subdiaconorum fornicariorum pœna. 877
Subditi poſſunt ſuperiores Hierarchizare. 944
Subdoctor, qui Bacalaureus. 703
Subſtratio gradus pœnitentiæ. 560
Succeſſio an debeat eſſe continua. 338
Suffragium ſumptum pro teſtimonio. 226
Summiſtæ & Summarij, qui. 709
Superbia Angelorum. 18
Superior in Religione quomodo ſubditum obliget. 907
Superioris auctoritas minor quàm regulæ. 908
Superiores Religioſorum offerunt ſubditos ad Sacerdotiū. 612. ſunt eorum ordinarij. 627. dant literas dimiſſorias. 627. 628
Superiores Religioſorum ſunt in Hierarchia. 342.
Syllogiſmi contextus. 176
Symbolum explicatum Catechumenis. 540. cur datum. 545. eſt ſacramentum Catechumenorum. ibid.
Symbolum ſcripto non traditur. 539
Symboli commendatio. 539
Synodalis Epiſtola. 197
Synodus in Trullo. 434
Syſtaſis gradus pœnitentiæ. 501

T.

TAbenna inſula. 266
Tabennenſes Monachi, & eorum inſtituta. 266. Clerica tum refugiebant. 268
Tabennenſia Monaſteria cui parebant Superiori. 269
Teleſphorus Papa. 259
Templi Ieroſolymitani miracula. 552
Templorum veterum deſcriptio. 430
Tempus immemoriale. 371
Ternarij muneris perfectio. 26
Tertia Hierarchia eſt propriè dicta Hierarchia. 71
Tertiarij & Tertiariæ S. Franciſci. 283. 853
Teſtes domiſtici an admittantur. 629
B. Thadæus Canarinus Auguſtinianus. 310
Theodoricus Rex electionem Papæ ſibi arrogat. 226
Theodorus S. Pachomij diſcipulus. 266. Abbas Tabennenſis. 267. Sanctificatus dictus. ibid.
Theodorus Archiepiſcopus in Anglia. 292
Theodoſius Cœnobiarcha. 647
Theologia vera. 17
Theologia incompacta. 16
Theologia Moralis. 707. quàm vtilis & neceſſaria. 708
De Theologia Morali multos ſcribere, vtile eſt. 716
Theologiæ Moralis partes ſingulas ſinguli perſecerunt. 717
Theologia Scholaſtica confertur cum ordine Cherubinorum. 723
Theologiæ Scholaſticæ encomium. 722
Theologia Pariſienſis cæterarum mater. 724
Theologiæ Pariſienſis encomium. 723
Theologiæ Pariſienſis initium à Regularibus. ibid.
Theologus Cathedralis Eccleſiæ. 703
S. Thomas ſequendus in Theologia. 728
S. Thomas Religioſos in hac quæſtione defendit. 165. 728
Thomas Boſius. 258
Thomas Sanchez laudatur. 714. eius vita innocens. 718
Thomas Sanchez nihil nouè ſcribit. 721. conſultus in redifficili. 717
Thomæ Sanchez opus de Matrimonio vindicatum à calumnijs. 719. 720.
Thomas Waldenſis defendit Religioſos. 165. & Concilium Conſtantienſe. 299. aduerſus Wicleffum. 647. 692
Thomæ Waldenſis auctoritas. 95. dictum de votis explicatur. 803. aliud dictum Petro Aurelio applicatur. 828
Throni vnde ſic dicti. 65. eorum virtutes. 706
Throni non ſunt ſupremi Angelorum. 56. 66
Throni ſunt omnes Angeli primæ Hierarchiæ. 56.
Tiberiani filia ſanctimonialis. 881
Timor eſt cum caritate. 811. conuenit etiam perfectis. ibid.
Tituli Cardinalium. 187
Titulus ſemper conſiderandus in tractatu. 609
Tonſura prima. 474. 559
Traditiones agnoſcunt Rabbini. 101
Tridentinum in Gallia poſtulatum. 354. non admiſſum. ibid.
Tridentini Concilij encomium. 196. 605
Tria omnia in Hierarchia. 132
Tria omnia in templis. 430
SS. Trinitatis Hierarchia. 30. explicata. 43. in ea hypoſtaſes. 737
Triſagium Seraphinorum in cœlo. 750
Trophinus Epiſcopus lapſus. 549
Trullus. 434
Typographiæ vtilitas. 712

V.

VAlerius ordinator S. Auguſtini. 461
Valerius Reginaldus. 714
Vatablus defenditur. 226

Velum in Diaconico templi. 435
Velum caſtitatis quotuplex. 455
Velum conſecrationis. 456
Vercellenſis Eccleſiæ Clerici. 245
Vetus lex. V. Lex vetus.
Viaticum quid. 512
Wicleffus ius canonicum calumniator. 709
Wicleffus negat Epiſcopum eſſe qui ſit in peccato mortali. 954.955
Wicleffus Religioſis infenſus. 691. negat Religiones inſtitutas eſſe à Chriſto. 828. ait eſſe factitias. 830
Wicleffi errores. 321.691
Viduæ ſanctimoniales. 455. velatæ. ibid. non velatæ ſacro velo. 456
Viduæ votum caſtitatis olim emiſerunt. 829. idque ſimplex. 869
Viduæ conuerſæ. 283
Viduæ poſt votum ſi nubunt. 880. an ſit validum matrimonium. ibid.
Viduitas præfertur nuptijs. 569
Viduitatis profeſſio & eius ritus. 455
Vigilius Epiſcopos Orientales excommunicat. 186
Virgines velatæ & conſecratæ. 456. quo ritu. 457. quo ætatis anno. ibid.
Virgines à ſolo Epiſcopo conſecratę. 457. ſub Epiſcopo fuerunt. 458.460.852
Virgines votum virginitatis ſimplex emiſerūt. 870. an fuerint propriè Religioſę. 881.897
Virgines non velarę. 454. quę ſit earum pœna ſi labuntur. 880
Virgines quo loco ſitę in templo. 475. 566. quo ordine communicarunt. 477
Virginum lapſarum pœna. 870.879. an ſit validum matrimonium. ibid.
Virginum cœtus an ſint antiqui. 653
Virginum fatuarum explicata conditio. 841
Virginitas an amitti poſſit ſine peccato. 785
Virginitas non continet omnes alias virtutes. 841.
Virginitatis encomium. 454
Virtus quomodo dicatur vna. 128
Virtus acquiſita quomodo ab acquirenda differat. 929
Virtutes Theologiæ ſimul infunduntur. 128. ex proprio ipſarum motiuo poſſunt exerceri. 793
Virtutes morales defenduntur. ibid.
Virtutes morales ſupernaturales. 796
Virtutes politicæ & priuatæ. 929
Virtutes comparatæ cum corpore. 798
Virtutes omnes non ſunt connexæ. 128. quomodo dici poſſint connexæ 840
Virtutes reducuntur ad caritatem generalē. 126
Virtutes ſine caritate merentur de cōgruo. 124
Virtutes cum caritate merentur præmium ſupernaturale. 795-799
Virtutes non ſunt extrinſecæ perfectioni. 792. conferunt ad perfectionem. 797. quo [illegible] dici poſſint exterior perf[illegible]o. [illegible]
Virtutum moralium actus non ſunt peccata [illegible] Gentilibus. [illegible]3
Virtutum habitus non faciunt ſt[illegible]m. [illegible]
Virtutes Angelicę vnde di[illegible]tę. [illegible]8. præſ[illegible] Religioni & miraculis. ibid.
Virtutes ſumptæ pro miraculi[illegible]. 6[illegible]
Viſitationes Epiſcoporum ne ſint graues. 385
Viſitādi Monaſteria ius ſeruatur [illegible]piſcopis. [illegible]6
Vita actiua Eccleſiam Hi[illegible]rarchizat. 745
Vita Monaſtica & Religioſa eſt Apoſtolica. 326.327.829.
Vitalis Epiſcopus ſine reconciliati[illegible]e mortuus. 514
Vnio voluntatis cum Deo. [illegible]0
Vnitas finis Hierarch[illegible]æ. 965.9[illegible]6
Per Vocales ſeptem, Dij olim celebrati. 470
Vocatio ad dignitates Eccleſiaſticas eſt multiplex. 161
Vocatio ad Epiſcopatum eſt à Deo. 701. ad Clerum. 554.666. ad Relig[illegible]nem. 616.661
Volitionis humanæ ordo. 181
Voluntas ſuperior, inferior. 180
Votum publicum & priuatum. 822. occultum. 871.
Votum publicum diſtinguitur à ſolenni. 871. 875.
Votum commune & ſingulare. 912. eius diuiſionis auctor S. Auguſtinus. 913
Votum Epiſcopale caritatis. 948
Votum miſſionum in Societate Ieſu. 607
Votum ſolenne an ſolui poſſit ab Eccleſia. 833. 834.873. non poteſt via ordinaria. 874
Votum ſolenne impedit & irritat matrimonium. ibid.
Voti ſolennitas à profeſſione diſtinguitur. 827. 859.
Vota ſimplicia in Societate Ieſu faciunt veros Religioſos. 606
Votum in Sacramento factum, non eſt maius voto extra Sacramentum. 915
Votum ſtat cum libertate. 800. non tollit libertatem phyſicam. 801. nec habet neceſſitatem antecedentem. 804
Vota ſunt voluntaria. 591. vincula Euangelij. 756.
Vota non ſupponunt peccatum. 5[illegible]2
Vota ſunt de rebus per ſe expetibilibus. 789
Vota ſunt inſtrumenta perfectionis. 917. non ſunt tantùm imperfectorum. 804.809
Vota augent intenſiuè perfectionē. 781.915
Vota non ſunt neceſſariò coniuncta cum cæteris virtutibus. 839. ab ijs differunt. ibid.
Cum Voto & ſine voto actus facti comparantur. 787.798.799 915.
Cum Voto, aut ex Voto facere diff[illegible]runt. 786
Voti meritū an minuatur difficult. operię. 805

# Index.


Votis etiam perfecti difficultatem patiuntur. 8 5. cum augmento meriri. ibid.
Contra Vota peccare an ſemper ſit mortale. 8 .
Vota ... ne propriè in Baptiſmo. 912
Votum Baptiſmale comparatum cum Cœnobitico. 914
Vota Religioſi qui impugnant, omnibus votis bellum indicunt. 790. 915
Vota Religioſa non debent à Catholicis deprimi. 780
Vota tria Religioſa monſtrantur in Euangelio. 828. uno voto non continentur tria. 838
Votorum defenſio contra Segenotum. 789. & ſequent.
Votorum Religioſorum encomium. 911
Votorum cauſę. 782. in Religione. 891
Vota quid conferant ſtatui Religioſo. 779
Vota fuerunt apud veteres Monachos. 268. 271. 768.
Vrbanus 8. priuilegia Regularium confirmat. 379. 621.
Vrbanus 8. laudat Anglos martyres. 618
Vrſmarus ſine Eccleſia conſecratus Epiſcopus. 141
Vſus actiuus. 181


FINIS.

*ERRATA SIC CORRIGE.*

Pag. 4 linea 1 iterumque. lege iterum. p. 11 lin. 37. nomen. l. naturam p. 16 in margine l a ine l 3. p 19. lin 16. ponebabus. l ponebamus. lin. 24. bmi vnde extitit. diſtingue boni. Vnde extitit. p. 42 lin 4 qua. l. quæ p. 65 lin. 13 Dei l. Deo. p. 69. lin 17. principalitatis. l. principalitas. p. 85 lin. 13. ornatus. l. ordo. in marg. ... l. ... pag. 87. lin 41 ſupernaturales in vtriuſque. l. ſupernaturales in vtriſque p. 90 lin 21. et. l. & p 91. lin. vlt quantò accepimus igitur. l quantò igitur. &c. p 94. lin 11 à l ad. p 102. lin 25 quod l quo. p. 104. in marg. l. a l. . a p 1 9. lin 25 ca l. ea. p 132. lin 7 ab l ob p. 134 lin 25 qui per plures annos &c. obliteranda tota hæc linea. lin. 41. obiecti de qua partes. l obiecti partes de qua. p. 151 lin. 7. Angelicam. l. Angelicam p 151. lin Chariſmati. l. Chariſmatis. p. 164 lin. 4 & 1. vt. p. 168 lin. 7. l. a Ge tunc explicatur demonſtratur aduerſus Petrum Aurelium. p 184. lin. 1 ſuburbicarias, l. ſuburbanas p. 195 lin 18 vociferans. l. vociferans p. 06 in marg. ſententia. l ſententiæ. p 209 lin 18 ſeptimum l. octauum. p 216. lin. 6 octauo. l nono. p. 224 in marg. inueſtituris. l. inueſtituris p. 227. lin 28 indique. l indeque. p 229 in marg. ſtans l. Atlanis. p. 233. lin. 2. ad l. ab p 244. lin. 28. primilli. l. primi illi p 246. lin 39 regulam l. regula p 251. l 28. dele non Monacho. p 269 lin. 41. illum. l. illud p. 275 lin. 31. Cluniacenſes. l Cluniacenſem lin 40. ædificio l ædificatio p 284. lin 14 congregari Conuerſis. l. ex Conuerſis. p. 318. lin 42. confirmonem. l. confirmationem. p. 320. lin. 5. conuertuntur. l. conuertuntur. p 356 in marg. Rothomagenſes Prouinciæ. l Rothomagenſis Eccleſiæ. p. 367. lin 32 & l &c. p 395. lin. vlt ergo. l. erga. p. 443 l 7. dele non. p. 451. in marg epiſt 6 l ep 56. p 456. in marg. Presbyteris l. à Presbyteris. p 470 lin 37. exterta l. exte l. p 471. in marg ... l caſtorum p. 505. lin 21 & l an. p 527 lin. . contenta l. contentior. p 555. lin. 34 manum meorum. l. manuum meorum. p. 577. lin. 29 effingere l affingere. p 59 . lin. 3. inuoltariam l. inuoluntariam p 608. lin 24 ego l. ergo. p. 645. lin 24. fere. l fere. lin 41. Ægypti l. Ægypti p. 662 lin. 28. promouendam l permouendum p 683. lin 41 contentiones. l contentionis. Poſt Pag 685. In nota annectit 92 l. 686 p. 726. lin 44 necdum. l nedum. p 781 in marg Theſſalon. l. Philippens p. 787 lin. antepen. omnis. l. omnem. p. 788. lin. penult. affectatris l affectatrix p 789 lin. 15. dele non. p. 811 lin. 1. qui. l quia. lin 9 l. Iudaica ſuperbia ſuis meritis arrogabat: lin. 29. reperiantur. l. reperiuntur. p. 819 lin. 1 donatum. l. donatum. p. 844. lin 21. Theologiæ. l. Theologiæ. lin. 39 ſic l. & p. 865 lin. 35. quod. l. quo. p. 874. lin. 3 ſic. l. ſit. p. 883. lin. 13 eo l. ea. p. 891. lin. 5. & l. in. p 930. lin. 1. antiquus. l. antiquus.

Occurrens minutiora alia, oculorum, quàm orationis ſenſui moleſtiora, quæ, vt & grauiores næuos, Lector æquus humanitatis infirmitati condonabit: memor & ſibi multa quotidie obrepere, ad limam reuocanda.

774.838.903.942.955.957.
Petr. Aurelius quàm grauiter peccet. 709
Petrus Aurelius contumelioſus in Hierarchas. 140
Petri Aurelij calumnia. 187
Ad Petrum Aurelium admonitio. 776
Petrus Aurelius incurrit pontificiam cenſuram. 634
Petrus Cerebroſus ſimilis Petro Aurelio 776.
Petrus Damiani. 277.278. luget excludi ſe a Monaſterio. 926
De Petri Damiani Epiſtola iudicium. 396. 771. & ſequent.
Petrus Thomas Carmelita. 299
Phariſæorum continentia & mortificatio. 860.
Philibertus Abbas Gemmeticenſis. 274
Philippus Gamachæus. 414
Philoſophia ſecularis cautè vſurpãda. 643
Platonica periculoſa. 729
Philoſophia Ariſtotelica ſequenda. 730. qui eius næui. ibid.
Philumena Apellis. 526.667
Photius in Nicolaum Papam. 216
Phyſica ſcientia. 175
Piggardorum hęreſis. 436
Pius 2. pontifex. 373
Plato ab alijs ſua ſumpſit. 729
Pœnitentia duplex. 489. eius encomium. 507.
Pœnitentia vt virtus non ſupponit neceſſariò peccatum. 588
Pœnitentia Clericorum qualis & quotuplex. 490. comparata cum Pœnitentia Laicorum. 496
Pœnitentia an fuerit Religionis profeſſio. 494.
Pœnitentia publica comparatur cum ſtatu Religioſo. 587
Pœnitentia plena ſiue legitima. 497
Pœnitentia donum quod neſcientibus illabitur. 511
Pœnitentia data morientibus quid ſit. 510
Pœnitentia data, communio aliquibus negata. 511
Pœnitentia morientibus nunquam negata. 509.510
In Pœnitentia morientibus data plena communio. 510
Mortui in Pœnitentia reconciliati cenſebantur. 515
Pœnitentia multis precibus exorata. 493
Pœnitentiæ dandę ritus recentior. 324
Pœnitentiæ opera grauia. 501
In Pœnitentia gradu ſuo deiecti. 490
Pœnitentia publica vna. 506. baptiſmo ſimilis. ibid.
Pœnitentiam deſerere non licuit. 508
Pœnitentiam publicam ſequuta irregularitas. 508
Poſt Pœnitentiam aliquid obſeruandum fuit. ibid.
Pœnitentes differunt ab excommunicatis. 493
Pœnitentes eiecti extra Eccleſiam, quo ritu. 500
Pœnitentes non ſunt extra Eccleſiã. 494
Pœnitentes non ſunt in ſtatu. 494. habẽt certum veſtis genus. ibid.
Pœnitentes ſi conualuiſſent peregere Pœnitentiam. 513
Pœnitentium diuerſi gradus. 496
Pœnitentium reconciliatio. 502
Pœnitentiarius Sacerdos. 446
Pœnitentes S. Franciſci. 453
Polemonis conuerſio. 959
S. Polycarpus Aſiæ princeps. 440
Populus legem Epiſcopi non ſemper admittit. 208
Portæ tres in templis. 432
Porticus templi. 431
Potentia proxima & remota. 138
Potentia & poteſtas differunt. ibid.
Poteſtas ordinis & iuriſdictionis. 139.140
Poteſtates Angelicę vnde dictę & earum officium. 68. pręſunt dęmonibus. ibid.
Præceptores in Monaſterijs. 292
Pręcepta moralia communia legibus omnibus. 132
Pręcepta non bona quę ſint. 112.117
Pręceptum ſine gratia nullum eſt. 106
Pręդicatorum ordo inſtitutus. 298. comparatur cum S. Paulo. 341. ex eo multi Pręlati prodierunt. 298
Pręmonſtratenſium ordo. 253
Prępoſitus in Monaſterio quis. 248. diuerſus ab Abbate. 248.252. 267. ſecundus ab illo. 267.279.280
Pręputij reparatio. 118
Pręſcriptione priuilegium perditur. 372
Pręſentatio ad examen. 400
Pragmatica ſanctio. 373
Presbyterę mulieres & pręſidentes. 459
Presbyteri collegæ Epiſcoporum. 211. ſuccedunt. 70. diſcipulis. 333. at nõ ſoli. 337
Presbyteri comparati cum Epiſcopis. 233. eos Epiſcopis ęquauit Aërius. 216
Presbyterorum officium. 699. dignitas & poteſtas. 210
Presbytero committi poteſt confirmatio. 449.450.
Presbyteri mittuntur ab Epiſcopis. 338. poteſtatem ab illis accipiunt. 211.234

Preſbyteros conſecrat ſolus Epiſcopus. 447
Preſbyter nihil facit ſine conſenſu Epiſcopi. 461.
Preſbyter non reconciliat publicè pœnitentes. 446.
Preſbyteri in Concilijs Prouincialibus. 200
Preſbyteri non ab antiquo benedicunt in Miſſa. 345
Preſbyteri non habent curam principalem Eccleſię. 212. ſunt veluti mater familias. 211
Per Preſbyteros Apoſtolus Parochos intelligit. 209
Preſbyteri an poſſint supplere regimen Eccleſię. 236
Preſbyteros S. Dionyſius non nominat. 417
Preſbyterorum aliquorum inſolentia. 235
Preſbyteri omnes nō ſunt affixi Parochiæ. 249
Preſbyteris Monachi non ſunt ſubditi. 264. 386. 566. 679.
Preſbyteri Monaſteriorum Monachi. 264
Presbyter in Monaſterio idem qui Abbas. 247
Presbyterorum Septimaniæ poſtulatio. 385
Primicerius Lectorum. 468
Principatus Angeli conſiderati. 69
Principatus non requiritur in omni parte Hierarchiæ. 426. 428. 663
Principatus analogicè ad omnes ciues pertinet. 150
Principum vſurpatio in electione Pontificum. 226. 227.
Prioratus ruſtici ſub Abbatibus vnde nati. 278
Priores in Monaſterijs. 278. 267. 280
Prior Generalis Eremitarum. 278
Priores Cluniacenſes in itinere quot ſocios ducant. 295
Priores & Doctores non ſubſcribunt Concilijs. 648
Priuatorum ſanctitas perficit Eccleſiam. 421
Priuatorum culpa non nocet Ordinibus. 376. 407. 643.
Priuilegium quid ſit. 360
Priuilegium ad conciones, quale. 391. ad confeſſiones. 395. circa approbationem. 401
Priuilegia poſſunt Principes cōcedere. 354. 361
Priuilegia Papæ poteſtatem oſtendunt. 369. proſunt Eccleſiæ. 365
Priuilegijs qui reſiſtunt ſunt ipſo facto excommunicati. 396
Priuilegiorum in Mendicantibus origo, & hiſtoria. 392. iam non ſunt Priuilegia, ſed ius. 393.
Priuilegia dantur meritis. 366. conceduntur ad tranquillitatem poſſidentium. ibid. & in tertij fauorem. 370
Priuilegia data Monaſterijs, ex Fundatorum voluntate. 368
Priuilegiorum cauſa diuerſitas iuriſdictionis. 369. 370.
Priuilegia non faciunt alijs iniuriam. 409. non Parochis. 411 imo illos adiuuant. ibid.
Priuilegiorum antiquitas. 371. neceſſitas. 3[illegible]3. notitia. 374
Priuilegia multa data à S. Gregorio. 38[illegible]
Priuilegia dantur cum conſenſu Epiſcoporum. 368. 385.
Priuilegiorum omnium eadem eſt cauſa. 354.
Priuilegiorum ſuorum ſtudioſa conſeruatrix Gallia. i[illegible]
Priuilegia Monaſteriorum nota ſunt Epiſcopis. 374. non debent recognoſci. 375. 4[illegible]8
Priuilegiorum noua approbatio ab Vrbano 8. 379.
Vox, Priuilegij prætextu, quid ſignificet in Bullis. 6[illegible]7
Priuilegium datum meritis, non tollitur. 373
Priuilegium communitatis ceſſione non perditur. 372
Priuilegium tollitur ſola Superioris ſententia. 372. non autem ſolo abuſu. ibid.
Priuilegia malè conceſſa improbantur. 403. empta pretio. 406
Proceſſio in templis. 435. 476
Profeſſio Epiſcopalis de ſe non tribuit primam gratiam. 950. in ea dantur gratiæ gratuitæ. 951.
Profeſſio Epiſcopalis cum Religioſa confertur. 949.
Cum Profeſſione Religioſa ſæpe coniungitur prima gratia. 950
Profeſſio Religioſa Hierarchica eſt. 570. Baptiſmo comparata. 587
Profeſſio Benedictini Ordinis tria vota complectitur. 898. in Ordine S. Franciſci exprimuntur. 899
Prophetę cur videntes dicti. 97. 100. fuerunt de Hierarchia legali. 100
Prophetę fuerunt Iudæorum Doctores. 102. Religioſorum figura. 102
Prophetę Noui Teſtamenti. 672. ſunt in Hierarchia. 686. an habeant auctoritatem concionandi. 689
Prophetia perfecta, quę. 670
Propriè tribus modis dicitur. 27
Proprietatis periculum. 278
Proprietarij cum Iuda comparati. 288. nummicolæ. ibid.
Protheſis in templo. 435
Protocanonarcha. 470
Protopapas. 360
Prudentes propriè qui. 697
Prudentia cum ſapientia comparatur. 694
Prudentiæ ſpecies ad primam Angelorum Hierarchiam applicatæ. 66. ad ſecundam. 67.

Pſalmiſtæ iidem qui Cãtores & Lectores. 469. eorum electio. ibid.
Pſalmodia in Monaſterio. 291
Pſalmorum modulatio in Eccleſia. 470. à quo inuenta. 751
Pſeudomonachi. 260.376
Pueri in Monaſterium admiſſi à S. Pachomio. 267. à S. Baſilio. & S. Benedicto. 281
Pueri communiter admiſſi in Religionem. 584. non ſunt prohibendi à Religione. 585. aptiores ad id inſtitutum quam grandiores. 587
Pueri literis inſtituti in Monaſterio. 282
Purgatio. 16.17. quid ſit. 18
Purgatio intellectus Angelici. 74
Purgant aliqui ſe qui non illuminant. 149

Q.

Qualitatum actinarum conſideratio. 444
Quindecigimi Cœcorum hoſpitale Pariſijs. 357
Q inſexta Synodus. 434

R.

Rabanus Archiepiſcopus. 292
Rachelis & Liæ allegoria. 751
Rainaldus Abbas Caſſinenſis. 632
Rapſodus cum magnete comparatur. 35
Raſa quid. 867. ῥαπσφορεῖν. ibid.
Ratiocinatio in imaginatione. 748
Rationibus obligati quomodo in Monaſterium admittendi. 282
Rauennatum Canonicorum priuilegium. 356
Rechabitæ iidem cum Eſſenis. 862. eorum virtutes Chriſtianæ. 863
Reconciliatio Pœnitentium quotuplex. 502. prima reatu ſoluit, non omni cenſura. 503. 507. 510. 513. 523. 525.
Reconciliationis publicæ miniſter eſt Epiſcopus. 519. cum Clero. ibid.
Reconciliationis priuatæ miniſter aliquando Preſbyter. 519. aliquando Diaconus, & quomodo. 520
Sine Reconciliatione mortui, damnati. 514
Reconciliatoria manus impoſitio. 505
Regia domus in templo Ieroſolym. 433
Regis præclari dotes. 699
Regum Galliæ priuilegia & prærogatiuæ. 358. 362.
Regiminis Ordinum Mendicantium forma. 316
Regula S. Auguſtini. 246. 254. ſcripta Monachis. 308
Regulę S. Auguſtini cum eius Ordine collata. 311.
Regula S. Auguſt. non obligat ſub peccato. 908
Regulas tres an ſcripſerit S. Auguſtinus. 312
Regulæ Benedictinæ præſtantia. 899
Regula non omnia eodem modo præcipit. 907
Regulæ maior auctoritas quàm Superioris. 908
Regulæ aliquæ non obligant ſub peccato. ibid.
In Regula quando peccetur venialiter. ibid.
In Regula contentorum conſideratio. 906
Regulæ præcepta & remedia. 905
Regulam vouere, obedire regulæ, & ſecundum regulam. 904
Vouere ſe Regulam ſeruaturum. 905
Regulam ſequi magiſtram. 901
Regulæ litera cedat caritati. 902
Regulæ commune Conſtitutiones priuatæ adduntur. 309
Regulares debent examinari à ſuis Superioribus 393 400. non poſſunt iterum ab eodem examinari & approbari. 402
Regularibus dignis non poteſt limitari approbatio. 403
Regulares poſſunt audire confeſſiones approbatione ſemel debitè recuſata. 400
Pro Regularibus audiendis neceſſaria non eſt approbatio. 403
Regularium priuilegia pro concionibus. 393
Regulares in alienis Eccleſijs non prędicent ſine conſenſu. 394
Reipublicæ bona ordinatio. 150
Reipublicæ ciues efficiuntur ſigno viſibili. 149
Reip. ciues ſunt quodammodo participes principatus. 150
Religio communis & ſtricta. 243.822
Religio communis & perfectorum. 911
Religio laté ſumpta poteſt carere aliquo é votis ſubſtantialibus. 884
Religionis eſſentia conſiderata. 831.832. non eſt factitia. 832. nec eius proprietates eſſentiales. ibid. ſed accidentia. ibid.
Religionis ordo ad ſimilitudinem humani corporis. 279
Religionum inſtitutio primùm ab Epiſcopis. 336. & approbatio. 315. deinde a ſolo ſummo Pontifice. 315
Religionum fundatores aliqui non Sacerdotes. 309.
Religionum inſtitutio ſolemnitatem votorum præceſſit. 873
Inter Religiones & Eccleſiam pactum eſt. 316. 610.
Religionum duæ ſpecies. 603.609
Religiones ad actiones Hierarchicas inſtitutæ. 602.
In Religione Clericali omnes ſunt Clerici. 603
Religio comparata cum arce & dõgeone. 859. cum Arca Noë. 948. cum ponte. 859
Religio eſt ſchola virtutum. 919.937
Religionis encomium. 921.922
Religionis perfectio cum Laïcali cõparata. 931
In Religione multa ſubſidia ad virtutis acquiſitionem. 938

Religionem vouere magnum votum. 913
Ad Religionem ineundam magna deliberatione opus non eſt. 815
Religionem ingredi in iuuentute an ſenectute vtrum melius. 585
A Religionis propoſito auocare non licet. 923
Religionem qui vouit, an poſſit priùs conſecrari Epiſcopus. 960
Religionem amplecti poſſunt Epiſcopi. 961. non tamen ob laboris fugam. 962. ex eo capite Religionis dignitas conſiderata. 964
Religionem intrantes Clerici, meliorem vitam ſequi cupiunt. 923
Religionem qui intrant vt alantur & diteſcant. 857.
Religio dimiſſos aut eiectos alere non tenetur. 638.640.
Religionis deſertores. 271. eiecti de Religione. 290.
Inter Religionem & Religioſum contractus eſt. 612. 894. etiam inter Nouitios. 615
Religioſa vita incœpit ſub Apoſtolis. 828.829
Religioſa profeſſio debet eſſe voluntaria. 591. 592.
Religioſæ profeſſionis cum Epiſcopali comparatio. 950.951
Religioſi antonomaſticè dicti. 888
Religioſi Chriſtum imitantur. 825. ſunt altare domini. 770. ſacrificium & holocauſtum. 759.764.825.888. ſors Dei. 555
Religioſi cum Seraphinis comparati. 769. cum Angelis. 803.856. cum Angelis & hominibus beatis. 284. cum animali cui Chriſtus inſidet. 926. cum ſeruis & villicis. 571
Religioſi collati cum ſecularibus. 807.819
Religioſi comparati cum Prophetis. 102
Religioſi ſuccedunt Diſcipulis. 332.341
Religioſi ſunt diſcipuli Epiſcoporum. 336. eſſentialiter ſubiecti Epiſcopis. 347.348. etiã in Regularibus obſeruantijs. 351
Religioſi canones Eccleſiæ obſeruant. 630
Religioſi ſunt in ſtatu acquirendæ perfectionis. 930. poſſunt etiam poſſidere acquiſitam. ibid.
Religioſi totam vitam obligant ad ſtudium perfectionis. 925
Religioſorum culpæ an ſint grauiores quàm ſecularium. 575
Religioſi ſatisfaciunt pro peccatis alienis. 588. 589.
Religioſi ſunt perpetui in virtutũ actibus. 787
Religioſi cum votis ſuis liberi ſunt. 801
Religioſi quomodo ſint in Hierarchia. 692
Religioſi ſimplices an ſint in Hierarchia Iuriſdict. 170.173 346
Religioſi non ſunt ſuperflui in Eccleſia contra Hallier. 103
Religioſi mittuntur ad conuerſionẽ Gentilium. 334.
Religioſi fugiunt onera Eccleſiaſtica. 926
Religioſi ab antiquo clericalia munera obierunt. 614
Religioſi ad ſacros ordines faciliùs promouentur. 590. 649. etiam contrarijs interſtitijs. 622.650.
Religioſi non educuntur è Monaſterio niſi vt præficiantur Eccleſiæ. 926
Religioſi poſſunt eſſe doctores Theologiæ. 704
Religioſorum Aureola. 952
In Religioſos diuitiarum appetentes. 8[?]7.858
Religioſi habentes bona in communi, nihilominus pauperes ſunt. 857. poſſunt de Euangelio viuere. 335
Religioſi tepidi ſæpe peccant. 805
Religioſorum aduerſarij quales ſint. [illegible]
Religioſus ſtatus laudatur a ſanctis viris. 790. laudari poteſt a Religioſis. 755. eius laudatores reprehenduntur a Seguenoto. 577
Religioſo ſtatui multa opponuntur quæ probari non poſſunt. 824
Religioſi ſtatus commendatio. 555.643. vtilitas ex Petro Bleſenſi. 578
Religioſi ſtatus tria tempora. 883
Religioſus ſtatus eſt diuinæ inſtitutionis. 830. pendet a ſtatu Epiſcopali. 944
Religioſus ſtatus conſilia ſimul & præcepta complectitur. 784.914
Religioſo ſtatui vota ſunt neceſſaria. 822. tria omnia. 825. non autem vota omnium conſiliorum. 826
Religioſus ſtatus an ſit pœnitentiæ. 583.586
Religioſus ſtatus cum pœnitentibus publicis comparatus. 587. eſt efficacioris pœnitentiæ. 589
Reliquiæ in templo vbi poſitæ. 433.434
S. Remigius in cœleſti Hierarchia. 155
Renuitæ Monachi. 260
Reſpecta Maſſilienſis Abbatiſſa. 385
Reſpondere vehementer aduerſarijs licet. 166
Reuelatio. 749
Reunionis feſtum. 308
Rhinocolurenſes Clerici. 245
Richardus Smitheus. 346
Richerius ſententiam retractauit. 218
Richerium conatur Hallier explicare. ibid.
Robertus Bellarminus. V. Bellarminus.
Robertus de Sorbona. 721
Romana Eccleſia pura ab hæreſi. 440
Romana Eccleſia rituum Eccleſiaſticorum origo. ibid.
Rupiſucaldius S.R.E. Cardinalis laudatus. 254.

S.

SAcer ordo quis. 11
Sacerdos hominum aduocatus. 426. architectus. agricola. &c. 427. procurator Eccleſiæ. 476. quaſi mater familias. 446
Sacerdos Epiſcopi Collega. 445. minor Epiſcopo in ordine. 446. non eſt hierarcha. 7. non ſedet in Concilijs. 178
Sacerdote, Epiſc. æquare voluit Aërius. 216
Sacerdos proprius quadruplex. 396
Sacerdotes ſunt aſſeſſores Epiſcopi. 416. miniſtri publici Eccleſiæ. 421. velut inſtrumenta Epiſcopi. 424
Sacerdotes omnes ſuccedunt diſcipulis. 332
Sacerdotum ordo illuminatiuus. 442. poſſunt confirmare. 377
Sacerdotum dignitas. 441. 442. inſtitutio quomodo facta. 230
Sacerdotalis character cum Epiſcopali comparatus. 444
Sacerdotum tria genera. 209
Sacerdotes ſimplices. 159. 210
Sacerdotes ſeculares an ſint in hierarchia. 169. an habeant Iuriſdictionem. 442. ex commiſſione. 173. pauci perfecti. 611
Sacerdotes ſimplices ſeculares an ſint gubernatores Eccleſiæ. 217. non ſunt omnes addicti vni Eccleſiæ. 211
Sacerdotes ſummi duo apud Hebræos. 98
Sacerdotum diſtributio & numerus in lege. 99
Sacerdotũ nimia multitudo eſſe non poteſt. 611
Sacerdos ſecularis non poteſt audire confeſſiones ſine approbatione. 400. poteſt iterum approbari. 402
Sacerdotes ieiunant cum Pœnitentibus. 524
Sacerdotum & Monachorum affinitas. 567
Sacerdotes quomodo ad Monaſterium admiſſi. 280. 282. 926.
Sacerdotum fornicantium pœna. 877
Sacerdotes incontinentes retruſi in Monaſterium. 591
In malos Sacerdotes declamatio. 376. 921
Mali Sacerdotes quomodo ferant preces Eccleſiæ. 476
Sacerdotij gradus duplex. 151
Ad Sacerdotium ex imperfecta vita deueniri poteſt. 940
Ad Sacerdotium adacti rei. 593
Sacerdotium an Religioſis pernicioſum. 613
Sacerdotij dignitas non violatur à Regular. 629
Sacramenta cur in cœlo non ſint. 39
Sacramenta in Monaſterijs miniſtrata. 382
Sacramento Deus coniungitur. 425
Sacramentum pro oblatione ſumptum. 466
Sacramentum puerorum. 545
Sacramentalium vis ad ſanctificationem. 425
Sacrarium in templo. 435
Sacrificia tria. 759
Sacrificium actionum. 759
Sacrificium Religioſi. 759. 764
Sal Catechumenorum Sacramentũ. 545. 547
Salomon ducuit populum. 702. ſeptem ſcholas extruxit. ibid.
Sancti homines an pertineant ad Hierarchiam cœleſtem. 62
Sanctimoniales viduæ. 455
Sanctimoniales in Hierarchia. 751
Sanctimoniales feminæ ſi fornicantur. 877
Sanctitas & ſanctificatio quid. 421
Sanctitas formalis. 423
Sanhedrin Concilium apud Iudæos. 99
Sapientia. 668. de ea doctrina Ariſtotelis. 693
Sapientia actionum gubernatrix. 750
Ad Sapientiam qua via deueniatur. 694
Sapientia remota à Deo. 25
Sarabaitæ Monachi. 260
Sazimorum Epiſcopatus cur & à quo erectus. 947.
Scalæ Iacob allegoria. 752
Schema magnum parnum. 867
Schola Catecheſeon Alexandriæ. 542
Scholæ in Monaſterijs. 282. 293
Scientia. 16
Scientiæ diuinæ Hierarchia. 662
Scripturę ſacræ interpretes quales eſſe debeant. 665.
In Scriptura licet aliquando verba mutare. 340
Scripturæ ſacræ ſenſus duplex. 685. triplex & in eo veſtigium Trinitatis. 694. reſpondet officijs Hierarchicis. ibid.
Scripturæ ſacræ ſenſus literalis. 665
Scrutinium Catechumenorum vnde dictum. 537. idem eſt cum exorciſmo. 536. 539
Scrutinia ſeptem fiunt. 537
Scrutinium in Monaſterio Epiſcopus ne exerceat. 363. 369. 389
Scyllacenorum ſacrilegium. 740
Secretarium. 433. 434
Secundicerius Apoſtolici Ordinis. 331
Sede vacante an ſupplcatur Eccleſiæ regimen. 237.
Seguenotus opiniones ſuos deſerit. 789
Seguenotus à Facultate Pariſienſi damnatur. 454. 789. 952.
Seguenotus arguit Concilium Tridentinum. 458. contrarius S. Auguſtino. 458. 568. D. Thomam ſugillat. 789. & Patres omnes Religioſi ſtatus laudatores. 577
Seguenotus votis contrarius. 788
Seguenotus refellitur in doctrina paupertatis Religioſę. 576. virginitatis. 569. contemptu & depreſſione votorum. 790. ſequent. 912. 913. de aureolis. 952. de virtutibus moralibus & caritate. 792
Senatus Pariſienſis priuilegium. 360

Senſitiuus

Senſitiuus appetitus caret libertate. 181
Sententiarij qui. 709
Separandi verbum ad quas nuptias pertineat. 878.
Septuaginta Seniores inſtituti à Moyſe. 445
Sepultura in Eccleſia. 516
Seraphici amoris dotes quinque. 742
Seraphinus purgauit Iſaiam. 14.662.663
Seraphinorum conſideratio. 63.64
Seraphinorum dotes. 741. applicatæ Religioſis. 769.770
Seraphinorum proprietas. 15
Seraphinorum Triſagion. 450
Seraphini quomodo ad inferiores tendāt. 744
Seraphini purgant & illuminant. 693
Seraphini exemplo Hierarchizant. 696
Serui in Monaſterium admiſſi. 282
Sigebergenſe Monaſterium. 253
Signum ſupernaturale additum rebus naturalibus. 873
Simon Magus. 216
Simplices apprehenſiones. 748
Societas Ieſu eſt ordo mendicans. 314
Societas Ieſu eſt Religio Clericorum. 605. in ea omnes ſunt Clerici. 604
Societas Ieſu eſt Religio Preſbyterorum. 607. ad Sacerdotium votis obligatur. 606. deſtinatur ad Eccleſiaſtica munia. ibid.
Societas Ieſu conſeruat votum miſſionum. 607
Societas Ieſu profecta eſt à Theologia Pariſienſi. 724. & eam perpetuò colit. 726. academiam Pariſienſem docendo imitatur. 726
Societas Ieſu ſequitur doctrinam S. Thomæ. 728. & Ariſtotelis. 731. non autem neceſſariò doctrinam Molinæ. 733. Moliniſtarum nomen ridiculè ei imponitur ab Aurelio. 733.734.
Societas Ieſu nouitatē in doctrina refugit. 726
Societatis Ieſu doctrina Catholica eſt. 725
Societas Ieſu canonum ſtudium promouet. 714. commendat vſum Catechiſmi. 543. literas humaniores ex neceſſitate profitetur. 738
Societas Ieſu an ſit cauſa librorum qui ſcribuntur. 713
Societas Ieſu non admittit hęreticos aut ſchiſmaticos. 726. nec perſonas infames. 584
In Societate Ieſu ſunt Scholaſtici approbati. 606. quo ſtudiorum ordine vitam decurrant. 739.
Societatis Ieſu vota ſimplicia. 872. 873. faciunt veros Religioſos. 606. vota publica ſimplicia. 875
Societatis Ieſu regula non obligat ſub peccato. 908.
Societatis Ieſu inſtitutum non poteſt impugnari abſque cenſura. 634.636
Societatis Ieſu obſeruantia erga Epiſcopus. 404.
Societatis Ieſu priuilegium ad conciones. 393. ad confeſſiones. 395 pro approbatione. 412. pro non ſeruandis interſtitijs. 613
Societas Ieſu non tenetur alere deſertores. 640
Societas Ieſu amat & colit cęteros Religioſos Ordines. 756
Socratis dictum refellitur. 41
Sodalitas Caritatis. 473
Sodalitas doctrinę Chriſtianę. 542
Soleas in templis quid. 434
Solennitas votorum à profeſſione diſtinguitur. 827
Solennitas eſt accidentalis voto. 870. & ſtatui Religioſo. 882
Solennitas duplex. 871. vtraque iuris Eccleſiaſtici. 871.873
Solennitas eſſentialis in quo poſita. 872. accidentalis quę & humana. 875
Solenne & publicum differunt. ibid.
Solenne votum qui violat grauiùs peccat. 876
Solennitas non eſt inuenta à Bonifacio 8. 877. ſed eius ſedes ſtabilis. ibid.
Solennitas voti paupertatis antiqua. 850. & voti caſtitatis. 881
Quod ſolennitas irritet matrimonium, eſt ab apoſtolica traditione. ibid.
Solitudo vitiorum occaſiones remouet. 921
Solitudines Ægyptię. 259
Somnia prophetica. 670
Sozomeni fides in hiſtoria. 349
Spatilher, quid. 118
Speculatio quid. 746
Spiridion Epiſcopus. 178
Spiritus ſanctus primò conſideratur in Hierarchię ordine. 57.666
Spiritus ſanctus eſt digitus Dei. 122
Sponſalia per votum ſoluuntur. 874
Spoſtulantes, qui. 244
Stabilitatis votum. 278.286.903
Stagirius Monachus Energumenus. 527
Status quid ſit. 820. 928. comparatur cum officio & ordine. ibid.
Status ſeruitutis eſt vel libertatis. 821
Status firmitas moralis eſt. ibid.
Ad ſtatum quid requiratur. 928
Statum non facit habitus virtutis. 935
Status Hierarchia. 662
Status primò acquirendę gratię nullus eſt. 735 929.
Status perfectionis optimus, quis. 918
Status perfectionis acquiſitę. 929. perfectionis acquirendę. ibid. in hoc plurimi continentur. 824
Status omnes Eccleſię tendunt ad perfectionem. 910
Stellæ varijs Religionibus applicatę. 68
Stephani Papę opinio non admiſſa in Eccleſia. 197.

Stephanus Grandimontenſium fundatot. 307. 309.
Stephani Blneti defenſio aduersùs Aureliū. 339
Studium Religioſis imperatum. 398
Subdiaconus. 427. Ioannis Præcutſoris figura. 465. emittit è templo Catechumenos. 545
Subdiaconus vbi taogit ſacra vaſa. 434. vbi non tangit. 436. 465
Subdiaconi officium. 465
Subdiaconorum fornicariorum pœna. 877
Subditi poſſunt ſuperiores Hierarchizare. 944
Subdoctor, qui Bacalaureus. 703
Subſtratio gradus pœnitentiæ. 560
Succeſſio an debeat eſſe continua. 338
Suffragium ſumptum pro teſtimonio. 226
Summiſtæ & Summatij, qui. 709
Superbia Angelorum. 18
Superior in Religione quomodo ſubditum obliget. 907
Superioris auctoritas minot quàm regulæ. 908
Superiores Religioſorum offerunt ſubditos ad Sacerdotiū. 612. ſunt eorum ordinarij. 627. dant literas dimiſſorias. 627. 628
Superiores Religioſorum ſunt in Hierarchia. 342.
Syllogiſmi contextus. 176
Symbolum explicatum Catechumenis. 540. cur datum. 545. eſt ſacramentum Catechumenorum. ibid.
Symbolum ſcripto non traditur. 539
Symboli commendatio. 539
Synodalis Epiſtola. 197
Synodus in Trullo. 434
Syſtaſis gradus pœnitentiæ. 501

T.

TAbenna inſula. 266
Tabennenſes Monachi, & eorum inſtituta. 266. Clericatum refugiebant. 268
Tabennenſia Monaſteria cui parebant Superiori. 269
Teleſphorus Papa. 259
Templi Ieroſolymitani miracula. 552
Templorum veterum deſcriptio. 430
Tempus immemoriale. 371
Ternarij muneri perfectio. 26
Tertia Hierarchia eſt propriè dicta Hierarc. 71
Tertiarij & Tertiariæ S. Franciſci. 283. 853
Teſtes domiſtici an admittantur. 629
B. Thadæus Canarinus Auguſtinianus. 310
Theodoricus Rex electionem Papæ ſibi arrogat. 226
Theodorus S. Pachomij diſcipulos. 266. Abbas Tabennenſis. 267. Sanctificatus dictus. ibid.
Theodorus Archiepiſcopus in Anglia. 292
Theodoſius Cœnobiarcha. 647
Theologia vera. 17
Theologia incompacta. 16
Theologia Moralis. 707. quàm vtilis & neceſſaria. 708
De Theologia Morali multos ſcribere, vtile eſt. 716
Theologiæ Moralis partes ſingulas ſinguli perfecerunt. 717
Theologia Scholaſtica confertur cum ordine Cherubinorum. 723
Theologiæ Scholaſticæ encomium. 722
Theologia Pariſienſis cæterarum mater. 724
Theologiæ Pariſienſis encomium. 723
Theologiæ Pariſienſis initium à Regularibus. ibid.
Theologus Cathedralis Eccleſiæ. 703
S. Thomas ſequendus in Theologia. 728
S. Thomas Religioſos in hac quæſtione defendit. 165. 728
Thomas Boſius. 255
Thomas Sanchez laudatur. 714. eius vita innocens. 718
Thomas Sanchez nihil nouè ſcribit. 721. conſultus in redifficili. 717
Thomæ Sanchez opus de Matrimonio vindicatum a calumnijs. 719. 720.
Thomas Waldenſis defendit Religioſos. 165. & Concilium Conſtantienſe. 299. aduersùs Wicleffum. 647. 692
Thomæ Waldenſis auctoritas. 95. dictum de votis explicatur. 803. aliud dictum Petro Aurelio applicatur. 828
Throni vnde ſic dicti. 65. eorum virtutes. 706
Throni non ſunt ſupremi Angelorum. 56. 66
Throni ſunt omnes Angeli primæ Hierarchiæ. 56.
Tiberiani filia ſanctimonialis. 881
Timor eſt cum caritate. 811. conuenit etiam perfectis. ibid.
Tituli Cardinalium. 187
Titulus ſemper conſiderandus intra ætatn. 609
Tonſura prima. 474. 559
Traditiones agnoſcunt Rabbini. 101
Tridentinum in Gallia poſtulatum. 354. non admiſſum. ibid.
Tridentini Concilij encomium. 196. 605
Tria omnia in Hierarchia. 132
Tria omnia in templis. 430
SS. Trinitatis Hierarchia. 30. explicata. 43. in ea hypoſtaſes. 737
Triſagium Seraphinorum in cœlo. 750
Trophimus Epiſcopus lapſus. 549
Trullus. 434
Typographiæ vtilitas. 712

V.

VAlerius ordinator S. Auguſtini. 461
Valerius Reginaldus. 714
Vatablus defenditur. 226

Velum

Velum in Diaconico templi. 435
Velum caſtitatis quotuplex. 455
Velum conſecrationis. 456
Vercellenſis Eccleſiæ Clerici. 245
Vetus lex. V. Lex vetus.
Viaticum quid. 512
Wicleffus ius canonicum calumniatur. 709
Wicleffus negat Epiſcopum eſſe qui ſit in peccato mortali. 954.955
Wicleffus Religioſis infenſus. 691. negat Religiones inſtitutas eſſe à Chriſto. 828. ait eſſe factitias. 830
Wicleffi errores. 321.691
Viduæ ſanctimoniales. 455. velatæ. ibid. non velatæ ſacro velo. 456
Viduæ votum caſtitatis olim emiſerunt. 829. idque ſimplex. 869
Viduæ conuerſæ. 283
Viduæ poſt votum ſi nubunt. 880. an ſit validum matrimonium. ibid.
Viduitas præfertur nuptijs. 569
Viduitatis profeſſio & eius ritus. 455
Vigilius Epiſcopus Orientales excommunicat. 186
Virgines velatæ & conſecratæ. 456. quo ritu. 457. quo ætatis anno. ibid.
Virgines a ſolo Epiſcopo conſecratę. 457. ſub Epiſcopo fuerunt. 458.460.852
Virgines votum virginitatis ſimplex emiſerũt. 870. an fuerint propriè Religioſę. 881.897
Virgines non velatę. 454. quę ſit earum pœna ſi labuntur. 880
Virgines quo loco ſitę in templo. 475. 566. quo ordine communicarunt. 477
Virginum lapſarum pœna. 870.879. an ſit validum matrimonium. ibid.
Virginum cœtus an ſint antiqui. 653
Virginum ſaluatum explicata conditio. 841
Virginitas an amitti poſſit ſine peccato. 785
Virginitas non continet omnes alias virtutes. 841.
Virginitatis encomium. 454
Virtus quomodo dicatur vna. 128
Virtus acquiſita quomodo ab acquirenda differat. 929
Virtutes Theologiæ ſimul infunduntur. 128. ex proprio ipſarum motiuo poſſunt exerceri. 793
Virtutes morales defenduntur. ibid.
Virtutes morales ſupernaturales. 796
Virtutes politicæ & priuatæ. 929
Virtutes comparatæ cum corpore. 798
Virtutes omnes non ſunt connexæ. 128. quomodo dici poſſint connexæ 840
Virtutes reducuntur ad caritatem generalẽ. 126
Virtutes ſine caritate merentur de cõgruo. 124
Virtutes cum caritate merentur præmium ſupernaturale. 795.799
Virtutes non ſunt extrinſecæ perfectioni. 792.
conferunt ad perfectionem. 7[illegible]7. quo [illegible] dici poſſint exterior perfectio. [illegible]
Virtutum moralium actus non ſunt pec[illegible] Gentilibus. [illegible]
Virtutum habitus non faciunt ſtatum. [illegible]
Virtutes Angelicę vnde di[illegible]tę. 8. præſa[illegible] Religioni & miraculis. ibid.
Virtutes ſumptæ pro miraculis. 60[illegible]
Viſitationes Epiſcoporum ne [illegible] graues. 385
Viſitãdi Monaſteria ius ſeruatur Epiſcopis. 386
Vita actiua Eccleſiam Hierarchizat. 745
Vita Monaſtica & Religioſa eſt Apoſtolica. 326.327.829.
Vitalis Epiſcopus ſine reconciliatione mortuus. 514
Vnio voluntatis cum Deo. [illegible]50
Vnitas finis Hierarchiæ. 965.9[illegible]6
Per Vocales ſeptem, Dij olim celebrati. 470
Vocatio ad dignitates Eccleſiaſticas eſt multiplex. 161
Vocatio ad Epiſcopatum e[illegible] a Deo. 701. ad Clerum. 554.666. ad Religi[illegible]nem. 616.661
Volitionis humanæ ordo. 181
Voluntas ſuperior, inferior. 180
Votum publicum & priuatum. 822. occultum. 871.
Votum publicum diſtinguitur à ſolenni. 871. 875.
Votum commune & ſingulare. 912. eius diuiſionis auctor S. Auguſtinus. 913
Votum Epiſcopale caritatis. 948
Votum miſſionum in Societate Ieſu. 607
Votum ſolenne an ſolui poſſit ab Eccleſia. 833. 834.873. non poteſt via ordinaria. 874
Votum ſolenne impedit & irritat matrimonium. ibid.
Voti ſolennitas à profeſſione diſtinguitur. 827 859.
Vota ſimplicia in Societate Ieſu faciunt veros Religioſos. 606
Votum in Sacramento factum, non eſt maius voto extra Sacramentum. 915
Votum ſtat cum libertate. 800. non tollit libertatem phyſicam. 801. nec habet neceſſitatem antecedentem. 804
Vota ſunt voluntaria. 591. vincula Euangelij. 756.
Vota non ſupponunt peccatum. 5[illegible]2
Vota ſunt de rebus per ſe expetibilibus. 789
Vota ſunt inſtrumenta perfectionis. 917. non ſunt tantùm imperfectorum. 804.809
Vota augent intenſiuè perfectionẽ. 781.915
Vota non ſunt neceſſariò coniuncta cum cæteris virtutibus. 839. ab ijs differunt. ibid.
Cum Voto & ſine voto actus facti comparantur. 787.798.7[illegible] 9915.
Cum Voto, aut ex Voto facere differunt. 786
Voti meritũ an minuatur difficult. operis. 805

In Votis etiam perfecti difficultatem patiuntur. 8 5. cum augmento meriti. ibid.
Contra Vota peccare an ſemper ſit mortale. 8 .
Vota ſint-ne propriè in Baptiſmo. 912
Votum Baptiſmale comparatum cum Cœnobitico. 914
Vota Religioſi qui impugnant, omnibus votis bellum indicunt. 790.915
Vota Religioſa non debent à Catholicis deprimi. 780
Vota tria Religioſa monſtrantur in Euangelio. 828. in vno voto non continentur tria. 838
Votorum defenſio contra Seguenotum. 789. & ſequent.
Votorum Religioſorum encomium. 911
Votorum cauſę. 782. in Religione. 891
Vota quid conferant ſtatui Religioſo. 779
Vota fuerunt apud veteres Monachos. 268. 271. 768.
Vrbanus 8. priuilegia Regularium confirmat. 379. 621.
Vrbanus 8. laudat Anglos martyres. 618
Vrſmarus ſine Eccleſia conſecratus Epiſcopus. 141
Vſus actiuus. 181



FINIS

## ERRATA SIC CORRIGE.

Pag 4 linea 1 iterumque lege iterum. p. 11 lin. 37. nomen l. nouem p. 16 in margine l. a in c 7 l. 1 3. p 19. lin 16 ponebabus. l. ponebamus. lin. 24. b mi vnde castiti. distingue boni. Vnde existit. p. 42 lin 4 quæ. l. quæ p. 65 lin. 13 Dei. l. Deo p. 69. lin 17 principalitatia. l. principalitas. p. 85 lin. 13. ornatos. l. ordo. in marg ... l. ... pag 87. lin 41 ſuperatutales in vtruſque. l. ſupernaturales in vtriſque p. 90 lin 11. et. l. & p 91 lin. vlt quandò accipimus igitur. l. quandò igitur, &c. p. 94. lin 11 à. l. ad p 102. lin 15 quod l. quo. p. 104. in marg. l a l. a p 1 9. lin. 12 es l. ea. p 122. lin 7 ab l ob p 134 lin 25 qui per plura annos &c. obliteranda tota hæc linea. lin. 41. obiectis de qua partes. l. obiectis partes de qua. p. 154 lin. 7. Angelicam. l. Angelicam p 151. lin Charifmati. l. Chariſmatis. p. 164 lin. 4. & l. vt. p. 168 lin. 7. l. à Ge tunc explicatur demonſtratur aduerſùs Petrum Aurelium. p. 184. lin. 2 ſuburbicarias. l. ſuburbanas. p. 195 lin 18. vociferans. l. vociferans. p. 96 in marg ſententia. l ſententiæ. p 2 9 lin. 18 ſeptimum l. octauum. p 216. lin 6. octauo. l nono p. 224 in marg. inueſtitutis. l. inueſtituris p. 227. lin 28 indique. l indeque. p. 229 in marg. ſtianis. l. Arianis. p. 233. lin 2. ad l. ab p 244. lin 28. premiſſit. l. permiſit p 246. lin 39 regulam l. regula p 251. l 28. dele non Monacho. p 269 lin. 41. illum l. illud p 275 lin 31. Cluniacenſes. l Cluniacenſem lin 40. ædificio. l ædificatio p 284. lin 14. congregati Conuerſi. l. ex Conuerſis. p. 318. lin 42. confirmanem l. confirmationem p. 320. lin. 5. conuertuntur. l. conuertunt. p. 356 in marg. Rothomagenſea Ecclesiæ. l Rothomagenſis Eccleſiæ. p. 367. lin 32 & l &c. p 395. lin. vlt ergo. l. erga. p. 443 l 7. dele non. p 451. in marg epiſ 6. l ep. 56. p 456. in marg. Presbyteris. l. à Presbyteris. p 470 lin 37. exteris. l. exteris. p 471. in marg. cantum l cantorum p. 508. lin 21 & l an. p 517 lin. contenta l. contentioſa. p 555. lin. 34 manum meorum. l manuum mearum. p. 577. lin 29 effingere l affingere p 59 lin. 3. inuotariam l. inuoluntariam p 608 lin 24 ego l. ergo. p. 641. lin 24 ſere l. fere. lin 41. Ægypti l. Ægypti p. 662 lin. 28. promouendam l. permouendam p 683. lin 41 contentiones l contentionis. Poſt Pag. 685. in nota numeri 692 l. 686 p. 726. lin 44 needum. l nedum. p. 781 in marg Theſſalon. l. Philippens p. 787 lin. antepen. omnia. l. omnem. p. 788. lin. penult. affectatis l affectatis p 789 lin. 15. dele non. p. 811 lin. 1. qui. l. quia. lin. 9 l. Iudaica ſuperbia ſuis meritis arrogabat lin. 29. reperiantur. l. reperiuntur. p. 819 lin. 1 donatum. l. donatur. p. 844. lin 21. Theologiæ. l. Theologiæ. lin. 39 ſic. l. ſi. p. 865 lin. 35. quod. l. quo. p. 874 lin. 3 ſic. l. ſit. p. 883. lin. 13 eo l. ea. p. 891. lin. 5. &. l. in. p 920. lin. 1. antiquis. l antiquos.

Occurrens minutiora alia, oculorum, quàm orationis ſenſui moleſtiora, quæ, vt & grauiores næuos, Lector æquus humanitatis infirmitati condonabit: memor & ſibi multa quotidie obrepere, ad limam reuocanda.